RERVM
ITALICARVM
SCRIPTORES
TOM. XI.









Masucci Delin. Girolamo Frezza scul: Roma con lic de supe

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS UNDECIMUS.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,

ALIARUMQUE INSIGNIUM

BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.


TOMUS UNDECIMUS.



Antonius Gregolini inv. del. *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXVII.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.



F.co Zucchi S.V.

EXCELL.^MO SENATUI.

SERENISSIMAE.

REIP.^CAE LUCENSIS.

OB. AMOREM. LIBERTATIS.

SPARTANO.

BONARUM. ARTIUM. CULTUM.

ATHENIENSI.

FACILE. COMPARANDO.

MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.

XI. ITALICARUM. RERUM.

TOMUM.

AMORIS. ET. OBSEQUI. PIGNUS.

D. D. D.



EXCELL.MO SENATUI SERENISSIMÆ REIP.CÆ LUCENSIS.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
FOELICITATEM.

SI *nulla præstantior administrandæ ac tuendæ Reipublicæ ratio, quàm veterum exempla nosse Ciceronis testimonio, pluriumque gentium experimento probatur, gratum* EXC.MO *huic* ORDINI, *Mediolanenses Palatini Socii facturos nos esse confidimus cùm XI. Italicarum Historiarum Tomum, inclyto Reip. V. nomine decoratum in lucem emittimus; plures namque ineditas adhuc historias vulgantes, novum argu-*

mentum prudentiæ, novaſque libertatis vindicias in rem veſtram comparamus. Nec injuriâ dixerim nullibi noſtratium rerum exactiorem hiſtoriam inveniri poſſe, quàm in libris noſtris, in quos per Clar. Muratorium *collata ſunt vetuſta ferè omnia monumenta eorum præcipuè temporum, quæ nimis hactenus obſcura meliore luce indigebant. In iis frequentiſſimæ fœlicis Urbis veſtræ memoriæ; Urbis, inquam, illius, quæ inter varias aliarum viciſſitudines nomen & decus à remotiori antiquitate, fabuliſque proxima ſervavit, imò & auxit, primùm adversùs naſcentem Romanorum fortunam, cum quibus à Majoribus veſtris pugnatum eſt forti adeò conſtantique animo, ut propulſando bello ſe pares exhibuerint, & nonniſi per militare ſtratagema vinci potuerit* Oppidum *Frontini Romani Scriptoris teſtimonio* ſitu non tantùm & operibus, verùm etiam propugnatorum præſtantia tutum; *ſed parendum erat Superûm placito, & ad fundandum Romanum Imperium veſtrorum etiam vires & opes ſociali vinculo unitas, in alias gentes irrumpere oportuit.*

Quamobrem auctis Romanorum rebus colonia in Urbem veſtram deducta eſt, quæ fortaſſe jam antea municipii honore donata ſuffragiorum etiam jus habuit, per quod ita communicatum imperium, ut communes antea fuerant labores. Eximium ſanè hoc gentis veſtræ ornamentum, in quo conferendo parci admodum erant Romani. Sed nunquam interiturum alte-

te-

terum ex celebratissimo Triumviratu Cæsaris, Crassi, & Pompeji, quibus intra mœnia Urbis vestræ convenientibus jacta sunt prima Monarchicæ dominationis fundamenta, intraque domesticos Lucenses lares enatum est Imperium illud, quod universum ferè terrarum Orbem in suam redegerat potestatem. Ea tum occasione Magistratus Romanos omnes Lucam congessit desiderium invisendi, salutandique Cæsaris, ita ut centum viginti fasces ante ejus fores numerati sint, unde quis facilè amplitudinem Urbis, quodque majus est fidem in Romanos cognoscat. At convulso à Barbaris Romanorum Imperio evelli minimè potuit à Lucensibus robur; & quæ Romanis olim pluris æstimata Lucensium fides, non minoris & facta Gothis novis dominatoribus, cujus præsidio fulcti dura obsidionis incommoda per trimestre spatium majores vestri sustinuerunt, frustra novo stratagemate eorum animos tentante Narsete, cui nunquam in tuto res Italica visa est; nisi postquam Lucam expugnasset, seu potiùs in deditionem recepisset. Nec secus habita Langobardis Principibus, à quibus in novam Ducatus formam redacta est Lucensium provincia, & per eam dignitatem Desiderio Duci, Regum illius gentis postremo, via patuit ad Regnum.

Quod si propius ad nostra tempora veniamus, post restitutum à Carolo M. Imperium illud, & ad Germanos translatum, singulare non deerit majestatis monumentum in jure cudendæ mo-

netæ

netæ ſolis Lucenſibus per univerſam Hetruriam conceſſo, quod fortaſſe ſub Langobardis Ducibus obtinuerat. Non memorem quis deinde Urbis veſtræ ſtatus, quæque in finitimos populos geſta prœlia per ea tempora, quibus univerſæ ferme Italicæ Urbes ad libertatem clamantes fœdis diſſidiis in mutuam perniciem irruebant; ea ſiquidem fuſiùs à Scriptoribus noſtris narrata perlegenda offerimus: id unum laudi veſtræ dandum ſolos vos ex Hetruſcis revocatam tandem libertatem, optimis inſtitutis ac legibus ad hanc uſque diem ſervaſſe, à domeſtica externaque vi non ſemel impetitos. Non memorem quæ fuerit Impp. Henrici, Caroli IV. Maximiliani I. aliorumque liberalitas erga fidam Romano Imperio gentem veſtram, neque minorem alteram Summorum Pontificum in Eccleſia veſtra exornanda, quam à temporibus uſque Apoſtolicis inſtitutam ob incorruptam Religionis fidem tamquam cariſſimam filiam Romani Pontifices dilexerunt; eamque ob cauſam anno præterito BENEDICTUS XIII. *inter Sanctiſſimos non ultimus Archiepiſcopali dignitate donavit. Augeat D. O. M. in dies fortunas veſtras, & læti ſub Sacri Romani Imperii tutela libertate fruimini, quam ſanguine ac prudentia comparaſtis, ac munus hoc, quod Sociali nomine humiliter ſiſto, libenter accipite; habet enim & alia quæ vobis illud commendent. Civem nempe veſtrum Ptolemæum, cujus Eccleſiaſticam Hiſtoriam nunc primùm typis imprimendam*

cura-

curavimus, atque alia ad Castruccium de Antelminellis vulgò Castracanem pertinentia, cujus nomen quo magìs à nobis illustratur, eo crescet & gaudium vestrum ob excussam olim illius impotentiam. Valete.

Dabam Mediolani Pridie Kalendas Martii MDCCXXVIII.

ELENCHUS
TOMI UNDECIMI.

ANONYMI TICINENSIS COMMENTARIUS DE LAUDIBUS PAPIÆ,

Elucubratus circiter Annum MCCCXXX.

ET NUNC PRIMUM EDITUS

EX MANUSCRIPTO CODICE TICINENSI.

IN ANONYMI TICINENSIS LIBRUM DE LAUDIBUS CIVITATIS TICINENSIS

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN celeberrima urbe Ticinensi, sive Papiensi, adservatur hic Liber manu exaratus, atque illinc mihi procuratum exemplar, & data facultas ipsum evulgandi. Hoc autem debeo Clariss. & doctiss. Viro P. D. Gaspari Berettae Monacho Benedictino, publico Philosophiae Professori in Gymnasio Ticinensi, cujus erga me benevolentiam, studiumque erga hanc meam Collectionem depraedicare satis non possum. Libellus quidem mole exiguus est, immo & nonnullis, a superficie tantum res judicantibus, videbitur minutiora quam par esset, seu inutilia & inepta complecti. Verum, si quidquam sententia mea valet, magni faciendus est, & cuicumque rerum pretia accuratius & ex intimo statuenti, nullus dubito quin voluptatem multam adferre possit. Scilicet ejus Auctor tam belle, tam graphice, statum ac mores veteris Civitatis Papiensis nobis exhibet, ut nos ipsam, qualis ante quadringentos annos fuit, nobis veluti sub oculos constitutam intueri cum voluptate possimus. Atque utinam non unum, sed plures ejusmodi Libros atque picturas haberemus. Jucundum quippe est unius Urbis, ejusdemque Populi mores antiquos cum nostri temporis comparare posse, & post quatuor tantum Secula adeo immutatos atque diversos deprehendere. Propterea senes inter nos attenta aure audire solemus, ubi de Patriae nostrae ritibus ac moribus nobis describunt quae sibi olim visa, nostris autem temporibus in desuetudinem abiere, in melius aut pejus conversa. Quid si e tumulo caput attollens quisquam, qui aut Langobardis, aut Francis in Italia regnantibus, aut serius etiam, vixisset, nobis referre posset, quae facies rerum tum foret, quod Populi regimen, quae Artes, quae tributa, qui in bello, in conviviis, in vestimentis, & sexcentis aliis mores ac ritus olim obtinerent? Omnes, puto, erectis auribus, patuloque ore, singula exciperemus, & nullus interrogandi finis esset. Verum illos, qui in Libitinae ditionem abiere, desiderare quidem quis possit, sed nemo sperare velit, e duro illo somno, quo tenentur, excitandos, ut suorum temporum res & facta nobis oculati testes depingant. Quod solum restat, e Libris, qui supersunt, earum rerum aliqualis nobis cognitio est eradenda.


Et profecto haec causa fuit, cur in Libro, cui titulum feci *Riflessioni sopra il buon Gusto nelle Scienze, e nell' Arti*, edito sub nomine Lamindi Pritanii, ejus hominis consilium laudarim, qui in posterorum utilitatem nostrae aetatis mores, studia, Artes, ac ritus accurate describeret: opus sane nunc aut contemnendum, aut parvi faciendum, sed quo plus a nobis tempus progrederetur, eo gratius futurum posteris nostris. Non omnium tamen esset ejusmodi negotium, quod facillimum primo aspectu videtur, recte peragere; sed opus foret & delectu, & magna rerum experientia, & subacto judicio; eaque solum referenda forent, quae uti mutationibus obnoxia, a posteris aliquando conquirenda esse crederentur. Interea habeant Eruditi Libellum hunc, unde multa haurient ad antiquum Civitatis Ticinensis statum & mores dignoscendos. Quod ibi in usu erat, facile apud finitimos Populos usurpatum crediderim. Atque utinam plura is adnotasset. Exempli caussa vellem nobis enarrasset, qui olim esset ritus in cultu Sancti Christophori, & quid inde speraret devota plebs, sive superstitiosa. Nam ut ut sciamus, ejus intercessionem apud Deum ad arcendam pestem expetitam olim fuisse, attamen antiquissimi illius Martyris non minus Acta fabulis, quam cultus varia superstitione infuscata fuere. Verum de hoc erit alibi mihi sermo. Petrus quoque Azarius in Chronico, quod infra evulgandum est, obiter innuit, in more vulgi fuisse deoscu-

lari *pedes Sancti Christophori*; ejusque imaginem extra Templorum fores pingere veteres consueverunt, quae omnia temporibus nostris excidere. Innumera alia sunt, quae si antiquorum calamus scripta reliquisset, nos sibi mirum in modum obstrinxisset.

Auctor Libri hujus Anonymus est. *Aulicum Ticinensem* appellare solent Eruditi Ticinenses, nempe quia Patriam *Ticinum* habuit, & versabatur Avenione in *Aula* Pontificia, dum haec scribebat. Scripsisse autem dicitur temporibus Johannis XXII. Summi Pontificis, hoc est, ut mihi quoque videtur, circiter Annum 1318. aut 1321. Hujus sententiae rationes istae mihi occurrunt. In exilium actus ille fuit e Patria vi factionum in ea urbe pro more Seculi debacchantium. Id ipsemet indicavit Cap. I. de Ecclesiis urbis Ticinensis agens: *Si quas*, inquit, *omisero*, *nemo miretur*, *quum exul per plus quam biennium a partibus illis*, *ac trecentis fere millibus passuum longinquus a Patria*, *non possim omnium de facili recordari*. En ut innuat suam in Provincia seu Avenione moram. Anno autem 1315. expulsis Guelphis, Gibellinorum factio potita est Ticino, ut scribit Gualvaneus de la Flamma in Manipulo Florum, praeter alios Auctores. Ac proinde tunc Historicus noster Guelpharum partium sectator se recepisse putandus est in Aulam Pontificiam. Capite vero XVIII. *Electionem* Episcopi Ticinensis spectare ait ad Clerum illius Civitatis, *approbationem* vero, *confirmationem & consecrationem* ad Romanum Pontificem. Atqui Johannes XXII. Papa Anno 1322. primum & primus omnium sibi reservavit Episcoporum Electionem in Italiae urbibus permultis, ut Odoricus Raynaldus & Mabillonius nos monuere. Quare videas, ante illum Annum haec scripta fuisse. Praeterea is Cap. XVII. *Officium Eucharistiae Domini* inter Fideles *novum*, & magna veneratione susceptum ait. Tamdem non uno in loco meminit generalis *Interdicti* a sacris, quo Civitas illa tum temporis plectebatur. Contigit hoc Anno 1316. quum Johannes XXII. in Matthaeum Vicecomitem Mediolano, Ticino, aliisque Civitatibus, Guelphorum factione depressa, dominantem, irato nimis animo foret. Itaque veri videtur simile, circiter Annum Christi 1320. Libellum hunc a Ticinensi Scriptore fuisse compositum.

Huic tamen conjecturae obstare nonnihil videntur Dominici Ansossii verba in Lib. de Sacr. Reliquiar. Cultu, Cap. IV. impresso Brixiae Anno 1610. Quae ille habet, heic recensenda sunt, quippe huic argumento in primis opportuna. Inquit ergo Ansossius: *Fas sit recensere formalia verba cujusdam Chronici in Avenionensi Civitate scripti*, *Auctore incerto*, *tempore Johannis XXII. Qui Auctor*, *ut ex ejus lectura est videre*, *erat Papiensis Ecclesiasticus*, *& ut existimo*, *Aulicus Pontificius in Curia Pontificia Avenioni*. *Liber hic est antiquus*, *scriptus in membrana characteribus antiquis*, *quem habui ab admodum Rev. D. Augusto Besusto Papiensi*. *Is est compilatus*, *ut in fine apparet*, *Anno* 1330. *die Mercurii IX. Septembris*, *Anno XV. Pontificatus praedicti Sanctissimi Johannis XXII. Quem Auctorem de cetero appellabo Aulicum Papiensem*, *si contigerit eum citare* (saepe autem citat). *Liber autem hic inscribitur de Laudibus Civitatis Ticinensis*. Verum fortasse non compositum, sed solum a quopiam Librario descriptum Anno 1330. Libellum hunc nota illa Chronologica innuit. Quod ergo restat addendum, Scriptoris hujus auctoritate sunt usi, qui postremis hisce temporibus Ticini inter se publicis scriptis digladiati sunt, fervente controversia, an in Templo Sancti Petri in Coelo Aureo detectum fuerit Anno 1695. Corpus Sancti Augustini. Usus est inter alios nuper laudatus P. D. Gaspar Beretta in Lychno Chronologico §. 8. pag. 90. Usus est & P. Romualdus a Sancta Maria Ordin. Excalceator. Sancti Augustini, cujus haec sunt verba in Papia Sacra Part. II. pag. 31. *Hoc autem disertis verbis habetur in Libro de Laudibus Papiae a Sigeberto quodam Avenione concinnato*, *Annoque* 1330. *XIX. Septembris edito*, *ubi legitur* &c. Unde P. Romualdus didicerit huic Auctori nomen fuisse *Sigebertum*, incompertum mihi. Ego *Anonymum* appellare pergam, dum meliora docear; & certe ejus Libellus numquam antea editus. Graviter autem hallucinatus est P. D. Joseph Maria Bellinus Canonic. Regular. S. Augustini, qui certo certius hunc esse *Sigebertum Gemblacensem* scripsit; quem errorem deinde ab eruditissimo P. Beretta edoctus ipse emendavit.

ANO-



Placido Romolli inv. et del. Gio. Batta Sintes Sculp. Romæ

ANONYMI TICINENSIS COMMENTARIUS DE LAUDIBUS PAPIÆ.

Incipit Liber de Laudibus Civitatis Ticinensis, quæ dicitur Papia.

CAPUT PRIMUM.

PApiensis Civitas, Ticinum dicta, & utroque nomine antiquitus nominata, Urbs nobilissima Italiæ, flosque Ligurię, ac demum caput, & Camera, seu Sedes totius Regni Longobardorum, multis extitit antiquis Privilegiis decorata, inter quæ sunt illa potissimum recolenda, quibus eam Dominus, ac Salvator noster per servos suos magnificè sublimavit, in principio quidem suæ conversionis ad Christum, cujus Fidem prima in partibus illis accepit, dum gratia superna Ticinensi populo præcucurrit ita à Christo in Petrum, à Petro in Marcum, à Marco in Ermagoram, cujus Beati Patres nostri Syrus, atque Inventius auditores Deo digni extiterunt.

In quorum adventu mirabile illud contigit inauditum, quod ante tantorum Patrum prædicationis auditum, volante ad populum fama miraculorum, quæ in itinere Beatissimus Pater pa-

A traverat Syrus, comite sibi decoro Levita Inventio, tam subitò inspiratione populus est conversus ad Fidem, ut maxima pars illorum obviam occurreret tanto Patri, clamans devotissimis vocibus, ut illos doceret viam salutis æternæ.

At ille prophetico spiritu glorificans Urbem, tali eam præsagio decoravit: *Delectare gaudiis, gloriosa Urbs Papia, quia veniet tibi ab extremis montibus exultatio. Non vocaberis minima, sed copiosa in finitimis Civitatibus.* Quæ Prophetia sic fuit impleta post circa quingentorum annorum curricula in Longobardorum adventu, qui de extremis Mundi partibus exeuntes illam fecerunt sublimationibus multis
B insignem, ut tamen speremus adhuc eam Divina propitiante Clementia meliùs exaltari; unde quasi quodam aperto suæ copiæ, ac probitatis indicio, tale sortita est nomen, ut quod à *Papæ*, quod est mirum, Papia mirabilis diceretur. Ticinum autem est dicta à Ticino flumine, supra quod antiquitus est fundata.

Beatissimi verò Syri in tantum prædicatio valuit, ut non solùm ipse superstes Christianæ Fidei persecutores eidem comminantes suo sermone converterit, verùm etiam post gloriosum ejus excessum, quo ipse post multarum virtutum miracula, post perductas ad Fidem Christi finitimas Civitates, decursis totius ætatis

suæ centum duodecim annis, migravit ad Dominum: nullus in Civitate Propheta pro Fide Christi, quantacunque Romanorum Principum adversùs Christi Fideles rabie sæviente, fuerit unquam Martyr occisus, præter Severinum Boëtium, qui ibi pro justitia & veritate exul, tamdem gladio percussus occubuit, jubente Teodorico Tyranno Gothorum Principe, qui Ravennæ commorans de consensu Imperatoris Italiam gubernabat.

A

Unde illa: quòd sibi multa sunt Corpora Sanctorum, aut fuerunt per Longobardorum Principes illuc aliunde translata, aut extiterunt Corpora Sanctorum Confessorum aliarum Urbium persecutiones illuc declinantium, aut eorum, qui illic in Pontificali culmine quieverunt in pace.

B

Hæc est illa Civitas, quam Longobardi, destructis, aut depopulatis ceteris Italiæ Oppidis virtute Divina reservaverunt, & sui Regni Caput, & Cameram elegerunt, ac tamdem Christi Fide suscepta, conditis illic Legibus Longobardis, & quamdiu illorum Regnum duravit, continuè habitantes, amplificatis mœniis, auxerunt innumeris Ecclesiis, Sanctorumque pignoribus decoraverunt, licèt invenerim secundum, tertiumque murum Urbis longè post finem ipsorum Regni fuisse constructos.

In hac Urbe per successionem plures quàm quinquaginta Pontifices resederunt, ex quibus undecim sunt per Sanctam Romanam Ecclesiam canonizati, & Sanctorum Catalogo adscripti. Nomina sunt hæc: Syrus, Inventius, Ursicinus, Crispinus, Epiphanius, Maximus, Ennodius, Crispinus, Damianus, Theodorus, & Hieronymus.

C

Temporibus Longobardorum, sicut fertur, illic omnes partium illarum Episcopi congregabantur ad Synodum; unde & adhuc sunt ibi Capellæ quamplures, vocatæ multarum Civitatum Longobardiæ nominibus; nam quo ad hujusmodi convocationem Concilii jus quasi Metropolitanum habebat, licèt non aliter esset Metropolis, nisi ratione Principatus in Regno. Et ex tunc fuerunt omnes illius Urbis Antistites ab omni Archiepiscopali jurisdictione exemti, sicut adhuc sunt, & Romano Pontifici immediatè subjecti; & usque ad hæc ferè tempora omnia Archiepiscopalia insignia, ut Pallium, Crucem, & consimilia deferebant.

D

Hæc quidem Civitas aquis salubribus irrigua, pascuis uberrima, agris, vineis, & nemoribus fructifera, ac cunctis humanæ vitæ necessariis copiosa; nec non quoque nunc in præsenti quibusdam ex Civibus illius, discordiæ schismatisque vesania laborantibus, quorum iniquitas ex adipe prodiit, hoc est ex abundantia panis, & vini, ceterarumque divitiarum. Peccatum eorum fuit per divinam justitiam punitum: ceteri misericorditer puniantur. Nobilium, & sapientum multitudine vigens, intra tres murorum ambitus plurium quàm centum triginta Ecclesiarum numero noscitur radiare.

E

In primo igitur murorum interiorum ambitu octoginta & ampliùs jugerum spatio dilatata, quorum jugerum unumquodque æqualis quadratura proportionis extenditur, ac profundis cloacis subterraneis emundantur, continet has Ecclesias, quæ inferiùs describuntur. Si quas autem omisero, nemo miretur, cùm exul per plus, quàm biennium à partibus illis, ac trecentis ferè millibus passuum longinquus à Patria, non possim omnium de facili recordari.

CAP. II.

Ecclesiæ Civitatis Papiensis cum Corporibus Sanctis intra primum murum Urbis.

Ecclesia S. Stephani Protomartyris, in qua jacent Corpora Sanctorum Confessorum, & Episcoporum Syri primi prædicatoris nostri, & Joannis Episcopi Nicensis, ac Armentarii Episcopi Papiensis. Item corpus Sancti Gengulfi Martyris, qui fuit miles Pipini Regis Francorum.

Ecclesia S. Mariæ Majoris contigua Ecclesiæ S. Stephani, quæ sunt pro Ecclesia Cathedrali; in Basilica enim æstivali, quæ est S. Stephani in Aquilone, celebrant in æstate Canonici; in Basilica verò hyemali S. Mariæ in Meridie celebrant in hyeme, in qua jacet corpus S. Crispini primi, qui fuit septimus Episcopus Papiensis, cujus corpus illuc translatum est de Ecclesia S. Martini in Terra arsa per Joannem Bonum Episcopum Papiensem, in qua Sancti Crispini translatione virtutes factæ sunt plures.

Hæc Ecclesia S. Mariæ cùm fuisset destructa incendio simul cum alia per Odoacrem Tyrannum, Angelica virtute restaurata est meritis Epiphanii Episcopi nostri, Canonica Cathedralis.

Ecclesia S. Joannis de fontibus Baptismalis.

Ecclesia S. Silvestri Papæ Capella Episcopalis Palatii, in qua multæ Reliquiæ continentur.

Ecclesia S. Luciæ, quæ est in domibus Potestatis, quæ fuerant olim Episcopatus Papiensis.

Ecclesia S. Mariæ Senatoris, in qua jacet Corpus S. Aureliani Martyris. Monasterium Nigrarum.

Ecclesia S. Mariæ Veteris, in qua jacet Corpus Honoratæ Virginis Sororis B. Epiphanii Episcopi Papiensis, in cujus Virginis Translatione inter alia miracula universi Judæi, qui illic morabantur, conversi ad Christum, & baptizati, statim migraverunt ad Dominum, & ex tunc nulli fuerunt in Civitate Judæi. Fuit autem translata ad dictum Monasterium de Ecclesia S. Vincentii per Lityfredum Episcopum Papiensem monente Angelo. Monasterium Nigrarum.

Ecclesia S. Bartholomæi in Strata. Monasterium Nigrarum.

Ecclesia S. Mariæ Theodotis, quæ dicitur della Pusterla, Monasterium Nigrarum exemtum.

Ecclesia S Eusebii de Curte Vercellina.

Ecclesia S. Teclæ Virginis & Martyris.

Ecclesia S. Joannis Domnarum, quam condidit quædam Regina Longobardorum, ubi est quædam arca, in qua dicitur esse Corpus S. Blasii Episcopi Sebastianensis & Martyris, cum duabus Capellis contiguis Ecclesiæ, ubi est Baptisterium secundum. Canonica.

Ecclesia S. Gabrielis Archangeli.

Ecclesia S. Augustini de Domo Communi, quæ est Capella Humiliatorum, & Humiliatarum tertii Ordinis.

Ecclesia S. Spiritus Domus Elemosianorum.

Ecclesia S. Trinitatis, in qua jacet Corpus S. Policarpi Episcopi & Martyris. Canonica.

Ecclesia S. Felicis Episcopi & Martyris, in qua jacent Corpora Sanctorum Martyrum Sergii, & Bacchi, Felicis Episcopi Spelatensis, & Castuli. Item corpus S. Marinæ Virginis, quæ, ut habetur in Vitis Patrum, in habitu virili inter Monachos vixit: Item aliæ Reliquiæ plures. Monasterium Nigrarum.

Ecclesia S. Petri Appodiati contigua Ecclesiæ S. Felicis, & ejus Capella.

Ec-

Ecclesia S. Joannis Chrysostomi, quæ dicitur in Solariolo.
Ecclesia SS. MM. Faustini, & Jovitæ.
Ecclesia S. Pantaleonis Majoris. Canonica.
Ecclesia S. Mariæ Secretæ, quæ dicitur Furmaria.
Ecclesia S. Zenonis Episcopi. Canonica.
Ecclesia S. Mariæ Novæ.
Ecclesia S. Domnini Martyris.
Ecclesia S. Matthæi minoris.
Ecclesia S. Colombani minoris.
Ecclesia S. Mariæ ad Josaphat, ubi inter ceteras Reliquias habetur de Ligno veræ Crucis. Monasterium Albarum.
Ecclesia S. Christinæ Virginis & Martyris.
Ecclesia SS. MM. Cosmæ, & Damiani, in qua jacet Corpus S. Damiani Episcopi Papiensis, qui processionem de uno Choro ad alium ordinavit. Hic in Constantinopoli legatione functus est, vel misit Epistolam de duabus naturis, & voluntatibus in Christo. Hanc Ecclesiam construxit, ut mihi videtur reperisse, S. Crispinus Secundus, qui fuit Episcopus Papiensis.
Ecclesia S. Romani minoris.
Ecclesia S. Nicolai in Moneta.
Ecclesia S. Mariæ Gualterii dedicata per Romanum Pontificem Urbanum Secundum, vel Tertium. Hanc construxit Gualterius Judex. Canonica.
Ecclesia S. Mariæ Petri, vel ut Vulgo dicitur Peroni. Hanc construxit Petrus Clericus, & frater, ut dicitur, dicti Gualterii. Canonica.
Ecclesia S. Martini in Petra-lata, olim Ecclesia Secularium Clericorum. Monasterium Albarum.
Ecclesia S. Salvatoris, quæ dicitur Leani. Monasterium Nigrarum.
Ecclesia S. Mariæ Parvæ.
Ecclesia S. Matthæi Majoris, in qua sunt Reliquiæ SS. MM. Mauritii, & Sociorum ejus, quæ subest Monasterio Fructuariensi. Prioratus Nigrorum.
Ecclesia S. Eusebii Majoris, in qua jacent corpora SS. MM. Septem Fratrum.
Ecclesia S. Joannis de Cataxiis.
Ecclesia S. Giorgii de Cataxiis.
Ecclesia S. Mariæ della Venetica.
Ecclesia S. Laurentii de Ardengio.
Ecclesia S. Michaëlis de Mediis-Barbis.
Ecclesia S. Romani Majoris. Canonica.
Ecclesia S. Mariæ juxta S. Romanum, & Capella ejus, in qua jacet Corpus S. Gunifortis Martyris de Scotia, qui passus Mediolani Papiæ migravit ad Dominum.
Ecclesia S. Petri ad Murum.
Ecclesia S. Ambrosii de Curte Archiepiscopi.
Ecclesia S. Agathæ de Caneva-nova.
Ecclesia S. Xisti Papæ & Martyris.
Ecclesia S. Michaëlis de Caneva-nova.
Ecclesia S. Jacobi in foro magno, vel ut vulgo dicitur, in Roma veteri.
Ecclesia S. Mariæ. Canonica.
Ecclesia S. Olderici Episcopi. Domus Humiliatorum & Humiliatarum.
Ecclesia S. Quirici Martyris.
Ecclesia S. Andreæ de Ayratis.
Ecclesia S. Nicolai de Verxatio.
Ecclesia S. Mostiolæ Virginis & Martyris. Olim Canonica. Domus Fratrum Heremitarum, qui dicuntur Augustinenses.
Ecclesia S. Dalmatii Martyris, qui Beatus vir aliquando Civitatem cum Angelo transiens, jussu ipsius Angeli duo Idola, quæ colebantur in abscondito, destrui mandavit.

Ecclesia S. Columbani Majoris. Hujus Sancti Corpus reperitur Papiam fuisse delatum; sed nescio, si ibi sit.
Ecclesia S. Stephani della Rocchetta.
Ecclesia S. Exuperii Martyris.
Ecclesia S. Innocentii Episcopi.
Ecclesia S. Benedicti Abbatis.
Ecclesia S. Andreæ de Riali, olim Capella: Monasterium Nigrarum cum Parochia.
Ecclesia S. Thomæ Apostoli, in qua jacet Corpus Fratris Ysuardi viri Dei Ordinis Prædicatorum, qui multis miraculis claruit, cujus corpus illuc translatum est de Ecclesia S. Mariæ, quæ dicitur de Nazaret. Hæc Ecclesia S. Thomæ fuit olim Monasterium Nigrarum. Ibi nunc est caput unius Virginis de undecim Millibus. Ibi nunc constructum est Altare nomine S. Thomæ de Aquino ejusdem Ordinis, qui innumeras ibi virtutes ostendit. Domus Prædicatorum.
Ecclesia S. Marini Confessoris, quam condidit Astulfus Rex Longobardorum, in qua jacent Corpora SS. MM. Viti, Modesti, & Crescentiæ, SS. Virginum & Martyrum Cæciliæ, Fabroniæ, & Eufrasiæ Virginis, & S. Anastasiæ Martyris, plurimorum Innocentium, & S. Leonis Presbyteri Fratris S. Marini. Item Caput S. Barnabæ Apostoli. Subest autem Monasterio Casæ Dei Claromontensis Diœcesis. Monasterium Nigrorum cum Parochia.
Ecclesia S. Petri ad Vincula, in qua S. Sebastiani Martyris Reliquiæ sunt, per quas à Papiæ Civitate pestis fugata est tempore Guberti Longobardorum Regis.
Ecclesia S. Marcelli Papæ & Martyris sub Monasterio Mortariensi. Prioratus Canonicorum Regularium.
Ecclesia S. Philippi Apostoli.
Ecclesia S. Mariæ in Verzario, quam condidit Athalari us Longobardorum Rex.
Ecclesia S. Laurentii de Canibus, in qua jacet Corpus S. Nemesii Diaconi & Martyris.
Ecclesia S. Geminiani Episcopi.
Ecclesia S. Stephani de Capexanis.
Ecclesia S. Mariæ de Curte Cremona.
Ecclesia S. Alexandri Martyris.
Ecclesia S. Georgii de Curte Cremona, quæ vulgo dicitur de Scanatis.
Ecclesia S. Bartholomæi de Grognis.
Ecclesia S. Mariæ de mille Virtutibus.
Ecclesia S. Michaëlis Majoris, in qua jacent Corpora SS. Confessorum Eleucadii Episcopi Ravennatis, & Ennodii Episcopi Papiensis, qui missus Constantinopolim ab Hormisda Papa universam gentem Græcorum ab Hæresi Eutychiana convertit, cujus Corpus illuc de Ecclesia S. Victoris, quam ipse construxerat, translatum est. Item sunt ibi aliæ Reliquiæ Sanctorum. Canonica.
Ecclesia S. Eopli Martyris.
Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, quæ dicitur della Scaletta.
Ecclesia S. Ambrosii Minoris.
Ecclesia S. Mariæ de Yporegia.
Ecclesia S. Bartholomæi de Ciconiis.
Ecclesia S. Martiani Episcopi & Martyris sub Monasterio S. Martiani Terdonensis. Prioratus Nigrorum.
Ecclesia S. Majoli Abbatis, in qua jacet Corpus S. Afræ, & Reliquiæ S. Majoli Abbatis. Prioratus Cluniacensis.
Ecclesia S. Mariæ Capellæ, quæ olim dicebatur Leucardi à nomine Conditoris, in qua habetur de Reliquiis S. Brendani Abbatis, & alio-

aliorum Sanctorum.

Ecclesia S. Mariæ de Fortis.

Ecclesia S. Honoratæ de Fortis.

Ecclesia S. Bartholomæi de Ponte.

Ecclesia S. Pantaleonis Minoris.

Ecclesia S. Pantaleonis Capella S. Majoli.

Ecclesia S. Agnetis V. & M. quæ dicitur S. Theodori Episcopi Papiensis, qui revelatione Angelica fuit per Desiderium Longobardorum Regem electus meritis præfatæ Virginis. Hic est Sanctissimus Theodorus Episcopus, cui scripsit Zacharias Papa, sicut habetur in XXX. q. III. pitatium; qui B. Theodorus novem annis Papiam tutavit suis orationibus ab obsidione Caroli Regis Francorum, cujus Nepotem sagitta percussum in gutture mortuum suscitavit. Ecce facta Resuscitatio Juvenis suffocati. Simili modo, intervenientibus tam orationibus Theodori, quàm Agnetis, ne Papiæ virginitas perderetur. *Me expectaverunt*, inquit, *peccatores, ut perderent me*, sodalesque stupidos sanavit, & de sua morte dicto Regi certum signum dedit. Hunc B. Leo Papa, Angelica revelatione admonitus, & ante ejus exitum Papiam veniens, sicuti illi promiserat, in præfata Ecclesia sepelivit. Canonica.

Ecclesia S. Giorgii in Fenarollo.

Ecclesia S. Michaëlis de Monte.

Ecclesia S. Agathæ de Monte, in qua jacent Corpora SS. MM. Primi, & Feliciani. Olim Monasterium Nigrarum, nunc Monasterium Sororum S. Claræ.

Ecclesia S. Euphemiæ V. & M.

Ecclesia S. Mariæ de Bregundiis.

Ecclesia S. Pancratii Martyris.

CAP. III.

INtra ambitum secundi muri, quo fuit Civitas ultra illa LXXX. Jugera amplificata per circuitum, quem, sicut reperi, construxit quidam Joannes Episcopus Papiensis, continentur hàc aliæ Ecclesiæ.

Intra secundum murum Ecclesiæ cum Corporibus Sanctis, ut infra.

Ecclesia S. Joannis in Burgo, quæ olim antiquum Cæmeterium dicebatur, quam condidit Rotharich Rex Longobardorum, in qua jacent Corpora SS. Confessorum, & Episcoporum Ursicini, & Maximi Papiensium Antistitum, & ex Corporibus SS. Innocentium unum, vel plura, cum Capella S. Raphaëlis Arcangeli contigua, in qua jacent Corpora Petri Episcopi Papiensis, qui fuit per annum in Sede Romana, quamvis ex certa causa non fuerit catalogo Pontificum Romanorum adscriptus; S. Valeriani Martyris sponsi S. Cæciliæ, & S. Felicitatis Martyris. Item Corpus S. Cornelii Papæ & Martyris, & aliæ Reliquiæ. Item dicuntur esse Corpora Job, & Tobiæ Prophetarum, sicuti testimonium perhibetur ab aliquibus fide dignis, gravibusque personis de longinquis partibus illuc venientibus, & dicentibus, se de hoc penes se certas habere scripturas. Canonica.

Ecclesia S. Mariæ in Porta-aurea.

Ecclesia SS. MM. Primi, & Feliciani. Canonica.

Ecclesia MM. SS. Secundiani, & sociorum ejus.

Ecclesia S. Mariæ foris Portæ, quæ dicitur fuisse consecrata per Angelos. Monasterium Nigrarum.

Ecclesia S. Martini foris Portæ.

Ecclesia S. Vincentii Martyris, quæ dicitur S. Epiphanii, in qua fuit olim conditum corpus S. Epiphanii Episcopi Papiensis, cujus virtutes, & mira gesta leguntur. Ecce S. Societas Epiphanii tam ex parte diei cum S. Agnete, quàm ex parte Basilicæ cum S. Vincentio die sequenti. Ibi jacent corpora SS. Fœminarum Luminosæ, Speciosæ, & Liberatæ Virginum, quæ illic unà cum Beata Honorata in Sanctimoniali habitu Domini servierunt, & quieverunt in pace. Canonica.

Ecclesia SS. Trium Mariarum. Monasterium Albarum.

Ecclesia S. Francisci Confessoris. Domus Minorum.

Ecclesia S. Georgii de Brolio.

Ecclesia S. Philiberti Abbatis.

Ecclesia SS. Martyrum Nazarii, & Celsi, quæ dicitur S. Inventii, in qua jacet corpus S. Inventii, qui fuit tertius Episcopus Papiensis conditor hujus Ecclesiæ; & Reliquiæ MM. prædictorum, videlicet de ipsorum sanguine, quem ipse B. Inventius jussu B. Syri de Mediolano attulit, & virtutibus multis probavit, quorum MM. & BB MM. Gervasii, & Protasii Corpora B. Syrus Mediolani occultè sepeliri mandavit, donec cessante persecutione viris fidelibus revelanda divinitus essent: quod post multa tempora in B. Ambrosio impletum est. Hæc fuit antiquitus Canonica Regularium, nunc autem Secularium Canonica.

Ecclesia SS. MM. Gervasii, & Protasii, quæ fuit prima Ecclesia Ticinensis, in qua olim Beatissimus P. Syrus Episcopus noster primus, & conditor ejus per sexcentorum ferme annorum curricula requievit, antequam transferrentur ejus Reliquiæ ad Ecclesiam Cathedralem per Donum-Dei Episcopum Papiensem, in qua translatione multæ sunt virtutes ostensæ per plurimos dies. Ibi jacet corpus Pompeji, qui fuit secundus Episcopus Papiensis. Et plura alia corpora SS. & MM. seu prædictorum Reliquiæ, quas B. Inventius jussu B. Syri de Mediolano portavit. Ibi est Cæmeterium antiquum cum Capella S. Mariæ contigua. Subest autem Monasterio Bremidensi. Prioratus Nigrorum.

Ecclesia SS. Omnium, quæ dicitur de Cadrona Domus Humiliatorum, & Humiliatarum.

Ecclesia S. Gregorii Papæ.

Ecclesia S. Helenæ Reginæ, olim Monasterium Albarum.

Ecclesia quæ dicitur de S. Georgio. Monasterium Nigrarum.

Ecclesia S. Georgii in Monte Falcono.

Ecclesia S. Margharitæ Virginis & Martyris.

CAP. IV.

INtra tertii & exterioris muri ambitum, quo ipsa Civitas fuit ampliùs aucta per circuitum, continentur istæ aliæ Ecclesiæ.

Intra tertium murum Ecclesiæ cum corporibus Sanctis, ut infra.

Ecclesia S. Marci Evangelistæ.

Ecclesiæ S. Justinæ Virginis & Martyris.

Ecclesiæ SS. Apostolorum Simonis, & Judæ, olim Monasterium Albarum.

Domus Cruceferorum.

Ecclesia S. Mariæ de Ortis, quæ dicitur de Medio. Monasterium Sororum Cistercensium.

Ecclesia S. Blasii Episcopi & Martyris. Monasterium Albarum.

Ecclesia S. Mariæ in Pertica. Canonica. Ibi est aliud antiquum Cæmeterium. In qua jacet corpus B. Hieronymi Episcopi Papiensis, qui meritis B. M. semper Virginis per Desiderium Lon-

Longobardorum Regem fuit Angelica revelatione electus, sicut habetur in Libro de Miraculis S. Mariæ Virginis. Ecce societas solitariæ vitæ Hieronymi cum Maria Magdalena ex parte diei. Fertur autem, hanc Ecclesiam ideo dictam in Pertica, quia cùm in ejus Cæmeterio multi antiquitus sepelirentur Nobiles de longinquis partibus, faciebant supra sepulcra sua singulas perticas, quibus discernerentur singula monimenta plantari. Canonica.

Ecclesia S. Adriani Martyris, in qua jacuerunt Corpora Regum Longobardorum.

Ecclesia S. Mariæ in Pertica. Monasterium Sororum Cistercienſium.

Ecclesia SS. MM. Viti, Modesti, & Crescentiæ.

B Ecclesia S. Petri in Cœlo-aureo, quam amplificavit Liutprandus Rex Longobardorum, atque dotavit. In qua jacet Corpus Beatissimi Augustini Episcopi Hipponensis Doctoris eximii, qui multas ibi virtutes ostendit; & corpora BB. MM. Luxorii, Ciselli, Camerini, Robustiani, & Marci, nec non B. Apiani Episcopi & Confessoris, quæ omnia translata sunt de Sardinia illuc cum Corpore B. Augustini per dictum Regem; cujus Regis illic etiam Corpus quiescit translatum de Ecclesia S. Adriani per Abbatem Olricum. Item Corpus Severini Boëtii Philosophi viri Dei, qui in præfata Urbe exul à Roma Librum de Philosophiæ Consolatione composuit, qui Liber manu sua conscriptus usque C ad hæc ferè tempora ibi servatus est, & in hac Urbe ipse Boëtius trucidatus occubuit, sicut patet in versibus, in ejus tumulo scriptis, qui sic dicunt:

Hoc in Sarcofago jacet ecce Boëtius arco,
Magnus, & omnimodo orando magnificandus homo.

In fine verò sic scriptum est.

Qui Theodorico Regi delatus iniquo
Papia senium duxit in exilium.
In quo se mœstum solans dedit inde libellum,
Post ictus gladio exiit à medio.

De quo fertur, quòd decollatus à loco decollationis usque ad præfatam Ecclesiam caput suum D inter ulnas portavit. Hæc Ecclesia dedicata est per Romanum Pontificem, scilicet Innocentium Secundum, cum Capella S. Michaëlis contigua. Olim fuit Monasterium Nigrorum. Delecta est per Heremitas. Monasterium Canonicorum Regularium exemtum.

Ecclesia S. Andreæ in Brolio.

Ecclesia S. Theodori Martyris.

Ecclesia S. Saturnini Martyris supra Portam Pontis veteris.

CAP. V.

IN Suburbiis verò Civitatis sunt istæ Ecclesiæ.

E In Suburbiis Ecclesiæ cum Corporibus Sanctis, ut infra.

Ecclesia S. Savini Episcopi & Martyris. Hæc Ecclesia translata est olim de Platea, quæ nunc usque dicitur Platea S. Savini.

Ecclesia S. Guillermi Monachi & Confessoris. Domus Hospitaliorum S. Joannis cum Parochia.

Ecclesia S. Apollinaris Episcopi & Martyris, in qua jacet Corpus S. Bobonis Confessoris Militis Provincialis, qui armis strenuus totam Provinciam à Sarracenis liberavit, cujus Corpus illuc de Viqueria translatum est, ubi obiit, cùm peregrè proficiscens tenderet Romam. Monasterium Nigrorum cum Parochia. Ecclesia S. Mariæ de Carmelo. Olim Domus Minorum. Domus Carmelitarum.

A

Ecclesia S. Christofori Martyris. Monasterium Sororum Cistercienſium.

Ecclesia S. Antonii Abbatis.

Ecclesia S. Stephani de Campania immediatè subjecta Monasterio S. Rufi Valentini supra Rhodanum. Prioratus Canonicorum Regularium.

Ecclesia S. Victoris Martyris, quam condidit B. Ennodius Episcopus Papiensis Doctor Græcorum, & ibi primò jacuit, in qua ordinavit fieri Officium Divinum ab uno Choro in lingua Græca, ab alio in Lingua Latina responderi, sicuti hodie servatur in Ecclesia S. Michaëlis Majoris in Festo ejusdem S. Ennodii, qui nunc ibi jacet. Hæc Ecclesia S. Victoris fuit olim Ecclesia Clericorum Secularium. Monasterium Albarum.

Ecclesia S. Mariæ de Monte Oliveti. Olim Monasterium Albarum, nunc Monasterium Vallis-umbrosæ Sororum.

Ecclesia S. Patritii Episcopi.

Ecclesia S. Salvatoris Majoris, quam condidit Aripertus Rex Longobardorum, quæ duo Campanilia habet, in qua jacet Corpus S. Felicis in Pincis Presbyteri & Confessoris. Monasterium Nigrorum exemtum.

Ecclesia S. Simeonis Monachi.

Ecclesia S. Michaëlis Minoris.

Ecclesia S. Mariæ de Bethlem, quæ immediatè subest Episcopo Bethlemitico.

Ecclesia S. Mariæ de Nazaret, olim Domus Prædicatorum, nunc Monasterium Sororum Prædicatorum.

Capella Hospitalis de ultra Ticinum.

CAP. VI.

IN circuitu Civitatis per unum, vel duo millia passuum longè in campis, vel aliquibus vicis, & juxta Civitatem sunt istæ Ecclesiæ.

Ecclesiæ prope Civitatem, ut infra.

Ecclesia S. Mariæ de Jerico, olim Monasterium Sororum Ordinis Vallis-umbrosæ, nunc autem Monasterium Nigrarum.

Ecclesia S. Joannis de Vineis olim Domus Templariorum, nunc Domus Hospitaliorum S. Joannis.

Ecclesia SS. MM. Eustachii, & Sociorum ejus.

Ecclesia S. Petri in Verzolo, quæ olim antiquitus dicebatur Leprosorum. Monasterium Nigrorum cum Parochia.

Ecclesia S. Lazari Confessoris, Hospitale.

Ecclesia S. Crucis.

Ecclesia S. Jacobi in Vernabula, olim Prioratus Nigrorum, prope quam est Valles, ubi duellum fieri consuevit.

Ecclesia S. Pauli in Vernabula, subjecta Monasterio S. Christinæ, quod est inter Papiam & Laudem. Prioratus Nigrorum.

Ecclesia S. Sepulcri, in qua est forma Sepulcri Dominici secundùm longitudinem, latitudinem, & altitudinem. In hac Ecclesia jacet Corpus Lanfranchi Episcopi Papiæ, multis miraculis, & quasi innumerabilibus gloriosi; & ob hoc vulgo vocatur illa Ecclesia nomine S. Lanfranchi, licèt non fuerit canonizatus. Monasterium Monachorum Vallis-umbrosæ.

Ecclesia S. Sophiæ Martyris.

Ecclesia S. Mariæ de Rocha Majore, aliàs Amatoris.

Ecclesia S. Abrahæ. Monasterium Albarum.

Ec-

Ecclesia S. Felicis de Calubano.
Ecclesia S. Mariæ de Travacato.
Ecclesia S. Mariæ de Pado, sive della Strata.
Ecclesia S. Laurentii de Pozzolo.
Ecclesia S. Martini in Terra Arsa; quæ conservata fuit à S. Germano Episcopo, in quo loco fuit nutritus Beatissimus Martinus Archiepiscopus Turonensis, & ob hoc Ecclesia illa est immediatè subjecta Archiepiscopo Turonensi.

CAP. VII.

De Ecclesiis Diœcesis.

MUltæ quoque aliæ Ecclesiæ sunt propinquiores istis in Villulis circùm adjacentibus, quas inserere longum esset, & recordare difficile. In Diœcesi etiam prædictæ Civitatis, quæ ex aliqua parte per diætam, & dimidiam, sive magis, extenditur, extendente se diæta per triginta millia passuum, ex aliqua verò parte per quinque, vel sex millia passuum ad minus, multæ sunt Ecclesiæ, tam Capellæ, & Plebes Præposituratum, & Archipresbyteratuum, quàm Monasteriorum utriusque sexus, & Hospitalium, in quibus pluribus plura Sanctorum Corpora, vel Reliquiæ requiescunt; quæ Ecclesiæ, & Reliquiæ, quasi numerari non possent. Pluresque aliæ olim Ecclesiæ juxta Civitatem destructæ sunt, vel intra Urbem translatæ, aut aliis Ecclesiis unitæ, quas non nominavi; nec etiam potui scire omnia SS. Corpora, vel Reliquias, sed solùm cognita, vel memoriæ occurrentia nominavi.

CAP. VIII.

De Ecclesiis destructis, vel amotis, ut infra.

DE Ecclesiis tamen vidi in circuitu Civitatis Ecclesiam SS. Omnium de Sparcitoria, quæ erat Domus Humiliatorum, & Humiliatarum, de qua facta fuit Domus de Cadrona ejusdem Ordinis, & Ecclesiam, quæ de Domo nova virorum, ac mulierum ejusdem Ordinis fuit unita Ecclesiæ S. Ulderici ejusdem Ordinis. Audivi quoque nominari Monasterium S. Mariæ de Nazaret, quod translatum fuit ad Domum, olim Prædicatorum; & nunc Sororum ejusdem Ordinis. Monasterium S. Mariæ de Josaphat Sororum Albarum, quod translatum est intra Civitatem. Monasterium S. Mariæ de Jerusalem, similiter Albarum, quod translatum est ad S. Victorem. Ecclesiam S. Luciæ, quæ erat Domus Fratrum de Sacco, & Ecclesiam S. Crispini de Camino, quæ omnes totaliter sunt destructæ.

CAP. IX.

Hæc sunt Hospitalia ut infra.

INtra Civitatem sunt hæc Hospitalia, videlicet extra primum murum, & intra secundum, & tertium.
Hospitale S. Michaëlis.
Hospitale de Porta-aurea.
Hospitale S. Brigidæ.
Hospitale Cruciferorum.
Hospitale S. Martini foris Portæ.
Hospitale S. Mariæ in Pertica.
Hospitale Caritatis.
Hospitale S. Blasii.
Hospitale S. Inventii.
Hospitale S. Margaritæ.

In circuitu, & prope Civitatem sunt hæc Hospitalia, ut infra.

Hospitale S. Lazari. Hospitale S. Eustachii.
Hospitale extra Portam S. Justinæ.
Hospitale extra Portam Palatinam.
Hospitale S. Antonii.
Hospitale ultra Ticinum, quod vulgo dicitur de Bethlem, Nobilissimum, & ditissimum, in quo sunt Conversi, & Conversæ multæ. Et fortè sunt alia, quæ nescio, vel non recordor; vidi tamen quædam alia, quæ postea destructa sunt.

CAP. X.

Summa Ecclesiarum, & Hospitalium & earum consuetudines, ut infra.

HAbet igitur Civitas intra se, & in circuitu, & in Diœcesi sua ferè centum Corpora Sanctorum, exceptis aliis Reliquiis infinitis. Intra Urbem centum triginta tres Ecclesias, exceptis aliquibus Capellis Ecclesiarum contiguis, à corpore tamen Ecclesiæ per medium parietem separatis. Et fortè plures aliæ sunt ibi, sicuti jam dixi, quas nescio.

In suburbiis verò, & in circuitu Civitatis circa XXXIV. Ecclesias numeravi, non nominatis aliquibus ex aliis de Diœcesi. Hospitalia verò intus, & in circuitu Papiæ num. XVI. Ex quibus omnibus Ecclesiis tam intus, quàm in circuitu Papiæ sunt Monasteria & Prioratus Monachorum, ac Domus Religiosorum, vel Oratoria moderno tempore tantùm XXVII. Monialium verò, & Humiliatarum XXI. exceptis Religiosis viris, & mulieribus, Hospitalium, Conversis, & Humiliatorum sororibus in duobus Monasteriis, nec non personis reclusis, & solitariis, aut pœnitentibus conjugatis, & continentibus Tertii Ordinis tam Prædicatorum, quàm Minorum, non habentibus propria Oratoria. Canonicæ XV. quæ sunt intra muros. Reliquæ verò sunt Capellæ quasi omnes, curam animarum habentes, sicuti Canonicæ, & quædam Monasteria præter Cathedralem Ecclesiam, quæ non habet aliam curam determinatam, nisi quòd Archipresbyter audit Confessiones totius Civitatis, & Diœcesis de quibusdam majoribus Casibus, & pœnitentiam injungit salva auctoritate Diœcesani. Omnes Ecclesiæ Curatæ baptizare possunt omni tempore, præter quàm Hebdomada in Albis, cùm in Sabbato Sancto Fontes benedicuntur solemniter ab Episcopo, vel Archipresbytero; & illa Hebdomada baptizantur Infantes ad Sanctum Joannem de Fontibus, exceptis mortis articulis. Hoc idem fit in Vigilia Pentecostes ad Fontes S. Joannis Domnarum, & illa sequenti Hebdomada baptizantur. Ex his omnibus Ecclesiis sunt multæ quoque uno eodemque nomine intitulatæ, sicut apparet ex præmissis, exceptis illis de Diœcesi, quæ quasi numerari non possent. Ex quibus omnibus Ecclesiis tam de Civitate, quàm de Diœcesi nullæ, vel paucissimæ sunt, quæ non habeant dotem seu patrimonium competens, quod omnes haberent sufficientissimè, nisi illud ab eis casuum pravorumque adversitas abstulisset. Item paucissimæ sunt, quæ non habeant plura Altaria. Similiter Hospitalium quædam habent magnos reditus, quædam mediocres, quædam nullos.

CAP.

CAP. XI.

De situ, & qualitate Urbis ut infra.

HÆ autem Ecclesiæ secundùm maximam partem habent testudines in toto corpore Ecclesiæ; nullæ tamen, vel paucissimæ sunt, quæ non habeant supra Altaris tribunas testudinem; & quasi omnes habent Turres excelsas propter Campanas, quarum Campanarum tam magnarum, quàm mediocrium habet ipsa Civitas incredibilem quantitatem. Ceterarum autem Turrium super Laicorum Domibus excelsarum mirabiliter maximus est numerus, ex quibus multæ tam ex vetustate, quàm studio Civium se invicem persequentium ceciderunt. In tantum enim est excelsis Ecclesiis, elatis ædificiis, ac altissimis numerosisque Turribus sublimata, ut ipsa in planitie Civitas sita à longe per planam diætam, & per ampliùs videatur. Quasi omnis Domus Civitatis puteos habet, & Curias, ac Cellaria subterranea ad vinum servandum, ut de variis aliis diversoriis taceamus. Per totam Civitatem sunt putei multi in publicis locis, fontesque nonnulli, ex quibus unus est latissimus, & pulcherrimus fons testudine magna coopertus sub Ecclesia S. Thomæ, quæ est quasi in centro Civitatis; ac rivus nomine Carona cum Molendinis terrestribus per duo latera Civitatis ab intus defluit in Ticinum. Tota verò Civitas vetus lapidibus strata, & tam nova, quàm vetus viarum latitudine, plateis, & porticibus bene disposita, trium murorum sicut diximus, ambitu cingitur, quorum interior mirabiliter per novem fortissimas, & altissimas portas habentes fortissimas valvas, & præeminentem reliquum murum. Et insuper in quibusdam ipsarum geminas Turres, & in pluribus geminas portas simul, ac ante se levabilem Pontem exit secundùm dispositionem primi interioris muri, qui quadrangularis factus, totidem, exceptis pusterulis portis incredibiliter fortissimis decoratur.

Secundus autem murus, etiam quadrangularis, portis totidem satìs competentibus ornatur, licèt non sint valvæ in primo, nec in secundo. Tertius verò quasi rotundus undique, præter quam à meridie, à parte extrinseca profundus, & amplissimus, fossis plenis aqua semper scaturiente circumdatur, competentibusque suburbiis Civitas decoratur. Ecclesia Cathedralis, eo quòd ex duabus Ecclesiis perficitur, sinè medio pariete contiguis, quemdam magnum prætendit in latitudine cursum in tertiam ferè partem stadii, habens nihilominus testudines undique cum columnis, ante cujus frontem est Platea, quæ dicitur Atrium, æquæ longitudinis Ecclesiæ latitudinis, & ampliùs, in qua toto anno possunt omnia humana vitæ necessaria venalia reperiri, in cujus Plateæ medio super columnam lapideam, vel lateritiam, & tabulam saxeam erecta est Statua equi, & sessoris, ænea nuper deaurata, respiciens ad Aquilonem, majoris quantitatis, quàm hominis, vel equi viventis dexteram manum extendens, habens sub anteriori sinistro pede equi catulam erectam ejusdem metalli, ipsum equi pedem levatum tenentem. Quæ statua cùm repercussione Solis mirabiliter radiet, & quia fortè sic etiam antiquitus radiabat, *Radisol* ab incolis appellatur, quasi Radius Solis; vel dicitur *Regisol*, quasi regens Solem, eo quòd, sicut fertur, antiquitus artificioso, vel incantato motu gyrum Solis imitabatur. Hanc

A autem Statuam antiquitus, & Corpus B. Eleucadii Episcopi abstulerunt Ravennatibus Papienses, contra quos habebant inimicitiam atque bellum. Quæ Civitas Ravennæ à Papia per quinque, & ampliùs diætas distare noscitur, & plusquam centum quinquaginta millibus passuum: unde adhuc hodie Bononiæ est Castrum, quod Papiense nominatur. Civitas tota Papiensis in gyro extrinsecus super fossas per plura, quàm duo millia passuum circuitur. Hanc Urbem à meridie munit Ticinus fluvius, qui tam limpidus, & præclarus habetur, ut quantacumque sit in eo profunditas, semper fundus ejus clarissimè discernatur, piscesque diversorum generum in eo natantes, quorum usu ipsa Civitas talis abundat;
B sunt enim saniores, & meliores de tota Lombardia. Ibi reperiuntur in æstate Sturiones immensi; ibi cancrorum mirabilis copia toto anno; ibi sunt diversa genera navium; ibi molendinorum quantitas copiosa. Civitas ipsa supra quatuor pretiosos & magnos lapides est fundata, qui sculpti sunt Imaginibus quatuor cardinalium Virtutum. Harum Fortitudo in Orientali parte primi interioris muri posita est in Porta videlicet, quæ est magìs ad Austrum, quàm in medio. Hæc dicitur esse Porta, per quam olim Longobardorum Rex Albuinus intrare non potuit, donec suum injustum propositum immutavit. Justitia verò in ejusdem media muri Porta Occidentali. Temperantia in Porta Meridiana, qua per veterem Pontem exitur. At verò Prudentia in
C medio Basilicæ æstivalis Cathedralis Ecclesiæ magìs versùs sinistram partem in Aquilonarem in corde Templi. Ab uno latere Civitatis in Aquilonari intra tertium murum est maxima Platea, quæ Brolium dicitur, & bene per stadium longitudinem habet, & latitudinem per dimidium, in qua jumenta, & bestiæ venduntur omni hebdomada, & juxta illam intra secundum murum est alia minor, quæ Brolium parvum dicitur, ubi multa venduntur tempore nundinarum, quæ fiunt ibi circa Festum Translationis B. Syri de mense Madii omni anno, videlicet per septem dies præcedentes, & in ipsa die Translationis;
D & tunc extenduntur in Brolio parvo diversa tentoria, & tabernacula plura. Civitatis ædificium totum vergens ad Austrum ob Ticini Fluminis alveum, versùs quem declinando descendit, licèt ab omni parte etiam à longe videatur apertè, à parte tamen meridiana tam prope, quàm procul intuentibus mirabilem præbet aspectum, non solùm ob innumerabilium celsitudinem Turrium, sed etiam propter Palatiorum, & Ecclesiarum sublimitatem, quarum tres, scilicet S. Michaëlis Majoris, S. Joannis in Burgo, & S. Petri in Cœlo-aureo, sua magnitudine multas Cathedrales Ecclesias superant, exceptis duabus illis, quæ sunt pro Cathedrali, quæ omnibus aliis eminent. Aliarum verò quamplurimæ sunt paulò minores illis tribus, in quasi æquales.

E Quædam majores Ecclesiæ tegulis plumbeis sunt coopertæ, præsertim Ecclesia major, seu Cathedralis & S. Petri in Cœlo-aureo.

Campanile verò Majoris Ecclesiæ, licèt plures sint ibi Turres Laicorum paulò celsiores illo, quod videtur etiam non fuisse completum, latitudine tamen superat universas; quòd per lapideas scalas ab angulo in angulum in medio muri concavatas ascenditur, sicut & plures ipsarum Ecclesiarum, quæ possunt in tecta per hujusmodi gradus, & cocleas circumeuntes ascendi.

Ex ipsis Ecclesiis quindecim, vel circa reperiuntur, quæ cryptas maximas cum testudinibus, & columnis marmoreis habent, quæ vulgò Con-

Confessoria vocantur, in quibus SS. Corpora requiescunt intra marmoreas arcas.

Plures Ecclesiæ pavimentum habent minutis lapillis stratum, ex quibus per diversos colores historiales imagines, & literæ sunt formatæ. Quædam in frontium & laterum lapidibus saxeis extrinsecus sculptas, seu cælatas habent diversas mirabiliter & figuras; & maximè inter alias Ecclesia S. Michaëlis Majoris, quæ incredibili & admirabili pulchritudine decoratur.

Quædam ipsarum Ecclesiarum per Romanos Pontifices, quamplurimæ per alios sunt Episcopos dedicatæ.

Ecclesia Cathedralis quatuor habet portas in fronte. Reliquæ verò post illam Majores Ecclesiæ tres habent portas in fronte singulæ, præter portas collaterales. Habent autem omnes tam magnæ, quàm parvæ Ecclesiæ in medio murum cancellorum, quibus separantur à mulieribus viri, totum solidum sinè foraminibus, vel fenestris, unde non possunt mulieres Altare videre, nisi per unum ostium in medio in parvis Ecclesiis, in majoribus verò per tria ostia, quæ, cùm necesse fuerit, possunt claudi valvis, celebratis officiis.

Totius Civitatis tam stratæ, quàm latrinarum cuniculi, quibus omnes domus abundant, tempore pluviali per subterraneas & profundas cloacas emundantur, quæ omnes cloacæ cum testudinibus, quasi pulchra ædificia sunt sub terra, & alicubi tam altas testudines habent, seu fornices, ut possit per eas equus cum sessore transire.

Sunt autem per totam Civitatem, præsertim sub novem stratis publicis veteris Civitatis in quadruviis orificia, per quæ intrat aqua pluvialis, & omnes defluunt in Ticinum.

Ab Aquilone intra, & juxta tertium Urbis murum, nuper fortissimum factum est Castrum quasi unius jugeris occupans spatium.

Tota Civitas, præsertim à parte inferiori, domorum, magnorumque hospitiorum spissitudine completa est.

CAP. XII.

De districtu Civitatis, ut infra.

Districtus, seu Territorium Civitatis, quod in alienas etiam Diœceses se extendit, maximè in Placentinam, & Terdonensem, sicut etiam habet Diœcesim in alieno districtu, in partes plures dividitur.

Cujus una pars, quæ est ab Aquilone, se extendit ab Oriente in Occidentem in longitudine per viginti millia passuum, & eo amplius, & cum Mediolanensium, & Laudensium finibus terminatur, ubi sunt agri, & nemora, Villæ, & Castra, ac vineæ juxta Civitatem, ubi dicitur Campanea, ex quibus mediocria, ac in æstate etiam infirmis salubria vina nascuntur.

In Occidentali, quæ inter duo Flumina, scilicet Ticinum, & Padum in latitudine per viginti & plura millia passuum distenditur in superiori parte, sed in inferiori circa quinque millia tantùm, ac in longitudine per diætam, vel circa, cum Vercellensibus, & Novariensibus terminatur, quæ à Lomello, maximo & antiquo Castro, à quo etiam denominati sunt Comites illarum partium de Lomello, Lomellina dicitur. Multa sunt ibi prædia, Castra, & Villæ; ibi legitut optimorum leguminum copia; ibi adhuc meliora vina nascuntur vivo colore, & in æstate salubria.

Pars verò Meridiana, ubi tria sunt Flumina, scilicet Padus à quinque millibus passuum, & Gravalonus à quingentis passibus, ac Ticinus Civitatis mœnia diluens, in tres partes dividitur, quarum una minima inter Gravalonum, & Ticinum, sola Communis continet prata, & locum Justitiæ, ubi malefactores puniuntur, ac suburbium Civitatis, de quo in Urbem per Ticini Pontem intratur; in quibus pratis est supra ripam Gravaloni Albara, ingens, antiquissima, & grossa, sub qua die Paschæ solemniter prædicatur.

Secunda verò pars major optimis excolitur prædiis, & abundantia fructuum, ac arborum diversi generis decoratur; ibi nascuntur vina aliorum infima satis, competentia tamen; & hæc pars est inter Gravalonum, & Padum, quæ Sicomarium appellatur.

Prima igitur pars Meridianæ partis versùs Meridiem quatuor ferme stadiis lata in longitudinem ab Occidente, unde Ticino Gravalonus egreditur usque ad Orientem, ubi iterum dicta flumina uniuntur, circa mille passus extenditur. Est autem Ticinus post Padum quartus de maximis fluviis illarum partium supra quem est, sicut diximus, Pons per dimidium ferè stadium longus, quasi dimidius coopertus, habens hinc inde muros ac fenestras; & à parte Suburbii Portam cum valvis, supra quam est Ecclesia S. Saturnini. Habet etiam hic pons pilas ex saxis & lapidibus factas, & in aliqua parte lapideos arcus fundatos saxis in aqua. Habet ipsa Civitas aliquando pontem alium ligneum totum à parte inferiori fluminis, habentem Portam magnam cum valvis in ingressu Urbis, unde & hic Novus, & ille Vetus Pons dicitur. Gravalonus verò non minor Ticino, sed fortè major duos longos pontes ligneos habet correspondentes è regione pontibus Ticini; quorum pontium Gravaloni quilibet tempore guerræ levari potest in medio, & deponi.

Secunda pars inter Gravalonum, & Padum versùs Meridiem per plura quàm quatuor millia passuum in latitudinem tenditur, & ab Occidente, scilicet à Capite Lomellinæ incipiens, in Orientem, ubi conjunguntur Ticinus, & Padus maximus fluviorum, per totidem, & amplius millia passuum longitudinem trahit.

Tertia pars, quæ est ultra Padum, qui fluvius olim per Pontem, nunc per portum de navibus transmeatur, maxima est. Hæc ab Oriente in Occidentem circa diætam, & dimidiam, longitudinem trahens versùs Meridiem, montes attingens, & occupans per quindecim millia passuum, vel alicubi amplius, dilatatur à flumine, contingens ab Oriente Placentinorum fines, ubi sunt & Comites de Rouscala Cives nostri, à Meridie Marchionatum Malaspinæ, ab Occidente Terdonensium, Alexandrinorum, ac Montisferrati trans Tanagrum fluvium finibus terminatur, ubi sunt in planitie tam Villæ, & Castra, quàm nemora, & arva fertilia vel in montibus ipsis, qui vino alicubi sano valde fertiles sunt. Castra, & Villæ multæ, ubi sunt vineæ pretiosissima vina pauca ferentes, & valde desiderabilia. Reliquum autem Territorium Civitatis, quod nominavi, undique planum est prope Civitatem. In Sicomario locus est, qui vulgo dicitur Terra Arsa, passus distans ab Urbe circa mille quingentos, ubi nutritus fuit B. Martinus Turonensis Episcopus, qui fuit de Pannonia. In Lomellina per plus quàm viginti millia passuum ab Urbe distans est locus, qui antiquitus pulchra sylva dicebatur, postmodum verò propter

ter

ter mortalitatem, & cædem magnam exercitus Caroli Regis Francorum, qui ibi primò superatus est à Rege Longobardorum Desiderio, Mortarium nomen habuit; estque nostræ Diœcesis, & Territorii. Ibi jacent corpora Amelii, & Amici, quorum unus erat filius Comitis Andegavensis, qui dicto bello occubuerunt, quorum vitæ miri actus leguntur, quorum etiam, ut dicitur, sepulcra mirabiliter unita sunt. In dicto loco est Monasterium S. Crucis Canonicorum Regularium exemtum, quod per diversas partes Lombardiæ multos possidet Prioratus. Ad Civitatem illam Papiensem, cùm duorum ex majoribus Lombardiæ fluminibus portus obtineat, ex diversis partibus Mundi mercimonia deferuntur usque illuc etiam de Adriatico Mari, ubi est Venetiarum Civitas, per multas illinc diætas distans. Ab Oriente Naves cum sale, & aliis mercimoniis per Padum, & Ticinum ascendunt. Illuc tam de suo territorio, quàm de Monte-ferrato cum pretiosis & rubicundis vinis, & aliis rebus per Padum ab Occidente descendunt. Similiter descendunt illuc cum optimis vinis de Novariensium, & Mediolanensium partibus per Ticinum. A Meridie verò distat illinc Mare magnum per tres diætas, & minus, imò paulò plus duabus, ubi est è regione Civitas Januensis, de qua super jumentis per montes illuc tam sal, oleum, piscesque marini salsi, & aliæ merces, quàm transmarinæ species deferuntur. De multis & aliis partibus illuc veniunt mercatores. Nascitur autem in Territorio illo abundantissimè linum, de omnium leguminum genere, de cujuscunque segetis specie, vel satorum, de diversis differentiis uvarum, de omnibus ferè fructibus arborum copiosè. In prædictorum fluminum glareis reperitur aurum per artifices in hac arte peritos, in quorum fluminum undique ripis ferè sunt quasi nemora infinita, præter illa, quæ alibi sunt. Habet ipsa Civitas in circuitu, & maximè in Sicomario hortos, & viridaria, seu pomaria multa, & nonnulla intra secundum, & tertium murum, tam ad vescendum, quàm ad animos recreandos. Habet & venationes copiosas & bonas ferarum, volucrumque sylvestrium. Mundatur autem tota Regio illa à venenosis animalibus, & maximè serpentibus per ciconias, quæ illic toto tempore veris, & æstatis morantur. Sanissimus & subtilis est ibi aër, nec si ibi aliquæ sint nebulæ, periculosæ sunt multum, nec nocivæ. Perflant illic sinè magno impetu auræ propter obstacula Montium Excelsorum, quibus est circumdata Lombardia, in cujus medio hæc Civitas ferè sita est, unde paulatim, non subitò fiunt ibi frigora, vel calores. Præter autem abundantiam, quam habet recentium piscium de Pado, Ticino, Gravalono, aliisque minoribus fluminibus, præter marinos salsos illuc allatos, feruntur illuc in navibus aquæ dulcis pisces desiccati de Civitate Ferrariensi, piscesque semisalsi in plaustris, & bestiis de Lacu Cumarum, & aliis Lacubus, nec non longè allecia desiccata. Habetur quoque in partibus illis competens & sufficiens abundantia boum tam pro terrarum cultibus, vectationibusque plaustrorum, quàm pro esu hominum; similiter copia ovium, caprarumque competens, magna porcorum, & omnium altilium opportunorum, nec non ovorum, & casei, ceræ, & mellis ex apum multitudine, quæ habetur. De ceteris autem rebus, & victualibus potest aliis tradere Civitatibus abundanter.

CAP. XIII.

De moribus, & consuetudinibus Civium, ut infra.

Multùm sunt Cives illi in omnibus terræ cultibus propter agrorum, & prædiorum, quibus abundant, multitudinem, & mercationibus rerum, nec non in Artibus cunctis industres, quæ ibi ferè omnes inveniuntur. Propter abundantiam lignorum habentur intra Civitatem, & extra prope illam, Thermæ plures, ubique duplices, seu geminæ, propter viros, & mulieres, & dicuntur Stufæ. Similiter sunt in Civitate Fornaces, ubi fiunt Vasa Vitrea, & aliæ, in quibus Vasa Fictilia; & prope Civitatem aliæ plures, in quibus lateres, & tegulæ decoquuntur. Super fluvio Vernabulæ habent Fullones habitacula plura, quæ dicuntur Candida, in quibus tam telæ lini, quod illic nascitur abundanter, quàm panni de bombice, qui fiunt ibi, & dicuntur Fustania, candidantur. Hujus Patriæ Cives armis potentes, & strenui; subtiles ingenio, sensusque sagaces, quoties permanente erant invicem pacis unanimitate concordes, semper suorum victores hostium extiterunt. Docti sunt etiam valde tam in aqua, quàm in terra, pugnare; facientes, cùm necesse fuerit, in navibus machinas, & in terris, ac naves acutas, cursuque veloces, quas Schancerias vocant ad pugnandum in aqua. Consueverunt autem magnum, & quasi innumerabilem exercitum, tam equitum, quàm peditum facere, videlicet aliquando circa duo vel tria millia equitum, peditum verò circa XV. millia & ampliùs. Quid plura? Ipsorum militiæ fama per totam Italiam divulgatus, & ab ipsis adhuc quidem Clypei Magni tam in superiori capite quadri, quàm in inferiori, *Papienses* ferè vocantur ubique; unde scripti sunt isti versus in aliquibus Portis Civitatis:

Quisquis huc intrat, deflexo poplite dicat.
Dic prope qui transis, qui Portæ limina tangis:
Roma secunda vale, Mundi caput Imperiale.
Tu bello Thebas, tu sensu vincis Athenas,
Te metunt gentes, tibi flectunt colla potentes.

Cùm ad solemnem, & generalem exercitum procedunt, secum aliqui ducunt Plaustrum, trahentibus pluribus paribus boum panno rubeo coopertorum, quod Plaustrum vulgò *Carochium* dicitur, in quo Tabernaculum est ligneum capiens aliquam hominum quantitatem, in cujus medio sublimis est pertica sursum erecta cum pomo æreo deaurato, in qua inter alia insignia rubeum tentorium ponitur, & vexillum longissimum rubeum cum Cruce alba, & desuper ramus Olivæ; & ita celebratis in illo Missarum solemniis, ordinatè procedunt. Ut autem à pueritia meliùs doceantur ad bellum, singulis annis à Calendis Januarii usque ad quartam Feriam Cinerum exclusivè, singulis diebus Dominicis, atque Festis, & in die Carnisprivii cum quinta Feria præcedenti, quædam spectacula faciunt, quæ vulgò *Battaliolæ*, sed Latinè convenientiùs *Bellicula* nuncupantur. Dividunt enim Civitatem in partes duas, quarum Aquilonaris pars Superior dicitur, Meridiana verò Inferior; quarum unaquæque multas Societates, sive Cohortes habet, quæ per singulas majores Parochias dividuntur. Pugnant autem ad invicem li-

ligneis armis, aliquando simul omnes, aliquando duo seorsim, se per occursum à longe Clypeis ferientes, alterutri obviando. Habent enim in capitibus galeas ligneas, scilicet viminibus textas, quas Cistas vocant, pannis, & mollibus interiùs exteriùsque partitas, habentes in superficie decisa, vel depicta suæ Societatis insignia, & ante faciem cratem ferream circumflexam, ac retro caudam equinam, per quam, ne cadant, ab aliis sustententur. Quædam verò earum non caudam equinam, sed solùm habent pinnam erectam, & eæ *Capellettæ* vocantur, quas deferunt procedentes, tenentes omnes scuta radicibus texta, & ligneos fustes. Quorum singulas partes præcedit, & legit Dux solo fuste armatus. Hæc autem faciunt in tribus tantùm locis, quæ sita sunt in medio divisionis Urbis, quæ divisio non parietibus, sed solis Parochiis facta est, ut sint ipsa loca utrique parti communia. Videlicet post prandium in Prato extra, & prope Urbem, quod dicitur Caminum, ubi pars Superior quosdam defendit Monticulos, pars verò Inferior planitiem occupans, illos expugnat. Post Nonam autem, & recreationem corporum, pugnat in Platea Atrii, ubi Regisol est partis terminus medius utriusque. Deinde in Curia Communis, quæ dicitur Episcopi, ubi circa lapidem, in quo Banna legi consueverunt, viriliter se expugnant, observante semper Familia Potestatis ubique, ne se injuriosè lædant, vel arma ferrea, præsertim offensiva, secum ferant. Pars verò, quæ in die Carnisprivii, & ultimo vicerit, de victoria collaudatur. Post Carnisprivium autem numquam taliter pugnant, nisi fortè duo sigillatim sibi Clypeis obviando. Inter alia suæ probitatis insignia hæc naturaliter habent, quòd inter se multùm consueverunt, unus alium honoribus prævenire, sedentes venientibus reverenter assurgere, & juxta se sic facere consedere, ut cùm priùs non videretur locus sessionis posse plures alios capere, consedentibus cum supervenientibus simul cunctis, omnes in eodem loco facilè capiantur. Hoc etiam faciunt quibuscumque advenis, vel extraneis, gratiosè tractando ipsos benignissimè juxta statum uniuscujusque. Tantam inter se notitiam mutuam habent, ut si quis ab uno latere Civitatis de hospitio alterius in remotiori parte manentis interrogaverit, sibi protinus indicetur; & hoc est, quia quotidie bis in die in Curia Communis, vel in Platea Atrii conveniunt. Ibi sunt quasi innumerabiles Advocati, vel Judices, & Notarii. Qui autem probati sunt amatores Justitiæ, in Scientia subtiles, & ad regendum industres, multi sæpissimè, & jam si Scientiæ Juris secundùm literam, sed non secundùm virtutem & operationem, expertes, electi sunt ad aliarum regimina Civitatum; multi quorum illic Magistri in Sacra Pagina, aliisque Scientiis pervenerunt.

In Civitate sunt quidem paucissimi per Commune Sapientes electi, per quos omnia ardua & secreta negotia pertractantur, qui per certum campanæ sonum vocantur. Post illos sunt alii plures, per quos tractantur negotia non tam ardua, & ii dicuntur centum; & si per alium dissimilem sonum vocantur, ii dicuntur mille. Postremò cùm debet totus Populus convocari, fit alius diversus sonus. Si debent promulgari sententiæ, vel condemnationes, aut exactiones, fit alius sonus; & tunc leguntur super lapidem certum in Curia Communis, quæ cùm olim fuerit Episcopatus, adhuc vulgò dicitur Curia Episcopi. Si debet exire generalis exercitus, fit alius sonus; si verò soli equites, fit alius sonus. Ad quæ omnia, si necesse fuerit, mittunt locorum Communia subsidium, quantum sibi jubetur tam rerum, quàm personarum. Habet autem super Campanili majori plures homines, quibus datur salarium annuum, qui possint & campanas Communis pulsare, & hostes de longe cernere venientes. Nam cùm inimicos habent magnos, in portis, plateis, & vicis, nonnullas & in circuitu Civitatis à longe custodias ponunt, quas, præsertim illas, quæ sunt in Portis, sæpiùs in nocte excitant homines Campanilis; & nihilominus Officiales ad hoc deputati pluries visitantur. Hoc enim Campanile tam latum est, ut præter locum, quem occupant campanæ, præter illum, in quo Camera Speculatorum est, in solo uno, quod habet, solario possit in circuitu latè discurri. Posset autem adhuc illud capere circa centum personas, & forsitan plures.

Habet autem Commune Civitatis reditus magnos, tam antiquis exactionibus, quàm certis aliis proventibus deputatos. Habet enim Privilegia Imperialia multa, & libertatem maximam faciendi ab antiquo Monetam, cujus forma nobilitatem antiquam Urbis ostendit, quæ Moneta per totam olim Italiam valore & pondere approbata usque nunc sola inter alias, quas viderim, Græcis literis deformatur; Soliti namque sunt facere diversi ponderis valorisque Monetas, inter quas illa, quæ usualis est, minoris valoris est, adeò quod illius Turonensis argenteus moderno tempore quinque solidis & plus valet, ideoque parvo pretio multa ibi possunt habere.

Aliquando enim tantum panis vinique copiam habuerunt, quòd triticum tanti ponderis, quantum portare potest Vir robustus, pro minori pretio, quàm trium Turonensium argenti vendebatur; vinum verò, quantum portare possent, pauciori pretio, quàm dimidii Turonensis: unde coacti sunt aliqui propter vasorum indigentiam vinum in vias effundere, cùm nullus inveniretur pauper, qui illud præ abundantia vellet accipere. Communiter autem venditur ibi foro mediocri triticum prædicti ponderis, scilicet unius viri robusti, sex Turonenses argenti, & vinum ponderis duorum virorum robustorum, videlicet vinum mediocre, sex Turonenses, & minus. Vinum verò pretiosius octo Turonenses vel circa. Est autem portatura illic tritici taxata ad tres sextarios, ex quibus unus in mense sufficit cuilibet comestori.

Olim Civitas per solos Consules gubernabatur, nunc autem eligitur per Sapientes illos omni anno, vel in sexto mense Rector, qui vocatur Potestas, ad certum salarium, qui sit de alia Civitate, cui taxati sunt Officiales in numero certo, videlicet miles unus, & plures Judices, Notarii, Domicelli, Apparitores, equi, & hospitium competens, & hujusmodi. Quo electo, & publicato in Populo, mittitur pro ipso; qui veniens, & descendens procedit ad Altare S. Stephani Ecclesiæ Majoris, & si offert ibi aurum, debet esse Episcopi, si verò argentum, Canonicorum. Deinde conscendens Palatium, convocato Populo, jurat se servaturum Statuta Municipalia, quæ ibi præsentantur, misso Præcone per Civitatem, ut inde recedant fures, latrones, Meretrices, & Hæretici. Et ita semper bonam Justitiam facit, puniendo maleficos, & latrones, & sua cuilibet jura dando, numquam enim ibi audent Hæretici comparere. Olim aliqui rarissimè consueverunt decernere cau-

causas criminales per Duellum, quod fiebat in Valle, quæ est ultra Ecclesiam S. Jacobi de Vernabula, ubi adhuc aliqui pugnant jocosè simul, unus de parte Superiori, & alius de inferiori. Prædicta verò Duella, quæ numquam tempore meo facta sunt, tum ob Juris inhibitionem, tum propter innocentes, qui aliquando succumbentes, injustè puniebantur, totaliter sunt omissa. Potestas in termino sui Officii abire non finitur, priùs quàm illic Syndicum dimittat, qui pro eo reddat de omnibus rationem. Sunt etiam soliti habere alium Rectorem, qui dicebatur Capitaneus Populi; & hæc ultra generalem Dominum Civitatis habent. Nihilominus adhuc secundùm antiquum morem Consules fiunt, qui cùm habeant certas jurisdictiones inter se diversas ad respondendum de Justitia civili, & ad causas delegandas, Consules Justitiæ appellantur.

Multa quorum alia Officia sunt in Communi, quæ semel, vel bis in anno publicis sortibus distribuuntur in Populo; inter quæ Potestariæ Locorum sui districtus existunt, & consimilia. Si quando perveniunt ad eos rumores boni pro eis, aut habent aliqua publica pertractare, congregato in communi Palatio populo, concionantur Sapientes ad hoc periti, & lingua facundi; sunt namque Peroratores venusti. Hinc est, quòd dixit quidam Tyrannus de B. Epiphanio tam Episcopo, quàm oriundo Papiæ, cùm legatione apud eum fungeretur: *Mentiuntur, qui dicunt Romanos in linguis spicula non habere*. Et tunc quod omnes tangit, ab omnibus approbatur.

Notarii, & Tabelliones in tanta quantitate sunt, quòd faciunt magnum Collegium, & habent Palatium pro se. Habent autem per Privilegia potestatem seu auctoritatem alios Notarios faciendi. Habent etiam reditus nonnullos, & maximè sibi relictos ad distribuendum pauperibus, quibus dant aliquando eleemosynas maximas. Pauperes autem sunt ibi plures tam de Burgundia, quàm de Italia, ex quibus multi illuc inopes venientes sæpe divites inde recedunt, vel remanent. Habent quoque ipsi Notarii juxta Castrum Montis Belli Hospitale dotatum. Cùm autem aliquis de suo Collegio moritur, præcedunt cum funere cantando, sicut Clerici, & faciunt sibi exequias ipsa die, & in septima die depositionis, vel obitus illius.

Consuetudo autem omnium funeralium talis est, quia quicumque moriatur, pensata tamen conditione sui status, post Cruces, quarum aliquando multas in numero portant, sequuntur Laici, bini illuc per præconem sæpe vocati, deinde Clerici, & Sacerdotes, quos tamen Religiosi præcedunt, si adsunt vocati. Postea sequitur funus in lecto cum culcitra, & linteaminibus, & opertorio, sub quo positum est indutum vestibus sui status, vel ordinis, ut ab omnibus videatur. Postremò sequuntur mulieres, ex quibus propinquiores defuncto à duobus viris hinc inde sustentantur, & ita procedunt ad Ecclesiam cum luminaribus, & sonitu campanarum. Laici verò intrantes Ecclesiam recedunt, remanentibus cum funere in Ecclesia, & usque ad sepulcrum prosequentibus solis Clericis, Sacerdotibus, & mulieribus. Nunc audivi ab hujusmodi processionibus Fœminas interdictas. Pro cujus anima præter illa, quæ offerunt in Funeralibus, Septimis, & Anniversariis, & consimilibus, offerunt Parochiano Ecclesiæ singulis diebus Dominicis per annum, & quandoque ultra, panem, & candelam, de quo pane Sacerdos benedicens distribuit Parochianis post Missam diei Dominicæ.

Omisso de reliquis monimentis, quidam habent Sepulcra plura unum supra aliud; nam erigunt parietem latum juxta longitudinem Sepulcri, in cujus fundamento faciunt primum tumulum sub fornice, supra quem, omisso aliquo spatio competenti, faciunt fornicis alterius arcum, supra quem faciunt secundum tumulum; & sic de singulis, exaltantes semper murum, donec terminetur in ultimo summo.

In Pascha Resurrectionis Dominicæ ex iis, qui non possunt vel nolunt aliqua fortè de causa recipere Corpus Domini, nemo etiam si fuerit lactens infans, permittitur jejunium frangere, nisi priùs fuerit Hostia benedicta, non consecrata, communicatus. Vel si infans tam debilis est, ut deglutire non possit, dant sibi aliquas guttas vini benedicti. In festo S. Blasii datur omnibus bibere de vino benedicto cum calice Altaris.

Omnes homines unius Artis Collegium faciunt, quod Paraticum vocant, etiam usque ad Curreros Communis, quos Missos, vel Servitores appellant. Necnon Burgundiones portatores Bladi & Vini Paraticum faciunt. Et sunt circa XXV. *Paratica* habentia singula sua Statuta, quorum singula eligunt Consules suos, & Seniores, quos Antianos appellant; & aliquem de sapientibus, & majoribus patronum habent, cui de certo salario providetur. Habent autem Palatium aliud magnum pro se, quod Palatium Populi nominatur, magnamque campanam, quæ quotiescumque pulsatur, quod rarissimè fit, totus Populus arma sumit.

Multi sunt in Civitate peritissimi Medici, tam Physici, quàm Chirurgici; nam inter alias Civitates illarum partium de ista plures mittuntur ad Scholas Bononiam, quæ illinc minus quatuor diætis distat. De qua veniunt periti & docti in Legibus Decretalibus & Medicina multi, & quidam in iis Artibus conventati. Multi quoque sunt ibi docti in Theologia Clerici, Religiosi, & nonnulli Laici.

Auctoritate Rectorum, vel Consulum fiunt ibi emancipationes, Tutelæ, Curæ, prædiorum alienationes & consimilia. De conjugibus præmoriente viro, dos, & donatio cedit Uxori, & facit id, quod vult, sed præmoriente Uxore, omnia cedunt Viro.

Res autem familiares & utensilia taliter sunt in domibus omnium juxta statum suum, ut de reliquis taceam, quæ cuncta narrare non possum. Ex scrineis, & archis tam magna sunt plurima, ut unum nequaquam, aut vix possint duo robusti viri portare.

Non coquuntur autem in fictilibus ollis cibaria, quibus nemo utitur ibi; sed habent vasa lapidea de petris excisa, quæ lebetes vocantur, quæ de omnibus mensuris magnis & minimis per totam Lombardiam feruntur de partibus Cumarum, quæ quotiescunque franguntur, filo æreo consuuntur. Insuper habent alios æreo & æneos lebetes præter caldarias & sartagines æreas, & hujusmodi. Hauriunt autem aquam non solùm ligneis situlis, sed etiam æreis, quæ sitellæ dicuntur, quibus quasi omnes abundant, ministrantes aquam capitibus æreis. Vasa verò illa coquinaria suspendunt supra ignem catenis ferreis habentibus annulos latos & rotundos, quorum aliquæ partes baculis ferreis constant cum uncis singulis, quibus vas possit elevari juxta libitum, & deponi. Habent etiam ab utroque latere ignis instrumenta ferrea, pluribus necessitatibus apta, quæ quia sub igne ponuntur Græcè ypopiria, vulgariter autem ibi Brandanalia vocantur.

Sunt etiam quædam progenies in Civitate, quæ

quæ dicuntur de Sanguine Militari, quædam verò de Sanguine Populari; rarissimæ tamen ex habitu discernuntur; nam ut de viris taceam, qui in habitu competenti procedunt, mulieres de utroque Sanguine multis curiosis & variis ornatibus delectantur, salvo semper illarum honore, quæ prudentia & maturitate laudabiles, vel se ab iis cohibent, vel cor suum talibus non apponunt. Unum autem habent tam divites, quàm pauperes mulieres, quod mihi placet, quòd velimenta sua tam longa deferunt, ut vix possint earum pedum extremitates, nedum caligarum qualitas apparere.

Habet utraque pars Civium sua Insignia dissimilia. Milites habent in Insigniis suis ex transverso Zonas æqualiter distantes, albo nigrove colore distinctas, quas Baroniam vocant. Populus verò habet insignia tota rubea. Ferunt quoque Vexillum rubeum cum Imagine S. Syri Episcopi. Militum verò ferunt Insignia, quotquot ad exercitum procedunt equites, & si sint de Sanguine Populari. Quasi omnes de Civitate, vel de districtu, tam Populares, quàm Militares progenies habent specialia Insignia singulæ; unde quia infinita possent ibi reperiri Insignia, numquam ii de eadem progenie contrahunt mutuo Matrimonium, quantumcunque licitè possent, utpote longè distantes à gradibus per antiqua Jura prohibitis, sed potiùs contrahunt cum alia progenie sibi pari, vel dispari, aut cum adversariis, vel æmulis, ut pacem simul habeant, & conservent. Quædam progenies in tantum multiplicatæ sunt ab antiquo, ut sub uno Insigni, vel signo, diversa vocabula secundùm diversas lineas habeant, multa quoque possideant prædia, atque Castra. Reliqua verò Castra, Burgi, & Villæ ad solum Commune pertinent Civitatis, licèt indifferenter omnia ei in necessitate deserviant.

Omnes Cives sunt inter se multum affabiles, & familiares; quinimo si in longinquis partibus existentes suos Compatriotos invenirent, non solùm amicos, sed etiam æmulos, non tantùm de eadem secum Patria natos, vel incolas, verùm quoque de circum jacentibus Urbibus, sive locis, ita ipsos benignissimè vident, & tractant, conversando simul, ac si dilecti fratres eorum existerent uterini. Convivantes autem cum familiis suis, aut cum extraneis, vel vicinis, priùs ponunt in mensa carnes recentes in aqua decoctas, quàm pulmenta perapsidum, quæ magis in fine reservant. Hanc autem consuetudinem assumserunt propter alienos, qui plerumque ignorantes de reliquis, pulmentum, vel ferculum, avidiùs sumerent, deinde delicatiora sequentia fastidirent: unde hoc ex magna cordialitate procedit. Sciendum est tamen, quòd, ut in pluribus, Populares Artifices, cum aliени convivia præparant, magis student in deliciarum, & in diversorum ciborum apparatum, quàm Nobiles. Ut autem de reliquis saporibus taceam, communiter omnes apponunt juxta carnes prædictas calidum saporem, quem Piperatam vocant, qua semper omnes de partibus illis utuntur, addentes sæpiùs in vasculo calidiorem primo tepefacto. Bibunt autem in æstate tantum cyathis vitreis; in hyeme verò pulcherrimis ligneis scyphis, quibus præ aliis Civitatibus abundant, ex quibus multi fiunt cum columnella, vel pede similiter ligneo ad similitudinem calicum argenteorum, in quorum plurimis, maximè ad Festum Nativitatis Dominicæ, apponi faciunt sigillum in fundo argenteum, habentes vascula vinaria, quibus vinum

A apponunt, vitrea, vel stamnea. Hæc autem, ut de majorum apparatibus taceam, faciunt majorem mediocres Populares. Multum sunt liberales communiter omnes in mutuis conviviis, & sumtuosis apparatibus Nuptiarum, in largissimis exeniis, & donis, quæ in nuptiis mutuò fiunt, de quibus solemnitatibus seculi omnia, quæ fiunt, vana spectacula taceo, ut ad saniora procedam.

CAP. XIV.

De devotionibus Laicorum erga Deum, & Sanctos ejus.

B IN die Festo S. Stephani Protomartyris nulli, vel pauci viri remanent, qui non ascendant summo mane maximum & latissimum gradum S. Stephani Majoris, qui est supra Cryptam S. Syri, & ibi dicunt sub silentio singuli centies Orationem Dominicam ante Altare ejus, offerentibus illic plurimis aliquid. Hoc idem faciunt multæ mulieres illo mane in Crypta Sancti Syri. Semper autem mulieres, præsertim in Ecclesiis, in consuetudine habent multas facere genuum flexiones.

In Festo S. Sebastiani Martyris benedicuntur ad Ecclesiam S. Petri ad Vincula, ubi est Altare cum Reliquiis ejusdem Martyris, miculæ C panis multæ, vel aviculæ de pasta coctæ, de quibus propter evitandam pestem dantur tam hominibus, quàm ceteris animalibus ad manducandum. Similiter illo die fiunt à fabris Artificibus, qui sunt ejusdem Parochiæ, sagittæ parvæ ferreæ, quas etiam benedictas super se ferunt viri in memoriam S. Sebastiani, qui fuit sagittis perfossus, ut eos à sagittarum læsione defendat.

In Festo S. Agathæ in Ecclesia ejus, quæ est sororum Sanctæ Claræ, quando legitur Evangelium, scribunt pueri Brevia, in quibus sunt illa verba, quæ scripsit Angelus Domini in tabula marmorea Sepulcri dictæ Virginis, idest: *Mentem sanctam, spontaneum honorem Deo,* D *& Patriæ liberationem*; & illa ponunt in agris, vel vineis, ut liberentur à tempestatibus grandinum, quæ utrum superstitiosa sint, an approbanda, prudens Lector attendat. Solam enim devotionem, non superstitiones attendo, vel laudo. Est autem ibi quædam Societas Laicorum (quod laudabilius est) qui certis diebus, & noctibus, & maximè in Hebdomada Majori, quæ dicitur Sancta, procedunt per Civitatem ad Ecclesias, & prædicationes, præcedente Cruce, amicti sacco super nudo, facieque velata, & detectis scapulis, se catenis ferreis, vel corrigiis verberantes; ac ante Altaria prostrati quædam devotionis verba cantantes. Habent enim inter se certam Regulam, & Hospitale E pro Pauperibus extra Portam Palatinam, seu Palatiensem; & fit viris istis in aliqua Ecclesia sæpe prædicatio specialis; qui in tantum sæpe proficiunt, ut multos de lupis faciunt agnos, concordantes ad invicem capitales inimicos, & inducentes eos ad malè ablata restituenda, & ad opera pietatis.

Cùm celebrantur Divina, quasi numquam mulieres intrant cancellos, nisi cum Sponsæ benedicuntur in Missis. Licèt ibi, sicut diximus, Reliquiæ Sanctorum sint infinitæ; numquam tamen Populo demonstrantur, tam propter juris inhibitionem, quàm propter augendam devotionem; nam cùm talia frequenter ostenduntur, de-

devotio deficit, & fides de iis sæpissimè non habetur.

In crepidine Pontis veteris aliquando erecta est Pertica, quæ potest inclinari deorsum, in cujus cacumine ligatum est vas vimineum magnum. Et si quis ribaldus compertus fuerit Deum, aut B. Virginem blasphemare, statim vase illo impositus submergitur in Ticinum, & extrahitur madefactus. Similiter in Curia Communis sunt catenæ plures ferreæ, in quibus per collum ligantur consimilia, & alia levia facientes. Omni serò post signum salutationis Virginis Mariæ, mediante aliquo intervallo, pulsatur Campana, quæ dicitur Bibitorum, eo quòd prohibeat ulteriùs bibere in tabernis, aut apertas esse tabernas. Post aliud intervallum pulsatur Scilla per longum spatium, prohibens incessum per Urbem. In Aurora verò pulsatur septem ictibus alia Campana, dans licentiam exeundi. Præter autem quotidianum illud signum, quod fit in sero ad salutandam Virginem Gloriosam, institutum est aliud nuper in mane fieri paulò post signum Auroræ ad eamdem salutem reiterandam, sicuti in locis pluribus observatur. Habet enim in devotione maxima ipsam Cœli Terræque Reginam, etiam ab antiquo, sicut videtur in ejus Ecclesiarum numero, quæ in Civitate, & in circuitu Papiæ circa XXXV. habentur, præter alia ejus Altaria infinita. In Diœcesi verò multæ Ecclesiæ, & in magno numero, ipsius vocabulo sunt ornatæ. Credo enim firmiter, quòd ipsius interventio Virginis, Sanctorumque omnium preces, quibus Cives illi se commendant assiduè, hanc Urbem inter tot humana scelera reproborum sustinuerint ante Deum propter multos bonos ibi repertos. Quomodo enim aliter potuisset sustineri, & conservari per sexcentos annos, vel circa, quibus Regi', vel Principis dominio caruerunt? Necnon Eleemosynæ ipsorum assiduæ, quas innumerabiles faciunt, ipsos conservarunt, & conservant adhuc, & sicut spero, per multa tempora servabunt.

CAP. XV.

De Eleemosynis publicis & privatis Clericorum, & Laicorum.

Nam ferme mulieres omnes, quæ facere possunt, ut de virorum eleemosynis, & devotionibus taceam, præter quotidianas, quas de bonis propriis, vel labore manuum acquisitis, aut communibus de virorum licentia dant eleemosynas ad ostium, hanc habent consuetudinem, ut cùm pulmentum de papside faciunt, tribuunt ex eo quotidie vicinis pauperibus verecundis, nunc istis, nunc illis scutellam plenam, ante quàm gustent, & aliquando carnes, & alia bona. Cùm vadunt ad Indulgentiarum Loca, numquam vacua manu pergunt, quin ferant secum, & offerant, tam super Altaribus Ecclesiarum, Monasteriorum, vel Capellarum (etiam si ibi habeatur Indulgentia sinè eleemosyna, vel sicubi nulla Indulgentia sit) & tam mensis Religiosorum paratis, quàm super mensis aliorum pauperum, hospitaliumque quæstorum, vel in manibus pauperum, alicujus speciei legumina, milium contusum, quod pistum vocatur, panem, sal, & consimilia, vel pecuniam. Similiter viri pecuniam, vel aliquid aliud. Hinc est, quòd colligunt pauperes & hospitalia multum, & maximè mendicantes Religiosi propter quotidianam in Quadragesima frequentiam Po-

A pulorum; & inter eos ampliùs Heremitani Ordinis S. Augustini propter Indulgentiam magnam, quam habent ubique à media Quadragesima usque post Pascha. Similiter multum frequentant Ecclesias Hospitaliorum, & multas in pecuniis eleemosynas colligunt, præter quotidianas eleemosynas, & oblationes, nam quotidie ferè, præsertim autem illa totius anni Feria, qua prædicant Populo infra hebdomadam, habent singuli Ordines ante portam mensam paratam ad eleemosynas colligendas.

Ibi sunt Fratres de Spiritu Sancto, qui alicubi de Columbeta vocantur, eo quòd ante pectus portant Columbam albam in veste, de Regula S. Augustini, qui per Civitatem eleemosynam
B colligentes, necnon in messibus, & vindemiis granum, & vinum, & multa alia sibi legata recipientes, præter eleemosynas, quas in Nativitate Domini, & Pascha maximas faciunt, toto anno quotidie visitant, & eleemosynis consolantur omnes pauperes, carceratos, pupillos, & viduas, & cunctos erubescentes mendicare, circumeuntes continuè Civitatem, certis, & publicis pauperibus multa tribuunt ad portam suam. Hoc idem faciunt aliqui Fratres Humiliati Tertii Ordinis, qui dicuntur de Domo Communi.

In aliquibus Hospitalibus colliguntur Infantes expositi, vel pupilli, qui ibi nutriuntur; & fœminæ, si voluerint, maritantur.

C In aliquibus Ecclesiis sunt aliqua Consortia recommendantia Defunctorum consortum animas. Religiosi paupertatis illic multas consueverunt eleemosynas recipere, sicut ab eisdem audivi, præsertim tempore messium, & vindemiarum, circumeuntes cum juramento Territorium Civitatis, præter quotidianas eleemosynas per singula ostia sumtas, ac legata plurima, necnon in vita donata, ex quibus magna & pulcherrima Ecclesiarum, & Palatiorum ædificia construxerunt, præter alia ornamenta Divinis cultibus deputata. Similiter deferuntur eleemosynæ multæ personis reclusis, quæ multæ sunt ibi tam intra Urbem, quàm extra. Similiter Quæstores Hospitalium solemnium de longe venientes, quanta bona colligant tam per Villas,
D quàm per Urbem, nemo poterit æstimare, & maximè Fratres Hospitalis S. Antonii juxta Viennam; nam præter eleemosynas Palatinas, & pecuniam, recipiunt porcos multos nutritos in publico, & alia animalia, nihilominus ultra hoc quotidie mendicantes. Alii Quæstores de Urbe in partibus illis multa bona inveniunt in Civitate, & Territorio, scilicet Deputati pro Carceratis, pro Hospitalibus Pauperum, & pro Religiosis Mendicis.

Cibi autem, quos per Civitatem dispergunt quotidie, & ampliùs in Festis principalibus Fratres de Spiritu Sancto, qui nihil præter quotidianas eleemosynas possident, sunt ii, scilicet
E panis, vinum, farina, pulmenta leguminum, & consimilium, carnes recentes, & saliæ, coctæ vel crudæ, & alia talia, quæ omnia præter illa, quæ dant ad portam suam, divisa Civitate inter se, quotidie deferunt personis illis, quas dixi; portantes panes in saccis, vinum in manibus ligneis vasis, reliqua verò in vasis æreis coperculo æreo clausis. Similiter Fratres de Domo Communi ultra multas consimiles, quas de collectis & legatis faciunt eleemosynas, dant in Cœna Domini multis pauperibus verecundis.

Hæc omnia fiunt præter eleemosynas Notariorum, quas diximus, nec non aliorum, & præter cibaria, quæ sæpe mittunt aliquibus carcera-

ceratis, scilicet pulmenta communia, vel pictantias sæpe factas Conventibus Paupertatis, necnon vestimenta, & calceamenta tam istis, quàm verecundis multis, vel publicis Pauperibus elargita per personas aliquas speciales. Similiter in Testamentis à multis multa sæpe legantur Hospitaliorum Templo, omnes tam Clerici, quàm Laici in Parasceve, & Exaltatione S. Crucis, & Festis Vocabulorum Ecclesiarum illorum propter Indulgentias magnas, quas habent.

In Commemoratione Mortuorum omnium, præter illa, quæ dantur Sacerdotibus Secularibus, vel Religiosis, & vicinis verecundis, nullus est ferè, qui non coquat legumina, quæ dantur sinè aqua pauperibus publicis, & pueris vicinorum, & aliorum, & cum legùminibus illis parvulas rapas simul coctas.

Cùm pergunt ad Ecclesias, in quibus est Festum, quas semper magna multitudo frequentat, offerunt aliquid in Altari, etiam si non audiant ibi Divina, similiter pauperibus multa, & maximè omni secunda Feria iis, qui mendicant, ad S. Augustinum.

Si qua Ecclesia, maximè Parochialis ad inopiam vergit, numquam sinunt mendicare Presbyterum; quin ipsum utcumque sustinent, ad sua frequenter, præter hæc, convivia invitantes, & tractantes eum honorabiliùs ceteris. Et non solùm talibus, sed & omnibus Parochiis, seu Presbyteris earum Rectoribus semper offerunt aliquid non solùm in Missis festivorum dierum, verùm quoque in collatione omnium Sacramentorum, in Benedictionibus nubentium, & Exequiis mortuorum, in purificatione post partum, in Benedictione capillorum masculorum infantium certis Festis, quam habent ex consuetudine, & pro qua offerunt pullum album, videlicet gallum. Dant etiam ova multa in Cœna Domini, in qua consueverunt Presbyteri mittere pueros cum aqua benedicta aspergenda per domos Parochianorum suorum. Similiter dant illa in Feria sexta Parasceve in deosculatione Crucis. Necnon pecuniam similiter offerunt in communione Hostiarum non consecratarum in Pascha, nedum in perceptione Corporis Domini, & in aliis consimilibus, facientes nihilominus oblationem consuetam inter Missarum solemnia, tunc & in aliis Festis, diebusque Dominicis. Præter autem luminaria, quæ singulæ mulieres, quæ possunt, faciunt assiduè in Ecclesiis, habentes singulas Lampades, vel cicendilia vitrea singulæ ardentia ex oleo olivæ quotidie, inter Divina Officia sæpissimè faciunt collectas pro majori Lampada majoris Altaris conservanda, necnon pro candelis, & aliis luminaribus opportunis. Hæc autem omnia offerunt, & faciunt etiam tempore generalis Interdicti, facientibus Sacerdotibus, & Clericis ea tantùm, quæ conceduntur à jure, non alia, facientibus nihilominus ipsis mulieribus ardere Lampades suas omni mane, ac si Divina celebrarentur Officia. Libenter conveniunt omnes viri, & mulieres ad auditionem Missarum novarum in maxima quantitate; similiter ad Benedictiones Virginum, seu Velatione, in quibus omnibus multum offerunt. Sæpissimè in Prædicationibus, scilicet in fine, antequam fiat Confessio generalis, faciunt fieri collectas magnas pro pauperibus infirmis sustentandis, pro erubescentibus mendicare alendis, pro puellis maritandis, pro captivis pauperibus redimendis, pro puerperis indigentibus, pro peregrinantibus, pro ornamentis Ecclesiarum, & pro subventione Hospitalium, pauperum Religiosiorum tam virorum, quàm mulierum, & consimilibus. Et hæc faciunt præter illa, quæ offerunt quotidie pro talibus singillatim. Nam plures vidi Nobiles, divitesque Matronas pro secretis necessitatibus pauperum per Urbem simul incedere ad postulandas eleemosynas in domibus magnatum, & mediocrium.

Multa exenia largiuntur communiter omnes circa principalia Festa non solùm alterutris mutuò, verùm etiam Magistris scholarium, necnon pauperibus verecundis, præter convivia, quæ talibus faciunt aliquando. Nam & Religiosi Mendicantes tunc maximè circa Festum Nativitatis Dominicæ, & Paschæ multa legant Religiosis Ecclesiis, & pauperibus dispensanda.

Quis autem scire potest in toto, nisi solus Deus, & ii, qui recipiunt, quantas multi Nobiles, & ignobiles, occultas eleemosynas faciunt, nolentes tuba canere, quando ipsas dant? Multi sunt quippe, qui secretè dispensandam pauperibus multam pecuniam tradunt, aut alia bona pauperibus illis de Spiritu Sancto, vel de Domo Communi, aut Sacerdotibus Ecclesiarum Fidelibus, ne ipsi sciantur ab hominibus, sed à Deo.

Præterea in quibusdam certis Ecclesiis diebus aliquibus circa Festum Pentecostes fiunt pauperibus Convivia, quæ Cofrarias vocant, ad quæ multi conveniunt pauperes, qui per signa data illic invitantur, præter illud, quod datur iis, qui ibi non comedunt. Dantur autem, ut audivi, in Conviviis illis legumina, & carnes abundanter; & sunt certi homine deputati ad has eleemosynas faciendas; nam sunt ad hæc certi & perpetui possessionum proventus, & reditus deputati, quos pro animabus suis aliqui legaverunt.

Episcopus, præter incerta, & malè ablata in sui dispositionem venientia, quæ cuncta distribuit, nec non pœnas pecuniarias Clericorum ad opera pietatis, magnam eleemosynam ex antiqua institutione quotidie de suis proventibus facit. Similiter Canonici Cathedralis, communiter, Monasteria plura, & Ecclesiæ faciunt eleemosynas quotidie magnas, præter illas, quas de cibis superfluis quotidie faciunt omnes Clerici, Laici, & Religiosi tam paupertatis, quàm Monachi. Porrò quædam majora Monasteria, & aliæ Ecclesiæ faciunt ex reditu ad hoc deputato annuas eleemosynas magnas pro animabus eorum, qui fundaverunt, vel dotaverunt Monasteria, aut Ecclesias illas, vel qui sibi aliqua reliquerunt. Similiter Laici in Septimis, & Anniversariis suorum mortuorum magnas dant pauperibus verecundis, & publicis, eleemosynas, scilicet singulis panem, vinum, triticum, & subtilem, & scutellam leguminum sinè aqua, præter illa, quæ dant Sacerdotibus, & Religiosis per alium modum.

Quid per multa discurro? Ab istis, & consimilibus operibus pietatis nulla ferè guerrarum adversitas, nulla caritudinis gravitas, nulla exactionum sæva rapacitas, ipsos retraxit, nisi sint ipsi, vel Ecclesiæ totaliter spoliati. Quinimo inter tantos turbines nuper, solùm ex eleemosynis construxerunt pulchram Ecclesiam in nomine B. Antonii Abbatis, cui magnam gerunt devotionem. Nam in Vigilia ejus in tanta frigoris asperitate vigilant tota nocte in ejus Ecclesia multi, & specialiter maximi peccatores, nudi in camisia, & bracca, ac discalceati. Nec obstat, si quis objiciat, quòd ex iis eleemosynis aliquas nonnulli fecerunt de rapina; quia vidi communiter

niter bonas personas de suarum manuum justo labore viventes assiduas eleemosynas contulisse. Laudo enim justas eleemosynas, non iniquas.

Tam in Ecclesia Cathedrali, quàm in multis aliis sunt Capellaniæ plures sufficienter dotatæ quas instituerunt Clerici, vel Laici decedentes, ubi pro eorum animabus continuè celebratur per Capellanos perpetuos. Similiter sunt Capellaniæ in Ecclesiis quatuor Ordinum Mendicantium, ubi tenentur heredes illius, qui defunctus est, dare annuum subsidium Fratribus pro anima illius, pro qua ibi celebratur assiduè. In aliquibus etiam Monasteriis sunt nonnullæ, sicut credo. Multa etiam alia bona faciunt ibi Laici, quæ valde prolixum esset narrare.

Hæc igitur, & consimilia, & si non omnia possum, tamen in parte me narrare delectat, ut eorum eleemosynas sciat & narret omnis Ecclesia. Hanc autem liberalitatem in eleemosynis habent ab antiquo, & ut credo meritis Beatissimi Syri Patris Nostri, qui sua apud Deum interventione semper obtinet, ut eorum multiplicentur bona, quibus valeant Christi Pauperes sustentare. Habet enim, ut peto, hanc gratiam specialem; nam fertur à nonnullis, licèt hoc certè scriptura non habeat, hunc fuisse puerum, de quo B. Andreas Apostolus dixit Domino nostro Jesu Christo: *Est puer unus hìc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces*, ex quibus fuerunt quinque millia hominum satiata. Fuit enim, ut ajunt, Syrus tam natione, quàm nomine.

CAP. XVI.

De Devotionibus, & Processionibus Laicorum, Ludisque Festivis.

Toto anno, & maximè in Quadragesima, quasi omnes libenter ad Confessionem, & Pœnitentiam veniunt, & pueri vel infantes. Die Parasceve plerumque impetrantur relaxari captivi aliqui, non tamen malefici, vel Latrones.

Sed fortasse dicet aliquis, quòd ex iis videntur omnes esse perfecti, nec ullus reprobus inter eos. Huic autem ipse respondeo, quòd non est meum Populi mei recitare peccata, sed opera bona; nam talia facientes, & si aliqua fortè committunt peccata, sperandum est tamen, & piè credendum, quòd omnia in vera pœnitentia, & confessione lavantur, si tamen satisfaciant, & malè ablata restituant, dantes de eo, quod superest illis, eleemosynas, & omnia munda sunt eis. Si verò inter eos nonnulli sunt reprobi, non sunt tamen illi ex hoc minùs laudabiles, imò magìs, quia & per istas ampliùs probantur, ut aurum in igne; & inter eosdem sunt tantò ante Deum justorum opera gratiora, quanto sunt illorum vitiis clariùs comparata, quemadmodum apparet Rosa pulchrior inter spinas. Nonne ipsa eadem Civitas fuit aliquando velut stella matutina in medio nebulæ, postquam fuit de tenebrosæ Gentilitatis Ægypto ad lucem Fidei, non locorum translata mutatione, sed morum? Tunc enim in toto orbe terrarum sævientibus Tyrannis in Christi Fideles, ipsa sic fuit divina protectione à turbine persecutionis immunis, ut numquam fuerit hinc innocentis sacrilegio sanguinis maculata. Quinimo plerumque missi illuc satellites cruenti, vel Præsides ad Christianos torquendos, vel transmittendos ad Cæsarem, non ausi manus injicere in tantum Populum Christianum, signis virtutibusque Sanctorum, & monitis convertebantur ad Christum, sicut factum est, præsertim temporibus Beato-

A rum Pontificum Syri, & Inventii, quod eo ampliùs admirandum est, cùm Mediolani, quod illinc per viginti millia passuum distat, sedem suam haberent Imperatores ii, qui persecutores fuerunt Christiani nominis sæviores. Tempore autem suo B. Inventius inter primas persecutiones cultores multos Idolorum Mediolani miraculis & doctrina convertit ad Christum, & illic Ordines celebravit. Sed iterum redeundum est ad devotas consuetudines Civium nostræ Urbis.

Pro antiqua consuetudine habent ipsi Cives sæpe Sanctorum limina visitare, & maximè loca devota, & antiqua. In Nativitate Domini procedunt solemniter ad Monasterium S. Salvatoris Majoris Commune, Potestas, & Cives cum in-

B strumentis musicis, tympanis videlicet, tubis, & cymbalis, & consimilibus, cum serico, vel auro texto pendente in hasta pallio offerendo.

Hoc idem faciunt in Festo B. Augustini procedentes cum pluribus palliis consimilibus ad Monasterium S. Petri in Cœlo-aureo, quorum palliorum unum offert Commune, reliqua verò dare solent quædam majora Paratica. Consueverunt enim aliquando illa die offerri ibi circa decem septem Pallia.

In pluribus, & aliis Ecclesiis hoc faciunt, portantes Pallium, & offerentes non tam ex consuetudine, quàm ex aliqua speciali devotione, vel victoria tali die concessa.

C Multis enim, & innumerabilibus Palliis, & diversis ornatum est dictum B. Petri Monasterium, ut apparet, cùm per Ecclesiam extenduntur in Festis ejusdem B Petri Apostolorum Principis, & B. Augustini Doctoris eximii, ad cujus Vigiliam de multis partibus Lombardiæ concurritur, & ibi vigilant tota nocte in Ecclesia illa, sicut fit in multis aliis Festis, & Ecclesiis omni anno. Fiunt tamen illic bonæ custodiæ per Rectores, aut vicinos, ne ibi aliqua mala fiant, & ita in cunctis spectaculis fit.

In Vigilia Depositionis B. Syri in pridie Festi ejus simili modo offerunt Pallium in Ecclesia Majori cum cereo accenso, suis Insigniis, & Imagine B. Syri depicta, videlicet depictis su-

D periùs Cruce, & Mitra Pontificali, armis, vel Insigniis Imperatoris vel Regis, Domini Civitatis, & Potestatis. Quem cereum sequitur cum Potestate, & Majoribus tota Nobilitas Civitatis. Post illos cereus similis, quem ex consuetudine debita & antiqua offerunt illi de Castro Ocimiani Montisferrati. Deinde sequuntur sigillatim singuli cerei cujuslibet Paratici depicti cum prædictis Insignibus Civitatis, & Instrumentis suæ Artis, vel aliquo simili, quorum singulos sequuntur Artifices, vel Officiales illius Paratici, habentes singuli candelas accensas in manibus satis magnas, quas cum cereo offerunt, præcedentibus semper aliis post cereum Consulibus Paratici, & Patrono, si habent, cum cereis priùs in manibus, majoribus tamen quàm ceterorum

E Candelæ sint. Consueverunt enim esse ii cerei omnes plures quàm triginta, & toto anno ardent ante sepulcrum B. Syri inter divina Officia; & tam magni sunt, quòd unusquisque pondus est ferè unius viri robusti; dico autem ferè, propter nonnullos, qui sunt aliis minores. Ante cereum Tabernariorum portatur in tabula Castellum de Oblatis, quod in introitu portæ Ecclesiæ à juvenibus prosternitur totum. Similiter consueverunt aucupes portare arborem ramosam, in cujus singulis ramis pendent per rostra parvæ aviculæ viventes, de quibus fit illud idem, quod de Castello. Multos quoque alios Ludos faciunt in ipsorum cereorum deportatione. Portan-

A tantur autem ii cerei singuli erecti per singulos Viros habentes circa collum, & sub ascella mappulam novam colligatam, in qua cereus sustentatur innixus. Similiter in manibus novas chyrothecas, quas & habet procedens cum Pallio in hasta pendente. Sunt verò ii cerei omnes in superficie cerea rubea vestiti, supra quam prædicta omnia Insignia diversis coloribus depinguntur.

In medio ipsius Ecclesiæ solent ardere, præsertim ipsa die, ac nocte lampades multæ parvæ in magna crate ferrea pendentes, quarum oleum dare tenetur ex annuo censu Civitas Aquensis Lombardiæ.

B In Nativitate Domini offert illic cereum societas vicinorum S. Syri, habentem cignos depictos albos in superficie rubea, quod illorum Insigne in Belliculis.

Faciunt autem omnes has Processiones cum pulsationibus campanarum Communis tantùm, quæ sunt in campanili majori; nam præter campanas aliarum Ecclesiarum minorum innumerabiles major Ecclesia seu Commune plures maximas habet, quarum sonus per sex & ampliùs millia passuum audiri potest. Aliæ magnæ Ecclesiæ satìs magnas habent campanas, & singula plures habent Monasteria, singulas plurimæ Domus Religiosorum Paupertatis. Maximas habent campanas præsertim Prædicatores, & Carmelitæ, quorum singuli præter campanam maximam
C habent aliam mediocrem.

In Festo S. Johannis Evangelistæ manè cremant Cives cum magna quantitate Pignorum arbores decalvatas, quas in singulis lateribus Plateæ atrii plantaverunt, videlicet unam ante faciem Regisolis, & aliam post tergum à longe non multum, quibus ardentibus, præcedentibus illic Civibus cum instrumentis musicis, Potestas ascendens in altum concionatur de laudibus Civitatis.

In translatione verò B. Syri currunt summo mane pro bravio ad Pallium sericum, vel auro textum paulò procul ab Urbe in stadio longissimo durante per plura stadia, Scutiferi Dominorum pro Dominis, equites & ad suillam as-
D satam, & gallum album viventem; Ribaldi verò, & mulieres publicæ post prandium in alio loco ad Carnes salsas, & insulsas, pedites tamen. Quod Pallium ille, qui accipit, offert Beato Syro, vel aliis Ecclesiis, aut ad libitum suum facit.

In Festo Pentecostes in Vesperis dejiciunt de tecto, seu testudine in Ecclesiam Cathedralem S. Stephani, & in quasdam alias Ecclesias ligna ignea cum oblatis, & fructibus, atque rosis, nam primò projectis aliquibus oblatis volitantibus per Ecclesiam, & volentibus ea pueris tollere, statim projiciunt stipulam lini accensam, quæ super ipsorum capita cadit. Puerilia sunt ista, & consimilia, & ideo nobis est ad devo-
E tionis opera transeundum.

CAP. XVII.

De auditu Prædicationum, & de jejuniis ac Divinis Officiis.

Populus loca Sanctorum suis Festis devotissimè circuit, ubi Prædicationes audiunt, & divina.

In Domibus singulis quatuor Ordinum Paupertatis singulis diebus Dominicis totius anni Festisque solemnibus bis, scilicet, manè, & mediatè post prandium, aliquando ter prædicatur, exceptis Prædicationibus, quæ nunc per alias Parochiales, vel Religiosorum Ecclesias fiunt, ut puta in Domo Communi Humiliatorum Tertii Ordinis, in Monasteriis Monialium, & alibi.

Toto anno Feria II. in Ecclesia S. Petri in Cœlo-aureo, ubi est corpus B. Augustini, solemniter prædicatur, ad quam Ecclesiam illa die omni hebdomada tota ferè Civitas devotè concurrit. Similiter prædicatur illa die toto anno in Monasterio S. Agathæ Sororum Minorum. Eodem modo in Ecclesia S. Mariæ in Porta-aurea, necnon ad S. Jacobum de Vernabula, ubi etiam quasi omni Festo similiter prædicatur, eo quòd illa Ecclesia in magna devotione habita quotidie visitatur.

Et est sciendum, quòd visitantes Altaria, & areas Sanctorum Corporum, præsertim BB. Confessorum Syri, & Augustini, qui sunt in Cryptis Ecclesiarum, semper stant ab Aquilone viri, & à Meridie mulieres propter honestatem. Habent enim specialem Patronum ipsum Beatissimum Augustinum; unde ne sibi (quod absit) auferretur ab ullis Regibus, vel Principibus, ipsum in profundo, & secretissimo loco per tale artificium incluserunt, quod auferri non posset, etiam si illic multi per multum temporis laborarent. Et insuper statutum fuit per eos, quòd debeat ab omnibus semel in hebdomada visitari. Nam & propter illum intra urbis septa servandum, à parte illa per murum tertium tantum terræ spatium incluserunt, quòd illud Monasterium S. Petri nunc intra Urbis mœnia retinetur; mallent enim corporis vitam, quàm illud perdere. Numquam enim B. Valerius Prædecessor ejus Episcopus Hipponensis ipsum viventem cariorem habuit, quàm nos mortuum possidemus. Nullum autem per Dei gratiam Corpus Sanctum legi umquam ab eis fuisse ablatum præter Corpus B. Epiphanii Episcopi nostri, quod legi per quemdam Imperatorem Ottonem in Germaniam esse translatum. Sed redeamus ad numerum Prædicationum, quæ singulis Feriis hebdomadæ fiunt toto anno continuò.

Feria III. semper prædicatur in Domo, quæ dicitur S. Mustiolæ Fratrum Heremitarum, quos alibi Augustinienses vocant. Feria IV. in Domo Prædicatorum. Feria V. in Domo Carmelitarum. Feria VI. in Domo Minorum; & in Sabbatis per totam Quadragesimam solùm & in Albis iterum in Domo Prædicatorum.

Et omnes hæc fiunt, exceptis prædicationibus, quæ sæpe fiunt ad aliqua loca devota, vel ad se verberantes, necnon ubi Festum fuerit speciale. Et quod majus est, ad has omnes prædicationes etiam feriales ita quotidie in magna quantitate conveniunt, ac si rarissimè verbum Dei audissent. Quibus semper fit Confessio generalis in fine Prædicationis, & signaculum Benedictionis datur; & si adest aliqua Indulgentia, nunciatur.

In Festis verò ad Prædicationes adhuc in multa majori quantitate conveniunt, & ita quotidie in Quadragesima.

Sexta Feria in Parascæve summo mane ad audiendam Prædicationem Dominicæ Passionis in Domo Minorum, quam etiam præcedentibus Feriis in aliorum Domibus audierunt, omnis sexus, omnis ætas à puero usque ad senem, & ad virginem, usque ad annum decrepitatis devotè concurrunt. Mentior, si non vidi eos illic in tanta quantitate congregatos esse, ut pæne tota vacua Civitas remaneret. Ibi propter multitudinem maximam necesse est per plures Fratres clamosos in voce in locis pluribus intra eo-

A eorum spatiosissima septa simul & semel prædicari.

Ibi ex devotione maxima multæ lacrymæ, & gemitus effunduntur, post quam Prædicationem illa die in aliis locis & pluribus prædicatur; nam totam illam diem in Prædicationum auditione & Indulgentiarum visitatione impendunt, necnon circa audienda Divina Officia quæ fiunt. Procedunt autem tunc mulieres omnes velato capite, depositis ornamentis, vel occultatis. Visitant illa die loca Indulgentiarum devotiùs, & copiosiùs solito, & specialiter loca Hospitaliorum, seu Templariorum, necnon Ecclesiam S. Sepulchri, ubi est similitudo & forma Sepulchri Domini. Procedentes illuc tota nocte præcedenti, licèt distet ab Urbe per mille pas-

B sus. Hanc etiam visitant sexta Feria in Albis, quam Octavam Crucis appellant.

Tunc in Domo Minorum post Prædicationem solemnem & copiosam de laudibus Crucis factam, ostenditur Populo paulò minori, quàm in præcedenti sexta Feria congregato, portiuncula Ligni veræ Crucis, quæ multis est virtutibus approbata.

Singulis Feriis secundis Quadragesimæ, excepta prædicatione S Augustini, aliorumque locorum, quæ diximus, in singulis certis Hospitalibus prædicatur propter eleemosyn. s pauperum, quibus secundi. Feriis singulis Quadragesimæ, certis etiam locis fit sermo ad Judices,

C seu Advocatos, & in aliquibus ad Notarios.

In Sabbato Sancto prædicatur ad Domum Prædicatorum, maximè Carmelitarum, planctus Virginis Mariæ, præcedentibus illuc mulieribus adhuc velato capite.

Per totam Quadragesimam loca Sanctorum, & Indulgentiarum omnes copiosiùs visitant.

Numquam ibi in jejuniis Quatuor Temporum, vel Vigiliis districtis, aut in Quadragesima, diebus Dominicis dumtaxat exceptis, Missa Conventualis, seu Ferialis, nisi meridie celebratur.

Diebus Festis, & Dominicis à Pascha usque ad Pentecosten inclusivè prædicant quatuor Ordines Mendicantium post cœnam solis viris.

D Quot autem Prædicationes faciunt singuli istorum quatuor Ordinum toto anno, tot pæne faciunt Servi S. Mariæ, qui nuper illic Oratorium construxerunt, seu Altare.

In Vigiliis quatuor Festivitatum S. Mariæ Virginis & pridie Festi à primo diluculo usque post nonam, jejunæ visitant in diversis cohortibus Matronæ cum candelis, quas singulis Ecclesiis distribuunt, omnes ferè Ecclesias S. Mariæ, quæ sunt in Civitate, vel circuitu prope, & alia multa loca Sanctorum.

Tantam devotionem gerunt ipsi Laici, tam viri, quàm fœminæ, Officio novo Eucharistiæ Domini, ut quamvis impediente Interdicto illuc numquam audierint, ubi sciunt illud occultè

E fieri, ita singulis horis Canonicis usque ad Ecclesias ejus in magna quantitate conveniant, ac si illud essent præsentialiter audituri.

Diebus non concessis à Jure, tempore interdicti, patientissimè ferunt, cùm de Ecclesia ejiciuntur, ut Clerici divina clausis januis valeant celebrare; nec umquam curassent, quo ad hoc, illud infringere, nisi quidam diabolici viri illud frangere, modico tamen tempore, coëgissent.

In jejuniis Quatuor Temporum hi, qui jejunant, numquam lacticinia comedunt, nec diebus, quibus jejunant ex voto, vel proposito, aut pro pœnitentia injunctis, seu observantia

Regulari, nec in Vigiliarum jejuniis, præterquam in Vigilia Nativitatis Dominicæ ex consuetudinibus, & quibusdam paucissimis in mensibus Maji, & Junii, in quibus jejunantes lacticinia sumunt, non tamen ii, qui jejunant in Temporibus Pentecostes, licèt illo tempore veniant, neque in ceteris jejuniis supradictis. Plurimi ex voto, vel ex solo proposito jejunant toto anno diem, qua evenit Annunciatio B. Mariæ Virginis, quidam in solo pane & aqua quidam in Quadragesimalibus cibis. Similiter plurimi jejunant quibusdam diebus in anno, vel Sanctorum Vigiliis, quas Ecclesia non præcipit præter jejunia trium Festivitatum S. Mariæ, quæ sola consuetudo laudabilis approbavit. Multi quoque, & in maxima quantitate ex voto, vel ex proposito, in Festo S. Blasii Episcopi & Martyris sine alio jejunio à solo pane se abstinent, non ab aliis escis, & multas alias abstinentias faciunt. Multum devoti sunt, tam viri, quàm mulieres, ad faciendum Missas celebrare pro vivis & defunctis, aliquando Missas triginta dierum, aliquando unius anni, & consimiles, & hoc etiam tempore Interdicti, quantumcumque nequeant interesse, dando Sacerdotibus oblationem bonam.

Die Parasceve facientes etiam pueros jejunare, cuncti sic jejunant, ut nemo aliquid aqua decoctum, aut igne torridum gustet, plurimis solo pane & aqua contentis. Quid amplius dicatur? Cives Urbis hujus, & si inter eos sunt pravi, pro majori tamen sunt parte devoti, ac divinis verbis intenti.

CAP. XVIII.

De consuetudinibus, & moribus Clericorum.

CUm debet electio Episcopi celebrari, convocatur quasi totius Civitatis Clerus, & ex ipsis Ecclesiarum Collegiatarum tres inter se eligunt Electores. Similiter Capellani Curati de Civitate omnes, paucis exceptis tres alios eligunt. Qui Electores unà cum Canonicis Cathedralibus ad Electionis tractatum unanimiter admittuntur, habentes suas eligendi voces cum illis. Electus autem ad approbationem, confirmationem, & consecrationem Romani Pontificis destinatur.

Habet autem Episcopatus competentes proventus; nam inter alia in pluribus Castris, & Terris suis habet Episcopus Jurisdictionem etiam temporalem, faciens ibi per Rectores Laicos justitiam temporalem. Habet autem inter alia Castrum super collem altissimum situm, & quasi ab aliis montibus separatur, quod Rocca Montis Alini, de quo videri potest ferè major pars Lombardiæ, & ibi nascuntur optima vina. Et inter alios census, quos habet in Urbe, quasi de omnibus, quæ venduntur in Platea Atrii, recipit Episcopus Collectam quotidianam, quæ dicitur Collaria. Habet etiam ex incertis terræ fructuum Decimis quasdam, & quasdam Capitulum; reliquas autem habent Ecclesiæ ruralium Plebium, quas possident ab antiquo.

Omni anno in Feria IV. Cinerum manè congregatur in Episcopali Palatio Synodus Clericorum, & Religiosorum, ubi fit Sermo de Pœnitentia, vel de laude Ordinis Clericalis per Episcopum, si vult, aut per alium Clericum Secularem, secundò per unum de Prædicatoribus, tertiò per unum de Minoribus, quartò per unum de Heremitanis S. Augustini, quintò per unum de Carmelitis. Ibi etiam promulgantur,

si qua sunt nova Statuta Romani Pontificis, vel ipsius Episcopi promulganda. Consueverunt etiam aliquando fieri nonnullæ Synodi, aliæ intra Majorum Ecclesiam, & ibi statutum est, qui Præpositi vel Prælati debeant esse propinquiores Episcopo, & qui remotiores.

Certis Festis dat Episcopus cunctis suis Canonicis, & eorum, seu Ecclesiæ familiaribus omnibus, manducare; & multas alias consuetudines habent, quas nescio.

Quatuor Dignitates sunt in Ecclesia Cathedrali præter Episcopum: scilicet Archidiaconus, Præpositus, Archipresbyter, & Cantor, ex quibus solus Cantor Mitram defert, quam fertur etiam reliquos Canonicos ipsius Ecclesiæ solitos antiquitus deportare Officium Archidiaconi de consuetudine, præter hæc, quæ habet de Jure communi, est Prælatos, & Clericos in Sede statuere, de Matrimoniis cognoscere, & alia quædam facere. Præpositi verò est temporalium curam habere, & Capitulum convocare: Archipresbyteri est, sicut superiùs dixi, Civitatis, & Diœcesis Confessiones audire, & Divina Officia vice Episcopi celebrare. Sed Cantoris est intonare Chorum, ordinare Antiphonas, & Responsoria injungere, & hujusmodi. Sciendum est tamen, quòd de casibus communibus, illis dumtaxat exceptis, quos sibi, vel Archipresbytero Episcopus reservavit, quilibet Sacerdos Curatus potest absolvere in sua Parochia tantùm, non aliena, nisi de licentia speciali. Parochiarum autem termini tam intra Civitatem, quàm extra, sunt ab antiquo limitati, exceptis etiam casibus, pro quibus est peccator ad Sedem Apostolicam destinandus.

Clericos Civitatis, & maximè Sacerdotes, & Religiosos multum consueverunt Laici honorare, assurgendo eis, & salutando, & numquam eos ferè absque adjectione duplici Domini, & Presbyteri, vel Fratris, si Religiosus fuerit; & si Sacerdos secularis in Dignitate constitutus, aut Canonicus Cathedralis, cum adjectione tantùm Domini, sive Presbyteri nominando.

Incedunt enim omnes Sacerdotes in habitu honesto, scilicet Ecclesiarum Prælati, & Canonici Cathedrales, necnon quidam alii Canonici, & Capellani nonnulli Parochiarum cum clamyde clausa, vel anteriùs aperta, cum caputio magno pendente post scapulas, & biretto in capite, & honesta societate. Qui verò præ paupertate non possunt hoc facere, vadunt saltem cum tabardo decenti, & caputio in capite per modum diversum à Laicis, imò à ceteris Clericis, vel etiam cum biretto; nec umquam sinè tabardo procedunt, nisi forsan intra terminos Parochiæ suæ cum alba Cotta in humeris, quod in Gallia superpelliceum dicitur. Portant autem plurimi Canonici tam Ecclesiarum aliarum, quàm Majoris, vel Sacerdotes aliqui, sive multi, togam clausam sinè gironis, & vestimenta longa decenter. Nullus, nisi sit in Dignitate constitutus, vel aliqui Canonici Cathedralis, defert alterius coloris vestimenta, quàm blavi, vel nigri, aut alicujus honesti mixti, seu alicujus coloris obscuri. Sunt etiam, ut in pluribus, ibi de honesta vita laudabiles nonnulli optimè literati, & ceteri competenter. Si quis autem eorum, præsertim per Civitatem, deprehenderetur incedere in habitu Laicali, & non Sacerdotali, quasi ribaldus vilipenderetur. Nullus Clericus secularis, ne Clericalis dignitas inopia contemnatur, umquam recipit Ordinem Sacrum, nisi habeat Ecclesiam, cujus titulus compellat eum Ordinem Sacrum accipere, nisi saltem habeat competens; nec permitteretur accipere, nisi saltem habeat competens patrimonium, vel Ecclesiam. Unde nullus Clericus mendicans est ibi, nullus est in Civitate, & Diœcesi Clericus, vel Sacerdos, quantumcumque sit utrobique, scilicet in Civitate, & Diœcesi præ aliis Civitatibus maximus Clericus, qui aliter quàm perpetuum Beneficium obtineat. Nam paucissimæ Ecclesiæ sunt, quæ non habeant singulæ saltem Presbyterum, & Clericum, utrumque perpetuum, quorum unus eligit alium. Quædam autem habent præter Rectorem duos Clericos, quædam tres, omnes perpetuos, absque Collegiatis Ecclesiis, Præposituris, & Canonicis, quarum nulla est, quæ præter Præpositum non habeat Canonicos perpetuos XI. vel XIV. quædam autem ad minus duos, aut tres, præter Capellanos Capellaniarum ibi constitutarum, qui illic habent per se perpetuos reditus: unde Episcopus, vel Capitulum, nisi per devolutionem, quasi nullas habet collationes Ecclesiarum. Quædam Collegiatæ Ecclesiæ Præbendas habent divisas, quædam simul communes, quarum fructus Prælatus dividit inter Canonicos suos, vel Clericos. Mansionarii autem, sive Custodes, præsertim Ecclesiæ Cathedralis, reditus habent perpetuos in Ecclesia.

Monasteria Fœminarum universa reditus magnos, aut competentes habentia, aliquando clausa fuerunt, sicut sunt semper Monasteria Ordinis Sororum Humiliatarum, S. Claræ, Prædicatorum Sororum, nam Prædicatorum, Minorumque Sorores ibi sunt in maxima quantitate. Sorores enim Minorum, scilicet Ordinis S. Claræ, sicut audivi, circa quadraginta sunt ibi, inter quas sunt Nobiles multæ tam de Civitate Papiensi, quàm de Januensi, sicut & inter Sorores Prædicatorum. Et in pluribus Monasteriis Sororum Cistercienſium ibi multæ de utraque Civitate sunt Nobiles. Similiter Clerici, & Sacerdotes multi sunt de progenie Nobili, & multi aliorum Monasteriorum Monachi, & Moniales. Similiter multi de Ordinibus Mendicantium sunt illic Nobiles. In Civitate illa maxima quantitas est Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis Prædicatorum, Minorum, & Humiliatorum, qui licitè tam proprietate, quàm conjugio possunt uti.

CAP. XIX.

De Processionibus Clericorum.

IN Ecclesia Majori S. Stephani extenduntur cortinæ Imaginibus, & historiis textæ ab utroque latere Ecclesiæ, & ibi per totam æstatem dimittuntur.

Clerici præter Processiones Rogationum, quas faciunt per triduum ante Ascensionem Domini ad certas Ecclesias in Civitate, & extra per circuitum, quos etiam semper sequuntur Matronæ, & aliæ personæ; præter illas, quas faciunt pro signandis Portis primi interioris muri Civitatis; præter illam, quam facit Episcopus de novo consecratus, cùm primùm adveniens in Ecclesia S. Stephani de Campania vestibus sacris induitur, & inde procedit ad Ecclesiam S. Mariæ Secretæ, sive Furnariæ intra tertium murum, post quam Ecclesiam in via publica pedes ejus lavantur dum sedet in petra, & ita procedit cum Clero ad Ecclesiam Cathedralem; præter illam, quam faciunt bis in anno Canonici Cathedralis transferendo Reliquias, & Chorum in æstate, vel hyeme, cum canticis & hym-

hymnis de Basilica æstivali in hyemalem, vel è converso; ac præter illas, quas Ecclesia universalis instituit, ex quibus nullam omittunt: multas alias ex antiqua consuetudine faciunt, inter quas illæ devotissimæ sunt, cum certis Festis quasdam Ecclesias visitant in primis Vesperis, & in Missis diei, procedendo Cantores per Urbem, primò videlicet in Vesperis secundis Nativitatis Dominicæ de Choro S. Mariæ in Chorum S. Stephani; in Festis S. Maximi Episcopi nostri ad S. Joannem in Burgo, S. Honoratæ ad Monasterium vetus, S. Sebastiani ad S. Petrum in Vincula, Purificationis S. Mariæ ad idem Monasterium vetus, S. Agathæ ad S. Agatham de Monte, ubi nunc Sorores S. Claræ morantur, S. Inventii ad S. Inventium, cui etiam vicini offerunt cereum magnum depictum imagine S. Inventii Episcopi, S. Vitalis ad S. Zenonem, S. Victoris ad S. Victorem extra Civitatem, S. Aureliani ad Monasterium Senatoris, S. Feboniæ ad S. Marinum, SS. Gervasii & Protasii ad eorum Ecclesiam, SS. Apostolorum Petri & Pauli ad S. Petrum in Cœlo-aureo, S. Ursicini Episcopi nostri ad S. Joannem in Burgo, S. Hieronymi Episcopi nostri ad S. Mariam in Pertica; in Calendis Augusti pro S. Leone Presbytero & Confessore ad S. Marinum; in Festo S. Nicolai ad S. Ambrosium minorem. Et forsan, imò certissimè aliquas alias faciunt, sed non possum omnia scire, utpote qui Urbis habitationem non continuavi, & quia Civitas multo tempore interdicta est à Divinis Officiis. Et in omnibus iis ferè Ecclesiis dantur Canonicis Cathedralis candelæ, vel pecunia certæ quantitatis, necnon in quibusdam fit eis collatio vini, fructuum, & consimilium, & in S. Sebastiano ad S. Petrum ad Vincula certus numerus candelarum, & aviculæ panis in certa & maxima quantitate.

Canonici Sancti Michaëlis Majoris in Festo SS. Confessorum & Episcoporum Eleucadii Ravennatis, & Ennodii Papiensis olim Doctoris Græcorum, totum Officium ab uno Choro Lingua Græca proferunt, ab alio Latina respondent. In festo S. Jacobi Apostoli consueverunt venire quidam de loco Landriani Districtus Mediolanensis ad celebrandam Missam secundùm morem Ambrosianum in Altari S. Jacobi, quod est in Basilica hyemali Ecclesiæ Cathedralis sub pulpito Evangelii.

Est enim in utraque Basilica pulpitum pulcherrimum utramque super testudinem factum habens diversas imagines, & historias sculptas in saxis, vel gypso, ad pronunciandum Dei verbum, vel Evangelium, Epistolas, vel Lectiones nocturnas. Habet enim utrumque duo Lectorilia lapidea, unum pro Evangelio, aliud pro Epistola, vel Lectionibus, quorum unum Basilicæ æstivalis respicit ad Meridiem, aliud verò Basilicæ hyemalis respicit ad Aquilonem. Omnes majores Ecclesiæ, & plures aliæ pulpitum habent. Nulla est Ecclesia in Civitate, vel Diœcesi, quæ non respiciat direct ad Orientem, scilicet à parte posteriori; similiter omnia Altaria, vel ferè omnia; nam paucissima sunt, quæ vertantur alibi.

Sed redeamus ad cœpta, postquam de Processionibus pertractamus. Quis autem narrare potest, quàm devotissimè Cives, viri, & mulieres, cum Clero processionaliter recipiant Legatos Romanæ Ecclesiæ, & maximè Cardinales, alios Prælatos, & Episcopos proprios? quàm honorificè noverint Imperatoribus, & Regibus, seu aliis Principibus magnis occurrere?

Tunc enim Nobiles Civitatis hastiludiis, aliisque seculi probitatibus delectantur.

CAP. XX.

Descriptio Civitatis, Platearum, Ecclesiarum, & aliquorum, quæ fuerunt omissa.

PRæter autem magna, quæ habent Hospitia, multa plura sunt Monasteria intus, & extra prope, tantas domos habentia, & spatia, ut possit in eis quicumque illuc venerit magnus Prælatus, vel Imperator, aut Rex commodè hospitari; præsertim Monasterium S. Petri in Cœlo-aureo, S. Salvatoris Majoris, & S. Sepulchri. Reliqua Monasteria, & Domus Religiosorum satis ampla habitacula, & Claustra decora. Similiter ferè omnes aliæ Ecclesiæ magna habent habitacula pro cohabitatione Clericorum, & similiter Claustra, nec non alia necessaria. Omnia cæmeteria sunt parietibus circumclusa. Intra tertium murum Urbis sunt inter alia cæmeteria tria antiquissima, & toto Orbe veneranda, quæ fuerunt antiquitus multo ampliora, quàm modò, videlicet. Cæmeteria SS. Gervasii, & Protasii, quod usque extra prædictum murum, & fossas ejus extenditur; Cæmeterium S. Joannis in Burgo, & cæmeterium S. Mariæ in Pertica, in cujus medio est Capella S. Adriani, in qua sepulti fuerunt Longobardorum Reges, & alii Nobiles multi. Hoc cæmeterium fuisse dicitur unum de quatuor principalibus Mundi; & ideo de longinquis partibus eligebant ibi Nobiles sepulturam, facientes super sepulchra sua plantari singulares Perticas cum aliquo signo, per quod unusquisque suam discerneret sepulturam: hinc est, quòd adhuc dicitur vulgò illa Ecclesia S. Mariæ in Pertica. Ut autem sciatur illud cæmeterium fuisse antiquitus multò majus, cùm longè ab illo loco, quo nunc est, terra effoditur, inveniuntur ossa mortuorum, necnon hydriæ maximæ plenæ terra, in quibus incinerata corpora condebantur.

Omnes majores Ecclesiæ Sacristiam habent, & pro illa reditus deputatos; similiter reditus pro Fabrica Ecclesiæ, præsertim Ecclesia Cathedralis. Habent quoque tam istæ, quàm aliæ quædam, pro coquina sumtibusque Capituli communes proventus. In ipsa Majori Ecclesia habent Custodes, qui dicuntur Mansionarii, sicut diximus, nedum Capellani, certos reditus deputatos.

Quid plura? Non solùm Ecclesia, sed etiam tota Civitas valde bene ordinata est; nam præter alia loca per Civitatem, in quibus venduntur singula, & in quibus sunt tam Speciariorum, quàm aliarum omnium Artium, & Mercium Apothecæ, necnon tabernæ in Platea Atrii, & in circuitu ejus, ista venduntur. Scilicet intra Plateam arborum fructus, & olera cujuscunque generis, rapæ suo tempore, & napi, quos navones appellant, cepæ, & alia viridia, fenum, & paleæ in plaustris, ligna necnon vinum Mediolanense cujuscunque speciei, altilia, oves, & caseus, panis subtilis, & candidissimus, & grossior, pisces recentes, & salsi, cancri, carnes leporum, ferarum, & volucrum sylvestrium, carnes salsæ, porci mortui, & occisi integri in hyeme, & aliæ carnes recentes, lebetes, & vasa ærea, vel ænea. Habent autem omnia illic vasa tam lapidea, quàm lignea, & ærea manubrium ferreum circumflexum, & ex utraque parte orificii duabus hinc inde ansulis circulo ferreo, vel æreo, fixis applicitum, vel con-

connexum. Ænea verò illud habent infertum ansulis de ejusdem metallo vasculi supra. Venduntur quoque in Platea illa funes subtiles, & grossi, veteres sotulares, panni lanei, & pelles, seu pellicia, mansurpia, & chirothecæ, & consimiles merces, utensilia lignea multa, & vasa viminea, & plura alia, præter illa, quæ ultra hoc venduntur ibi tempore Nundinarum.

In circuitu verò, vel prope ipsam, cujuscunque generis vinum, cibaria decocta, species, & pigmenta, candelæ cereæ, vel saginis, oleum tam de oliva pro esu, & Ecclesiarum luminaribus, quàm oleum de semine lini pro lucernis domorum, & familiarium, & multa consimilia vasa vitrea diversa, scyphi lignei pulcherrimi, paropsides, & vasa fictilia, & quasi omnia genera vasorum ligneorum. Ibi sunt tabulæ Campsorum pecuniæ, & multa alia.

B

Præter autem hoc, quod per totam Civitatem, quasi omnia, quæ diximns, singula inveniuntur, vel in circuitu venalia deferuntur, certis diebus venduntur sotilares focilares novi in Platea, quæ dicitur S. Savini, & aliquibus diebus vestes veteres, & ferramenta, & plura alia.

In Platea S. Mariæ Peroni, quæ est ante Palatium Populi, venduntur linum, filum, & cineres, sub dicto Palatio fustania. In Brolio magno bestiæ, & jumenta.

In Curia Communis sub duobus Palatiis blada, & legumina. Ibi in locis certis de Justitia respondetur. Similiter in Brolio parvo multa venduntur tempore Nundinarum.

C

Intra Civitatem circa novem Macella sunt, quæ Beccariæ dicuntur, ex quibus unum est maximum in medio Civitatis, quod dicitur Beccaria Major, sed in nullo eorum audent vendere morticina boum, vel aliorum animalium, nisi in Platea Atrii pauperibus.

Sunt quoque intra Urbem super Cadrona undecim Molendina, singula cum geminis rotis, & duplicata, præter illa, quæ sunt in Ticino in maximo numero. Hujus Ticini aqua valde bene coquit legumina quædam difficilia ad coquendum; similiter aqua quorumdam puteorum Civitatis.

D

Præter autem Torcularia magna, quæ habent per vineas, habent plura etiam magna intra terram. Quasi omnes Parochiæ Civitatis, ut nonnullæ progenies Nobilium singulas porticus habent, ubi conversantur Nobiles, & multi alii Cives.

Civitas ista sicut est ferè in medio Lombardiæ, sic habet suæ linguæ Idioma mediocre; nam cùm superiores partes Lombardiæ, sicuti Occidentalis, & Meridiana, loquelam habeant magìs muliebrem & dulcem, inferiores, scilicet Aquilonaris, & Orientalis efferam, & virilem, hujus Urbis loquela est inter utramque mediocris.

E

Fertur enim Civitas hæc in loco, quo est, non voluntate humana ædificata esse, sed nutu divino; nam ut dicitur, cùm vellent eam Gallici quidam longè ante Salvatoris adventum illac transeuntes construere in loco deserto, qui est supra Ticinum, nunc ab Urbe distante per tria millia passuum versùs Occidentem, juxta quem locum est Ecclesia S. Sophiæ, ubi adhuc videntur fossæ designantes mœnia Civitatis: quidquid una die constructnm erat, totum destructum in crastino cernebatur. Unde nil agere potuerunt, donec apparens eis Columba, certis inditiis locum ædificationis eis ostendit; & ubi nunc est, eam ædificaverunt, scilicet ubi est Ecclesia S. Thomæ Apostoli. Fertur autem, eos ibi sic reperisse scriptum: *Nidus Nidorum væ delectantibus, debellantibus ipsum*. Ajunt autem nonnulli ipsam ab iis Gallicis non ædificatam, sed reædificatam, & auctam. Fuit enim, ut dicitur, à temporibus Trojæ Magnæ, ad cujus obsidionem ferunt & Papienses ivisse.

Hæc autem utrum sic fuerint, nec denego, nec affirmo, nisi de iis auctoritatem habeam, vel sententiam clariorem, quæ reprobet, vel approbet illud idem.

CAP. XXI.

De Interpretibus vel Etymologiis Papiæ, vel Ticini.

VErè est igitur Papia mirabilis, quæ & ex tantis beneficiis stuporem generat in cordibus audientium.

Sed & aliter derivata dici potest à *Papa*, quia sicut Papa tenet inter Episcopos, imò inter omnes homines Papatum, sic ista inter alias Civitates illarum partium, salvo semper aliarum honore: quod patet ex eo, quia fuit à Longobardis præ ceteris electa.

Tertiò di i potest Papia, quasi *Papæ via*; transierunt enim illac aliquando Romani Pontifices, qui ibi honorem maximum habuerunt, cùm ipsa sit pervia transientibus de Galliis Romam, si ut recolo me legisse in antiquis maximorum Pontificum Privilegiis, in quibus se narrat Summus Pontifex valde favorabilem esse debere tam ex honore ibi suscepto, quàm ex reverentia SS. Confessorum Syri, & Augustini; distat enim à Roma secundùm antiqua milliaria quingenti ferè millibus passuum, sicut testatur Boëtius in Libro de consolatione.

Quartò dicitur Papia, quasi *Pauperibus pia* propter eleemosynas ibi factas.

Quintò dicitur Papia cum gemino P. quo labia constringuntur, propter justitiam, & pacem, quæ ibi consueverunt se antiquitus osculari, quando Longobardi fecerunt ibi leges justissimas, & eam suo tempore conservaverunt in pace, quam ibi usque ad hæc ferè tempora conservavit.

Quod apparet etiam ex ipsis quinque literis, quibus rescribitur, ut dicatur P. *Pacis*, A. *Amica*, P. *Punicus*, I. *Iniqua*, A. *Agens*; scribitur enim quinque literis Papia, sicut Ticinum septem, quorum cùm sit uterque numerus dispar, qui nequit in æquales dividi, significat vinculum pacis, vel secundùm syllabas potest dici Pa: *Parens*. Pi. *Pietatis*. A. *Amica*, quasi Pacis Pietatis Amica: quod potest referri ad tempus generalis persecutionis, quando ipsa inter tot turbines pacem temporis habuit, & nihilominus pietatem veræ Fidei non dereliquit.

Ticinum autem quasi quodam præsagio dicta est à Ticione, qui est lignum semiustum, eo quòd pluries fuit igne cremata, non tamen totaliter destructa.

CAP. XXII.

Epilogatio prædictorum, & excusatio Auctoris.

MUlta diximus de Urbis, & Civium probitate, & multa alia possent dici; sed fortè fides ex iis non inveniret locum in cordibus audientium. Sed ut redeamus ad primum dicat obsecro quis, aut respondeat, quæ umquam alicubi Regio, vel Civitas fuit, quæ non primò Prædicatorem Christianæ Fidei sic fuerit persecuta,

cuta, ut ille, aut Martyrium subierit, aut latuerit, aut vix sua prædicatio sit suscepta? Hæc autem ad primam prædicationem, imò ante prædicationem ad Fidem conversa deinceps perseveravit in illa? Dicat igitur B. Pater noster Syrus Deo illud Davidicum: *eripuisti me Domine de contradictionibus Populi*, scilicet Aquilejensis, qui Magistrum meum Hermagoram primum Pastorem suum crudeliter occiderunt. Hinc est, quòd ipse B. Syrus post jucundum de Papia vaticinium, de Aquileja subjunxit triste præsagium. *Et væ tibi*, inquit, *Aquilegia, quia cùm in impiorum incesseris manus, destrueris, nec ultra reædificata consurges*: quod post multa tempora completum est. Dicat itaque B. Syrus: *Constituisti me Domine in caput gentium*, scilicet Papiensium, qui nondum Christianitatis nomen acceperant. De quibus subjungat & dicat: *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, ita auditu auris obedivit mihi*: quod apparet clariùs ex præmissis: Lætetur ergo Papia de tantis donis; exultet Ticinensis Civitas de talibus beneficiis, & in solo Domino glorietur. Quænam ei Civitas poterit similiter gloriari? *Transtulit* enim *Deus ei de Cœlo austrum*, Beatum videlicet Syrum fervidum caritate non de Austria, sed de Histria venientem, cujus per eum ad illam prædicatio, mediantibus tubis à Christo Cœlorum Cœlo descendit; *& induxit ei in virtute sua Africum*, B. Augustinum genere Africanum; *pluitque* super illam *sicuti pulverem* SS. Corporum carnes, quæ illuc undecumque in ossibus & pulvere sunt translata; *& sicut arenam maris volatilia pennata*, innumerabiles Servos, & Ancillas Dei cœlestium contemplationibus deditas, ex quibus multi per transacta tempora dormierunt, quidam manent usque adhuc, qui lacrymis, orationibus, jejuniisque vocantes assiduè rogant pro Populo illo, qui à maris inquietudinum fluctibus, velut arena maris, multipliciter tribulantur; nam ubi abundat istorum peccatum, superabundat illorum gratia.

Hæc & similia solùm audita mens refugit credere, quæ, quàm plus moderatè potui de veritate cognita recitavi. At si oculi audientium hæc, & non credentium narrata viderent, verbis meis testimonium perhiberent, interrogatique talia contemplati referrent: *Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate*, de qua dicta sunt tam gloriosa præconia. Si tamen de præteritis,

A vel non visis homuncioni vilissimo, tanto plus ignoranti, quanto juniori, utpote trigesimum quartum annum agenti, mihi non credunt, qui dicere possunt: quinquaginta annos nondum habes, & tanta vidisti: interrogent Patres nostros, & annunciabunt eis majores nostri, & dicent sibi scrutentur & chronicas, & scripturas, meque non invenient, nisi vera scripsisse; nam propter lecta, vel visa, quanta audivimus, & cognovimus, nos juniores, & Patres nostri narraverunt nobis, & ita filii, qui nascentur, & exsurgent narrabunt filiis suis. Hinc est, quòd cùm ex iis, quæ narravi, plurima viderim, multa legerim, & nonnulla audiverim, hinc de auditis inserta Seniorum, & Majorum meo-B rum relinquo examine corrigenda, vel approbanda.

At fortasse iterum mirentur extranei auditores, cur Civitas tantis olim dotata muneribus, nunc tam gravibus scismaticis, & discordiæ prematur adversis: propter quod videtur numquam fuisse suorum Civium tantis probitatibus aut virtutibus gloriosa. Sed mihi respondeant ista dicentes: cur antiquitus Templum illud Salomonis egregium, ac toto Orbe famosum Deus everti, & ab immundis gentibus contaminari permiserit: imò nunc Sepulcrum suum, & Urbem sanguine suo sacratam Saracenorum perfidia violari? Nisi quia Deus quos plus diligit, magìs corrigit & castigat, & ut tunc Judæorum C Populus suus, & Christiana familia Domini pro suis taliter excessibus misericorditer puniretur, ita ex Civibus nostris, quos usque nunc temporalium mirabilis copia in diversa lasciviæ & vanitatis crimina abripiebat, justo Dei permittente judicio, surrexerunt filii Belial, qui veluti generatio adultera de virtuosis partibus orti degenerant, disponentes cum malignis, quæ in circuitu nostro sunt, gentibus testamentum, & tamquam gelu de Cœlo geniti, & in acetum acrius de pretiosiori vino mutati, totam conantur Patriam malitiæ veneno corrumpere, & immaculatos, quantum est eis possibile, maculare. Hoc autem totum illis in perniciem vertitur, & bonis proficit ad coronam. Rogate igitur, fratres carissimi, misericordem Dominum D meum, ut præfata Civitas tali infirmitate gravata juxta ejusdem viri sapientissimi Prophetiam saltem sic devastata curetur, quod nobis ille concedat meritis SS. suorum quiescientium ibi, qui vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

FINIS.

ANNALES
VETERES
MUTINENSIUM

Ab Anno MCXXXI. uſque ad MCCCXXXVI.

CUM ADDITAMENTIS

AUCTORE ANONYMO

Nunc primùm prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN ANNALES VETERES MUTINENSIUM PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

DOlebam saepe saepius in tam copiosa Italicorum Scriptorum collectione, quod nullam aliam veterem rerum in Patria mea gestarum Historiam evulgare possem: qua etiam de causa expostulare videbar de edacitate temporum, potius quam de nostrorum incuria Majorum. Verum postquam haec scripseram atque edideram, en insperato inter ipsas manus meas deprehendo, quod alibi dudum quaesieram, sed conatu prorsus inani. Nempe adservat Bibliotheca Estensis Mutinensem Historiam manu exaratam, cujus Auctor praefertur *Alexander Tassonus*, non ille quidem celeberrimus festivissimi ingenii Poëta, aliorumque Librorum Scriptor, & Patritius Mutinensis, quem Anno 1635. VII. Kal. Majas mors nobis eripuit; sed alter senior, & ex eadem Nobili Familia, qui ante annos ferme ducentos Mutinensium monumenta literis mandabat. Hunc, veluti Historicum supergressum lineas consilii institutique mei, quippe qui post Annum Christi 1500. scripserat, diu ego neglexeram. Sed dum semel in ejus scripta diligentius introspicio, & singula considero, quae is adfert de vetustis Mutinensium gestis, sentio mihi esse in manibus non Tassoni Chronicon, sed *antiquos Annales Mutinenses*, quorum ille non Auctor, sed tantummodo collector fuit. Atque in eam sententiam minime dubito quin mecum eant, quicumque & rerum narrationem & stilum perpendere ac dijudicare possint. Accedat & aperta Tassoni ipsius confessio: is enim haec praefatur; *Quum ad manus mei Alexandri de Tassonibus devenissent quaedam cedulae, in quibus breviter scriptae exstabant complures memoriae rerum praeteritarum, quae Mutinae & alibi acciderunt. Et quia non erant per ordinem scripta sed valde confusa; ideo quia erant ab hominibus fide dignis de Tempore in Tempus scripta, ut fugerem otium, in hoc Libro de verbo ad verbum ordinate de Anno in Annum transcripsi. Et etiam quaedam, quae temporibus meis acciderunt, addidi, scilicet ab Anno MCCCCLXXXVIII. in quo ego Alexander filius Bernardini Tassoni Mutinensis natus sum, Hercule Estensi Duce dominante Mutinam &c.*

Quod igitur est ad ea, quae in hisce Annalibus deducuntur ab Anno 1131. ad Annum usque 1488. haec non Tassono tribuenda, qui tantum *de verbo ad verbum transcripsit*, sed vetustioribus & fortassis etiam synchronis Scriptoribus, qui *de tempore in tempus*, ut is opinabatur, publicas Patriae res literis consignabant. Atque hinc nata mihi suspicio, num referendi sint Annales isti ad *Bonifacium Moranum*, cujus Historiam Mutinensem ab Anno 1306. usque ad 1345. in lucem proferam, & reliquam ejus partem uti deperditam antea dolebam. Confer, ut alia omittam, quae in hisce Annalibus narrantur ad Annum Christi 1306. Eadem verba sunt, quae in Morani Historia occurrunt: immo hinc intelligas, Moranum, quem infra editurus sum, non suis loqui, sed Peregrini Prisciani verbis, qui res quidem, non autem verba a Morano mutuatus, in suos Annales Ferrarienses intulit. Profecto etsi non heic singula exhibeantur, quae Moranus ipse scripta reliquit, ut conferenti haec cum illius Chronico clare patebit, attamen veri videtur simile, Tassonum hunc, sive alium quempiam multa ex Morani Annalibus etiam ante Annum 1306. defloraffe. Quae tamen ita dicta velim, ut non diffitear, videri heic loqui vetustiorem Scriptorem in iis, quae praecedunt Annum 1300. ac praecipue aliquem ex nobili *Petrezana* Familia, cujus frequens occurrit mentio, ut propterea, donec certus Auctor non appareat, fas mihi duxerim hosce *Veteres Mutinensium Annales* inscribere.

Ceterum post Annum Christi 1336. ad Annum usque 1500. paucula a Continuatoribus addita retinui. Quae vero supra laudatus Alexander Tassonus exinde

adjecit ad Annum usque 1562. ne extra limites, quos mihi statui vagarer, omissa volui. Adnotat etiam in primo Operis folio Tassonus Anno Christi 474. restauratam fuisse Mutinensem Urbem ante duos annos a Gothis eversam, ejusque Portas per octo Nobiles Familias fuisse constructas: hoc est Portam Saliceti per *Nobiles de Boschetis*, Portam Sancti Petri *per Nobiles de Fredo*, Portam Saragociae *per Nobiles de Grassonibus*, Portam Redecocham *per Nobiles de Gorzano*, Portam Bajovariam *per Nobiles de Saxolo*, Portam Cittanovæ *per Nobiles de Savignano*, Portam Albareti *per Nobiles de Picis*, Portam Sancti Johannis *per Nobiles de Rodilia*. Tum ille subdit: *Ego Alexander Tassonus, qui hìc scripsi, cognovi unum de his Nobilibus de Grassonibus, & duos de Fredo, pauperes valde; & cognovi unum de Savignano, & plures fratres de Rodilia non pauperes multum, sed nec divites; & credo quod linea eorum defecerit, sicut & aliae multae Nobiles Familiae Civium Mutinensium meis temporibus defecerunt, sicut Familia Attulinorum, & Familia Discalzium*. Utique ejusmodi Familiarum potentia ac Nobilitas olim in Urbe nostra emicuit. Verum quae heic de munita per eos Civitate narrantur, fabulae sunt, uniusque vulgi fluxis rumoribus nituntur; & siquidem vera mavis, profecto ad longe posteriora Secula sunt referenda. Denique monebo, Codicem hunc spectasse olim ad Clariss. Virum ac supra mihi memoratum, Alexandrum Tassonum juniorem, qui suum nomen, Urbemque Mutinensem edito celebri Poëmate, aliisque Libris, longe lateque illustravit. Illic enim habentur additamenta aliquot ejus manu scripta, quae tamen dimittenda censui, quamquam non contemnenda. Exempli causa, ab Annalium Continuatore ad Annum 1353. donatum dicitur *Castrum Spilamberti Aldobrandino Rangono*; Tassonus vero sua manu subdit: *Hoc fuit de Anno 1354. post defensam Civitatem Mutinae ab obsidione Johannis Vicecomitis*. Rursus, ut alia praetermittam, ad Annum 1374. adjungit Francisci Petrarchae mortem, lepide pro more his verbis utens: *Hoc eodem Anno mortuus est admodum Reverendus Dominus Franciscus Petrarca, Patavii Canonicus & Poëta, & sepultus est in Ecclesia Parochiali Villae Arcuati*. Sed haec satis superque.

ANNA-



ANNALES VETERES MUTINENSIUM

Ab Anno MCXXXI. ad Ann. usqne MCCCXXXVI.

UNA CUM CONTINUATIONE AUCTORE ANONYMO.

De An. MCXXXI. Nonantulani dederũt se per proditionem Communi Bononiæ, quæ prius erat in temporalibus & spiritualibus Abbatiæ Sancti Silvestri de Nonantula, de Comitatu & Diœcesi Mutinæ, & etiam sub ejus tuitione.

De Anno MCXXXV. Mutinenses promiserunt Communi Bononiæ non molestare Domnum Abbatem Nonantulæ, & pro eis promisit sub obligatione mille librarum Dominus Manfredinus Miles Alexandri de Petrezanis Vexillifer Populi Mutinensis regnantibus Guelfis.

De Anno MCXLII. fuit magnum prœlium inter Mutinenses & Bononienses de Mense Augusti, & mortui sunt multi ex utraque parte & capti, inter quos mortuus fuit Dominus Alexander de Petrezanis Miles, & Civis honoratus in Mutina, & mortui fuerunt duo de Guidonibus, & tres capti.

De Anno MCXLIII. Homines de Savignano dederunt Castrum Savignani per proditionem Bononiensibus, quod erat Mutinensium.

De Anno MCXLVIII. in Kalendis Julii tota Civitas Mutinæ casu combusta fuit.

De Anno MCLXIV. Dominus Bozzo Locumtenens in Lombardia pro Federico Imperatore mortuus fuit per Bononienses in agro Bononiæ.

De Anno MCLXXXIV. Indictione II. quarto Idus Julii quum Papa Lucius veniret Mutinam, & cum eo decem Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi, & alii Prælati precibus Domni Gerardi Archiepiscopi Ravennatis, Domni Ardicioni Mutinæ Episcopi, Domni Bonifacii Præpositi, & Canonicorum, & Consulum Alberti de Savignano, Bonacursii, & Jacobi de Gorzano, Rolandi de Bajamontis, & Rectorum. Lombardiæ, Marchiæ, & Romandiolæ, dictus Dominus Papa Ecclesiam Beati Geminiani, ipsius sacro corpore ostenso, consecravit, & quadraginta dierum de Indulgentia de criminibus, de quibus confessi fuerunt, & quartam partem venialium singulis annis in perpetuum omnibus, qui in ipsius festo honorem exhibuerint, remisit secundo Idus Julii die Sabbati. Et quum dictus Papa in matutinis per Portam Cittanovæ de urbe exiret, sanctificavit eam dicens: *Benedicta sit hæc Civitas*

vitas ab omnipotenti Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto, & à B. Maria semper Virgine, & à B. Petro Apostolo, & à B. Geminiano. Augeat eam Dominus Deus, & crescere & multiplicare eam faciat. Et quum esset in capite Pontis de Fredo, & videret circa duo millia hominum præcedentium, & subsequentium se cum cereis accensis, dixit: *Gratias agimus vobis de honore, quem nobis tam magnanimiter exhibuistis*; & signans eos dixit: *Benedicta sit Terra, in qua vos statis, & benedicti sitis vos, & heredes vestri in perpetuum.*

De Anno MCLXXXVIII. factæ fuerunt foveæ Civitatis Mutinæ, quæ nunc sunt; & audivi à pluribus dicere, se à senioribus audivisse, quòd tunc aucta fuit dicta Civitas à Volta, quæ dicitur illorum de Adelardis, quæ antea fuerat una ex Portis dictæ Civitatis, & à Rua de Muro, in qua etiam nunc est Volta sive Pusterna, usque ad locum, ubi nunc sunt fossæ dictæ Civitatis. Et dicta Volta erat, ubi ad præsens est domus illorum de Castelvetris contra S. Bernardinum; quia flumen Circhæ, quod nunc labitur per Civitatem usque ad illas partes, videlicet desuper usque desubtus, erat antea fossa Civitatis; & Canale magnum Scultennæ quod labitur à Porta S. Pauli, quod dicitur Canale de Sonza, per Portas S. Petri, & Albareti usque S. Johannem de Cantono, & inde usque in navigium, ubi nunc est Castrum, quod appellatur Castrum Domini Marchionis, & ibi erat fossa veteris Civitatis; & quod hæc fuit causa ipsius adjectionis, sive amplificationis. Quæ vetus Civitas undique murata erat, ut etiam apparet ex muris ipsius veteris Civitatis etiam in compluribus locis existentibus, ut de Domo Fratrum Minorum, & in Rua de Muro, & in Porta S. Petri, & in Porta Albareti juxta Molendinum de Macha. Et certi Nobiles ipsius Civitatis habebant domos suas, ut amodo illi de Adelardis habent suam domum super Pusterna, quæ dicitur Volta illorum de Adelardis in Rua de Muro; & quòd ipsi Nobiles die noctuque pro libito habebant introitum & exitum ipsius Civitatis per ipsas Portas: quod erat in damnum & maximam injuriam Popularium: quibus de causis, & casibus exinde accidentibus, ipsi Nobiles & Populares hinc inde pluries venerant ad arma. Tamdemque deliberatum fuit, & effectui demandatum per ipsos Cives pro bono pacis & concordiæ, quòd dicta Civitas augeretur, ut nunc est. Et sic aucta fuit. Et tractu temporis, ut infra enarrabitur, factæ fuerunt Portæ, ita quòd Commune ab inde in antea habuit introitum & exitum Civitatis, & non ipsi Nobiles. Et sic factæ fuerunt Portæ & Fossæ, ut nunc sunt.

De Anno MCXC. facta fuit Porta Cittanova, & cavatum fuit S. Cæsarium. Eodem Anno obiit Federicus Barbarossa Imperator.

De Anno MCXCI. facta fuit Porta Bajovaria.

De Anno MCXCII. facta fuit Ecclesia S. Pauli. Et tunc Henricus Imperator cum Constantia Augusta, & cum Philippo Rege Francorum à sancta Civitate Hierusalem, assumta Cruce, redierunt & transmigrarunt in partibus Italicis.

De Anno MCXCIII. Ardicio Episcopus Mutinæ obiit, & Domnus Ægidius electus fuit Episcopus.

De Anno MCXCIV. inceptum fuit Palatium vetus Communis Mutinæ.

De Anno MCXCV. & de Anno MCXCVI. Dominus Guielmus Rangonus fuit Potestas Mutinæ.

A De Anno MCXCVII. Dominus Paganellus de Nonantula, Dominus Jacobus de Gorzano, Dominus Ugolinus Novellus, Dominus Ubertus de Fredo fuerunt Consules Mutinæ.

De Anno MCXCVIII. Dominus Rolandinus de Guidotis, Dominus Albertus de . . . . Dominus Albertus de Gazonis, Dominus Carnevalis de Alberagis fuerunt Consules Mutinæ.

De Anno MCC. fuerunt Consules Dominus Albertus de Veneficis, Dominus Radaldus de Gorgadellis, Dominus Gerardus Boschetus, Dominus Nicolaus Adelardus. Eodem Anno Castrum Argentæ captum fuit à Ferrariensibus & Mutinensibus. Eodem Anno Castrum Marzaleæ ædificatum fuit. Eodem anno Ecclesia S. Johannis de Cantono de Mutina ædificata fuit.

B De Anno MCCI. Fuerunt Consules Dominus Rolandus de Ganaceto, Dominus Rodulfus de P . . no, Dominus Martinus Percenarius . . . . Eodem Anno cœptum fuit prœlium inter Mutinenses & Regienses; & apud Formiginem in loco, ubi dicitur ad Pontem Sanguineti prœliatum est, & multi Mutinenses capti & interfecti fuerunt. Eodem Anno Castrum Formiginis ædificatum fuit per Commune Mutinæ.

De Anno MCCII. Castrum Hirberiæ obsessum fuit à Mutinensibus & Ferrariensibus; & Carrocium & Populus Ferrariæ ibi fuit: & tunc facta fuit pax inter Mutinenses & Regienses.

C De Anno MCCIII. Comes Conradus de S. Martino Mantuanus fuit Potestas Mutinæ, & habuit bonam custodiam Episcopatus Mutinæ; & non permisit, ut à Bononiensibus deciperemur; & composuit quædam pacta cum illis de Nonantula pro Communi Mutinæ.

De Anno MCCIV. Mutinenses compromiserunt se in Bononiensibus, qui tulerunt iniquum laudum de confinibus Mutinæ. Eodem anno facta fuit Ecclesia Sanctæ Trinitatis extra Portam Saliceti per unum milliare. Eodem Anno Mutinenses fuerunt cum exercitu in Padulo, & combusserunt Villam Cadiani. Eodem Anno Parmenses extraxerunt Carrocium pro Frignanensibus contra Mutinenses.

D De Anno MCCV. Catanei de Frignano cesserunt omnia sua jura Mutinensibus, & dederunt jurisdictionem Frignani Communi Mutinæ.

De Anno MCCVI. fuerunt magnæ arsuræ per Episcopatum Mutinæ; Episcopusque Ægidius electus fuit Archiepiscopus Ravennæ; & in locum ejus electus fuit Episcopus Martinus Mutinæ.

De Anno MCCVII. Dominus Rolandus Rubeus Parmensis fuit Potestas Mutinæ.

De Anno MCCVIII. Dominus Guielmus Rangonus Mutinensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno Mutinenses iverunt in servitio Mantuanorum in seditione Sugariæ. Eodem Anno Bononienses cum suo Carrocio, Imolenses, & Faventini iverunt in servitio Regiensium per Burgos Civitatis Mutinæ. Et tunc crevit magnum odium inter Marchionem Estensem, & Salinguerram, qui Salinguerra expulsus fuit de Civitate Ferrariæ, & vênit Mutinam, & ibi stetit.

E De Anno MCCIX. Dominus Ugo Parmensis de Rubeis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno Otto Imperator ivit Romam, & ibi coronatus est, & castrametatus est in agro Spilamberti.

De Anno MCCX. Mutinenses iverunt in Abbatiam & ad Medullam, & ad Monasterium Frasenorii, & facta fuit compositio cum Abbate Frasenori. Eodem Anno interventu Ottonis Imperatoris facta fuit pax inter Marchionem Esten-

Estensem, & Salinguerram, seu suos, qui redierunt Ferrariam. Eodem Anno factum fuit Castrum Spilamberti. Eodem Anno facta fuit Ecclesia S. Thomei in Burgo Cittanovæ.

De Anno MCCXI. Dominus Fulgerius de Corrigia Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno Ugo de Guarnaria cum illis de Salinguerra expulsi fuerunt de Civitate Ferrariæ, qui Ugo ibi erat pro Imperatore. Et Regienses apud S. Martinum in Spinum, Mutinenses apud Finalem, Bononienses apud Galeriam, Ravegnani apud Argentam fuerunt in eorum servitio. Eodem anno Castrum Bazani ampliatum fuit. Eodem anno facta fuit Ecclesia S. Marci Mutinæ.

De Anno MCCXII. Dominus Federicus tunc primò vênit in Lombardiam, eundo contra Ottonem in Alemannia. Eodem Anno Papienses, qui iverant cum supradicto Rege, in reversione habuerunt prœlium cum Mediolanensibus, & ibi amiserunt multa. Eodem anno occasione Savinelli facta fuit prima obsidio Pontis Ducis sive Dosii.

De Anno MCCXIII. Dominus Balduinus Vicedominus Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno dictus Potestas veniendo cum exercitu de servitio Marchionis Estensis circa Festum S. Michaëlis interfectus fuit in Valle ab illis de Ponte Ducis. Eodem anno factum fuit Castrum Finalis à Mutinensibus; & Frignanenses rebellarunt Mutinensibus, & Pons de Dosio captus fuit.

De Anno MCCXIV. Dominus Bernardus filius Domini Rolandi Rubei Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno exercitus magnus Mutinensium, Parmensium, Ferrarensium, & Mantuanorum ivit circa Pontem Ducis; & penitus à Mutinensibus combustum fuit in Festo S. Martini. Et tunc de dicto Castro accepta fuit campana, qua sonatur Nona, & portata fuit super Turrim Ecclesiæ majoris Mutinæ. Eodem Anno destructum fuit Castrum Monzoni de Frignano per Mutinenses. Eodem Anno Ecclesia S. Faustini de Burgo Bajovariæ, & Ecclesia S. Salvatoris Civitatis Mutinæ factæ fuerunt.

De Anno MCCXV. fuerunt Consules Dominus Lambertus de Gripponis, Dominus Albertus de Bartol..... Dominus Ugolinus de Gorzano, Dominus Engherame de Macreta. Eodem Anno Peregrinus Capellanus Papæ fuit apud Castrum Carpi cum pluribus Episcopis occasione investiendi Salinguerram de Ferraria de Ducatu Comitissæ Mathildæ, & tunc occupaverunt Carpum occasione prædicta.

De Anno MCCXVI. Dominus Matthæus de Corrigia Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno fuit tam magnum gelu, ita quòd glacies inventa fuit in Pado grossa XV. pedes. Eodem Anno in ultimis sex mensibus Dominus Frigerius de Corrigia Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno facta fuit Aula Palatii Communis Mutinæ, ubi jus dicitur. Eodem Anno acquisitum fuit Privilegium Carpi à Pontifice Maximo.

De Anno MCCXVII. paces cum illis de Nonantula factæ fuerunt. Dicto Anno fulmen percussit Turricellum Ecclesiæ majoris Mutinæ. Dicto Anno Castrum Bazani, Castrum S. Cæsa-

A rii, & Castrum Nonantulæ, & tota Romandiola capta fuerunt à Bononiensibus.

De Anno MCCXVIII. factus fuit locus S. Catharinæ Mutinæ.

De Anno MCCXIX. fuit exercitus de Zibello. Eodem Anno Castrum Bazani cœptum fuit murari. Eodem Anno motus Militum fuit ultra mare, & solutum fuit naulum primo Anno.

De Anno MCCXX. Giliolus Lombardus Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno Mutinenses iverunt in servitio Mantuanorum pro obsidione, quam fecerant Regini, Parmenses, & Cremonenses apud Gonzagam. Eodem Anno pax Regiensium & Mantuanorum, mediante Episcopo de Maderburgo, celebrata fuit apud

B Mutinenses.

De Anno MCCXXI. mortuo Martino Episcopo Mutinensi electio facta fuit in discordia in duobus, scilicet in Rolandino de Gomola, & Manfredino de Pisis. Eodem Anno domus Fratrum Minorum de Mutina ordinata fuit.

De Anno MCCXXII. in principio Anni fuit terræmotus magnus. Eodem Anno Bononienses & Faventini spoliarunt Imolam, & sinè portis dimiserunt. Eodem Anno designatæ fuerunt confines totius Episcopatus Mutinæ, ut constat publico Instrumento.

De Anno MCCXXIII. multæ paces compositæ fuerunt occasione Carthaginis. Eodem Anno fuit terræmotus magnus.

C De Anno MCCXXIV. Veronenses, Mantuani, & Ferrarienses fuerunt in obsidione Bondeni, & inde debiles redierunt. Eodem Anno capta (*) fuit Turris S. Geminiani in Civitate Mutinæ, & multæ discordiæ fuerunt in dicta Civitate, propter quod multæ condemnationes factæ fuerunt. Eodem Anno Marchio Guielmus Montisferrati ivit in Alamanniam cum magna societate Nobilium Lombardorum, ubi secundo Anno obiit.

De Anno MCCXXV. exactæ fuerunt supradictæ condemnationes. Eodem Anno Potestas Mutinæ fecit dirui Turres in Civitate Mutinæ. Eodem Anno Potestas Mutinæ misit multa capita partium ad confinia Cremonam, & etiam

D alibi.

De Anno MCCXXVI. Bernardus Rubeus Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno Federicus Imperator vênit in Lombardiam apud S. Johannem in Persicetum circa mensem Maji, & ibi fuerunt Cives Cremonenses, Parmenses, Regini, & Mutinenses, occasione belli orti inter Mutinenses & Bononienses. Eodem Anno mortuus est S. Franciscus. Eodem Anno Castrum Leo à Mutinensibus, & Castrum Franchum à Bononiensibus ædificata fuerunt, & alia Castra. Eodem Anno Federicus Imperator quum esset ad Burgum S. Donini, donavit fluvium Situlæ, Panarii, & Samodiæ Communi Mutinæ, de quo exstat Privilegium authenticum & am-

E plum.

De Anno MCCXXVII. Dominus Bernardus de Cornazano Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno fuit magna fames, ita quòd sextarium frumenti vendebatur undecim solidis Imperialibus. Eodem Anno ædificatum fuit Castrum Montis Valarii. Eodem Anno Bononienses ædifica-

(*) Alexander Tassonus inter Scriptores ac Poetas Mutinenses celeberrimus, in Annalibus Baronianis breviatis, qui adhuc MSti servantur, ad hunc Annum scribit, a Mutinensibus ædificari cœptam Turrim Sancti Geminiani, cui in Italia vix alteram æques. Falli præstantissimum virum puto. *Captam* ab altera ex fa-ctionibus Mutinensium eam Turrim, non verò *cœptam*, heic omnes Annales MSti habent. Neque in tanta rerum perturbatione censendi sunt Mutinenses tantum opus aggressi. Præterquamquod satis constat, hanc Turrim, quod est ad ejus quadratam partem, longè antea exstitisse.

ficaverunt Crevalcorium, Budrium, Serravalle, & Zebrianum, & Vvlticum. Eodem Anno cœptum fuit prœlium inter Mutinenses & Bononienses in Frignano. Eodem Anno grave peccatum celebratum fuit cum Episcopo Guielmo. Eodem Anno factus fuit primus exercitus per Bononienses ad Castrum Bazani.

De Anno MCCXXVIII. Dominus Paganus Ægidius Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno die IV. Octobris Bononienses cum suo Carrocio, & cum amicis suis Faventinis, Imolensibus, Forliviensibus, Ariminensibus, Pexarensibus, Fanensibus, Mediolanensibus, Brixianis, Placentinis, Forlipopulensibus, Cæsenatibus, Ravennensibus, Ferrariensibus, Florentinis, & compluribus aliis Civitatibus Lombardis fuerunt in obsidione Bazani, & tunc ceperunt Castrum Vignolæ die Lunæ X. Octobris. Et cum eis fuit Comes Albertus de Mangona. Eodem tempore die XIV. Octobris Mutinenses cum Parmensibus, & Cremonensibus ceperunt & destruxerunt Castrum Plumatii; & coram inimicis & in eorum præsentia munierunt, & guarniverunt Castrum Bazani, volentibus vel nolentibus supradictis inimicis. Eodem tempore XXIII. Octobris Mutinenses equitaverunt comburendo omnia usque ad Renum. Et tunc fuit maximum prœlium apud S. Mariam in Strata. Et in parte Bononiensium captus fuit Thomaxinus Salinguerra, & multi Florentini, & Bononienses. Et ex parte Mutinensium mortuus fuit Ponzamatus Cremonensis. Et ex parte Bononiensium vulneratus fuit Paulus Traversatus de Ravenna. Et ita postea stantibus Bononiensibus cum Civitatibus prædictis in prædicta obsidione Bazani, Mutinenses cum militia Parmensium reversi sunt apud Castrum Spilamberti, & inde equitaverunt ad Castra Bononiensium, & ceperunt & combusserunt Castrum Montis Budelli die XIV. Novembris transacta festivitate S. Martini. Et tunc proxima nocte sequenti Bononienses cum toto exercitu recesserunt ab obsidione prædicta, relictis ibi omnibus ædificiis. Die verò XX. Decembris Bononienses equitaverunt ad Castrum Vetus districtus Mutinæ, & Mutinenses equitaverunt ibidem; & dicto. Bononienses posuerunt in fugam, & ceperunt XXIII. milites Bononienses, & multos pedites. Eodem Anno die XXIII. Julii consecratum fuit corpus S. Francisci.

De Anno MCCXXIX. Bononienses cum totis suis viribus & suorum amicorum cum quatuordecim Civitatibus fuerunt in obsidione S. Cæsarii, & ceperunt eum vi; & antequam recederent, Mutinenses, Parmenses, & Cremonenses cum exercitu suo aggressi fuerunt eos, & validum prœlium ibi fuit; tamdemque ipsi Bononienses cum omni exercitu debellati & fugati fuerunt, relictis ibi tentoriis, carris, bobus, & omnibus rebus. Et capti fuerunt ex eis multi. Eodem Anno ad petitionem Pontificis Maximi tregua composita fuit per Episcopum Regiensem per octo Annos inter dictos Mutinenses & Bononienses, & jurata fuit ab utraque parte, & capti dimissi die Sabbati XXI. Decembris.

De Anno MCCXXX. militia Mutinensium ivit in servitio Mantuanorum contra Veronenses.

De Anno MCCXXXI. Dominus Gabriel de Comitibus Cremonensis fuit Potestas Mutinæ, qui interfectus fuit in festo S. Magdalenæ, & de interfectoribus captis facta fuit vindicta, & alii banniti fuerunt, & bona eorum devastata. Eodem Anno Beatus Antonius de Padua Ordinis Minorum obiit die XIII. Junii.

De Anno MCCXXXII. Dominus Gerardus de Albinis fuit Potestas Mutinæ Parmensis, qui redemit condemnationes interfectorum prædecessoris sui. Eodem Anno Prædicatores Fratrum Minorum, & S. Domnini crescere cœperunt cum Confalonibus, & Crucibus. Eodem Anno Federicus Imperator ivit in Alamanniam, & apprehendit Henricum ejus filium primogenitum, qui contra eum conjurabat cum Lombardis, & eum in Apuliam relegavit.

De Anno MCCXXXIII. Dominus Rolandus de Rubeis Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno factæ fuerunt paces Mutinensium mediante Fratre Gerardo Ordinis Minorum, & omnes quacumque de causa à Communi Mutinæ banniti reversi sunt, præter quinque. Eodem Anno multæ prædicationes factæ fuerunt. Eodem Anno facta fuit Ecclesia S. Agnetis de Mutina.

De Anno MCCXXXIV. factum fuit magnum prœlium inter Mediolanenses, & Brixianos cum suis complicibus Civitatibus ex una parte & Cremonenses, Parmenses, Papienses, Regienses, Mutinenses ex altera. Eodem anno Bononienses fregerunt treguam Mutinensibus, veniendo apud Bazanum cum Carrocio suo, & apud S. Cæsarium, quod combusserunt apud Festum S. Petri. Eodem anno proditores Frignanenses tradiderunt Frignanum Bononiensibus. Eodem anno Albertus de Boschettis electus fuit Episcopus Mutinæ die III. Aprilis.

De Anno MCCXXXV. Dominus Bertolinus Tabernarius Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem anno facta fuit tajata apud Savignanum per Mutinenses. Eodem anno Castrum Monzoni rebellavit Communi Mutinæ, & statim obsessum fuit à Mutinensibus & captum; & in eo capti fuerunt sex ex Cataneis proditoribus.

De Anno MCCXXXVI. Dominus Gerardus de Corrigia Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem anno Mutinenses, Parmenses, Cremonenses, & Regini iverunt obviam Imperatori, qui veniebat de Alemania, usque ad Texinum, & Mincium in agro Brixiano, comburendo tunc confines Mantuæ & Brixiæ. Et capto Castro Marchariæ, & Castro Pontis S. Viti, obsedit Mantuam, & dimissa obsidione vênit Cremonam & Parmam, & rediit Veronam, & cepit Vincentiam, & fugavit Paduanos ab obsidione Rivoltellæ (*). Eodem anno Castrum Leo districtus Mutinæ captum fuit à Bononiensibus. Eodem anno Mediolanenses conflicti fuerunt à Federico Imperatore, & amiserunt Carrocium.

De Anno MCCXXXVII. Dominus Ugo de Curte Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno Castrum Leo desolatum & destructum fuit à Bononiensibus, & Pons de Navicellis, & plures aliæ Villæ districtus Mutinæ. Eodem anno Gibertinus Gandulfi de Petrezanis cœpit provocare bellum & inimicitiam cum Domino Simone de Trentis Mutinensibus, ex quibus de Trentis, qui erant vicini domui ipsorum de Petrezanis in Contrata Beccariorum, mortui fuerunt quadraginta, & expulsi de dicta contrata, quia erant Gibellini.

De Anno MCCXXXVIII. Imperator fuit in obsidione Brixiæ, & intravit Marchiam Trivisanam, & dedit uxorem Henrico filio suo naturali Damisellam, & factus fuit Rex Turris & Galluris. Eodem anno Civitas Faventiæ capta fuit per suos agricolas propter mortem Caratonis.

De

(*) *Alibi Riccabellæ.*

De Anno MCCXXXIX. Marchio Estensis, Comes S. Bonifacii, Albericus de Romano, & illi de Camino cœperunt esse rebelles Federici Imperatoris. Eo anno die III. Junii fuit maximus Eclipsis Solis, qui duravit ab hora Sexta usque ad Nonam, & Stellæ videbantur in cœlo, veluti de nocte videri solent. Eodem anno Federicus Imperator cum Mutinensibus, Reginis, Parmensibus, & Cremonensibus fuit in obsidione Castri Plumatii; & eum per vim ceperunt & destruxerunt; & etiam ceperunt per vim Castrum Crevalcorii districtus Bononiæ & destruxerunt. Et tunc Bononienses ceperunt Castrum Marani de Campilio, & obsederunt Castrum Vignolæ apud festum S. Michaëlis. Et Mutinenses iverunt ad defensionem dicti Castri cum militia Parmensium, & cum dictis Bononiensibus commiserunt ferocissimum prœlium. Et Deo & justitia hoc volente, dicti Bononienses victi & fugati fuerunt, & de eis mille capti, exceptis mortuis, & necatis in flumine. Eodem anno Burgum S. Petri Civitatis Mutinæ combustum fuit per Bononienses.

De Anno MCCXL. Dominus Rolandinus Rangonus fuit Potestas Mutinæ. Eo anno Civitas Ravennæ capta fuit à Federico Imperatore, & Faventia ab eodem obsessa. Eodem anno Guallandelli reversi sunt in gratiam & ad mandata Communis Mutinæ cum omnibus Castris, & Plebatu Pelagi. Eodem anno Ronchus de Scaja, & Mons Castagnarius de Frignano destructi fuerunt à Mutinensibus.

De Anno MCCXLI. Bononienses tractaverunt cum quibusdam Mutinensibus, quos captos tenebant, prodere Castrum Bazani. Sed Mutinenses hoc intelligentes, quia jam quidam Bononienses intraverant in dicto Castro cum victualibus, balistis, & sagittis, & sic decem ex ipsis militibus Bononiensibus capti fuerunt, & Mutinam perducti. Et tunc Mutinenses refortiaverunt dictum Castrum. Eodem Anno die XIV. Aprilis Federicus Imperator subegit Faventiam. Eodem Anno Civitas Ferrariæ capta fuit à Bononiensibus, Venetis, & Mantuanis; in qua obsidione fuit Gregorius de Montelongo Legatus. Et Dominus Salinguerra ductus fuit captivus Venetiis. Eo Annó Federicus Imperator ivit Romam, & in Apulia. Eodem Anno obiit Papa Gregorius, & Cœlestinus electus fuit, qui die sextadecima Pontificatus obiit.

De Anno MCCXLII. die IV. Julii plures domus combusserunt proprio igne super Strata Claudia apud S. Michaëlem à meridie. Eo Anno Castrum Montesii rediit ad mandata Communis Mutinæ. Eodem Anno primò cœptum fuit cudere nummos in Civitate Mutinæ. Eodem Anno Federicus Imperator fecit magnum exercitum contra Romanos. Eodem Anno Padullum Communis Mutinæ primò locatum fuit ad laborandum conductoribus.

De Anno MCCXLIII. electus fuit Innocentius Papa IV., qui priùs vocabatur Sinibaldus de Lavagna. Eo Anno Ecclesia Fratrum Prædicatorum Mutinæ ordinata fuit, & medietas spondæ muri ipsius Ecclesiæ versùs contratam Beccariorum, in qua morabantur illi de Petrezanis, facta fuit per ipsos de Petrezanis. Et in Porta dictæ Ecclesiæ versùs dictam contratam fecerunt unum sepulcrum pro ipsis.

De Anno MCCXLIV. Dominus Ubertus Vicedominus de Monteclo de Parma fuit Potestas Mutinæ. Eo Anno translata fuit Ecclesia Fratrum Minorum in Civitate Mutinæ, quæ priùs erat extra Portam Bajoariam ad Pratum Hentesonis. Eo Anno fuit magna penuria per totam Lombardiam, excepto in Civitate Mutinæ, ita quòd Cremonæ vendebatur sextarium frumenti viginti sold. Imperial., si inveniebatur. Et à festo S. Viti in antea fuit magna divitia tempore messium. Eodem Anno Innocentius Papa IV. privatè cum paucis Cardinalibus ivit ad Civitatem Januæ, & dimisit Cardinales apud Civitatem Castellanam causâ compositionis faciendæ cum Imperatore Federico; & postea ivit ad Leonem supra Rodanum ad convocandum Concilium cum Ecclesia, & tunc Patriarcha Antiochenus vênit in Lombardiam, ut faceret pacem inter Papam & Imperatorem.

De Anno MCCXLV. primo & secundo Januarii Cives Regienses prœliaverunt insimul. Eodem Anno die V. Martii Ecclesia Fratrum Eremitarum incœpta fuit extra Civitatem Mutinæ inter Portam Cittanovæ & Portam Ganaceti super seu penes fossas Civitatis Mutinæ, ubi primò dicta Ecclesia ædificata fuit. Eodem tempore Imperator intravit Civitatem Parmæ die XXVI. Maji, & postea ivit in Veronam, causâ ducendi uxorem, quæ erat neptis Ducis Storichæ, sed non potuit habere eam. Eodem Anno die III. Julii Regienses fecerunt inter se magnum sturmum, & Dominus Simon de Manfredis, & Dominus Marionus de Bonicis intraverunt Civitatem cum magna militia & magna Populi multitudine, & combusserunt Portam S. Petri prædictæ Civitatis. Et sequenti die fecerunt etiam magnum sturmum, scilicet illi de Rubertis, & illi de Sesso; & sic Ruberti fugerunt de dicta Civitate, & iverunt Bononiam, & fuerunt positi in banno Imperatoris, & bona eorum devastata fuerunt undique in Civitate & extra. Eodem tempore Federicus Imperator voluit capere Brixiam, & simulavit venire Veronam pro ducenda sorore Ducis Austriæ in uxorem. Et pars Gibellina, quæ erat in suum favorem, expulsa fuit de Verona & ivit Bononiam; & Bononienses assignarunt eis molendina de Tuatis pro eorum expensis. Eodem Anno celebratum fuit Concilium per Pontificem in Civitate Leonis, & lata fuit sententia contra Federicum Imperatorem. Eodem Anno Dominus Bernardus Rubeus de Parma cum filiis & aliis multis sequacibus fugit de Parma, & factus est rebellis Imperii. Eodem Anno pars Guelfa de Florentia expulsa fuit, & Imperator Federicus intravit Civitatem Florentiæ.

De Anno MCCXLVI. in vigilia Omnium Sanctorum Rex Henricus filius Imperatoris Federici conduxit secum in Lombardiam Dominum Jacobinum & Dominum Guielmum de Rangonibus cum XXV. militibus de eorum parte. Et tunc Regini obsederunt Castrum Fillini, & eum habuerunt concorditer. Eodem Anno Perusini conflicti fuerunt à Federico Imperatore. Eodem Anno Rex Henricus expulit factionem Bernardi de Rubeis de Parma, & congregavit exercitum contra Placentinos. Eodem Anno Florentini submiserunt se Federico Imperatori. Eodem Anno Lanfrancus de Petrezanis, qui confinatus fuerat Cremonæ cum quatuor filiis, & ibi per XX. annos exulaverat, reversus est Mutinam. Multas possessiones & multa bona emerat in agro Cremonensi in S. Johanne in Cruce.

De Anno MCCXLVII. Dominus Jacobinus, & Dominus Guielmus ejus nepos de Rangonibus recesserunt è Civitate Parmæ cum illis militibus, cum quibus iverant, sine licentia Henrici Regis, cum quo iverant, præter undecim, qui

qui remanserunt, qui capti carcerati fuerunt Cremonæ. Eo Anno Dominus Gerardus de Corrigia die Dominico intravit per vim in Civitate Parmæ; quare Imperator, qui erat in Lombardia, & Henricus Rex ejus filius, qui obsidebat Castrum Quinzani de Brizia, venerunt ad obsidionem Parmæ cum magno exercitu. Et combusserunt & destruxerunt Episcopatum ipsius Civitatis. Et tunc dictus Imperator ædificavit ibi Civitatem, cui imposuit nomen Victoria. Eodem Anno die Sabbati de mense Julii Castrum Bazani obsessum fuit à Bononiensibus & captum per proditionem. Eodem Anno Mutinenses castrametati sunt cum Eccellino de Romano propè Bazanum, exspectantes auxilium armigerorum Regis Henrici, & de nocte die XXIII. Julii Bononienses crassati sunt eos, & Bononienses conflicti fuerunt, & mortui sunt multi ex utraque parte. Inter quos mortuus fuit Dominus Sigismundus Miles filius Domini Manfredi de Petrezanis Capitanei peditum. Eodem Anno Parmenses ceperunt Civitatem Imperatoris, quæ vocabatur Victoria, prope Parmam, & ipsam destruxerunt & combusserunt. Eodem Anno expulsi fuerunt Aigoni de Civitate Mutinæ.

De Anno MCCXLVIII. Bononienses ceperunt Nonantulam, Bazanum, & S. Cæsarium, quæ erant Mutinensium. Eodem Anno Florentini jurarunt fidelitatem Federico Imperatori, expulsis tamen Guelfis.

De Anno MCCXLIX. captum fuit Castrum Arrolli per Dominum Petrum, Antonium, & Brancaleonem, Domini Johannis Bonifacii, & per socios: unde vênit Henricus Rex cum Reginis. & obsedit dictum Castrum, & cepit eum; & de his, qui erant in dicto Castro, laqueo suspendit circa centum. Eo Anno fuit magnum prœlium die XXVI. Maji die Mercurii apud Fossaltam inter Mutinenses & Bononienses, in quo Mutinenses victi, & fuerunt capti septem de Populo vel circa, & centum milites de Mutina vel circa. Et in dicto prœlio captus fuit Rex Henricus, qui tunc erat cum Mutinensibus. & milites Germanici cum eo capti. Eodem Anno die Mercurii XV. Decembris facta fuit & osculata pax inter Mutinenses & Bononienses, & illos de parte Aigonum de Mutina in Platea Communis Bononiæ, compromittentes se de Frignano in Parmensibus. Et die Jovis XXIII. Decembris Episcopus Mutinæ vênit cum duobus Potestatibus Civibus Bononiæ, scilicet Domino Bonifacio Domini Castellani, & Comite de Prendepartis, qui electi fuerunt per Octavianum Cardinalem Legatum, & per Mutinenses, qui erant ad dictam pacem componendam. Et die prædicta redditæ fuerunt Missæ Communi Mutinæ, quia tunc Civitas Mutinæ erat interdicta. Et die Jovis die ultimo Decembris Dominus Jacopinus Rangonus cum illis de parte sua Aigonum rediit in Civitate Mutinæ cum gaudio & honore.

De Anno MCCL. die XVI. Januarii die Dominico facta fuit pax inter Rangonos & illos de Rodilia ex una parte, & cum illis de Gorzano ex altera in Palatio novo Communis Mutinæ in pleno & generali Consilio in præsentia Octaviani Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati. Eo Anno die VIII. Junii die Mercurii Mutinenses unà cum Bononiensibus, & Reginis exulibus, & Ferrariensibus iverunt in servitio Parmensium, & conduxerunt bladam in magna quantitate dictis Parmensibus usque ad Crustulum in Episcopatu Regii. Eodem Anno in Vigilia Nativitatis Domini, Dominus Ugo de S. Vitali de Parma intravit in Castro Carpi Episcopatus Mutinæ, causâ faciendi festa cum Domino Archipresbytero ejus Castri; qui eum conduxit, & dedit ei dictum Castrum cum Ziliolo de Brochis, & cum illis de parte sua; qui tenuit dictum Castrum in se, & pro Domino Papa, & ibi stando & faciendo jurisdictionem pro se in dicto Castro. Quare Antiani Populi Mutinæ, & ipse Populus posuerunt omnes de Carpo in banno Communis Mutinæ, & volebant ire ad destruendum dictum Castrum. Et tunc (*) Galvanus de Carpo cum illis de parte sua vênit ad præcepta Communis Mutinæ. Et dictus Dominus Ugo expulsus fuit de dicto Castro. Et Dominus (**) Richerius vênit etiam ad obedientiam Communis Mutinæ cum illis de parte sua die XV. Augusti die Lunæ, & positi fuerunt ibi Capitanei pro Communi Mutinæ.

De Anno MCCLI. Innocentius Pontifex vênit Mediolanum, Brixiam, Mantuam Ferrariam, Bononiam, & Perusium. Eo Anno factum fuit Palatium Communis Mutinæ de Contrata de Scudariis, & facta fuit Capella Palatii Communis Mutinæ. Eodem Anno die X. Octobris Papa Innocentius, qui priùs vocabatur Sinibaldus de Flisco, dum veniret à Concilio ex Civitate Leonis supra Rhodanum, intravit Civitatem Mutinæ.

De Anno MCCLII. Castrum Spilamberti combussit totum, excepta domo Domini Johannis Butigatii, die VI. Julii. Eodem anno combusserunt multæ domus in Civitate Mutinæ apud Ecclesiam S. Blaxii versùs Portam Cittanovam, & cœpit ignis in domo Alberti Grotti.

De Anno MCCLIII. facta fuit pax inter Parmenses & Cremonenses. Eodem anno facta fuit pax Reginorum; & Ruberti reversi sunt in Civitate Regii. Eodem anno facta fuit æstimatio terrarum Mutinæ.

De Anno MCCLIV. Dominus Lambertus Dominæ Samaritanæ, & Dominus Catallanus de Andalo de Bononia fuerunt Potestates Mutinæ, & steterunt in officio usque ad diem VI. Augusti, in quo die expulsi fuerunt, occasione condemnationis factæ de Domino Galvano de Carpo, scilicet duarum millium librarum Mutinæ; quia unus volebat, quòd solveret dictam condemnationem in pecunia, & alter volebat audire jus suum, si de jure debebat, & per Statutum Mutinæ. Et loco eorum remanserunt Antiani Populi Mutinæ, usquequo Dominus Albertus de Caccianimicis, & Fabius quondam Domini Bonifacii Guidonis Guiscardi venerunt; qui electi fuerunt per Antianos Populi secundùm morem & formam Consilii generalis Communis Mutinæ. Qui venerunt die Lunæ XVI. Augusti, & jurarunt facere dictum officium ad Calendas Januarii. Eo anno die Jovis XXI. Maji in die Ascensionis obiit in Apulia Conradus filius quondam Federici Imperatoris. Eodem anno Papa Innocentius obiit Neapoli, & incontinenti electus fuit Papa Alexander.

De Anno MCCLV. lata fuit sententia Frignani in Civitate Parmæ per Dominum Gibertum de Gente Potestatem Parmæ.

De Anno MCCLVI. Civitas Paduæ per Philippum Archiepiscopum Ravennæ Legatum Apostolicum capta fuit. Eo anno Eccellinus de Romano obsedit Mantuam; nec ea potitus est. Tunc

(*) Al. Guielmus.

(**) Alii Rubertus.

Tunc Archiepiscopus Ravennæ eripuit Paduam dicto Eccellino existenti ad dictam obsidionem. Quod intelligens Eccellinus, comburi & mori fecit duodecim mille Paduanos secum militantes. Eodem anno Griffolinus factus fuit Dominus Civitatis Brixiæ, & expulsi sunt Ecclesiastici. Eodem Anno Bontraversus Eccellini socer interfectus est.

De Anno MCCLVII. facta fuit concordia inter Placentinos Cives; & Milites dictæ Civitatis expulerunt Dominum Ubertum de Pelavicinis, & noluerunt amplius ejus dominationem. Eodem anno Legati Mutinæ, Mediolani, Brixiæ, Mantuæ, Ferrariæ, Parmæ, & Regii iverunt Bononiam cum Potestatibus Mutinæ causâ recuperandi Frignanum, & non potuerunt habere aliquam rationem, sed solùm habuerunt Consilium generale Communis Bononiæ.

De Anno MCCLVIII. Arx de Medulla capta fuit per Mutinenses, & aliqui qui erant in dicta arce, suspensi fuerunt à dictis Mutinensibus. Eo anno valuit corba frumenti Bononiæ libras tres Bononienses. Eodem anno captus fuit Archiepiscopus Ravennæ Legatus Apostolicæ Sedis apud Civitatem Brixiæ per Eccellinum de Romano, & per Marchionem Pelavicinum; & Cremonenses erant cum prædictis Dominis, qui Mantuanos devicerunt & ceperunt Brixiam.

De Anno MCCLIX. Dominus Guido de Petra-Sancta fuit Potestas Mutinæ, qui erat Mediolanensis, & propter bonum regimen dicti Potestatis multa bona orta sunt, quia Civitas Mutinæ erat in malo statu. Quare persequutus est latrones undique per totum Episcopatum Mutinæ, suspendendo eos ubique, & reddidit omnia tuta & secura à Strata superiùs. Eodem anno Eccellinus de Romano dum transiret Addam fluvium, Cremonenses & Mantuani invaserunt eum apud Cassianum, & vulneraverunt, qui ex eo vulnere obiit, relictis Verona, Vincentia, Trivisio, Padua, Feltro, Brixia, Tridento, & plus centum Castris, de quibus erat Dominus. Eodem anno erat magna penuria in Civitate Mutinæ, quia sextarius frumenti valebat XX soldos Mutinenses; sed tunc Antiani Populi Mutinæ constituerunt volentibus conducere frumentum de alieno Episcopatu, de modio sex soldos Mutinenses, & de modio melicæ & aliarum segetum quatuor soldos Mutinenses. Et fecerunt fieri domum in Platea, & multas stationes pro dicta blava. & facta fuit magna ubertas in dicta Civitate. Eodem anno Florentini conflicti fuerunt à Senensibus ad Montem-Apertum. Eodem anno factum fuit Canale, quod dicitur Panarollum novum de Bodruza, à Plebe Sancti Martini inferiùs per septem milliaria per Mutinenses & Bononienses per Episcopatum Mutinæ. Eodem anno fuit infirmitas & mortalitas ferè per totum Orbem. Eodem anno cœptum fuit Canale Clarum à Domino Albertino Episcopo Mutinæ pro Commune Mutinæ.

De Anno MCCLX. fuit magna crudelitas, ita quòd homines cœperunt verberare se apud Perusium, & à Perusio successivè verberaverunt se usque Romam, & per Vallem Spoletanam. Eo anno Florentini cum Lucensibus cum magno exercitu euntes munire Montalcinum, juxta Senam per quinque milliaria, à Senensibus & Capitaneo Manfredi Regis Siciliæ Jordane debellati & devicti fuerunt, & ex eis mortui & capti fuerunt circa viginti millia; & tunc pars Gibellina rediit Florentiam. Eodem anno postea homines cœperunt se verberare in Romandiola, & in Bononia; & tunc factæ fuerunt multæ paces in Civitate Bononiæ; & venerunt Mutinam ultra vigintimillia hominum de Bononia, & ibi se verberaverunt; & tunc omnes paces Mutinæ factæ fuerunt, scilicet illorum de Gorzano, de Rodilia, & de Gomola; & de omnibus aliis guerris & discordiis universaliter factæ fuerunt paces inter Mutinenses. Et Mutinenses iverunt ultra viginti millia hominum Regium, & Parmam, & ibi omnes se verberaverunt, quæ verberatio fuit quasi in tota Lombardia, & in Marchia Trivixana, & in multis aliis locis. Eodem anno pars Comitis S. Bonifacii expulsa fuit de Civitate Veronæ. Eodem anno paces Parmensium & Regiensium factæ fuerunt. Eodem anno Ecclesia Trinitatis translata fuit de Burgo Saliceti in Burgo Albareti.

De Anno MCCLXI. Dominus Scurta de Porta de Parma fuit Potestas Mutinæ. Eo anno facta fuit compositio inter Abbatem Nonantulæ, & Abbatem Fraxenorii, & Commune Mutinæ. Eodem anno elevata fuit Turris S. Geminiani Mutinæ à quadro supra ubi sunt campanæ, & positus fuit pomus deauratus in summitate, quæ est alta brachia CLV. & finita fuit MCCCXIX. Eodem anno obiit Papa Alexander IV. & electus fuit Urbanus post tres menses.

De Anno MCCLXII. evacuata fuit Civitas Mutinæ de omni letamine, & Contratæ fuerunt englaratæ, & multi porticus salegati. Eo anno elevatum fuit Palatium Communis Mutinæ, quod est ex opposito Turris Sancti Geminiani. Eodem anno facta fuit Rengheria Communis Mutinæ, ubi fiunt proclamationes super Platea. Eodem Anno omnia Molendina Civitatis Mutinæ fuerunt abbassata. Eodem Anno multæ Villæ Comitatus Mutinæ fuerunt deductæ in Communi. Eodem Anno Episcopatus Mutinæ & totum Territorium fuit mensuratum. Eodem Anno creati fuerunt XIV. Cardinales à Papa Urbano. Eodem Anno Ecclesia S. Pauli, & Ecclesia S. Jacobi Mutinæ consecratæ fuerunt.

De Anno MCCLXIII. Dominus Jacob Bassolus Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno factum fuit Palatium novum, quod est juxta Arengheriam Communis Mutinæ à latere mane.

De Anno MCCLXIV. apparuit cometes faciens fumum, sicut faceret unum paleare ardens. Eo Anno die ultimo Februarii obiit Dominus Albertus de Boschetis Episcopus Mutinæ. Eodem Anno obiit Papa Urbanus IV. in Kalendis Septembris. Eodem Anno electus fuit Dominus Matthæus de Pisis Episcopus Mutinæ. Eodem Anno facti fuerunt pontes lapidei supra Circam intus & extra Civitatem Mutinæ. Eodem Anno cavata & arzenata fuit Grizaga. Eodem Anno die XIV. Decembris die Dominico ante Tertiam expulsa fuit de Civitate Mutinæ pars illorum de Grasulfis, quæ erat Gibellina, per illos de parte Aigonum cum auxilio quorumdam extrinsecorum Guelforum Civitatis Mutinæ; & erant circa quinquaginta milites, & ducenti pedites; sed mortui fuerunt pauci, scilicet Dominus Thomas miles de Gorzano, & Petrus Pilicia, & Guidonus de Bastardis, & Marochus Petrezanus, & alii tres populares. Et die sequenti venit Marchio Estensis, & Comes Sancti Bonifacii cum Ferrariensibus & Mantuanis in Civitate Mutinæ, & die Martis sequenti captum fuit Castrum Gorzani, & diruptum per illos, qui remanserant in Civitate Mutinæ. Eo-

Eodem Anno electi fuerunt quatuor Capitanei in Civitate Mutinæ, scilicet Dominus Guielmus de Rangonibus, Dominus Simon de Bolchetis, Dominus Attolinus de Rodilia, & Dominus Rainerius de Nonantula; & isti rexerunt & gubernaverunt Civitatem à die expulsionis Grasulforum, usque ad Nativitatem Domini. Et tunc vênit ad regimen Civitatis Dominus Guidoerus, seu Guidotus de Galuciis Civis Bononiæ, qui fuit electus unà cum Domino Bartholo de Guidezonis, ita quòd unus regeret Civitatem usque ad S. Petrum, & alius usque ad finem Anni. Et tunc Dominus Rodulfus, qui debebat esse Potestas pro Anno futuro, licentiatus fuit, & de salario satisfactus. Eodem Anno depicta fuit intus & extra domus Baratatorum, & vituperabilium Antianorum; & antequam ingrederentur dictam domum vel palatium, exclusi fuerunt propter eorum fraudes vel nequitias in eorum opprobrium sempiternum.

A

De Anno MCCLXV. omnes milites & pedites à quatuordecim Annis supra die ultimo Februarii iverunt cum Guelfis extorribus Regiensium, & durante prœlio à mane usque ad vesperas, dictam Civitatem Regii per vim ceperunt, & viriliter expulerunt illos de Sesso de dicta Civitate, ipsos deprimendo, & bonis omnibus spoliando. Eodem Anno captum fuit Castrum Arroli per vim, & multi Mutinenses extrinseci & Regini occisi & capti fuerunt. Eodem Anno de mense Maji milites & pedites Mutinæ iverunt in Comitatu Gomolæ, & circa Castrum Brandulæ, ubi erat pars Grasulforum Gibellinorum extrinsecorum Mutinæ; & ibi per tres dies castrametati sunt; & timentes de proditione, dimissis ibidem tentoriis cum multis plaustris & magna suppellectili, interfectis multis ex ipsis Grasulfis, redierunt Mutinam salvis personis. Eodem Anno Grasulfi, qui erant in Castro Brandulæ, qui erant circa C. milites, & multi pedites, iverunt ad comburendam Villam Nirani; & antequam redirent, & essent juxta Crucem de Montardono citra Ligorzanum, devicti fuerunt, & ibi captus fuit Petrus de Assenella Potestas dictæ partis Grasulforum extrinsecorum. Et die illa fuerunt capti multi alii à Mutinensibus, fugando & persequendo usque ad dictum Castrum Brandulæ; & tunc ceperunt Castrum de Scorcelexe, ad cujus custodiam remansit Franciscus Petrezanus cum XX. sociis. Eodem Anno Mutinenses iverunt ad custodiam Civitatis Regii, quia Regienses cum quibusdam Mutinensibus iverant de mense Octobris ad obsidionem Toani, & ibi stando per tres hebdomadas, prœliando, & trabuchando cum trabucho Mutinensium, qui factus fuerat in Platea Communis Mutinæ cujus pertica erat, quantum sex paria boum ducere poterant, sed dimissis apud dictum Castrum tentoriis & omnibus suppellectilibus, & dicta machina, seu trabucho, redierunt salvis personis, timore Cremonensium & quorumdam Grasulforum, qui erant cum eis, ad Civitatem Regii; & Grasulfi ceperunt Castrum Montis Stephani, ubi erat copia victualium. Eodem Anno de mense Decembri Franci transierunt cum Comite Flandriæ eorum Capitaneo per Brixiam, invito Marchione Pelavicino, qui eos cum Cremonensibus, Placentinis, Brixianis, & aliis in favorem Manfredi Principis Tarentini transire prohibebant. Et equi istorum Francigenarum dicebantur esse quinque millia, pedites verò quindecim millia, cum decem millibus ballistariis. Et omnes iverunt Romam, ubi erat Rex Carolus eorum Dominus, & frater Ludovici Regis Franciæ gloriosi, qui æstate præcedenti cum sua uxore iverat Romam, & fuerat coronatus à Clemente Papa de Regno Apuliæ contra prædictum Manfredum Principem Tarentinum filium quondam Domini Federici Imperatoris. Et sic subitò arripuerunt iter Apuliam versùs. Eodem Anno pars illorum de Rubertis expulit partem illorum de Sesso de Civitate Regii.

B

De Anno MCCLXVI. fuerunt magni conflictus, & quasi miracula per universam Italiam. Eo Anno Carolus Rex ivit contra Manfredum, qui Regem utriusque Siciliæ se vocari faciebat, & die IX. Martii die Martis devicit Capitaneum prædicti Manfredi apud Pontem de Ceperano, & dictum Pontem cepit. Et post decem dies dictus Rex devicit Comitem Vicarium generalem dicti Manfredi apud Burgum S. Germani. Et post modicum tempus prædictus Manfredus devictus fuit à dicto Rege, & interfectus cum omnibus suis apud Beneventum. Eodem Anno Mutinenses iverunt ad obsidionem Montis Valarii, & omnes confinati missi fuerunt Imolam in confinibus, exclusis de Civitate eorum familiis: & hoc fuit die Dominico de mense Maji. Et castrametati sunt circa dictum Montem Valarium cum certa quantitate militum & peditum de Parma & Regio, & Soldaderiis Teutonicis, & Guelfis de Florentia, & Bononiensibus, & aliarum Nationum gentibus. Et ibi stando cum duobus millibus militum, & immensa multitudine Populi, & ballistariorum per quinque hebdomadas & ultra cum machinis tribus, sive trabuchis, totum Castrum die noctuque trahendo fregerunt, graviter inimicando iis, qui in dicto Castro erant, scilicet viris nobilibus Grasulfis expulsis per Aigones de Mutina, inter quos erat Dominus Ægidius filius Domini Manfredi de Piis, Dominus Matthæus de Gorzano, Dominus Henricus ejus frater, & Albertinus cum pluribus aliis de Gorzano, Dominus Bravus de Bravis, & filii Jacopini, & Aldrovandini Comitum de Gomola, & multi alii nobiles & probi viri tam milites, quàm pedites cum eorum Potestate Domino Guielmo de Montevelio; & poterant etiam esse in dicto Castro circa mille personæ, de quibus multi mortui, & vulnerati fuerunt, antequam Castrum haberetur, & etiam multi vulnerati, & aliqui morti traditi fuerunt ex illis, qui obsidebant; quorum nomina honestius propter bonum pacis puto sub silentio præteriri. Verumtamen per illos, qui erant in Castro, multa facta fuerunt, sicut illis, quibus mortis imminebat periculum, antequam dictum Castrum traderetur. Et primò per vim combusserunt Gattum, qui erat versùs Botaciam; & post paucos dies similiter combusserunt alium Gattum cum via cooperta, quæ erat versùs Serravalle. Et etiam combusserunt quoddam Botifredum, quod factum erat loco primi Gatti. Sed in fine propter aquæ penuriam destrerios & destrerias, & alios equos quasi C. perdiderunt, & panem cum vino temperatum propter necessitatem comedebant, & alia mala cibaria. Et succursum, per quem obsidio impediretur, habere non potuerunt, licèt Dominus Manfredus de Piis cum Domino Accursio de Montecucculo, & Grasulfis omnibus expulsis, cum Soldaderiis Teutonicis, & militibus de Tuscia, unà cum ducentis militibus Lambertaciis de Bononia juxta locum, qui dicitur Cancuacia, fuissent unanimiter ultra septingenti milites pro subsidio præbendo prædictis obsessis. Et die quarto Julii in Sabbato captum fuit per vim & combustum pa-

C

D

E

palancatum (*) dicti Castri, & die Dominico per concordiam salvis personis habitum fuit prædictum Castrum. Eodem Anno facta fuit Turris Sancti Lazari. Eodem Anno Brixienses fecerunt compositionem inter se redeundo ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ. Eodem Anno facta fuit pax inter Cives Regienses insimul. Eodem Anno Placentini expulsi redierunt in Civitatem, Legato Sedis Apostolicæ hoc procurante. Eodem Anno Florentini expulsi Guelphi redierunt in Civitatem Florentiæ per compositionem. Eodem Anno facta fuit Turris de Bugno Mutinæ.

De Anno MCCLXVII. vênit quidam Legatus Romanæ Ecclesiæ, qui procuravit, ut Marchio Palavicinus expelleretur de Civitate Cremonæ. Et sic expulsus fuit. Et tunc Civitas Cremonæ vênit ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, quod numquam fecerat; & Cremonenses, qui per XX. annos & ultra iverant exulando per totum orbem, redierunt in eorum Civitate & domibus. Eodem Anno Parmenses obsederunt Burgum S. Donini, in quorum subsidio iverunt CC. milites & CCCC. pedites Mutinenses prælecti. Et tunc Dominus Boxius de Doaria, qui erat in confinibus propter suspicionem, fregit confines, & reclusus fuit in Arce sua, tenendo etiam Castrum Tozolli. Quæ duo Castra incontinenti à Lombardis, scilicet Mediolanensibus, Cremonensibus, Brixianis, Placentinis, Parmensibus, Reginis, Mutinensibus, & Bononiensibus obsessa fuerunt. Eodem Anno emtum fuit Castrum Mirandulæ per Mutinenses cum Motta Papazzonum pro XX. millibus librarum Mutinæ; & munitiones dictorum locorum demolitæ, & radicitus extirpatæ sunt. Eodem Anno expulsa fuit pars Gibellina de Civitate Florentiæ, & obsessa in Podio Bonizo per Carolum Regem, & ultimo die Novembris habitum fuit per compositionem. Eodem Anno habitum fuit Castrum Montis Stephani à Mutinensibus, quod relictum & combustum fuerat à Grasulfis, qui in eo erant; qui timore Mutinensium, & Abbatis, qui cum machinis duabus sive Trabuchis dictum Castrum obsederant, quadam nocte illæsi Brandulam, ubi erant alii, confugerunt. Eodem Anno Conradinus filius Regis Conradi de mense Septembri vênit Veronam cum tribus millibus militum de Alemannia; & erat secum Dux Austriæ, & Dux Bavariæ, & Comes de Tirolo, & ibi stetit per quatuor menses, & postea ivit Papiam, & postea cum paucis ivit ad quemdam Portum dictum Finale, Marchionis de Caretto.

De Anno MCCLXVIII. Conradinus supradictus transivit per mare cum magno periculo, & ivit Pisas, & post exercitus suus per Terras de Malaspinis sequutus est eum, & cum Pisanis devastavit agrum Lucensem. Eodem Anno dictus Conradinus ivit Senas, & misit suos milites cum Senensibus in Episcopatu Florentiæ, qui devicerunt & ceperunt Marescalum Regis Caroli cum suo exercitu. Eodem Anno die ultimo Aprilis erecta fuit statua marmorea *Bonissimæ* in plateis Civitatis Mutinæ. Eodem Anno Mutinenses iverunt ad obsidendum Castrum Brandulæ die XXVI. Augusti, & paulò ante videlicet in Vigilia Assumtionis illi, qui erant in Castro Brandulæ, timore Mutinensium, ut dicunt, ne in præjudicium suum ibi facerent munitiones, Canonicam cum Turri Ecclesiæ Virginis combusserunt. Et dum dicti Mutinenses essent circa dictum Castrum, fecerunt duos Cagasuptos ex una parte Castri, & cum tribus machinis sive trabuchis die noctuque viriliter expugnarunt per quatuor hebdomadas, & ultra. Tamdem per compositionem habitum & combustum fuit dictum Castrum. Eodem Anno Carolus Rex cum sex millibus militum & Conradinus cum novem millibus apud Civitatem Aquilæ prœliaverunt insimul, ita quòd septem millia cum calcaribus mortui sunt ex utraque parte in vigilia S. Bartholomæi; & dictus Rex Carolus obtinuit pugnam, quamvis in principio succumbere videretur; & multi Barones & Nobiles ex parte Conradini capti fuerunt, scilicet Dominus Henricus Senator Urbis Romæ, & frater Regis Castellæ, & Comes Galvanus Apuleus, & filius suus, qui post paucos dies ambo decapitati fuerunt. Eodem Anno Conradinus, & Dux Austriæ, & Comes Gerardus de Pisis, qui è prœlio evaserant, capti fuerunt in quodam Castro, quod dicitur Sturia, & jussu Caroli Regis in festo omnium Sanctorum in Civitate Neapolitana decapitati fuerunt. Eodem Anno nocte sequenti fuit terræmotus magnus in illis partibus & alibi. Eodem Anno facta fuit compositio inter Parmenses insimul; & tunc per compositionem habuerunt Burgum S. Donini eo pacto, quòd liceret eis destruere Muros dicti Castri, quod factum est. Eodem Anno obiit Clemens Papa IV.

De Anno MCCLXIX. Dominus Jacopinus Rangonus Civis Mutinæ fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno Grasulfi Mutinenses, qui erant banniti, & habitabant in Episcopatu Bononiæ citra Renum versùs Mutinam, fuerunt expulsi ultra Renum ad preces dicti Domini Jacopini per Potestatem Bononiæ. Eodem tempore Cremonenses de mense Julii habuerunt Arcem Domini Bosii de Doaria, expulsi de dicta Civitate, quæ arx erat juxta Cremonam per decem milliaria vel circa. Eodem Anno Castrum Primarii, quod est in introitu Padi ad mare, ædificatum fuit per Bononienses.

De Anno MCCLXX. multi nobiles Mutinenses facti fuerunt Milites per Imperatorem Constantinopolitanum, scilicet Dominus Attolinus, & Dominus Guidottus de Rodilia, Dominus Forte de Livizano, & Dominus Grassonus, & Dominus Bernardinus de Grassonibus, & Dominus Rainerius de Dentibus de Balugola. Et multæ fuerunt Societates Baronorum hastilisantium. Et Potestas Mutinæ, scilicet Dominus Philippus de Asinellis de Bononia, cum Domino Jacopino Rangono, & multis aliis Militibus & Domicellis in Platea Communis Mutinæ tenuerunt arma cum equis totis coopertis. Eodem Anno Ludovicus Rex Franciæ cum Carolo Rege Siciliæ, & Odoardo filio Regis Angliæ cum innumerabili exercitu, ivit in Tunicem, & obsedit Regem Tunicis, & tamdem dictus Rex obiit ex pestilentia unà cum filio & nepote, & cum multis aliis, qui cum eo erant. Et dum alii redirent versùs Apuliam, submersi sunt in mare plusquam viginti millia hominum, & tunc alius filius major transivit per Mutinam. Eodem Anno expulsi fuerunt illi de Fontana de Civitate Ferrariæ à Marchione Estensi; & dicti de Fontana stando apud Galeriam graviter inimicabantur dicto Marchioni, & Civitati Ferrariæ, deprædando & multa mala faciendo. Eodem Anno facta fuit compositio inter prædictos de Fontana, & Marchionem Estensem, sed tamen positi fuerunt ad confinia ad voluntatem dicti Marchionis.

De Anno MCCLXXI. Dominus Scurta de Por-

(*) *Alibi* Palatium.

Porta Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Eodem Anno Dominus Nicolaus de Bazaleriis de Bononia electus fuit Capitaneus Communis Mutinæ. Eodem anno captum fuit quoddam Castrum in districtu Cremonæ, quod vocabatur Malgrà, & hoc industria Domini Jacopini Rangoni, qui tunc erat Potestas Cremonæ: propter quod electus fuit Potestas pro anno futuro. Eodem anno factum fuit Consilium de vigintiquatuor, & Societas Populi. Eodem anno in ultimis sex mensibus Dominus Nicolaus de Bazaleriis de Bononia fuit Potestas Mutinæ. Eodem anno Dominus Grasselonius de Grasseloniis de Regio fuit Capitaneus Populi Mutinensis. Eodem tempore Bononienses ceperunt Castrum Sancti Cæsarii. Quo audito Mutinenses ad sonum campanæ iverunt ad dictum Castrum, & ipsum per vim, projiciendo se in foveis, & impetuose cum equis & armis viriliter dimicando, ceperunt, vulnerando, capiendo, & interficiendo prædictos Bononienses. Eodem anno captum fuit Castrum Savignani, & dirupatum per Bononienses contra tenorem pacis. Eodem tempore Bononienses venerunt ad Pontem Sancti Ambrosii, & ad Pontem de Navicellis, & omnes Mutinenses iverunt viriliter contra eos, & defenderunt dictos Pontes, repellendo ipsos Bononienses; & tunc Parmenses venerunt in auxilium Mutinensium.

De Anno MCCLXXII. Dominus Andreas de Marane Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Dicto tempore Dominus Malacria de Malacriis de Placentia fuit Capitaneus Populi Mutinæ. Eodem anno fuit maxima penuria. Eodem anno die Veneris de mense Aprilis Marchio cum tota militia Ferrariensi, & magna peditum multitudine, & Parmenses & Cremonenses venerunt in subsidium Mutinensium; & hoc quia Bononienses traxerunt Carrocium suum in Platea, ut irent contra Mutinenses. Sed audito de subsidio prædicto retraxerunt dictum Carrocium in Ecclesia S. Petri; & consilium contra Mutinenses factum penitus evanuit, & destructum fuit. Eodem anno in ultimis sex mensibus Dominus Sarraxinus de Lambertinis de Bononia fuit Potestas Mutinæ. Eodem tempore Dominus Veneticus de Caccianimicis de Bononia fuit Capitaneus Populi Mutinæ, & dictus Dominus Sarraxinus abdicavit se à Magistratu, & Dominus Veneticus complevit terminum suum.

De Anno MCCLXXIII. Dominus Comacius de Galuciis de Bononia fuit Capitaneus Populi Mutinæ; & dicto tempore Rex Carolus dedit Dominum Ansaldum de Lavandariis de Placentia Potestatem Mutinensibus. Eodem anno in ultimis sex mensibus Dominus Guilielmus de Odoinis de Cremona fuit Potestas Mutinæ. Et Dominus Veneticus de Caccianimicis de Bononia fuit Capitaneus Populi Mutinæ. Eodem anno die Martis de mense Septembri Papa Gregorius transivit per Civitatem Mutinæ, & ivit Placentiam, ubi erat oriundus.

De Anno MCCLXXIV. Dominus Matiolus de Galutiis fuit Potestas Mutinæ. Eodem tempore Dominus Jacopinus de Rubeis de Parma fuit Capitaneus Populi Mutinæ. Eodem tempore Mutinenses equitaverunt in subsidium partis Ecclesiæ Bononiam die Veneris primo Junii. Eodem tempore die Sabbati expulsi fuerunt Lambertacii de Civitate Bononiæ à parte Guelfa, & à toto Populo Bononiæ, & fuerunt etiam expulsi ultra duodecim millia Gibellinorum, qui iverunt Faventiam. Eodem anno in ultimis sex mensibus Dominus Matthæus de Corrigia Parmensis fuit Potestas Mutinæ.

De Anno MCCLXXV. Dominus Florensis de Florentia fuit Potestas Mutinæ. Eodem tempore Domnus Landulphus Abbas Nonantulæ mortuus fuit à filio Curtapellis de Nonantula, & ab Odorico Domini Ugolini de Savignano de Mutina. Eodem anno in ultimis sex mensibus Dominus Rolandus de Adigeriis fuit Potestas Mutinæ.

De Anno MCCLXXVI. Dominus Lazarius de Pistorio fuit Potestas Mutinæ.

De Anno MCCLXXVII. Rodulphus Rex Romanorum donavit Civitatem Bononiæ, & Comitatum Romandiolæ Papæ Nicolao III., & sic Ecclesia Romana facta fuit domina illarum Civitatum, & Terrarum.

De Anno MCCLXXVIII. Bononienses dederunt Civitatem Bononiæ, & Comitatum in manibus Pontificis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui erat Nicolaus III. patria Romanus, ex familia Ursina. Eodem anno Pontifex misit quemdam Fratrem Laurentium Ordinis Prædicatorum ad tractandam pacem inter Jeremienses Guelphos, & Lambertatios Gibellinos Bononienses expulsos.

De Anno MCCLXXIX. Papa Nicolaus Ursinus elegit Dominum Bertoldum ejus fratrem Comitem Romandiolæ, & Potestatem Bononiæ. Eodem tempore facta fuit pax inter Acharisios, & Manfredos expulsos de Faventia. Eodem anno die XXVII. Septembris ad instantiam dicti Fratris Laurentii facta fuit pax inter Gibellinos & Guelphos, Bononiam tunc regentes; & dicti Gibellini redierunt Bononiam concorditer. Eodem Anno die XXI. Decembris Gibellini Bononienses, scilicet Lambertatii, fuerunt expulsi iterum de Bononia per Guelphos.

De Anno MCCLXXX. Thebaldus tradidit Faventiam Bononiensibus. Eodem anno de mense Augusti obiit Papa Nicolaus de domo Ursina, & creatus fuit Martinus IV. natione Gallicus.

De Anno MCCLXXXI. Guelphi de Faventia debellati fuerunt à Gibellinis de Forlivio apud Durbechum. Eo anno die primo Maji Galli cum Capitaneo suo, qui vocabatur Dominus Johannes de Apia, conflicti fuere apud Furlivium. Eodem anno in ultimis sex mensibus Dominus Guilielmus de Rubeis de Parma fuit Potestas Mutinæ.

De Anno MCCLXXXII. Dominus Cleregatius de Moncelexi fuit Potestas Mutinæ. Eodem anno in ultimis sex mensibus Dominus Palmerius de Fontana fuit Potestas Mutinæ.

De Anno MCCLXXXIII. Civitas Forlivii vênit ad mandata Romanæ Ecclesiæ, & fuerunt splanatæ fossæ. Et tunc omnes Gibellini Bononienses, qui erant in dicta Civitate, expulsi fuerunt. Eodem anno in ultimis sex mensibus Dominus Matthæus de Corrigia Parmensis fuit Potestas Mutinæ.

De Anno MCCLXXXIV. Dominus Jacobus de Unzola fuit Potestas Mutinæ. Eodem anno Dominus Guido de Corrigia Parmensis per duos menses post mortem Domini Jacobi fuit Potestas Mutinæ. Eodem anno expulsa fuit pars illorum de Saxolo, de Savignano, de Grassonibus, cum omnibus de parte sua die penultimo Julii de Mutina per illos de Rangonibus, & de Buschetis, & sequacibus suis die Dominico. Eodem anno fuit sconficta de Montali, scilicet inter Rangonos, & Buschetos, & sequaces eorum ex una, & illos de Saxolo, de Savignano, & Grassonos, qui erant extorres Mutinenses, & ibi

& ibi fuit magna ftrages ex utraque parte. Sed Rangoni, & Bufcheti habuerunt pejus.

De Anno MCCLXXXV. fuit fconficta de Gorzano inter prædictos intrinfecos, & extorres Mutinenfes; fed extorres victi fuerunt, & magnam ftragem acceperunt. Eodem Anno die V. Januarii obiit Carolus Rex, de cujus morte fuit magna lamentatio in Civitate Mutinæ, & in Lombardia, quia valde à Guelphis diligebatur. Eodem Anno obiit Papa Martinus die XXV. Martii, & fucceffit Papa Honorius de Sabellis de Roma. Eodem Anno in ultimis fex menfibus Henrigettus de Martinengis de Brixia fuit Poteftas Mutinæ.

De Anno MCCLXXXVI. facta fuit pax inter intrinfecos & extrinfecos Mutinenfes, videlicet Rangonos, Bufchetos, & fequaces ex una, & illos de Saxolo, de Savignano, & de Graffonibus ex altera. Eodem tempore Manfredi de Faventia, & Maginardus de Sufenana expulerunt gentes Ecclefiæ de Faventia. Eodem Anno in ultimis fex menfibus Dominus Ugolinus de Rubeis de Parma fuit Poteftas Mutinæ.

De Anno MCCLXXXVII. expulfi fuerunt illi de Canoffa de Civitate Regii die IX. Aprilis. Eodem tempore Tripolis Civitas capta fuit à Saracenis. Eodem Anno pars Grafulforum, & pars illorum de Saxolo extrinfecorum Mutinæ fecerunt focietatem infimul, & cum Veronenfibus & Mantuanis venerunt Mutinam, & ceperunt Portam Bajovariam, ubi multi mortui fuerunt, & capti, & judicati de parte illa; & iterum expulfi fuerunt illi de Saxolo de Civitate Mutinæ in Vigilia Nativitatis Domini cum fequacibus fuis. Eodem Anno in fefto S. Nicolai Frater Philippus de Bufchetis factus fuit Epifcopus Mutinæ.

De Anno MCCLXXXVIII. pax Grafulforum & Aigonorum extrinfecorum, & Aigonorum intrinfecorum Civitatis Mutinæ facta fuit per Epifcopum Mutinæ, quæ obfervata non fuit per Aigonos extrinfecos.

De Anno MCCLXXXIX. die Dominico XXIII. Januarii Obizo Marchio Eftenfis electus & factus fuit Dominus Civitatis Mutinæ, & heredes ejus per Aigonos intrinfecos. Et tunc Aigoni extrinfeci reverfi fuerunt in Civitate Mutinæ, & reftituti in omnibus juribus & bonis fuis.

De Anno MCCXC. Dominus Bernardus, & Dominus Lappus de Rubeis de Parma fratres fuerunt Poteftates Mutinæ. Dicto tempore dominium Civitatis Regii datum fuit Marchioni Eftenfi, & mifit ibi Dominum Bernardum Rubeum Vicarium. Dicto tempore factum fuit paffagium ultra mare per Mutinenfes.

De Anno MCCXCI. die XVIII. Maji Civitas Acræ capta fuit per Saracenos die Veneris. Eodem Anno Melecaftraphus Rex Turcorum cepit Ptolemaidem, quæ fola adhuc tenebatur à Chriftianis in ora Syriæ.

De Anno MCCXCII. Dominus Mazoldus de Griffis fuit Poteftas Mutinæ.

De Anno MCCXCIII. Obizo Eftenfis Marchio, Ferrariæ, Mutinæ, & Regii Dominus obiit. Et die Mercurii in vigilia S. Leonardi incœpti fuerunt fturmi & rumores in Civitate Mutinæ inter illos de Rangonibus, Bufchetis, & fequaces ex una, & illos de Saxolo, de Savignano, & Graffonos, & fequaces ex altera, quia Dominus Lanfranchus de Rangonibus infalutato hofpite, & finè licentia Marchionis Eftenfis recefferat, Ferraria, & venerat Mutinam; & ipfa de caufa Dominus Thomaxinus de Saxolo de mandato Marchionis fequutus fuit eum Mutinam ufque; qui fturmi duraverunt ufque ad horam Completorii undique per Civitatem Mutinæ. Et tamdem Rangoni & Bufcheti, & fui fequaces pofiti fuerunt in fugam, & fuccubuerunt fturmis; & facti fuerunt confinati ex utraque parte, & condemnati, & folverunt condemnationes. Et dicto Obizoni fucceffit in dominio Azzo Marchio, exclufis Aldrovandino, & Francifco fratribus fuis. Eo tempore domus Domini Bartholomæi de Spicialibus deftructa fuit pro partibus, quæ erat apud Crucem de Lapide fuper Strata.

De Anno MCCXCIV. cœptum fuit prœlium inter Azzonem Marchionem Eftenfem, & Commune Paduæ. Qui Marchio ivit in Agro Patavino, maxima damna inferendo, & fecit magnum exercitum Ferrarienfium, Mutinenfium, & Reginorum, & aliorum contra dictum Commune.

De Anno MCCXCV. Dominus Gerardus de Jofana de Cremona fuit Poteftas Mutinæ. Et dicto Anno in ultimis fex menfibus Dominus Petrus Confalonerius de Brixia fuit Poteftas Mutinæ.

De Anno MCCXCVI. refectum fuit, & levatum Caftrum Bazani per Azzonem Marchionem Eftenfem de menfe Aprilis. Et ftatim cœptum fuit prœlium inter Bononienfes, & Azzonem, & Commune Mutinæ. Qui Bononienfes obfederunt dictum Caftrum per duos menfes & ultra cum trabuchis & aliis ad bellum pertinentibus, continuè machinando & trabuchando. Tamdem deficientibus victualibus his, qui in Caftro erant, & etiam equis comeftis, dictum Caftrum Bononienfibus tradiderunt, Azzone non valente dictum exercitum expellere. Eo tempore Dominus Nordolus de Nordolis, qui erat expulfus de Imola, cum aliis expulfis cepit Caftrum Maffæ de Imola. Eo tempore Bononienfes equitaverunt Mutinam versùs, & fecerunt aliqua damna noctis tempore, & in reverfione per proditionem ceperunt Caftrum Savignani in fefto Sancti Michaëlis, & multi de dicto Caftro mortui fuerunt.

De Anno MCCXCVII. Dominus Recrovatus de Rivola de Pergamo fuit Poteftas Mutinæ. Eo Anno in ultimis fex menfibus Dominus Dinus de Porta de Luca fuit Poteftas Mutinæ.

De Anno MCCXCVIII. Bononienfes equitaverunt ufque ad Sanctam Agnetem in Burgo Mutinæ; cujus caufa fuit tam magnus canum latratus in Civitate & Burgis, quòd homines de Burgo clamantes propter adventum inimicorum numquam potuerunt intelligi ab exiftentibus in muris Civitatis, nec ipfi cives inter fe loquentes poterant intelligere fe. Propter quod omnes canes banniti fuerunt de Civitate Mutinæ, ita quòd omnes poffent interficere eos impunè. Eo tempore Marchio Eftenfis mifit Dominum Ludovicum de Petrezanis equitem & armigerum probum ad diffidandum Commune Bononiæ, & mifit guantum battaliæ. Et Bononienfes fecerunt levare omnes paffus & cuftodiri.

De Anno MCCXCIX. facta fuit pax inter Bononienfes, & Marchionem Eftenfem, mediantibus Florentinorum Legatis, in quibus compromiffum de dicta pace factum fuit, & capti ex utrifque dimiffi funt. Dicto tempore facta fuit pax inter Bononienfes Guelphos regentes Civitatem, & Gibellinos expulfos; & multi redierunt; & arbitri fuerunt Dominus Maffæus Vicecomes Mediolanenfis, & Dominus Canis de la Scala Veronenfis. Dicto tempore ve-

venerunt ex ultramontibus maximæ parpalionum rubeorum multitudines, ita quòd aër erat totus plenus, & maximè per stratas publicas, & per stratam Regalem, & volabant Romam versùs.

De Anno MCCC. fuerunt nives maximæ, ita quòd oportebat continuè eas ex domibus projicere, & ninxit tota hyeme usque ad mensem Aprilis. Eodem Anno Bonifacius Papa VIII. concessit remissionem omnium peccatorum pœnæ & culpæ omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui hoc Anno irent ad Urbem ad visitandum cum devotione limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & ibi quindecim dierum moram traherent, Urbis Ecclesias quotidie visitando. Et sic innumerabilis Christianorum quantitas utriusque sexus juvenum & senum, tam citramontanorum, quàm ultramontanorum citra mare ivit ad dictam veniam acquirendam; & pedibus ire non valentes, equis & aliis animalibus accedebant; & multi juvenes pecuniam non habentes, patres & matres super humeris & collo portabant. Et tanta pax & quies fuit per totam Italiam, quòd omnes ibant undique securi ad ipsam Urbem, & fuit magna fertilitas omnium victualium Pontificatus Bonifacii Anno V. Dicto tempore Azzo Estensis Marchio tradidit Dominam Beatricem sororem suam, uxorem olim Judicis de Gallura, Domino Galeacio filio Domini Maffei de Vicecomitibus Domini Mediolani; quæ desponsata fuit in Prato Entesini, Burgi Bajovariæ Mutinæ. Facta fuit maxima curia omnium necessariorum, & solemnitatibus maximis observatis, videlicet ibidem tentoriis extensis, & super ripa Formiginis à latere Salicetæ à mane dicti Formiginis, à ponte de Rosta usque ad summum dicti Prati, constructo ibi quodam ballatorio de asseribus cooperto pannis bixinis, super quo morabantur ad spectandum dictam curiam, & alia multa.

De Anno MCCCI. Carolus Andegavensis transivit per Mutinam, ibidem per Marchionem Estensem honorificè receptus, & præsentatus fuit: qui postea expulit Blancos de Civitate Florentiæ, aliàs Maltraversios.

De Anno MCCCII. Dominus Maffæus de Vicecomitibus depositus fuit de dominio Mediolani die XIV. Junii.

De Anno MCCCIII. de mense Septembri obiit Papa Bonifacius Anno IX. sui Pontificatus. Dicto tempore captum fuit Castrum Monzoni de Frignano, & restitutum Azzoni Marchioni Estensi, quod ante rebellaverat; ad quod capiendum & obsidendum Populus Mutinæ, & gentes Domini Marchionis steterunt per mensem & ultra cum machinis & aliis necessariis ad obsidendum.

De Anno MCCCIV. Dominus Albertus Scottus depositus fuit de dominio Civitatis Placentiæ, & per vim expulsus. Eodem Anno Bononienses equitaverunt Florentiam armata manu, & fregerunt Portam ipsius Civitatis, & ipsam Portam incenderunt, & multi intraverunt dictam Civitatem, & continuò inde redierunt, nihil aliud operantes. Eodem Anno Azzo Estensis Marchio duxit uxorem filiam Regis Caroli de Apulia in Civitate Ferrariæ. Eodem Anno Dominus Gibertus de Corrigia factus fuit Dominus Civitatis Parmæ. Eodem Anno Dominus Lanfrancus Rangonus obiit in Civitate Bononiæ præ nimio labore, quia venerat pluries die noctuque secretè ad Turrim de Gerlo causâ faciendi secretè pacem inter Savignanos & Boschetos antea per magnum tempus inimicos, quæ pax

A tacitè conclusa est. Quod intelligens Marchio Estensis misit ad Civitatem Ferrariæ in carceribus Dominum Bonadamum & Dominum Simonem de Boschetis & alios. Et tunc illi de Savignano recesserunt de Civitate Mutinæ occasione prædicta. Et postea die Dominico sequenti ipsi de Savignano redierunt ad mandata dicti Marchionis, tradentes ei omnia sua loca & Castra, quæ fecit dirupari, & sex ex ipsis de Savignano misit ad confinia.

De Anno MCCCV. Bononienses cum Rangonibus, & Buschetis, & illis de Savignano extrinsecis Mutinæ, quodam tacito tractatu venerunt ad Portam Saliceti Mutinæ; & tunc stipendiarii & Populus Mutinæ currerunt ad arma,

B & Raynerius veniens à Porta de Calcaneo versùs Plateam cum magna Populi caterva, obviantibus sibi stipendiariis Marchionis juxta Crucem de Lapide, interfectus fuit, & sequaces fugati. Et sic Bononienses cum extrinsecis Mutinensibus redierunt Bononiam re infecta. Et tunc per dictos Mutinenses extrinsecos captæ fuerunt Turres Pontis Sancti Ambrosii & per Commune Bononiæ munitæ. Et ipsa die quidam Accetus Mercator de Lana mortuus fuit super cantono Piscariæ, & omnibus bonis spoliatus. Et Dominus Potestas Mutinæ, idest Dominus Pantaleonus de Buzacharinis de Padua, inhonestè se habuit, quia personaliter ivit ad stationem dicti Acceti, quæ erat sub Palatio,

C & oneravit humeros suos de pannis in ea existentibus, & exportavit eos in Palatio Communis Mutinæ, ubi morabatur.

De Anno MCCCVI. Azzo Estensis Marchio die XXVI. Januarii amisit dominium Civitatis Mutinæ. Unde quidam Dominus Frischus filius suus naturalis vênit Mutinam, & subitò cum certis gentibus intrando Civitatem cœpit clamare: *Moriantur, moriantur proditores*. Quo audito stipendiarii ab equo & pedites currerunt ad arma in Platea cum balistis, armis, & aliis necessariis. Et tunc Populus Mutinæ concorditer currerunt ad arma, insultantes ipsum Dominum Friscum, & Dominum Fulcerium de Colbolis Potestatem Mutinæ, & stipendiarios,

D qui munierant aditus Plateæ, & ipsos inde fugaverunt, nullo dato vel accepto vulnere. Qui Dominus Frischus, & Dominus Potestas, & alii Officiales Domini Marchionis cum stipendiariis inde per Ruam Magnam fugerunt in Castro ipsius Marchionis juxta Portam Albareti. Equites ipsius Frischi erant DCC. & ultra, & pedites M. & tamen nullam pro suo Domino fecerunt defensionem. Die verò Jovis sequentis per pactionem tradiderunt dictum Castrum Communi Mutinæ, dimissis eis ire Ferrariam cum equis & armis. Et die Jovis sequentis dictus Marchio amisit dominium Regii. Et tunc electi fuerunt per Consilium Communis Mutinæ quatuor Potestates ad reformandum statum Communis

E Mutinæ cum mero & mixto Imperio & gladii potestate, quousque de novis Gubernatoribus provideretur. Et fuerunt Potestates, videlicet Dominus Paganellus de Oculis in Porta S. Petri, Dominus Gerardus de Bozalinis in Porta Albareti, Dominus Flingerius de Bonamicis in Porta Cittanova, Dominus Petrus de Romana in Porta Bajoaria. Et Ser Mutinensis de Costrignano fuit eorum Notarius. Dicto tempore extrinseci Civitatis Mutinæ cujuscumque conditionis redierunt in Civitate, non obstantibus bannis vel condemnationibus de eis factis. Et tunc Nobiles de Rangonibus, de Savignano, de Buschetis, & sequaces redierunt in Civitate, per

per convicinos eorum alacri vultu susce ti, qui iverunt obviam eis in Burgis S. Petri & Saliceti, ut eos in Civitate comitarentur. Et tanta alacritas exstitit in Civitate Mutinæ per totam æstatem & per totum ver, quòd Cives, & Populares continuè insimul convivabant, & tam senes quàm juvenes die noctuque per Civitatem ibant, zonas aureas, & argenteas, ac bursas, & serta florea continuè per Civitatem portando, & alia puerilia operando, quæ non dubito Deo displicuisse, pro ut inferiùs apparebit, colendo vana pro tanto beneficio sibi contributo à Deo. Eodem anno fuit tam magnum gelu, quòd glacies tam fluviorum quàm fossarum & vallium erant tam grossæ, quòd homines pedibus, & equo, & cum curribus ibant super ipsas, sicut super terram, ita quòd extincto rumore gentium dicti Marchionis homines burgenses & villani per ipsas fossas super glacies intraverunt in dictam Civitatem, prosternendo undique palancatum ipsius Civitatis. Accesserunt etiam tam rustici quàm imperiti Cives ad Palatium Communis Mutinæ, & Libros Causarum tam civilium, quàm criminalium, & memoralium furore ducti laceraverunt, & exportaverunt in maximum damnum singularium personarum, quamvis tunc sic non appareret. Arcana etiam Notariorum in dicto Palatio existentia, dispustulas, & strumenta, & scripturas, & etiam Libros Æstimorum existentes in scrineis dicti Palatii per Plateam undique laceraverunt, & alia multa puerilia & stulta operati sunt ipso anno. Dicto anno per sex menses post expulsionem dicti Marchionis Dominus Johanninus de Sancto Vitali Parmensis fuit Potestas Mutinæ. Dominus Mussus de Sabadinis fuit primus Capitaneus Populi. Et tunc Commune Bononiæ rogatu Communis Mutinæ & extrinsecorum Mutinensium, qui redierant in Civitate Mutinæ per expulsionem Marchionis, restituit ipsi Communi Mutinæ Pontem Sancti Ambroxii, & Turres ipsius, quas ceperat anno præterito, ut supra dictum est. Dicto anno illi de Savignano, de Buschetis, & certi alii eorum complices & sequaces existentes in carceribus Ferrariæ & confinibus redierunt Mutinam, facta permutatione in quibusdam Ferrariensibus captivis. Eodem anno Robertus filius Caroli Regis Apuliæ cum Florentinis, Senensibus, Lucensibus, Perusinis, & aliis Guelphis cepit Civitatem Pistorii, quam obsederat per decem & octo menses, dedentibus Gibellinis extrinsecis dictarum Civitatum propter defectionem victualium, qui muros dictæ Civitatis solo æquari fecit. Et Florentini, & Lucenses habuerunt dominium totius Diœcesis ipsius Civitatis; & Guelfi ipsius Civitatis extorres redierunt, & restituti fuerunt in omnibus suis bonis. Eodem anno pars Marchesana de mense Martii rediit in Civitate Bononiæ. Et per sex menses incipiendo de mense Augusti Dominus Johannes de Sancto Vitali fuit Potestas Mutinæ. Eodem tempore Dominus Bertolinus de Foliano fuit Capitaneus Populi. Eodem tempore facta fuit Capella juxta Ecclesiam Sancti Geminiani à latere desuper ipsius Ecclesiæ pro victoria expulsionis Marchionis Estensis & gentis suæ de Civitate Mutinæ, & dicta Capella vocatur *Victoria*.

De Anno MCCCVII. omnes electi ad Capitaneatum repudiaverunt officium, ita quòd Mutinenses caruerunt Capitaneis. Dicto tempore Capitanei de Nonantula per proditionem tradiderunt Castrum Nonantulæ Communi Bononiæ acceptâ pecuniâ, scilicet tribus millibus Libris. Quod Castrum erat Communis Mutinæ, existentibus ad custodiam ipsius Castri pro Capitaneis Imblavato de Saxis, & Jacobo de Zavarixis Civibus Mutinæ, qui meritò decapitari debebant propter eorum negligentiam; sed solùm condemnati fuerunt ad pecuniam. Sed tamen de tali scelere dicti Capitanei meritas pœnas dederunt; quare post certum tempus de bonis suis fuerunt spoliati, & ipsi interfecti, & eorum filii iverunt mendicando. Eodem tempore Archipresbyter de Guidonibus tractatu quorumdam Mutinensium cepit Castrum Finalis Communis Mutinæ die Jovis XIV. Martii. Qua re cognita orta fuit magna seditio inter Cives Mutinæ die Veneris, prope festum Resurrectionis Domini, & dissensio tantum crevit, quòd multi Nobiles & potentes Civitatis Mutinæ detenti fuerunt in Palatio Communis Mutinæ. Et statim omnes Cives curreruut ad arma, & multi congregati fuerunt in platea, scilicet Gibellini, & Nobiles de Saxolo, de Grassonibus, Bonifacius de Livizano, Dominus Manfredinus de Ganaceto & sequaces eorum; & alii multi congregati fuerunt ad Crucem de Lapide, scilicet Guelfi. Et demum qui ad Crucem convenerant, fuerunt expulsi, & fugerunt de Civitate Mutinæ, scilicet Savignani, Rangoni, Boscheti, Guidoni, Petrezani, Pizalbecarii, & multi alii Guelfi, qui noviter redierunt; & ii, qui detenti erant in Palatio de parte expulsa, remanserunt in carcere in Palatio olim nominato Palatium Antianorum, in quo carceres eisdem factæ fuerunt. Et illi, qui erant de parte victrice, relaxati fuerunt.

De Anno MCCCVIII. Azzo Marchio Estensis obiit, relicto Frischo filio Domino Ferrariæ, qui post paucos menses dedit Civitatem Ferrariæ Dominis Venetis. Et dicto Anno Gerardus de Savignano Mutinensis fugit è carcere.

De An. MCCCIX. facta fuit campana, qua pulsantur horæ, quæ erat Librarum MMDCCCCL. Eodem Anno Pellagrua Legatus Pontificis recuperavit Ferrariam occupatam à Venetis.

De Anno MCCCX. Dominus Manfredinus de Saxolo obiit, & sepultus est in Ecclesia Sancti Francisci Mutinæ. Et dicto Anno Castrum Marzalæ à Mutinensibus destructum & desolatum fuit.

De Anno MCCCXI. fuit magna penuria, ita quòd frumentum vendebatur Mutinæ Libris tribus, & Faba Libris duabus & solid. quatuor, & Milica Lib. una, & solid. quatuordecim, & sextarium Speltæ Libr. una & solid. quinque.

De Anno MCCCXII. Rangoni, & illi de Rodilia, & Boscheti, & Guidoni recesserunt à Mutina propter metum, quia tractaverant quemdam tractatum cum Bononiensibus. Et dicto Anno illi de Saxolo cum auxilio Bononiensium venerunt Bajoariam, & illic complures domos incenderunt. Et Dominus Franciscus de la Mirandula, qui erat Vicarius Imperialis, captus fuit, & interfecti XL. homines. Et dicto Anno Bononienses ceperunt Pontem S. Ambrosii, & die sequenti venerunt in Burgo Saliceti, & iverunt ad Ecclesiam Trinitatis, & eam arserunt. Et dicto Anno die V. Octobris data fuit Civitas Mutinæ Domino Passarino. Et die XIV. cum Populo Mutinensi ivit ad Plebem Cittanovæ, & dictam Plebem per vim ceperunt, & Archipresbyterum de Guidonis cum duodecim sociis ceperunt, & eum posuerunt in carcere, ubi cum sociis vitam suam finivit.

De Anno MCCCXIII. die XX. Aprilis Turris Cittanovæ, idest Plebis Cittanovæ Turris solo æquata fuit, quæ, ut in marmore scriptum reper-

pertum est, ædificata fuerat antea An. DCCCXI.

De Anno MCCCXIV. die XX. Augusti fuit magna tempestas cum maximo vento, quæ à Mutina usque ad Formiginem maximam arborum quantitatem humi prostravit.

De Anno MCCCXV. murata fuit Porta Bajovaria, & Porta Saliceti Mutinæ.

De Anno MCCCXVI facta fuit fovea seu fossa Burgi Cittanovæ Mutinæ.

De Anno MCCCXVII. factum fuit dormitorium Fratrum Minorum.

De Anno MCCCXVIII. Zacharias de Tosabechis de Mutina abstulit castrum Carpi à Domino Passarino. Eodem tempore nocte sequenti Dominus Franciscus de la Mirandula, & Dominus Guido de Piis, & Populus Mutinensis currerunt ad Plateam clamando: *Populo*: *Populo*. Et sic abstulerunt Mutinam dicto Domino Passarino; & milites Domini Passarini fugerunt in domo illorum de Fredo; sed tamen expulsi fuerunt è civitate Mutinæ; & Gubernatores, seu Officiales privati fuerunt omnibus suis bonis, & suppellectilibus. Et solùm trucidatus fuit unus de Populo, qui vocabatur Peregrinus Gallus faber. Et die sequenti captus fuit Ariverius de Magreda cum sociis. Dicto Anno Nicolaus de Fredo restituit castrum Spilamberti Communi Mutinæ, quod tenebat nomine dicti Passarini, & sic Johannes de Fredo liberatus est de carcere. Et per hoc illi de Fredo remanserunt in civitate. Dicto Anno die XVIII. Februarii illi de Magreda dederunt castrum Magredæ Communi Mutinæ, & propter hoc Ariverius de Magreda dimissus fuit è carcere. Eodem Anno die II. Aprilis Dominus Franciscus, qui erat Capitaneus pro Communi Mutinæ, misit ad confinia illos de Fredo, & illos de Magreda, & Dominum Gerardum de Bozallinis. Et statim iverunt Mantuam ad Dominum Passarinum. Et incontinenti Mutinenses iverunt Villam Francam, quod erat castrum Bozallinorum, & Medullam, quod erat Johannis de Fredo, & ambo destruxerunt, & solo æquarunt. Eodem Anno die XXVII. Julii Dominus Canis de la Scala, & Dominus Passarinus, & illi de Fredo, de Magreda, & de Bozallinis venerunt in Burgo Cittanovæ Mutinæ, & illic steterunt aliquot dies, & post recesserunt.

De Anno MCCCXIX. die XVI. Maji Dominus Manfredus de Piis eripuit castrum Carpi Zachariæ Tosabecho. Eodem Anno finita fuit Turris Sancti Geminiani Mutinæ à quadro supra. (*) Eodem Anno Fratres Carmelitani venerunt primò ad standum Mutinæ, & emerunt ab Anselmo Zacharino casamentum, ubi etiam nunc habitant apud Portam Saliceti. Et dicto Anno Dominus Franciscus de la Mirandula iterum tradidit Mutinam Domino Passarino.

De Anno MCCCXX. Dominus Passarinus, fecit Capitaneum Mutinæ Dominum Franciscum filium suum.

De Anno MCCCXXI. Dominus Franciscus captus fuit, & obiit in carcere cum duobus filiis; scilicet Dominus Franciscus de la Mirandula. Et dicto Anno captus fuit Tosabechus, & tormentatus fuit, & expendit Libras duodecim millia. Eodem Anno Guido de Querceto condemnatus fuit Libras M. & caput; & solvit dictas Libras M. Et dicto tempore Dominus Franciscus Bonacossa obsedit castrum Mirandulæ. Et dicto tempore condemnatus fuit Zacharias Tosabechus die XVI. Septembris Libr. quinque millia. Eodem Anno die ultimo Septembris datum fuit castrum Mirandulæ per concordiam Domino Francisco Bonacossæ supradicto.

De Anno MCCCXXII. factum fuit Pulpitum in Ecclesia Cathedrali Mutinæ per Thomam de Fredo. Eodem Anno Dominus Passarinus cudere faciebat Monetas in civitate Mutinæ.

De Anno MCCCXXIV. factum fuit Palatium Speltæ super Strata Claudia Mutinæ. Eodem Anno factus est murus civitatis Mutinæ inter Portam Bajovariam & Cittanovam expensis Bartholomæi de Bajovaria rebellis Mutinæ.

De Anno MCCCXXV. Bononienses rupti & fugati fuerunt à Mutinensibus ad Zapolinum in agro Bononiensi.

De Anno MCCCXXVII. Dominus Passarinus amisit dominium Mutinæ.

De Anno MCCCXXIX. fuit universalis penuria.

De Anno MCCCXXXI. datum fuit dominium Mutinæ, Regii, & Parmæ Johanni Regi Bohemiæ die II. Maji pro Imperatore. Eodem Anno Turris Nobilium de la Molza solo æquata est, præcipiente Imperatore & Communi Mutinæ. Eodem Anno expulsus fuit de civitate Mutinæ Nicolaus de Fredo, qui ivit ad castrum Spilamberti. Eodem Anno die IV. Augusti Milites Ecclesiastici, & illi de Saxolo ceperunt castrum Formiginis Communis Mutinæ. Eo tempore die XV. Augusti Marchio Estensis cepit castrum Finalis, quod erat Communis Mutinæ. Eo tempore die XVIII. Octobris Milites Ecclesiæ & Bononienses rupti & fugati fuerunt à Mutinensibus in Villa Sorbariæ. Eodem Anno Manfredus de Piis, & Commune Mutinæ eripuerunt castrum Vignolæ Grassonibus Mutinensibus. Eodem Anno constitutum est Mutinæ, ut omnes expulsi possent redire Mutinam, exceptis Rangonibus, Grassonibus, Buschetis, & illis de Saxolo, & illis de Savignano.

De Anno MCCCXXXII. missi fuerunt aliqui Guelfi Populares Mutinenses ad confinia, & dicto Anno illi de Saxolo abstulerunt castrum Formiginis Communi Mutinæ. Et dicto Anno die primo Octobris illi de Grassonibus, & Joannes de Fredo missi fuerunt ad confinia Parmam; & facta fuit proclamatio Mutinæ, quòd omnes conducerent fœnum & paleam in civitate Mutinæ. Et die IV. Octobris Dominus Albertus de la Scala, & Dominus Guido de Gonzaga, & Raynaldus Estensis venerunt ad obsidionem Mutinæ in Burgo Ganaceti, & pars transiit Canale, & ivit ad Sanctam Catharinam, & ceperunt Turrim de Burgo. Et die IX. Octobris Mutinenses combusserunt Ecclesiam Misericordiæ, & Ecclesiam Sancti Thomæ in Burgo Cittanovæ, quæ erat,

(*) Sed ne tunc quidem perducta est Turris ad eam altitudinem, quæ nunc cernitur. Legitur adhuc marmore inscriptum operis hujus monimentum in circuitu marmorei pulpiti Cathedralis Mutinensis. Nempe Anno 1322. idem pulpitum, curante Thomasino de Ferro, filio Johannis, Massario Fabricæ, sive Operæ Sancti Geminiani, exstructum est, uti infra in ipsis Annalibus commemoratum leges. Ea verò occasione facta est mentio Turris ad suum culmen perductæ, non quòd eodem Anno 1322. utrumque opus perfectum fuerit, sed quòd ab eodem Thomasino Turri, non secus ac pulpito, finis impositus fuerit. Rudes versus accipe, adhuc ibi superstites.

Annis progressi de Sacra Virgine Christi
Undenis geminis adjunctis mille trecentis,
Hoc Thomasinus de Ferro, planta Johannis,
Massarius Sancti venerandi Geminiani
Fingi fecit opus, Turrem quoque fine nitere,
Actibus Henrici sculptoris Carpionensis.

Vide infra ad Annum 1322. ubi is appellatur *Thomas de Fredo*. Majorem fidem exposcit Marmor, ubi is *de Ferro* appellatur.

erat, ubi nunc est fovea vel fossa Burgi. Et die XI. Octobris combusserunt etiam Ecclesiam Sancti Lucæ. Et die XVI. Octobris combusserunt Turrim illorum de Borgonzinis. Et dicto Anno XVII. Octobris prædicti de Scala, & de Gonzaga, & Estenses ceperunt castrum Dinazani. Et die XIX. dicti mensis ceperunt Turrim de Murazzis de Sancto Lazaro. Et Mutinenses non audebant amplius exire de civitate. Et die XXVII. Octobris prædicti recesserunt ab obsidione Mutinæ, & iverunt ad obsidendum Sanctum Felicem. Et die X. Novembris fecerunt foveam circum circa Sanctum Felicem prædictum, quæ erat lata brachia XII. & cum una sepe circumquaque. Et die XXIII. Novembris Dominus Carolus filius Regis Bohemiæ cum Nobilibus Rubeis Parmensibus vênit Parma Regium, cum Nobilibus etiam de Fojano, & Manfredis, cum sexcentis equitibus Germanis, & à Regio venerunt Mutinam, & simul cum Populo Mutinensi iverunt ad Sanctum Felicem, & cum magno damno & dedecore fugaverunt, & fregerunt obsidentes dictum Castrum, & capti & interfecti fuerunt octingenti.

De Anno MCCCXXXIII. die XVIII. Januarii cœptum fuit prœlium inter Legatum Bononiæ, & Marchionem Estensem. Et die V. Februarii Legatus Bononiæ, & Commune Bononiæ iverunt ad obsidionem Ferrariæ. Et die VIII. Februarii Dominus Batajucius de Brancolinis, & ejus filii condemnati fuerunt Libris duodecim mille, & fugerunt de nocte. Et die XIX. Martii Mutinenses iverunt ad Castrum Spilamberti, & fecerunt magnum prœlium cum Nicolao de Fredo, qui erat rebellis Mutinensium. Et die XV. Maji Mutinenses devastaverunt Comitatum, & agros Spilamberti. Et die VII. Junii Mutinenses fecerunt treguam cum Nicolao de Fredo. Et dicto anno fusus fugatusque est exercitus Ecclesiæ à Raynaldo, & Nicolao Estensi cum auxilio Gonzagorum Mantuanorum, & Scalanorum, & Carrarensium, & capti fuerunt quasi omnes Duces: Galeottus Malatesta: Ricardus Manfredus Faventinus: Franciscus Ordelaffus Forliviensis: Hostasius Polentanus Ravennas. Romandiolæ Comes permutatus est cum Nicolao Estensi. Ceteri omnes hac conditione dimissi, ut contra Estenses ampliùs non militarent. Et Rex Bohemiæ posuit præsidium suum in Civitate Mutinæ & Regii; & dedit Parmam Rubeis, & abiit in Bohemiam.

De Anno MCCCXXXIV. die XXVII. Maji prædicti de la Scala, & Marchio Estensis, & illi de Gonzaga venerunt, & castrametati sunt apud flumen Situlæ inter Pontes scilicet Altum, & Bassum: omnes illos agros circumvicinos deprædati sunt, idest Agrum Campigajani, & Soleriæ, & Carpi, & Cortile, & Villam-novam, & Lisignanam, Salicetum de Bozallinis, Panzanellum, & Ganazetum. Postea transierunt in Agro Regiensi die ultimo Maji. Et die II. Junii Mutinenses explanaverunt, & devastaverunt domos illorum de Fredo. Et die IV. prædicti Mutinenses castrametati sunt apud Spilambertum, & devastaverunt omnes segetes. Et die IV. Decembris captus fuit Johannes de Fredo, & strangulatus in carcere; & Præpositus illorum de Fredo dicti Johannis nepos interfectus fuit in domo sua. Hoc tempore floruit Nicolaus Mattarellus Jurisconsultissimus Mutinensis, qui composuit multa. & maximè super Digestis & Codice, quamvis pauca reperiantur.

De Anno MCCCXXXV. factum fuit Burgum Cittanovæ in butifredo. Et die XI. Junii Marchio Estensis, & Marchio de Gonzaga venerunt super Formigine de subtus, & desuper usque ad Sanctam Mariam Novam, & combusserunt omnes domos, & omnes arbores inciderunt, & vites, & fœnum, & segetes in Villa Fredi, & Rami, & Campigajani, & in aliis Villis. Postea venerunt in Burgo Albareti, & illic fabricaverunt Castellum magnitudinis Spilamberti, cum foveis, & palancatis, & butifredis. Et die X. Julii Matthæus, & Manfredinus de Gorzano expulsi fuerunt de civitate Mutinæ, qui iverunt & ceperunt Campum Gajanum, & eum tradiderunt Marchioni Ferrariæ. Et die XXV. Julii Bozallini tradiderunt castrum Villafranchæ Marchioni Ferrariæ. Et die XXVI. Julii illi de Magreda rebellarunt Communi Mutinæ. Et die XXX. Augusti Nicolaus Marchio vênit ad obsidionem Formiginis, & incidit arbores, & combussit maximam partem domuum in Villa Salicetæ, Sancti Madri, & Bajoariæ, & Caxenalbi. Et die XXVI. Novembris dictus Marchio cepit castrum Spezzani. Et dicto anno fuit maxima pestis Mutinæ.

De Anno MCCCXXXVI. vendita est salis libra Mutinæ solid. duobus. Et die VIII. Maji Marchio Estensis habuit dominium Mutinæ. Et die I. Junii Andreas Capellina Massarius Sancti Geminiani fecit poni gradas ferreas ante altare Sancti Geminiani, & illas, quæ sunt sub portili.

ADDITAMENTA VARIA.

De Anno MCCCXLIII. Castrum Marzaleæ reædificatum fuit per Opizonem Estensem.

De Anno MCCCXLVII. die X. Decembris Rex Hungariæ intravit in civitatem Mutinæ cum CCC. equitibus, & honorificè receptus est. Et die XVII. Januarii intravit Neapolim à Populo vocatus. Eodem anno Turris Sancti Geminiani Mutinæ è cœlo percussa est, occiso habitatore ejus.

De Anno MCCCXLVIII. die XXVI. Januarii die Jovis fuit magnus & generalis terræmotus. Et die VII. Februarii die Jovis de nocte fuit etiam magnus terræmotus. Et fuit morbus, quem Inguinariam dixerunt, tam magnus in civitate Venetiarum, ut vix centesimus quisque remanserit in dicta civitate.

De Anno MCCCL. pestis adeò per totam Italiam pervagata est, ut vix decimus quisque ex millesimo superfuerit, & ob hoc Jubilæum, multitudine hominum undique Romam confluente, & per totum triennium hæc pestis duravit.

De Anno MCCCLII. Clemens Sextus Pontifex moritur, & Avenione sepelitur. Eodem anno XVI. Calend. Decembris Innocentius VI. Pontifex creatur. Eodem anno Opizo Estensis moritur, & Aldrobandinus filius cepit dominium.

De Anno MCCCLIII. Aldrobandinus Estensis donavit castrum Spilamberti Aldrobandino Rangono.

De Anno MCCCLXI. Dominus Galasius de Piis abstulit castrum Capigajani Aldrobandino Estensi.

De Anno MCCCLXII. fuit maxima pestis in civitate Mutinæ, quæ duravit per quinque menses, & dicebatur, quòd obierant XXXVI. millia hominum. Et ego Petrus Taxonus recessi de mense Julii, & de mense Novembris reversus sum Mutinam; & inveni totam meam familiam obiisse.

De Anno MCCCLXIII. die Jovis in media nocte fuit magnus terræmotus, & sonavit ter.

De Anno MCCCLXXIII. Secta Hominum, quæ vulgariter *la Setta degli Uuomini de la Centura* dicebatur, transiit per Italiam, & fuit magna res visu.

De Anno MCCCLXXVI. Imago ænea Sancti Geminiani posita fuit supra Portam magnam Ecclesiæ Cathedralis Mutinæ.

De Anno MCCCLXXX. factus fuit Pons Bassus supra flumen Situlæ. Et dicto Anno muri civitatis Mutinæ sunt perfecti.

De Anno MCCCLXXXI. muri Mutinæ completi sunt, & tota civitas muris circumdata est.

De Anno MCCCLXXXII. die V. Augusti Dux Alanzonii, & Dux Savojæ transierunt per Mutinam cum DC. equitibus.

De Anno MCCCXCI. factum fuit Ferrariæ Palatium, quod vocatur Paradisus, & aliud quod vocatur Pulcher Flos.

De Anno MCCCXCV. ædificatum fuit Castrum Vetus Ferrariæ. Eodem Anno die primo Junii suspensi fuerunt quatuordecim homines in Mutina ad Portam Saliceti; & hoc propter quoddam tractatum, quod habebant cum aliquibus Nobilibus Mutinensibus, ut traderent Mutinam Patri Thaddæi Marchexii. Eodem Anno Nicolaus Marchio Estensis Comitatum Ruigi pignoravit Venetis pro Ducatis sexaginta millibus.

De Anno MCCCXCIX. fuit Societas, quæ vocabatur Societas Alborum. Et die XX. Julii die Dominico hora Quinta fuit magnus terræmotus, & Sexta hora sonata fuit alius.

De Anno MCCCCIV. Nicolaus Marchio Estensis die XXV. Aprilis ivit ad obsidendum Regium.

De Anno MCCCCVIII. Nicolaus Marchio Estensis cœpit prœliare cum Domino Ottone Tertio Parmensi. Et die XXVII. Aprilis dictus Dominus Otto cucurrit usque ad Portam Bajovariam Mutinæ; & in illo interim Sfortia vênit Mutinam, & cum suis militibus unà cum Domino Giberto de Corrigio, & Ferro de Sancto Felice exierunt ex civitate Mutinæ, & magnum prœlium commiserunt, in quo Dominus Otto habuit pejus.

De Anno MCCCCIX. die XXVII. Maji Sfortia supradictus interfecit dictum Dominum Ottonem in Villa Vallis Viridis Comitatus Regii, & portatus fuit Mutinam, & corpus suum factum fuit in quatuor partes, & ad Portas Mutinæ suspensum, & caput super Turrim positum.

De Anno MCCCCXVI. die X. Septembris, casu combustum est Palatium Communis, ubi Memorialis crematus est, & apotheca illorum de Zandoriis sub dicto Palatio, quæ fuit ruina prædictorum de Zandoriis.

De Anno MCCCCLXV. factus fuit Chorus Ecclesiæ Cathedralis Mutinæ per Christophorum Lendenarium Mutinensem.

De Anno MCCCCLXXI. Borsius Estensis factus est à Paulo Pontifice Dux Ferrariæ in civitate Romæ. Eodem Anno die XIX. Augusti Borsius Estensis Dux Ferrariæ obiit. Eodem Anno Hercules Estensis factus fuit Dux Ferrariæ, Mutinæ, & Regii.

De Anno MCCCCLXXII. natus est Alphonsus filius Herculis Estensis Ducis Ferrariæ Secundi.

De Anno MCCCCLXXXII. Hercules Estensis Dux fecit vehi Ferrariam ex Mutina octo millia asseres, & multas trabes, & alia ligna, ut faceret defensiones Ferrariæ contra Venetos inimicos. Et dicto tempore præceptum fuit omnibus Fabris lignariis Mutinensibus & Regiensibus, ut irent Ferrariam ex mandato Herculis Ducis Estensis, ut facerent dictas defensiones, seu munitiones. Et dicto tempore Dominus Rubertus de Sancto Severino Capitaneus Venetorum vênit Melariam cum exercitu die primo Maji; & die quarto Maji cœperunt fugere multi cives Ferrarienses propter metum belli, & multi fugerunt Mutinam, ubi solvebant magnum affictum domuum. Et die XVIII. Maji dictus Dominus Rubertus Venetorum Capitaneus cepit Melaram, Bergantinum, & Castrum Vetus; & per totum mensem Junii dictus Capitaneus obsedit Figarolum, & cepit; & interfecti sunt ex utraque parte duo millia hominum. Et die XVIII. Novembris Populus Mutinensis cucurrit ad Portum Navium, & ibi abstulerunt magnam quantitatem fabæ Gallanino nautæ, qui vehebat Ferrariam. Et etiam currerunt ad Palatium Domini Aurelii de Bellencinis in Burgo Albareti, & abstulerunt multum frumentum, fabam, & speltam, & suppellectilem, & bestias; & illo die iverunt ad Sanctum Johannem de Cantono, & abstulerunt etiam magnam quantitatem frumenti & fabæ. Et sequenti nocte Villani venerunt ad Palatium Domini Antonii de Valentinis in Burgo Saliceti, & abstulerunt partem sui frumenti. Sed cives hoc audientes, venerunt in auxilium cum tibicine, & Villani fugerunt. Et nocte sequenti deprædata fuit domus unius Vaccarii Episcopatus Mutinæ in Burgo Sancti Petri à quibusdam Villanis. Et nocte sequenti in Spilamberto deprædata fuit una domus plena frumento & faba, quæ erat Jacobi de Foliano & Nicolai Portæ. Et dicta nocte illi de Castelnovo deprædati sunt frumentum & fabam, quæ erat Antonii & Ludovici Furnii in dicto castro. Et dictis noctibus deprædatus fuit Johannes Martinus, & Johannes de Zuchulis in Villa Bajoariæ & Curli. Et die XXVII. Novembris Rustici Mutinenses exonerati fuerunt de solutione taxarum. Et die XXX. Novembris Dominus Torellus hora septima noctis introivit in castro Montecli, & Regienses præparaverunt se succurrere Arcem, sed intellexerunt illam esse deditam. Et dicto tempore dictus Dominus Torellus habuit castrum Cuvriagi. Et die III. Decembris exercitus Venetorum cepit Fossatum Zanioli.

De Anno MCCCCLXXXIII. die 24. Aprilis Bartholomæus Follus nauta Mutinensis submersus est cum sua navi sub Ponte Bondeni; perierunt homines XXII. & unus Johannes Cortexius Mutinensis. Et die primo Maji Gerardus Rangonus Comes ivit cum multis personis armatis, ubi aliquantum prœliatum est, & multi vulnerati fuerunt. Sed Nicolaus Rangonus Comes die sequenti concordavit eos. Et dicto tempore die XVIII. Augusti Dominus Marcus de Piis comburi fecit Molendinum de Sancto Martino de Situla, & domum Lanfranchi de Bellencinis Mutinensis. Et die XI. Septembris Dominus Albertus Strozza vênit Mutinam Commissarius. Et die XV. cepit Grimaldum de Grimaldis, & Dominicum de Capellis & eos suspendere fecit, ita quòd propter metum fugerunt plusquam mille homines: & hoc propter deprædationem navis supradictæ. Eodem Anno de mense Septembris Antonius Borzanus credens invenire thesaurum, cavavit fossam in domo sua, & invenit capsam plumbeam, quæ erat Librarum DCCC. ubi erat sepultus unus *Filadelfus* nomine, sicut in Epitaphio apparebat.

De

De Anno MCCCCLXXXVII. die XVIII. Junii combustum fuit Molendinum illorum de Trimbochis, & molæ ruptæ, quod est super strata Claudia inter Cittanovam & Campum Longum. Et illa nocte incisæ fuerunt vites, & devastatus hortus Sanctæ Agathæ in Mutina, cujus Rector erat Donus Antonius Magagnollus.

De Anno MCCCCLXXXVIII. die XIX. Augusti ego Alexander filius Bernardini Taxoni, qui hic scripsi, natus sum.

De Anno MCCCCXC. die X. Aprilis Johannes Franciscus Balugola, & Bartholomæus Grilinzonus interfecerunt Matthæum Calabrensem Capitaneum Plateæ civitatis Mutinæ.

De Anno MCCCCXCI. Dominus Ludovicus frater Galeacii Sfortiæ Ducis Mediolani duxit uxorem filiam Herculis Ducis Ferrariæ nomine Beatricem.

De Anno MCCCCXCIII. die XVI. Maji Dominus Ludovicus Sfortia supradictus vênit Mutinam cum uxore sua, & fuit honoratus valde. Dicto Anno de mense Septembri Papa Alexander VI. fecit Cardinalem Donum Hippolytum filium Herculis Estensis Ducis. Et dicto Anno die ultimo Augusti in agro Bergomensi fuit magna ruina aquarum, quæ interemit plusquam duo millia hominum, & prostravit multas domos, & animalia multa interemit. Et dicto Anno die XXIX. Septembris vênit magna aquæ inundatio Mantuæ, ita quòd prostravit brachia CLIII. muri ipsius civitatis, & dicta inundatio fuit quasi universalis. Et dicto Anno die II. Octobris obiit uxor Ducis Herculis Estensis, quæ erat de domo de Aragonia. Et dicto Anno factum fuit Palatium Episcopatus Mutinæ, quod est versùs Ecclesiam Sanctæ Euphemiæ. Et dicto Anno uxor Domini Ludovici Sfortiæ peperit filium. Et dicto Anno Archiepiscopus Ravennæ portavit Corpus Christi in processione Mutinæ. Et dicto Anno Thomas Fedrenzonus de Campogajano cum duobus filiis & uno socio suspensi fuerunt in castro Mutinæ.

De Anno MCCCCXCIV. Frater Bartholomæus de Bononia Ordinis Minorum inchoavit Montem Pietatis Mutinæ: die XXIII. Februarii celebrata fuit Missa ab Episcopo de Montagnanis, & illa die facta prima offerta. Et die XIX. Martii dictus Mons cœpit præstare in domo Domini Cæsaris de Valentinis. Et dicto Anno factæ fuerunt repræsentationes miraculorum Sancti Geminiani in Platea Mutinæ. Et dicto Anno facta fuit domus illorum de Sadoletis super strata Claudia.

De Anno MCCCCXCV. die X. Septembris scalæ duæ, quæ erant in Platea ad Salam Palatii Notariorum, demolitæ fuerunt. Et dicto Anno de mense Septembris Dominus Johannes Baptista de Ferrariis de Mutina factus fuit Episcopus Mutinæ, & hinc ad modicum tempus creatus fuit Cardinalis per Papam Alexandrum. Et dicto Anno Franciscus Maria Rangonus Comes cum CD. peditibus ivit in Arce Januæ, ut eam custodiret pro Hercule Duce Estensi, qui habebat eam loco pignoris à Carolo Francorum Rege.

De Anno MCCCCXCVI. Maximilianns Imperator vênit in Italiam, & ivit Januam, & quæsivit habere dictam Arcem per proditionem. Et dicto Anno Albertus, & Gibertus de Piis Domini Carpi fecerunt magnam quantitatem militum, ut insimul prœliarent, sed jussu Herculis Estensis Ducis omnes discesserunt. Et sequenti die Mutinenses ceperunt Portas Carpi pro Duce Hercule prædicto, & eas tribus diebus tenuerunt. Et die XVI. Julii Hercules Dux ivit Carpum, & concordavit Dominos, scilicet Gibertum & Albertum. Et die XVIII. Julii Zampantus Ferrariæ homo crudelis interfectus fuit in camera sua à tribus Scholaribus, de quibus unus erat Vicentinus, alius Regiensis, & alter olim Hebræus. Et dicto Anno infirmitas, quæ dicitur vulgariter *el mal Franzoxo*, primò invasit Italiam. Et dicto Anno vênit Mutinam Cardinalis Sanctæ Crucis.

De Anno MCCCCXCVII. restituta fuit supradicta Arx Januæ Ludovico Sfortiæ die XV. Novembris. Et dicto Anno Beatrix filia Herculis Ducis Ferrariæ, & uxor Ludovici Sfortiæ Ducis Mediolani, obiit. Et dicto Anno Hercules Dux dissolvit officium bolettarum Mutinæ, propter quod facta fuit lætitia Mutinæ. Et die XII. Augusti Hercules Dux cepit dominium Carpi, & Dominos de Piis misit ad confinia. Et dicto Anno die II. Decembris Anna uxor Domini Alphonsi primogeniti Herculis Ducis obiit.

De Anno MCCCCXCVIII. die XXII. Aprilis capti fuerunt, & suspensi Mutinæ à furore Populi Clemens Begotus, Dominus Bastia de Cexis, & Blasius de S. Valentino, & hoc, quòd vulneraverant Dominum Franciscum Canitulum Bononiensem, acceptâ pecuniâ à Bentivolis, dicti Domini Francisci inimicis. Et die primo Junii Molendinum de Sancto Georgio Mutinæ demolitum, & ruptum fuit. Et die XXVII. Augusti cœptum est devastari caxamentum, ubi nunc est Ecclesia Sancti Hieronymi Mutinæ super Strata Claudia, quod donavit Comes Galeacius de Canossa Canonicis Regularibus, ut facerent Monasterium, quod caxamentum olim erat Fullus Nobilium de Rangonibus.

De Anno MDI. die V. Junii in Sabbato in tertia decima & quarta decima hora fuit magnus terræmotus Mutinæ, ita quòd non fuit domus, quæ non passa sit aliquod detrimentum; & omnes camini, & merli ruerunt, & occiderunt octo personas in civitate Mutinæ, videlicet in Platea, & alibi. Et castra Diœcesis Mutinensis, & præcipuè montana corruerunt quasi funditus, ut Castelvetrum, Maranellum, & Montezibium, & alia, quæ ego non vidi. Et hæc audivi, & vidi ego Alexander Tassonus; & die IX. dicti mensis Ecclesia Sancti Blaxii Mutinæ funditus ruit propter dictam causam.

FINIS.

CHRONICON
MUTINENSE

AB ANNO MCCCVI. AD MCCCXLII.

AUCTORE

BONIFACIO DE MORANO

NUNC PRIMUM EDITUM

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN MORANI CHRONICON MUTINENSE *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.


SI cujusquam Italicae Urbis, certe Mutinensis, hoc est Patriae meae, Historiam prae ceteris illustratam vellem. Et quidem diu vota mea frustrata dolui; nullum enim vetustum Chronicon de Mutinensium rebus exhibere poterant, non quod illa nobis defuissent, sed quod eorum monumenta aut jam tempus absumsisse videbatur, aut mihi perquirenti nondum fortuna objecerat. Quamquam enim habeamus Silingardi & Vedriani Historias editas, atque inter ineditas supersint adhuc Alexandri Tassonii Senioris, & Lancellotti, & Panini, & Briani Mutinenses Historiae, nullus tamen ex istis ante Annum 1500. vixit & scripsit. Verum omnia mihi rimanti tandem se obtulere *veteres Mutinensium Annales*, quos ex ejusdem Tassonii scriptis collegi, & supra edidi. Nunc autem laciniam Historiae adjicio, quae res Mutinae gestas ab Anno 1306. ad 1345. complectitur. Ejus auctor *Bonifacius Moranus*, Scriptor Majoribus nostris ferme ignotus, Vedriano tamen inter Eruditos Mutinenses memoratus, sed nulla ejus Historiarum facta mentione, quod istae apud nos jamdiu excidissent. Quaecumque ergo nunc ego profero, deprehendi apud Peregrinum Priscianum, eruditum illum Ferrariensium Antiquitatum collectorem, cujus nonnullos Libros MStos Estensis Bibliotheca servat, reliquis non modico literarum detrimento deperditis. Floruit autem Priscianus Ferrariensis, ut in aliis Libris monui, Anno Christi 1490. Estensibus Principibus, Patriaeque suae carus, & magno apud omnes in honore habitus. Narrat ille in Annalibus suis MStis, quomodo Mutinenses Anno 1306. hinc a Bononiensi Republica, inde a Giberto Corrigiensi Parmae Domino instigati, dominationem excussere Azzonis Marchionis Estensis. Non hujus Principis vitia enormia, quae sciam, sed ejus temporis in factiones & mutationes per totam Italiam nimio nimium proni inconstantia & coecitas in id consilium Majores nostros impulit. Marchione dejecto, & ad populare regimen Civitate restituta, Mutinenses sibi facile pollicebantur aureos dies, leviter obliti, in urbem suam se jam ultro advocasse Estenses, quod diutius senserant, ex intestinis discordiis intoleranda mala procedere, iisque nonnisi collata in unum auctoritate dominationis posse remedium adhiberi. Contrarius eventus eorum spem subsequutus est; tot enim simultatum, factionum, ac bellorum copia, novorumque Dominorum flagello exagitata est Civitas nostra, ut poenam suae rebellionis ipsa sibi intulerit, ac diu perferre coacta fuerit. A quo turbine numquam per varios annos illa conquievit, donec Anno 1336. reddita Marchionibus Estensibus, meliori sidere denuo frui coepit. Itaque Peregrinus Priscianus Ferrariensis, ut Mutinensibus ostenderet, quot & quanta mala eorum Patriam attriverint, postquam a fidelitate Estensibus jurata discesserant, non suis, sed ipsius Morani Scriptoris Mutinensis verbis, *Urbis Mutinae gesta a die rebellionis Civitatis ipsius usque ad Annum* 1336. expressit.

Bene sit accuratissimo illi viro, qui haec pauca nobis servavit; etenim Morani Chronicon frustra a me conquisitum, timendum est, ne incuria possidentium ad piper ac pisces salitos convestiendum jamdiu transierit. A quo Anno hoc Mutinense Chronicon exorsus fuerit Moranus, ignotum mihi. Longe tamen ante Annum 1306. ejus narrationem institutam, dubitare nos non sinit Priscianus ipse, qui postquam retulit deditionem Mutinensium Anno 1288. factam Obizoni Marchioni Estensi Domino Ferrariae, Principis illius adventum in hanc Urbem signat his verbis: *Et sicuti scribit Bonifacius de Morano, solemnis dies illa, qua Obizo ab Populo & designatus & confirmatus fuit Princeps & Dominus Mutinae, XXIII. Januarii dies fuit Anni* 1289. *quae Solis dies erat. Familiamque nobilem illam Aygonum maxime in re hac insudasse asserit. Quapropter Marchio ipse extorres omnes Familiae illius in Urbem & Ci-*

& Civitatem statim revocavit, bonis omnibus & pristinis juribus similiter eidem restitutis. Veri quoque simile est, Moranum ultra Annum 1345. suam produxisse Historiam, cujus rei vestigia apud Priscianum deprehendere mihi non licuit, quia deperditis Annalibus ab eodem Prisciano ultra illum Annum scriptis, reliqua simul Morani nostri mentio deperiit.

Sed quo Anno vixerit & scripserit Moranus, jam sciscitantes audio Lectores. Ludovicus Vedrianus in Catalogo Doctorum Mutinensium ad Annum 1349. haec habet: *Eccellentissimo fu nella Professione Legale Bonifacio Moranì. Tiene una gran lapide, dove è scolpito intiero con l'insegne del Dottorato in San Francesco; ma le lettere, che prima erano attorno al lembo della pietra, sono rosicate dal tempo, le quali se si potessero intendere, mostrerebbono il valore di questo suggetto, siccome si può argomentare dalla bellezza della lapide, e sua figura.* Vidi & ego sepulcralem oblongum lapidem Morano nostro positum, qui in Claustro Conventualium Mutinae adhuc exstat parieti innexus, ubi insculpta est effigies hominis Doctorali bireto ac veste insignis. Ibi haec Inscriptio: *Sepultura quondam Domini Bonifacii de Moranis, & Fratrum ipsius defunctorum Anno* 1349. *die VIII. mensis Augusti.* Verum inscriptio ista non ita mihi visa est vetus ac lapidis sculptura. Protritae forte fuerant primitivae literae pedibus deambulantium; sublatoque deinde e pavimento lapide, in superiori parte posteri inscriptionem, ut suspicor, restituerunt. Sed quidquid sit de illa epigraphe, certe Annum illum somniasse credendi non sunt ejus posteri; praeterquamquod effigies in marmore sculpta ex vetustate sua hominem exhibet, qui medio Seculo XIV. vixerit. Fortasse Moranus ex teterrima illa peste obiit, quae Europam Anno 1348. pervasit, & Anno fortasse sequenti Mutinam adhuc divexabat. Concordat autem cum lapideo illo monumento tempus, ad quod Chronicon nunc a me editum ascendit. Ita enim Moranus noster res narrat, & gesta potissimum Anno 1329. adeo graphice describit, ut facile intelligas ipsum scripsisse, quae sub ejus oculis versabantur. O utinam reliqua non periissent! quippe Priscianus singula, quae Moranus habet, in suos Annales non intulit, sed quod unice ad suam rem faciebat. Quod sperandum, dies aliqua ejus Historiam, quam minime censeo prorsus extinctam, e tenebris eripiet. Cherubinus enim Ghirardaccius in Historia Bononiensi Lib. XVII. pag. 553. Epistolam memorat Avenione scriptam Anno 1324. *la qual Lettera anco si ritrova registrata in una Cronica Manoscritta per Bonifacio di Morano Cittadino Modenese fol.* 51. *la qual Lettera così comincia: Notum vobis significo* &c. Libro quoque XX. pag. 81. & Lib. XXII. pag. 168. & alibi *Bonifacii Morani* Historiam laudat. Ergo ante Annos 130. Bononiae adhuc servabatur Morani nostri Chronicon, & Ghirardaccio ad manus erat. Quamquam vero apud Amicos Bononienses egerim, ut illud expiscarentur, sicubi lateret, atque hactenus vota mea incassum ierint, spem tamen nondum dimisi, quin aliquando repertum publicae luci reddatur. Et haec satis sint de Bonifacio Morano, cujus Familia nobilitate ac potentia olim Mutinae conspicua fuit, sed nunc divitiis attrita languet.

CHRO-



CHRONICON MUTINENSE.

ANno salutis nostræ MCCCVI. Januarii die XXVI. Mutinensis Populus, hostili armatus animo, dira rebellione, Illustris Marchionis Azzonis Principatum omnem excussit, detestandæ rebellionis ducibus Manfredino de Saxolo, & filio, Rainaldoque Marcharia Marchionis affine.

Vix discesserat ab Urbe Friscus Azzonis Marchionis filius, cùm Populus & Consilium Mutinæ pro instaurando Civitatis statu, Potestates quatuor elegerunt cum mero & mixto Imperio, ac potestate gladii, D. scilicet Paganellum de .... in Porta S. Petri; D. Gerardum de Bozalinis ...... D. Filingerum de Bonamicis in Porta Citanovæ; D. Petrum de Romana in Porta Bajoaria; & eorum Notarius Mutinensis de Costregnano ex eadam Porta Bajoaria fuit. Et statim extorres omnes, bannis, & condemnationibus quibuscumque abolitis redierunt in Urbem. Sicque Rangoni, Savignani, Boscheti, & sequaces eorum die Veneris XXVII. Mensis ipsius à Populo introeuntes maximo cum honore sunt accepti. Dicto verò tempore tanta alacritas extitit in Civitate eadem per totam æstatem & ver anni ipsius, quòd Cives Populares continuè insimul convivabant, & tam senes quàm juvenes die noctuque per Civitatem ibant chorizando, zonas argenteas, & aureas, ac bursas, & sertas floreas continuè per Civitatem portando, & alia puerilia operando, quæ non dubito displicuisse Deo, prout inferiùs apparebit, colendo vana pro tanto beneficio concesso à Deo, & relaxando divina. Pulsato insuper dicto rumore exultationis prædictæ gentium præfati

A Marchionis, homines & personæ Burgorum ipsius Civitatis, & proximarum Villarum super glacies fovearum ipsius Civitatis, quemadmodum super terram firmam die noctuque in ipsam intraverunt Civitatem, prosternentes undique palancatum ipsius Civitatis. Accesserunt etiam tam rustici, quàm imperiti Cives ad Palatium Communis, & Libros Causarum tam Civilium, quàm Criminalium, & Memorialiorum, furore ducti laceraverunt, & inde exportaverunt in damnum maximum singularium personarum, licèt tunc sic non appareret eisdem. Archaria etiam Notariorum in dicto Palatio existentia, disputulas, & Instrumenta, & Scripturas, ac etiam Libros Extimorum in eisdem, & in scriniis ejusdem Palatii per plateam undecumque

B lacerarunt. Multa etiam alia puerilia, & stulta operata extiterunt ipso Anno, quæ scripta non sunt in hoc Libro tœdio scribentium & dictantis.

Et quoniam Potestates jam dictos elegerant, donec Rempubli am instaurassent, iccirco rebus ipsis compositis, D. Johannem de Sancto Vitali Militem Parmensem pro prima medietate Anni, & Mussum de Sabadinis Populi Capitaneum declararunt Februarii prima die. Statimque Bononiensibus amici facti, ab eis Pontem Sancti Ambrosii, & Turres illius omnes, gratiosè habuerunt, quas sub Mar hionis Prin ipatu amiserant. Et captivorum permutatione facta, Sa-

C vignani, & Boscheti cum eorum ami is pluribus, qui Ferrariæ detinebantur carcere, libertate donati Mutinam, Ferrariensesque omnes in Urbis amissione capti Ferrariam redierunt.

Kalendis Julii Bertholinum de Foliano Equestris ordinis virum in Capitaneum, & Kalendis Johanninum de Sancto Vitali in Potestatem designarunt pro mensibus ultimis. Posueruntque Capellam propter S. Geminiani Ecclesiam, superiori scilicet latere, & in memoriam, ut dixerunt, victoriæ & expulsionis Marchionis Estensis victoriam nominarunt.

Sequenti Anno MCCCVII. abolito Capitanea-

tus munere, Bertolino jam dicto Præturam assignant; & sub eo præpositi custodiæ Nonantulani Oppidi Imblavatus quidam de Sassis, & Jacobus Zavarisius, auro illud Bononiensibus dederunt cum maximo Mutinensis Civitatis totius dolore. Et fuerunt pretium venditi Castri Bononiensium libræ ter mille.

Et Archipresbyter de Guidotis, conspirantibus nonnullis Mutinæ Nobilibus, Jovis die XIV. scilicet Maji, Finalis Oppidum occupavit; unde negotii radice explorata, seditio maxima in Populo exorta est, Primatibus & Plebe tota commotis, prægrandi cum terrore in nostros usque dies memorato sub nomine *Facti de Cruce-lapidea*. Et crescente mirum in modum seditione ipsa, multi ex Primoribus, & in Civitate etiam Potentibus, in Palatio Communis detenti fuere. Quamobrem statim & Populus, & Nobilitas tota prodiit armata, Gibellinis, Magnificis de Saxolo, Grassonibus, Bonifacio de Livizano, Manfredino de Ganaceto Milite, cum factionis suæ omnibus instructis forum tenentibus; aliis Guelfis scilicet, locum Crucis-lapideæ. Et Gibellini tamdem tumultuosè nimis adversam factionem adorti, ingentem adeò terrorem illis intulerunt, ut, solutâ pugnâ, vix cœptâ salutem fugâ quæsierint Welfi, Rangoni scilicet, Savignani, Boscheti, Guidoti, & qui sequebantur eos. Ex his autem, quos in Palatio Communis detinuerunt, Welfos omnes in carcerem immiserunt, ceteros liberarunt.

Venerant extorres ipsi post amissam Patriam, & Castrum Marani de Campilio sibi occupaverant, cùm novo Anno MCCCVIII. & novo Prætore Roglerino Servadeo Parmense, Mutinensium copiæ militares omnes in Maranum se moverunt. Et jam locum illum obsidione premebant, cùm Welfi jam dicti Bononiensium auxiliari exercitu accincti, obsidentes feroci adoriuntur oppugnatione. Mutinenses subito impetu territi, cum metu & trepidatione hostibus occurrunt; sed illorum conatus parum victoriam remorari potuerunt; nam extorres virtute & numero superiores, hostem loco summovent, summotum ingenti strage fundunt, fugantque. Cæsi sunt Mutinensium Intrinsecorum plurimi, capti ferè omnes reliqui. Ubi stragis nuncius vênit in Urbem, novo furore Populus commotus, & armatus, Palatium Antianorum insiliunt, in carceratos Welfos sæviunt, in queis Bertolinus Boschetus vulneribus confossus interiit. Et magis prostravit Mutinensis Civitatis animos nova hæc strages, quàm quæ præcedentibus diebus, in qua Johannem del Fredo copiarum suarum ductorem occiderunt.

Instauratis posthæc copiis suis Mutinensis Populus, Gibellinis ducibus è Saxolo, Giberti Corrigii precibus, Rubeis, & Parmensi militiæ Vineolæ Castrum oppugnantibus occurrit, incautos fundit, cæditque, & intromittit. Eodem Roglerino Prætore, Gerardus de Savignano Miles, & Welfi Nobiles reliqui, in Palatio Communis carcere detenti, Cotho de Beretis Custode & sociis auro corruptis, aufugiunt.

Anno MCCCIX. Bonadanus, & Simon de Boschetis, Coaginus, Cotongna, & Federicus de Savignano è carcere Communis liberantur cum Nobilium & factionis suæ turba tota, jussu Arnaldi Pelagrua Apostolicæ Sedis, & Clementis Papæ Quinti in Ferrariensi bello contra Venetos Legati, tamquam personæ præfulgentis Clericali libertate & honore. Et Guidotus similiter de Savignano, Castris suis Communi Mutinæ velut obsidibus assignatis. Fuitque Anno

A ipso Bonifacius de Corviatico Parmensis Civitati Mutinæ Prætor pro primis scilicet sex mensibus, & Robertus Guarnerii de Castello pro aliis ultimis.

Subtraxerat Johannes Boschetus Finalis Castrum Archipresbytero de Guidotis; & Anno MCCCX. subintrante, Communi Mutinæ, ac Nobilibus de Saxolo, & Grasulfis, qui Reipublicæ Mutinensis dominio tunc præerant, resignavit: illis Johannem ipsum, Boschetos omnes, Familias de Campilio, eorumque omnium complices & sequaces amplexantibus, & Civitati restituentibus, & libertate donata Alberto Boscheto, & Matthæo de Nonantula Capitaneo, ceteris tamen Colligatis, & Welfæ factionis,

B Rangonibus scilicet, & Savignanis proditionis hujusce ignaris. At Manfredinus de Saxolo paucis post diebus, XXIV. scilicet Julii, obiit, cujus corpus honorabili pompa & funere in Ecclesiam Fratrum Minorum deportarunt sepeliendum; Guidone Savinia de Foliano Prætorium munus tunc tenente.

Sub Alberto de Polenta novo Prætore novi motus Civitatem commoverunt, & penitus turbarunt. Ubi namque Jovis die XXVIII. Julii, in pleno & generali Consilio, Imperatoriæ Majestatis Oratores, Henrici scilicet Lucemburgensis Comitis, eum in Imperatorem electum, & ab Summo Pontifice confirmatum exposuerunt, & Regio nomine ipso Mutinensibus edixerunt,

C ut vias omnes, & stratas aptarent, manutenerent, & securas omnino conservarent, quo aditus reditusque Imperatori ipsi, & suis omnibus liberi forent, & paces, & bella, ceteraque ab Majestate sua pertractanda faciliùs exequi possent: cùm præterita tertia jam die, Rodulfus de Grassonibus, Bonifacius de Levizano, Manfredinus de Ganaceto ab Urbe exiissent; acceperant namque Nobiles illi, Grasulfos tractasse, ut Saxoli, Grassones, & amici eorum omnes Mutina expellerentur, & bis jam ad actus proximos devenisse: accitis copiis auxiliaribus ab Urbe Carpi, Campo Galliano, Saliceto de Buzalino, vocatoque Archipresbytero Sancti Faustini de Sesso, Lupis de Canolis, & Gibellinis

D omnibus extorribus Civitatis Regii, omnes in Campum longum, & suburbium Civitatis novæ sese receperunt. Et cùm rem ipsam Bernardino de Saxolo totius factionis eorum capiti ac duci aperuissent, respondit ille, nullo modo se hoc timere, si Grasulfi etiam hujus forent consilii; certum tenens, Franceschinum de la Mirandula Sororium suum nullo modo facinus hoc permissurum. Aberat & diebus ipsis Saxolus Veronæ, & Nicolaus de Grassonibus, quem ut Rodulfus, Bonifacius, & Manfredinus jam dicti adierunt, & medullam rerum omnium reserarunt, decrevit illico vir magnanimus sibi & suis consulere. Et nocte sequente Jovis diem prædictam, nocte scilicet Veneris, penultimo Julii, pertransiens clam foveas Castri Spilimberti, & introgressus,

E Urbe, turribus, & arce omnino potitur. Quod ubi Mutinensibus innotuit, percusso statim fœdere quodam à Grasulfis parte una, Joanne de Boschetis, Guidonibusque omnibus parte altera, & in arma Populo commoto, & in forum protracto, ac vocibus altissimis mortem resonantes Saxolis, & Grassonibus, tremebundi omnes illi terga dederunt hosti, & fugientes latitarunt.

Hæc Populus. At extorres, Saxoli scilicet, Rangoni, Grassoni, & Savignani Castrum Marzalearum ingressi, & turribus, vallo, fossaque loco instaurato, & præsidio munito, novum inter se

se fœdus, jurejurando etiam firmatum, cum totali injuriarum omnium præteritarum oblivione percusserunt, quotidianisque incursionibus Urbem infestabant. Civitas Mutinæ in principio Octobris, Veronensium militia & Mantuanorum facta fortior, Castrum impetiit, & obsedit, adhibitis etiam bellicis machinis. Defensabant viriliter locum qui intus erant, telorumque multitudine hostes infestabant. Induciis tamdem primò admissis, de concordia deinde tractatum est; & in Gibertum de Corrigia, Passarinumque de Bonacossis compromissi, locum Arbitris committunt. Sed pendente compromisso, die XX. Decembris, amotis de industria custodibus & præsidio Arbitrorum, in Castrum Civitas ruit, & demolitum penitus subjecto igne consumsit.

Dum Mutinenses Marzalearum Castrum premerent obsidione, Prexolli cum Fregnanensibus aliquibus descenderunt in Caxinalbum, superatisque fossis, Ecclesiam, & Turrim illam occuparunt; commotisque loci incolis & convicinis omnibus, majora etiam in Mutinenses parabant. Ubi Civitas facinus hoc accepit, copiis aliquibus, & aciebus accitis, in novos hostes, & rebelles rusticos statim invehitur, & cæsarum arborum vi fossis repletis locum intrat, Ecclesiamque & Turrim aggreditur à fronte, à tergo, & à lateribus uno tempore, & missilibus etiam infestat. Sarmentorum, & aridorum virgultorum copia affertur, quibus incensis, fumo spiritum supernè pugnantium intercludente, deditione facta in hostium potestatem Prexolli & reliqui omnes veniunt, qui ad unum ferro ab hostibus confecti sunt, exceptis Prexollis ipsis; hi etenim Archipresbytero S. Faustini de Sesso dederant sese, & ex Turri præcipitantes, flamma ingruente, ab eo defensi fuere.

Venerunt Mutinam XV. Octobris die Romanorum Oratores, Columnensis unus, & Ursinus alter, ornata satis familia comitati, Henricum Imperatorem, qui jam transcenderat Alpes, in Italiam venientem adeuntes. Qui ab Mutinensibus magno cum honore accepti, Mutinensibus exemplo fuere, ut & Consilio Civitatis publico Mutinæ Oratores Henrico sese offerrent. Nam XVI. Novembris die Gerardus Buzalinus, & Antolinus de Zanchanis, pulcherrimis donati vestibus à Communi nomine Populi, Imperatori Astensi in Urbe tunc commoranti sese commendarunt, debitisque oblationibus factis in Patriam rediere XII. Decembris die. In hoc etiam Anni fine Nobiles de Saxolo Castrum Rochæ S. Mariæ Savignanis donarunt.

Anno MCCCXI. Sexto Januarii die in Epiphania Domini Henricus Imperator Mediolani Ferrea Corona ornatur in Ecclesia B. Ambrosii. Convenerant eò Italici Principes multi, Urbiumque plurimarum Oratores, & inter alios Franciscninus de la Mirandula, Guido Pius, Joannes de Boscheris, Milites & viri quidem potentes, Ubertusque de Donatis Judex, nomine Civitatis Mutinæ, & Bonromeus de Saxolo Judex etiam pro Welfis extorribus, qui sese & Urbem Henrici arbitrio permisere. Hos læto vultu audivit Imperator, & Vicarium ei dedit Guidalostum de Verzelensibus Pistoriensem, qui die ultimo Januarii Mutinam, Oratoribus jam dictis comitatus applicuit, & Mutinensibus populariter ei obviam fusis cum vexillis Artium, & Societatum, in Palatium fuit ductus.

Ubi Vicarius Mutinensium accepit discordias, scissionemque Nobilium, unioni Civitatis statim studuit, & Mense ipso Februarii bannitos omnes & extorres in Urbem recepit, & in vinculis detentos, Bernardinum Padellam, Ugolinum, & Pellem de Savignano, & Nobiles alios, Popularesque omnes liberavit; steterant enim ii tribus annis ac mensibus undecim in eo carcere. Et die Lunæ XV. Mensis ipsius Aygoni omnes in Urbem similiter redierunt, & cum maximo totius Populi gaudio Nobilitas omnis tota reconciliatur, Arcesque & Castra omnia ab Aygonibus tenta Vicario illi commissa fuere.

Quod Mutinenses fecerant, Civitates aliæ plurimæ Imperatoris Vicarios acceperunt, Mediolani maximè deditione accepta, nullusque fuit aut Populus liber, aut in Civitate aliqua Princeps, qui ejectos priùs adversæ factionis Primarios, atque multitudinem, in Patriam jussus à Vicario non admiserit, præter Patavinos. Sed cùm, debellatis Turrianis Germanorum militum auxilio, Vicecomites ipsi eo tumultu populos Lombardiæ nonnullis à promissis Henrico recedendi causam quamdam præbuissent: primi, & eodem simul die, Cremonenses, & Cremenses, impositum à Rege Vicarium, ac Gibellinos armis, & non sinè cædibus, expulerunt. Magiique Brixiani Welfarum partium duces Theobaldum Brusatum adversæ factionis Principem, paulò ante jussu Regis reductum, interficere quæsierunt, & hac de causa fugiens ille se contulit ad Henricum: Pariter Parmæ Rubei, paulò ante Henrico jubente à Giberto Corrigiense in Patriam redire permissi, ab eodem Patria fuerunt ejecti. His, quæ tot in locis fiebant, auditis rebellionibus, & Regiensium sibi vicinorum maximè, qui XXVI. Februarii die Nobiles de Sesso cum parte Gibellina, & Regis Vicario, cum magna Populi cæde expulerunt, commotus Guidalostus Mutinæ Vicarius primarios omnes, & factionum duces ultimo Mensis jam dicti die ab Urbe ejecit, pollicitus tamen brevì eos omnes se revocaturum, ut fecit; nam Kalendis Maji, Henrico rebus prosperè succedentibus, eosdem omnes in Patriam accitos gratiosè fuit amplexus.

Pendentibus hoc modo rebus Nobilium Mutinensium, Rangoni, Boscheti, & Guidones cum eorum parte tota colligationem novam, & Societatem inierunt, & affinitatibus nonnullis cum Grasulfis sese junxerunt, Saxolis, Grassonibus, & Savignanis omnino exclusis. Thomasinus de Gorzano filiam sibi dilectam Gerardo Rangono junxit connubio. Quamobrem post menses aliquos Saxoli, Savignani, Grassones, Bonificius de Livizano, & Manfredinus de Ganaceto Mutina exeuntes ad Castra propria secesserunt.

Audierat Henricus rebelliones jam dictas, & Urbe Mediolano Vicecomitum curæ & custodiæ relicta, debellatisque Cremonensibus, & Cremæ Populo, in Brixiam ducturus erat, cùm XVI. die Maji Saxolus, Manfredinus de Ganaceto, Gerardus de Savignano Milites omnes, Bonifacius de Livizano, Nicolaus de Grassonibus, Gerardus de Rangonibus, Guidonus de Guidonibus, factionis Aygonum, Aimericus de Macreta, Guido de Piis, & Clericus del Fredo, partis Grasulforum cum copiis instructis nomine totius Communis Mutinæ in auxilium Henrici, suasionibus Vicarii, & Alexandro Judice duce sibi dato, Brixiam jam obsidenti se præsentarunt, & sub Imperiali signo ibidem militarunt: quò etiam Populi, & Principes Italiæ multi convenere. In ea Brixiæ expugnatione Galeranus Imperatricis Frater sagitta percussus cedit, Veronæque sepultus cum maxima funeris pompa & honore, ut decuit.

Dum Brixiæ hæc aguntur, Jacobus Ferrariensis

sis Mutinæ Episcopus, qui Medicinæ scientiam profundissimè etiam tenuerat, moritur XIX. Sedis suæ Anno, cui successit Bonadanus de Boschetis electus die III. Julii.

Kalendis Augusti Franciscus de la Mirandula in Vicarium Civitatis Mutinæ ab Imperatore designatus munus iniit, & die etiam ipsa Guidalostus ex Urbe discessit maximo cum dedecore, & pistatis scaffis per artifices post eum.

Fuit eodem Anno & Mutinæ, sicuti & in circumstantibus locis, ipso etiam novarum frugum tempore, maxima annonæ penuria; nam Mutinæ vendebatur starius frumenti tribus libris Mutinensium, fabæ XLIV. solidos, melicæ XXXIV. speltæ XXV. Franciscus autem Regis Vicarius filiam uxorem dedit Johanni Boscheto, & in Palatio novo Communis, maxima assistente Nobilium turba & Populi, virgo ipsa Sponsa fuit facta.

Venerat novus Annus MCCCXII., cùm Saxoli novo motu Civitatem perturbarunt; nam auxiliaribus equitibus centum Bononiensibus, die tertia Februarii Castrum Solariæ irruerunt, & Johannis de Passapontibus rusticorumque aliquorum proditione ceperunt. Sed Populus re cognita, & Vicarius, militiam in hostes movent: quo, illis resistere diffisis, statim sunt potiti; nec tamen temperatum est à cæde, captique rustici multi.

Die verò Maji XXIX. Rangoni, Rodilienses, Guidones, & Boscheti, sponte etiam, nulloque impellente, ex Urbe discesserunt, conscientia tantùm timorem illis inferente; dubitarunt enim, ne conjuratio ipsorum cum Bononiensibus pateret.

Octavo autem Julii Saxoli, Bononiensibus sibi sociis, ad Civitatem infestandam moti, subita vi Bajoariæ vicum populantur; prædam hominum & pecudum agunt ingentem; mox Villas incendunt. Tum verò Franciscus de la Mirandula Vicarius cum lectissimo equitatu, & Populi manu ingenti, in hostes impetum facit. In adventantes Saxoli nulla trepidatione conversi, modico negotio eos fundunt, & fusum Vicarium capiunt, pluribus etiam cæsis.

Contractis præterea copiis suis Bononienses XXVII. Mensis ipsius Pontem S. Ambrosii adoriuntur, & expugnant, & Saliceti posthoc statim suburbium ingressi circumvicinos agros omnes præda & populationibus vastarunt, domosque omnes ad Ecclesiam Sanctæ Crucis usque incendio consumserunt, & Urbem ipsam adeò premebant, ut pro rusticanis areis in segetibus triturandis, foro publico, & plateis pluribus, Ecclesiarum etiam Sacratis, uterentur Mutinenses, & domibus propriis sub dio. Pressus hoc modo Mutinensis Populus, ubi apparuit, non esse ampliùs unde opportunum sperarent auxilium in tanta eorum & tam subita oppressione, missis Mantuam Oratoribus, Rainaldo, quem Passarinum dixerunt, & Butirono Bonacossis sese & Urbis regimen commiserunt. Legatis à Bonacossis benignè accepti, & Civitati Mutinæ gratiis actis, ac spe liberationis & quietis brevi promissa, cum Oratoribus Rambertum de Rambertis Ferrariensem Nobilem in Prætorem Populo designatum Mutinam Principes Mantuani præmiserunt, qui Bonacossorum signa præferens XI. Augusti die Urbem ingressus est, & Prætorium munus suscepit.

Quarto deinde Octobris, die Jovis, Passarinus ipse ab Mutinensibus & Grasulfis sibi junctis in Principem electus, Mutinam vênit maxima cum Populi expectatione, & Sabbato sequenti colligatio inter Mutinenses, & Regii Civitatem firmatur ad Annos quinque futuros. Decrevit & subitò novus Dominus, ut Nobiles extorres omnes, & clientes etiam cujusque factionis in Urbem redirent, & bona sua omnia singulis restituerentur. Octavo posthæc die, XIII. scilicet Mensis ipsius, Populus & Milites Urbis totius in Plebem Civitatis novæ per extorres diu occupatam irruperunt, & præsidio capto cæsoque occuparunt. Primo etiam impetu ceperunt Archipresbyterum de Guidotis, qui detentus in vinculis post dies aliquot obiit. Interfecti XII. fuere, capti XXX. In Spezanum deinde se movit Equitatus Mutinensis die XXVI. ejusdem Mensis, & nonnullos loci illius incolas ligatos in Urbem deduxerunt, quos tamen, fidejussoribus acceptis, sequenti die liberarunt.

Anno MCCCXIII. Prætoris munus Loyco de Gonzaga equiti Mantuano à Bonacossis Principibus demandatur, duraturum Mensibus sex primis Anni MCCCXIII. Tenuerat Episcopalem Urbis Sedem Anno uno & Mensibus octo Bonadanus Boschetus, cum morbo gravi correptus Regii XXIV. Januarii die decessit; discedentibus namque superioribus mensibus, ut jam diximus, Rangonis, Boschetis, Rodiliensibus, & Guidonibus, comitem sese addiderat Antistes ipse Reverendus. Corpus ejus decenti satis urna condiderunt in Ecclesia Cathedrali die Conversioni B. Pauli dedicata. Interdicta erant Civitati Mutinæ hoc tempore sacra Mysteria cuncta, & Ecclesiastica quoque suffragia: quamobrem pro novo eligendo Episcopo in S. Pancratii Cœnobium ejusdem Diœcesis convenerunt, ubi quarta Februarii die Bonincontrum Archipresbyterum Episcopii ipsius in Episcopum elegerunt.

Facinus impium hoc etiam Mense, die scilicet XII. ipsius, perpetrare non dubitarunt Mutinenses aliqui, militibus Passarini Principis comitati. Raimundinum namque de Aspello Vasconem, Clementi Papæ V. affinem, & quem Pontifex Marchionatus Anconitani Marchionem instituerat, agrum S. Eusebii Mutinensis districtus pertranseuntem & incautum aggressi, vulneribus confodiunt, equitatumque illius omnem, interfectos spoliant, & deprædantur. Cæsi XL. fuere. Præda pretii Ducatorum ducentorum millium. Sententiam tamen durissimam in Civitatem Mutinæ, & incolas omnes promulgavit Pontifex ipse.

Vigesimo Sexto Aprilis die Turris antiqua Plebis Civitatis-Novæ funditus fuit deleta, & solo æquata; in cujus ruina reperierunt marmoream Tabulam inscriptam fundatione ipsius, & computo ab scientibus facto, scitum est, Annis jam mille trecentis & XI. eam fuisse positam. Fuit Manfredinus de . . . sandris Mutinæ Prætor in medietate ultima Anni. Eodem autem Millesimo, Septembris Mense apparuit Ravennæ monstrum in his partibus inauditum, scilicet Balena una, sive cœtum projectum in sicca à fluctibus Maris, longitudinis quadraginta brachiorum, & altitudinis quindecim, sinè cauda & capite mensurata. Et habebat os magnum, ita quòd unus bos intrasset. Et de carne Ravennates fecerunt oleum in quantitate maxima. Quo mense etiam Jacobus de Rodilia Abbas Monasterii S. Petri ob malam loci administrationem privatur. Et successit Johannes de Sancto Zenone Ordinis Heremitarum.

Anno MCCCXIV. sub Johanne de Calizinis Paduano in primis sex mensibus Anni MCCCXIV. Prætore constituto nihil dignum memoria reperimus.

rimus. Francisco autem Menabove Ferrariense munus hoc ingresso, XXIII. Octobris Mutinensis militia cum Passarini copiis in Castrum Montesellæ movit supra Gorzanum tribus millibus passuum, quod Nobiles de Montursiis incolebant; & quadam commissa pugna, in qua tamen plurimi utrinque ciciderunt, conventione loco sunt potiti.

Palatium inter Communis Turrem positum, & Turrim Populi exaltarunt Mutinenses hoc Anno sub Vicariatu Rolandi de Carbonibus.

Anno MCCCXV. confirmata Francisci Menabovis Prætura pro Mensibus sex primis Anni MCCCXV. XIV. Januarii die Castrum Cajanelli, ab Uxore quondam Bonifacii de Livizano gubernatum ob teneram filiorum ætatem, commissum fuit curæ Passarini Civitatis Domini.

Quibus etiam diebus, mense scilicet Martii, percusso foedere inter Passarinum, & Nobiles Aygones tunc extorres, duobus annis duraturo, incolæ & subditi partis utriusque locum utrinque securè ingrediebantur, Nobiles autem ipsi minimè.

Muro autem clausæ fuerunt Majo mense Urbis portæ duæ, Saliceti videlicet, & Bajoariæ, & ob eam clausuram Comitatus ferè totus maximè indoluit, & Civitatis pars aliqua.

Bonincontrus, quem sibi in Episcopum elegerant, Junii diebus primis Argentam se contulit, & ab Archiepiscopo confirmationem debitam petiit, & obtinuit, & XXII. die mensis ejusdem maximo Populi gaudio, Cleroque obviam effuso, ut moris est, ingressus Urbem in Episcopium conscendit.

Vix crudelis nimiùm pugna illa XXIX. Augusti die inter Ugutionem Fagiolanum, & Tarenti Principem commissa fuerat, cùm Mutinam applicuit nuntius mortis Gerardi de Savignano Militis Mutinensis, qui cum Principe militabat. Et cùm se movisset Octobris mense Canis de la Scala in Cremonensem agrum, in expugnatione Castri Piaoduæ cecidit Johannes Malagresta Mutinensis, Scaligeri servus.

Anno MCCCXVI. contraxerant Societatem satis ingentem Bononiæ Milites aliqui pedites equitesque profecturi Cremonam ab Cane, & Passarino Urbem defensuri, agrumque Mutinæ jam jam pertransibant, cùm, adventu eorum cognito, Franciscus Menabos Prætor, & dux Populi & militiæ XVII. Februarii die pertranseuntes aggreditur, & pugnâ commissâ in vico S. Michaëlis de Mocleto fundit, multos occidit, & plurimos capit; inter quos Albertus Carella exul Mutinæ, equos XL. captos vivos in Urbem ducit.

Die post hæc quinto maxima in Populo exorta est seditio; Theotonici namque omnes, qui Passarino militabant, arreptis armis in Cives irruerunt. A Civibus hoc audito, statim ad arma conclamatur, & fit concursus in barbaros, illorumque motum cum cæde etiam deturbant. Concurrunt Prætor, & Magistratus reliqui, seditionemque compescunt omnem; ob tamen mortem Theotonici cujusdam viri haud parvi pretii, ut reliquis etiam satisfieret, Populares aliqui capti fuerunt, & intromissi carcerem, linguaque fuit secta cuidam Mozenti nomine, Dominici de Marzaleis Calzolario, ut vulgò inquiunt.

Franciscus de la Mirandula, qui duobus jam præteritis Annis Præturæ Veronensi præfuerat, die XXIX. Maji ab Pisanis Potestas introducitur, ubi virtuosè sese gessit.

Hoc mense etiam altissimis foveis suburbium Civitatis-Novæ ad Monasterium usque Heremitarum clauserunt & munierunt, instante maximè Gerardo Buzalino magnæ auctoritatis viro in Urbe, & tunc Mantuæ Prætore; sic etenim eidem jusserat Passarinus. Opus tamen ipsum rustici omnes, qui expensis propriis & brachiis construxerunt, apertè satis etiam maledixerunt: quod & Civitatis pars maxima fecit.

Et Julio jam percurrente Cameram novam Actorum Communis Mutinæ fundarunt, Prætore Mainardo de Tribolis, cui mensibus ultimis successit Petrus Almese Veronensis.

Anno MCCCXVII. ingresso novo Potestate, novi motus in Urbe sunt suborti; Franciscus namque Mirandulensis, functus Prætura Brixiensi, Mutinam ingreditur XIX. Junii die. Sed ingente statim murmure in Populo exorto, & factionum illarum omnium commotione jam fervente, die altera Franciscus ipse, Pii omnes, & Gorzani ab Urbe discesserunt. Et cùm Carpum introire haud potuerint, Archipresbytero loci illius prohibente, unusquisque eorum in propria Castra se recepit. In Urbe autem illi del Fredo, & de Macreta se continuerunt.

Scripserat Carpi Archipresbyter ille conatum Francisci Mirandulensis, & Sociorum Passarino, qui statim equites & pedites plurimos eò transmisit, quo præsidio ab Archipresbytero accepto, Carpi cura omnis Mantuano committitur, Tosabechis Carpensibus plurimùm ob hoc timentibus. Movit etiam se cum copiis suis reliquis Passarinus, & Mutinam vênit die XXVIII. Julii, quò Urbs ipsamet magis foret secura; & quæ muro clausa priùs fuerat Bajoariæ Porta, statim aperitur. Hoc etiam Prætore fundamenta dormitorii Reverendorum Fratrum Minorum jacta fuere, opusque ad tectum usque profectum, licèt interiores cellulas haud fecerint.

Federicus de la Scala novus Prætor designatus Kalendis Augusti longa comitatus caterva Mutinam vênit, & nomine Canis, Passarinique, longiorem Populo habuit orationem, in qua non modò in Potestatem, verùm etiam pro reformandis rebus Urbis ab Principibus jam dictis se missum fuisse demonstravit. Quamobrem secunda deinde die Franciscus de la Mirandula, Pii, & Gorzani cum amicis, clientulis, complicibus, & sequacibus suis omnibus & ipsi Urbem ingrediuntur, & in novo Communis Palatio novâ concordiâ publicam rem omnem instaurant. Quod ubi Passarino innotuit, statim & ipse Mutinam rediit, & lætus nova Urbis reformatione, & factionum concordia, advolante fama & pluribus nunciis novi motus Civitatis Ferrariæ, & cædis ab Populo in Vascones, & Roberti Regis præsidium commissæ, & Marchionum Estensium victoriæ, & novi Regni, evocatis secum Francisco de la Mirandula, Arriverio de Macreto, Joanne del Fredo, & Hengyrame de Gorzano, exercituque & copiis suis omnibus nono Augusti die Mutina discessit Ferrariam versùs.

Auxiliares copias suas omnes, & sese, Canis, Passarinusque concesserant Vicecomiti, premebantque Principes ii omnes Cremonæ Urbem, cùm Bononiensis militia XIX. Octobris die Mutinensem agrum, & Vicum Albareti totum, circumstantesque alios omnes octo dierum spatio terribili vastitate potiùs quàm depopulatione, & cædibus, horrendisque incendiis foedavit, ingentem inde referens prædam.

Annus MCCCXIX. nova discrimina Mutinensibus adduxit. Decima namque septima Januarii die Zacharias Tosabechus Carpensis, quem

quem novo demonstravimus Carpi regimine contristatum tunc fuisse, accitis in Oppidum clam amicis pluribus, incautum Prætorem aggreditur, omni spreta Passarini reverentia & timore, locique regimine & dominio potitur. Tumultus ingens fit in Populo. Archipresbyter ille Ziliolus de Brochis, Guidinusque illi filius, relictis vestibus, & nudi omnino, Presbytero quodam duce, in foveam Castri descenderunt transnataturi. Sed Archipresbyter, & Presbyter in aqua periere; filius evadens fugæ se commisit. Plebis Domus ab Zacharia bonis omnibus & suppellectile spoliatur.

Hoc præludium ubi successit, campana Urbis Mutinensis ad mediam noctem resonante (signum etenim hoc facinoris consciis erat) Franciscus Mirandulensis cum Prendeparte filio, & Guido Pius, quos Populus ferè totus sequebatur, ad arma vocibus in cœlum elatis, in forum Mutinæ concurrunt, & præsidium impetunt Passarini. Illi aut subito percussi timore, aut fortè paucitate diffisi, in domum illorum del Fredo confugiunt. Domum ipsam hostis adortus præsidium ad deditionem cogunt, & cum eo benignè agens, tutò abire concessit; sed Officiales Palatii omnes spoliarunt. Peregrinus de Gallo ferrarius cecidit solus in tanto tumultu & Populi motu ardente. At mane jam facto Arriverius de Macreta, & Joannes de Fredo captivi includuntur. Et in Rectores Urbis & Populi Potestates octo declararunt infrascriptos. In Porta S. Petri Manfredinum de Gorzano virum Nobilem, Anthelmum de Zanchanis Judicem; in Porta Albareti Johannem de Picis de la Mirandula Nobilem, Amadeum de Tronciis Judicem; in Porta Citanovæ Jacobum de Fredo Nobilem, Joannem de Crespis Judicem; in Porta Bajoariæ Manfredinum de Piis Nobilem, Bochetum de Bochabadatis Judicem. Hi electi die XVIII. Januarii, vigesimo autem munere sunt functi; primus tamen omnium, & Potestatum ipsorum, & cui Civitas tota parêret capiti tamquam suo, Franciscus ipse Mirandulensis fuit.

Bonincontrus Mutinensis Episcopus moritur die XXVI. Mensis hujus, & decenti funeris pompa in Cathedrali sepelitur Ecclesia.

Finito munere Potestatum suprascriptorum die XXX. Mensis, Johannes de Panceriis de Regio Prætor designatur in adventum usque Pochateræ de Mutiano Cæsenatis, qui XI. Februarii die Prætorialem virgam accepit tenendam in sextum usque Mensem. Quo etiam tempore Ugetus Forliviensis Capitaneus declaratur in XI. usque Augusti diem.

Septimo Magistratus Pochateræ die Nicolaus del Fredo Castrum Spilamberti, quod in eam usque diem pro Passarino gubernaverat, Communi Mutinæ resignavit. Quamobrem Johannes del Fredo, aperto sibi carcere, liberatur à Populo amplexus cum domesticis suis omnibus, & cunctis del Fredo. Quo exemplo moti quarta deinde die Arriverius de Macreta, & incolæ omnes Castrum Macretæ Mutinensi Populo concesserunt: unde è vinculis liberatus Arriverius ipse Macretam statim se contulit. Et Kalendis Martii extorres omnes Civitatis Mutinæ; cum intrinsecis & Communi dulcia omnibus percusserunt pacis & colligationis nova fœdera. Quo die etiam in electione novi Episcopi electores scissi sunt, iis Matthæum de Gorzano Priorem Monasterii de Columbario, illis Guidonem de Baesio declarantibus. Sed neutri eorum Episcopalis tamdem concessa fuit Sedes, quod præcedenti die non acciderat Carpi Canonicis, qui una omnium voce Albertum alterum ex Canonicis ipsis in Archipresbyterum elegerunt cum regimine etiam Oppidi.

Franciscus de la Mirandula non contentus hac nova & meliore sorte sua, & Civitatis dominio jam quieto, Familias illorum del Fredo, de Macreta, & Gerardini de Buzalinis, exilio damnavit, & Urbe ejecit secunda Aprilis die. Qui Mantuam statim, in Franciscum ipsum nova molituri, applicuerunt. Quod ubi Franciscus accepit, statim Castrum, quod in Villa-Francha sibi posuerat Gerardus, & Buzalinum nominaverat, necnon Arcem Villæ-Medolæ Johannis del Fredo spoliavit, & solo æquavit.

Julii Mense crebris ac ardentibus persuasionibus Guidinellum de Montecuculo cum parte Gibellina, & Manfredinum Rastaldum cum Welfis suis omnibus nova pace colligavit; viri etenim hi duo totius Fregnani loca & Populos pro arbitrio suo ducebant.

At tamdem XXVII. Julii ipsius die Canis Scaliger instructis copiis Mutinæ Suburbium Civitatis-Novæ ingreditur; in domum Gerardi Buzalini descendit: quò & tertia sequenti die Passarinus cum exercitu vênit. Extorres etenim jam dicti spem Urbis potiundæ Principibus præbuerunt. Cingunt Duces Mutinam, & die noctuque circa mœnia equitant. Ad Urbem defendendam pro vita sese Populus, & Mulieres etiam, accingunt, & vigilant. Circumferebant oculos Canis, & Passarinus, si signa aliqua ex aliquo loco sibi darentur, & nec teli jactura, nec offendi quemquam patiebantur. Sed ubi transactis diebus septem spem sibi præbitam ab exulibus, & promissa omnia deficere cognoverunt, & recessui jam incumberent, Saxoli, Fredi, Macreti, & Buzalini cum suis omnibus in Urbem & Cives impetum fecerunt, quibus ut statim Urbs tota ardenter occurrit, hoc ultimo conatu frustrati omnino Veronensis & Mantuanus die II. Augusti discesserunt, soluta ea veluti obsidione.

Dum tamen Principes jam dicti Mutinam copiis cinxissent, in Urbe capti fuerunt Viri XIII. Populares, in queis Belencinus de Belencinis Judex, & Cathelanus ejus frater, Ubertus de Donera Judex, Gerardinus de Trebanello faber ferrarius, & Petrus de Bergocinis. Qui Petrus, & Ubertus funis acerbos ictus aliquos sustinuerunt; solutis deinde ab illo libris sexcentis, à Petro autem trecentis, VIII. Mensis Augusti die liberantur.

Finierat Præturæ tempus Zacharias, cùm Francisci Mirandulensis & Patrum publico consilio, pro reliqua Anni medietate munus ipsum ei confirmatur, novo tamen Capitaneo Uberto Forliviense assumto. Quo tempore & Castellum Dinazani Nobilibus de Saxolo Regienses subripuere.

Anno MCCCXIX. Instabat jam nova æstas, cùm die XVI. Maji Manfredus Pius Carpi Castrum ingressus cepit levi negotio, in quo tamen Zachariæ Tosabechi sororius & gener ferro ceciderunt, & domus omnino spoliata; & fama est, pecuniæ argenteæ summam librarum viginti millium eo die Tosabechum ipsum amisisse. Quod ubi Mutinæ innotuit, Pii omnes Urbe egressi eò convolant, invito Francisco. Exiverunt & Gorzani omnes, soli Francisco de la Mirandula publicarum Mutinensium rerum omnium pondere commisso.

Die XXVIII. Septembris Turris Ecclesiæ Beati Geminiani perfecta fuit, aurato pomo apposito

posito in pinnaculi summo, Alexandro de Porta tunc Communis Massario. Quo die etiam Franciscus Mirandulensis cum exercitu & Mutinensi militia se movit in Carpum; & dura satis obsidione jam premebat, cùm Gibertus Corrigiensis, qui Brixiam instructissimo equitatu peditibusque properabat, Extorrium Mutinensium precibus & pretio, Franciscum ab obsidione removit.

Venerunt & his diebus Reverendi Patres, & Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo Mutinam, & habitationem, Monasteriumque suum erexerunt in Strata Claudia prope Saliceti Portam in domo, quam ab Anthelmo de Zanchanis emerant.

Varia quotidie moliebantur Extorres in Franciscum, Civitatisque & vulgi mobilis pars magna, mutatâ sententiâ, viro illi satis etiam apertè insidiabatur. Quod ubi Franciscus percepit, mutato & ipse consilio Urbem Passarino, & Butirono fratri sponte restituit ultimo Novembris die, & Gafine de Montemellono Præturæ tertio Mense, licèt priùs pactis & conditionibus pluribus eam pollicitus fuisset Bononiensibus.

Anno MCCCXX. Assumpto hoc modo Civitatis Mutinæ dominio, Passarinus Simonetum de Scaffusis in Prætorem Mutinensibus misit pro medietate prima novi Anni, & Welfos Urbis omnes relegavit. Quo tempore in Saxolos, & Actum de Rodilia, Nobiles de Canossa, & Foliani, Regii tunc extorres, bellum intulere; occupabant etenim Mutinenses illi Castellaranum in Regiensium injuriam. Et Saxoli Castrum Castellarii Regiensium Diœcesis & districtus instaurarunt, & munierunt præsidio.

Passarinus potitus Carpi Castro fortissimam tunc Turrim illam posuit, quam Zironum dixere. Et Mutinam vênit XXV. die Novembris, Prætore Jacobino de Cornazano, ubi pleno Populo Franciscum sibi Filium, & Guidonem, Pinamontemque Butironi Fratris sui natos, Civitatis Mutinæ perpetuos, ut dixit, Capitaneos instituit. Et hoc declarato Franciscus statim pro exercendo munere ipso Mutinam se contulit. Qui tamdem, aperto diu latentis odii ardore, die XXVII. Novembris Anni MCCCXXI. Franciscum Mirandulensem incautum, & Prendeparte, & Thomasinum illi filios, Zachariam Tosabechum cum filio, & fratre capit, & in vinculis retineri sub custodibus jussit.

Altera autem die Franciscus Bonacossa collectis copiis in Mirandulæ Oppidum erupit, quod ubi primo conatu capere haud potuit, & Oppidanos sibi acriter resistere vidit, obsidione locum cingit, jubens continuò, Franciscum Mirandulensem cum filiis colla catenis onustos in Arcem Castellarii Mutinensis districtus deduci, ut in profundo turris illius fame, diro equidem mortis genere, vitam finirent. Et ibi fame unus alteri carnes comedit, & ibi tali morte mortui. Sed Bonacossis ipsis Deus Omnipotens retribuit.

Zacharias autem Tosabechus, & filius, solutis libris quinque millibus, Guidoque de Guerzeto libris mille, liberantur, priùs tamen agitati duris cruciatibus.

Bonacossus continuata obsidione Mirandulam premebat, & ad expugnationem necessaria cuncta parabat, Castellis, bellicisque machinis adversus Oppidanos dispositis: Quod ipsum conspicatus Populus, quia ingens ab hoste sibi imminere periculum videbat, de Urbe illi committenda spem dedit. Et ultimo tamdem Decembris die conditionibus aliquibus Mirandula Bonacosso tradita fuit, qui fidei & pactorum oblitus Urbem continuò spoliat, deprædatur, & diruit.

Porticum, quam Lodiam Palatii Communis dicunt, sub hoc etiam Prætore, Mutinenses condiderunt. Jacobinus namque de Cornazano Anno integro Prætorium munus tenuit. Quo etiam tempore Savignani omnes Passarino sese commiserunt, in Urbem redeuntes. Et Saxoli Castrum muro fuit clausum; positaque Turris, quam Zironum appellarunt, Marani de Campilio.

Guidinellus autem de Montecuculo, Bonacossi morum impatiens, Arcem Medulæ occupat, Bochasolum Abbatæ, Plebemque Pulinagi. Quamobrem Saxolus de Saxolo, & Manfredinus de Gorzano, Capitanei in expeditionem illam declarantur. Quibus advenientibus obviam facti Guidinellus, & Comites Gomolæ, in Saltini finibus fundunt, & Manfredinum capiunt, Boschino de Mantegatiis Mediolanense Urbis Mutinæ Prætore.

Anno MCCCXXII. Novo jam aperto Anno, agitata diu proditione quadam à Passarino cum Nerio de Montegarullio adversùs Guidinellum, Monzoni Castrum Diœcesis Frignanensis eidem Guidinello surripiunt.

Ædificarunt & hoc tempore Mutinenses porticum ad Fontem Sancti Johannis de Cantono, sic enim locum illum appellabant. Et Bonacossi militia Plebe Gomolæ potitur, parvo etiam negotio. Tum in Nicolaum, & Johannes fratres de Foliano, Basilii Castellum obsidentes, sese movit, & Nobiles ipsos incautos aggressi, capiunt, & Mutinam die VIII. Julii ducunt, qui deinde Bonacossi Capitanei jussu in Castellarii Arce in vinculis conjiciuntur.

Gorzeria de Montemellono Prætore novo designato Augusti XXII. die Canis Scaliger, Passerinus, & Franciscus Bonacossi, collectis undique copiis suis, Regium invaserunt, & primo adventu agrum omnem procursantes, vicos ferè omnes, suburbanaque loca omnia igne ferroque populantur, nulla etiam domo in Sancti Petri Suburbio tanti incendii & exidii immune. Et hæc fuit Septembris dies tertia, qua novo hoc impetu Mutinenses bello Regium sunt adorti. Die post hoc Octobris prima Franciscus Bonacossus cum equitatu, peditatuque toto in Castrum Budrioni erupit Regiensis Comitatus ipsius, & cùm adventu primo potiri haud potuerit, Oppidanis acriter resistentibus, obsidione cingit, & obsessum summa vi nititur oppugnare. Sed die sexto, ubi incolæ Principis hostis fidem habuere, & Castrum, & sese commiserunt illi. Ingressus itaque Franciscus locum, subita vi incolas opprimit, & spoliat, domosque & ædificia omnia funditus evertit, & Campanam Castri Mutinam jussit apportari, quam Turri Populi impositam, Campanam ab igne postea dixerunt.

Post excidium Budrioni Franciscus octavo die Mensis ipsius Sancti Martini Robertorum Castrum invasit, & obsidione jam cingebat, cum nuntiis advolantibus, Bertrandum Apostolicum Legatum Civitate Placentiæ fuisse potitum, Franciscus cœpta obsidione soluta Mutinam continuò redit cum exercitu. Et Oratoribus hinc inde statim missis, Regienses cum Bonacosso pacis nova fœdera percusserunt, bannis publicis & Mutinæ & Regii resonantibus, & pacem edicentibus, damnis statim ubique & nocumentis omnino sublatis.

Quar-

[A] Quarto Novembris die, Francisco Bonacosso jubente, Bombolongus alter ex domesticis Francisci Menabovis equitis Ferrariensis, licèt tunc exulis, laqueo suspenditur in foro Mutinæ; erat enim Menabos ipse diebus illis belli Capitaneus Generalis.

Posuerunt & die ipsa, sive altera, ut dicunt alii Mutinenses, Massario Fabricæ tunc existente Thomasino Ferro, marmoreum Pergulum, quod & nunc visitur, ubi verbum Dei prædicant Christi resonantes tubæ, in Ecclesia Beati Geminiani.

Anno MCCCXXIII. Unusquisque audiat quid mirandum, sed ultione Divina taliter non mirandum. Prædictus Dominus Passarinus unus ex [B] dictis Tyrannis, ad quos dictus Legatus accesserat deponendum, ipso Legato pervento ad Civitatem Placentiæ antedictæ, victualia omnia necessaria ad Civitatem eamdem, ad petitionem præfati Legati, spatio temporis destinavit, quibus carebant ejusdem Civitatis intrinseci: & hoc tam cupiditate pecuniæ, quàm livore odii de Vicecomitibus prædictis. Quod quidem fuit fovea, in quam incidit in posterum ipse D. Passarinus.

Eodem Anno Cives quidam cuderunt falsæ monetæ quantitatem maximam, & Mutinensis Populus ex hoc mirum in modum & inextimabili damno affectus fuit.

Tractaverat clam præteritis diebus Franciscus [C] Bonacossus cum Bononiæ extorribus aliquibus, & Medicis viris magnæ auctoritatis tunc in Urbe illa, ut Castro-Francho potiretur. Cùm die tamdem Aprilis XXIX. conscii facinoris locum ipsum invadunt, & primo adventu capiunt, Franciscoque statim rem significant, eò cum exercitu continuò advolat Bonacossus; sed Oppidanis ipsis ad arma concurrentibus, & ingressis hostibus haud impigrè resistentibus, acriter aliquamdiu pugnatum est. Et fusi tamdem captique Medici, & extorres illi, quibus omnibus Populus ille subitò colla laqueo fregerunt ad unum. Et præsidiis continuò circum Circas & portas dispositis, occurrentem Bonacossum non modò sustinuerunt, sed frustratum spe abire [D] coëgerunt. Quo etiam die Mutinæ Populus muro Urbem cingere incœpit.

Hoc tempore Bertrandus Legatus sententiâ suâ Commune Mutinæ generaliter, & Cives aliquos specificè, Passarinumque, & Filium, & Butironum fratrem Hæreticos promulgavit, Civitatemque Ecclesiastico interdicto supposuit.

Undecimo Novembris die Fregnanenses Welfi cum Gibellinis novo fœdere, & amicitia conjunguntur Passarini opera. Quibus etiam diebus Mutinæ in Palatio novo Communis, & pleno Consilio declarari jussit idem Princeps, se Franciscum ejus filium Capitaneum Generalem suum instituisse.

Anno MCCCXXIV. Vere novo jam ingresso, [E] Bonacossus, copiis suis omnibus Urbe eductis, ad Castri Monzoni expugnationem se convertit, & dispositis jam rebus omnibus adversùs Oppidanos, illis etiam ad se tuendos resistentibus, intervenientibus tamdem amicis, Castri administratio Francisco Bonacosso permissa est. Qui & sequente Julii Mense murum Urbem claudentem à Porta Albareti in Portam Ganaceti usque festinanter etiam erigi jussit, & fundamenta poni muro à Porta Bajoariæ ad Portam usque Civitatis-Novæ.

Quo etiam tempore ingens adeò tempestas repentè exorta est, & procellæ vis, ac ventorum rabies imbre mixta, terribilibus & crebris ignibus præsentem veluti mortem Mutinensi Populo minantibus, ut terræ sata non modò, & uvæ, sed arbores ferè omnes ab imis radicibus eversæ, solo fuerint æquatæ, Paganino de Tocolis Parmense Urbis tunc Prætore.

Tarabotto Anconitano novo Prætore designato XXIII. Augusti die, Consilio Populi novum Palatium in Regali Strata, ut inquiunt, quod vulgus Consiglerîam novam dixerunt, ædificant.

Per id tempus facta fuerunt Mutinæ Comitatinorum extima, quod quidem fuit ipsorum destructio, & ad paupertatem deductio. Nam ipsi Comitatini ad tormenta funis per quemdam iniquitatis plenum D. Nicolaum de Cavena Vicarium in Mutina pro præfato D. Passarino trahebantur, & oportebat unumquemque metu tormentorum duplum veræ extimationis, scilicet terras proprias extimare.

Anno MCCCXXV. Obizone Marchione Estensi, Passarini, & Colligatorum Principum omnium exercitus totius duce, Montis Zibii Castrum funditus est eversum; & ob id Bononienses instructis copiis se moverunt in Mutinenses. Alia quoque præstiterunt hoc anno præfati Principes. Duxerat Legatus Apostolicus Mense Julio exercitum, auxiliaribus etiam copiis Parmensium, & Populi Placentiæ accinctus, in Burgum S. Domnini, qui locus defecerat ad Azzonem Vicecomitem. Marchiones ergo Estenses, Mantuanus Princeps, & Veronensis, aciebus instructis, quo Placentinos revocarent & Legatum, in Placentinum agrum incursionem fecerunt, & vastando populandoque regionem eam penitus consumpserunt.

Sed ut hæc clariùs exponamus, sciendum est, quòd die Lunæ XVII. Mensis Junii Franciscus de Bonacossis, Civitatis Mutinæ Capitaneus & Dominus Generalis cum suo exercitu ad Castrum Florani Diœcesis Mutinensis sub custodia Nobilium de Saxolo existens proditione tetendit ad obsidendum, ipsis Nobilibus de Saxolo cum parte sua in treuga existentibus cum ipso Capitaneo, & patre ipsius D. Passarino. Castrametando circum Castrum prædictum diebus octo, diu noctuque machinis machinantibus in eodem, tamdem compositione facta, Intrinsecis ejusdem Castri in fiducia positis rerum ipsorum, atque personarum, per Bernardinum filium D. Saxoli & Nobilibus de Saxolo prædicti ibidem tunc extantem, dictum Castrum eidem Capitaneo fuit traditum. Quod idem Capitaneus, & Pater ejus, ad Castrum Saxoli ad exercitum existentes, fecerunt funditus dirupari. Deinde dictus Capitaneus inde discedens cum suo exercitu universo in obsessum perrexit Saxolum, ad quod præfatus D. Passarinus, D. Canis Grandis de la Scala, & Obizo Estensis Marchio tunc in liga insimul existentes, cum suis gentibus in favorem Capitanei antedicti magnificè accesserunt, diebus octo castrametantes ibidem. Demum dictum Castrum die secundo Mensis Julii subsequentis concordia habuerunt, Johanne, & Azzone Nobilibus de Saxolo cum personis & rebus suis discedentibus de eodem, & Castrum Montis Zibii, ubi præfatus D. Saxolus, & filius tunc extabant, accedentibus cum fiducia, cujus Castri murum novum funditus evellerunt, foveas insuper explanando ipsius Castri. Ob quam causam orta guerra extitit, & incœpta inter Commune Bononiæ, & prædictos Dominos & Commune Mutinæ antedictum, & hinc inde damna maxima evenerunt, ut inferiùs suo ordine patefiet.

His autem exercitibus ad Castra prædicta extan-

extantibus, dictum Commune Bononiæ suas gentes pedibus & equo in quantitate non modica destinavit ad Villas Albareti, Sorbariæ, & Ronchaliarum, & partes illas Diœcesis Mutinensis, domosque undique comburentes, omnia etiam spoliantes, homines & mulieres more animalium perimentes. Elapsis autem diebus plurimis Bononienses præfati iteratò pergentes à Strata Regali supra in Diœcesi Mutinæ cum suo exercitu universo, Villas ferè undique depopularunt & cremarunt, immensè homines & mulieres perimentes, & omnia spoliantes, & Turrim de Nizola per vim capiendo, & eamdem funditus evellendo, Intrinsecis ibidem ultra quàm triginta inter mulieres, & homines, & infantes interemtis, nolentes eisdem aliquatenus misereri. Demum iidem Bononienses cum Populo & Militibus, armatis manibus in Episcopatum Mutinæ sunt ingressi, Villas Albareti, Sorbariæ, Soleriæ, Solariæ, Ronchaliarum, Limitis, & Camuranæ, & partes illas, ac in Quarantularum Curia, quam quidem Domini Mutinæ possidebant, ferè undique derobantes, domos cremantes, personas gladiis perimentes, & capientes easdem. Incidentes insuper flumen Panarii in loco dicto Volta-Salara, ita quòd tempore plenarum ac pluviarum Villas circumstantes aquæ undique submergebant.

Vigesimo nono Septembris die in aurora, seu circa, Castrum Montis Vellii Diœcesis Bononiensis, præfati Domini Mutinæ cum suis gentibus proditione Intrinsecorum arripuerunt Communi Bononiæ antedicto. Cùm autem ad notitiam ipsorum Bononiensium pervenisset, prædictum Castrum usurpatum fuisse, statim illuc circum tradiderunt suas gentes, castrametantes ibidem, ac in partibus illis in obsessu Castri illius per Mensis unius & dimidii spatium, sive circa, illud Castrum adeò coarctantes, quòd nisi illi, qui Castrum tenebant, celeriter habuissent succursum, illud Communi Bononiæ reddere cogebantur.

Die Veneris, quinto decimo mensis Novembris Mutinenses in alta vesperarum hora, eosdem Bononienses in maximo conflictu prostraverunt, interfectis ibidem ultra quàm tria millia hominibus bellatoribus de Bononia, & soldatis eorum, & captis mille quingentis & ultra ex eis. De quibus captis ultra sexcentum fuerunt in carceribus Communis Mutinæ captivati sinè Nobilibus & Magnatis. Et tunc stationes Communis circumstantes plateam fuerunt carceres ordinatæ, ipsis in eisdem stationibus introclusis. De quibus captis Nobilibus de extrinseci Mutinæ D. Saxolus de Saxolo, Jacobinus & Gerardus de Rangonibus, Potestas Civitatis Bononiæ, de Sabadinis duo, tres de Argelata, duo de illis de Sala, & plures alii de Nobilibus & Magnatis Civitatis Bononiæ, & D. Malatestinus de Malatestis, Nicola Ariminensis. De peremtis dictæ Civitatis Bononiæ fuerunt duo de Becadellis, & plures alii, Albertinus de Boschetis de Mutina, ejusdem Civitatis tunc extrinsecus. Lucratis ibidem millibus equis & ultra, & ultra quàm centum interfectis; depopulatis etiam ibidem tentoriis, balistis, loricis, clypeis, curatiis, vestibus equorum, arredibus; pannis aliis, & arnensibus tam à dorsis, quàm à lectis, & aliis arredibus ad prœlium & exercitum opportunis, ac pecuniis in maximis quantitatibus, & immensæ extimationis, ultra ducentum millia florenorum.

Persequentes eosdem ipsa die ab hora conflictu, quæ fuit hora vesperarum, usque ad horam serotinam fugientes equo & pedibus ad Castra Bazani, Savignani, Oliveti, Saravallis, & Crespelani, atque Plumatii, & partes illas. Et nisi dies defecisset eisdem, ultra quàm decem millia fuissent ex ipsis Bononiensibus captivati. Erat enim exercitus eorumdem Bononiensium viginti millium peditum bellatorum, & equitum duorum millium bellatorum, vel circa; Mutinensium verò exercitus exstabat duorum millium equitum bellatorum, & peditum quinque millium.

Ipso autem sero Populus Mutinensis ad Castrum Bazani castrametatus extitit extra valla. Præfati verò D. Passarinus, Marchio, & Aczo cum suis gentibus ipsa nocte Crespelani extra valla castrametati fuerunt: quod Castrum mane sequente per Intrinsecos fuit traditum eidem D. Passarino. Quo habito gentes prædictorum eumdem Castrum omnibus spoliarunt.

Eodem verò die, & sequenti nocte ipsorum Dominorum Mutinensium ibidem castrametatus fuit exercitus universus, facientes eorum currus, & quadrigas rerum & victualium ponderatos illuc conducere, quæ remanserant ad Castrum-Vetus Diœcesis Mutinensis die Veneris præcedenti.

Mane autem facto, scilicet die Dominico subsequenti præfati inde ad Burgum Panicalis cum universo exercitu profecti sunt, depopulantes circumvicinas Terras, & ferè undique concremantes; castrametantes ad dictum Burgum situm in Strata Regali distans à Civitate Bononiæ per tria milliaria, sive circa. Deinde ad diem Sabbati proximi subsequentis domos, Villas, & Palatia à vallis extra depopulantes, & undique comburentes, videlicet Samogiam, Unzolam, Rastilinum, Argelatam, Sanctum Johannem, Castrum-Franchum, Manzolinum, Plumatium, & cetera circumstantia; merlos Pontis de Reno, ac ipsum Pontem in tribus locis frangendo, necnon Cluxam Reni, quà aqua labitur ad Civitatem, pridem destruendo, & alia maxima inextimabilia damna & opprobria inferendo in recompensationem eorum, quæ hactenus Mutinensibus indebitè intulerant. Depopulati etiam fuerunt domos per Stratam Regalem, cremantes usque ad Januam Civitatis, jactantes cum manibus lapides in eamdem in majorem opprobrium Bononiensium prædictorum, ac catenam ejusdem Januæ Civitatis accipientes cum triumpho.

Insuper à dicta Porta Civitatis ad Pontem Reni facientes equos currere ad Pallia, & scarleta, unum videlicet pro Communi Cremonæ, cujus Civitatis præfatus Aczo Dominus extitit titulatus; aliud pro Communi Ferrariæ; aliud pro Communi Mantuæ; & reliquum pro Communi Mutinæ antedicto, ad æternam memoriam præmissorum, & ipsorum Bononiensium scandalum & opprobrium. Captivi ipsorum Bononiensium in dicto exercitu, & super fovea Civitatis ejusdem per illos, qui eosdem ceperant, more animalium vendebantur.

Ipsa autem die Sabbati vigesimo tertio Novembris ipsius, præfati Domini concrematis domibus dicti Burgi, & omnium spoliatis, inde ad Castrum Crespelani pariter redierunt, facientes muros, & Turrim prælibati Castri funditus dirupari, domos autem prædicti Castri, ac Villas undique convicinas facientes omnium spoliari, & comburi vehementer. Die autem sequenti Castrum Bazani eidem D. Passarino fuit traditum per Intrinsecos. Die verò Martis se-

sequenti omnibus sic peractis, & aliis immensis brevitatis causâ nunc obmissis, prælibati Domini cum universo exercitu inde super Pontem S. Ambroxii, tunc die Dominico decimo septimo Novembris per Bononienses noviter derelictum, quem antea Mutinensibus per annos plures occupaverant, felici ac gloriosa victoria remearunt.

Anno MCCCXXVI. die XXVIII. Januarii percussa Pacis fœdera fuerunt, cujus conditiones fuerunt hæ. Obsides XII. Passarino dedit Bononiæ Populus Mantuam ducendos, ubi ad Passarini interitum usque fuerunt. Captivi Bononienses omnes libertate donati cujuscumque gradus. Extorres etiam Mutinæ, qui Bononiensibus militaverant, Saxolo excepto, & Guidone Riva, qui Mantuam se transtulerat habitatum. Qui Saxolus mensibus subsequentibus Mantuæ, veneno ei exhibito Passarini jussu, vitam finiit, è carcere liberato Guidone illo.

Reddita sunt Bononiensibus Castra Montis Vellii, Bazani, & Savignani cum omnibus juribus pertinentiis & habentiis eorum, etiam si Mutinæ Civitas justè titulum, & jus in ipsis habeat. Et versa vice Bononienses Mutinensibus restituerunt Castrum Nonantulæ, & Turrim de Canolis, quæ loca Bononia Mutinæ occupabat. Asserentes, Castra ipsa Bazani, & Savignani, licèt antea, & sub Principatu etiam Azzonis Marchionis Estensis, Civitatis Mutinæ districtus fuissent, sententia tamen Bonifacii Pontificis Octavi tamquam Arbitri, & Populi utriusque Arbitratoris, Communi Bononiæ adjudicata fuisse. Castrum autem Nonantulæ furto exceperant Bononienses Mutinensibus, & Turrim de Canolis, præsidio & custodibus pretio corruptis, similiter, duodecimo tunc præterito anno. Solverunt tamen Mutinenses, & Passarinus tria millia librarum Bononiensi Populo. Cesserunt Bononienses omni juri, si quod habebant & habuissent, in eo agro toto & locis omnibus ab Mutina Bononiam versùs expositis, & Passarino, Mutinæque consignarunt. Summa certa negligentia Mutinensium, qui passi sunt tantam partem agri sui sibi occupari à Bononiensibus.

Romanus Pontifex Legatum hoc Anno miserat in has partes. Hic Regii Urbe potitus, cum Corrigiensibus, qui Romanæ Ecclesiæ Parmam subjecerant, & Ecclesiasticarum copiarum parte Burgum fortem, & Suzariam, & quicquid Mantuanus possidebat citra Padum, premebat. Verzutius cum Pontificis exercitus parte altera in Mutinensem agrum irrupit. Venit itaque Verzutius ipse mense Martii, & in Castrum Saxoli ducens, militem omnem circa locum disposuit, & machinis reliquisque ad expugnationem necessariis præparatis, octavo ab adventu suo die, pugna haud modica Saxolo fuit potitus; Oppidani enim viribus diffisi, Ecclesiasticæ fidei commissi, deditionem fecerunt. Movit post hæc Verzutius in Castrum Marani Araldini, quod acri prœlio vicit & spoliavit. Invasit postea Spezanum, & Gorzanum, quos non prœlio, nec vi, sed concordia in fidem recepit. Demum Castrum Vetus subita cinxit obsidione, & obsessum vi cepit, & præsidium defensoresque omnes ad unum usque trucidavit, exceptis Ingrame de Gorzano, & Lodrengho de Solaria Oppidi Potestatibus.

Mutinam his diebus allatæ fuerunt hujusmodi literæ. „ O Christi fideles ad legendum & intelligendum properate scriptum per Religiosum virum D. Pœnitentiarium Reverendissimi in Christo Patris Domini A. de Pelagrua S. Mariæ

A in Portu Diaconi Cardinalis ad Monasterium Nonantulanum, & ab Avenione, seu à Romana Curia in ea, quæ sequitur, forma destinatum in Quadragesima Domini, salutiferæ Nativitatis MCCCXXIV. Ind. VII. tempore Sanctissimi Patris Domini Johannis Dei providentia Papæ XXII. Novum vobis significo, quòd postquam Christus ascendit in Cœlos, ita continuata realis revelatio non est facta, nec audita, sicut contigit in Castro Alesti, quod distat ab Avenione Novinasensis Diœcesis per XII. leucas, quod bene duo millia ignium facit. Nam pridie ante Festum Nativitatis Domini proximè præteritum mortuus fuit ibidem quidam Cerdo nomine Guilielmus de Corvo, cujus anima statim post Fe-

B stum Nativitatis Domini apparuit notanter in domo sua, qua obiit circa galli cantum, audientibus multis vicinis suis. Statim vocati fuerunt Canonici Regulares, Monachi nigri, Prædicatores, Minores, & Carmelitani cum Domino dicti Castri, & Consulibus, necnon Vicario Regis Franciæ unà cum centum fide dignis de Villa, ut viderent, & audirent, quid ille Spiritus loquebatur. Demum dictus Spiritus respondit de XLVI. Quæstionibus in duabus noctibus, inter quas quæstiones fuit quæsitum, si bonus erat Spiritus, vel Malignus; & ipse respondit, bonus, intendens habere beatitudinem cum Beatis. „

Reliqua omitto, non enim faciles sperarem Lectores ad hujusmodi gerras.

C Verzutius post Castri Veteris expugnationem, die III. mensis Julii, instructis copiis, & Extorribus omnibus Civitatis Mutinæ sibi adjunctis, Rangonis scilicet, Mirandulensibus, Saxolis, Grassonibus, Savignanis, Guidonibus, & Buschetis, cum eorum factionibus, Nobilibus, & plebejis, in Suburbium Civitatis Novæ, cum horrenda rerum omnium strage, & custodum, præsidiique loci illius cruenta cæde, irrupit, fugientesque alios ad Portam usque Urbis insequitur, tanto etiam impetu, ut nonnulli ex Ecclesiasticis fuerint ingressi, duo quorum prope Heremitarum Ecclesiam hostium gladiis cæsi interierunt. Castra posuit in Suburbio ipso Ver-

D zutius, & die noctuque Villas circumstantes, & agrum omnem Mutinensem circa & ultra Regalem Stratam, Suburbiaque reliqua igni ferroque populabatur. Territus & prosternatus omnino Comitatus totus, exceptis Castro Campo Galliano, Finali, & Sancto Felice, Spilambertoque, Verzutio sese dedere, & victui necessaria quæque præbebant quotidie. Suburbium ipsum fossis etiam latissimis Verzutio cinxerunt. Quod ubi Civitas inspexit, nacta opportunitate, Urbe egressi, Ganaceti, & Albareti Suburbia igne penitus consumserunt, tantarum flammarum ne parva quidem casa immune.

Ut Castri Formiginis incolæ Verzutii impetum in Civitatis Novæ Suburbia acceperunt, Nuntiis etiam Ecclesiæ eò transmissis, ditioni

E illius locum commisere, quarto scilicet mensis die. In quem Clericum de la Mirandula ex Picorum Familia Potestatem subitò Verzutius misit.

Ad XXV. Julii diem usque Urbem Mutinæ Ecclesiastici infestarunt, Populo acerrimè conatum eorum omnem sustinente. Quo tempore resonantibus tubis hostiles copiæ ipsæ Suburbii illius domibus omnibus ad unam usque incendio consumtis & dirutis, Carpi Oppidum invaserunt, & obsidione cinxerunt, diebusque plurimis circumstantem agrum, Limitis præcipuè, & Soleriæ, igni ferroque populantur; sexcenti namque viri Equestres, Pedites tamen plures, præ-

præter Extorres jam dictos, Verzutio militabant. In solo Carpi Districtu sexcentas domos & plures Ecclesiasticus exercitus conflagravit, plurimasque alias Mutinensis Comitatus Carpo adjacentes. Quæ omnia maximè moverunt Castri Marani de Campilio incolas, & Guiliæ, ut statim deditione facta loca illa Verzutio assignarent.

Anno MCCCXXVII. Johannes de Panceriis Prætor VIII. tantùm die Februarii sedere cœpit, licèt munus illud eidem fuerit designatum Kalendis Januarii. Eo Prætore, Rustici omnes, qui metu belli, & tantorum Verzutii motuum, Urbem Mutinæ cum familiis suis & supellectile ingressi fuerant, ad unum usque expelluntur. Et Castellarani Castrum proditione incolarum ditioni Ecclesiæ subjicitur, occiso etiam ab ipsis, qui intus erant, Azzone de Rodilia Passarini nomine locum regente. Et Mutinenses undique adeò premebantur, ut platea sacra Religiosorum Fratrum Minorum pro stabulo & venali foro armentorum assignata fuerit.

IV. Februarii die Legato Pontificis Romani Bononienses Urbem suam dedere, & Civitatem illam ingenti applausu & favore Bertrandus ipse excepit. Obviam etenim promiscui omnis ordinis & fortunæ viri effusi sunt, Artium & Legum Doctores, purpureis induti palliis, & caputiis varro suffultis. Carrocium purpura vestitum trahebat boum & bubulcorum non parva manus eodem colore culta. Affuit & Clerus, & Civitatis Episcopus. Ad Turrim usque Samogiæ processerunt. Præcedebant & Vexilla nigra, cujus causam Legato, ubi longa satis & quidem ornata oratione, claves Urbis consignarunt, aperuere. In memoriam scilicet conflictus horrendi illius accepti in Zapollini loco Anno MCCCXXV. afferentes lugubrem colorem ipsum ab Reverendissima Dominatione sua vindictam petere: quam & Legatus alacriter se facturum respondit.

Ut igitur & Bononiensibus, & votis suis propriis, satisfaceret Legatus, studebat die noctuque, quo Mutina potiretur; & nunc bellicis motibus, nunc prece & pretio Civitatem istam movere conabatur. Quamobrem secunda Aprilis die Thomasinus de Gorzano cum Nobilibus aliquibus aliis, plebejisque pluribus Welfis Gibellinisque, qui intus erant, promiscuè consilium iniit, & tractarunt unanimiter, Legato, Zapinoque de la Mirandula, & Boschetis, Ecclesiæ militantibus, urbem tradere. Quod ut nocte sequenti fuit detectum, Thomasinus ipse, & Albertus de Soleria, aliique plures matutino crepusculo capti in carcerem fuerunt deducti, & plurimi fuga salutem sibi quæsierunt. Mane autem facto, & diligentiùs etiam facinore percognito, Thomasinus, & Albertus in foro publico capitali supplicio fuerunt affecti. Septem alii plebeji pinnaculis muri Portæ Rodeclochæ laqueo necati, cùm priùs tamen per urbem totam calida forcipe eorum carnes incisæ, imo & assæ fuissent.

Legatus in Curiam Quarantularum statim erupit, circumstanteque agrum omnem & vicos ingenti præda & ruina vastavit; rediensque Turri de Canolis XV. Aprilis die, & Turri Foscalearum XIX. custodum proditione potitur. Et IV. Maji Solariæ Castro Archipresbyteri de Passapontibus, quem Mutinenses loci præsidio deputaverant. Quos tamen motus ubi percepit Nicolaus de Ravanis Civitatis Vicarius pro Passarino, cognovitque titubantem non modò Populi animum, sed & Bonacossis jam infensum, ratus ulteriùs non esse differendum, abiit, relicta Civibus urbe.

O infelix & misera Mutina, quot & qualia damna & opprobria passa es! Nam longo tempore invisis gentibus pascua facta es, & tui campi incurati & steriles, ac domus tuæ per annos horridæ & inhabitabiles permanserunt per tuam Diœcesim universam. Et Tyranni crudelissimi te tenendo tuorum filiorum marsupia vacuarunt, ita quòd intus, & exteriùs, & undique cruciata fueris illorum actibus, quos nutristi. Sed Deus omnipotens, prece & meritis Patroni tui atque Defensoris Geminiani Beatissimi Confessoris, cordium velatos oculos velamine tenebrarum Invidiæ & Avaritiæ tuorum Nobilium, ac aliquorum Popularium aperuit, & eosdem taliter prudentia & virtutibus illustravit, quòd die V. Junii præsentis Anni MCCCXXVII. tuos filios, & te ipsam ac eosdem à dominio prædictorum de Bonacossis, te ipsam Civitatem, & colonos tuos crudelissimè opprimentium, nulla læsione hinc inde habita, liberavit, Stipendiarios ipsorum Tyrannorum, & regimina, sinè aliqua sanguinis effusione de eorum regiminibus & officiis deponendo, & ad portum salutis & propriæ libertatis ab hora manè ante Tertiam ipsa die conduxit suaviter te & ipsos.

D. Homodeus de Cortona Potestas Mutinæ post expulsionem D. Passarini. Et incœpit regimen suum die V. Junii, & duravit usque ad Kalendas Augusti in MCCCXXVII.

Dicto tempore Communitas Mutinæ, & Intrinseci Civitatis ejusdem Civitatem regentes, videlicet Nobiles de Piis, de Gorzario, & de Fredo, ac adhærentes eisdem Nobiles & Plebeji, cum præfato D. Bertrando Legato Civitati Bononiæ pro Ecclesia dominante, infrascriptis pactis & conditionibus pacem & concordiam per specialem Syndicum & Instrumentum publicum celebrarunt. Videlicet quòd idem Legatus, quantum ipsius potestas & auctoritas se extendit, ab omnibus processibus, sententiis, condemnationibus, ac mulctis tam temporalibus, quàm spiritualibus contra ipsum Commune Mutinæ, Universitatem, & singulares personas ipsius Civitatis & ejus Districtus, qui ipsi Civitati obediebant tempore ipsorum processuum illatis, liberavit penitus & absolvit. Videlicet ab injuriis Romanæ Ecclesiæ irrogatis, & damnis illatis occasione mortis quondam Raymondi Actini de Spello tunc Marchiæ Anconitanæ Rectoris, & de prædatoribus thesauri, quem idem Raymondus de dicta Marchia veniens ad Sedis Apostolicæ Cameram faciebat deferri, & satisfacere minimè potuerunt. Ac etiam quia prædicto Passarino Tyranno, qui contra processus & sententias factos, & illatas per præfatum Papam Johannem XXII. contra eum, regimen, & dominium dictæ Civitatis Mutinæ, & certarum aliarum Terrarum Imperii, per tyrannidem diu tenuit occupatum, paruerunt, & tamquam ipsius Civitatis & Districtus Domino intenderunt, & adhæserunt. Ex eo etiam, quòd postquam dictus Passarinus fuit de crimine Hæresis condemnatus, sibi sicut antea paruerunt, ac obedierunt; necnon eidem, ac Rainaldo, & Obizoni de Domo Estensi, Galeatio de Vicecomitibus de Mediolano, ejusque fratribus, similiter de Hæretica pravitate damnatis, favorem, auxilium, & consilium multipliciter impenderunt. Necnon quòd ipsi Intrinseci Mutinæ nominare & eligere deberent tres personas, & idem Legatus unum ex ipsis tribus in Rectorem Civitatis ipsius, quem voluerit, confirmare deberet. Qui voca-

ri deberet Rector pro Romana Ecclesia ipsius Civitatis, ad arbitrium, familiam, & salarium, ac terminum in Statuto Communis Mutinæ comprehensum, habendo etiam ipse Rector tertiam partem clavium portarum omnium ipsius Civitatis in sui custodia & bailia; & ipsi Intrinseci reliquas partes duas. Quam personam forma prædicta nominatam & electam iidem Intrinseci recipere & tenere deberent in Rectorem, vacante Imperio, de sex in sex menses in Civitate prædicta pro Romana Ecclesia antedicta, & jurando idem Rector in manibus præfati Legati, vel alterius, cui ipse Legatus duxerit committendum. Nobiles verò ad mandata ipsius Communis, & Regentium, in Civitate non existentes, non possent ire vel stare prope Civitatem eamdem per duo milliaria; sed possent ire etiam & stare longè ab ipsa Civitate per duo milliaria, ubicumque voluerint, à Fortiliciis extra, quæ custodiuntur per Commune Mutinæ, & Regentes nunc Civitatem eamdem; & habere omnia eorum bona & jura & omnia eorum bona, condemnationes, collectæ, & mulctæ, & alia gravamina eisdem ab inde retro imposita, deberent cancellari & aboleri in totum. Populares autem omnes (exceptis Triginta, qui ad confinia extra Circas commorari deberent, nominandis per ipsos tunc Civitatem Regentes) possint liberè in ipsam redire Civitatem, & habitare, & ipsorum jura & bona habere; necnon de eorum bannis, condemnationibus, processibus, collectis, & mulctis ac gravaminibus universis, sinè onere solutionis Communi Mutinæ, deberent penitus cancellari. Necnon quòd ipsi tunc Regentes Civitatem eamdem, & eorum Amici per præfatum Legatum in ipsa Civitate, ejusque Episcopatu manutenerentur in statu pacifico, & honores, officia, & beneficia ipsius Civitatis, & Episcopatus habeant, & perfruantur eisdem. Et quòd ipse Rector, qui pro tempore fuerit in Civitate eadem, recipere non deberet, vel intrare permitteret aliquam gentem equestrem vel pedestrem absque voluntate dictorum Regentium Civitatem eamdem. Et in iis etiam, & aliis etiam, quæ statum ipsius Civitatis, & ipsorum Regentium, respicere viderentur, voluntate ipsorum Regentium tenerentur. Necnon quòd homines Terrarum, Villarum, & locorum Districtus Mutinæ, qui tenentur per Ecclesiam, vel Extrinsecos Mutinæ, respondere dicto Communi Mutinæ tenerentur in collectis, factionibus, & debitis consuetis. Et modo simili de hominibus, Universitate, & habitantibus Castri Saxoli, si & prout de jure tenentur. Stratæ, viæ, & itinera tam per terram quàm per aquam liberæ, securæ, & expeditæ permanere debeant, sicut pacis tempore esse solebant, aliquibus Repræsaliis non obstantibus, suspensis ad ipsius D. Legati beneplacitum voluntatis in omnibus Terris ejus jurisdictioni subjectis. Et quòd Datia, & Gabellæ Communis Mutinæ possint colligi, augumentari, & minui, prout ipsi Rectori, Communi, & Regentibus placuerit & videbitur; ac expensas fieri, prout de ipsorum Regentium processerit voluntate. Et pro ipsis expensis faciendis Coltas imponi & exigi in ipsa Civitate Mutinæ & Districtu, salvo quòd gentes Ecclesiæ, Ambassiatores, & Nuntii, ac Stipendiarii ipsius Ecclesiæ & Legati ad ipsa solvenda minimè teneantur. Remissis omnibus injuriis, robariis, & damnis hinc inde tempore Guerræ illatis, ita tamen quòd ipsi Intrinseci Cives, Comitatini, vel Stipendiarii deinde ad triennium non teneantur ad eundum vel mittendum in cavalcata aliqua, vel exercitu, sive ambassiata modo aliquo sinè causa. Flumen verò Scultennæ ad expensas Communis Bononiæ, vel Terrarum ipsius Diœcesis Bononiæ, ad lectum & antiquum locum ipsius Fluminis reduci debeat, ac habere discursum & anditum expeditum ad ipsius Legati beneplacitum & arbitrium. Capti autem omnes hinc inde sinè solutione aliqua debeant liberè relaxari. Nobiles verò de Montecuculo, Sarazano, & Comites de Gomola, & eorum complices, & sequaces, & omnes alii Cives, & Comitatini Mutinæ, volentes ad mandata Ecclesiæ, & præfati Legati venire, sint & esse intelligantur, si voluerint, in pace & concordia antedicta. Castris autem Formiginis, Gorzani, Maranelli, & Solariæ dicto Communi Mutinæ restitutis. In his omnibus & singulis per pactum expressum Jure Imperii semper salvo. Hæc autem omnia & alia eidem Legato per specialem Syndicum ejusdem Communis Mutinæ observari debere promissa fuerunt, corporali præstito juramento. Et similiter per eumdem Legatum promissa fuerunt Syndico antedicto, ut constat Instrumento publico scripto per D. Bonifacium de Carentanis Notarium. Quæ Concordia & Pax Die Octavo exeunte Junio in Vigilia Beati Johannis Baptistæ in Civitate Mutinæ extat publicata.

Et tunc in Vesperis ejusdem diei incœptum fuit in dicta Civitate Mutinæ per Clerum Officium Ecclesiæ publicè celebrari, & multa gaudii, exultationis, & salutis tunc in ipsa Civitate ob ipsam causam fuerunt alacritate celebrata. Quæ quidem Pax duravit annis duobus, & quinque mensibus, sive circa, per ipsos Intrinsecos delicto ingratitudinis, & livore invidiæ, & immoderato habendi amore ipsorum, extitit violata, ut infra suo ordine pertractabitur.

Anno MCCCXXVIII die XVI. Augusti Mensis, die Festivitatis S. Leonardi, tractatu, & assensu, ut asseritur, D. Canis Grandis de la Scala, D. Loysius de Gonzaga, & filii Cives Civitatis Mantuæ hora mane, auxilio Guilielmi Novelli de Castelbarcho, qui cum certis Theotonicis incognitus subitò Civitatem intravit eamdem per Portam, qua itur versùs Civitatem Veronæ, D. Rainaldum dictum Passarinum Civitatis ejusdem Mantuæ dominio privaverunt. Tunc perempto ipso D. Passarino, Franciscum, & Abbatem S. Andreæ ejusdem D. Passarini filios, necnon Guidonem, & Pinamontem, natos olim Butironi Fratris ipsius D. Passarini, ipsi de Gonzaga Nobilibus de la Mirandula tradiderunt, qui eosdem cum certis Mutinensibus eorum complicibus & sequacibus, more latronum ad Castrum Castellarium Diœcesis Mutinensis conduxerunt, & in fundo Turris ipsius Castri crudelissimè projecerunt, ad vindictam D. Francisci & Filiorum de la Mirandula, quos in ipsa Turri præfati Tyranni tractu temporis antea crudelissimæ morti tradiderant, ut supra dictum est. Idem verò Loysius ipso instanti tempore ejusdem Civitatis Mantuæ creatus extitit Dominus Generalis, spoliatis omnibus de Bonacolsis prædictis, & quampluribus eorum sequacibus & complicibus, rebus omnibus & thesauris: quæ spolia prædictus D. Canis, ut asseritur, valorem suscepit centum millium Florenorum. Ipsorum etiam Tyrannorum quidam Officiales, & Judex crudelissimus Rolandus de Carbonibus Bononiensis, primitus diversis suppliciis cruciatus, in quoddam Flumen reclusus in saccho est projectus. Et simili modo plures alii

alii dictorum Tyrannorum Ministri crudelissimè perierunt, ipsis & eorum familiis omnibus spoliatis.

Anno MCCCXXIX. Hectore Comite de Panico Civitatis Mutinæ pro Romana Ecclesia regente, quidam Presbyter S. Faustini Ecclesiæ Burgi Bajoariæ Rector in tantum ardebat quemdam nomine Albertinum Guitonum incolam dicti Burgi ætatis septuaginta annorum & plurium, quod die noctuque sinè ejus præsentia permanere non poterat, vagezando eumdem, ut moris est adamantis feminas vagezare. Et ob hoc per Vicarium Episcopi Mutinensis in quinquaginta libras Mutinensis extitit condemnatus & relegatus ad confinia extra Circhas. Demum elapsis annis pluribus quædam pessima mulier dicti Burgi in ultimis constituta Confessori suo in foro pœnitentiæ propalavit, se dicto tempore præsentis Anni MCCCXXIX. pistritias construxisse ad quamdam juvenem pistrizandum, ut ipsa juvenis quemdam juvenem diligeret vehementer. Super quibus pistriziis dictus Albertinus, antequam ipsa juvenis, tetendit suos gressus, ita quòd ipse Albertinus ipsarum pristiziarum malitia in talem ardorem incidit ad diligendum Presbyterum antedictum.

Per idem tempus Mutinenses Gibellini intrinseci adventum Ludovici Bavari audientes, inceperunt quasi omnes communiter gloriari, immemores versus dicentis:

A casu describe diem, non Solis ab ortu;

unus alteri enarrando: Evenit tempus, quale non fuit, ex quo esse cœpimus, & quòd Prædecessores nostri & nos optavimus toto tempore. Audi Reginos, & Parmenses, qui nostrum naturalem Dominum susceperunt, qui naturaliter ipsius & suorum Prædecessorum vestigiis inhæserunt, quamquam antea Ecclesiæ adhærerent, & Imperatori calcitrarunt. Multo magìs & nos, qui, & nostri Præcessores fideles sumus Imperii, & stetimus toto tempore, de contumacia meritò possumus reprehendi, in tanta contumacia permanentes, & tantum Principem, ac gentem ipsius recipere tanto tempore differentes. Utinam ipsum, vel Mareschalcum ejus valerem in Civitate Mutinæ intueri die uno, & altero de Seculo transmigrarem; nam & Patres nostri in sepulcris reclusi florentes sertos in eorum capitibus de hujuscemodi exultatione & salutis gaudio impressos habent. Alius asserebat: Filios duos habeo; nunc unum ex eis morti & periculo tradidissem, dum gentem talis & tanti Domini Mutinæ reviderem. Alter verò stultiùs asserebat: Vestes eorum unius tangere nunc valerem; & omnia, quæ teneo, essent tradita præcipitio & ruinæ. Sed tamen Romanos, Pisanos, Lucanos, & alios plures Italicos non consuluerunt de præmissis. Immemores eorum, quæ à furore Theotonico passi fuerunt Italici antedicti, ipsi Mutinenses voluntate cœcati, omni in hoc providentia & prudentia spoliati, tamdem unanimi multitudine & voluntate, plurium consilio obtinente, & senum, & sensatiorum consilio jam prostrato, & impulsu aliquorum Nobilium, & paucorum Popularium tali eventu suos superare vicinos sperantium, neque considerantium statum suum in statu pacifico & quieto exstantem, sed immoderato amore habendi, qui in pericula homines inducit sæpiùs & prosternit, instantissimè de speciali gratia unus alterius odio postularunt prælibatum Imperatorem, visitaturum Civitatem eamdem, & Cives ipsius tamquam benemeritos, ut transmitteret suas gentes eidem, Imperatori eidem insuper

A largiendo quantitatem trium millium florenorum. Qui Imperator petitiones hujusmodi exaudivit benignè, ut meruerunt ipsi Gibellini intrinseci Mutinenses. Et ex nobili gratia Comitem Palatinum de Turge Imperialis Aulæ Mareschalcum cum octingentis equitibus bellatoribus die Lunæ vigesimo septimo Novembris Anni hujus in hora Vesperarum vel circa, assensu Reginorum pariter & Parmensium, Mutinam destinavit. Qui eosdem Mutinenses tamquam benemeritos visitarunt, ut inferiùs patefiet, ipsis Mutinensibus laborum & damnorum Reginorum ac Parmensium de cetero clypeum offerentibus. Multi verò Mutinenses stolidi Populares,

B ignorantes quid agerent, eisdem Theotonicis obviam accesserunt, nedum ipsos, sed eorum arma & vestes osculantes, & ut Sanctorum Reliquias appalpantes, concinentes, ac eisdem narrantes: Hæc est dies, quam optavimus tanto tempore; & vênit tempus, quale non fuit, ex quo esse cœpimus, quod Patres nostri optaverunt, & caruerunt eodem; conducentes ex eis Theotonicis multos in suis domibus tamquam fratres. Sed eosdem pœnituit paucorum dierum spatio vix transacto, quia antequam se Theotonici separarent de Civitate eadem, in venenum mel ipsi permutarunt, ut inferiùs eorum denotabunt aliqua, sed non multa.

C Dictus D. Hector Comes de Panico factus est Vicarius in Mutina pro Imperatore in MCCCXXIX. & incœpit Regimen suum die Martis XXVIII. Novembris.

Dicto tempore prædicti Theotonici domos Civium, & Comitatinorum, quos Comitatinos Gaburos ipsi Theotonici appellabant, violentia occupabant; vinum, bladum, fœnum, & alia victualia derobantes. Expellentes ex domibus dominos & familiares eorumdem; & quos in eis permittebant, cogebant eosdem sibi, eorum expensis Mutinensium, emere necessaria. Si verò ipsi Mutinenses postulabant bladum sibi & suis familiis necessarium, quod habebant in domibus, recusabant ipsi Theotonici eisdem tradere Mutinensibus, nec accipere permittebant, nisi retinerent ab eisdem similiter alia victualia.

D Domos verò Burgorum & Villarum circum Civitatem milliariorum quatuor spatio, sive circa, undique diruentes, necnon districtum Mutinæ vino, stramis, & aliis victualibus usque ad inimicorum confinia pro majori parte undique spoliantes. Furtivè etiam die noctuque de animalibus, pecunia, & victualiis homines derobabant. Si autem querelam facerent de hujusmodi talibus, eosdem interficere minabantur; & conquerentes non valentes probare delictum, quòd minimè audebant, Mareschalcus prædictus ad pœnam talionis condemnabat eosdem; quam condemnationem ad pecuniam reducebat, ipso accusatore occultè pecuniam persolvente,

E quodam Officiale ipsius procurante, qui postmodum de suo labore debitum pretium extitit consecutus. Si autem res aliquas mercabantur, asserebant: residuum illius Tornensis, quod contra veritatem persolvisse dicebant, restituas, & persolvas. Ipsum autem venditorem negantem, aut fustibus flagellabant, aut ipsum expediebat solvere postulatum, & nihilominus rem venditam tradere sinè pretio. Cùm autem oportuerit, Comitatinos adventu ipsorum Theotonicorum, & motu guerræ, quam ipsi Mutinenses Intrinseci sustinebant, moveri per gentem Ecclesiæ & sequaces, & deserere rura sua, & in Civitatem remeare cum eorum familiis ad morandum: idem Mareschalcus col-

tam

tam XX. solidorum quemlibet rusticorum fecit sibi solvere sinè mora, pœna expulsionis ab ipsa Civitate, & amissionis omnium, quæ habebant. Minabantur autem Theotonici antedicti continuè omnes Mutinenses ejusdem Civitatis Mutinæ desolare, interficere, & bonis omnibus spoliare. Eisdem etiam Civibus, & Comitatinis Mutinæ commorantibus in circumvicinis domibus, in quibus morabantur, Theotonici antedicti gravia onera pecuniæ, vini, speltæ, ac aliorum, continuè imponebant, & extorquebant ab eis. Conquerebantur etiam ipsi Theotonici falsitate eorum, equos in stabulis etiam interfectos, vel vulneratos ab eis, in quorum domibus morabantur; & oportebat, ipsos Cives & Comitatinos secundùm extimationem, quam ipsi Theotonici faciebant, ipsis Theotonicis satisfacere de eisdem. Aggrediebantur etiam Cives & Comitatinos hujusmodi, asserendo se eisdem pecuniam mutuasse, petendo sibi satisfieri de eadem. Et ipsis Mutinensibus denegantibus, ut rei veritas se habebat, & Regulam ferream igne calefactam manu sumere offerentibus, quam accipiebant nulla habita læsione ipsi Mutinenses, Theotonici sic videntes asserebant, se nolle credere fallaci probationi hujusmodi, & hoc Arte Magica procedere asserebant. Tamdem ipsos Cives & Gaburos vi compellebant ipsi Theotonici sibi solvere quod petebant. Per loca etiam districtus Mutinæ accedebant homines insultando, asserendo, eorum socios per ipsos Mutinenses esse morti traditos; & sub simulatione hujusmodi homines perimebant, & rebus & pecunia spoliabant, privatos insuper carceres de omnibus faciendo, & ob ipsam causam pecunia spoliando eosdem. Ipsi etiam in ludo taxillorum furore commoti homines more animalium gladiis perimebant. Hujusmodi, & similia operantes, quod eorum metu Tabernarii, quos pecunia & vino continuò derobabant, clausis ostiis in tabernis continuè morabantur, eisdem & ementibus per fenestram arctam constructam in ostiis vina continuè impendebant. Cùm verò multi ipsorum Mutinensium sub terra occultaverint suas res, iidem Theotonici tali cautela ipsas perquirebant sepultas, adeò quòd in aliqua parte domus in terra foveam faciebant, in qua ignem accendebant, cujus caloris flatus aspirabat per locum terræ motæ occultationis rerum ipsarum. Quo viso illuc accedebant, & res sepultas avellebant exinde. Mercabantur etiam mercimonia, & res alias, & ipsis sibi traditis asserebant pretium solvere eorumdem de suo stipendio persoluto, recusantes solvere ipsa pretia. Multas autem stationes circumstantes plateam fractis ostiis noctis tempore derobabant, cujus metu mercatores commorantes in eis, suis mercibus evacuarunt, minantibus illis continuè omnia spoliare. Cujus metus causa multi etiam Cives se de Civitate & Diœcesi cum suis rebus & mercationibus separarunt; & reliqui Mercatores, & Stationarii suas apothecas in ipsa Civitate per spatium duorum mensium tenuerunt clausas. Multi etiam Cives, alii metu, alii amore, culcitras, pluminaria, & alias suppellectiles commodarunt eisdem, quas ipsi restituere recusarunt, nisi ea reemerent ab eisdem. Capiebant insuper homines, & eosdem pecunia, quam secum habebant, violentia spoliabant, conducendo ipsos ad carceres Mareschalci, & ipsos includendo in eis, accusantes eosdem ferre & expendere nummos falsos, de quibus carceribus non exibant, nisi redemtione pecuniæ mediante.

Die verò prædicta XXVIII. hujus mensis Novembris præceptum extitit per Capitaneos Cinquantinarum Civitatis ejusdem ad domum cujuslibet ipsius Civitatis de præcepto prælibati D. Hectoris Vicarii, ut die sequenti in mane quisque suam Coltam deberet solvere duplicatam. Audi novi Regiminis bonum principium; sed sic est.

De Clero audi meritam ipsum tunc pœnitentiam sustulisse. Qui laicales mores & habitus quasi in omnibus observabant. Concubinas, ut Uxores, palàm in domibus, lecto, & mensa, ac filios procreatos ex eis tenebant, omni honestate omissa. Grana & vina nondum nata minimo pretio emendo, & de eis cellaria faciendo, ut in futurum tractu temporis venderent cariora. Multi etiam ex eis sub fœnore pecuniæ vel frumenti suas pecunias mutuabant. Simoniam in acquirendis beneficiis & præbendis continuè exercebant. Cum Sanctimonialibus sacrilegium insuper committendo, in Monasteriis & locis sacris nimiis cibis & potibus, & ultra mensuram, crapula utendo, & continuè delectando in eis, ac in vestibus, & vano apparatu. Quidam verò Episcopus Naverensis de partibus Alemanniæ Legatus, ut asserebat, Antipapæ cum prælibatis Marescalco & Theotonicis ad dictam Civitatem Mutinæ tetendit, & perrexit, meritò tradendi specialiter Clericis pœnitentiam de reatibus hujusmodi & similibus.

Die sequenti adventum ejus in Civitatem, tradi fecit publicè in mandatis, ut omnes & singuli de Clero deberent divina Officia ad eorum Ecclesias more solito celebrare: aliàs in personis & rebus offendi possent licitè & impunè, custodibus portarum Civitatis ejusdem tradendo insuper in mandatis, ne extra ipsas permitterent Clericum aliquem pertransire. Quorum Theotonicorum, & præfati Episcopi metu, de Clero quasi omnes tam Regulares quàm Seculares se separarunt de ipsa Civitate penitus sinè mora. Et qui moram traxerunt in Civitate, eorum aliqui Officia celebrarunt; aliqui etiam metu Clericalem habitum deponendo, secularem habitum susceperunt, negantes se de Cleri genere sive secta, portando insuper habitum assesinum, ne nosci valerent per ipsos Theotonicos, esse Clericos forma aliqua. Fecit etiam idem Episcopus publicè interdici sono tubæ, more solito bannitorum, ut omnes Ecclesiarum, Clericorum, ac Episcopi Mutinensis Guidonis nuncupati, res habentes, ipsas eidem Episcopo Naverensi traderent sinè mora, die penultimo prælibati mensis Novembris, amissionis rerum pœna in hoc adjecta. Heu in quanto & quali Clerici residentes tumultu permanserunt prædictorum actuum metu! adeò quòd non audebant ipsi Clerici per Civitatem pergere aliquo modo, occultè in domibus permanentes. Si qui verò Clerici in Clericali habitu per Civitatem reperiebantur, per Theotonicos memoratos, vel alios eorum vestigia imitantes (de quibus ad præsens pro honestate nihil aliud enarratur) tamquam latrones erant sustibus cruciati, & vestibus dilaniati. Res autem ipsorum Clericorum, ac ejusdem D. Guidonis Episcopi, qui se de Civitate & Diœcesi separaverant, & multorum in eadem residentium, depopulando & compartiendo vicissim, perdiderunt.

Die verò Lunæ XI. mensis Decembris Anni hujus idem Orlandus, ut asserebat, Episcopus Naverensis, Vicarius, ut etiam asserebat, Legati Antipapæ prædicti, in dictam Civitatem Mutinæ est ingressus. Qui die Mercurii XIII. men-

mensis ejusdem per Civitatem tradi fecit publicè in mandatis, ut omnes Clerici deinde ad quinque dies se suo conspectui præsentarent de parendo ejus mandatis sub pœna privationis Beneficiorum suorum, præcipiens omnibus, qui se suo conspectui præsentarent, ut Divina Officia ad eorum Ecclesias celebrarent, Interdicto Legati Bononiæ commorantis penitus non obstante. Recusantes autem Divina Officia celebrare, idem in carceribus concludebat, faciens eosdem insuper fustibus cruciari, cibum & potum eisdem insuper inhibendo, ac eosdem de rebus suis & Ecclesiæ spoliando. Cujus causa quidam Prior Sanctæ Catharinæ mandato ejusdem Episcopi in carceribus penitus nudus in terra jacendo, & per dies quinos aqua rigatus, ac durissimè flagellatus, de hoc seculo transmigravit. Comparticebantur autem victualia, quæ in Ecclesiis & Monasteriis reperiebat Episcopus prædictus secundùm numerum personarum, unam minam frumenti vel mixturæ pro quolibet mense, & qualibet singulari persona. Deinde ad Kalendas Julii designando, de residuis spoliabat eosdem. Beneficia etiam, & Præbendas omnium Clericorum, qui de Civitate & Diœcesi se separarunt, omnibus petentibus Simonia extitit impartitus, Deum & conscientiam præ oculis non habendo. Qui etiam Episcopus die Jovis sequenti celebrare primitus fecit Officium in Majori Ecclesia Mutinæ per Clericos residentes; qui fuerunt numero XII. sive circa, separatis omnibus aliis Clericis de Civitate eadem, tam Secularibus, quàm Regularibus quibuscumque.

Die Veneris XV. Decembris ipsius, Guido & Marsilius de Piis, ut ii, qui vento vela dare opportunè noverunt, pleno & generali Consilio Civitatis Mutinæ collecto in novo Palatio, pro Ludovico Imperatore jam dicto, Urbis ejusdem Vicarii declarantur. Quem Magistratum eodem etiam die exercere cœperunt, Guidone ipso Palatium ingrediente cum familia sua.

Quemadmodum Imperator novum Civitati regimen, temporale scilicet, sic & Legatus Antipapæ spirituale. Nam Episcopum Naverensem illum Urbi Antistitem & Episcopum assignavit, privato priùs, publica etiam sententia, Guidone vero Episcopo, Bononiæ tunc Bertrando Legato Apostolico adhærente. Audi, quæ & qualia judicia in Dei Ecclesia peccatorum multitudine in uno tempore acciderunt. Idem verò talis qualis Episcopus Rectores, famulosque truces, scelerumque ministros habebat, tam Mutinenses, quàm forenses, & Notarios quamplures Mutinenses, scribentes Privilegia Beneficiorum, quæ concedebantur, ac Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum tam in Majori Ecclesia Mutinensi, quàm per universam Diœcesim, cassati per ea Præpositis, Archipresbyteris, Canonicis, & Sacerdotibus, qui se de dicta Civitate separaverant. Et in verbo veritatis & fidei hujusmodi Notarii Mutinenses in tantum cœcati sunt lumine veritatis in præmissis, quòd Deum, conscientiam, & bonam famam in aliquo non timebant, sed tamquam crudeles negligebant eamdem.

Die IX. Decembris jam dicti, Bavarus Parmæ terga dedit Alpes transgressurus, sive ob repentinam mortem Ducis Austriæ, sive ignominia & confusione onustus. Quare, novis motibus illis in Italia subortis, novo & Mutinensis Populus tumultu fuit agitatus.

Anno MCCCXXX. D. Bernardinus de Sesso de Regio Potestas Mutinæ pro dictis Vicariis in primis sex mensibus.

A Per dictum tempus die ultimo Decembris festivitatis S. Sylvestri Mareschalcus & Theotonici furore moti unanimiter ad plateam armatis manibus accesserunt, omnes, tam Cives, quàm Gaburos perimendi animo & prædandi, die primo Januarii mensis anni hujus. Sed Beatissimi Geminiani, & amborum prædictorum Vicariorum ope, ipsi Theotonici ab hujusmodi proposito omnimodè se mutarunt, conventione facta cum ipsis Theotonicis, quòd Gaburis de Civitate expulsis, victualia eorumdem eisdem Theotonicis relaxarentur.

Utebantur etiam his diebus Securi, quam Imperialem Clavem ipsi Theotonici appellabant, ostia domorum, scrinia, & vasa alia confringendo cum ea, & domos similiter dirupando.
B Non audebat aliquis modò conducere extra Civitatem Mutinæ, vel Districtum, aliqua animalia, nisi viginti solidos Mutinensis monetæ pro qualibet bestia grossa, & unum solidum Mutinensis pro qualibet pecude vel capra eidem solverent Mareschalco. Et modo simili de mercationibus, & rebus aliis persolvebant, non obstante licentia, quam haberent à Vicariis, vel Officialibus Gabellarum super iis modo solito deputatis. Accipiebant etiam à quolibet extra Portam bladum ad seminandum portantibus de singulo & pro quolibet sextario soldum unum, & denarios parvos sex. De pane etiam similiter & farina pro qualibet mina, quam quisque il-
C luc conduceret, postulabant. Gabellas autem Baratariæ, Puellarum, & Domorum, & Obedientium, idem Mareschalcus Communi Mutinæ usurpavit. In domibus verò Civitatis, in quibus morabantur Theotonici antedicti, assides, trabes, & ligna alia incidebant, adeò quòd ipse domus ruina & præcipitio cadebant. Blavas etiam repertas in domibus, in quibus stabant, distrahebant pariter & vendebant. Similiter utensilia, & suppellectiles commodatas eisdem, in suo discessu vendiderunt, sive ut suas proprias exportarunt. Audi truculentam injustitiam justitiam pessumdare, adeò quòd quidam malefici morte digni capti fuerunt, & ut bene
D meriti morte & furcarum supplicio condemnati per Vicarios antedictos. Quo scito, præfatus Mareschalcus actu prædicti ejus Officialis Martini Zibelli pecunia procurantis, fecit certos Mutinenses Cives capi ad pœnam talionis, condemnando eosdem immeritæ & indignæ, si præfati maledici meritò trucidandi, trucidati extarent: cujus causa utrosque oportuit relaxari, sontes similiter, & insontes. Sed Domino procurante, & meritis prædicti facinoris, & aliorum similium, quæ idem Officialis dicto tempore extitit operatus, & prædictorum Vicariorum justitia & virtute, tractu temporis debitum, quod præfati malefici solvere tenebantur, idem Officialis, separatis Theotonicis antedictis, cum quodam alio similia operante persolvit.

E Quid plura loquar? Præfati Mutinenses in tanta tenebrositate, & horrore, & sinè ordine permanserunt, quòd pacto mobilia, quæ habebant, eisdem Theotonicis tradidissent, dummodo ipsi Theotonici se de ipsa Civitate angustia separassent. Per spatium autem trium mensium, & XXII. dierum, quibus ipsi Theotonici moram traxerunt in Civitate eadem, Mareschalcus antedictus quinque Coltas, & tria mutua extorsit à Civibus, non computatis aliis occultè habitis à Vicariis antedictis, & ab aliis privatis personis desolatæ Civitatis prædictæ. Ad tantam autem Cives præfati desolationem venerunt, quòd res suas pro derelictis habebant,

vi-

vina, carnes, grana, & alia prodigaliter dissipando, adeò quòd sextarius frumenti, qui antea XX. solidis Mutinensibus communi pretio vendebatur, ad pretium XVI. solidorum Mutinensium communiter descendit, unus alteri, ut derelictâ ipsâ taliâ, distrahendo, similiter & donando, timore Theotonico imminente. O Civitas tenebrosa, operta mortis caligine, ubi nullus ordo, sed horror inhabitat sempiternus, in quanta caligine, dolore, fletu, periculo, atque ruina, ambitione prælationum pariter & honorum, ac usurpatione rerum & aliorum bonorum, necnon juvenum & imperitorum consilio, intrinseco odio, & privato commodo, immersa es! Quod quidem describi sinè difficultate maxima non valet. Et tunc adimpleta est Scriptura, quæ dicit: *Mutina flammescet sibi quærendo sublimia, quæ dico tepescet tamdem, tradetur ad ima*. Et verè ad ima venisti, Civitas tenebrosa, quia te intus & extra canes multi impiissimi undique circumdarunt, & sibi partiti fuerunt tua Castra, Portilitias, reditus, & honores, prava juventute, quos nutristi. Et tunc adimpleta fuit alia Scriptura, quæ dicit: *Defunctis Senibus, consurget prava juventus, cujus consilio præcipitata rues*. Et alia Scriptura, quæ dicit: *Mutina perversa eris in fine demersa*.

Sed tamdem Beatissimi Geminiani ejusdem Civitatis Mutinæ defensoris meritis, & virtute ac probitate, providentia, prudentia, & scientia prælibati Manfredi de Piis, cujus gesta operum & virtutum per Italiam resonant universam, effectualiter procurantis cum Marsilio de Rubeis, totius Lombardiæ pro præfato Imperatore Vicario Generali, qui hac speciali de causa Mutinam tetendit suos gressus, dictus Mareschalcus cum sexcentum equitibus bellatoribus, & ultra, se de Civitate hujusmodi separavit. Quos ultra duo millia traces pariter & meretrices fuerunt secuti ad Civitatem Parmæ communiter accedendo, die Dominico XVIII. mensis Martii Anni hujus. Prædicti itaque Theotonici intus & extra res Mutinensium corrodebant, ut capellæ corrodunt ramos pariter & consumunt, nullam interim inferendo contra inimicos Imperii, & ipsorum Intrinsecorum Mutinensium, læsionem; ita quòd ab inde in antea ipsis apparuit Mutinensibus, ipsorum Theotonicorum separatione sic peracta, se de limbo ad lucem, & de pœnis ad requiem pervenisse. Et verè probitate, scientia, & virtute prælibati Manfredi ab inde in antea hujusmodi violentiæ, rapinæ, furta, & alia impia solita cessarunt, eo quòd residentes Theotonici, ad stipendium Mutinæ ordinati, terminos & ordines designatos eisdem, non fuerunt modo aliquo pertransiti. Qui Theotonici residentes fuerunt circa numerum trecentum equitum bellatorum.

His etiam diebus, Mutinæ Ubaldinus Bononiensis, Vir Religiosus, & Ordinis Minorum, in Cathedrali Ecclesia maxima etiam Populi frequentia, publica oratione, Johannem Papam Hæreticum esse, & hæresis damnandum pluribus de causis nixus est probare, admonens Populum, Antipapæ jam dicti mandato, ut ab imperatis ab eo penitus discederent, & sententiam vestigiaque illius omnino fugerent. Cui tamen Ubaldino, & Minoribus etiam pluribus Pontifex ipse, debellato Antipapa, pœnitentibus pepercit, Generale tamen Ordinis ipsius obstinati animi in ea damnatione mortuo.

Turrim illam Nobilium de la Molza, in Solariæ Vici agro positam, Februario mense, Commune Mutinæ, & Imperatoris equites jam dicti, subita vi oppresserunt, diruerunt, & solo penitus æquarunt. Et Nicolaus de Fredo, qui inter alios maximè insudaverat in recipiendis Theotonicis in Urbem, haud æquo ferens animo novorum Vicariorum jugum, Mutina discessit in Spilamberti Castrum.

XVII. Aprilis die Martinus ille Zibellus Mareschalci Officialis, iniquitatis filius, & impietatis monstrum acerrimum, cum Ptolomæo Barisino sceleratissimo altero, Vicariorum jussu, & justo, suspendio publico necantur.

Moverat se instructis copiis XXIV. Aprilis die Beltraminus de Balso Ecclesiastici exercitus Dux ex Regi agro in Formiginis Castrum. Huic statim, re accepta, Manfredus Pius, collecta Mutinensi militia & Theotonicis, acerrimè occurrit. Atrox primò committitur prœlium, variique fuerunt Ducum conatus, ut enim ille uno in loco erumpere conabatur, eidem loco Manfredus occursabat. Horis aliquibus ancipiti Marte pugnatum; sed tamdem totis viribus Manfredo & suis in pugnam descendentibus, fusi fugatique sunt Ecclesiastici, & capti plurimi, inter quos Beltraminus ipse, & Raymondus de Balso, Robertique Regis Frater ille nothus. Captivorum numerus, gregariorum scilicet militum, centum; Nobilium autem & primorum exercitus LXXII. Ducenti bellatores equites cecidere, & ex præda, asportatis scilicet armis, & rebus aliis bello necessariis, & in foro publico Mutinæ venditis, mille & quingenti aurei sibi & suis Manfredus divisit. Captivi jam dicti, Beltraminus scilicet, Raymondus, & Regis Frater, sex millibus Ducatorum redemti fuerunt ab Rubeis, & Communi Parmæ diebus primis Maji mensis.

Manfredus Pius post habitam hanc victoriam die XXIX. Aprilis ipsius, quæ fuit dies Dominica, magno militum & totius Populi comitante ordine, & summa cum reverentia, Ecclesiam Beati Georgii in Urbe positam adiit, & Dei Martyri glorioso obtulit funalia cerea longa & grossa CXLIX. & CCC. minora alia, & plura, ac XVIII. Vexilla olosericа in ea pugna hostibus ablata.

Ubi Legatus Apostolicus in campo Mercati Urbis Bononiæ inexpugnabili ferè Arci illi manum ultimam imposuit, & tantis Turribus, altissimis muris & foveis securum magis sese vidit: Malatestam Ecclesiastici exercitus Generalem Ducem cum copiis omnibus Spilambertum immisit. Qui XVIII. Junii die agrum illum depopulatus, Voltam Salariam statim est aggressus. Quæ omnia postquam frequentes nuncii Mutinam attulerunt, Regiensibus, & Parmensi Populo in auxilium accitis, Mutinensis militia die XXIV. mensis ipsius in Bononiensem Districtum irrupit, & Plumacii atque Crespelani agrum omnem igni ferroque vastavit; & positis ibidem castris Bononienses in pugnam vocarunt, qui licèt instructis aciebus Plumatium versùs sese moverint, cum Mutinensibus tamen congredi noluerunt. Erant in exercitu Ecclesiæ mille & quingenti equites, pedites sexdecim millia; Mutinensibus autem militabant equites mille, computatis Theotonicis, pedites autem duo millia.

Expectarunt Ecclesiastici Kalendas Julii, quo die instructo exercitu Pontem S. Ambrosii adierunt, quem trabium & fabrorum lignariorum copia affluente instaurarunt. Redeuntes deinde Voltam Salariam Turrim Sorbariæ Nobilium de Sautis invaserunt, & Custodibus incolisque pluribus captis & abductis, igne consumserunt; & Scul-

Scultennam pertranseuntes circumstantem agrum omnem spoliarunt. Quapropter instante tempore, maturas jam segetes reliquas gravibus plaustris in urbem ducere Mutinenses sunt coacti, & inanes paleas ad surgentem ventum ibi jactare. Collecta insuper pro quolibet pari boum floreni unius fuit a Mutinensibus imposita & exacta. Et Orlandus ille ad Episcopalem dignitatem promotus ab Legato Antipapæ repulsus ab urbe & expoliatus abiit.

Premebant hinc Ecclesiastici Civitatem Mutinæ: premebant inde & Theotonici præsidio urbis relicti; nam cùm rusticos civesque urbe exeuntes comitarentur, quo fruges Mutinam intromitterent, fruges ipsas deprædabantur, ut poterant, in mediis agris malè etiam tritas. Quibus etiam diebus, IV. scilicet Augusti, Guilielmus Adelardus rebellis Patriæ factus; Legato & Nobilibus de Saxolo adhæsit, & Castrum Formiginis illis commisit. Quod ubi Manfredus Pius Imperatoris Vicarius accepit, copiis omnibus instructis, statim eò se contulit, & impetu facto in incolas, igne ferroque continentia ædificia omnia consumsit, frugibus & uvis circumstantis agri totius vastatis.

Anno MCCCXXXI. Manfredus Pius, audito Johannis Bohemiæ Regis adventu Brixiam, ad illum se contulit XXI. Januarii die. Bergomi, Cremonæque Populis illi sese dedentibus, Rex Brixia discedens Civitates eas adiit, ubi etiam Consilio Populi Mutinensis Civitatem Mutinæ in ditionem accepit, & paucis post diebus Lucam, & Parmam. Cùm Rex ipse Mutinam ingressus, & Vicariatus Magistratu designato Guidoni Pio, Civitatisque rebus compositis, Regium accessisset, Vicariis similiter ibidem constitutis Manfredis & Folianis, Mutinam rediisset, XVI. Aprilis die Castrum Franchum Bononiensis Districtus se contulit, quò & Bertrandus Legatus venerat; Oratores namque octo præcedentibus diebus Rex Bononiam ad illum miserat. Longo satis colloquio inter se habito, & rebus non bene discussis, in Plumacii locum sequenti die simul devenerunt, non sinè reliquorum Italiæ Principum grandi suspicione. Marchiones ergo Estenses, Scaligeri, Gonzagæ, & Vicecomes, rebus suis consulentes, & progressibus Regis Legatique ponderatis, Societatem & colligationem jurejurando inierunt hoc Anno in Castrobaldo Districtus Veronensis die VIII. mensis Augusti, concurrentibus postea Florentinis, & Roberto Rege, imò & Bononiensibus, omnibus ipsis indignè ferentibus novam Legati & Romani Pontificis cum Johanne Rege amicitiam & fœderationem; nam conscio Johanne Pontifice ea omnia facta fuisse satis apparet, cùm is Bohemo nulla in re postea fuerit adversatus. Mutata exinde rerum in Italia conditio, ut quibus Pontifex Romanus Rexque Bohemus adversarentur, eosdem Robertus Rex, Florentinique, nullo Welfi Gibellinique nominis discrimine foverent.

Anno MCCCXXXII. Penultima Septembris die Michaëlis Archangeli Festivitati dedicata, Rainaldus Marchio Estensis cum Scaligero, & Gonzaga, agrum Mutinensem invasit, & Kalendis Octobris Turrim Vici Cividalis illorum de Piis, & Curiam Quarantularum occupavit. Et similiter positis castris die quarta apud Pontem Aquælongæ, suburbia Ganaceti, Sanctæ Trinitatis, B. Catharinæ, & Albareti, & reliqua loca inter Situlam & Canalem vastavit. Et die VII. Turrim de Bagno, & XVII. Dinazani Castrum Diœcesis Regiensis, & XIX. Turrim S. Lazari suburbii Saliceti occupavit, cum maximo etiam totius Civitatis timore, nemine egredi audente.

Die XXV. Novembris existente exercitu Marchionis circa Castrum S. Felicis, Manfredus Pius, colligatis, & D. Carolo filio Regis Bohemiæ, qui tunc Parmæ morabatur, in auxilium accitis, ad defensionem dicti Castri accurrit. Pugna maxima ibi commissa est inter partes; & tamdem gentes Marchionis in fugam se dederunt, mortuis ex iis & captis plurimis. Unde campum obtinuit Manfredus. Et mortui sunt ex utraque parte circa DCCC. equites. Capti inter ceteros Johannes de Campo S. Petri Paduanus Marchionalis exercitus ductor, Bartholomæus de Bolchetis, & Paulus de Padellis Mutinenses. Eadem ferè hora, qua prœlio exercitus jam dicti sese accingebant, Bertrandi Legati Oratores, qui Carolo assistebant, Legati ipsius nomine illi donarunt sonipedem pulcherrimum pretii aureorum trecentorum, & obtulerunt quingentos equites, & pedites decem millia.

Anno MCCCXXXIII. Exercitus Legati obsidens Civitatem Ferrariæ conflixit magno prœlio cum gentibus Marchionum Estensium, & in fugam actus, multis cæsis & captis, memorandam reliquit victoriam ipsis Marchionibus die XIV. Aprilis.

Anno MCCCXXXIV. Legatus Apostolicæ Sedis expulsus est Bononia. Obizo Marchio Estensis, Azo Vicecomes, Mastinus de la Scala, & Philippinus Gonzaga Cremonam obsederunt, quæ tamdem die XV. Aprilis Vicecomiti se dedit.

Anno MCCCXXXV. Marchiones Estenses, ceterique Principes & Populi fœderati, fuga Bertrandi Legati, & Johannis Pontificis morte elati animis, ad ordinatas in constitutis fœderibus expeditiones suas sese moverunt. Itaque Nicolaus & Rainaldus Marchiones Junii diebus primis, exercitum majorem etiam solito in Mutinam ducentes, agrum illius omnem, & Urbem ipsam tamdem incursionibus, igne, ferro, & oppugnationibus impetierunt, turribusque ligneis in Portas Urbis omnes, quibus aditus patebat & exitus, Manfredum Pium Civitatis Vicarium, Populumque durissimè premebant. Occuparunt autem, incenderunt, & diruerunt Massam, Aquælongæ agrum omnem, Formiginem veterem, Monasterium S. Mariæ novæ, Ramum, Campum Galianum, Gangulum, S. Martinum de Situla, Sorbariam, Albaretum, Cæsarum Vicum, suburbium Albareti, & Spilimbertum. Sed cùm repentinus morbus Rainaldum Marchionem invaserit, ex quo etiam mortuus est, exercitus retroductus fuit ad Castrum Formiginis.

Anno MCCCXXXVI. Formidabant, Rainaldo licèt defuncto, Manfredus, & Guido Pii, Mutinæque Civitas tota, Estenses fratres, & socios bello Principes. Quamobrem Manfredo ipso Veronam Mastinum adeunte, & eò vocato Obizone Marchione, urbem Estensibus dederunt Pii, publico Instrumento scripto Veronæ hoc Anno, die Mercurii, XVII. mensis Aprilis, in Aula Nova Dominorum Alberti & Mastini de la Scala, per Theba dum Veronensem Notarium. Quo peracto Ferrariam Marchio rediit, Manfredus Mutinam, ubi statim convocato Consilio Civitatis, Procuratores Ferrariam transmittendi electi sunt, qui Nicolao & Obizoni Marchionibus Estensibus urbis Mutinensis regimen demandarunt die VIII. Madii in pactionum jam factarum executionem. Hi fuerunt Julia-

Julianus de Sigonibus, Pinceptus de Pinceptis, Zacharias de Bungatis, & Jacobinus de Cimixellis.

Die XI. Maji Obizo Estensis Marchio instructissimo exercitu, & Nobilibus Ferrariensibus pluribus Comitatus, Ferraria discessit Mutinam versùs, & nocte ea in Vicum Galeriæ Bononiensis Comitatus descendit, à Jacobo de Cazanemicis Bononiensi primario in Palatio suo acceptus cum maximo honore. Et sequenti die ubi apud S. Johannem in Persiceto pransi fuerunt, quò etiam Bononiensium primates aliqui convenerant Marchionem comitaturi, Nonantulam adierunt. Et die altera, quæ fuit XIII. Mensis, & dies Lunæ, Urbem Mutinæ Obizo est ingressus. Quod tamen exploratum habens Manfredus Pius, propriis præcedentibus vexillis, & Mutinenses omnes prope populanter obviam sunt effusi, illumque ipso in primo congressu vocibus altissimis Dominum suum appellatum summis honoribus in Palatium deduxerunt. Et tota denique Civitate applausu & lætitia resonante, Dominii sceptrum publicis tabulis oblatum est Obizoni præsenti, illudque Nicolai etiam Fratris sui nomine acceptanti, ab ipso Manfredo, & Generali Consilio Populi in Palatio novo solemnitate qua decuit congregato. In quo etiam Consilio Marchio ipse Nicolaum à Tabula Ferrariensem Civem & Militem Mutinensibus Prætorem designavit.

Accepto Civitatis Regimine & Principatu, Extorres omnes Nobiles Illustris Obizo statim revocari jussit; Quare die XIX. Mensis ejusdem, quæ fuit Dies Domini, & Pentecostes, Nobiles de Saxolo omnes urbem primi sunt ingressi. Et sequenti Rangoni, Bocheti, Guidoni, illi de la Mirandula, de Macreta, de Albuinis, Dezus de Fredo, & Blanchinus de Gorzano. Altera autem, quæ fuit dies Martis XXI. Mensis Nicolaus del Fredo barbâ abrasâ, quam pluribus nutriverat annis. Vigesima autem secunda Nobiles de Savignano; & die XXVII. Grassones; quos omnes Marchio gratiosè accepit, & amplexus est, præ lætitia omnibus ipsis & Populo collacrymantibus. Ubi autem Marchio Nobilitatem ipsam omnem urbi vidit restitutam, & dulcissima publicaque oratione Nobiles ipsos & Populum monuit hortatusque fuit ad bene pacificèque vivendum, Ferrariam discessit.

Bellum excitatur inter Scaligeros & Venetos. Quidam Domicellus D. Alberti de la Scala Venetiis Paduam accedens; & conducens inde ostreorum finè bulletta aliquam quantitatem, neque dimissus exportare ea finè bulletta per Officiales Communis Venetiarum deputatos ad hoc, ipsa in aquam projecit, dicto Domino suo referens, dictos Officiales inhibuisse sibi eidem Domino suo ostrea deferre. Cujus rei causa idem Albertus Dominus Civitatis Paduæ furore motus cum suis gentibus ad salinas Communis Venetiarum se contulit, & hostiliter ipsas destrui fecit pariter, & mandavit sal in aquis undique dispergi.

Anno MCCCXXXVII. VII. Februarii die, qui fuit Veneris, Obizo Marchio Mutinam rediit, ubi ad XIII. usque Martii permanens, dominio suo addidit Montis Floreni, Abbatiæ, & Fregnani Territorii Castra plura alia, Populis illis Obizoni sponte sese committentibus.

Anno MCCCXXXVIII. Dominabatur Bononiæ Tadæus Pepulus hoc anno, cùm Mazarellus de Cuzano conjurationem quamdam iniens audet Principem illum urbe expellere. Quod ubi præscivit Tadæus, illum statim insecutus, & conscios omnes Bononia ejecit, Mengoto Gislerio capitali pœna affecto. Quamobrem Ciani Plebatus, & Semellani, ac loca reliqua Mazarelli illius statim Marchionum Estensium dominio sese dederunt.

Anno MCCCXL. Non modò Mutinæ, sed in circumstantibus Civitatibus omnibus, imò & in tota ferè Italia adeò fames invaluit, ut pæne ad exitium sit in urbe laboratum; namque sextarius frumenti centum solidorum pretii fuit Mutinæ.

Obizo & Nicolaus Marchiones Castrum in Urbe Mutinæ sibi posuerunt, & præsidio munierunt, & fœdera cum Carrario percusserunt.

Anno MCCCXLI. Secunda Octobris die Pisanis obsidioni Civitatis Lucæ insistentibus, quibus auxiliares copiæ erant Vicecomitis, Gonzagæ, Parmensium, & Castruciorum, Florentini, quibus jussu Obizonis & Nicolai Marchionum Marcus Macharussus Nobilis Patavinus, & rei bellicæ Præfectus cum parte copiarum Estensium ipsorum militabat, summis conatibus in Pisanos ipsos exercitum moverunt. Quibus prœlium non detrectantibus, sed structa acie in hostes ruentibus, Florentino Populo infaustissimam diem designarunt. Eorum enim exercitus facta est profligatio, cum maxima tamen partis utriusque cæde. In ea pugna ceciderunt ab hora Tertiarum ad Vesperas usque pedites mille quingenti, tribus millibus & septingentis equis interemtis. Macharussus cum suorum aliquibus interiit, cujus hominis morte Marchiones vehementer indoluerunt.

Anno MCCCXLII. Magna Societas Germanorum facta est trium millium & quingentorum bellatorum equitum, & plurium; ac mille puerorum, meretricumque, & inutilium aliorum castra sequentium erat turba ingens. Quo eodem Anno Padus fluvius adeò crevit, & aquis abundavit Mense Novembris, ut per murorum Argentæ urbis balisterias ingrederetur. Civitatis quoque Cremonæ murorum partem plurimam diruit, Turremque Burgi fortis omnino evertit; Mantuæ forum, & districtus illius Placentiæque, ac Cremonæ, & Ferrariæ tamdem agros omnes implevit.

Ad Annum MCCCXLIV. hæc habet Peregrinus Priscianus: Scribit etiam Moranus, Obizonem dedisse Azoni Corrigiensi sexaginta millia florenorum auri pro consequendo Parmæ ipsius Civitate.

Captivorum prædictorum numero addit Moranus Paulum de Aldigeriis nobilem Parmensem equitem, Zilium Turelum, Philippum de Paganis, & Bastardum Galeatii de Medicis filium, Ferrarienses nobiles, Joannem de Savignano, Franciscum de Cortesiis, Mutinenses, & Rizardum de Alidosiis Imolensem, Popularesque Ferrarienses centum & quinquaginta, & plures.

Et ne hanc captivorum rem & exitum ulteriùs protrahamus, Moranum sequemur dicentem: Eos omnes statim Regium perductos, deinde fido custode Mantuam transmissos; & populares Mutinenses omnes Petri cujusdam Domini Pini de Armaninis, & Mutinensium aliorum nonnullorum Mantuæ tunc commorantium cura, diligentia, & opera liberatos in Patriam rediisse. Joannem autem Corrigiensem, Castellis, & Terris suis omnibus Luchino Vicecomiti assignatis, carcere egressum. Gibertum & Bertolinum, Loysio Giberti filio in carcere relicto, exisse. Loysiumque ipsum post dies aliquot

quot in carcere mortuum. Paulum de Aldigeriis pecuniis redemtum. Saxolum autem Anno jam elapso tribus millibus florenis auri, & Joannem de Savignano quingentis, reliquosque omnes conventa quantitate soluta liberatos, Zilio Turelo, & Jacomino Siniscalcho jussu Luchini Vicecomitis liberè dimissis.

A

Non oblitus interea Philippinus populationis jam dictæ Insularum suarum Suzariæ & Sancti Benedicti, collecto exercitu, XIV. Decembris ipsius die Campi Galliani, Ganaceti, & Lixignani agros omnes invasit, ferro & flammis omnia prosternens.

F I N I S.



Pal Re. f.

CHRONICA ASTENSIA

AB ORIGINE URBIS, SEU POTIUS AB ANNO MLXX.
USQUE AD ANNUM CIRCITER MCCCXXV.

AUCTORIBUS

OGERIO ALFERIO,

E T

GUILIELMO VENTURA;

ACCEDUNT HISTORICA QUÆDAM AB ANNO MCCCCXIX.
USQUE AD ANNUM MCCCCLVII.

AUCTORE

SECUNDINO VENTURA.

Omnia nunc primùm in lucem emergunt

EX MANUSCRIPTO CODICE MALASPINEO.

ADDITIS NOTIS

MARCHIONIS ABBATIS

JOSEPH MALASPINÆ.

IN CHRONICA ASTENSIA
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

GAlliae Subalpinae, sive Pedemontanae regionis, veterem Historiam illustratam plane voluissem in hac mea Collectione; quippe nobilis & fertilissima ea Italiae pars supra multas digna foret, quae illustrem in Eruditorum Libris locum obtineret, idque potissimum deberetur Nobilissimae Sabaudicorum Principum prosapiae, ibidem a sera antiquitate dominanti, ac praesertim Victorio Amedeo Sardiniae nunc Regi, ac Sabaudiae Duci, cujus fortitudine, mente, ac opera facta est tanta nostris diebus gloriae & potentiae accessio gloriosissimae antea ac potenti illius Familiae. Itaque justa hac cupiditate succensus nihil non egi per literas, nihil intentatum reliqui, ut conquirerem mihi quotquot veterum Historicorum monumenta illic supersunt, lubentissime editurus, si potuissem. Praecipue vero ob hujusmodi causam importunum me praebui ornatissimo Viro Carolo Richae, qui Augustae Taurinorum Medicinam Artem non solum excolit, sed editis etiam Libris illustrare conatus est. Et quidem in illo neque ardor, neque diligentia desiderata est, quo & studia mea juvarentur, & Patriae suae decus augeretur. Verum sive quod illic temporum bellorumque rabies acrius, quam alibi in veterum Libros desaevierit, sive quod impervia fuerint loca, unde sperari messis aliqua poterat, spes tamdem omnis inde aliquid consequendi mihi praecisa est.

Atque ita res procedebat, quum ecce animum meum erexit Illustrissimus aeque ac doctissimus Vir Marchio Joseph Malaspina ex Toparchis Sanctae Margaritae, & nunc Abbas Commendatarius Sancti Marciani Dertonensis, & a Consiliis Augustissimi Imperatoris, cujus in me beneficia non semel in hoc Opere depraedicavi. Is enim praeter alia Chronica nondum edita, *Astensia* nunc mihi primum evulganda, singulari humanitate ad me manu exarata misit, meique juris esse voluit. Historiae autem hujus tres partes sunt, tres itidem Auctores, singuli Cives Astenses. *Ogerius Alferius* primus est, qui Patriae suae monumenta aliquot Latinis literis consignavit, exordio facto ab ejus origine, brevemque narrationem perduxit usque ad Annum 1294. quo fortasse finem quoque vivendi fecit. Gens Alferia perquam nobilis in Civitate Astensi fuit. Ogerius Chronologicum ordinem minime sequitur; suam vero Patriam demum adeo accurate describit, ut nihil melius occurrere possit, quo dignoscas, qualis tunc foret Populus, quae ornamenta, quae vires. Succedit *Guilielmus Ventura*, & ipse Astensis Reipublicae res gestas persequutus. Ex ejus Testamento, in hac eadem Historia inserto, & ex ejus peregrinatione Anno 1300 ad Jubilaeum Romae celebratum, constat, eum Anno 1310. sexagenarium fuisse; ac proinde intelligis, referendam esse illius nativitatem ad Annum saltem 1250. Ita tamen Eccelini de Romano crudelia facinora describit, se ipsum testem appellans, ut videri possit anticipanda illius vita. Etenim testatur ipsemet, se vidisse nonnullos ex caecatis aut mutilatis a saevissimo illo Tyranno; sed hos aut puer vidit, aut videre etiam potuit post sublatum e vivis Eccelinum, cujus mors Anno 1259. contigit. Historiam ergo Astensem propius exorditur Guilielmus Ventura ab Anno 1260. eamque producit ad Annum usque 1325. ne ipse quidem rigide observans ordinem Chronologiae in narratione rerum. Tunc illum aut postrema senectus, aut mors silere jussit.

Si quid autem valet judicium meum, Guilielmi Venturae Historiam, ut mihi attulit, ita & reliquis legentibus non mediocrem delectationem allaturam confido. Humili certe stilo, immo addam barbaro, conscripta fuit; attamen tantus est ibi hominis candor, ac veritatis amor, & insuper tam judiciosa selectaque rerum narratio, ut numquam fastidium creet, semperque attentum Lectorem faciat. Quod etiam pluris aestimandum est, non intra pomoeria unius Civitatis Astensis oratio Guilielmi consistit, sed per finitimos Populos & universam paene Italiam exspatiatur, atque excurrit, testem praeterea illorum, quae narrat, se non semel pro-

proferens. Uno verbo, qualis tunc foret Italiae, sed potissimum Insubricae ac Subalpinae Provinciae status, graphice delineatum heic habes. Neque ullum deprehendas in Guilielmo studium partium, aut affectus uni tantum ex factionibus, quae tunc Italiam scindebant, addictos Vel quum de se loquitur, modeste ac sincere loquitur. Ad Annum 1273. Cap. IX. se in proelio captum scribit. Cap. XXXIX. eo itidem teste Guilielmus Rasparellus unus ex IV. Consulibus cum exercitu Astensium processit contra Marchionem Salutiarum, *& me Guilielmum Venturam in Ast dimisit loco sui:* quae hominem indicant non infimae conditionis. Cap. XL. quum Populus Astensis in militari expeditione esset, *ego* (sunt ejus verba) *Guilielmus indignus loco Capitanei Populi solus eram*. Sed quandoquidem defecerat in exercitu annona, multa opprobria conjecta sunt in Historicum nostrum, clamante Populo, *quod meum officium magis erat vendere piper*, *quam Populum Astensem fame mori facere*. Haec memorare placuit, ut quanti apud eum esset sinceritas, simulque non mediocris in Astensi Republica auctoritas ejusdem ex paucis intelligas. Ego tamen Guilielmum nostrum minime puto aut divitiis, aut nobilitate generis abundasse. Popularem potius virum existimo illum fuisse; hujusce enim conditionis viris in Republica, ubi Popularis factio tunc primas tenebat, potiora interdum munera conferebantur. Certe postremae illius Tabulae heic legendae hominem quidem produnt pietate ac prudentia spectabilem, sed nequaquam fortunarum copia locupletem. Atque in iis ipsis Tabulis animadvertas velim, quanta cura Guilielmus noster Anno 1310. liberis suis interdiceret lectionem Librorum, *qui Romanzi vocantur*. Nimirum illis quoque temporibus, non secus ac nostris, vigebat amor ac studium Fabularum Romanensium, Poetis potissimum Provincialibus otiosae genti ejusmodi oblectamenta ministrantibus. Quam vero perniciosa eorum lectio foret, exemplum quoque prostat apud Dantem Aligherium, qui eadem tempestate Comoediam sive Poema suum construxit. Tu vide quae in argumentum hoc celeberrimus, & rarae olim eruditionis vir Huetius congessit.

Denique tertius Astensium rerum Historicus heic nobis occurrit *Secundinus Ventura*, filius Andreae, & Civis ac Notarius Astensis. A vero fortasse non abludat, qui eum supramemorati Guilielmi aut nepotem aut pronepotem censeat. Is autem ab Anno 1419. usque ad Annum 1457. pauca quaedam memoratu digna refert, quae aut in Patria sua, aut in aliis Italicis regionibus contigere. Itaque ex tribus hisce Scriptoribus vetus Historia Civitatis Astensis constat, cui parem tot aliae Urbes non ostendant. Neque nunc tantum innotuit Chronicon istud. Antonius Astesanus Poeta Astensis, cujus Poema e tenebris eductum infra vulgabitur, florebat circiter Annum 1440. Atqui is Lib. II. Cap. V. originem suae Patriae referens, ac cetera Astensium gesta enarraturus, haec habet;

„ *Quum mihi praesertim sit copia facta videndi*
„ *Quaecumque Ogerius edidit Alpherius:*
„ *Nec non Ventura Gulielmus prole creatus*,
„ *Qui scripsere urbis plurima facta suae*.

Secundinum minime memorat Astesanus, quod ambo iisdem viverent temporibus. Accedat & Samuel Guichenonius, Vir doctissimus, qui in Praefatione ad Historiam Genealogicam Regiae Familiae Sabaudicae haec verbis Gallicis scripta reliquit. *Neque memorabo Historicos Civitatis Astensis, qui MSti adservantur in Regia Bibliotheca Taurinensi, videlicet Ruffinum, Venturam, Guilielmum Venturam, & Antonium Astensem Poetam, qui versibus Latinis Elegiacis scripsit; quippe de rebus Sabaudicis suorum temporum ii leviter loquuti sunt, & in suae Patriae decus intenti*. Guichenonium, virum alioqui multae eruditionis, sed non semper accuratum, sua heic diligentia defecit, ut ex iis, quae adnotavimus, jam satis constare potest. Nulla in ejus verbis mentio *Ogerii Alferii*, cui tamen priorem Historiae partem debemus. Nullum umquam *Ruffinum* Civitas Astensis agnovit Historicum suum, quem praeterea Guichenonius a *Ventura* distinguit, duos nobis Scriptores obtrudens. Fortassis ille *Secundinum Venturam* significare voluit, qui tamen postremus in ordine Historiae fuit. Porro *Antonius Astensis* (*Astesanus* autem appellandus erat, hoc enim ei cognomen fuit) idem ille est, cujus Poema nuper laudavi, & infra publici juris faciam. Utinam vero hisce rerum Astensium Scriptoribus adjungere mihi licuisset *Raymundum* quoque *Turcum*, quem tradunt ejusdem Civitatis Historiam literis consignasse Seculo XII. atque adeo ante Alferium, & ambos Venturas floruisse. Istius lucubrationes, si quae superessent, ut mihi inveniret, nihil intentatum reliquit eruditissimus, & meliorum Literarum cultor egregius Franciscus Aguirre, qui Consiliarii & Advocati Regii munus implens in supremo Sardiniae Consilio, simulque Gymnasii Taurinensis Regius Censor constitutus, Serenissimo Sardiniae Regi Victorio Ame-

Amedeo ingenium virtutemque suam a multis annis probare pergit. Sed ejus conatibus, meisque votis fortuna minime arridens, unum nobis Libri fortasse numquam recuperandi desiderium reliquit. Proinde quae possum Lectores accipian, Subalpinae Historiae lucem additura; atque Urbi Astensi gratias habeant, quae tot nobis praeteritarum rerum monumenta servavit. Monitos denique Lectores velim, quamquam duobus Codicibus ad hanc editionem instruendam fuerim usus, heic tamen superesse adhuc loca quaedam ab imperitis Librariis male habita, quae emendare non sum ausus. Erit aliorum hic labor, aut saltem erit humanissimi Lectoris tolerare minuta haec sphalmata, eaque, dum ipsis rebus intentus est, nihili facere.

Postquam vero haec scripseram, misit ad me supra laudatus Marchio Joseph Malaspina, Aulae Caesareae Consiliarius, notas quasdam Chronicis Astensibus addendas. Is earum Auctor. Quum vero ex ejus Erudito labore subsidium, & lux aliqua Astensi Historiae accedere possit, additamentum hoc non illubenter accipiat Lector, simulque literas ad me ea occasione ab ipso Malaspina conscriptas.

CLARISSIMO VIRO

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

SERENISSIMI MUTINÆ DUCIS BIBLIOTHECARIO

MARCHIO ABBAS JOSEPH MALASPINA.

„ Tibi de multifariis disciplinis permaximè merito merces cùm sit æstimatissima vindicatum quodvis ab antiquitate monumentum, miratus minimè sum, quod publicis etiam benevolentiæ tuæ signis accepta quædam à me literaria munuscula commendaveris, & præsertim adeò gratam habueris missam nuper rerum Astensium historiam, quam Astensis Civis Gullielmus Ventura sæculo XIII. labente, ac ineunte XIV. pro non dedita literis ætate diligenter satìs elaboravit. Unum jure doles mendis ultra numerum scatens exemplar, sed quale acceperim, mittere fas utique fuit. Quod nunc mitto aliud alio ab Amico sum consecutus; quod verùm alteri anteferam, omnino anceps hæreo. Tantus plerisque in erroribus consensus, nisi difformes obstarent literæ rudem eamdem manum utrisque in apographis mihi suasisset. Fontem tamen eumdem facit ut suspicer, unde illa manarint, Apographum nempe aliud, quod rude caput exaraverit. Me utinam Autographi compotem fieri in fatis fuisset, ut cura mihi non defuit, deeritque numquam; etsi hæc aliquando minimè mihi fuerit inanis, meam ipse non inaniter operam expectaveris.

„ Rufinum Venturam in Chronico Montisferrati à Sangiorgio citatum Historicum dum ipse quærebam, Doctor Suavius Alexandriæ Physicus eximius citatum alium à Ghilino in præmissa suis Alexandrinis Annalibus Scriptorum tabula Gullielmum Venturam ab Amico suo Doctore Physico Vulpino Astensi Cive in historiis versatissimo legendum & commodè mihi utendum impetravit. Duos ergo suspicatus Historicos Venturas, Gullielmo consecuto, Rufinum adhuc anxiâ diligentiâ inveniendum curabam; donec collata inter se verba, quæ sub Rufini nomine à laudato supra Sangiorgio à pagina 102. ad paginam 106. transcripta inveniuntur, & verba, quæ suo sub nomine Capitibus 42. 53. & 58. Gullielmus iste adhibuit, & subductis à me lineolis adnotata videntur, unum eumdemque Scriptorem sive Rufinum cum Sangiorgio, sive cum Ghilino Gullielmum dixerim, suaserunt. Capite 57. hujus Gullielmi testamentum habetur, ex quo tali donatus nomine, & hujus historiæ conditor evincitur fuisse.

„ Gullielmi ergò Venturæ Chronicon ab Anno 1260. usque dumtaxat ad Annum 1325. perstrictis breviter rebus progreditur. Res deinde Astenses Italicis aliis admixtas, relicto sæculi ferme unius hyatu ab Anno 1419. ad Annum 1457., quibus vixerat, alter Ventura nomine Secundottus produxit. Duobus ego istis in laudandis Scriptoribus moror, ommisso Ogerio Alpherio, res utplurimum sui minimè temporis tradente à suæ Urbis origine, nempe ab Anno nostram ante salutem 380., usque ad salutis nostræ Annum 1294., non sinè crebris ingentibusque damnatorum silentio temporum lacunis. Hunc tamen Venturasque ambos magni absque dubio faciet quicumque antiquos in Urbium regimine mores, à nostra vivendi ratione prorsus absimiles, scitè discendi fuerit laudabiliter avidus.

Hinc certò intelliget ille qua se via plures in Italia Populi ad aliorum dominationem evexerint, atque in servitutem alii se à libertate præcipites egerint. Intelliget ille quo jure, quave injuria ad sortis arbitrium ubique vagabatur imperium, cùm liberæ aliquando Urbes Accolis imperare Principibus auderent & possent, sed versa etiam vice ab istis illæ jugum aliquando accipere cogebantur impositum. Gibellinorum & Guelphorum sævientibus turbis, & certantibus de communi Patria Civibus pars una victrix alia exulante principabat, donec vel à Cive factionis unius Principe, vel ab Extero à dissidentibus inter se Civibus vocato, artifices suorum malorum Civitates sævissimam patiebantur tyrannidem, quam Pontificii vel Imperatorii Vicariatus nomine quisque honestare Tyrannus curabat. Hujus adeò celebris accitæ in Italiam Gibellinæ Guelphæque Factionis dubiam hactenus originem, cùm unus ex istis Auctoribus Gullielmus Ventura Cap. 17. certo in lumine ponat, maximum sibi parere apud Eruditos omnes meritum potest ac debet. Quamvis enim multas rem hanc involventes nubes tuis ipse in Antiquitatibus Estensibus Cap. 31. difflaveris, sereno prorsus in Cœlo hanc nondum locare veritatem Eruditorum labor ullus potuit.

Absentibus diu nimium nostra ab Italia Germanis Imperatoribus, & non rarò cum Ecclesia dissidentibus, occasionem & commodum pariendi sibi Principatus, è vulgo privatorum non unus invênit, & arripuit. Qui jure originis antiquo legitimi erant in Italia Principes, modò à Pontifice, modò à Cæsare stantes, vel protegendo suarum partium populos, vel opprimendo contrarios, Principatus aviti limites majorem in amplitudinem protulerunt. Chronographi hujus Gulielmi Venturæ Astensis tempore, nonnisi Marchiones & Comites pro veris habebantur Principibus; cæteri verò ut liberarum Civitatum suarum capita principes Patriæ vices gerebant, vel ut Imperiales Vicarii delegatam ab Imperatoribus auctoritatem exercebant; neque ullus tunc, nisi qui Venetiis pro vetustissimo regiminis sui more ad vitam adhuc eligitur, Ducali dignitate fulgebat ornatus. Post deletum enim Langobardicum in Italia Regnum, ex multis uno sub Rege Ducibus compositum, & post deletas æmulas in comparando sibi Regno & Imperio Ducales Forlivii & Spoleti Familias, Itali Duces vix à Normannis in Apulia renovati, spreta Cæsarum auctoritate Reges appellari voluerunt; Et in Thuscia Magnæ Mathildi, suisque Italis Progenitoribus substituti à Federicis I. & II. Imperatoribus Teutonici Duces, Ducatu & isti cum eorum Imperio ceciderunt. Castruccius Lucæ, aliarumque in eadem Thuscia Civitatum Dux à Ludovico Bavaro creatus, tantam sua cum vita dignitatem delevit, neque tantam sibi paratam dominationem transmittere ad filios, ab illius animo & virtute degeneres licuit. Gullielmi hujus nostri Venturæ vel extremo, vel vix elapso tempore Lucanus iste unus in Italia Princeps Ducali axiomate auctus floruit; sed multis adhuc Italis in Civitatibus sub assueto dissidiorum fermento languens adeò durabat libertas, ut, quam postea contraxit, servilem in labem se citò resoluturam indicaret. Hanc aliam in Langobardia faciem erecto jam firmatoque sub Vicecomitum Familia Ducatu Mediolanensi, multis ac nobilibus sub se Urbibus amplissimo, erectisque paulò post Ducalem eamdem ad dignitatem Sabaudis Comitibus, toto jam ferè in Pedemontio Dominantibus, Astensis alius Scriptor nomine Secundottus historico stylo expressit. Ante Carolum V. Imperatorem Atestini etiam Principes ab antiquissimo in illis Marchionum titulo Ducalis honoris gradum conscenderunt, quem postea Cæsare ab isto, suisque à successoribus consecuti sunt in Italia tam multi, ut ab illo tempore usque in præsens insignium magìs Italorum Procerum vix mutata conditio, sinè Scriptoris ope se ipsam agnoscat, & videat.

Duos primos è tribus istis Historicos, cur notis ipse explanandos susceperim, cùm tantæ minimè sint antiquitatis, ut dato indigere lumine aliquibus fortasse non videantur, haud culpandam in promptu causam habeo; dum notas hujusmodi pro tenui mea librorum suppellectili, meo dumtaxat, non publico usui factas fateor. Istas denique cùm Vir apud Eruditos celeberrimus Joseph Antonius Saxius Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus, & Germanus illi virtute ac sanguine Saxius alter Franciscus Hieronymus Mediolanensis Ecclesiæ Canonicus Ordinarius & Comes &c. viderint atque probarint, incitamento mihi fuerunt, ut illis ultimam, si per otium liceret, manum imponerem. Sed nimius jam fui, cùm res ipse meas tuo relictas arbitrio, ut tuæ me commendatum benevolentiæ omnino velim. Vale.



CHRONICON ASTENSE

EXTRACTUM E CHRONICIS ASTENSIBUS (1) EDITIS

PER OGERIUM ALFERIUM.

Ubi condita fuerit Civitas Astensis.



Civitas Astensis ab antiquo tempore condita fuit inter Castrum, quod modò dicitur Castrum Episcopi, & Castellatium, seu Turris Vallorum.

De amplificatione Civitatis per Brennium.

ANno ab Urbe Roma condita CCCXXVII. qui fuit ante Nativitatem D. N. J. C. Annis MCCCLXXX. Civitas Astensis fuit ampliata à Brennio Duce qui condidit Papiam, & Mediolanum, & multas alias Civitates in Italia.

De Antiquo Posse Civitatis Astensis.

POsse Civitatis Astensis (2) antiquum, & consuetum, ex tunc usque in præsentem diem, protenditur usque ad Tanagrum, & us-

A que ad Sanctum Theodorum, & usque ad Sanctum Spiritum, & usque ad Groffum. Commune Ast ampliavit ivi Posse Astensium super Posse cujusdam Villæ veteris Astensis. Protenditur & usque ad Sanctum Jacobum de Valle Umbrosa. Protenditur usque ad Rivum Magresolæ, & usque ad Versam, & ultra Versam à via, quæ incipit statim post transitam Versam desuper stratam usque ad Rivum Vallis Tertiæ, & usque ad Tanagrum, & illud Posse modò dicitur Burghi cohærentes Civitati.

B *Quando Lombardi venerunt in Italiam.*

ANno Domini DLXVI. Lombardi de Pannonia venerunt habitandum in Italiam in partibus Mediolani, & Papiæ, & ideo vocata est Provincia ista Lombardia.

De Sancto Secundo Patrono Civitatis Astensis.

ANno Domini CXXXIV. III. Kalendas Aprilis in Civitate Astensi passus est Beatissimus Secundus Martyrium Nobilis illustris Civis Astensis sub Sapricio Comite Vicario Imperatoris Adriani. Et dicitur, quòd iste Sapricius fuit
C de Dominis de Cosambraudo: unde patet mani-

(1) Titulus operis istius alterum indicat opus, quod maximè dolendum est, nobis ab invida vetustate ereptum fuisse, nempe Chronicam Astensem, ex qua Ogerius Alferius partem extraxit, ut inditum libro suo nomen ipsum evincit. Cùm integrum adhibitis frustra amicis diu quæsiverim, nec invenerim, partem hanc læto ab Eruditis vultu excipiendam minimè dubito.

(2) Ab explicatis tot limitibus amplitudo Civitatis & Agri Astensis dignoscitur, cujus & Suburbia indicantur. Authoris etiam ævum colligitur ex indicatis, dum ipse vivebat, terminis Astensibus.

nifestè, quòd Civitas Astensis ex tunc (3) usque in hodiernum diem semper fuit sub Imperatoris dominio & Segnoria.

Quando Civitas Astensis capta fuit à Comitissa Alaxia.

ANno Domini MLXX. Nono Kalendas Maji Civitas Astensis capta fuit à Comitissa Alaxia; & ab ea tota succensa fuit de Anno MXCI. decimo quinto Kal. Aprilis; & eodem Anno dicta Comitissa obiit.

De discordia inter Episcopum, & Cives Astenses mota.

B

ANno Domini MCXXXVII. facta est contentio & discordia magna inter Episcopum Landulphum, & Ecclesiam Astensem ex una, & Cives Astenses ex altera. Et Anno Domini MCXXXXV. III. Idus Septembris Civitas Astensis destructa fuit incendio quasi tota per Nazarium Episcopum Astensem & Ecclesiam Astensem.

Quando destructa fuit Urbs per Federicum Barbarossam.

ANno Domini MCLV. Kalendis Februarii Civitas Ast destructa fuit incendio quasi tota per Federicum Primum Imperatorem ad instantiam Anselmi Episcopi Astensis, & Guilielmi Marchionis Montisferrati.

C

De Bello Astensium, & Marchionis Montisferrati.

ANno Domini MCXCI. die XIX. Mensis Junii Commune Ast equitavit apud Montilium causâ recuperandi Jura feudi, quæ habebat in Montilio; & ibi fuit prœlium inter Astenses, & Bonifacium Marchionem Montisferrati. Astenses terga verterunt, & capti fuerunt de illis circa 2000. qui steterunt in carceribus Montisferrati per annos tres & plus, ubi multa mala passi sunt in personis & rebus; & redemerunt se se Kalendis Maji faciendo treguas. Ista guerra duravit Annos XV. circa, modò faciendo pacem, modò treguas, modò faciendo guerram, tali modo quòd Commune Ast fecit cum dicto Marchione Bonifacio, & cum filio suo Guilielmo tribus vicibus pacem, & tribus vicibus treguas; & nullam pacem seu treguam prædicti Bonifacius & Guilielmus observarunt, præter ultimam pacem; quia illi de Monteferrato erant gravati de dicta guerra, ita quòd non poterant plus substinere guerram. Et tunc dictus Guilielmus filius dicti Bonifacii vênit in Ast sinè fiducia cum uno Scutifero; unde & intravit Consilium Communis Astensis; & tunc facta

D

A

fuit ultima pax Anno MCCVI. De qua guerra Commune Astense lucratum fuit Lauretum, & Comitatum Castagnolarum cum pertinentiis, quæ erant ipsius Marchionis (4) pro dono facto per Marchionem Lanciam.

De bello Astensium & Alexandrinorum, & de rupta apud Quatordas.

ANno Domini MCCXXV. Astenses incœperunt guerram cum Alexandrinis ad instantiam, & de pecunia Januensium; & circa medium Junium Astenses equitaverunt cum exercitu bannito apud Quatordas, & ibi fuit prœlium inter Astenses, & Alexandrinos. Astenses terga verterunt, & capti fuerunt de ipsis circa CC. alii autem se reduxerunt in Castro Quatordearum, & dederunt Mediolanensibus, qui ibi erant pro Ambasciatoribus, obsides CL. quos ipsi dederunt illis de Alexandria, & prædicti CL. steterunt in carceribus Alexandriæ circa duos Annos & dimidium, ubi multa mala & vituperia passi sunt in personis & rebus, ex quo multi mortui sunt. Et eodem Anno die septimâ Septembris equitavit Commune Ast apud Calamandranam, & ibi fuit prœlium inter Astenses & Alexandrinos. Astenses terga verterunt, & capti fuerunt de ipsis circa DCCC. qui steterunt in carceribus Alexandrinis circa duos annos & dimidium, ubi multa mala passi sunt in personis & rebus, ex quo multi mortui sunt. Et de ista guerra Commune Ast sustinuit damnum de libris ducentis millibus, & plus.

Quando Astenses primò ceperunt exercere usuras.

ANno Domini MCCXXVI. Cives Astenses cœperunt præstare, & facere usuras in Francia, & ultramontanis partibus, ubi multam pecuniam lucrati sunt: tamen ibi multa mala passi sunt in personis, & rebus.

De damno dato Astensibus per Mediolanenses.

ANno Domini MCCXXX. die inter Festum Sancti Johannis & Sancti Petri de Junio, Mediolanenses cum viginti tribus Civitatibus guastaverunt, & combatterunt Posse Astense per tres dies usque ad Valegiam, & usque ad Nantem.

De guerra per Comitem Thomam Sabaudiæ, & Commune Astense.

ANno Domini MCCLV. Thomas Comes Sabaudiæ incœpit guerram cum Commune Astensi, auferendo Astensibus Burgum Cherii. Et in Anno MCCLVI. circa Kalendas Septembris capti fuerunt Cives Astenses per totum Regnum Franciæ per milites Domini Regis, & Reginæ Franciæ ad instantiam & præceptum (5) Domini Alexandri Papæ; & fuerunt homines

E

(3) Attendenda permaximè sunt verba ista, ex quibus, licet Ast aliquando Respublica, & sub aliorum potestate fuerit, nihilominus patet in supremum Dominum Romanum agnovisse semper Imperium.

(4) Castra Laureti & Castagnolæ per Marchionem Lanceam Anno 1206. Marchioni Montisferrati dono data dicuntur; sed idem Laureti Comitatus post Annum 1257. possideri adhuc debuit ab eodem Marchione Lancea, cùm illi tunc ab Astensibus dicatur ereptus in capite 16. Gullielmi Venturæ. Data eodem illo capite Nota *a* varias de hac Marchionali Familia Lancea Scriptorum opiniones indicat.

(5) Antiquæ historiæ multùm lucis attulisset, si hujusmodi Pontificii præcepti causam Author narrasset. Contra suos hostes ita Romanos Pontifices egisse aliquando exempla duo satis apertè significant. Primum in vita Clementis V. dat Platina, nec non Campus in historia Ecclesiæ Placentinæ Part. 3. pag. 40. col. 1. sub An. 1309. Ibi legat, qui velit, Venetorum Ducem, Senatores, Nobilesque omnes de gradu suo dejectos, cunctis ubique locorum bonis multatos, & quibuscumque capientibus in servitutem a Clemente V. Papa traditos. Alterum dat exemplum S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in 3. parte historiali Tit. XXII. Capit. 1. §. III. ubi à Gregorio Papa XI. in universa Florentinorum bona *jus asperrimè constitutum dicitur*.

nes circa 150. qui dati fuerunt Comiti Sabaudiæ, & duxit illos in Lionesio, & ibi steterunt in carceribus per Annos sex & plus, ubi multa mala passi sunt in personis & rebus. Et tam isti prædicti, quàm alii, qui fugerunt de manibus Regis, perdiderunt quasi omnia sua bona, quæ habebant in Regno Franciæ. Et duravit ista guerra per VI. Annos & plus. De ista guerra Commune Astense substinuit damnum de libris octingentis millibus & plus. Et Commune Ast plures paces & treguas fecit cum dicto Comite Sabaudiæ, quæ malè observatæ fuerunt ex parte Comitis prædicti.

De adventu Caroli Comitis Provinciæ in Italiam, & de ejus guerris cum Astensibus.

ANno Domini MCCLXI. Dominus Carolus Rex Siciliæ, & Comes Provinciæ, & frater Regis Franciæ, tenebat totam terram Pedemontis (6) usque Albam, & omnes Civitates, Burgos, Marchionatus, & plures Castellanos, qui erant in circuitu Civitatis Ast. Et iste Dominus Carolus per Nuntios suos fecit guerram cum Commune Ast cum militibus Provincialibus & Ultramontanis DCCC. vel circa, & cum illis de tota Terra prædicta per Annos XIII., & tunc Commune Ast plures Villas & Castra perdidit; & plures treguas fecit cum dicto Domino Carolo, dando ei magnam pecuniæ quantitatem. Et Anno MCCLXXIV. de Mense Martii Commune Astensium equitavit apud Sanctum Stephanum de Valle Belbi, & de illo loco ibat ad vastandum Cossanum, pro eo quòd Domini Cossani ceperunt trosellos Civium Ast, & illos reddere nolebant. Et quadam die Sabbati XXIV. Mensis Martii guastando dictum Cossanum, fuit prœlium inter Astenses, & Nuntios, & milites, & pedites dicti Caroli, & de sua parte prædicta. Astenses terga verterunt, & capti fuerunt ex illis de Civitate circa quinque centum homines, & ex illis de Villis nostris homines circa CCC. & mortui fuerunt homines Communis Ast circa centum. Et prædicti capti ducti fuerunt in Albam, & pars illorum captivorum ducti fuerunt de Alba in Provinciam, & positi fuerunt in carceribus in Castro (7) Aquensis Civitatis; & erant homines circa CLXXXI. & ibi steterunt per Annos V. & plus, ubi multa mala passi sunt in personis & rebus, fame, & peste, pro quibus multi mortui sunt. Et fuerunt mortui homines circa CL. alii autem se redemerunt libris 3500. Turonensibus & plus. Illi autem, qui remanserunt in Alba, positi fuerunt in carcere, ubi multa mala passi sunt, propter quod multi mortui sunt; alii autem se redemerunt in maxima quantitate pecuniæ. Et totum prædictum damnum dictum Commune Ast substinuit & habuit causa adjuvandi Guilielmum Marchionem Montisferrati, ad hoc, & pro eo, ut non esset exheredatus. Ideo in gratia Jesu Christi Commune Ast recuperavit totam terram, quam perdiderat; & satis lucratum fuit de alia. Et expulit de partibus istis omnes Nuntios & milites dicti Caroli, & omnia loca, & Castra, quæ manutenebat dictus Carolus, facta sunt alia amica, alia propria, & jurata Communis Ast. Et etiam duravit ista secunda guerra per Annos V. & plus. Et pro hac guerra Commune Ast damnum substinuit de libris DCCC. millibus & plus. In qua guerra Commune Ast lucratum fuit Castrum Cossani, Rochetam Falni, Versolis & medietatem Sancti Stephani, Gorzanum, Castrum Novum, Marelogium, Lavesoliis, de quibus Lavesoliis factus est locus Sancti Damiani, Iverdum & Priocham.

De Guerra Ast, & Marchionis Montisferrati.

ANno Domini MCCLXXXIX. Guilielmus Marchio Montisferrati, habens magnum dominium & segnoriam in Lombardia, & possidens multa Castra, & loca, & etiam Civitates, videlicet Canavesium, Hiporegiam, Vercellas, Novariam, Papiam, Tortonam, Alexandriam, Aquem, Albam, & Comitem Manuelem (8) de Blandrate, & totam Terram subditam prædictorum: quapropter elevatus in superbiam maximam, volens obtinere principatum totius Lombardiæ, & maximè Civitatis Ast, quamvis esset Vassallus, (9) & Civis Civitatis prædictæ; sed renuentes prædicti Astenses venire in subju-

(6) Imperatorio Ducum Sueviæ genere deleto, translatoque per Summum Pontificem in Regiam Andegavensem Domum Siculo utroque stirpis illius Regno, quid huic Carolo juris esse potuit in Terra Pedemontii & Montisferrati, nisi contra Romanum Imperium injusta dominandi cupido? Populis ergo illis sub Imperii Romani clientela liberis, illatam apertissimè injuriam patet ex Nota Capite quarto proximè data, & ex Nota in Caput X. subsequentis historiæ Gullielmi Venturæ.

(7) Idest Gallicæ in Provincia Civitatis, cujus Latinum nomen: *Aquæ-Sextiæ*; Gallicum: *Aix*.

(8) Possidens Comitem de Blandrate, idest jus habens directum in istius sui Clientis ditionem. Vide Notam in historia Gullielmi Venturæ Capite XXII.

(9) Potentissimus Marchio Montisferrati Guillielmus erat Astensis Vassallus, & Civis. Vix credibilia hæc sunt antiqua in Historia peregrinis. Sed mirum valde est viventem nunc Romæ Scriptorem, eruditionis fama ubique celebrem, veteris hujusmodi moris vel ignarum vel immemorem fuisse; cùm nobilissimos ac vetustissimos in Italia Marchiones Athestinos anno 1213. in ordine Principum nondum collocatos existimaverit cap. 35. pag. 34. epistolæ nuncupatæ: *Il dominio temporale della Sede Appostolica in Comacchio*; quia *Marchio Aldervandinus*. (Anonymo ita tradente Monacho illius ævi Scriptore.) *coactus juravit, sicut civis, Communi Paduæ in omnibus obedire*. Malè ac falsò sic opinantem Mutinensis Author in observationibus contra eamdem Epistolam editis, anno eodem 1708. cap. 70. pag. 102. certis notisque aliorum Principum exemplis, jure merito carpit, & facilè jugulat. Nunc ad usum Author idem in parte I. Antiquitatum Italicarum & Estensium cap. 26. pag. 256. de Familià Malaspina disserens & cap. 41. pag. 413. de Marchione Aldrovandino Estensi loquens utilia sibi futura notat, & refert verba ipsa, quibus Marchio Monruellus, vir ea ætate princeps, Placentiæ, sicut ejusdem Civis, sacramentum dixit.

Ut ergo magìs in aperto veritas hæc historica ponatur, atque ut magìs in tuto vetus Athestinæ Serenissimæ Gentis honor collocetur, allatis supra exemplis, alia hìc superaddam. Post hanc Ogerii historiam, altera, quæ sequitur Gullielmi Venturæ Cap. 14. Nanum Cevæ Marchionem Astensi Civitati se Anno 1286., suaque omnia subjecisse affirmat. Alter supradicto Gullielmo antiquior Montisferrati Marchio Bonifacius Anno 1198. ex lege initi cum Aquensi Urbe fœderis, inter ejusdem Cives adscriptus est; teste in Annalibus Alexandrinis Hieronymo Ghilino pag. 19. num. 10., cujus etiam ex fide fratres multi Occimiani Marchiones, Anno & pagina citatis, numero 11., Alexandrina Civitate donantur, cui & ipsi quorumdam Castrorum medietatem donarunt, pro quibus ab illius Prætore fidei jusjurandum susceperunt. Anno deinde 1202. pag.

ſubjugationem prædictam, exhibere donationem aliquam penitus noluerunt. Propter quam cauſam prædictus Marchio guerram intulit Communi Aſt maximam & mortalem, faciendo Communi Aſt fraudulenter capere Villam Buttiglieræ per manum Comitis Manuelis ſuperiùs memorati, & etiam currere terram, & capere prædam, & comburere domos. Et Anno Domini MCCXC. die Sabbati XVIII. Martii Guilielmus Marchio Montisferrati cum exercitu ſuo copioſo, videlicet militum circa 3000. peditum verò 15000. vênit in Poſſe Aſt, videlicet apud Inſulam, & hoſpitatus eſt Sanctorum Apoſtolorum de Capraivolio, comburendo domos, & devaſtando vineas, & arbores uſque Nant, & uſque ad Caſtagnolas, & Blonitem, per tres dies; & non tranſivit Tanagrum. Eodem Anno MCCXC. die Martis Sancti XXVIII. Martii prædictus Marchio Guilielmus cum exercitu magno, videlicet militum 1000. & peditum 9500. vel circa, vênit in Poſſe Aſtenſium in planitiem Quarti, & ibi tentoria fixit, & combuſſit, & devaſtavit totam terram circumſtantem uſque ad Vallem Juvenalem, ſtando tantùm per duos dies. Eodem Anno die Mercurii XXIV. menſis Madii ſupradictus Guilielmus cum exercitu nimio magno vênit in Poſſe Aſtenſium apud Montem magnum, & ibi caſtrametatus eſt & devaſtavit per dies V. Poſtea die XXIX. Martii vênit in planitiem Quarti, & in Noſetum, & devaſtavit, & combuſſit terram Aſt per V. dies. Eodem Anno die Dominica menſis Septembris die decima illi de Alexandria ceperunt perſonaliter Guilielmum Marchionem Montisferrati prædictum, (10) & ipſum duxerunt in Palatio veteri Communis Alexandriæ, & poſuerunt ipſum in quadam gabbia de ligno de duabus partibus compeditatum; & ibi ſtetit in carceribus per annum unum, menſes V. & dies XXVI. Anno Domini MCCXCII. die Mercurii VI. Menſis Februarii mortuus eſt prædictus Marchio in carceribus Alexandriæ, & ſepultus eſt apud Monaſterium Locedii; & omnes Civitates, & loca, quas & quæ ipſe tenebat, præter illa, quæ ſunt de ſuo patrimonio, ſuum Filium, ipſo capto, totaliter reliquerunt.

Anno Domini MCCXCI. die Martis XXVII. Menſis Martii, dum eſſet prædictus Guilielmus Marchio Montisferrati adhuc in carceribus Alexandriæ, & Filius ejus Johannes puer eſſet, Marchio Salutiarum cum conſilio Caſtellanorum Montisferrati duxit prædictum Johannem in terram ſuam, apud Ruvellum. Poſtea eodem anno die Veneris XXIX. Junii prædictus Marchio Salutiarum miſit Johannem prædictum ad Comitem Delfinum in Delfineſio; & prædictus Comes Delfinus miſit ipſum Johannem ad Dominum Carolum Regem Siciliæ in Provinciam, qui dare ei ſuam filiam in uxorem dicebatur promiſiſſe.

Anno Domini MCCXCII. die Mercurii in Menſis Junii facta fuit pax inter Dominum Guilielmum de Lambertinis Poteſtatem Aſt ex una parte, & Dominos Ubertum de Cocconato, Facinum de Tilzo, Nicolinum Baſtardum, & Jacobum de Gabiano Vicarios nomine Domini Johannis Marchionis Montisferrati ex alia: in qua pace prædicti Vicarii dederunt Domino Poteſtati nomine Communis Aſt Caſtrum Tangi, Caſtrum Curticellarum, Feudum Sancti Stephani de Caſſano, & Feudum Caſtagnolarum; & inſuper abſolverunt, & confirmaverunt dicto Poteſtati nomine Communis prædicti totam terram (11), quam ipſum Commune ab antiquo, &

pag. 20. num. 2. Otho Carretti, Vermus Cevæ, & Henricus Ponzoni Marchiones, ab Alexandria in amicitiam, & ſocietatem variis accepti ſunt conditionibus, inter quas pro civibus haberi omnes debuerunt. Idem, qui ſupra, Otho Marchio de Carretto Anno 1214. nonnulla ditionis ſuæ Caſtra, ſuo ex dono Januenſium in poteſtatem transferens, eademque ipſe iterum in clientelam accipiens, Januæ civis appellatur, ut conſtat ex tabulis a Raphaele de Turri editis, & ſua in Cyrologia Controverſiæ Finarienſis, Sectione tertia de Marchionibus Carrettenſibus pag. 97. ſub litera R. citatis. Eadem Sectione & pagina ſub litera T. datum allegat documentum pactorum, quibus Anno 1182. ſe invicem ſibi obligarunt Januenſes, & fratres duo Henricus & Otho Savonæ Marchiones. Illis enim iſti *jurant babitaculum Civitatis Januæ*, iſtiſque illi *teneri volunt adjuvare, quemadmodum tenentur juvare cives Januæ*. His tot exemplis finem hoc loco imponat recentius cæteris aliud, quod habetur authenticum in Chronico Montisferrati pag. 286., ubi datum ab Authore Sangiorgio legitur documentum, quo Joannes Galeatius Vicecomes tunc Dominus, & paulò poſt Dux Mediolani, Anno 1386. Valentinam filiam ſuam Ludovico Turoniæ Duci, Gallici Regis Germano uxorem commiſit, eidemque Aſtenſem Civitatem dotis nomine tradidit, cum omnibus pertinentibus ad illam juribus, & Vaſſallis, quorum unus Sabaudiæ Comes erat, ut verba hæc in ipſo inſerta apertè indicant: Villæ Cargnam, de Vigon, de Caramana, & certæ aliæ Villæ, quæ ſunt de Feudo Aſten., & tenentur per no. Comitem Sabaudiæ, qui de ipſis fecit fidelitatem Communitati Aſtenſi, ſicut patet inſtrumentum vel inſtrumenta. Res ergo eſt omnino evidens, quòd potentes olim in Italia Princeps Italica aliqua tunc libera Civitate donari, & eidem ſicut cives obligari, fidemque ut Vaſſalli facere, à nobilitate, dignitateque ſua minimè rebantur alienum; ut magni neque Principes rentur hodie, quibus placet inter Nobiles Venetos nomen habere, nec fortaſſe à Venetis vel Januenſibus Urbem, vel Terram aliquam inſignem cum omnimoda juriſdictione in Feudum accipere recuſarent.

(10) Urbs Alexandriæ ad Boſchi Marchiam pertinebat ex fide ſacramenti, quod Boſchi Marchionibus dixit, ut in Annalibus Alexandrinis Ghillinus teſtatur pag. 10. ſub. an. 1180. num. 5. ſtructa enim fuit dicto in Marchionatu à Montisferrati Marchia per interfluentem Tanarum ſeparato; ſed à Montisferrati Marchione occupata, ſui occupatoris carcer evaſit, ubi miſerrimè deceſſit; nec morte ſua iram ſatiavit Alexandrinorum, à quibus odioſè in illum geſta, quæ hic Ogerius Alpherius omiſit, Gullielmus Ventura, ejuſdem temporis, & Patriæ Scriptor cap. 14. commemorat.

(11) Sub vocabulo Terræ Author iſte, & qui poſt hunc ſequitur Gullielmus Ventura Aſtenſis pariter Hiſtoricus, ſubjectam Urbi, vel Principi, immo etiam Regi ditionem intelligunt. Noſter iſte Alpherius cap. 13. dicit: *Dominus Carolus Rex Siciliæ ...... tenebat totam Terram Pedemontis uſque Albam*. Alter Ventura cap. 11. eodem modo loquitur: Philippus Rex Franciæ congregata multitudine gentium ivit ſuper Terram Aragoniæ Regis; & cap. 36. *Marchio Salutiarum .... totam Terram Montisferrati poſſe ſuo occupaverat*; capite verò 63. *Volens* (Henricus VII. Imperator Piſis diſcedens) *Ire ſuper Terram Regis Roberti ..... ivit ſuper poſſe Senarum*. Ubi dum Author ait ſuper Terram Regis Roberti, dicere intellexit non ſuper occupatas ab iſto Rege in Pedemontio Urbes; ſed ſuper Neapolitanum ejuſdem Regnum, in quod ex agro Piſano per Senenſem rectam Imperator viam incœperat.

Id hoc loco explicandum ego ſuſcepi, cùm Muratorius Vir doctiſſimus eamdem in alio barbaro ſcriptore phraſim explicatione dignam cenſuerit, ut in ſua ad Leibnitium data epiſtola ab eodem Leibnitio impreſſa & Tom. 3. ſcriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium præpoſita ut nominatam Terram Marchionis Athonis,

& de novo, ubicumque tenebat, vel alii pro ipso Communi, tam in Allodio (12), quàm in Feudo. Et etiam promiserunt, & juraverunt, quòd prædictus Johannes omnia; quæ in prædicta pace continentur, laudabit, approbabit, & confirmabit infra Festa omnium Sanctorum sub pœna mille Marcharum argenti. Quod observare noluerunt prædicti Vicarii in dando Curticellas, & Feudum Sancti Stephani. Et pro hac guerra Commune Ast sustinuit damnum de libris 500. millibus & plus. Et Commune Ast lucratum fuit de ista guerra medietatem Felizzani, Castrum Vignalis, Castrum Olivulæ, Feudum Castagnolarum Castrum Caliani, Castrum Tangi, Feudum Castri Ceberi, Feudum Castri Malvengi, Feudum de Cunico, quintam partem Castri Novi de Rivarba, Feudum Lovenci, Feudum Poliani, medietatem Ripæ, Castrorum Parulis, & Setainaticum, Castrum Montis Alieti, & Sancti Stephani, & rationem quarterii Curtis Milliæ cum pertinentiis, & Citainaticum Incisæ, & Castri novi, Carentini, & Bergamaschi, & etiam Polentium.

De primo Potestate Civitatis Ast.

ANno Domini MCXC. die XX. exeunte Mense Septembris in festo Sancti Michaëlis Civitas Ast primum incœpit habere (13) Potestatem; nam ante per Consules regebatur. Et primus Potestas fuit Dominus Guido de Landriano Mediolanensis, qui fuit bonus, & legalis, & multa bona fecit Communi Astensi.

Eodem Anno, quo Civitas Ast incœpit habere Potestatem, erat dicta Civitas de spinis clausa, & non erat in ipsa Civitate domus aliqua de matonis novis.

De Villis, quæ erant in Posse Ast, & de Posse veteris Civitatis Ast.

EOdem Anno Civitas Ast tenebat posse infrascriptum. Videlicet, ultra Tanagrum tenebat Villam Azani, Montem Marcidum, Sanctum Secundum ad Nantem, Sanctum Marcianotum, Rocham Scleviniam, Montem Gardinum, & Belengerium. Item inter Tanagrum & Burburem tenebat Villam Comeyrani, Valegiarum, Villam Planæ, Reviliascum, Antegnanum, Taxerias, Mollegnanum, Villam Palatii, Villam Cellarum, Castilionum de Romano apud Cellas, Valiaranum, Cunignanum, & Villam Montis Bonini. Item in Valle Canalium tenebat Villam Teliolarum inferiorum. Item in Valle Treccitii tenebat Villas infrascriptas, Villam Montis Baldicherii, Corsfranciscum, Andonam, & Villam Montis Frioni. Item in Valle Dilati tenebat istas Villas, idest Villam Ripæ ruptæ, Villam Burgarati, Villam Sessanti, & Villam Montis Alieti. Item de versus Vallem Maneriam, Villam Vallis Maneriæ, & Villam Callianeti. Item in Valle Versiæ tenebat infrascriptas Villas, videlicet Villam Maxii, Villam Barcharum, & Villam Castri Alferii. Ultra Versam tenebat Villas istas, videlicet Villam Castlioni de ultra Versam, Villam Caniliarum, Villam Cortis Comerii, & Villam Scurzolengii, & Villam Grizani. Item in Valle Tanagri tenebat Villam veterem Quarti, ubi dicitur Plebs Quarti. Et prædictæ Villæ veteres propria vocantur Communis Ast; & homines prædictarum Villarum sunt homines Communitatis Astensis, solvendo fodrum rusticale semel in Anno.

Villa Ripæ ruptæ, & Posse, posita est in Pos-

---

nis, amplam & nobilem ostenderet fuisse ditionem, à Castri pluribus per Æmiliam aut Liguriam sparsis conflatam. Hujusmodi explicationi pondus addit Vir clariss. e Benedictina Familia in Regio-Cæsarea Ticinensi Universitate professor, dum Terram Marchionis Obizonis Malaspinæ amplissimam ab Agro Papiensi usque in Thusciam, dato in testem antiquo Federici I. Imperatoris diplomate probat, nota 116. in Historiam Ottonis Morenæ, Tomo VI. hujus Collectionis colum. 1155.

(12) Hinc scire juvat ab Urbe vel Principe Terram suam, Castra scilicet, & Oppida, partim Allodii, partim Feudi jure teneri potuisse. Allodialis hujusmodi Castrorum & Oppidorum possessio, cùm sit Jurisdictionalis, dominatio ea erat, & est, quæ feudali dominatione nobilior habebatur, & habenda videtur. Nobilissimæ conditionis hujus Princeps & Dominus esse debuit Vvelpho, qui apud Leibnitium Tom. I. Rerum Brunsvicensium ut testis est editus ibi sub num. 58. pag. 801. Ladislaus Sundheimius ab eodem Leibnitio sua in Introductione illustratus, liberæ suæ detrhaere putabat nobilitati, si Feudum acciperet, à quo personale imponebatur Feudatario servitium. In hac tamen opinione non alium Vvelphoni socium scio. Secus autem scio Principes viros Allodiali jurisdictione fulgentes, ut Feudali etiam fulgerent, avidam apud Reges, vel Cæsares operam locasse. Marchio enim Guillielmus ex nobilissima inter Italos Proceres Montisferrati Marchionum Familia ortus, anno 1224. Federico II. Imperatori suum omnem utriusque supradictæ naturæ statum arrhabonis nomine cùm dederit, Sangiorgius in Chronica Montisferrati pag. 61. ita illum dicit pignorasse omnia bona sua immobilia, *quæ habet in Civitatibus, Castris, & Villis sive in Allodio, sive in homagio, sive in servitio, sive in pedagio, ... specialiter illa, quæ habet pro Allodio suo; scilicet ista; Sanctus Salvator, Novæ, Villavignale, Moncalvus &c.* Quæri posset utrum nunc nobilia hujusmodi Allodia inveniantur, & inveniri respondeo, sed parum aut fortasse nihil perpendi, apud superstites saltem usque à Federico I. Imperatore Dynastas, quorum mixti juris Feuda dici ab aliquibus solent Allodialia, sive Allodia Feudalia. Patet ergo datum & dari posse Allodium cum jurisdictione compositum, Regi vel Imperatori subjectum, à personali licet servitio, aliisque Feudorum oneribus exemptum. Omnem ab hac re dubitationem removet legum ultima, quam inter latas à supradicto Imperatore Federico I. Radevicus lib. 2. cap. 7. nostro usui opportunam refert, ita dicentem: *Ad hæc qui Allodium suum vendiderit, districtum & jurisdictionem Imperatoris vendere non præsumat, & si fecerit non valeat.*

(13) Jam usque ab annis triginta & amplius aliæ multæ in Italia Urbes sub Potestatum regimine fuisse certum est. Radevicus libri 2. cap. 6. hos inter Rerum Italicarum Scriptores Tomo 6. col. 788. videndus, ait: *Præterea & hoc sibi.* (Imperatori Friderico I. Ronchaliæ conventum agenti anno 1158.) *ab omnibus adjudicatum, atque recognitum est. In singulis Civitatibus Potestates, Consules, cæterosque Magistratus assensu Populi per ipsum creari debere &c.* sed cùm supra laudatus Vir doctissimus, Casinensis Monachus, Regio-Cæsareus Papiæ Lector, Morenas Laudenses sæculi duodecimi Scriptores, Tomo VI. Collectionis hujus in lucem datos, notis illustrandos susceperit, de hoc antiquo Italicarum Urbium Magistratu, nota 87. more suo ita est eruditè locutus, ut illo indicato nihil aliud à me sit expectandum. Hoc addam tantummodo Viri de antiquis Urbium Potestatibus opinionem confirmandam & illustrandam plurimum facere Januenses Tomo hujus Collectionis sexto editos sub nomine Caffari Annales de rebus Anni 1198. ita dicentes: *Fuit Dominus Albertus de Mandello nobilissimus Mediolanensis Civis, Januensis Civitatis in Republica Potestas & Dominus fæliciter electus & constitutus &c.*

Posse veteri Civitatis Astensis, sive in Burghis cohærentibus Civitati; & homines, qui ibi habitant, solvunt fodrum in Ast Villa Quarti, & Villa Mirabelli positæ sunt per Commune Ast in una Villa Nova, quæ vocatur Quartum novum prope Villam Noni; & homines facti sunt Cives Ast. Villa Castri Alferii posita est per Commune Ast in Platea de Versa, ubi dicitur Guaderabium, sive ad Burgum Sancti Petri; & homines dictæ Villæ facti sunt Cives Ast; postea reversi sunt apud Castrum Alferium propter guerram Marchionis Montisferrati, & ibi sunt Cives Ast.

De multis malis, quæ passa est Civitas Astensis.

Civitas Ast multa mala passa est (14) ab Imperatoribus, & à Summis Pontificibus, ab Episcopis, & Ecclesia Astensi, à Comitissa Alaxia, à Marchionibus Montisferrati, à Comitibus de Blandrate, à Marchionibus de Guast, à Comitibus Sabaudiæ, à Domino Carolo Regis Franciæ fratre, & Rege Siciliæ, à Comite Provinciæ, à Castellanis de Turesana, à Castellanis de ultra Tanagrum, à Castellanis de Astesio, ab Alexandrinis, & Mediolanensibus, à falsis Civibus, & etiam à multis aliis personis.

Sed licèt Civitas Ast tanta mala passa sit, tamen Dominus noster Jesus Christus custodivit eam, & ejus pietate & misericordia fecit eam omnia supradicta mala omnimodo superare, & etiam ampliavit terram Ast, & multiplicavit bona ipsius in personis, & hominibus, Castris, Villis, Terris, Possessionibus, Domibus, & mobilibus, sicut modò patet, ut apertè videtur. Et insuper Commune Ast vindicavit se de majori parte prædictorum, & habuit honorem de dictis, qui sibi malum fecerunt, & intulerunt, & de omnibus guerris & quæstionibus.

Quando Civitas Astensis fuit reædificata de novo, & de ejus laudibus.

Anno Domini MCCLXXX. Civitas Ast per gratiam Dei facta est quasi nova, plena divitiis, clausa bonis muris, & novis, & plena multis ædificiis, Turribus, Palatiis, & Domibus novis quasi tota. Item Civitas Ast ornata est sapientibus & nobilibus Civibus, divitibus, & potentibus. Item Civitas Ast ornata est Populo sapienti, & bono, & divitiis plena, qui libenter custodit bona, & honorem Civitatis. Item Civitas Ast ornata est pulcherrimis Dominabus, plenis ac imbutis ornamentis auri & argenti, quæ plenæ sunt margaritis, & lapidibus pretiosis.

Item Civitas Ast ornata est Burgis cohærentibus Civitati quasi circumquaque. Item ornata est Religionibus (15) novis per circuitum, idest Fratribus Prædicatoribus, Fratribus Eremitanis, Monasterio Sanctæ Agnetis, Fratribus, & Sororibus Ecclesiæ Sancti Quilici, filiabus Dei, Fratribus Minoribus, Monasterio Sanctæ Annæ, Fratribus & Sororibus Humiliatorum de Domo Dei, Monasterio Sancti Spiritus, Fratribus de Saccochis, Fratribus de Carmelo, Sororibus Sancti Salvatoris, & Monachabus Sancti Anastasii. Et omnes prædictæ Religiones habent Ecclesiam, & Conventum. Item Civitas Ast ornata est frumento, & vino optimo, & omnibus aliis necessariis ad Civitatem pertinentibus.

Item Civitas Ast habet in dominationibus, terris, & possessionibus tantis, quæ ascendunt ad registrum usque ad libras quinque millia. Item Civitas Astensis habet de mobili ad registrum factum per Manfredum Pelletam & socios in Civitate, & Posse, & Burgis cohærentibus Civitati, quod ascendit ad libras centum viginti millia, salvo plure. Item Civitas Ast potest facere in Civitate, & Burgis cohærentibus Civitati, milites sexcentum de duobus (16) equis ad rationem de libris quatuor millibus pro militia. Item Civitas Ast potest facere in suis Villis milites centum sexaginta de uno equo, vel equa, ad rationem de libris decem pro militia.

Item in Civitate Ast sunt & habitant aliqui homines sapientes, homines satis divites, pleni falsitate, astutia, & dolo, quorum astutia & ignavia est vertendi bonum in malum, & verum in falsum. Uti aliquando fingunt se facere aliquod bonum pro utilitate Communis, & tamen hoc faciunt, ut melius possint rapere, & habere de havere Communis in magna quantitate. Et isti sunt illi, qui capiunt servitia magna ad damnum & detrimentum Communis Ast. De istis etiam talibus multi veniunt ad malum finem, & filii eorum post eos veniunt ad malam conditionem, & in maximam paupertatem.

Item in Civitate Ast habitant aliqui latrunculi populares, & frequentantes Consilium, & Ec-

(14) Quæ hìc Ogerius Alpherius strictim innuit de damnis Patriæ suæ datis per tot Viros Principes, Urbesque præcipuas, & de reposita illis pæne omnibus injuria Scriptor alter Guillielmus Ventura post Alpherium legendus, fusè magìs & ad Historiam aptiùs explicat. Cùm verò inter urbi suæ noxios minimè Alpherius retulerit Vicecomites ut Mediolani Dominos, deinde Duces Anno 1395. ab Imperatore Venceslao primùm institutos, illum ante eosdem vixisse siquis inferat, falli fortasse non poterit. Sed de Ogerii ævo certiora inferiùs producentur.

(15) Ex hac appellatione *novarum Religionum* colligi potest, quod superiùs assequi curavimus, quando nempe Author iste vixerit, nam illarum initio proximus fuisse debuit, qui eas novas dixit, idest recenter natas; nisi quis intelligere malit eas in Urbem recenter acceptas, Scriptore isto vel tunc vel paulò post vivente. Uterque sensus aperire dubitantibus potest quando Alpherius vixerit. Perpendenti mihi narratas supra Patriæ suæ laudes, ita eas narrare Author videtur ut præsens, cùm suos maximè laudet Concives sapientes & divites, bona & honorem Patriæ custodientes Anno 1280.

(16) Ab hoc diverso stipendia merendi modo, idest uno vel duobus equis, datos antiquitus à Rure vel ab Urbe Milites noscere haud spernendo in lucro ponendum ab eruditis est; cùm nos e vulgo quoscumque ad Martem transeuntes vocemus Milites, sive in peditatu, sive in equitatu stipendia facientes, quorum dumtaxat secundos, tunc non nisi supra plebem natos, Scriptoris istius ætas Milites vocabat, ut ex videnda cap. 95. Gullielmi Venturæ nota unica constat. Quidam verò principes vel potentiores, vel Militiæ magìs amantes vel ditiorum Vassallorum Domini tales habebant Milites, quorum singulis equos duos & tres secum scutiferos ducebant. Rem hanc clarissimè tradit sub Anno 1225. Bartholomæus Scriba Januensium Caffari Annalium continuator in sexto Collectionis hujus Tomo editus.

Si bene Guntheri, sive Poetæ Ligurini mentem assequor, illo teste discrimen aliud inter Nobiles & Populum Militia vetus admittebat, illis non isti armatum ense latus permittens. Quapropter aversos ab hoc more Mediolanenses Guntherus damnat duobus istis in vita Imperatoris Friderici I. carminibus:

Quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum
Judicat, accingi gladio concedit equestri.

Ecclesias, affectantes Rectorias, procurantes habere Officia Communis, ad hoc ut meliùs possint rapere de havere Communis Ast, & capere servitia ad damnum & detrimentum Communis Ast. Et de istis talibus multi sunt in egestate, quia diligunt vinum Fringuriæ, & maligna fercula; & multi venerunt ad malum finem, & filii eorum postea venerunt ad malam conditionem & inopiam.

De Posse Civitatis Ast.

POsse Astensium (17) protenditur ultra Tanagrum à Maxio usque ad Nevias. Item protenditur in Valle Tidoni usque ad Malam mortem (*quod Castrum dicitur Belvederium*) & Viginti, seu Vincium. Item posse Ast protenditur in Valle Belbi à Sancto Marzano usque ad Castinum. Item in Valle Tigellæ protenditur usque ad Tresium. Item Posse Ast protenditur inter Tanagrum, & Burburem usque ad Malianum, & Castrum Aynaldum. Item protenditur in Valle Canalium usque ad Villam Canalium, & à Montata Tangi ab inde superiùs usque ad Ceresolas, Summam Ripam de Bosco, & Summam Ripam de Perno, & usque ad

A Braydam, Cabaleriam Majorem. Item protenditur de versus Planam usque ad Podium Guarinum, & Ripam, & Castrum Novum de Rivalbo. Item Posse Ast protenditur in Valle Traveiæ usque ad Butilieram, & Meletum. Item protenditur in Valle Rilati usque ad Montem Clarum. Item in Valle Versæ protenditur usque ad Castrum Cebrum, Tongum, & Callianum. Item posse Ast est ultra Versam usque ad Montem Magnum, Granam, & Vignalem. Item protenditur in Valle Tanagri usque ad Felizzanum; & prædictæ Terræ vocantur Loca nova

B Communis Ast ex dictis Villis veteribus Communis Ast, & Vassallis Castris Civium.

De Johanne Marchione Montisferrati.

ANno Domini MCCXCIV. (18) de mense Aprilis Johannes de Monteferrato reliquit Curiam Domini Regis Caroli, & in Curia Cardinalium versùs Romam progressus reversus est in Montemferratum, eo quòd dictus Rex Carolus noluit ei dare filiam suam in uxorem; qui Johannes fecit guerram Alexandrinis, & ipsi Alexandrini fecerunt guerram cum ipso Johanne.

C

(17) Sicuti in præcedenti cap. 18. sub Anno 1280. ornamenta suæ Civitatis, & Civium suorum mores iste Author, ut videns ipse, narravit, ita hoc in capite districtus Astensis limites omnes topographicè designavit; ideft per quas circum valles, atque in illis ad quæ usque loca Astensis jurisdictio se se prolataret, dum ipse de genere viventium erat. Id ex ipsius loquendi modo constat, cùm dicat, & duodecies repetat: *Posse Ast protenditur &c.* Me in hanc sententiam impulit idem ipse Author cap. 15. enumerans loca omnia, quæ Anno 1190. Astenses agnoscebant in dominos; cùm enim ipse minimè illo ævo viveret, dixit, & persæpe replicavit: *Civitas Ast tenebat*; dixisset equidem: Civitas Ast tenet, si de re sui temporis sermonem habuisset. Cùm ergo isto in capite 19. minimè dicat: Posse Ast protendebatur, sed Posse Ast protenditur, tunc vixisse, quando ita scribebat, ipse se accusat manifestissimè.

(18) Annalium istorum ordinata minimè series per se patet; meum tamen non est hìc inquirere utrum id Authoris vitio an exscriptoris acciderit. Ut melior scribendi ratio haberetur, præponendum esset capiti 8. caput 15., & capiti 14. caput 18. tunc ferè omnia ordinatim disposita vigesimum istud, atque ultimum caput exciperet.

FINIS OGERII ALFERII.

MEMORIALE GUILIELMI VENTURÆ CIVIS ASTENSIS.

DE GESTIS CIVIUM ASTENSIUM, ET PLURIUM ILLORUM.

CAPUT PRIMUM.

De flagello, quod Battimentum vocatum est.

ANno MCCLX. Vidi signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressuram gentium ego Guiliermus Ventura. In diebus meis vidi, pro ut scriptum est in hoc Libro. Observavi Solem, & Lunam, & admirabilem Stellam Cometam; vidi pressuram gentium omni tempore; vidi, & videbit omnis homo vivens, dum vivet. Anno MCCLX. admirabilis Lombardorum facta est commotio, quæ Battimentum vocata est. Tunc Eremitæ exeuntes de sepulcris suis ad Civitates venerunt, Evangelium prædicantes, sicut prædicavit in Ninive Jonas Propheta; & dicebant: *Pœnitentiam agite, quia appropinquabit Regnum Cœlorum*. Tunc viri à majori usque ad minorem pergentes vidi per Civitates & loca, suos humeros fortiter flagellantes flagellis, taliter ut inde sanguis exiret. Quidam autem Vercellenses venerunt Ast induti saccis, & humeri eorum nudi erant, quos fortiter flagellabant. Tunc Astenses pro majori parte euntes nudi post eos per Civitatem, & Burgos, ibant flagellantes se. Episcopus Astensis, & omnis Clerus tam Religiosi, quàm Præbendarii, præcedebant eos, Cruces portantes, Psalmos, & hymnos cantantes, portantes nova Vexilla cum figuris Sanctorum; & in viis publicis omnes flexis genibus alta voce clamabant dicentes: *Misericordia, & pax nobis fiat*. Et istud Battimentum incœptum fuit Mense Decembris, & hyems frigidissima fuit, & copia Nivis in terra erat. In diebus illis multa malè ablata fuerunt restituta, & multæ discordiæ pacificatæ sunt.

CAP. II.

De Eccelino de Romano viro crudelissimo.

ECcelinus de Romano fuit Tyrannus perfidus, & crudelissimus, antequam hæc fierent, videlicet Anno MCCLVII. qui jam regnaverat in pessimis operibus; sed nolui, quòd auctoritas ejus reperta esset in principio hujus Libri, quia non est auditum à seculo, quòd aliquis fuerit similis Eccelino prædicto, qui subjugavit Paduam, & Marcham Trivisanam, Vicentiam, Veronam, Mantuam, Brixiam, & alias plures Civitates circumstantes, & loca. Et hic crudelissimus Tyrannus, monstrum humani generis, pestis Mundi, horridus erat aspectu, injucundus in loquendo, terribilis, oculis viperinis, in incedendo superbus & elatus, ira semper fremens, omnes non modò verbis, sed solo intuitu terrore replebat. Hoc solùm laudabile in eo fuit, A quia mulieribus omnibus abstinuit; lenones, meretrices, fures, & proditores præcipuo odio est insequutus. Ceterum ex ejus malis operibus aliqua vobis scribam. Vidi multos viros, & mulieres transeuntes per Ast, quibus oculos erui fecit, & mulieribus eradicare mamillas, & infantes eorum lactantes abbacinabat, ita ut lucem videre non possent. Alios verò vidi, quibus unum oculum, nasum, & linguam, manum unam, & unum pedem truncare fecit. Et cùm interrogati fuissent, quare hoc passi fuerant, dicebant: quòd ex culpa primogeniti Diaboli, seu Majorum suorum ita puniti fuerant. Referebant etiam plura alia crudelitatis genera, dicentes: ipsum priùs raptatos, postea capite B truncatos in frusta se inde fecisse. Julium Lampionem, & Pellegrinum de Consulve mercatorem, eo quòd crudelitates ejus adversùs Nobiles detestarent; Almericum etiam de Todio proditionis accusatum, cùm in tortura mortuus esset, sic mortuum capite truncari fecisse; itemque etiam fecisse multos decapitari propter levem suspectionem: quod fecit itemque Matthæo de Almirseda, & Thomæ de Capite-Nigro. Quadam die Anno Domini 1256. dum dictus Eccelinus esset in exercitu, & cum eo essent Viri de Padua bellatores armati plusquam 12. millia, tunc Paduani, qui domi remanserant, facti sunt rebelles Eccelino prædicto. Quo audito Eccelinus furore succensus, C quia videbat in Padua esse Legatum Papæ, etiam cum Azzone Marchione Estensi, & ob id nullum ejus recuperandæ Civitatis modum videbat: interfecit gladio omnes viros prædictos Paduæ, qui in ejus obsequio venerant, taliter quòd nullus eorum vivus remansit. Et ligam fecit cum Oberto Pelavicino Cremonæ & Placentiæ Tyranno contra Guelfos. Unde cùm quadam die Anni supradicti 1258. ambo simul contra Legatum Papæ juxta Oppidum Gambaræ egressi de improviso essent, eum adeò afflixerunt, ut vix perpauci fuga se salvos fecerint. Legatus tamen simul cum Episcopo Brixiensi, & aliis primariis Guelforum captivi remanserunt. quos secum ducens juxta Brixiæ Portas, D eam Civitatem pro redemtione eorum obtinuit. Obertus verò cum portione sua prædæ, & captivorum Mantuanorum, Cremonam perrexit. Dicitur quoque, quòd quidam barberius, dum raderet barbam dicto Eccelino, & manus ejus tremens præ timore fieret, Eccelinus, eidem manus truncari fecit. Pervênit ad aures Eccelini, quòd multi cœci, & claudi, quos Eccelinus non punierat, ibant per Lombardiam dicentes: *Hæc & hæc fecit nobis Eccelinus de Romano*. Tunc præconizari fecit, ut omnes cœci, claudi, & debiles Veronam venirent, quibus omnibus Eccelinus victum & vestitum præberet, dum viverent. Tunc cœci, & claudi unus post alium ve-

veniebant, & impleta est domus maxima prædictorum, numerus quorum fuit plusquam 3000. Tunc Eccelinus suos Ministros misit, ut nuntiarent prædictis, si quis eorum posset vivere de labore suo, exiret. Inde nullus eorum exire voluit. Tunc Eccelinus jussit impleri domum lignis, & paleis, & posito igne succensi sunt omnes, taliter quòd nullus eorum evasit. Plures maritos ab uxoribus separavit; alios bonis, & vita privavit. Suspectioni maximè deditus, aliorum dicta & facta in malam partem interpretabatur; crudelis, expers misericordiæ, pacis inimicus, civilium discordiarum seminator, & astutissimus in cumulanda pecunia. Ecclesias spoliabat, Religiosos cujusvis generis occidebat, beneficia ex animi sui sententia conferebat, alienus à Fide Catholica, unde tamquam Hæreticus excommunicatus fuit. Astrologiæ, & Geomantiæ, & aliis divinationum generibus plurimum fidei tribuebat. Carceres horribiles habebat plenos hominibus & fœminis, quos ibi fame perire sinebat. Pueris & viris conjugatis testiculos adimi faciebat, ac viros nobiles, ac etiam plebejos ex altis Turribus præcipitare faciebat. Plurimis fœminis mamillas, nasum, & superius labrum amputari fecit. Inventum est, ejus mandato, diversis in locis, ac temporibus, & diversis morbi generibus periisse plusquam triginta millia inter viros, & mulieres, parvulos, & senes. Delectabatur in cæde virorum, & in effusione humani sanguinis. Numquam neque in sermone, nec in operibus, neque in cogitatione visus est benignus & mansuetus; & in hoc magis crudelis apparuit, quòd nulli licebat cognatum, vel amicum deflere. Immo cogebatur Eccelini facta laudare, & eum justum nominare, ceterosque homines injustos appellare. Ecclesiarum bona sibi applicavit; vetabat ne sibi subjecti confiterentur, nec Ecclesias visitarent, nec verbum Domini prædicaretur. Exploratores ubique habebat, qui cunctorum dicta & facta observabant, & ob levem causam carceri universam familiam mancipavit, tormentis afflixit, & occidi mandavit. Nemo apud eum tanti fuit, ut quid minimum ab eo impetrare posset. Quadam die Anno Domini MCCLIX. cùm à quibusdam Mediolanensibus hortaretur, ut si Mediolanum iret, ipsi ejus Civitatis illi dominium traderent, ipse illuc ire statuit. Sed cùm applicuisset Cassani, nullum vidit ex iis, qui eum vocaverant, & qui ejus ductores esse debebant: unde se Modoëciacum reduxit; ibique existens nuntium habuit. Mediolanenses contra se venire sub Marco de la Turre Duce, cum quo erant Azzo Estensis, Marchio, ac Obertus Pelavicinus Cremonæ & Placentiæ Dominus; qui cùm ante se cum eo colligasset, paulò ante ejus pessimos mores ferre non valens (1), ab eo defecerat. Dum esset in exercitu Eccelinus contra Cremonenses, percussus fuit ex uno quarello in genu, sive in tibia, dum resistere vellet inimicis, ne transirent flumen per pontem juxta Villam Novam. Audientes hoc Cremonenses irruerunt in eum, & cùm viriliter pugnasset, atque vidisset res suas in maximo discrimine, equum suum impulit in flumine, qui eum salvum in alteram transtulit ripam; sed cognitus ab adversariis, & insequutus, & in ultimum discrimen adductus, Ministri Eccelini hæc videntes, vulneraverunt eum in capite ad mortem. Tunc Cremonenses capientes eum, duxerunt eum ad Villam Soncini, & volentes eum curare facere à Medicis, non permisit; sed illa nocte propriis manibus sua vulnera laceravit. Mane verò facto, sicut canem rabidum, mortuum invenerunt; & erat annorum LXX., & sepelierunt eum in Soncinò Anno Domini MCCLIX. Paveant ergo Tyranni Lombardi, quia mors peccatorum pessima, & longa rea vita ducit homines ad malum finem.

CAP. III.

De Eclipsi Solis.

ANno MCCLXI. mense Januarii prædictum fuit, à Fratre Lanfranco perito Philosopho Prædicatorum Ordinis, quòd in Vigilia Ascensionis sequentis circa Nonam pars Solis per universum Mundum obscura fieret. Eadem die vidi in platea Guttuariorum plures viros congregatos expectantes hoc signum, si fieret; & posito speculo in quodam amirello pleno aqua, ibi apparuit circa medietas Solis obscura. Non post multum tempus aliquantum Lunam in partem mediam, & quasi totam obscuram vidi.

CAP. IV.

De discordia Solariorum, & Societatis Bechincinerem.

ANno MCCLXI. Posthæc orta est discordia maxima inter Solarios ex una parte, & Guttuarios, & eorum sequaces ex altera. Principium quidem fuit, quòd Franciscus de Solario, cui dicitur Gamba de ferro, & Bonifacius ejus frater, cui dicitur Povarinus, percusserunt ex uno lapide super voltas de Domo Robaudum de Catena super caput ejus, taliter quòd sanguis inde exiret. Tunc Ruffinus Guttuarius Socer dicti Robaudi composuit & fecit societatem, & ligam contra Solarienses, de qua societate erant major pars Bertramenghorum, omnes illi de Catena, Raymundus Asinarius, & fratres, & pars aliorum hospitiorum circa XV. quæ pars prænominata fuit Bechincinerem, pro qua multa mala venerunt. Primò Robaudus de Catena mortuus fuit gladio ultra montes, pro quo multa mala venerunt. Pancia de Solario mortuus fuit ex uno quarello per manum illorum de Catena. Petrus Guttuarius mortuus fuit gladio per manus assassini cujusdam de Govono. Albertinus de Solario mortuus fuit ex una sagitta per assassinos Guttuariorum. Post hæc fuit prœlium magnum inter ipsas partes in mercato de Sancto, tempore Galeoti de Lambertinis Bononiensis, Potestatis Astensis: quod prœlium duravit per spatium itineris duorum milliarum; & ibi præsens eram. Et ibi mortui fuerunt Thomas Guttuarius, & Conradus Pancantia incontinenti in mercato. Multi verò aliorum de Solario vulnerati fuerunt, ex quibus vulneribus Manfredus Caze, & unus de Augustis obierunt. Sciendum est,

(1) Hujus Ezellini mores, supra quam dici potest, impios pius haudquaquam Vir Obertus Pallavicinus ferre vel ipse non potuit, adeò ut illius à fœdere non modò desciverit, sed bellum intulerit. Hujus initæ Societatis integrum instrumentum habetur in lib. 3. pag. 48. Hist. Cremonen. Pictoris & equitis Antonii Campi. Eo in codice, ut in antiquioribus aliis, non Pallavicinus sed Pelavicinus scribitur. De hoc verò florentis adhuc nobilissimæ Gentis cognomine, & certa origine, Muratorius Atestinæ Bibliothecæ Præfectus, monumentorum lucem secutus, egregiè differit in Antiquitatibus Estens. cap. 26. pag. 258.

eſt, quòd antequam iſta fierent, Robaudus de Catena percuſſerat gladio Bonifacium Povarinum quaſi ad mortem. Et duravit iſta diſcordia per decem Annos. Sequenti Anno tempore Guilielmi de Lambertinis Poteſtatis pacificati ſunt prædicti de Solario cum prædictis Bechincinerem: quæ pax facta fuit per manum ſapientum, & duravit uſque ad MCCC. ſicut ſcriptum eſt in hoc Libro.

CAP. V.

De Stella Cometa.

STellam Cometam admirabilem vidi Anno MCCLXIII. cujus ortus in Oriente circa horam primi Galli cantus, & in ortu ejus coruſcabat, ſicut fornax ardens. Poſt forma ejus rotunda in modum medietatis Lunæ. Coma ejus erat magna, ſicut magni equi, per plures partes diviſa; & occaſus ejus fuit versùs Meridiem, quæ viſa fuit per menſes VI. & non amplius. Quidam verò Philoſophi exiſtimantes dicebant: *Rex novus veniet regnaturus in Orbe.*

CAP. VI.

De Carolo Comite Provinciæ, qui factus fuit Rex Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ.

ANno ſequenti MCCLXIV. Carolus tunc Comes Andegavenſis, & Provinciæ, natus ex ſemine Regum Franciæ, Frater Ludovici Regis quondam Franciæ, voluit ſubjugare Regnum Siciliæ: ad quod capiendum præcedenti anno MCCLXIII. ab Urbano IV. Papa fuerat invitatus. Et congregata multitudine militum ad burſam Summi Pontificis pro majori parte, per mare cum 20. Galèis. Milites quidem ejus pro majori parte per Lombardiam tranſierunt, & ſteterunt in Aſt. Et cum eis vênit Beatrix Regis Uxor, cui Aſtenſes multa dona fecerunt; & eleganti Oratione laudata fuit à Nicolao de Duxiis Doctore Legum in ingreſſu Civitatis. Et dum vellet diſcedere, iterum alia Oratione à Bauduino Malabaila etiam Doctore; & ante quàm abiret, fecit ligam cum Aſtenſibus. Guilielmus Marchio Montisferrati copulatus erat amicitia cum dicto Rege, & gentes ſuas per ſuam terram conduxit. Tunc Carolus Anno MCCLXV. Romam perrexit, ubi benignè acceptus eſt, & Senator creatus fuit: quo in officio per Annum ſtetit. Inde Anno ſequenti MCCLXVI. à Cardinalibus, quos Clemens IV. Papæ Urbani ſucceſſor miſerat ad hoc, in Eccleſia Lateranenſi unà cum Beatrice Uxore die VI. Januarii factus eſt Rex Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ, & Hieruſalem ſub aliquibus conditionibus, & ſub onere ſolvendi Pontifici omni Anno pro recognitione directi Dominii centum quadraginta millia ducatorum. Tunc dictus Carolus Neapolim pergens cum exercitu ſuo, juxta Beneventum obviam habuit Manfredum Regem Siciliæ filium naturalem Federici Imperatoris die VI. Februarii dicti Anni MCCLXVI. Et ad Pontem Ceperani obtinuit in campo, & mortuus eſt ibi dictus Manfredus cum exercitu ſuo, & cum eo Comes Jordanus (2) de Pedemonte affinis ſuus, qui erat de ſtrenuioribus militibus ejus ſeculi; & Manfredus ſepultus fuit juxta ripam fluminis Viridi. Non poſt multum tempus Conradinus nepos Federici Imperatoris, volens vindicare mortem Manfredi Regis, congregavit gentes, & multos equites, & perrexit Romam. Romani quidem ſuſceperunt eum cum gaudio, & factus eſt Romanæ Urbis Senator. Poſt hæc contra Carolum Regem cum militibus ſuis perrexit, & conflictus eſt in campo cum exercitu ſuo, & perſonaliter captus fuit Don Henricus frater Regis Hiſpaniæ, & Dux Auſtriæ, (3) & Comes Nurmandiæ ſenex XXIV. Auguſti MCCLXVIII. cùmque mutatis veſtibus, ne cognoſceretur, fugeret Conradinus, & alii ſupradicti, cùmque Aſturam perveniſſent, ibi dum vellent navem aſcendere, & ſe Piſas recipere, capti ſunt à Johanne Frangipane Romano Aſturæ Domino, qui eos tradidit Carolo. Poſt hæc decollatus fuit dictus Conradinus unà cum Federico Duce Auſtriæ, & aliis pluribus Neapoli Anno MCCLXIX. die XXVI. Octobris, præcepto dicti Regis Caroli; & pro his famam peſſimam acquiſivit. Tunc elevatum eſt cor ejus uſque ad nubes, & miſit exercitum ſuum in Barbariam, quo etiam ipſe ivit. Et Tunetum ſibi tributarium, ſicuti aliis Regibus Normandis fuerat, fecit Anno MCCLXX. & inde conſtitutus eſt Rex Hieruſalem, nec ipſam potuit ſubjugare. Deinde miſit in Albam milites plures, volens ſubjugare Lombardos. Aſtenſes verò dederunt ei ex tributo florenos auri 3000. pro tregua annorum trium. Finitis tribus annis dederunt eidem Regi florenos auri undecim millia pro tregua facta aliorum trium annorum ſequentium. Et interim Alba, Alexandria, Hiporedia, Taurinum, Placentia, Savilianum ſubjugatæ ſunt ſub jugo dicti Regis. Bononia, Mediolanum, & major pars Civitatum Lombardiæ erant tributariæ dicti Regis. Aſtenſes ſemper dictum Regem odio habuerunt. Tunc Anno MCCLXX. orta eſt diſcordia inter dictum Regem, & Guilielmum Marchionem Montisferrati, pro quibus dictus Rex multa mala fecit dicto Marchioni, & maximè obſidendo Villam Niciæ per dies XL. nec ipſam habere potuit. In diebus illis ſubjugabant Mediolanum illi de la Turre, & multi de majoribus Cattanei; & illi de Valvaſſoribus fo-

(2) Jordanus Manfredi affinis, falsò dicitur cum eo mortuus. Parthenii Giannettaſii è Societate Jeſu Neapolitanam Hiſtoriam Dec. 2. pag. 388. & 419. conſulat, qui Comitis Jordani cum Rege Manfredo affinitatem, eidemque etiam mortuo fidem & ſuperſtitem vitam, genuſque ſuum è ſubalpina Marchionali familia Lancea cupit agnoſcere. Giannettaſio antiquior, atque ideo tutior teſtis eſt Saba Malaſpina hos inter Italicos Scriptores Tomo Octavo impreſſus, qui Jordanum ſupradictum capite 12. memorat à Victore Rege Carolo captivum in Provinciam miſſum. Qua Jordanus patria, & qua in bello virtute fuerit, Ventura noſter, & Malaſpina citatus in aperto concordes ambo ponunt. Primus enim ſpecificè magis eum fuiſſe dicit de Pedemonte, & de generoſioribus militibus illius ſæculi; eumdem genericè alter bellicoſos inter Comites Lombardos capite 9. laudat, & cap. 10. fortiſſimum præ cæteris virum exhibet. De illius Familia Lancea Manfredi Regis conſanguinea datæ in caput 16. notæ ſtìs loquuntur.

(3) Notæ hujus neceſſitatem imponit lapſus in haud levem errorem ſupra laudatus Giannettaſius, qui ultimo 2. Decadis libro pag. 456. hunc Auſtriæ Ducem, immerito Conradini fato ſocium, ex Comitibus Aſpurgenſibus natum dixit, quem è Badenſibus Marchionibus derivatum materna hæreditas Auſtriacum fecerat. Tantus verò ſcriptor ſuo ſe liberat errore, cùm multos poſt annos ſalutatum Occidentis Imperatorem à Germanis Principibus Rodulphum Aſpurgenſem Comitem, factumque ab illo Auſtriacæ hodiernæ Auguſtiſſimæ Familiæ initium agnoſcit & laudat, Auſtria Ottocaro Boemiæ Regi erepta, & filio ſuo Adalberto in hæreditatem tradita.

A forenses erant, inter quos Otto Viscontus Archiepiscopus Mediolani tunc Bugellæ confinatus erat ab illis de la Turre. Quadam verò die forenses prædicti furtivè intraverunt Vercellas, & occiderunt unum de majoribus de la Turre, qui Potestas erat ibi. Tunc dicti de la Turre occidi fecerunt in Broleto Mediolani de forensibus suis plusquam LX. gladio. In illo tempore Obertus Spinola, & Obertus Auria Capitanei erant Januæ, & Grimaldi erant forenses, & per longum tempus ibi steterunt. Prædicti Capitanei multas victorias super Pisanos fecerunt, affligentes eos per mare, & in pluribus vicibus capientes, & occidentes ex eis plusquam XVI. millia qui carcerati steterunt Januæ per Annos X. & VIII. taliter quòd major pars eorum in
B carceribus mortui remanserunt. Residuum eorum, facta pace inter eos, de carceribus exierunt. Et antequam dicta pax fieret, Januenses prœliati sunt cum Venetianis ad Lajacium affligendo & capiendo Clavarium Venetianorum, & spolia eorum ceperunt, & multos eorum occiderunt. Galêæ Venetiarum erant 32. Galêæ Januenses erant 18. Tunc Venetiani perrexerunt in Siciliam, & multa mala fecerunt Galêis, & Navibus Januensium. Post hæc Lamba de Auria tunc Capitaneus Januensium factus est Armiralius de Galêis 50. & perrexit in Gulfum Venetiæ ad Villam, quæ dicitur Scurzula in Sclavonia. Venetiani hæc scientes, venerunt ibi cum Galêis 70. & afflicti sunt ibi Venetiani, & mor-
C tui ex eis circa 3000. & captivi ducti fuerunt Januæ plusquam V. millia. Post hæc pacificati sunt prædicti Januenses, & Venetiani.

CAP. VII.

De Passagio Loisii Regis Franciæ, & Odoardi Regis Angliæ contra Saracenos.

ANno MCCLXX. Antequam supradicta fierent, Loisius Rex Franciæ, & Odoardus Rex Angliæ, & Carolus Rex Siciliæ, & eorum milites & Barones, ordinaverunt passagium pro eundo ultra mare ad bellandum contra perfidos
D Saracenos; & congregata multitudine galêarum & navium transierunt navigio ad Tunisem; & expunctâ pecuniâ Carolus inde rediens Apuliæ in Portum Drepani cum omni exercitu suarum navium, tunc miraculosè fortunosus ventus absorbuit majorem partem navium prædictarum. Multi quidem viri, qui intus erant, eadem hora perierunt in mare. Fama quidem erat, quòd hæc Divino miraculo facta fuerunt. Loisius Rex Francorum, & Odoardus Rex Angliæ cum exercitu suarum navium transierunt ultra mare, & multa damna intulerunt Saracenis. Loisius quidem inde rediens obiit in itinere, & ejus ossa fuerunt portata Parisiis; & post longum tempus dictus Loisius à Summo Pontifice canonizatus
E fuit. Odoardus verò stans ultra mare, à quodam viro stante in thalamo suo gladio venenoso assassinatus fuit ad mortem. Eadem hora & loco dictus Assassinus mortuus fuit ab Odoardo prædicto, & Dei voluntate liberatus est, & rediens in Angliam vixit per longum tempus, & bonam famam de eo omnes gentes narrabant.

CAP. VIII.

De Joannono de Beccaria Papiensi.

IN diebus illis Joannonus de Beccaria Papiensis Capitaneus erat Populi Papiensis, & semper Papiensis Populus Militibus nobilibus invidebat, taliter quòd multæ offensiones personaliter inter ipsos factæ fuerunt, ex quibus Milites nobiles Papienses pluries de Civitate expulsi fuerunt; & stantes ad Villas, & Castra Papiensium, multa mala ferebant Civitati Papiæ. Astenses verò vera amicitia copulati erant tunc & ex longo tempore cum Civitate Papiæ; & videntes, quòd Papienses diruebant Castra forensium suorum, dolebant; & mittentes Papiam ambasciatores plures de majoribus Ast, multoties cum Militibus pacificabant eos. Verum est, quòd parum stabant pacifici, & multa mala passi sunt Milites, quia Populus fortior illis erat. Et in diebus meis vidi plusquam quinquies expulsos stare Milites ex Papia, pro quibus Papia valde inter ipsos pejorata est, & quasi destructa fuit. Papienses, & Astenses & Guilielmus Marchio Montisferrati unum & idem erant. Carolus autem Rex prædictus semper odio habuit, & contra Marchionem continuè militabat, ita quòd ei abstulit Civitatem Aquensem, & Castrum ejusdem obsessum tenuit cum Alexandrinis, taliter quòd captum fuit. Raynerius Bastardus avunculus Marchionis Montisferrati intus captus fuit (4) & in carceribus Alexandriæ obiit. Videntes autem Astenses hæc, & Papienses, & Januenses, timuerunt valde, dicentes: *Marchio subjugabitur à Carolo Rege, & nos oportebit tunc esse servos dicti Regis.* Tunc Januenses, Astenses, & Papienses, & Marchio prædictus iniverunt societatem, & ligam contra Regem Carolum, & bellum ordinantes inter sese, à guerra Militum cessarunt, ut resistere possent dicto Regi.

CAP. IX.

De ruina Astensium apud Cossanum.

ANno MCCLXXIII. Mense Martii Mercatores Astenses mittebant Januam trosellos XX. pannorum Francigenorum, & faxos XX. telarum. Jacobus, & Manfredus Marchiones de Buscha, & Domini de Cossano ceperunt, & tenuerunt prædictos trosellos XX. pannorum, & telas dimiserunt. Astenses verò miserunt prædictis de Cossano, ut eorum trosellos eisdem redderent, qui reddere noluerunt, excusantes se, & dicentes, quòd prædicti troselli erant Januensium Mercatorum. Tunc Astenses congregato exercitu suo circa pedites decem millia, & paucis Militibus, & ducentis peditibus de Cherio ferro loricatis, iverunt ad guastandum Villam Cossani, non timentes de Rege Carolo, nec de gentibus ejus, quia treguam cum eo habebant ex pacto pecuniæ. Philippus de Goniffa Franciæ Senescalcus, & Ferratius de Amato Provinciales Marescalli militum congregata multitudine militum & peditum in Alba, & militum Francisiorum, Provincialium, & Lombardorum plusquam quingentorum, die Sabbati XXIV. Martii, in Vigilia Beatæ Mariæ Virginis,

(4) Eadem in Urbe idem Rainerii fatum, nepos ejusdem Gullielmus invenit, ut cap. 14. in notis traditur. Marchionis hujus infortunium Astenses, Papienses, & Januenses Socios accolasque suos armavit contra Regem Carolum; rem agi suam prudentissimè credentes, paries dum proximus ardet.

nis, venerunt ad Cossanum, & ibi invenerunt Astenses ad quas tum Cossani; & afflicti sunt Astenses ab eis & captivi ibi fuerunt 2000. & plus, & mortui circa LXX. Et ego ibi præsens eram, & captus fui in Cossano cum aliis 300.& plus; reliqui verò ducti fuerunt incarcerati Albæ. Contristati verò sunt Astenses, & miserunt nuntios suos ad Papienses, nuntiantes eis universa, quæ eisdem acciderant. Tunc Papienses miserunt ducentos milites ex majoribus Papiæ in Ast, qui fuerunt in Ast quinta die post prædictam pugnam. Tunc Astenses confortati sunt, quia verebantur, si prædicti milites non venissent, suam perdere Civitatem; & habito consilio cum Papiensibus miserunt Albam Thomam Alferium, ut diceret Senescalco verbis pacificis, ut Astenses, qui erant ibi carcerati, dimitteret, cùm tregua, & conventio esset inter Regem Carolum, & Commune Ast; & super his monstravit publicum Instrumentum. Quo audito Senescalcus furore succensus respondens ait: *Ite, & à facie mea recedite incontinenti, & dicite vicinis vestris: Nisi servieritis Domino meo Regi, omnes Astenses in carceribus morientur*. Qui Thomas hæc verba Astensibus retulit. Tunc Astenses miserunt undique, & habuerunt ad eorum bursam milites, qui vocabantur Brevarii (5) 1500. & Marchionem Montisferrati venire fecerunt Ast ad eorum expensas, & elegerunt in Potestatem Guiliermum de Sicheriis Papiensem, quia Burgadanus de Sistris Papiensis eorum Potestas mortuus fuerat in ruina Cossani. Mense sequenti Madii milites 200. Hispani per mare applicuerunt Januam, quos Rex Hispaniæ Marchioni mittebat. Nomen ejus Capitanei Doatus vocabatur, & venerunt in Ast ad bursam Astensium. Tunc Astenses, congregato exercitu suorum militum prædictorum, & peditum, iverunt Albam, & juxta pontem Albæ capti fuerunt plures Balestrarii Provinciales Senescalcus Regis cum exfortio suo erat intus Albam. Ipsa verò die Astenses ceperunt quoddam Castrum illorum de Neviis prope Albam cum viginti viris Balestrariis, & Castrum diruerunt. Et ibi stantes per aliquot dies, post hæc reversi sunt Ast gaudentes. Sciendum est, quòd in exercitu illo erant de Civitate Astensi milites 300. cum equis copertis, Hispani 200. cum copertis ferreis, Marchio Montisferrati cum militibus centum, & omnes prædicti ad bursam Astensium. Milites verò 200. Papienses erant ad expensas Civitatis Papiæ. Domini de Gorzano, videlicet de Garretis, Domini loci Ferreriarum, strenui viri, & usque nunc defensores Orphanorum, & pauperum, & justitiæ Astensis, propter multas invidias & injurias injustissimè sibi illatas, meritò facti sunt rebelles Astensium. Tunc Astenses prædictorum terras continuè ibant, & una die destruxerunt quamdam Villam illorum de Garretis nomine Tuerdum, intrantes ibi per vim 200. Astenses, occidentes viros & mulieres; & posito ibi igne, tota Villa supradicta destructa fuit, magna cum crudelitate, & sinè justa occasione, sed sola passione invidentium illorum fortitudinem, & egregias actiones Domini de Priocha similiter facti sunt rebelles Astenses similibus de causis. Post hæc in Carlevamine milites Astenses ceperunt quinquaginta viros de Gorzano, cum quibus erant Obertus filius Rodulfi de Gorzano, qui obiit in carceribus Astensibus, & alii plures de dicto loco Gorzani. Philippus Regis Senescalcus fecit duci 180. carceratos in Provinciam, qui steterunt carcerati in Civitate Aquensi. Tunc Astenses continuè offendebant totam terram Regis, & destruebant; & non erat eis qui posset resistere. Tunc Comes Artesius Albam vênit cum militibus, & balestrariis, & fuit ita fortis, quòd ausus est ire ad domum supradictorum de Garretis, & per totam diem ipsam furiosè prœliavit, nec ipsam habere potuit. Unde reversus Ast, per aliquod tempus stetit Astæ ad bursam Astensem, redimendo carceratos, qui tunc erant Albæ. Videns inde dictus Comes, quòd nihil proficeret, reversus est Parisios cum pudore.

CAP. X.

De Hispanis, qui venerunt Papiam.

ANno sequenti MCCLXXIV. Rex Hispaniæ misit Papiam milites 300. Papienses, Astenses, & Marchio Montisferrati, omnes cum exfortio suo iverunt Alexandriam ad guastandum, & ibi per dies 8. steterunt guastando; & facto pacto cum Alexandrinis renuntiaverunt (6) dominio Regis Caroli, promittendo, quòd eosdem non offenderent in æternum. Et ibi admirabile quid vidi, (7) quia Guilielmus de Monbaruccio nomine ibi infirmabatur ex febre continua, qui nudus surgens una nocte, natando Tanagrum transivit, & per totam noctem nudus super arenam stetit. Manè Alexandrini invenerunt eum, credentes esse phantasma. Quidam notus ejus cognoscens eum, duxit domui suæ, & posuit eum in lectu suo; qui ex termino sudoris sanus factus est, & vixit per multos annos. Mense sequenti Junii Astenses exercitum suum congregaverunt circa milites 1200. & currus plusquam 1000. & pedites 3000. Cherienses cum militibus 50. copertis ad bursam Cheriensium, qui ubique cum Astensibus semper ibant. Primùm quidem Albam guastaverunt Anno prædicto MCCLXXIV. inde expellentes Ministros Regis Caroli; post hæc diruerunt Castellettum unum nomine Cervere. In crastinum iverunt Savilianum, & ibi per dies 8. steterunt vastando arbores Canavalium, & segetes; postea ceperunt Salutium, & Revellum. Quo viso Thomas Marchio Salutiarum, qui erat confœderatus cum Rege Carolo, vi-

(5) Tot inter Militum species, quibus suo in Glossario eruditissimus Ducangius locum fecit, hanc Brevariorum neque de nomine novit. Bulla Papæ Honorii IV. apud Ughellum in Italia Sacra de Episcopis Derthonensibus agentem Tomo 4. Colum. 637. Beruarios nominat, & pedites fuisse Milites declarat. Rolandinus Tomo 8. hujus Rerum Italicarum Collectionis colum. 329. lit. A. videndus lib. 11. cap. 5. Berroarios, sive Berroerios, & Zaffones nominat, à Paduano Potestate Anno 1258. circa Paduanum confinium. (Ut ipse loquitur.) positos, ob navatam viriliter in fugandis occidendis capiendisque Prædonibus operam bene de Agro & Civitate illa meritos. Hinc quòd contra malefactores adhibitæ à Prætoribus postea nostrisque adhuc à Judicibus Familiæ, adhibentur, natum apud Italos plerosque Birruariorum, apud Venetos Zaffonum nomen, vulgariter apud primos Birri, apud secundos Zaffi.

(6) Alexandrini sunt, qui amico antea Regi, atque, ut cap. 6. legitur, in Dominum accepto renunciarunt, ne illius hostes Papienses, Astenses, & Marchio Montisferrati cum ipsis hostiliter agere continuarent.

(7) Notanda hic est Scriptoris antiquitas, & magni facienda authoritas, hisce scriptis rebus coævus & præsens cùm fuerit Anno 1274. quintum tunc agens ætatis suæ lustrum, ut cap. 57. certam Scriptor ipse fidem facit.

videns sibi non servari promissa, ibi venit, & die 21. Julii 1275. copulatus est amicitia cum Astensibus, acceptante pro Astensibus Guidone Scarso Potestate, & Oberto Spinola Capitaneo Astensium; & pro eis contra Regem pugnavit. Qui Astenses illi Revellum deliberaverunt. Ipsa verò die prædicti omnes iverunt ad Fossanum, & ibi fames valida erat; mina quidem grani vendebatur florenum unum auri, & starium unum vini florenos duos auri. Viri de Fossano multas persecutiones passi fuerunt in servitio Astensium. Tunc Astenses collectis messibus inimicorum per totum in circuitu, duxerunt eas ad Fossanum; & locupletati sunt omnes, & fames cessavit ab eis. Post hæc Astenses venerunt Albam ad Sanctum Franciscum; & eorum vineas & arbores vastaverunt; & prope eorum portas Palleus Astensis cursus fuit, sicut fieri solet Ast in Festo Sancti Secundi. Et hoc fuit in Festo Beati Laurentii Anno Domini MCCLXXV. Guido Scarcus Papiensis, & Legum Doctor tunc Potestas erat Astensis, & ibi obiit, & sepultus est in Ast. Astenses verò steterunt in dicto exercitu per dies 44. Eodem Anno Philippus Regis Senescalcus cum exercitu suo afflictus fuit, & vulneratus in facie à solis militibus Astensibus, & Cheriensibus in Villa Rupis Guidonis, taliter quòd mortui fuerunt ibi ex militibus Regis Siciliæ 140. salvo pluri. Ferracius de Sancto Amato Marescalcus Regis militiæ captus fuit cum aliquibus paucis; & in carceribus per longum tempus in Ast steterunt. Navius de Leva, & Bervina Brixianus ad dictam ruinam volantes prœliati fuerunt contra milites dicti Regis. Tunc Philippus videns, quòd nihil proficeret, perrexit in Provinciam. Albenses Clarascum, Savilianum, Mondovicum, & Cuneum, omnes renuntiaverunt (8) dominio Regis, & capitulati sunt amicitiam cum Astensibus, taliter quòd annuatim capiebant Potestatem Astensem. Post hæc Astenses ceperunt Castrum, & Villam Cossani, ex pacto quòd Domini de Castro inde exirent unà cum familiis suis, & iverunt in Apuliam. Et Astenses diruerunt Turrim de Villa Fabri cum viris 23. qui omnes mortui fuerunt subter lapides dictæ Turris.

CAP. XI.

Ædificatio Villæ Sancti Damiani.

ANno Domini MCCLXXV. tempore Manuelis Marcelli de Nigro Januensis, Potestatis Astensis, ædificata fuit Villa Sancti Damiani, & ibi positi fuerunt homines de Gorzano, de Castro novo de Lavezolis, & de Marcelengo; & ibi hora cœnæ terræmotus magnus factus est; & hoc scio, quia ibi eram. Sciendum est, quòd ruina Rupis Guidonis facta fuit in Vigilia Sancti Martini Anno Domini MCCLXXIV. tempore Guidonis Scarsi. Domini de Preocha, relicto Castro suo & Villa, abierunt in Apuliam; Astenses verò possederunt eam. Variis pestibus à Deo percussus est Rex Carolus, postquam percussit injustè Astenses in Cossano, quia videlicet Siciliani, milites, & ministros dicti Regis occiderunt, & mulieribus prægnantibus eorum aperierunt ventres. Cùm enim ministri & milites dicti Regis inhonestè & insolenter viverent, tractatu Johannis de Procida, qui per tres menses duravit, die Lunæ inter Festum Resurrectionis Domini ad horam Vesperarum, cùm pulsarentur Campanæ, Galli omnes, qui in Sicilia erant, trucidati sunt, tam mares, quàm fœminæ, pueri, & senes; quin etiam & mulieribus prægnantibus ventres aperti sunt, & occisi infantes: idque fuit Anno Domini MCCLXXXII. Inde advenit proverbium *Vesperi Siciliani* (9). Carolus Rex erat in Apulia, & congregato exercitu suo obsedit Messinam, & ibi stetit per dies XLII. de MCCLXXXII. mense Septembris, & ipsam habere non potuit. Post hæc Petrus Aragonensis ascendit Siciliam, & factus est Rex Siciliæ, & multa mala fecit Regi Carolo, & gentibus ejus. Summus Pontifex excommunicavit Petrum de Aragona, & totam Siciliam, & prædicare fecit Cruciatam super ipsos. Tunc Philippus Rex Franciæ, congregata multitudine gentium ivit super terram Aragoniæ Regis, & miraculosè major pars eorum fame, peste, & epidemia ibi obierunt. Et prædictus Rex Philippus ibi obiit. Post hæc venerunt ibi muschæ venenosæ grossiores aliis (10), quæ magnam equorum quantitatem occiderunt. Carolus Rex hæc videns, inde recessit cum ressiduo gentium, & præ angustia obiit die VII. Januarii MCCLXXXIV. ætatis annorum LVI., & sepultus est in Neapoli.

CAP. XII.

De Carolo Rege Siciliæ.

CArolus primogenitus ejus regnavit pro eo. Vir fuit parvæ staturæ, & claudus uno pede, cui Petrus de Aragono intulit multa mala (11), capiendo, & occidendo gentes suas per terram & mare, ac etiam filios duos natos Regis Caroli I. personaliter cepit in mare MCCLXXXIV., & fuerunt capti à Rogerio de Auria, quos per longum tempus in Aragono tenuit carceratos. Rex Carolus videns, quòd eidem Petro resistere non posset, ex conventione & pace dedit Biancam ejus filiam in uxorem Jacobo filio Regis Petri, & Eleonoram Federico etiam filio dicti Petri Aragonis, qui Federicus factus est Rex Siciliæ, qui, & pater ejus restituti sunt Sacramentis Ecclesiæ, sicut Christiani fide-

(8) Plures Populi jugum Caroli Regis excutiunt. Optimè hujus dominio illi dicuntur renunciasse; cùm nullo jure, sed vel sponte dediti, vel inviti extraneo servirent. Vide notas in caput 13. Hist. Ogerii Alferii.

(9) Vesperi Siciliani proverbium à Gallica mirabili strage natum hoc eodem vivente Scriptore, Belgas post Annos 27. ad imitationem traxit, ut habetur cap. 21. in notis.

(10) Quòd Muscæ veneficæ tunc equos occiderint, eunti nuper anno 1717. per Pannoniam in Turcas Cæsareo equitatui eadem à minutulis animalibus iisdem facta calamitas fidem adstruit. Idem etiam in muscis virus experti sunt equi, dum ab Henrico VII. Imperatore Brixia oppugnabatur Anno 1311. Vide hujus Historiæ caput 57.

(11) Aragonensium super Andegavenses victoriæ; Regias inter easdem Domos nuptiæ initæ, factaque pax; Aragonensi denique restituta piorum communio, nec non Siculi Regni ex pacto firmata, quæ fuit viribus jam parta, possessio, docent mala principatus initia, longo medente tempore, convalescere. Non quia contra Theologos, & Juris utriusque peritos cum mala fide fieri præscriptio possit, sed quia longo interposito tempore mala fides, vel è possidentium excidit memoria, vel alio juris remedio sanatur, ut isto Siciliæ probatur exemplo, aliisque numero multis, & qualitate maximis firmatur ab Eminentissimo & piissimo Bellarmino lib. 5. cap. 9. de Romano Pontifice.

fideles. In diebus illis Rex Carolus dimisit carceratos Astenses, qui erant in Provincia, componendo pacem cum Astensibus, qui dederunt ei pro redemtione eorum florenos auri 8000. Qui carcerati erant CXXXI. non plus, quia ex eis quinquaginta in carceribus obierant. Qui carcerati venerunt Ast. Astenses videntes fratres suos, qui steterant per annos V. & menses VI. carcerati, gavisi sunt valde, & laudabant Deum, qui omnia opprobria eorum vindicavit. Alba, Clarascum, Cuneum, Savilianum, Mondovicum, & Valles ejus, subditæ & obedientes Astensibus erant (12). Vicini omnes eorum metuebant Astenses, cognoscendo eorum potentiam. Thomas Marchio Salutiarum voluit subjugare Cuneum (13), dicens, quòd ædificatum fuit de terra sua, & prœliando cum illis de Cuneo afflixit eos, & ex eis accepit plusquam CC. Manuel Pelleta, cui dicebatur Pumassa, Potestas tunc erat Cunei; qui facto pacto inter eos, factus est Dominus Cunei & Vallium circumstantium, consentientibus Guttuariis, & eorum sequacibus occultè. Solarii verò parvum locum habebant in Ast, quia favorabiles Regis Caroli fuerunt. Thomas Marchio Salutiarum in vita sua Cuneum, & Valles, Montem Malum, & Villam subjugavit.

CAP. XIII.

Expulsio illorum de la Turre de Mediolano.

ILli de la Turre, antequam perfecti essent actus Astensium Anno MCCLXXV. expulsi fuerunt de Mediolano, & afflicti fuerunt in Villa Decii ab Ottone Visconto, auxiliante sibi Marchione Guilielmo de Monteferrato, & ibi fuerunt capti Napulio de la Turre cum aliis, qui obierunt in carceribus Castri Baratelli Castri Comi. Reliqui verò de la Turre intraverunt Civitatem Laudensem, contra Mediolanenses fortiter prœliando, & ipsos affligentes taliter, quòd de melioribus Mediolanensibus plusquam mille capti sunt. Tunc Mediolanenses videntes, quòd Marchio Montisferrati expulerat gentes Caroli Regis de Alexandria, & ipsam subjugaverat, statuerunt Capitaneum suum dictum Guilielmum Marchionem inde ad Annos decem, promittentes ei magnam quantitatem pecuniæ. Tunc Marchio Mediolani vênit, & secum duxit Uxorem suam filiam Alfonsi Regis Hispaniæ. Stante autem Marchione in Mediolano, Mediolanenses, & illi de la Turre compromiserunt se se in Marchionem prædictum; qui Marchio habitis carceratis Mediolanensis Civitatis, aliud inter dictas partes pronuntiare noluit. Illi de la Turre videntes, quòd decepti fuerant à Marchione prædicto, miserunt literas Summo Pontifici, & Regi Franciæ, & universis Civitatibus Lombardiæ, (14) quas vidi continentes: quòd dictus Marchio erat proditor, & reus, sicut eos deceperat. Tunc Marchio, & Mediolanenses cum exfortio suo exeuntes ad campum, prœliati sunt contra ipsos; & afflicti sunt illi de la Turre. Cassonus de la Turre ibi mortuus fuit, cujus caput positum fuit super lanceam; & Milonem de Langusco occiderunt. Tunc prædicti de la Turre exeuntes de Laude, iverunt in Friuli, (15) ubi erat Patriarcha de Aquilegia, qui natus erat ex illis de la Turre. Mediolanenses securi stabant, & pacifici per multa tempora; illi verò de la Turre per XXV. Annos extra Mediolanum steterunt. Mediolanenses videntes militiam Marchionis timuerunt; & una die, dum esset Marchio in Monteferrato, Mediolanenses præceperunt Johanni de Poge de Taurino Vicario Marchionis, ut ipse cum ejus familia à Mediolano discederet, & ibi amplius non rediret; & Mediolani dominium Ottoni Archiepiscopo Mediolanensi, qui de Viscontis erat, dederunt. Audiens autem Marchio, quòd Mediolanenses renunciaverunt ejus dominio, turbatus est contra ipsos, & in vita sua ipsos odio habuit. Paveant igitur operantes iniquitatem, quia illi, pro quibus agunt perversa, non confidunt in eis. In diebus illis Carolus Rex volens recuperare terram Pedemontium, misit milites plures; quo audito Marchio Salutiarum ivit contra illos ad Demontem, & afflixit eos, & occidit majorem partem eorum. Petrus de Braja Capitaneus eorum fugit in Provinciam. Sciendum est, quòd omnes de hospitio illorum de Braja expulsi fuerunt de Alba cum familiis suis illa die, qua Albenses pacificati sunt cum Astensibus, & per multa tempora extra Albam steterunt.

CAP. XIV.

Quando captus fuit Guilielmus Marchio Montisferrati.

ANno Domini MCCLXXXVI. Guilielmus Marchio Montisferrati volens se vindicare de Mediolanensibus, qui ejus dominio renuntiaverunt, & se Ottoni Visconto eorum Episcopo dederunt, Tortonam Civitatem cum Mediolanensibus confœderatam expugnavit: quo in facto occisus fuit Episcopus ejus Civitatis Visconti affinis. Nec multo post obtinuit Vercellas, & procuratoribus Aymone Episcopo Vercellarum, & Petro Comite de Valperga, & Oberto Petenato, Henricum de Baruntio Advocatorum, Arboreorum, & aliorum Gibellinorum Potestatem, ab exilio revocavit. Et paulò post dictus Marchio, dum iret Hispaniam cum Uxore sua Beatrice, captus est personaliter à Thoma Comite Sabaudiæ, qui jure belli per Delfinatum prosequutus, apud Valentiam ipsum tenuit, donec eidem Comiti reddidit Civitatem Taurinensem, Collegnum, & Pianessam. Post hæc Marchio fuit in Hispania cum Uxore sua, quæ ibi obiit. Marchio verò reversus est in Montemferratum cum magna quantitate pecuniæ. Genuenses verò, & Mediolanenses, Papienses, Placentini, Cremonenses, Brixiani, & Astenses se-

(12) Multæ Urbes Astensibus parent, non tamquam de jure Dominis, sed tamquam Accolis potentioribus. Sicut Hasta Ligures inter Statieles, ita inter Insubres Mediolanum, & Romandiolæ inter Urbes Bononia, aliasque inter Italiæ Regiones alia aliis potentior Civitas caput extollere, & debilioribus imperare voluit quoad potuit.

(13) Marchio Salutiarum sui juris Cuneum vocat, quia de Terra sua ædificatum, idest in Territorio Marchiæ sibi subditæ. Huic par habes exemplum ædificatæ Alexandriæ in Marchia Boschi. Notas vide meas in caput 14.

Ogerii Alferii.

(14) Utinam, quæ in his literis Author legerat, exscripsisset, ut illorum temporum mores in Urbium regimine paterent. Utinam superstes aliquod inter tam multa literarum illarum exemplar erui è latebris posset, ut nota magis Italica vetus conditio fieret.

(15) E Forojuliensi agro in Urbem, & ad Imperium Mediolani reditus Turrianorum contigit Anno 1302. ut cap. 15. traditur. Patriæ iterum sunt è principatu lapsi, ob traditas citato capite causas.

fecerunt ligam (16) contra eum, & contra Comitem de Langusco An. Dom. MCCLXXXVIII. Qua liga non obstante, milites Papienses cogitaverunt mala in cordibus suis, occultè ordinantes cum Marchione. Prædictus Marchio vênit ad Bremidam. Tunc milites Papienses in dolo consilium dederunt, dicentes: *Eamus contra Marchionem, & pugnemus contra eum*. Manfredus de Beccaria ignorans quæ ventura essent, super eum, cum populo exivit Papiensi. Milites autem præcedebant eos. Dum autem Papienses Marchionem viderunt, se præparaverunt ad pugnam contra ipsum. Eadem hora Capellinus Zembaldus habens Vexillum novum occultum, posuit eum super lanceam, & clamavit dicens: *Qui pacem vult, & desiderat, veniat juxta me*. Tunc milites Papienses euntes ad illum, dicebant: *Fiat pax, fiat pax*. Marchio cum exercitu suo pacificus cum Papiensibus eadem die introivit Papiam. Crastina die Marchio factus fuit Capitaneus Generalis (17) inde ad Annos decem Civitatis Papiæ. Manfredus Beccaria Capitaneus Civitatis Papiæ videns, quòd illusus & deceptus fuerat, loquutus est Marchioni dicens: *Volo, ut tu sis Dominus Papiæ in æternum*. Manè, facto Consilio generali, statuerunt Marchionem prædictum eorum dominum, dantes ei in vita sua merum & mixtum Imperium, quod parum possedit. Astenses audientes hæc, timuerunt, & turbati sunt vehementer, & miserunt ei Ambasciatores, volentes ab eo scire, qualiter stare possint pacifici cum eo. Qui respondit eis dura cervice, & animo irato dicens. *Nisi Astenses mihi reddiderint Montem Magnum, & aliam Terram, quam ex meo patrimonio (18) occupant, jam est diu, ex nunc se præparent, ut defendant à me.* Tunc Astenses imposuerunt equos 500. copertos in Civitate, quos citò habuerunt, & elegerunt in Potestatem Ottolinum de Mandello Mediolanensem, qui vênit Ast versùs Provinciam. Tunc Astenses conventione facta cum Maffeo Visconto Capitaneo, & Domino Mediolani, Alberto Scoto Capitaneo Placentiæ, & Conrado Spinola, & Conrado de Auria, & Cremonensibus, & Brixianensibus, qui omnes promiserunt Astensibus, & miserunt Milites 400. cum duobus equis pro quolibet in Ast. Tunc Marchio cum innumerabili multitudine peditum & militum vênit ad Cravaralium, & per duas noctes dormivit in domo Apostolorum. In die verò prœliati sunt contra Castrum Insulæ, nec ipsum habere potuerunt. Marchio tunc subjugabat Papiam, (19) Novariam, Vercellas, Terdonam, Alexandriam, Albam, & Iporegiam. Post hæc vênit ad Versam cum exercitu suo prædicto. Deinde Amedeus Comes Sabaudiæ vênit Ast Anno Domini MCCXC. cum militibus 500. ad bursam Astensium. Astenses habebant in Civitate milites 500. optimè præparatos, & ope eorum vastabant Villas Montisferrati, & una dierum intraverunt in Altam Villam, & ipsam destruxerunt. Post hæc congregato exercitu & curribus suis, fuerunt ad Tungum. Comes Sabaudiæ erat cum illis. Marchio hæc audiens, qui erat Papiæ, veniebat furio è ad eos: quo audito Astenses reversi sunt Ast trepidantes. Post hæc Pastroni, & Sicci de Vignale occiderunt Odegranum de Palma Castellanum Vignalis, & ejus filium; & miserunt ad Astenses, ut venirent ad Vignale. Eadem hora fuerunt ibi, & munierunt Castrum, & Villam Vignalis, & ibi ceperunt tentorium Marchionis, ex quo paria decem boum onerata fuere; & ductum fuit Ast. Et his omnibus interfui. Et pro his Pastroni, & Sicci de Vignale habuerunt decem millia florenos auri. Post hæc Anno MCCXC. Astenses secretissimè ordinaverunt cum Alexandrinis, & cum Familia de Puteo, ut prœliarentur contra Marchionem, pro his promittentes eis XXXV. millia florenorum auri. Hæc nota fuerunt Marchioni, & vênit Alexandriam cum militibus suis, volens punire Alexandrinos de grandi scelere. Hoc autem præsciebant Alexandrini, & capto personaliter Marchione posuerunt eum in (20) carcere; & obiit die VI. Februarii MCCXCII. & pro sacrilegio commisso in occasione & occisione Episcopi Terdonensis pœnas portavit. Et nocte præcedenti antequam caperetur somniavit se circumdatum quantitate magna Asinorum, qui clamoribus suis eum insurdabant in dictis carceribus. Tunc Alexandrini dubitantes,

(16) Tot præ cæteris Langobardis maximè illustrium Civitatum fœdus in Marchionem Montisferrati, & Comitem de Langusco, metuendam nimis commendat Principe in utroque potentiam. Sequens enim caput 15. Marchiones Montisferrati & Salutiarum, Comiti huic fœdere junctos, Novariam Vercellas & Casale S. Evasii sibi feliciter subegisse tradit. Ex adeò tamen florente fortuna privatam in conditionem delapsi Languscìani Comites isti, Vercellis, Casalis Sancti Evasii, alibique supersunt, Sabaudiæ Ducibus olim propinqui, nunc subjecti. Vide notam in caput 42.

(17) Papienses suam Marchioni Montisferrati urbem tradunt, quem Mediolani dominantem, ab eadem Urbe pulsum superius caput ostendit. En Civitatum Dominos pro civium libito factos. Papienses neque soli, neque semel id fecerunt; sed quod de istis adnoto in aliis quoque Lector istius Historiæ deprehendet.

(18) Digna sunt ut perpendantur verba hæc: *ex meo patrimonio*. Non ergo tota Montisferrati Regio erat patrimonium sui Marchionis, quamquam in Monteferrato esset, & sit ipsa Civitas Astensis, cùm intra Padum & Tanarum jaceat. Colligendum hinc est, alia in Marchionibus fuisse jura Patrimonii, alia verò jura Marchiæ, Eruditorum enucleatione indigentia. In caput 14. Ogerii Alferii nota materiæ huic aliquid luminis affert, & alia huic proposito utilior, ostendit Marchionibus de Bosco sacramentum dixisse Alexandriam, tamquam urbem ad jus ipsorum Marchiæ pertinentem, ut in ipsorum Marchia ædificatam. Idem propter jus Marchiæ, Salutiarum Marchio Cuneum in Terra, idest in Marchia sua ædificatum, sibi subditum asserebat, ut habetur nota in caput 12. hujus Historiæ.

(19) Marchio Montisferrati septem urbes aliis Imperii sui urbibus adjunxerat. Ea tunc erat in Italia calamitas, ut absente Imperatore, vel Romano vacante Imperio, omnia Potentiorum essent. Quamobrem Clemens V. ut in ejus Vita Author est Platina, hisce malis remedium daturus, Henricum VII. Imperatorem in Italiam accivit.

(20) Miserrima hæc fuit potentissimi omnium Montisferrati Marchionum mors inter vincula subditorum, ut Rainerio Avunculo suo contigisse notatum est cap. 8. In malum Principem subditos fuisse malos minimè laudandum est, sed summopere exprobrandum quòd sævi etiam in mortuum fuerint. Episcopo Derthonensi datæ à Marchione isto mortis causam, datamque ab eodem pro illa satisfactionem Ughellius, in Italia Sacra Tomo 4. colum. 636. ubi de Episcopis Derthonensibus agit, exactissimè narrat, ubi de Melchiorre Busseto Episcopo agit, Anno 1284. interfecto. Ejusdem tragici casus plenior habetur narratio ab Anonymo illius ævi Scriptore in memoriali Potestatum Regiensium, videndo inter istos Rerum Italicarum Scriptores Tomo 8. colum. 1164. &c. Ubi Montisferrati Marchio illatæ Derthonensi Episcopo necis Author impius ne dum refellitur, verùm etiam pius feretri Episcopalis portator laudatur.

tes, ne ficta esset ejus mors, non antea permiserunt auferri corpus ut sepeliretur, quam guttis lardi ac etiam plumbi liquefacti non probassent, utrum verè mortuus esset; & cognito quòd mortuus esset, ex suis scripturis omnia nomina illorum de Monteferrato deleverunt; & sepultus est in Lucedio.

Post hæc Astenses stantes in obsidione Albugnani afflixerunt illos de Monteferrato; & hoc fuit ad Tonengum; & ex his plures capti fuerunt, inter quos erat Guilielmus de Robella, qui carceratus fuit in Ast. Henricus de Tanchetinis Brixianus tunc erat Potestas, qui ibi & alibi optimè se probavit. Tunc captum fuit Albugnanum, & medietas Ripæ. Post hæc captum fuit Castrum, & Villa Tongi cum trabuchis. Et stantes in obsidione Tongi, illi de Calliano dederunt Astensibus Castrum & Villam Calliani pretio librarum centum Turonensium grossorum; & fui ad numerandum eas; & prædictos denarios receperunt Facinus de Cuniberto, & Facinus de Favesono, & alii plures proditores de Calliano (21). Post hæc Astenses habuerunt Castrum & Villam Castagnolarum, & partem, quam habebat Marchio in Felissano. Johannes filius quondam Guilielmi Marchio Montisferrati missus fuerat ad Thomam Marchionem Salutiarum in Rovello; & post aliquot menses à Thoma in Delfinatum, & finaliter ad Carolum Regem Neapolis, & Comitem Provinciæ, in Provinciam; & ibi stetit, donec Astenses cum eo treguam fecerunt in Provincia inde ad Annos V. proximè subsequentes. Tunc Astenses pacificati sunt undique, possidentes terram Marchionis, quam ei abstulerant. Eodem etiam tempore Nanus Marchio Cevæ simul cum Georgio, & Guilielmo filiis suis, se & res suas Astensium dominio supposuerunt (22). Alexandrini ceperunt Viarisium, & Sanctum Salvatorem, de quo fecerunt tres partes, ponendo unam per Caselas. Manfredinus de Beccaria factus est major Dominus Papiæ, quàm ante fuerat. Masseus Viscontus subjugavit Novariam, & ibi fecit forte Castrum. Similiter & Vercellas; & aliud Castrum ibi fecit. Alexandrini, & Tortonenses contra omnes pugnabant pro Masseo prædicto. Tunc completum est verbum Prophetæ Hieremiæ dicentis: *Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis*. Opera Massei Visconti maxima fuerunt. Omnes Lombardi metuebant eum. Galeatius ejus filius cepit in uxorem sororem Marchionis de Este. Admirabiles nuptiæ pro ea Mediolani factæ sunt, ad quas invitati fuerunt omnes Lombardi; & ibi data fuerunt Joculatoribus plusquam 7000. Pannorum bonorum. Masseus prædictus, Manfredinus de Beccaria, Albertus Scotus unum & idem erant; & unusquisque eorum suæ dominabatur Civitati (23). Non post multos annos Papienses milites exierunt de Papia, & contra Papienses militaverunt per longum tempus; & ex pacto facto inter eos pacifici debebant redire Papiam. Et redeuntibus in introitu eorum in Civitatem, antequam descendissent ex equis suis, incœptum fuit prœlium magnum in Papia, & ibi plures mortui, & vulnerati fuerunt. Manfredinus de Beccaria, & amici sui illa die expulsi fuerunt de Papia; Papienses verò diruerunt domos Manfredini prædicti, & omnia Castra ejus; & ex pacto confinatus est dictus Manfredinus in Buzola, & ibi est usque in hodiernum diem.

CAP. XV.

Reversio illorum de la Turre in Mediolano.

Johannes verò Marchio Motisferrati jam factus adultus, sequutus fuerat Carolum Regem usque ad ejus reditum in Neapolim, sperans filiam ejus in uxorem habere, sed cùm non potuisset obtinere, relicto Carolo ad Amadeum Sabaudiæ Comitem accessit, à quo Anno Domini MCCXCVI. Margaritam ejus filiam, quæ priùs desponsata fuerat Johanni filio Humberti Delfini, cujus nuptiæ postea non fuerunt celebratæ, in uxorem accepit. Quo facto ligam postea fecit cum Manfredo Marchione Salutiarum, & collecto exercitu versùs Astenses pugnaverunt, & Civitatem per vim ceperunt, & spoliaverunt, & Solarios & illos de Carreto, & alios Guelfos sequaces eorum ejecerunt; & Jonardos, seu de Castello Gibellinos cum eorum sequacibus, qui multo tempore exules fuerunt, reduxerunt. Solarii verò, & Carreti, Ottonis de Carreto opera steterunt in Alba. Et Anno Domini MCCXCIX. jungentes se dicto Marchioni cum Comite Philippo de Langusco obtinuerunt Vercellas, & Novariam, & Casale Sancti Evasii, expulso è Vercellis, & Novaria Galeatio Visconto filio Massei. Et Anno Domini MCCCI. Titiones ex Vercellis, & ex eorum Castris & bonis ejecerunt, & spoliaverunt, & ad fugam coëgerunt. Post hæc illi de la Turre, quorum caput erat Guido de la Turre, cum exfortio suo, & cum auxiliis, quæ à Marchionibus Montisferrati & Salutiarum habuerunt, venerunt prope Mediolanum. Masseus Viscontus exiens contra eos in campum, Albertus Scotus, & amici quidam Massei in dolo dixerunt, ut illi pax fieret. Videns autem Masseus, quòd deceptus fuerat, inde recessit cum suis militibus. Forenses illi de la Turre intraverunt Mediolanum (24). Anno

(21) Isti plures, qui ab Astensibus sibi ipsis utiles vocantur Proditores, ab aliquo Domino defecisse debuerunt, & à Marchione Montisferrati factam ab illis defectionem loca ipsa satis declarant.

(22) Nanus Marchio Cevæ fit Astensium subditus. Notanda est hæc illorum temporum conditio; cùm pro varietate fortunæ Principibus viris Civitates paruerint, & imperarint. Vide notam cap. 16., & notam cap. 42., sed præ omnibus notam cap. 14. Ogerii Alferii.

(23) Mediolano Vicecomes, Papiæ Beccaria, & Scottus Placentiæ cùm imperaverint, superstites ipsorum in Patriis Posteros, supra cæteras olim subditas sibi familias, quantumvis conspicuas, nobilitarunt; nisi quædam ex illis aliæ illustri eadem tyrannidis macula se supra concives cæteros ibi vel alibi evexerint. Ita Mediolani à Turrianis factum sequens hujus Historiæ caput ostendit, aliisque de familiis idem in Historia Corii legitur, deque iis præsertim, quorum è sanguine laicis sacrisque simul rebus præerat Archipræsul. Ita Papiæ, Placentiæ, & in aliis per Italiam Civitatibus accidisse ex æmulatione, & varia Partium fortuna in propriis cujusque annalibus abundè traditur. Videantur cap. 15. nota, cap. 33. nota, & cap. 37. nota.

(24) Pulso Maffæo Vicecomite, Mediolanensis Patriæ dominium Turriani recuperant. Denique victi, ne victoribus servirent, collocatam in Germania sedem clari adhuc multi tenent. Quàm æquo id acciderit fato, attendendum sanè est. Gens equidem ista, ut in principio capitum 59. & 62. legi potest, Populi favore, & Guelphorum fulta præsidiis, Patriæ suæ Mediolano imperabat, atque ut semper imperaret, Germanos ab Italia Cæsares arcere, Papæ, Neapolitano Regi, & Guelphis juncta, Jovio teste in vitis 12. Vicecomitum lib. 1., curabat. Sed dominatu pulsa tutum denique sub Imperatoribus quæsivit, & invenit in Germania præsidium.

Anno Domini MCCCII. & dominati fuerunt Mediolanum. Et Maffeus prædictus est extra Mediolanum usque in hodiernum diem (25). Quod videntes Astenses timuerunt, ne omnino subjugarentur, vel eorum Civitas rueret. Quare secretò tractaverunt cum Carolo Rege Neapolis, & cum Philippo de Sabaudia, qui noviter propter uxorem Margaritam (26) Achajæ, seu Moreæ Princeps factus fuerat, ut ipsis auxilium contra Marchiones mitterent. Qui Rex, & Princeps miserunt Guilielmum de Montebello cum multis militibus, quorum opera restituti fuerunt Solarii, ejectis Isnardis; & Civitas ab obedientia Marchionis liberata fuit.

Non post multum tempus Anno MCCCV. Johannes Marchio Montisferrati mortuus est sinè filiis, & ex testamento heredem sibi instituit Andronicum Palæologum maritum Jolantis, seu Irenæ sororis dicti Johannis. Qui Andronicus noluit venire in Montemferratum; sed loco suo misit Theodorum filium suum, quem Marchionem esse voluit pro se. Manfredus verò Marchio Salutiarum, audita morte Johannis existimans, Montemferratum ad se magis verè spectare (27), qui ex linea masculina affinis erat Johannis, & qui in adversitatibus semper eum juverat, quàm ad Theodorum, qui ex linea fœminina, quæ non est capax Feudorum, descendit (postposito testamento Johannis) Guigonis de Cocconato, & aliorum Gibellinorum auxilio, Clavaxium, Moncalvum, locum Vignale, & majorem partem aliarum terrarum Montisferrati occupavit. Albertus Scotus cum Marchionibus prædictis, cum quibus erant illi de la Turre, expulsus fuit de Placentia, & diruptæ sunt domus ejus, & bona. Et bonum & justum fuit, & quasi à Domino, quia decepit socium suum Maffeum. Paveant igitur Dominantes, eorum amicos, & vicinos injustè vexare, ne justè eis accidat, quod tribus illis Tyrannis evênit (28). Et verè Lombardia assimilari potest Anguillæ, quæ nec per caput, nec per caudam teneri potest; quia audivi de Frederico II. Imperatore Maximo Romanorum, qui ex longo tempore, antequam supradicta fierent, regnaverat, & totum Romanum Imperium dominaverat, præter Lombardos, quos domare non potuit. Quia vidi in pluribus scripturis antiquis, quòd Mediolanenses fuerunt illi rebelles, & afflicti fuerunt ab ipso Frederico, & capti in magna quantitate eorum cum Carrotio suo. Anno Domini MCCXXXVII. ad Curtem novam Bononienses cùm rebelles essent eidem Frederico, personaliter ceperunt Henricum Regem filium Imperatoris prædicti, qui in diebus meis obiit in carceribus prædictorum. Parma contra Fredericum pugnabat, qui prope Parmam Villam construxit nomine Victoriam. Et ibi afflictus fuit à Civibus Parmensibus dictus Fredericus, & destructa fuit Victoria. Tunc Fredericus obiit in Apulia, & factus est inobediens Summo Pontifici Innocentio nomine, de Hospitio illorum de Flisco Januensi, qui timens Fredericum, occultè discessit à Roma, & pergens Lugdunum vênit Ast Anno MCCXLIV. & hospitatus fuit in Monasterio Apostolorum ad expensas dicti Monasterii. Papa verò, facto Concilio Generali in Lugduno, deposuit Fredericum ab Imperio Romanorum usque in quartam generationem (29). Tunc Fredericus persequutus est Ecclesiam Dei, & cepit personaliter in mari plures Cardinales, & Prælatos, quos carceravit, &

(25) Annales Author iste suos, diversis prout res accidebant temporibus compilavit, aptèque propterea memorialis nomen adhibuit. Maffæum Vicecomitem Anno 1302. patria & dominio Mediolanensi pulsum scripsit, & inter proscriptos illum adhuc vivere, dum id ipse scribebat, notavit. Id ergo scripsisse debuit ante Annum 1311. quo tempore Henricus VII. Imperator, Mediolani receptus in urbem ut Dominus, & deturbatus inde Guido Turrianus capite 59. hoc eodem ipso memoratur ab Authore, à quo memorari etiam debuisset patriæ tunc restitutus Maffæus Vicecomes, factusque ibi à supradicto Cæsare Vicarius, ut ex Joanne de Cermenate synchrono Mediolanensi scriptore certissimè patet. Indicavit tamen noster iste quoque scriptor cap. 61. sub Anno 1312. dicens: quia constituit ex auro Maffæum Viscontem in Mediolano.

(26) Natam fortasse ex Joanne Moreæ Principe, qui cap. 11. inter filios Caroli primi Regis Neapolitani numeratur.

(27) Haud contemnenda est opinio Authoris illa ætate viventis pro tunc asserta eadem ex Aleramo origine Marchionum Montisferrati & Salutiarum. Cùm verò primi in Joanne defecerint, & ejusdem ratione originis secundos habere successores debuissent, minimè tamen eos habuerunt. Benvenutus Sangiorgius in Chronica Montisferrati, Montisferratensem & Salutiensem Marchiones ex eodem masculino Aleramico fonte rivulos agnoscere, nulla documentorum affulgente luce, non potuit. Neque Muratorius Par. 1. Antiquitatum Estensium cap. 26. pag. 261. de assertis septem ab Aleramo descendentibus Marchionum Familiis certum aliquid invenit. Vide datas in caput 36. notas.

(28) Quos Author memorat, optimè illos Tyrannorum nomine notat, cùm meri Cives subacta patria suos in Pares violenter imperarent. Qui verò Marchiones erant, & extra Marchiam malis artibus ampliabant imperium, tyrannidis nota ipsi etiam inuri meritissimè poterant. Vox tamen ista *Tyrannus* malè non semper apud Latinos sonuit; Reges enim, neque Principes dumtaxat improbos significavit, sed sinè juris abusu quoscumque aliis imperantes, vel justos justè Imperantium Ministros. Hos sub Rege Assuero ita dictos caput 6. libri Esther extra dubium ponit, ubi honorando ex regia voluntate homini alia inter multa istud proponitur: *Primus de regiis Principibus ac Tyrannis teneat equum ejus*. In libro etiam Danielis cap. 1. habetur: *Et ait Rex Asphenez præposito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel de semine Regio & Tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula &c.* Monachus Sangallensis lib. 1. de Carolo Magno cap. 12. scribit, ut laudatissimo suo in Glossario Tom. 3. pag. 135. refert Ducangius: *comedente autem Carolo, ministrabant Duces & Tyranni, vel Reges diversarum Gentium*. Vetus aliud habetur testimonium apud Leibnitium in Tomo 1. suæ Rerum Brunsvicensium Collectionis pag. 254. ab Anonymo Poeta in panegyrico Berengarii I. Imperatoris lib. 4., ubi quæ in templo S. Petri coronandus Augustus ille promiserat, ita exprimuntur: *Etenim se cuncta loco vovet ultro daturum, quæ prius almifici sacris cessere Tyranni*. Idest sui in Imperio Prædecessores erga S. R. Ecclesiam munifica pietate liberales. Satis apertè id probat epitheton, quo usus est Poeta, Tyrannos illos laudans, eos vocando almificos, pia nempe facientes.

(29) Legenti compertum erit, quin moneam, res ab hoc Authore scriptas, exactò minimè temporis ordine fuisse collocatas. Jam ergo habuit ille sub oculis narratum cap 6. immeritum sub carnifice finem Conradini, quem Anno 1269. contigisse notavit, multo post annos ab ipso vel ab Amanuensi perperam notatos 1244. & 1257. ita corrigendos 1245. & 1250. quibus Federicum II. ab Imperatoris gradu Innocentius IV. Pontifex dejecit, & suam Federicus ipse mortalitatem deposuit. Hujus Imperatoris mascula & legitima proles infelici eo in nepote deleta ad quartam generationem minimè pervenit.

& quisque fugiebat à facie ejus. Pòst hæc Fredericus obiit Anno MCCL. unde versus isti:

Annis millenis ducentis quintoque denis
Dives, mendicus, decessit Rex Fredericus.
Illa namque die celebrantur festa Luciæ.

CAP. XVI.

De Marchione Pelavicino.

POst mortem Frederici prædicti, & ante, semper Lombardia in malo statu fuit; & credo, quòd erat, quia in diebus meis vidi multos Tyrannos ad nihilum illam reducere. Et vidi Marchionem Pelavicinum; qui Monoculus erat, & subjugabat Cremonam, & alias Civitates plures, quadam die dum esset in Ast, quidam mali viri consilium dederunt (30) super voltas de Sancto, præsente dicto Pelavicino, ut prædictus fieret Dominus Astensis Civitatis. Et fuit prorogatum Consilium usque mane. Eadem nocte Guilielmus Alferius, Petrus Laurentius, & alii plures intrantes domos, ordinaverunt cum viris legalibus, ne prædictus fieret Dominus Astensis Civitatis. Mane facto gravibus verbis Pelavicinus de Civitate recessit, & post hæc parum vixit. Guilielmus Marchio Montisferrati furtivè capi fecit Margaritam ejus filiam, quæ erat Annorum VII. pulcherrimam mulierem, quam dederat in uxorem filio Pelavicini prædicti, (31) quæ postquam crevit, filio Alfonsi Regis Hispaniæ nupta fuit. Alia verò filia dicti Guilielmi Romæ in Domo Ursinorum maritata fuit. Tertia nomine Violant Uxor fuit Andronici Imperatoris Græcorum. Speciosissimæ istæ fuerunt inter mulieres. In diebus illis Marchio Lancia militabat contra Astenses, cui Astenses abstulerunt Comitatum Loreti (32), ex quo constructa fuit Villa Costiliolarum. Marchione deinde ipso stante in Nono, Astenses intraverunt in Villam Noni, & Castrum Noni diruerunt. Marchio Lancia ivit ad Cherium. Cherienses tunc, & Alexandrini, & Thomas Comes Sabaudiæ magnam guerram Astensibus faciebant; & una dierum Astenses intraverunt in Moncalerium, & possederunt Villam, & Castrum. Eodem tempore Taurinenses afflicti sunt ab Astensibus ad Montem de Bruno, & multi eorum in Ast fuerunt carcerati. Post hæc Taurinenses personaliter ceperunt Thomam prædictum, (33) & ipsum in carceribus posuerunt, dicentes ei: quòd inde non exiret, donec eorum vicini, qui capti erant in ejus obsequio, relaxarentur. Tunc milites Astenses Taurinum iverunt, volentes dictum Thomam in Ast ducere. Taurinenses noluerunt illis dare dictum Thomam, & redeuntibus solis militibus Astensibus, invenerunt prope Monardum Cherienses insidiantes Astensibus in quodam stricto loco. Marchio Lancia (34) cum illis erat, quasi firmiter credentes, quòd nullus ex Astensibus posset evadere. Milites Astenses irruerunt in eos, & afflicti sunt ibi Cherienses. Marchio Lancia vulneratus fuit in facie; & de Cheriensibus capti fuerunt multi ad voluntatem Astensium, & steterunt carcerati in Ast, donec pacto exierunt.

(30) Ab hisce malis Civibus cavere non semper scivit, vel potuit Astensis Civitas, suæ tandem libertatis passa jacturam, ut pleræque in Italia Civitates suæ servitutis artifices fuerunt.

(31) Marchio Pallavicinus, tunc dictus & dicendus Pelavicinus ut innui nota in caput 5., quanta fulserit nobilitate, cum sua Marchionis dignitas ad nobiles privatos nondum delapsa, tum nupta illius filio March. Montisferrati filia, palàm facit, & præsertim cùm à Patre rapta Hispanici infantis uxor evaserit, & ejusdem soror Græcorum Imperatorem Maritum habuerit. Hinc etiam Ursinorum splendor ex altera sorore conjuge metiri licet, quamvis cum Regibus Gens ista nuptias non semel iniverit, & cùm presertim in Benedicto XIII. datum jam quinto ex illa fulgentissimum Orbi Christiano solem nostra hæc felix ætas adoret. Familiæ Pallavicinæ originem à fabulis vindicatam ab antiquissimo, eodem Italiæ Marchionum stipite cum Serenissimis Estensibus, & liberis adhuc plerisque Malaspinis productam evincit Muratorius loco supra citato.

(32) Notus aliis in Historiis Comitatus Laureti à Marchione Lancea possessus. Hic situs illius discitur à constructis Costigliolis ab Asinaria nunc nobilissima in Pedemontio Familia possessis, sub clientela Ducis Sabaudiæ & Sardiniæ Regis. Ghillinus in Annalibus Alexandrinis ad Ann. 1198. num. 8. Laureti Castrum in Provincia Langarum Montiferrato contermina situm dicit, & illius Dominum exprimit Marchionem Federicum Malaspinam, recentiori ex alio cognomine Lanceam. Federicus alius Lancea, & Galvanus ejusdem frater ab edito in hac Collectione Nicolao de Jamsilla Tomo 8. colum. 506. 520. 578. vivente tunc Historico, honorabili memoria celebrantur. Primus in Calabria & Sicilia à Manfredo tunc Principe postea Rege Vicarius Generalis constitutus dicitur Secundus Salernitani Principatus Comes, magnusque Regni Siciliæ Marescallus laudatur, & Corradi de Antiochia Colum. 807. Socer asseritur. Ejusdem deinde Principis Regisque, maximo præ cæteris honore, ambo nominantur Avunculi. His verbis clarius nihil desiderari potest, ut contra recentiorum disputationes vera Manfredi supradicti ex Imperatore Federico II. geniti mater, dictorum supra Marchionum Lancearum soror agnoscatur. Et si fas est luci addere lucem, alia syncroni Authoris ejusdem verba legi possunt columna 574. lit. E. *Profectus est itaque Marchio* (Bertholdus de Honebruch.) *ad Civitatem Trani, in cujus Civitatis Castro morabatur uxor ejus Isolda filia Marchionis Lanceæ, quæ Principi* (Manfredo) *Ex parte matris suæ proxima linea sanguinis attinebat &c.* Annales Caffari Tomo 6. hujus Collectionis editi colum. 546. lit. A. hæc habent: *Illi verò Siciliæ, qui favebant Conradino, audientes Carolum Regem in bello victorem fuisse prædicto, in Dominum & Capitaneum suum Comitem Federicum Lanceam elegerunt.* Citatis iisdem in Annalibus colum. 265. Nabolense idest Naulense Castrum, Nauli nunc Civitas sub Marchionibus Laureti Ann. 1153. memoratur ut causa belli cum Januensibus.

(33) Potentes olim Urbes in Accolas Principes insolenter se gerebant. Illis postea potentiores facti Principes vicem rependerunt. Deductum à Thoma Sabaudo genus Taurino, Hastæque ab antiquo imperat. Videantur notæ in cap. 41. Videatur etiam caput 24. cui Auctor iste hoc fecit initium: *Astenses ab antiquo multos domaverunt Comites & Tyrannos, & gladius eorum Domui Sabaudiæ non pepercit.*

(34) In Monteferrato, finitimisque in Langhis floruerunt Marchiones, Lanceæ cognomento celebres, quorum in origine & conditione narranda dissentiunt Porchacchius & Sangiorgius; primus in Historia Familiæ Malaspinæ Anno 1585. edita Veronæ lib. 4. pag. 88., secundus in Chronico Montisferrati edito Casali Sancti Evasii Anno 1639. pag. 39. Una cum primo Corius in Historia Mediolanensi Par. 2. ad finem Anni 1252. initiumque 1253. & supracitatus Ghillinus in Annalibus Alexandrinis ad Annum 1198. num. 8. & ad Ann. 1233. num. 1. Marchiones Lanceas Malaspinis attribuunt. Eosdem supra privatos Nobiles, atque inter Viros principes locum habuisse manifestum eruditis omnibus facit Marchionalis eorumdem titulus, ad privatas nondum Familias eo tempore delapsus. Videnda superiùs nota 3. veritatem istam cui opus fuerit evidentiorem faciet.

runt. Et facti sunt Cherienses quasi servi Astensium, taliter quòd si opus erat Astensibus, mittebant unum Nuntium Communis in Cherium, qui ascendebat super Campanile Sancti Georgii pulsando strepitum Campanarum, & clamabat dicens: quòd omnes Cherienses irent ad exercitum ordinatum, sicut dicto Nuntio impositum fuerat. Deinde multitudo Burgundionum militum (35) venerunt volentes pugnare contra Astenses, quia Thomas eorum Comes carceratus erat in Ast, quem eis dederunt Taurinenses. Tunc Astenses congregato exercitu suo iverunt super Ripam Sangonis. Exercitus Comitis ibi prope erat; & videntes Astenses, timuerunt Burgundii, & illa nocte territi Burgundii inde recesserunt cum exercitu suo. Tunc Rex Franciæ omnes Astenses, qui erant in Regno suo, carcerari fecit Parisiis, & omnes eorum Casanas derobavit. Audivi à multis, quòd valebant dictæ Casanæ plusquam 300. millia librarum bonorum Turonensium grossorum. Deinde Astenses non cessabant offendere dictum Thomam, capiendo plures Villas, & Castra, vastando terram suam usque ad Secusiam. Post hæc pacificati sunt Astenses, & Comes Sabaudiæ, & copulati sunt vera amicitia usque in hodiernum diem (36).

CAP. XVII.

De divisione Lombardiæ, & multis malis in Civitatibus ejus.

Sciendum est, quòd post obitum Frederici, Lombardi inter se divisi sunt in partes duas, quarum una vocatur pars Ecclesiæ, altera verò pars Imperii; modò verò una vocatur Guelfa, & alia Gibellina (37). Primi quidem fuerunt Ve-

(35) Burgundiorum nomine intellectos ab Authore Sabaudos puto, cùm Burgundici Regni pars olim Sabaudia fuerit; neque in Burgundiæ duabus nunc distinctis Ducatus & Comitatus nomine Provinciis ille Sabaudiæ Comes dominabatur.

(36) Tempore videlicet, quo hæc istos in Annales Auctor referebat longè post Annum 1259. quo Thomas Sabaudiæ Comes suo jam cesserat fato, illiusque tunc filios ab Hastensibus obsides detentos Othobonus Cardinalis Fliscus eorum Avunculus liberavit, ut habetur in Historia Flisca Federici de Federicis pag. 56. & in Annalibus Caffari ad Annum prænotatum. Inita ergo inter Thomam supradictum, & Astenses Amicitia cum illius filiis continuata intelligi debet, usque dum ista Gullielmus Ventura scribebat, cùm ea scribere Thoma Sabaudiæ Comite vivente nonum vix agens annum minimè posset.

(37) Eruditorum certè omnium plausum iste scriptoris nostri locus accipiet, vel accipere saltem deberet, cùm diu à multis frustra quæsitam Gibellinorum, & Guelphorum inter Italos originem, adeò perspicuam faciat, ut siquis adhuc de illa dubius hæreat, cœcus equidem ille solem in meridie non videat. Mihi propterea ipse gratulor istum feliciter invenisse Scriptorem, cujus testimonio ea tandem omnibus veritas luceat, quam maximi momenti apud eruditos fuisse, & esse satìs abundè declarat maximus in ea è tenebris eruenda, & à fabulis liberanda impensus per tot sæcula à tot maximis ingenio ac eruditione Viris conatus & labor admodum utilis, sed minimè hactenus omnino felix. Brevium Notarum rationem excedere coactus, multò magìs excederem, si factam hac occasione, hac de re disertatiunculam hoc loco ponerem. Eruditorum falcem hac tanta in messe spicas evasisse præ cæteris pæne innumeris probant egregia viventium insignium Virorum opera, nempe Patris Gravesonii Annales Ecclesiastici strictim collecti; & Muratorii Antiquitates Estenses. Ultimus iste Auctor cap. 31. citati operis ridendas aliquas dum innuit opiniones, suamque statuit, rem pæne acu tetigit.

Magni hujusmodi Gibellinici & Guelphici nominis maximas fuisse pro Imperio æmulas in patria sua Germania Familias, nullus nunc modicè eruditus dubitat. Ut verò dubitandi ansam omnibus adimam, testem dabo viventem tunc Ottonem Frisingensem Episcopum, qui libro 2. de gestis Friderici I. Imperatoris capite 2. apertissimè ita loquitur: *Duæ in Romano Orbe apud Galliæ, Germaniævε fines famosæ Familiæ hactenus fuere: unc Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio: altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita. Istæ ut inter viros magnos, gloriæque avidos assolet fieri, frequenter se se invicem æmulantes, Reipublicæ quietem multotiens perturbarant &c.* Hoc tanto Authore Duce Benvenutus Sangiorgius Casalensis Senatus sub Gullielmo VIII. Palæologi adhuc sanguinis Marchione Præses in suo Montisferrati Chronico pag. 149. furentes adhuc Anno 1339. Gibellinos, Guelphosque in sua Regione motus narrare coactus certum illarum pandit in Germania principium, certamque inde secutam ad majores nostros transmigrationem optimè signat, signato tamen perperam tempore dissidentis sub Gregorio Papa IX. & sub Imperatore Federico II. Sacerdotii & Imperii.

II. Quando igitur, ubi, & quare majores nostri his principum æmularumque in Germania Familiarum nominibus sua etiam civilia dissidia insigniverint, seque dissidentes maculaverint, ab hoc nunc primùm edendo Hastensi Scriptore liquidè discere omnes denique poterunt. Tempus enim inditorum factiosis Partibus nominum apertè indicat fuisse post obitum Federici, nempe inter Imperatores Secundi, quem Anno 1250. viventibus demptum paulò supra capite 15. tradit. Qui ergo tempore illo antiquior non est Historicus, & ante Imperium, vel sub Imperio Federici II. Gibellinos Guelphosque in Italia Populos nominat, aperti anachronismi reus à se ipso convincitur. Venturam verò meum Scriptore ab illo redargutum fatebor, qui Cæsaris ejusdem ævo vel æqualis, vel major factiosa hujusmodi nomina jam nostris ab Italis adoptata memoraverit. Locum etiam exploratum facit, dum Veronensium Civitatem primogenitos pariendi Guelphos & Gibellinos calamitosum decus habuisse testatur, eamque ipse non multò post viperini partus more laceratam à filiis matrem, ut hac sua in historia alienis oculis exponit, oculis tunc ille suis aspexit. Interjectas deinde omnes, quas à Verona ad suam usque Patriam Urbes tanta factionum lue afflatas præsens per illas viator invenerat, proprio singulas nomine distinguit, & propria ab enarratis singularum malis, quasi coloribus, imagine formata, omni etiam posteritati pæne videndas exhibet, donec Bergomates in hac communi contagione suscipienda ultimos à suis dumtaxat Hastensibus Concivibus minimè relictos affirmat. Narratæ ab ipso rei certissimus non haberi nequit, qui ordine tam certo temporum atque locorum tutam adeò de illa narrationem coram tunc edoctis, ut inscios edoceret posteros, scripto consignavit. Guelphica demum & Gibellinica assumendi nomina occasionem Italis datam ab ipsorum facta in partes duas divisione significat; Cùm tamen hoc faciendarum inter se divisionum morbo longè ante Federicum II. Imperatorem Itali laboraverint, satìs intelligi vix potest, cur post, & non ante Cæsaris hujus fatum, biceps in Italia factio Gibellina & Guelpha audiri voluerit.

III. Difficultatem hanc nota hæc mea explanare conabitur, peculiares pro nostro Authore rationes afferendo, quas ab illo res eo tempore recens ac evidens non exigebat. Clarè magis scribere de facto tunc omnibus noto Ventura noster minimè poterat, nisi hoc, quo scripsit, modo: *Post obitum Federici, Lombardi divisi sunt in partes duas, quarum una vocatur* (*vocabatur* necessariò legendum videtur, ob transitum à denominatione præterita ad aliam præsentem.) *Pars Ecclesiæ, & alia Pars Imperii; modò verò* (idest non eo, quo tunc scribebat anno, die, vel momento, sed totum intra illius

illius ævi spatium, quo ipse ab adscripto inter plures Federico II. Imperatore è sinu tunc matris effusus, ætate & studio idoneus ad scribendum factus gesta Italica spectator & Scriptor in Annales referebat,) *una vocatur Guelpha, & alia Gibellina*. Dissentientibus invicem Sacerdotio & Imperio apta semper fuerunt stantibus ab alterutro Factionibus nomina ista: Pars Imperii, & Pars Ecclesiæ; sed apta minimè semper fuissent hæc alia: Pars Guelpha, & Pars Gibellina. Postremis equidem istis uti nominibus haud quaquam poterant Factiones illæ, quarum una Romano Pontifici Alexandro III. favens, contra Federicum I. Imperatorem Romanum pugnabat, & altera huic adhærens contra illum arma ferebat. Hæc enim pro Imperio Factio jam memorato Gibellinæ stirpis Imperatori obediens, Gibellina dici utique potuisset; sed pro Ecclesia Factio altera, quo jure, & qua veritate Guelphum sibi nomen arrogasset, si Guelphi sanguinis Ducem una cum Imperatore Domino, & nepote suo hostem habebat? Patruus ejusdem Cæsaris Otto Frisingensis Episcopus jam laudatus iisdem libro & capite citatis *datum istud Romano Imperio augustum caput, ex utraque olim æmula stirpe natum*, dicit, *ut illis tandem quiescentibus Respublica tota quiesceret*. Sed ipse rei scientissimus, ut præsens illi testis loquatur: *Principes ergo* (inquit ille) *non solùm industriam ac virtutem jam sæpe dicti juvenis* (Federici,) *sed etiam hoc, quod utriusque sanguinis consors, tamquam angularis lapis, utrorumque horum parietum dissidentiam unire posset, considerantes, caput Regni eum constituere adjudicaverunt: plurimum Reipublicæ profuturum præcogitantes, si tam gravis & diutina inter maximos Imperii viros*, (non dicit inter Imperium & Ecclesiam, sed inter Imperii membra, & quidem Germanica, non Italica) *ob privatum emolumentum simultas, hac demum occasione, Deo cooperante sopiretur*.

IV. Iste igitur Federicus I. Imperator ex Patre Gibellino, & Guelpha Matre natus, Guelpho-Gibellinus natalium jure, & Avunculi fœdere appellari cùm posset, conveniens illi nomen suis quomodo conveniret Adversariis, ipse non video. Minor autem convenientia, & repugnantia longè major Ecclesiæ ac illius Parti usum Guelphici nominis interdicebat, quando Imperatorem Ottonem IV. avito & paterno sanguine Guelphum ab Imperii culmine dejecerat, & suum Ecclesia ipsa hostem declaraverat; atque insuper Federicum II. ut Gibellina jam stirpe nitentum, ita etiam augustali dignitate collata æmulum magis implacabilem opposuerat. Ab inimico sanè exauctorato Cæsare Ottone IV. proprium ac gentile illi Guelphicum nomen quinam minimè bardus homo ad se suamque Partem à S. R. Ecclesia traductum crederet? Credendum potiùs esset, quòd a novo Gibellino Augusto Federico II. sibi Amico & socio R. eadem Ecclesia se quoque Gibellinam dicere affectasset. Hoc si factum fuisset, citò nimis reddi debuisset infectum; nam Federicus II. sub Ecclesiæ tutela regius puer educatus, & Ecclesiæ opera evectus ad Imperium adolescens, vir denique ab Ecclesia ut hostis omnium pessimus a piorum cœtu sejunctus, & Cæsareo exutus honore numquam restitutus decessit. Cum isto igitur Imperatore hoste pugnans tunc Ecclesia, cuinam Guelpho donata nomine videbitur? nisi ob recenter abrogatum Ottoni IV. Imperium, æmuloque suo Federico collatum Guelphicam Domum graviter offensam in tam subitam rediisse cum Ecclesia pacem sciat. Hoc etiam admisso, quis umquam prudens Romanam Ecclesiam ex una in aliam illarum Factionum denominationem indecorè nimis saltitantem admittat? Nulla equidem neque patens veritas, neque veri species id admittendum aut necessaria cogit, aut probabili ratione suadet. Immo non veri solùm species sed patens etiam veritas amplectendam Auctoris nostri Guillielmi Venturæ sententiam suadet, & cogit, donec coæva Federicis I. & II. Imperatoribus monumenta, & synchroni annalium Scriptores Gibellinorum & Guelphorum nomina concordi & alto compressa silentio nobis elucere non sinant.

V. Quæ igitur in usu antea fuit, & post expletam ab Augusto Federico Secundo mortalitatem exolevit appellatio Partium Ecclesiæ & Imperii, cur in aliam Guelphorum & Gibellinorum appellationem abierit, ita planè convinci posse videtur. Suam quisque in mentem revocet miserrima ea tempora, quæ à Federici II. obitu ad Rodulphi I. in Imperio sublimationem intercesserunt, & ab omnibus ferme Chronographis pro Imperiali Interregno habentur, quia sola Rom. Pontificum, & illis adhærentium opera salutatos tunc Imperatores alia æquè magna ac potens Principum factio probare illos vel noluit, vel electos etiam alios contraposuit. Bellis interea assueti Itali pacatè vivere nescientes, & sua inter ipsos dissidia revocantes, adversaria pristina revocare nomina cùm minimè possent, nova quærere fas illis utique fuit. Qui Ecclesiam sequi & fovere jactabant, quin se iterum Partem Ecclesiæ dicerent nulla prorsus ratio obstabat, alia immo accedebat, respectu cujus, si voluissent, se Imperii quoque Partem dicere omni cum veritate poterant; vel quia Imperatores è voluntate Pontificum facti regnabant, vel quia Imperiales vacante Imperio Vicarios Romani Pontifices Italis præponebant. Qui propterea Imperii sectatores acerrimi fuerant, imperialia quamvis adhuc jura, studio inhærentes antiquo, tuerentur, sub nomine tamen Partis Imperii ea tueri, nullo secum conjuncto Imperatore, vel Imperatoris Ministro, sibi non amplius licitum putabant. En igitur veterem abiiciendi, novamque assumendi appellationem, non libera tantùm occasio, sed urgens etiam palàm facta necessitas. Nostro igitur teste Ventura, nulla ante illum contradicente, & consentiente omni post illum historia; quæ Italas inter Factiones una vocabatur Pars Ecclesiæ, & alia Pars Imperii, una tunc & imposterum vocata est Guelpha, & alia Gibellina. Secundò isto utentes nomine ad id fortasse animum intenderunt, ut de Gibellinis Imperatoribus optimè meriti, ab hæredibus Gibellinis Principibus finitima in Germania, & in citeriori Italia latissimè dominantibus opportunam in clientelam reciperentur, ut recepti re vera fuerunt. Itali propterea contra istos alii, sicuti animum habebant infensum, ut æmulum etiam ipsi petitum è Germania nomen adhiberent, Guelphum, ut arbitror, usurparunt.

VI. Plura non addam de re suam etiam prope originem viventibus obscura, ut quæ sensim per se ex jam adductis illius ævi circumstantiis Veronæ orta, per alias tam subitò Urbes crevit, quin ortus ejusdem & incrementi tempus, locum, modumque vivens tunc Scriptor aliquis adnotatum reliquerit, nisi unus mihi notus iste Ventura, quem licèt Sangiorgius Montisferrati Chronographus, & Ghillinus Annalista Alexandrinus Manuscriptum cognoverint, hanc tamen in illo veram de Guelphis & Gibellinis originem minimè cognoverunt. Antiquos ipsos Guelphos & Gibellinos sui adoptati nominis inscios declaravit Gregorius X. Summus Pontifex, qui ut extinctis penitus odiis fraternam in Filiis charitatem optimus Parens accenderet, à S. Antonino in tertia Parte historiali Titulo XX. Capite II. §. I. Anno 1273. ita illos fertur allocutus: *Quod Guelphus es*, inquit, *aut Gibellinus, nomina ne illis quidem qui illa proferunt nota.... Et id unum atque inane nomen* (*quod quid significet, nemo intelligit*). Coævus & superstes Pontifici huic Saba Malaspina, Rerum inter Italicarum Scriptores Tomo VIII. locum obtinens, Guelphorum & Gibellinorum originem ab oblata cœlitus specie duarum pugnantium Fœminarum animis popularibus infixam narrat, & suæ rerum Sicularum historiæ præponit. Hic tamen à me demonstratam Fabula etiam ista veritatem confirmat, cùm visum id in aere spectrum Manfredi Siculi Regis natalia nobilitasse dicatur; atque ideo prænunciatam ab illo tantæ Factionis insaniam, Manfredo tantùm sub Rege Federici II. Imperatoris Filio ad diuturnam in Italia stragem initium cœpisse luculenter agnoscimus, istaque magis in cognitione firmamur ab antiquiore Historico altero Nicolao de Jamsilla, qui & ipse octavo supracitato Tomo editus Manfredum eumdem ab illius post amissum Augustissimum Patrem adolescentia usque ad acceptam Siciliæ coro-

Veronenses. Mastinus de Scala fortissimus Gibellinorum expulit omnes ditiores & majores de Verona, & domos eorum diruit, quas vidi post mortem dicti Mastini, regnante pro eo Alberto de Scala. Et mortuo Alberto Bartholomæus de Scala regnat pro eo; & omni die persequitur, & expellit omnes, qui prænominati sunt Guelfi. Mantuæ verò fui, & vidi similia, & ruinam domorum maximam; & ante Pinamontem, Tyrannum perfidum, nullus ex equo surgere audebat, nisi ante ipsum præsentatus fuisset. Fratres suos, & nepotes, unum post alium occidit. Tota die, & usque nunc pro parte Gibellina Mantua dominatur. Cremonæ ruina æstimari non potest; & cùm ibi essem, audivi ab antiquis, quòd Anno MCCLXVI. Boscius de Dovaria Gibellinus expulsus fuit de Cremona, & circa decem millia viri de Cremona exierunt cum familiis suis, qui nondum reversi sunt ibi. Castrum de Rocha, & domos omnium prædictorum diruerunt. Bononienses à mei memoria intra se se multas expulsiones fecerunt; & multa homicidia, & ruinas usi sunt facere; nunc verò Populus Guelfus in Bononia dominatur. Ferrariam, Mutinam, Parmam, Brixiam, Cremam, Placentiam, Terdonam, Alexandriam, Albam, Taurinum, & Aquas semper in malo statu in diebus meis vidi, & nunc sunt. Bergamum penultima Civitas fuit, quæ fecit malum finem; quia primi, qui exierunt de terra, antequam compleretur annus, Bergamum sunt reversi. Primi quidem, & secundi, Turres & copiam domorum diruerunt; & multi viri ab utraque parte mortui sunt; & post hæc pacificati sunt, & nunc in Bergamo omnes pacifici commorantur. Astenses ultimi fuerunt ad malè faciendum facta sua, quorum actus scripti sunt in Libro hoc.

CAP. XVIII.

Divisio Januensium.

JAnuenses ante obitum Frederici fecerunt duas partes, quarum una, videlicet Frederici Imperatoris, exierunt de Janua, videlicet Spinolæ,

coronam celebrat, quin aliquam de Guelphis & Gibellinis, vel nondum natis vel ampliatis nondum per Apuliam nominibus mentionem vel minimam faciat. Satìs ergo mihi est, quòd in hujusmodi mutatione nominum facti veritas ex tunc vivente Ventura Scriptore constet, & quod allatæ à me rationes mutandorum tunc ab Italis Factionibus nominum necessitatem ostendant, & quod pro tunc mutatis ita nominibus vim historia nullam patiatur. Meliora ferentibus libentissimè palma relinquitur.

VII. Post eliquatam Gibellinorum Guelphorumque apud Italos originem, ut illorum etiam mores Venturam hunc nostrum legentibus obvii statim splendeant, tria mihi breviter monenda supersunt. Primum est, neque Gibellinos pro Imperio, neque pro Ecclesia Guelphos semper in fide firmos mansisse, quorum ex utraque factione nonnullos teste passim historia genium vincere ira non raro, ut insigni probant exemplo datæ in caput 108. hujus historiæ Notæ; sed sæpe magis utilitas docuit, ut allata à Sancto Antonino in tertia Par. historiali Tit. 22. Cap. 1. §. 2. & 3. egregia ostendit redargutio, quam Bonifacius Papa IX. Legatis Florentinis Patriæ suæ meritum erga Ecclesiam magnificantibus fecit. Secundum est Guelphos pariter & Gibellinos sub Imperii potestate natos, vivendi sub illa debitum novisse, quamvis ex utrisque aliqui à fide aliquando recesserint; Guelphi autem crebrò & obstinatè magìs hujus officii immemores fuerunt; non quia Imperatorem suum indubiè Dominum ejurare auderent, ut in congregato Mediolani Guelfico Concilio Comes de Langusco relatis istis cap. 12. à Johanne de Cermenate verbis in Tomo 2. Anecdotorum Muratorii apertissimè testatus est: *Minimè*, inquit, *Domino meo* (Henrico VII. Imperatori) *rebellis esse volo*; sed ne Imperatoris opera & auctoritate cum Gibellinis æmulis eadem in patria æquales vivere, immo illis ipsi antea imperantes, parere postea cogerentur; ut author fide dignissimus est Sanctus Antoninus in Par. tertia historiali Tit. 21. Cap. 2. §. 4. ubi Florentinos suos debitam Cæsari obedientiam præstare jam paratos, quare non præstiterint ita scriptum reliquit: *ad mutandum propositum induxerunt aliqui* (non omnes) *ex Guelphis principalioribus, suspitione ducti ne Imperator exules Gibellinos in Civitatem reduceret, quin etiam & regimen urbis eis traderet*. Clarissimus Muratorius in Antiquitatibus Estensibus Par. 1. cap. 31. pag. 306. postquam ex Joanne Villano Gibellinos Imperatoribus, & Guelphos Pontificibus sua ex indole addictos probavit, veriorem aliam in Guelphis naturam fuisse supponit, quæ Dominum pati aliquem sive Pontificem sive Imperatorem neque vellet, neque posset. Tantam verò in amanda libertate laudem Itali licèt in se suæ dignitatis memores aliquando derivarint, diuturnam facere vel nequiverunt vel neglexerunt, ut qui ab eorum cervicibus jugum non penitùs excutere, sed pro libito mutare satìs utile sibi & decorum putabant. Farfense Chronicon in Parte 2. Tomi 2. hujus Italicæ Collectionis editum, libro 2. Colum. 416. lit. C. meam istam confirmat sententiam dicens: „ Hujus „ (Arnulphi Germaniæ Regis) adjutorio Be„ rengarius Princeps Italicus prævalens Guido„ nem extinxit, & potenter Regnum accepit. „ Italienses autem quia semper geminis uti vo„ lunt Dominis, ut alterum alterius terrore „ coerceant, Guidonis præfati filium nomine „ Lambertum, adhuc ephœbum, nimisque „ bellicosum Regem constituunt „. Hujus servandi in Italia moris vix alia magis idonea inveniri ætas poterit, quàm illa dissidentium inter se Gibellinorum atque Guelphorum, qui à non raro tunc inter Imperium & Sacerdotium dissidio, vel ab imminenti semper dissidii metu, geminos, quibus prout vellent, adhærere possent, Dominos in promptu habebant, Papam scilicet vel Imperatorem, vel alios alterutri gratos addictosque Principes. Monitum denique tertium est Guelphos mendacem hæreseos labem omnibus inustam Gibellinis voluisse, ut refert refellitque Vincentius Borghinus in suo Italico tractatu de Ecclesia & Episcopis Florentinis pagina 566., animo quamvis propensus in Guelphos, minimè tamen Gibellinis contra veritatem infensus. Ut verò magis antiquus, gravis etiam magis falsæ opinionis hujus castigator erit, non historicus modò, sed Sanctus etiam vir Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui ad annum 1287. in sua tertia Par. historiali, Tit. 20. §. 1. parem hanc contra Guelphos æquè ac Gibellinos sententiam pronuntiavit: „ Has tamen „ sectas & partialitates Apostolus ponit inter ope„ ra carnis, quæ qui agunt regnum Dei non „ consequentur. „ Hunc denique tantum ab omnium animis eliminabit errorem Gregorius X. Romanus Pontifex Sanctitatis laude celeberrimus, qui paternam suam in conciliandis Guelphorum ac Gibellinorum factionibus operam Florentiæ impendens, citatis istis à Sancto Antonino in Par. tertia histor. Tit. 20. Cap. 2. §. 1., à Sigonio lib. 20. de Regno Ital., & ab Antonio Campo in Par. 2. Ecclesiasticæ Placentinæ Historiæ sub anno 1273. dignissimis omnium Patre ac Pastore vocibus usus est: *Gibellinus est, at Christianus, at Civis, at Proximus, at Consanguineus*. Lata etiam anno supradicto 1273. ab eodem Sancto & Summo Pontifice Bulla, sancitam Guelphos inter & Gibellinos pacem declarans legi tota meretur, apud citatum Campum sub num. CL. inter documenta, quibus historiæ suæ Pars secunda fulcitur. Isto enim ab uno maximi ponderis testimonio propositæ in tribus à me præmissis monitis veritates plenam sicuti lucem accipiunt; ita fidem sibi ab omnibus integram conciliant.

nolæ, & eorum sequaces, & stabant Sagonæ, militantes contra Januam. Audivi à multis, quòd Astenses miserunt Sagonam milites in obsequium Frederici. Post mortem ejus Januenses obsederunt Sagonam per terram & per mare cum manganis & trabuchis, taliter quòd ipsam ceperunt. Post longum tempus Spinolæ pacifici reversi sunt Januam, & ibi nullum locum nec posse habebant. Sed Grimaldi in Janua dominabantur. Post hæc circa Annum MCCLXX. Obertus Spinola, & Obertus Auria, auxilio & consilio aliquorum virorum popularium Januæ, ac etiam Lombardorum, una dierum vicerunt Grimaldos, prœliantes cum eis. Ipsa verò die prædicti ambo Oberti facti sunt Capitanei generales Januæ. Grimaldi nolentes esse sub eorum jugo, cum familiis suis de Janua exierunt; & cum illis illi de Flisco, quibus Januenses abstulerunt plures Villas & Castra. Grimaldi, & Fliscatores per longum tempus steterunt extra Januam, & post pacificè reversi sunt in illam, semper occultè insidiantes Obertis duobus, Spinolæ, & de Auria, sub quorum jugo erant positi eorum sponte. Quadam die Anni novi, Grimaldi, & eorum sequaces surgentes cum armis, eques, & pedes iverunt per Januam, vulnerando, & occidendo homines populares, clamantes: *Moriantur Spinolæ, & Auriæ; & vivant Grimaldi*. Quo audito, prædicti Oberti, quia Grimaldi munierant Portam Januæ, & Campanile Sancti Laurentii, & domos fortes Fliscatorum, irruerunt cum populo. Et invenerunt Grimaldos, & prœliantes cum eis, reclusi sunt Grimaldi in Ecclesia Sancti Laurentii. Populus portato igne voluit prædictos comburere. Obertus Spinola liberavit eos verbis pacificis, dicens. *Sinite, quia hi sunt fratres nostri, quamvis stulti sunt*. Et recepto sacramento ab eis, promiserunt, quòd contra statum prædictorum Oberti Spinolæ, & Oberti Auriæ in æternum venire non præsumerent; & post eos abire dimisit.

Non post multum tempus Obertus Spinola obiit. Grimaldi portantes eum ad sepulturam acerbè flebant super eum, dicentes (38): *Cur nos, ò Pater, deseris, qui semper nos tamquam filios carissimos nutristi?* Multitudo gentium ibi erant flentes, & eum honorificè vidi sepelire ad Sanctam Catherinam. Post hæc Populus timens insidias Grimaldorum, constituit Conradum filium Oberti Spinolæ Capitaneum in locum Patris sui. Obertus de Auria noluit esse Capitaneus, dicens, quòd frater ejus Obertus obierat. Et factus est Capitaneus Conradus filius Oberti de Auria. Grimaldi semper insidiabantur prædictos. Quadam die in Epiphania Domini Grimaldi, & Fliscatores, & eorum sequaces, qui multi erant, eques & pedes armati, & multi Balestrarii cum eis, credentes expellere Conradum Spinolam, & Auriam, contra eos prœliaverunt fortiter. Populus autem semper resistebat Grimaldis. Lamba de Auria hoc audito, qui tunc erat Capitaneus Astensis Populi, Januam perrexit, & quinquaginta milites Astenses cum eo, portantes Vexillum Astensium militum, & Boconatus pro Communi Astensi cum eis. Bellum inter eos duravit per dies quadraginta, & ibi mortui fuerunt viri plusquam

A mille, inter quos mortui fuerunt Sbaralia filius Conradi Spinolæ, & Petrus de Castello fortissimus virorum, & alii plures de Janua de melioribus. Ex vulneratis infinitus est numerus. Et hoc vidi, quia ibi præsens eram. Die Lunæ pridie Carnis-privii Grimaldi expulsi fuerunt de Janua. Ipsa die Fulcus Asinarius Astensis vênit Januam, quia Januenses ipsum in suum Potestatem elegerant. Grimaldi, & Fliscatores passi fuerunt multa mala, quia eorum domus derubatæ fuerunt, & combustæ. Stantibus autem Grimaldis extra Januam, Franciscus de Grimaldis, qui prænominatur Franciscus de Malitia, callidè & occultè indutus habitu Fratrum Minorum intravit Villam de Monachio, &
B occidit custodes dictæ Villæ, & munivit duo Castra, quæ ibi sunt, & Villam, ex quibus multas offensiones etiam Januensibus faciebat, quia navem unam ex Trosellis Francigenis oneratam valentem libras circa centum millia Januensibus, & alias plures barchas, & Galêas ceperat. Quadam die Grimaldi cum Galêis V. armatis circa auroram posuerunt scalam ad Maxellum Moduli, & intraverunt Januam; & intrantes domos, quæ fuerunt Grimaldensium, occiderunt Lanfrancum Spinolam. Quo audito Spinolæ, & Auriæ, & Populus cum eis irruerunt contra Grimaldos; & afflicti sunt Grimaldi, & pro majori parte capti & carcerati Januæ; & ibi steterunt per longum tempus. Post hæc
C exierunt; & diversis in locis confinati fuerunt. Post hæc obiit Conradus Spinola, & factus est Capitaneus Opicinus ejus filius, & Barnaba filius Branchæ de Auria. Grimaldi reversi sunt Januam pacifici Anno MCCCVIII. & Januæ non steterunt per annum. Barnaba Auria, & illi de Auria copulati erant amicitia cum Grimaldis. Hoc videns Opicinus Spinola timuit, & personaliter cepit Barnabam de Auria, & posuit eum in carcere. Custodes ejus permiserunt illum abire. Sequuti sunt eum omnes de Auria, & multi alii de Majoribus, & intraverunt in Sacellum, & Castrum Stellæ, & ibi stantes Opicinus Spinola misit exercitum, & cepit Castrum Stellæ, & diruit eum. Anno MCCCIX. mense
D Maji prædicti forenses, congregato exercitu suo, iverunt ultra. Manfrinus de Carreto, & Guilielmus filius Nani de Ceva, duces erant eorum. Opicinus Spinola hæc audiens vênit ad Sestrum cum majori quantitate militum & peditum, quàm forenses prædicti essent, & prœliantes insimul, afflictus est Opicinus, & fugit in Gavium, & ex gentibus suis mortui fuerunt plusquam CC. inter quos mortui fuerunt Potestas Januæ, & Ansaldus Balbus de Castello. Eadem hora forenses prædicti Januam intraverunt; & non fuit, qui eis resisteret, salvo quòd Petrinus filius Conradi Auriæ ex uno quarelo mortuus fuit ad Portam Vaccarum. Opicinus munierat Castrum Vintimiliæ; & ibi fuit magnum prœlium;
E & ibi fuerunt mortui plusquam CC. inter quos mortuus fuit Franciscus Grimaldus de Malitia (39). Tamdem Grimaldi Civitatem, & Castrum Vintimilliæ munierunt. Post hæc habuerunt Portum Venerem, & Lericem, quos Opicinus tenebat. Sequenti mense Septembris Januenses miserunt exercitum suum ad vastandum Gavium, ubi Opicinus morabatur. Tunc Januenses domum pul-

(38) Optima sunt virtutis testimonia post mortem fleri & laudari ab hostibus Oberto Spinulæ id à Grimaldis datum præsens illius inferiis Auctor testatur. Ex immediatè antea dictis non frater, sed pater scribi oportebat, & primo loco non Obertus, sed Corradus Spinula Oberti filius esse noluit Patriæ Capitaneus, ut Pater fuerat, & præcoci ob id fortasse fato ereptus.

(39) Malitiæ cognomentum Gentilitio additum puto ob malitiosam Monœci occupationem superiùs narratam.

pulcherrimam de Lorellis diruerunt. Sequenti Anno dictus Opicinus mense Martii intravit Villam Montaldi Januensis, & ex eis de Montaldo mortui fuerunt plures, & Villa destructa fuit. Sequenti mense Madii dictus Opicinus intravit Votabrum, & posito ibi igne destruxit totam Villam, & portas muri diruit dictæ Villæ. Eodem mense Januenses ceperunt galêam unam, quæ exierat de Monaco, & multa mala Januensibus fecerat; & ex eis multi mala morte mortui fuerunt; residui verò fuerunt Januæ carcerati. Sequenti Mense Junii Januenses pacificati sunt cum Opicino prædicto, qui per duos annos stare debet ad voluntatem Communis Januensis extra Civitatem Januæ. Odoardus Spinola in dicta pace esse voluit; sed Castra, & Villam Monaci (40), dum poterat, munita tenebat.

CAP XIX.

Divisio Alexandrinorum.

Alexandrini fuerunt quasi primi Lombardi, qui partes fecerunt. Et primi illi de Puteo exierunt, & venerunt in Ast. Astenses verò præbebant eis ex sua pecunia, quia semper Alexandrinos odio habuerunt. Inveni enim in antiquis scripturis, quòd Astenses afflicti fuerunt bis in Anno in Calamandrana, & in Quatordas ab Alexandrinis; & hoc fuit MCCXXIV. Post hæc Astenses multa opprobria Alexandrinis fecerunt, stantes cum Carrocio (41) nostro; & Papienses cum eis per dies XV. & vastaverunt Alexandrinos usque prope portas eorum. Alia vice Astenses per dies VIII. vastaverunt Alexandrinum Anno MCCLXXIII. Et à mei memoria Alexandrini per vices septem una pars alteram expulit. Anno MCCCIX. Mense Februarii Lanzavetulæ expulsi sunt de Alexandria. Robersarus Trotus tunc erat Capitaneus Astensis Populi, & milites Astenses fuerunt cum eo Alexandriæ ad expellendum & occidendum prædictos Lanzavetulas. ex quibus duo fratres filii Gerardi Lanzavetulæ mortui fuerunt, & alii plures. Guilielmus Invitiatus exivit de Alexandria, qui tunc erat Capitaneus Alexandrini Populi. Sciendum est, quòd Alexandrini numquam fuerant in tam bono statu & pacifico, quàm tunc erant. Sequenti Mense Madii Guilielmus Invitiatus pacificè Alexandriam reversus est, & Lanzavetulæ exules fuerunt, & eorum amici quotidie confinantur. Momellus Isimbaldus Papiensis illo Anno Alexandriæ factus est Potestas.

CAP. XX.

De Civitate Ferrariæ & Placentiæ.

Multas afflictiones passi sunt Lombardi MCCCIX. Primò Ferraria quasi destructa fuit, quia mortuo Marchione de Este constituit heredem suum filium naturalem, quo audito, fratres dicti Marchionis militabant contra naturalem prædictum. Qui timens, ne subjugare Ferrariam possent, quia Ferrarienses ipsum odio habebant, abiit, & dedit ex pecunia Venetis Castrum & dominium Ferrariæ. Tunc Ferrarienses turbati abierunt, & servi facti sunt Clementis Papæ (42), qui tunc sedem tenebat in Avignono. Tunc Papa misit Nepotem suum cum duobus millibus militum, quos vidi transeuntes per Ast, & fuerunt Ferrariæ. Tunc Ferrarienses cum dictis militibus prœliati sunt contra Venetos, qui erant in Castro, quod est intus Ferrariam. Tunc Veneti exeuntes afflixerunt eos, & plures occiderunt, & partem Ferrariæ cremaverunt. Quo audito, Papa maledixit Venetos, & excommunicavit eos excommunicatione Saracenorum, & Crucem prædicare fecit contra Venetos. Eodem Anno Mense Madii Mediolanenses, & Papienses cum eorum liga steterunt in guastis Placentiæ per dies XXX. & hoc quia Albertus Scotus tunc Dominus Placentiæ expulerat de Placentia Potestatem, & Capitaneum, qui ambo erant de Mediolano; & pro illis duobus Albertus prædictus factus est inimicus illorum de la Turre. Mense sequenti Septembris Papienses cum forensibus Placentinis per aquam cum militibus intraverunt quemdam Burgum Placentinæ Civitatis, qui est versùs Cremonam. Placentini irruentes in eos ceperunt ex eis, circa mille, & multi ex eis negaverunt in aquam. Eodem Anno Mense Februarii Lanzavetulæ expulsi sunt de Alexandria, prout in actis Alexandrinis describitur. Astenses eodem Anno afflicti sunt in Quatordas. Opicinus Spinola eodem Anno expulsus est de Janua, & in expulsione mortui fuerunt plusquam centum, & in Claverio plusquam CL. gladio perierunt. Carolus Rex obiit, & sepultus est in Neapolim. Eodem Anno die VI. Mensis Madii Robertus ejus filius regnavit pro eo, & confirmatum est Regnum ejus. Sequenti Mense Augusti confirmatum est per dictum Papam Imperium Romanorum Henrico de Austria (43) Alemanniæ Regi. Tunc cum ipso veni ad capiendam auream Coronam à Summo Pontifice ubicumque fuit.

Eo-

(40) Monœcum Spinulis haud diu paruit, sed ad Grimaldos rediit, & in eorum potestate, ut supra dictum est, continuavit.

(41) Carrocium quid penes antiquos fuerit, Eruditos non latet. Pictum illud, & descriptum in historia Cremonensi Campus exhibet lib. 1. pag. 12. & 13. Quando & a quo inventus ad magnificam in bello speciem exhibendam Sigonius tradit sub Anno 1038. Præ omnibus verò legi meretur Author temporis illius, & loci, ubi & quando bellicus iste currus est inventus. Arnulphus is est, undecimi sæculi Mediolanensis historicus inter Scriptores Brunsvicensia illustrantium Tomo 3. sub numero 32. typis a Leibnitio datus, atque iterum hos inter Rerum Italicarum Scriptores Tomo 4. editus, ubi pag. 18., quæ cap. 16. libri 2. de supradicti currus inventione loquitur, videri possunt, quin à me noxia brevitati repetitio fiat. Hoc omnium vetustissimum de Carrocio testimonium ignorare Ducangius debuit, cùm multa inter alia, quæ ipse attulit, istud omiserit. Corio tamen & Flammæ Mediolanensibus nixus Authoribus eamdem ab Arnulpho traditam didicit originem, Heriberto Mediolanensi Archiepiscopo attributam. Cùm verò circa Annum 1124. ille vixisse Archiepiscopus dicatur, anachronismi reum sive Ducangium, sive quem probabiliter magis opinor Glossarii sui Typographum, scire non interest, dummodo error corrigatur. Evidenter enim corrigit eum Arnulphus, sæculo præcedente vivens Author, excogitatum illo ab Archipræsule Carrocium describens, ut eo uteretur contra indictum sibi bellum ab Imperatore Conrado I., qui Anno 1039. ab hominibus demigravit.

(42) Locus iste posceret ut de antiquo Ferrariæ dominio dissererem, sed cùm hæc recentibus hisce temporibus abundè disputata sint ab eruditis Viris in Causa Comaclensi, nolo in messem alienam falcem immittere. Quid ex antiquo hoc auctore ad eruendam rei veritatem colligi possit prudens Lector dijudicet.

(43) Sive irrepserit mendum, sive aliud scripturæ vitium sit, nihil prorsus intelligo quid sit: *confirmatum esse per Regem Neapolis Imperium Romanorum Henrico de Austria*. Hoc tamen scio notum huic fuisse Authori Henricum istum Imperatorem fuisse Lucemburgicum, non Austriacum, ut infra patebit cap. 58.

Eodem Anno & Menſe Auguſti Princeps Taranti filius quondam Domini Caroli deprehendit uxorem ſuam filiam Regis Albaniæ Græcorum gentis in adulterium, & confeſſa fuit, quòd pluſquam XL. milites ex majoribus Curiæ Regis ipſam carnaliter cognoverunt, ex quibus aliqui decollati fuerunt; alii verò fugerunt. Ipſam verò Dominam pulcherrimam mulierum in carcere poſuerunt. Philippus Princeps Sabaudiæ eodem Anno cepit ex vi cum Manganis Caſtrum de Rocha, & Caſtrum de Septimis, quæ ſunt versùs Canapitium, quæ ambo poſſidebat Theodorus Marchio Montisferrati. Eodem Anno Menſe Auguſti Ferrarienſes occiderunt, & negaverunt ex Venetianis (45) exiſtentibus Ferrariæ circa 3000. Eodem Anno Rex Hiſpaniæ, & Rex Aragonum prœliati ſunt in campo contra Saracenos, & ex Saracenis pluſquam XX. millia gladio perierunt; ex Chriſtianis verò circa X. millia ibi mortui remanſerunt. Chriſtiani Reges victoriam habentes obſederunt Civitatem Ormaniæ, & per longum tempus ibi ſtantes, ipſam habere non potuerunt.

CAP. XXI.

Diſcordia Regis Franciæ, & Regis Angliæ.

Antequam ſupradicta fierent, orta eſt maxima diſcordia inter Philippum Regem Franciæ, & Odoardum Regem Angliæ, ex qua multa mala venerunt, prout inferiùs audietis. Tunc Papa eiſdem Regibus duos Cardinales tranſmiſit, nec eos pacificare potuerunt; Et facto ab utraque parte exercitu magno in mare, & in terra, prœliati ſunt adeò, quòd innumerabiles viri occiſi ſunt gladio. Audiens hæc Papa excommunicare fecit Philippum Regem Francorum peſſimum virorum (46). Poſt hæc Amedeus Comes Sabaudiæ electus eſt Arbiter prædictorum Regum, & ex ejus arbitratu pacificati ſunt prædicti, Philippus prædictus voluit prœliari contra Robertum Comitem Flandriæ, & videns, quòd Regi reſiſtere non poſſet, timens de viris Villarum ſuarum, qui cupiebant exire ex jugo ſui Comitis, ordinavit cum Rege prædicto, quòd ipſe Rex poneret Duces, & Præſides ſuper omnes Villas Flandriæ Comitatus: & ita factum eſt. Non poſt multum tempus prædicti Præſides opprimebant Flamengos, (47) & eorum uxores, & filias violabant quotidie. Quidam de Burgo nomine Petrus Cornigus textor, compilata multitudine operariorum de Burgo, calidiſſimè & ſecretè una dierum cum vexillis & armis exierunt in vicos & plateas clamantes: *Moriantur Francigenæ*; & omnes, quos invenerunt Francigenas, occiderunt. Et per omnes Villas Flandriæ factum eſt ſimile opus. Audiens hoc Rex Franciæ, congregato exercitu ſuo, obſedit Lillam per menſes tres, & ex pacto facto cum Roberto Comite cepit illam; & dictus Robertus cum duobus filiis ſuis decepti à Rege, fraudulenter ducti fuerunt Pariſium, ubi eos detinuit. Flamengi hæc audientes venerunt ſuper terram Regis Franciæ cum militibus, & innumerabili multitudine peditum, combattendo undique, & devaſtando. Tunc Rex Francorum miſit exercitum ſuum ad contra, ubi erant Flamengi; & prœliati ſunt ad invicem; & miraculosè ibi afflicti ſunt Francigenæ, & ex eis mortui ſunt pluſquam decem millia militum de melioribus Francorum, inter quos erat Comes de Arlaſco Dux dicti exercitus, & circa XXX. de Majoribus principalibus Franciæ. Philippus Rex hæc audiens, ſciſſis veſtibus flevit fletu magno, & miſit Obertum Fulgos (48) nomine in Lombardiam, qui duxit ſecum milites Lombardos, & pedites plures cum lanceis longis. Et congregato exercitu ſuo per Regem, perrexit in Flandriam. Flamengi hæc videntes, contra ipſum venerunt, & prœliati ſunt inſimul; & multi ab utraque parte afflicti ſunt gladio; & multa mala, quæ ſcribi non poſſunt, venerunt ex diſcordia ſupradicta. Et Raynerius de Grimaldis occîdit gladio pluſquam viros XI. de Flamengis, qui erant in Olanda in obſidione cujuſdam Villæ nomine Cereſſe (49). Et dictus Raynerius magnum commodum & honorem habuit à Rege ſupradicto. Poſt hæc pacificatus eſt dictus Rex cum Flamengis, dantes prædicti eidem Regi ex pacto libras DCCC. millia bonorum denariorum Turneſium. Sciendum eſt, quòd prædictus Philippus Rex multa mala fecit fidelibus ſuis, auferendo eis aurum & argentum eorum, & faciendo falſam monetam de ramo tantùm, tam parvam, quàm groſſam, pro quibus ejus fideles eum maximo odio habebant, ita quòd quadam die Pariſienſes Cives volentes irruere ſuper eum, iverunt ad domum ejus, dicentes, ut vellent ei loqui. Ille autem timens furorem eorum, blandis verbis & pacificis fecit unumquemque abire eorum in domum ſuam. Craſtina die prædictus Rex miniſtros ſuos miſit pro illis majoribus, qui prædicta procuraverunt, & ex illis magnam quantitatem ſuſpendi fecit ad muros Pariſienſis Ci-

(45) In Pado Urbem ſuam abluenti ſubmergi à Ferrarienſibus Veneti debuerunt, quos occiſos negatoſque Author aſſerit. Ex Amanuenſis errore ſcriptum putarem: negaverunt pro necaverunt; ſed præcedenti ex capite 20. Amanuenſis ab errore liberandus agnoſcitur, cùm ibi etiam, ut hoc loco loquitur, barbarè Author loquatur, dicens à Placentinis Papienſes in aquam negatos.

(46) Si fortè quædam à peſſimo Rege peſſimè geſta Gallicis in Annalibus, favore aut metu non invenerunt locum, ab hoc Italo illius ævi Scriptore affectibus iis exuta veritas eum obtinuit. Illius moribus reſpondens vitæ finis apud ſincerum iſtum Hiſtoricum videatur in fine capitis 27. & in principio 28., ut ab aliis ibi dandis notis brevitatis amans abſtinere poſſim. Videatur etiam apud S. Antoninum in 3. Par. hiſt. Tit. 21. §. 4. eodem de Rege eadem fati narrata calamitas, morum tamen plena minimè cenſura.

(47) Infidi ſuo Comiti Belgæ, experto Domino pejore, redierunt ad frugem, haud tamen inulti ſuæ levitatis ultores, cùm multa inde incommoda acceperint atque intulerint, quæ ab hoc omiſſa Scriptore S. Antoninus in par. 3. hiſt. Tit. 20. Cap. 8. §. 17. & tribus ſequentibus legenda exhibet. Mirabile fuit ſumptæ à vili Populo ſub vili Duce ultionis initium. Multi enim in conventam factamque omnium in tota Flandria Gallorum ſtragem ſecreti & concordes antiquum ſimile Siculorum exemplum imitati audacter æquè ac feliciter ſunt. Iſtorum autem facinus poſt quinque jam prope ſæcula noſtra hæc adhuc ætas alit, ſub Italo vulgi adagio: *il Veſpero Siciliano*. Vide in Caput 11. Notam. In malè meritos de Populo ſuo Dominos non unum popularis ultionis exemplum hac una videatur in hiſtoria, Capitibus 14. 33. & 47.

(48) Obertum fortaſſe Fulgoſium ex Familia inter Januenſes patritia, quæ Galliarum Regibus Filippi hujus ſucceſſoribus addictiſſima, illorum nixa viribus, Patriam ſuam vel illis, vel ſibi Ducalem adepta dignitatem ſæpiſſimè ſubdidit.

(49) Urbem hanc malè hìc expreſſam *Cereſce*, fuiſſe Curtracum Gallico Regno conterminam dicerem, niſi Author iſte illam in Olanda, ut ſuo utar vocabulo, ſitam notaret.

Civitatis. Sciendum est, quòd dicta discordia dicti Regis Franciæ, & Angliæ, incoepta fuit Anno MCCXCVII. & duravit per Annos VI. Post longum tempus Anno MCCCX. Philippus prædictus Rex Franciæ misit filium suum primogenitum ad vastandum Lugdunum. Cives Lugduni posuerunt filium dicti Regis ex pacto in Civitate Lugduni. Prædictus filius Regis Franciæ cepit personaliter Petrum Nepotem Amedei de Sabaudia, fratrem Philippi Principis Acayæ, & ipsum Petrum violenter Parisios duxit (50). Et ad liberandum prædictum Petrum intercessum fuit à Papa, qui tunc Sedem tenebat in Avignono, quia prædictus Rex Franciæ ipsum Papam non permittebat ire Romam, ex quo Romani valde turbati erant. Sciendum est, quòd prædictus Papa fuerat ante Archiepiscopus de Bordello.

CAP. XXII.

Manuel de Blandrate Dominus Montis-Acuti.

Audivi ab antiquis, quòd Manuel Comes de Blandrate, & Dominus Montis-Acuti circa Annum MCCL. derobaverat trosellos pannorum Astensibus, pro quibus Astenses eidem Manueli abstulerunt Villas suas; & ex viris dictarum Villarum ædificatæ fuerunt Buttiliera, Podivarinum, Montata Fangi, & Canalis. Post longum tempus prædictus Manuel (51) Anno MCCXC. intravit nocte Buttilieram, consilio & favore Guilielmi Marchionis Montisferrati & consentientibus aliquibus de Villis, quæ prænominatæ sunt Posse. Tunc Astenses irruentes super terram Manuelis die ac nocte segetes, vineas, & arbores quo idie devastabant. Fridericus natus prædicti Manuelis pulcherrimus virorum ex una lancea longa in Villa Sommæ-Ripæ mortuus fuit. Tunc ore Manuelis accordatum fuit factum; & præ timore timens, ne residuum terræ suæ periret, ex puro dono Castrum Porcellis Astensibus dedit, & pacificatus est cum eis. Post hæ ipse Castra Montis-Acuti, & Sancti Stephani Rotariis vendidit pretio florenorum X˗VIII. millium. Floreni non valebant tunc temporis nisi solidos XX. Astenses. Heredes Henrici Alferii duxerunt ipsum Manuelem ad standum in Ast, & extorserunt ex bursa dicti Manuelis in bona quantitate dictorum florenorum, de quibus eidem fecerunt pessimè rationem; & fama est, quòd in vita sua, nec post ejus mortem aliquid non solverunt. Non post multum tempus obiit in Ast, & sepultus est in domo Fratrum Prædicatorum.

CAP. XXIII.

De Comite Guidone de Montefeltro.

Guidonem Comitem de Montefeltro vidi confinatum in Ast à Summo Pontifice. Audivi à Ministris suis, quorum notus eram, quòd semper Romanam Ecclesiam propugnavit, & etiam innumerabilem turbam Flamengorum pluries gladio interfecit. Et inter alia unus ex eis mihi dixit, quòd una dierum prædictus Guido erat in quadam Civitate, cujus nomen ignoro, & inimici ejus abstulerunt eam. Tunc dictus Guido callidissimè finxit se recedere de dicta Civitate ab una portarum. Inimici ejus intraverunt prædictam Civitatem per aliam portam. Guido præceperat Ministris suis, ut porta, per quam exiret, fortiter clauderetur. Tunc dictus Guido cum militibus suis post terga inimicorum suorum per aliam portam intravit in Civitatem, & taliter afflixit eos, quòd quasi nullus ex eis remansit, quin gladio moreretur. Et ex talibus & similibus audivi, quòd prædicta facta fuerunt à prædicto Guidone, quæ scribi non possunt in hoc Libro. Verè sciendum est, quòd prædictus Guido fuit sapientissimus virorum, fortis, & largus, & callidissimus in bellando. Guilielmus Marchio Montisferrati ardenti amore ipsum diligebat; & vidi in quadam Vigilia Nativitatis Domini, quòd dictus Guilielmus miserat dicto Guidoni XX. paria boum cum carris oneratis odorifero vino, farina tritici, mezenis salatis; & habuit sarapulos, & coagulos. Astenses valde diligebant eum Guidonem (52); postea vocaverunt eum, & stetit impensis eorum Capitaneus per tres annos. Et cùm esset ibi, Boncontus

(50) Sensus incompletus quædam desiderari verba indicat, quibus exprimi liberatores fas esset.

(51) Hunc Blandrati Comitem, Montisferrati potentem indigenam puto, genere & ditione diversum à potentiori, & magis celebri Guidone Comite alterius Blandrati in Agro Novariensi, ubi vix una tantùm in Civitate non dominabatur, ut testis est Synchronus Author, Otho Frisingensis Episcopus in vita nepotis sui Federici I. Imperatoris lib. 2. cap 15.

(52) Ex evidentia gestarum in Tuscia rerum, ubi & Boncontus Comitis Guidonis filius, & Aretinus Episcopus in prœlio ceciderunt, & ex Auctoritate S. Antonini Par. 3. Hist. Tit. 20. capite 6. §. 2. & 4. & Scipionis Admirati Par. 1. Tom. 1. Florentinæ Historiæ lib. 3. Ann. 1289. pag. 175. 177. 179. legendum est, non Astenses, sed Pisani. Illi enim vocare non poterant, quem apud ipsos confidentem habebant; isti verò remotum ab ipsis Guidonem Montisferetri Comitem, à Pontifice Pedemontii finibus transcriptum, in propriam vocarunt regionem, & suum magna cum auctoritate Capitaneum constituerunt, & propterea unà cum ipso, & tota ejus familia à Fidelibus fuerunt à Pontifice disjuncti.

Bonconti nomen ex duabus vocibus conflatum, & corruptum dignoscitur ex mentione, quam de celebri Gibellinos inter & Guelphos prœlio, & de amissis in illo Viris insignibus Sanctus Antoninus facit in 3. Par. Hist. Tit 20. cap. 6. §. 4. ubi, ut ille scribit, *Bonus Feretranus* inter desideratos numeratur. Cùm iste esset Comes, ut Comitis Montisferetri filius, & suo ex nomine, suaque ex dignitate Bonus Comes fuisset recta latinitate dicendus, ut supracitato capite 6. ante 1. Paragraphum dicitur; Italicè autem: *Il Conte Buono*, sive *Buono Conte*; breviori & unico verbo dici à vulgo debuit sicut Italicè *Bonconte*, ita pseudolatinè dictus est *Boncontus*.

In Vibona, idest rudis hujus juxta sermonem Authoris, in Bibiena; sed dicere vel intelligi voluit: prope Bibienam, Oppidum ad Arni ripas insigne, Aretium inter & Florentiam situm, atque inter nobiliora Aretinæ Diœcesis ab Ughellio numeratum in Italia Sacra Tomo primo. Laudatus supra Divus Antoninus loco ibi citato dicit, Aretinos ab ipsorum Episcopo, & Domino Feretrano ductos, Aretio Bibienam profectos, egressosque inde pugnam in proxima planicie commisisse. Venturam hunc nostrum Latini sermonis prorsus indoctum ipsa sua hæc accusat Historia, adeò ut mirum omnibus esse possit, Vibonis Latinum verè nomen ab illo adhibitum fuisse; malè tamen fuisse ab illo Bibienæ applicatum, nemini mirum esse debeat. Optima de hoc insignium Scriptorum testimonia clarissimus Vir, Benedictinæ Familiæ Alumnus decusque, Regio-Cæsareus in Universitate Ticinensi Lector mihi communicavit, quæ publici juris ab illo jam facta cùm putem, in erudita sua medii ævi Descriptione Italica Tomo X. Rerum Italicarum recenter edita, me ut ab illis hoc loco repetendis abstinerem, ingrata nemini cura brevitatis induxit.

tus natus ejus mortuus est in quadam ruina facta à Guelfis in Vibona super Gibellinos Toscanos, in qua ruina Episcopus Aretinus mortuus fuit (53); & ejus sceptrum & mitram vidi in Florentia suspensa in Ecclesia Beati Johannis Baptistæ. Post hæc prædictus Guido pœnitentia ductus, humilis & contritus, de quo verè dici potest: *non est inventus similis illi*: Ordinem Fratrum Minorum intravit, & per spatium annorum trium obedientissimus ibi, fecit amariorem & austeriorem vitam, faciens quod Fratres alii faciebant. Post hæc dictus Guido in Civitate Venetiæ obdormivit in Domino.

CAP. XXIV.

Actus antiqui Astensium.

A Stenses ab antiquo multos domaverunt Comites, & Tyrannos, & gladius eorum domui Sabaudiæ non pepercit. Quadam verò nocte, antequam supradicta fierent, Anno 1255. milites, & populus Astensis equitantes versùs Moncalerium, invenerunt ibi prope viros Cherienses, qui afflicti sunt ab Astensibus, & ex eis multi capti fuerunt. Manè verò Astenses ceperunt Castrum, & Villam Montiscalerii violenter, & Abbatem Secusiæ, qui ibi erat. Thomas Comes Sabaudiæ hoc audiens, qui erat in Taurino, vênit versùs Moncalerium cum exfortio suo ipsa die. Hæc audientes Astenses, cucurrerunt contra ipsum usque ad Montem de Bruno, & ibi afflictus est dictus Thomas ab Astensibus. Taurinenses ibi multi capti fuerunt. Taurinenses personaliter ceperunt dictum Thomam, & ipsum posuerunt in carcere, dicentes: *Volumus habere carceratos nostros*. Quadam die milites Astenses veniebant; Cherienses, & Marchio Lancea insidiati sunt Astenses juxta Villam Monardi. Cherienses ibi afflicti sunt, & ex eis ducti fuerunt in Ast circa quingenti, qui per plures dies steterunt in carceribus Astensibus. Rex Francorum omnes Astenses, qui erant in Regno suo, cepit personaliter, & eisdem abstulit bona sua omnia valentia plusquam quingenta millia florenorum auri; & per plures annos Parisiis carcerati fuerunt. Taurinenses dederunt Astensibus Thomam prædictum, quem Astenses in carcere posuerunt cum Abbate Secusiæ. Tunc Burgundii in magna quantitate militum venientes de ultra montes, castrametati sunt super ripam Sangonis. Astenses cum exfortio suo super aliam ripam castrametati sunt. Tunc, & ipsa nocte Burgundii timentes, viliter recesserunt. Post hæc Astenses pacificati sunt cum Thoma prædicto, & Cheriensibus, tali pacto: quòd cùm opus esset Astensibus equitare, mittebant ipsi Astenses Nuntium Communis Astensis in Cherio, qui ascendens super Campanile Sancti Georgii strepitum campanarum personabat dicens: Quòd Cherienses cum armis suis sub pœna constituta irent Ast. Ex quo Cherienses erant valde turbati; & hoc duravit usque ad Annum MCCLXX. Tunc Astenses de novo conventionem & amicitiam insimul fecerunt, taliter quòd unus pro altero innumerabilia fecerunt, pro ut scriptum est in hoc Libro.

CAP. XXV.

Antiqui actus Lombardorum.

INfrascripta inveni in antiquis scripturis, quæ vera sunt omnia. Primò Astensis Civitas capta fuit, & destructa Anno MLXX. XI. Madii. Et Anno MCI. Astensis Civitas pæne tota succensa fuit. Anno MXCIX. capta est Antiochia, & Hierusalem, & inventa est Lancea, qua perforatum est latus Christi. Anno MCX. Civitas Novaria ab Henrico Quarto capta fuit. Anno MCXXIII. IV. Kalendas Julii fuit bellum inter Marchionem Raynerium Montisferrati, & Cives Astenses (54), in quo terga verterunt Astenses. Anno MCXXXVII. facta est magna discordia inter Episcopum Astensem, & Cives Astenses. Et capta fuit Civitas Taurinensis ab Amedeo Comite. Anno MCXLVII. commota est terra ab Oriente usque ad Occidentem contra Paganos. Anno MCLIV. II. Septembris fuit bellum inter Marchionem Montisferrati Guilielmum, & Cives Astenses, in quo Marchio terga vertit confusus. Anno MCLVII. Fredericus Rex ingressus est Civitatem Astensem, qui multis turribus obrutis, & incendiis factis, abiit. Anno MCLXII. Mediolanum destructum est à Frederico. Anno MCLXVII. Mediolanum reædificatum est. Anno MCLXXVII. VI. Februarii Cives Astenses obsederunt Castagnolas, & ceperunt. Et eodem Anno obsedit Rex Fredericus Civitatem Astensem. Anno MCLXXIX. obscuratus est Sol à sexta hora usque ad horam nonam in Exaltatione Sanctæ Crucis. Anno MCLXXXVII. capta est Civitas Hierusalem à Saladino Soldano Paganorum. Anno MCXCI. mense Junii fuit bellum inter Bonifacium Marchionem Montisferrati, & Cives Astenses, in quo Astenses terga verterunt. Anno MCCIX. Otto Saxoniæ Quartus Imperator intravit Italiam. Anno MCCXV. factum fuit Concilium generale Romæ sub Innocentio Tertio, Regnante Frederico Imperatore. Anno MCCXV. destructum fuit Casale Sancti Evasii. Eodem Anno Fossanum ex Villa Romanisii (55) ædificatum fuit. Anno MCCXXIII. in Nativitate Domini fuit Terræmotus in Italia. Anno MCCXXVI. Astenses congressi cum Alexandrinis in Quatordas, fracti fuerunt, & ducti in carceribus Alexandriæ. Eodem Anno fuit bellum inter eosdem, & subjugaverunt Astenses apud Calamandranam. Anno MCCXXX. Mediolanenses obsederunt Monbarutium, & per hebdomadas ibi steterunt, facto pacto inter ipsos, & Marchio-

(53) Hæc Sacri Pastoris insignia, qui nunc Peregrinus Florentiæ sacro dicto in loco suspensa cerneret, victi hostis Episcopi trophæum minimè divinaret; quia tempora mutantur, nos & mutamur in illis. Præsul iste simul & Miles nomine Guillelmus, ex familia inter Aretinas primaria Ubertinus fuit, qui die 11. Junii 1289., ut ait Ughellus Tomo 1. Italiæ Sacræ in serie Aretinorum Antistitum, mediis in millibus ardens occubuit. De illo audiendus est etiam S. Antoninus Par. 3. Tit. 20. cap. 6. §. 4. ita scribens: *Posset iste commendari de fortitudine pugnando pro Patria, nisi obstaret sua dignitas Pastoralis*.

(54) Episcopus suo cum Populo discors fuit Landulphus, neque solus iste Pastor Astenses suas in oves gladio usus est militari. Anno 1143. Nazarius urbem totam igne consumpsit, eamque Anno 1155. flammis iterum damnavit Federicus I. Imperator Anselmi Episcopi Astensis hortatu. Hæc capite 6. innuit Ogerius Alferius, & utinam fusiùs ad instruendos Posteros gesta, gestorumque causas explicuisset.

(55) En cur nota quædam ex antiquis Loca nullibi reperiantur; cùm & ipsa pereant, & alia nascantur ab illis, ut ex Romanisio Fossanum, Episcopalis in Pedemontio Civitas, licèt melius juxta Geographiæ leges sita dicatur in Monteferrato, cui Regio tota, Pado Tanaroque fluminibus obsepta, conceditur.

chionem, castrametati sunt in finibus Insulæ, & Caprarolii, & incensis pluribus Villis recesserunt. Anno MCCXXXVII. Fredericus Imperator apud Curtem-Novam congressus cum Mediolanensibus, cepit eos cum Carroccio, & Potestate. Anno MCCXLIV. Innocentius Papa Quartus Hispanus (56) fuit in Monasterio Apostolorum Astensi expensis dicti Monasterii. Eodem Anno Fredericus Imperator similiter ibi pernoctavit. Et tunc factum fuit Concilium in Lugduno longum, in quo fuit dictus Fredericus Imperator depositus ab Imperio usque in quartam generationem. Anno MCCXLVIII. die Dominica XIII. Februarii fugatus fuit Fredericus Imperator ab obsidione Parmæ, & combusta Urbs Victoria, quam fecerat ibi. Anno MCCL. obiit Fredericus Imperator depositus ab Innocentio Quarto. Anno MCCLV. die Mercurii IX. Decembris ceperunt Astenses Moncalerium, & Abbatem Secusiæ ibidem. Anno MCCLXXIX. circa medium mensem Junii Marchio Salutiarum ad locum Draconerii cepit & percussit de illis de Cuneo homines CCC.

CAP. XXVI.

Indulgentia facta Romæ Anno MCCC. sub Bonifacio Papa.

NOtum facio omnibus Fidelibus Christianis, quòd de Anno MCCC. ab Oriente, & ab Occidente tam viri, quàm mulieres, ex omni genere Christiano in innumerabili quantitate veloces Romam pergentes dixerunt Bonifacio tunc Summo Pontifici: *Da nobis benedictionem tuam, antequam moriamur. Audivimus ab antiquis, quòd quisquis Christianus omni anno centesimo visitaverit Corpora Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, liber sit tam à culpa, quàm à pœna.* Tunc dictus Bonifacius, & ejus Cardinales, congregato Concilio, quærentes in eorum Canone, non invenerunt aliquam notitiam de prædictis: inde statuerunt, ordinaverunt, & decretum fecerunt, ut quisquis Christianus eodem Anno, & per totum Annum steterit Romæ per dies XV. visitando omni die Ecclesias Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, liber sit à die Baptismi ab omni peccato suo, tam à culpa, quàm à pœna; & in æternum Indulgentia prædicta omni anno centesimo per eumdem Bonifacium, & ejus Cardinales confirmata fuit. Mirandum est, quot passim ibant viri & mulieres, qui Anno illo Romæ fuerunt; quia ego ibi fui, & per dies XV. ibi steti. De pane, vino, carnibus, piscibus, & avena bonum mercatum ibi erat; fœnum carissimum ibi fuit; hospitia carissima, taliter quòd lectus meus, & equi mei super fœno, & avena constabant mihi tornesium unum grossum. Exiens de Roma in Vigilia Nativitatis Christi, vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat; & fama erat inter Romanos, quòd ibi fuerunt plusquam viginti centum millia virorum, & mulierum. Pluries ego vidi ibi tam viros, quàm mulieres conculcatos sub pedibus aliorum; & etiam egomet in eodem periculo plures vices evasi. Papa innumerabilem pecuniam ab eisdem recepit, quia die ac nocte duo Clerici stabant ad Altare Sancti Pauli tenentes in eorum manibus rastellos rastellantes pecuniam infinitam. Unde sciant Christiani venturi, quòd prædictus Bonifacius, & ejus Cardinales in æternum prædictam Indulgentiam omni anno centesimo venturo firmaverunt, & decretum fecerunt, cujus exemplum portavi in Ast (57), & inferiùs exemplari feci in fine hujus Libri. Et eram ego Guilielmus, cùm Romæ fui, annorum quinquaginta, & ampliùs. Consulendum est igitur, & laudandum omnibus Fidelibus Christianis, quòd omni Anno centesimo sequuturo faciant idem.

CAP. XXVII.

Destructio, & depositio Ordinis Templariorum.

DEfuncto Bonifacio prædicto, qui admirabilis fuit in operibus suis, factus est Papa quidam Frater Prædicatorum de Palma (58), qui non vixit per annum. Post ipsum Clemens V. factus est Papa, qui antea dictus fuit Bertrandus Got de Guascogna, & fuerat Archiepiscopus de Bordò, & fuit factus Parisiis ad instantiam Philippi Pulchri Regis Francorum, dicto Bertrando absente Anno MCCCV. In diebus suis admirabilis novitas, & persequutio facta fuit super Ordinem Templariorum (59): quod

---

(56) Amanuensis inscitia Hispanum dici Pontificem Maximum Innocentium IV. luce clarius est. Italum Patria & Fliscum stirpe Author illum optimè novit, & capite 15. dixit.

(57) Hoc ab authore latum in patriam magnæ prænarratæ Indulgentiæ exemplar, & hac sua in Historia Posteris datum, dedissem & ego, si, quæ teneo, duo mihi m. scripta dedissent. Quod ab illo deficiente haberi non potest, luminis aliquid dabit S. Antoninus Par. 3. Tit. 20. cap. 8. §. 11.

(58) Datus iste Bonifacio VIII. in Pontificatu Successor fuit Benedictus XI. Prædicatorum antea ex Ordine Cardinalis Ostiensis, nomine & cognomine Nicolaus Boccasinus, in agro natus Tarvisino. Cavendum propterea est, ne pro Longobardo accipiatur homine, dum de Palma dictus legitur, quo nomine Forilivienfis Urbis proprio, Author iste Langobardam in Æmilia Parmam persæpe nominat. Quare autem nostro isto ab Historico Frater Prædicator de Palma dicatur, cùm ab Ughello in Tomo 1. Italiæ Sacræ Romanos inter Pontifices num. 193., & à Gravesonio in Tomo V. Ecclesiasticæ Historiæ Colloquio 2. decimumtertium, quartumque Ecclesiæ sæculum complectente, Tarvisinus asseratur; num fortè à Monasterii loco, ubi vel sacer illi datus habitus, vel inter filios acceptus ille fuerit, Dominicani Instituti peritus intelliget. Hoc in Pontifice præter humile genus omnia laudat S. Antoninus Par. 3. Tit. 20. in initio capituli 9.

(59) Habitam de Templariis quæstionem, publicata delicta, sumptum supplicium, deletam Militiam, secuta prodigia, in Annales multi retulerunt; sed, quos viderim, apud multos nutat causæ meritum. En Astensis unus rei gestæ testis & scriptor. Hujus ex fide Reos, Accusatores, Judicem, Prodigia, sapiens expendat Lector. Unam Jacobi Bosii præstantissimi Scriptoris Historiam adeundam propono, ut qui Tomo II. lib. 1. à pag. 29. usque ad 40. &c. de sua sacra Religione, & Militari Ordine S. Joannis Hierosolymitani scribens, in ejusdem fortunam cessisse Templariorum infortunium narrat. S. Antoninus Florentinorum Archiepiscopus, vix sinè lachrymis legi potest, tragicam tanti Ordinis calamitatem narrans in 3. Parte Historiali, Titulo 21., cap. 1. §. 3. fol. 92., pag. 2. col. 1. Papæ Clementis, & Philippi Galliarum Regis mala vivendi ratio, respondensque vitæ finis ab eodem Sancto Historico descriptus videatur Tit. supracitato, cap. 3. §. 3. & 4. Sed ejusdem Prædicatorum Ordinis Pater Hiacynthus Amat de Graveson supradicti S. Antonini, aliorumque infirmat Authoritatem, urgentique suo non semel Discipulo Magister ipse satisfaciens, in Hist. Ecclesiasticæ Tomo 5., sæculum 13. & 14. complectente, in Colloquio 4. à pag. 331. usque ad 343. lectu dignissimo.

quod processit ex invidia, & cupiditate Philippi Francorum Regis, qui odio Templarios habuit, eo quòd ausi fuerunt stare contra ipsum ex sententia excommunicationis data per jam dictum Bonifacium contra dictum Regem. Qui una dierum omnes Templarios stantes in Regno suo cepit, & carcerari fecit, opponens contra eos coram Clemente Papa Hæreticas blasphemias, & vestigia Sodomorum, & opponentes, quòd cùm aliquis eorum prædictum intrabat Ordinem, oportebat ipsum Christum Crucifixum negare, & funem in Cruce legare, & trahere ipsam per tres passus, & alia terribilia, quæ scribenda non sunt. Ad quæ prædicta aliqui ex eo Ordine cœperunt trepidare, & ex tormentis coram Summo Pontifice, & Rege prædicto, confessi sunt, prædicta facta fuisse: pro quibus pessima sententia lata est contra ipsos; ex quibus verò aliqui succensi sunt igne, & multi ex eis in carceribus obierunt; & possessiones eorum, & bona mobilia per totum Orbem terrarum tam citra mare, quàm ultra, ablata sunt eis; & deposito habitu Ordinis dispersi sunt undique. Clemens prædictus in Concilio Generali facto in Vienna Anno MCCCXII. ubi erant ab Oriente, & Occidente innumerabiles Prælati, & Clerici, Rex Franciæ, & alii plures Regni, ex ore suo maledixit Ordinem Templi, & ipsum cassavit, & deposuit Templarios; & eorum possessiones, quæ erant in Regno Regis Franciæ, concessit prædicto Regi. Reliquas possessiones concessit Hospitalariis Sancti Johannis, & eisdem præcepit, ut se se præpararent ad pugnandum (*contra*) Saracenos, & navigio ultra mare transire usque ad annos V. proximè venturos. Si prædicti justam aut injustam contra Templarios dederunt sententiam, ipse scivit; & Deus ultionum, qui non dormit; & qui novit omnia, antequam fiant, prædicta cognovit, antequam ipsa successerint; & si passagium fuerit, Altissimus provideat breviter, quod meliùs esse debeat. Guilielmus de Nogareto Regis Franciæ Cancellarius auctor fuit pro posse ruinæ Ordinis Templariorum, eo quòd patrem ejus tamquam Hæreticum comburi fecerunt. Dum autem plures ex Ordine Templi ad ignis patibulum conducerentur, unus ex ipsis inter eos major voce magna dixit dicto Guilielmo: *Falsè & injustè procurasti destructionem Ordinis Templi: ad Regem non possumus appellare, quoniam contra nos pugnat cum consensu Papæ Clementis; sed ad verum & summum Judicem appellamus, qui fortior est ipsis, coram quo te citamus, ut infra diem octavam debeas personaliter comparere.* Ecce miraculum, quòd dictus Gulielmus die VIII. prædicta terribiliter & sinè percussione mortuus fuit. Post hæc Clemens Papa mortuus est in Carpentrasio horribili morbo lupuli, mala fama multifariè subsequente, & maximè ex infinito auro, quod habuit ab Hospitalariis, quibus concessit Castra & bona Templi (60). Tunc congregati sunt Cardinales in eodem loco, ut novus Papa eligeretur; & hoc fuit Anno MCCCXIV. Mense Aprilis, & facta est scisma inter Italicos, & Gallicanos, ex quo Familiæ prædictorum taliter inter sese commoti sunt, & prœliati, quòd ex ipsis Magistris centum interfecerunt; & posito igne in domibus Munilianorum, & vendentium pannos & alias mercantias, ex quo tertia pars Villæ succensa est: quod pessimum exemplum exstitit Christianis. Tunc Cardinales per dictam Provinciam sunt dispersi, & nondum ad eligendum Papam potuerunt hucusque convenire. Credendum est verè, quòd propter ea Rex Franciæ, & Guilielmus de Nogareto morte pessima finierunt dies suos pro peccatis pessimis supradictis; nam Deus ultionum Dominus furorem suum implevit, & meritò super eos, quia non est credendum, quòd bona mors ibi fuerit, ubi præcessit mala vita.

CAP. XXVIII.

De morte Philippi Regis Franciæ, & de Ludovico ejus filio, & ejus Uxore in adulterio deprehensa, & de quibusdam aliis.

PHilippus Rex Franciæ horribili morbo mortuus est Anno MCCCXV. Mense Novembris die XXIX. qui dum iret ad venationem, quidam aper irruens ad pedes equi sui, ipsum ad terram cum equo projecit, ex quo casu ita exstitit vulneratus & percussus, quòd infra diem octavam mortuus est. Ludovicus filius ejus primogenitus regnavit pro eo, & accepit Uxorem de prole sua, filiam Siciliæ Regis, Hungariæ quondam; nam Uxor ejus, quam priùs habuerat, videlicet filia Ducis Burgundiæ, in turpi adulterio fuit deprehensa cum cognata sua Uxore fratris sui Caroli junioris: ex quo ambæ ad incendium condemnatæ in carceribus perpetuis sunt retrusæ, in quo carcere ex gravitate eidem facta, Uxor dicti Ludovici satìs citò vitam finivit, supervivente fratris Uxore. Ii verò, qui cum eisdem se conjunxerant, Philipponus de Alneto & Galcheronus ejus frater, ambo filii Galcherii de Alneto milites probati, convicti & confessi, patre eorum sententiam proferente, ignorante tamen filios ejus esse tanti sceleris patratores, virilibus membris abscissis, excoriati, ad

mo. Objectionum tamen maximam, quæ Pontificem Galliarumque Regem à Magno Templariorum Magistro, paulò ante quàm vivus Parisiis combureretur, ad Divinum Tribunal vocatos dicta die obiisse dicit, ab antiquis minimè, quos citat, Scriptoribus proditam cùm notet, eam satìs elisam putat. Vires at ecce novas eadem Discipuli sui resumit objectio, nam Astensis iste illius ævi sincerus ac diligens Scriptor, quod vidit, factum narrans, non Pontificem, non Regem, sed Regis Cancellarium, Templariorum Ordinis narrata ex causa hostem, & ejusdem ex odio causæ accusatorem, non a Magno Templariorum Magistro, sed ab uno inter Templarios præcipuo infra diem octavam coram Divino Judice haud frustra citatum affirmat, in hæc verba prorumpens: *Ecce miraculum, quod dictus Gulielmus die octava prædicta terribiliter & sinè percussione mortuus est.* Coævus alter videri potest Scriptor vitæ Clementis Papæ V, Tomo 3. istius Rerum Italicarum Collectionis pag. 678. lit. D., ut videatur ex sententia minimè Pontificia & Conciliari, sed ex odio Regis Philippi & Curiæ suæ, Magister Templariorum Parisiis fuisse combustus.

(60) Papalem ipsam de translatis in Hospitalarios, sive in Equites postea dictos Rhodienses, nunc Melitenses, immensis pæne Templariorum Equitum divitiis Bullam, laudatus supra Bosius edidit, Tomo & Libro citatis pag. 39. ad annum 1312. Joannes verò XXII. Clementis V. successor eodem teste Bosio pag. 43. ad Annum 1316., instantibus Lusitaniæ, & Arragoniæ Regibus rem gratam facturus, novos in eorum ditione Militares Ordines, de Christo in Lusitania, & de Montesa in Valentia instituit, & Templariorum sparsis per illa Regna facultatibus ditavit, ut eorum opera Mauri ab Hispania pelli & deleri penitus possent.

ad equorum caudas tracti, apud pontem Furii sunt suspensi. Postmodum satis citò Amorandus de Mariguelo præcedens omnes astantes, coram Rege uno, quasi alter Rex, ille quem damnabat, damnatus erat, & pater solvebat. Solutio erat, videlicet suspensus fuit Pater à Geberto in loco altiori, eo quòd culpatus fuit, Thesaurum Regium dissipasse, & etiam Flandrensibus fuisse propitium. Post hæc Rex prædictus suo exercitu congregato, & cum eo erant circa milites X. millia, & peditum maxima quantitas, perrexit super Flandrenses apud Curtuariam (61). Flandrenses verò exierunt contra eos, & castrametati sunt prope exercitum Regis prædicti. Erat tamen Fluvius inter ipsos. Dum autem illi ambo exercitus starent, pluvia inundante compulsus fuit redire, & ibi dimisit currus, & vehicula universis tentoriis & utensilibus onerata, ex quibus locupletati sunt non modicum Flandrenses; & tunc reversi sunt unusquisque ad propria.

CAP. XXIX.

De Civitate Astensi.

CUm gladiis & armis Astenses cupientes cum Marchione Salutiarum fortiter prœliari, & videntes eum, qui erant in Columbaria, quidam ex nostris malitiosè terruerunt nos, dicentes: *Fortior est Marchio nobis, & ei resistere non possumus: revertamur ad nostram Civitatem, & illæsam conservabimus.* Inito consilio unusquisque laxis habenis domum suam reversus est festinanter. Et intervallo facto quasi horæ unius, Johannes Marchio Montisferrati filius Marchionis Guilielmi, qui obiit in carceribus Alexandriæ, cum exfortio suo peditum & militum, & Manfredus de Salutiis cum multitudine gentium, peditum, & militum, per portam Sancti Laurentii sinè contradictione Civitatem intraverunt, & statim cum festinatione perrexerunt ad domos Solariorum de Caneto, derobantes ea, quæ in ipsis erant; & igne posito in eis, prædicti de Solario recesserunt. Et invenientes alios de Solario in platea Sancti Martini desolatos, eâdem horâ omnes de Solario de Civitate, in qua nati fuerant, recesserunt: hora erat Vesperorum. Per totam noctem laborantes, appulerunt apud portam Albæ orto jam Sole. Leo filius Landurni de Solario ascendere volens portum, per timorem cum equo & armis cadens in aquam, periit in istanti; alii verò de Solario Aurigam transierunt, & volentes Albam introire prædictam, Kuppæ, & Constantii Albenses cum armis eisdem de Solario resistebant, ne prædicti Civitatem Albæ introirent. Oddo Marchio de Carreto (62) existens tunc Albensium Potestas, contra voluntatem prædictorum prædictos de Solario introduxit Albam, & eos benignè recepit. Sequenti mense Kuppæ, & Constantii, & eorum sequaces expulsi sunt de Alba cum familiis suis. Quidam ex Astensi Populo exeuntes, qui promovebant Solarios ad malum, vitantes juxta eorum posse, ne concives eorum starent pacifici, & quia plus dare

A debebant, quàm recipere, pro his verò sequuti sunt eos Albæ, & cum eis steterunt usque ad regressum illorum, & si prædicti exeuntes malè egerant ante eorum exitum, pessimè fecerunt post adventum eorum, dantes eis in generali consilia, ac aliena rapientes injustè, de quibus verè dici potest: *esurientes impleti sunt bonis, & eorum ventres saturati sunt nimis.* Caveant, ne illis dicatur: *Divitias, quas devorasti, evomes.* Oddo Marchio de Carreto timens illos de Castello, ex eorum præcepto relicto regimine Albæ reversus est domum suam; illi autem de Solario, & eorum sequaces, steterunt Albæ.

B

CAP. XXX.

De Forensibus Astensibus stantibus in Cherio.

THomas, & Simon Roverii, Mutius, & Rubeus Asinarii, Thomas, & Polonus de Troja, Odinus, & Obertinus de Curia, Galvagnus, & Jacobinus, & Petrinus, & Bartholomæus Peyla, Obertus Peyla, Raymundus Faletus, & plures alii populares, relinquentes Ast, voluntariè iverunt stare in Cherio cum equis & armis & familiis eorumdem; & ibi stantes multa mala toto suo posse procuraverunt tenentibus Civitatem Astensem; Mutius Asinarius inter alios laborando die nocteque, ventis & pluviis, non cessabat ire Albam, & Guilielmus de Mombello, ex quorum auxilio tenentes Civitatem expulsi fuerunt de Ast, prout inferiùs narrabo. Tenentes autem Civitatem, Ambasciatores plures Cheriensibus miserunt, ut prædictos expellerent de Cherio, qui nihil facere voluerunt, sed eos tamquam fratres carissimos habuerunt. Solarii pro majori parte stantes in Alba procurabant, nec poterant nocere tenentibus Civitatem. Quadam verò die quidam ex illis eques venerunt propè Civitatem usque ad Burburem, credentes nocere aliquibus. Tenentes verò Civitatem, hoc audito, persequuti sunt eos usque prope Albam, & ex eis ceperunt septem, inter quos erat Jacobus de Ponte, & Bastardus filius Rollæ Cazæ, qui sunt carcerati in Ast, donec Solarii reversi sunt. Ex hoc autem taliter exterriti sunt Solarii, quòd donec Albæ steterunt, parum sive paucas offensiones fecerunt tenentibus Civitatem Astensem. Prædicti verò Civitatem tenentes posuerunt sub jugo servitutis plurimos, & majores, & fideles Villarum nostrarum, taliter quòd aliqui de Solariis non audiebant dicere nisi malum, & communi voce dicebant, quòd prædictos de Solario Albæ non permitterent; sed eos ad Indiam superiorem mitterent sinè mora. Et pejus fecerunt, quia Marchioni Montisferrati Castrum & Villam Vignalis reddiderunt, & medietatem Felizani, & medietatem Ripæ, & quintam partem Castri-Novi de Rivalba, & pulcherrimum Territorium, quod fuit Guilielmi Marchionis Montisferrati. Habuit etiam ad suam voluntatem Villam & Castrum Tongi, quamvis prædicti de Castello se monstrassent esse mœstos dominii; & homines Castagnolis pro Communi Astensi nihil facere voluerunt. Rustici de Callia-

C D E

(61) Urbem gallicè dictam Courtray, latinè Cortracum in Comitatu Flandriæ sitam. Conferenda hæc sunt cum traditis nota 49. in Caput 21., ubi etiam Villa corrupto nomine dicta *Cerefce*, visa fuit dicenda Cortracum.

(62) Quantæ dignitatis Urbium Potestas antiquitus fuerit nomen ipsum indicat, ut in notis super alteram Ogerii Alpherii Chronicam Astensem satis superque ostensum est. Principes ideo Viri, qualis Odo Marchio de Carretto fuit, munus id ab Urbibus oblatum frequenter obibant. Reges neque ipsi liberis in Urbibus Potestatis Officio fungi dedignabantur, ac propterea in beneficiariis Neapolitani Regni tabulis, Carolo Andegavensi datis, Clemens Papa IV. inter cetera decrevit: *Quòd in Terris R. Ecclesiæ nihil unquam sibi quocumque titulo possit acquirere, nec aliquam Potestariam, aut Rectoriam obtinere.* Zazzira Par. 2. Nobilit. Italiæ in Familia Frangipana.

liano ipsa die, qua illi de Castello de Ast expulsi fuerunt, Villam & Castrum Calliani dicto Johanni Marchioni ad ejus voluntatem dederunt. Marchioni Salutiarum Villam Fossani dederunt; Castrum & Villam Cavalerii, quam ex vi cum trabuchis ceperunt, tenentes Civitatem Marchioni Salutiarum puro dono dederunt, unde verò *da Castello* dicuntur, & non ampliùs *de Castello*.

Manuel Galeatius Spinola Januensis factus est Potestas, & Faravellus de Auria Januensis factus est Capitaneus. Tunc illi de Castello voluerunt confinare plures de Populo, accipiendo securitatem à quocumque, prout Francischino Guttuario, & Rubeo Isnardo ad hoc electis videbatur. Ac etiam quidam Tyrannus Judex nomine Antonius de Vago, & Robertinus Guttuarius ad hoc præerant, ut vidi, qui me ipsum volebant ad Salutias confinare; & quia inobediens eis fui, me ipsum cum Guilielmo Rasparello, & Henrico Valseneria, & Benedicto Pedagno ad domum Gambarelli in carceribus posuerunt, donec fecimus eis securitatem ad voluntatem eorum. Post hæc nos, & alios de Populo circa LXX. dispergendo confinaverunt, & me ipsum Guilielmum Sagonam miserunt, & ibi steti eorum præcepto, donec Solarii reversi sunt ad Civitatem Astensem. Franciscottus de Solario, relicto sanguine sui patrimonii, remansit cum illis de Castello, & sequutus est eorum vestigia, donec cum eis exivit de Civitate, & per annum unum sequutus est eos. Post hæc autem expulsus est ab eis, & remansit solus, ab utraque progenie derelictus. Tenentes Civitatem mense Junii cum Marchionibus Montisferrati, & Salutiarum, omnes cum exfortio suo peditum & militum fuerunt circa Albam ad segetes & arbores incidendas. Georgius de Leva cum aliquibus militibus Principis erant intus Albam. Mense Augusti sequenti prædicti reversi sunt circa Albam, & illud idem malum operati sunt posse suo.

CAP. XXXI.

Nuntii Regis Caroli in Alba.

Carolus Siciliæ Rex Nuntios suos, & Ambasciatores misit Albam, quorum unus Leonardus de Turcho nominatus, quibus Solarii, & qui cum eis de Ast erant, eisdem Ambasciatoribus juraverunt fidelitatem nomine dicti Regis. Cives etiam Albenses eisdem illud idem fecerunt. Volentes autem prædicti Ambasciatores recedere de Alba, Fulcus Caze, Aleramus Solarius, Conradus de Brayda, Albenses, & alii plures Astenses iverunt versùs Montem-Vicum cum Ambasciatoribus prædictis: ecce quidam illorum de Castello, quorum unus Vacho de Casali, & Bastardus quidam de Brexanis insidiantes prædictis, affixerunt eos, taliter quòd Fulcus Caze ibi mortuus fuit pluribus vulneribus; Conradus de Brayda, Aleramus Laicus, Amoynus de Solario, & Nicolaus Caze capti, & in carceribus Fossani ducti fuerunt, ex quibus magnum gaudium Ast tenentibus fuit. Hoc audito Rex Carolus misit procuratorem suum nomine Ægidium tenentibus Civitatem Astensem, monens eos, ut nec Civitati Albensi, nec aliquibus habitantibus in ea offendere deberent, cùm prædicti sint ejus fideles, & eis deficere non potest ullo modo. Quo audito verba dicti spreverunt; &, si malè egerant Civitati Albæ, post hæc suo posse pejora fecerunt. Illi verò de Castello ex bursa vicinorum suorum pluribus modis extorquendo expenderunt, dantes Marchioni Montisferrati, qui multa bona consumsit in Palatio Faletorum; & Marchioni Salutiarum dormienti in domibus de Troja illud idem fecerunt. Marchio Salutiarum gaudens, ignorans quæ ventura erant contra eum, cepit horrea & cellaria Thomæ, & Polini de Troja, quæ supereminenti mensura plenissima frumento, vino, avena, & salatis carnibus abundantes possidebant; & eorum suppellectilibus, & utensilibus tamquam propriis utebatur. Stabant autem omnes noti illorum de Castello juxta ipsos interrogantes. Qui erant Henricus Marchio de Carreto, Johannes de Salutiis, & Raymundus de Incisa, cui post eorum exitum Castrum Canclarum, quod custodiebat Henricus de Serra, puro dono dederunt, diruentes turrim, & omnes domos de Caneto usque in fundum. Oddino Marchioni de Carreto, vi opprimendo, Castrum Burgi-mali, & Villam rapuerunt, quam ipse in adventu Solariorum recuperavit, quia ipse, & ejus prædecessores ab antiquo Communi Astensi, & usque in hodiernum diem fideles permanserunt.

CAP. XXXII.

De illis de Castello.

Anno primo Regni illorum de Castello cuncta prospera fuerunt illis, salvo quòd Ursinus Guttuarius in obsidione Cavallerii lancea perforatus ibi mortuus fuit. Philippus Scarampus Legista, eorum severissimus, unus ex XII. obiit Ast, quem Prædicatores cum magno agmine Marchionum in ejus monumento posuerunt. Credendum est, quòd terribilis est locus ejus, qui cum sociis Epistolam hìc scriptam incipiens: *Aperiant aures Surdi*, ab Inferis destinavit ibi, timens ne ejus pœna quotidie augeretur. Majus quidem privilegium Philippus habuit, quàm habuit ille dives, de quo scribitur in Luca, petens Abraham, ut fratribus suis Lazarum mitteret in hunc Mundum: quod illi fuit negatum. Prædicti verò de Castello, paventes Marchiones, & multos Solarios, equites & pedites ad bursam vicinorum suorum tenebant, quorum caput & dux erat Comes Quardus, qui pro eis & cum eis cum manu forti in adventu Solariorum pugnabat. Multa mala egerunt Solarii vicinis propinquioribus, & eorum attinentibus, & aliis majoribus, qui de Hospitio nominantur, ante exitum prædictorum Solariorum, ex quibus prædicti de Hospitio excitaverunt illos de Castello ad mala opera facienda. Sciant pro certo illi de Castello, quòd peccatum Solariorum usque nunc purgatum non est, eo quòd terram Communis Astensis Marchionibus tradiderunt, & in contemtum Populum undique dispserserunt. Guilielmus Turchus, & Manfrinus, cui dicitur Rubeus de Isnardis, cum militibus Astensibus circa centum die tertio exeunte Aprili (63) versùs Villam Murræ Albensis Civitatis, intraverunt dictam Villam. Qui

(63) Introeunte vel exeunte mense, phrasis est apud priscos cum Historicos, tum Notarios, usu haud infrequenti recepta. Quæ hìc ergo dies dicitur tertia exeunte Aprilis, hujus Mensis est vigesima octava; quæ dies facto ab ultima idest 30. mensis initio, dimidium versùs regrediendo, tertia equidem est. Hoc enim modo, veteribus Actis adscriptos dies notat, & explicat Muratorius antiqua in Historia scientissimus Par. 1. cap. 6. pag. 36. Antiqui-

A Qui sinè mora expulsi sunt de illa. Inde perfectum est opus illorum de Castello finito anno. Credendum est verè, quòd Deo non placuit, quòd illi de Castello Regnum Astense per annum completum possidere deberent, quia in Astensibus legibus scriptum est: *Si quis aliquas possessiones per annum & diem unum possederit, ab aliquo prædictus possidens molestari non possit*. Perfectum est opus illorum de Castello usque huc.

CAP. XXXIII.

Reversio Solariorum in Ast.

Recordatus est Dominus servorum suorum, non pro ingratis Solariis, sed pro his, qui B injustè dispersi fuerunt, ut eos congregaret in unum. Venit dies opportunus, in quo necesse erat, ut scelus perniciosum purgaretur, quod provisum fuerat anathemo perjurio. Die II. Madii Guilielmus de Castello Vicarius Principis Achajæ, congregata multitudine gentium dicti Principis, militum & peditum, post Nonam prædicti diei fuit in Villa Moncalerii. Ipsa verò die Solarii, & qui cum eis erant Albæ eques, quorum quasi Dux fuit Albertinus de Spectinis Placentinus, qui tunc erat Albensium Potestas, & qui erant in Cherio eques & pedes, cum prædicto Guilielmo fuerunt. Et eodem die omnes prædicti veloci itinere venientes C versùs Ast, illa nocte iverunt ad Villam nostram quæ dicitur Villa-Nova. Mane autem facto prædicti omnes surgentes, ad Astensem Civitatem venerunt, & introëuntes burgum Apostolorum, sinè contradictione alicujus usque ad Pontem Apostolorum venerunt. Populus autem hæc audiens gaudebat, & clamabat dicens: *Moriantur perfidi de Castello, & Solarii per multos dies vivant*. Hæc autem audientes illi de Castello exterriti sunt valde & invenientes aliquos armatos de Populo, non confidentes in eis præceperunt, ut arma deponerent. Ipsi verò de Castello ascendentes equos, & sequens eos Comes Isnardus cum Soldariis prædictorum, veloci cursu contra Solarios euntes, ad Portam Ar- D cus prædictos invenerunt. Qui de Solario terga vertentes, persequuti sunt usque ad Monasterium Sanctæ Annæ ab eisdem. Prædicti verò de Solario conversa facie versùs illos, habito favore Populi Civitatis, irruerunt in eos usque ad Portam Arcus, ex equis plures eorum deponentes, & eis vulnera plurima inferentes, ex quibus Facinus Ottinus mortuus fuit sinè mora. Dum appropinquarent Portam Arcus, invenerunt eam igne succensam, & introëuntes Civitatem iverunt usque ad Plateam illorum de Castello, qui ibi erant congregati. Solarii verò, & eorum sequaces, irruentes in eos, affixerunt prædictos. Quidam verò ex illis credentes salvi esse, fugerunt in Castellum, quod valde vallo E & fossato fortificaverant; & ibi requiem non invenientes, omnes fugerunt; reliqui verò per Portas Civitatis exeuntes, versùs Montemferratum iverunt; nullus verò sequutus est eos. Manuelus Spinola Potestas, habens in Ast uxorem, & nurum, relictis illis, fugit in Moncalvum; & domus ejus fuit in præsenti die bonis omnibus derobata. Et hæc facta fuerunt die prima Dominica Madii. In qua die Dominica Solarii expulsi fuerant de Civitate Astensi, expulsi enim fuerant Solarii de Ast die Dominica V. Madii Anno MCCCIII. & per unum annum, foris steterunt; & reversi sunt Ast illa die Dominica IV. Madii sequentis. Et cum eis venerunt viri quasi numero quingenti, pedites & equites plusquam ducenti; & nihil eis profecissent prædicti, si Astensis Populus Solariis nocere voluisset. Qui Populus capto muro, & igne posito in Januis Civitatis, illos de Solario ad manus tenentes introduxerunt intus. Viri de Ast juvenes, & senes, virgines, & viduæ, pleno gremio lapidum, post illos de Castello currebant, cupientes prædictos tamquam canes rabidos lapidare: ex quibus ingrati Solarii jam dicto Populo reum præmium reddiderunt.

CAP. XXXIV.

De his, qui sequuti sunt illos de Castello.

Sequuti sunt illos de Castello major pars magnorum de Hospitio, qui dederant prædictis iniqua consilia, nomina quorum inferiùs describentur: Georgius Voglietus cum omnibus de Voglietis, Salvagninus Testa cum majori parte Berrandorum, Johannes Scarampus, Bertinus de Sancto Johanne cum omni progenie sua, Jacobus, & Vivaldus Palius cum majori parte suorum, Fulcus Asinarius, & plures de Asinariis, cum eo omnes illi de Catena, major pars Gardinorum, & Bergognonum, Garetorum, & Cacheranorum tam de Airatio, quàm de Rocha, Conrainus Beccarius, & frater, Guilielmus Alferius, & major pars Alferiorum, omnes Bunei præter unum, Andreas Layolus cum pluribus de Layolis, Henricus Pelleta cum pluribus de Pelleta, Franciscus de Solario. De Populo quidam ex majoribus (64) exierunt cum eis, inter quos erant Morandi, Gualetæ, de Janua, Brigiæ, de Penzo, & alii plures, quos nominare non possum, quorum numerus, computatis majoribus, plusquam quingentorum erat. Solarii verò, & sequentes eos, raptores, ipsa die ad domos illorum de Castello, & Guilielmi Turchi, ac etiam Voglietorum euntes, invenerunt ipsas multis bonis repletas; & ipsis exspoliatis, igne posito succensæ sunt omnes; & similia per multos dies in aliis pluribus locis operati fuerunt. Multi verò, qui vestigia illorum de Castello, & eorum opera faciebant, noluerunt exire cum eis; sed stantes ad sua Castella, eisdem secretè, pro ut scirent, auxilium præbebant. Quidam ex his in Septimis morabantur, ad Rocham, ad Malianum, in Cisterna, Ferreriis, Monali, & in pluribus locis, & maximè in Collegio. Leo filius Manfredi Deati cum equis vicinis sequutus est prædictos de Castello, & per annum cum eis stetit, consumavit magnam pecuniæ quantitatem. Mutatum est pronomen illorum de Castello, & vocati sunt Forenses; Solarii verò *Tenentes* nominantur.

CAP.

quitatum Estensium. Qui hac de re fieri doctior amaverit, optimum Antiquitatis Magistrum consulat Ducangium, qui in 2. Glossarii sui Tomo pag. 569. sub voce: *Mensis*, usum & significationem Introeuntis, Stantis, & Exeuntis, veterum ex fide Testium tradit.

(46) Vetus Roma suos Cives bifariam sectos habuit, Patritios & Plebejos. Italæ Civitates Romanam æmulantes libertatem, & dignitatem Milites habuerunt & Populum. Ut verò Romana in Plebe non infimæ solùm sortis Homines numerabantur, sed Capita Plebis erant, inter quæ & Patritios facta connubia Livius tradit, ita in aliarum Civitatum Populo dicebantur quidam esse ex Majoribus.

CAP. XXXV.

Albertonus de Spectinis Placentinus.

ALbertonus de Spectinis Placentinus factus est Potestas præsente Mense Madii inde ad Kalendas Januarii; cujus consilio ad postulationem Alberti Scoti tunc Placentiæ Capitanei, Astenses milites circa centum in obsequio Placentinorum iverunt. Hæc autem audientes Mediolanenses, & Papienses, Marchio Montisferrati, & Forenses, qui erant castrametati super posse Placentinorum ad Burgum Sancti Johannis, & cum eis erant qui erant de liga Longobardorum, ipsa nocte reversi sunt ad domum suam. Milites quidem Astenses steterunt per dies X. in Placentinorum obsequiis, & post incolumes, & sani cum gaudio reversi sunt ad Civitatem Astensem. Tempore verò messium milites Astenses circa 40. mense Junii in obsequium de Clarascho euntes, & ibi stantes in campum Claraschi, supervênit Johannes de Solariis cum ejus sociis. Hæc autem audientes milites nostri, conversi sunt in fugam, & ex eis capti fuerunt Nicolaus Magnanus, Blasius de Troja, Francisconus Becconus, qui omnes in carceribus Fossani carcerati fuerunt. Sequenti mense quidam ex Forensibus Castri Ceberi, dictum Castrum ceperunt nocte: quo audito, Marchio circa eum vênit in obsidionem, donec ipsum recuperavit. Marchio Montisferrati Forenses nostros receptavit, & penes se eos tamquam caros habebat, qui continuè postulabant ab eo, ut eos juxta Burgos Civitatis Astensis duceret, sinè mora credentes prædictam Civitatem intrare.

CAP. XXXVI.

Pars illorum de Castello vênit prope portas Ast.

DIe verò prima Septembris anno primo reversionis Solariorum Marchio Montisferrati, Comes Philippus de Langusco cum Papiensibus militibus, & Vercellenses, & Novarienses, & Forenses nostri cum illorum Soldariis omnes equites, qui à nobis æstimabantur esse circa DCCC. & circa MMM. peditum, qui omnes juxta Burgum in rivo Vallis Juvenalis venerunt, & ibi stantes à Tertia usque ad Vesperas nihil facere potuerunt, sed reversi sunt dolentes. Sequenti mense milites Astenses cum aliquibus balestrariis iverunt ad Ecclesiam Sancti Michaëlis, quæ est juxta Moncalvum, & invenientes ibi circa XX. viros, ceperunt eos, & carceratos eos duxerunt Ast. Eodem Anno mense Decembris Philippus Princeps Achajæ veniens de Regno suo de Moreis (65), quasi peregrinus
A cum solis duobus sociis appulit Civitatem Astensem, quem Astenses susceperunt gaudentes, & eidem obviam iverunt usque ad Pontem, qui est Guliermi. Adventus ejus utilis nobis fuit, quia Forenses nostri in exitu suo multa Castra possidebant, quorum nomina sunt hæc: Summa-Ripa de Boscho, Sinfredum, Summa-Ripa de Perno, Montixellus, Cassinascum, Canale, Curtexellæ, Masium, Quatordas, Rivus Francorum, Frincus, Muascha, Vinchium Marchionis. Ita posse nostrum tenebant Forenses nostri; & ideo pro meliori fecimus & elegimus dictum Philippum Principem Achajæ Capitaneū nostrum, inde ad annos tres proximos subsequentes, dantes omni anno libras XXVII. millia
B Astenses, pro quibus in Astensi Civitate milites centum cum eo tenere debebat. Finito regimine Albertini Spectini, Guilielmus de Mombello factus est Potestas Astensis à Kalendis Januarii, inde ad menses VI. proximè venturos, dando ei pro suo salario libras MMM. Astenses. Eodem mense Januarii Jenixinus de Rocha, & Frater ejus Manfredus expulerunt Boninum, & Opecinum ejus filium extra Castrum de Rocha, qui venientes Ast, excitaverunt Potestatem, Capitaneum, & Sapientes, ut irent ad Rocham. Ipsa verò die Communis Astensis, & Princeps cum ipso obsederunt dictum Castrum, qui Princeps illuc venire fecit ex suis gentibus plusquam septem millia peditum; & steterunt ibi per dies
C XX. cum manganis, & trabuchis, donec id cepimus, & illud usque ad fundum diruimus. Inde stantes mense prædicto Januarii, Johannes Marchio Montisferrati obiit in Clavaxio, & sepultus fuit in Locedio. Magister Manuel Vercellensis Medicus dicti Marchionis injustè calumniatus fuit; & sepulto Marchione ministri ejus dictum Medicum pluribus gladiis occiderunt, cujus carnem, pro ut dicitur, plures comederunt. Marchio Salutiarum possedit Clavaxium, Moncalvum, Vignale; & totam terram Montisferrati posse suo occupaverat injustè (66), ex quo divisio facta est inter eos. Guido de Coconato, & ejus sequaces sequuti sunt Marchionem prædictum de Salutiis; Facinus de Tilio,
D & sequaces partis Montisferrati, Guelfi, cum omnibus viribus suis resistebant Marchioni Salutiarum prædicto. Quadam verò die prædictus Marchio nocte intravit Cuniolum. Anselminus de Tilio, & ejus filius Monachus de Grassano intraverunt Turrim, & ambo mortui fuerunt de duobus quarelis. Marchio Montisferrati in ultima voluntate sua codicillum fecerat, constituendo heredem unum ex filiis Andronici Imperatoris Græcorum, cui Marchionem Salutiarum substituerat. Habito consilio à majoribus Montisferrati, miserunt rogantes dictum Andronicum, ut unum ex filiis suis in Montemferratum mitteret sinè mora, ad capiendam hereditatem, quam Johannes ejus patruus dimisit. Euntibus autem
E

(65) Hujus Scriptoris ævo Moream fuisse Regnum ne aliquis credat, satis erit illi proximo 38. capite invenire ab hoc eodem Scriptore decoratum Regni nomine Marchionatum Montisferrati. Dominus du Cange in præfatione ad suum Glossarium latinitatis num. 17. pag. 19. Moreæ Principatum memorat Authori nixus ejusdem ætatis, hoc est circa Annum 1300. Philippus de Sabaudia semper hac in Historia dicitur Achajæ Princeps, neque umquam Rex Moreæ, ut Provinciæ istius tamquam Regni possessor appellari re vera debuisset. Ob amplitudinem Regionis, vel ob potestatem dominantis amplissimam, grande istud usurpatum ab Authore nomen crediderim. Cap. 15. idem Philippus uxorio jure factus Achajæ, seu Moreæ Princeps traditur, & cap. 42. Principatu Achajæ sive de Moreis spoliatus legitur.

(66) Si penitus res ita se haberet, ut cap. 15. nota 26. memoriæ proditum est, Marchio Salutiarum per lineam Masculinam ab Aleramo etiam ipse natus, haud iniquus Montisferrati occupator, sed debitæ sibi hæreditatis vindex fuisset æquissimus. Sed in egregio Montisferrati Chronico Benvenutus Sangiorgius Casalensis Senatus Præses, hujus asserendæ rei testem cùm minimè invenerit antiquum, modernis licèt multis, levi suo, vel alieno pari arbitrio rem tantam asserentibus ipse subscribere neque dignum, neque tutum duxit.

autem illis, Marchio Salutiarum literas amicas post eos misit, monentes Andronicum, ut aliquem filiorum suorum in Monteferrato mittere non deberet, quia uxor prædicti Johannis defuncti prægnans erat pro certo. Jacobus de Sancto Stephano, & qui cum eo erant, cogitatâ malitiâ Marchionis prædicti, steterunt cum Andronico, & nuntios miserunt in Montemferratum, & omnia falsa inventa fuerunt: quo audito Andronicus misit Theodorum penultimum natum suum in Monteferrato. Adventum ejus, & opera inferiùs per ordinem, pro ut meliùs potero declarabo.

CAP. XXXVII.

Guilielmus de Mombello Potestas Ast.

Guilielmus de Mombello Potestas Astensis cum militibus, & Populo Civitatis Astensis mense Februarii nocte intraverunt Villam Cosambraudi; & volentibus illis per vim illam capere, Henricus Pelleta, & qui cum eo erant, prædictum Castrum reddiderunt. Tunc Astenses extraxerunt eorum mobilia, & prædictus Henricus inde recedens ad Castrum Montilii ea deportavit; Castrum verò usque ad fundum diruerunt. Astenses prædicti eodem die euntes ad Corsionum, ex pacto Villam ceperunt, & Castrum per vim capientes, prostraverunt ad terram; & ibi Forenses nostri multa bona perdiderunt, ex quibus Astenses multi ditati sunt valde. Mense sequenti Astenses Castra Agliani, & Monalis usque in fundum diruerunt. Finito ejus Regimine, Astenses ex Civitate Ravennæ elegerunt Potestatem: quod non placuit Principi, semper speranti dominium (67) Civitatis. Et interim quatuor Consules facti sunt per mensem unum. Finito mense alii IV. facti sunt Consules. Princeps verò volens ire in offensionibus Marchionis Salutiarum, duxit secum medietatem militum Astensium, qui multa mala fecerunt prædicto Marchioni, & maximè illis de Carmagnola, ex quibus ceperunt plusquam XXV. Guilielmus Rasparellus unus ex quatuor Consulibus erat cum illis, & me Guilielmum in Ast dimisit loco sui. Quadam verò die Consules ordinaverunt circa campanas ire in guastis Casurci. Eadem quasi hora exploratores nostri firmiter asserebant, quòd Marchio Salutiarum venerat in Moncalvum. Mane verò facto milites, qui remanserunt in Ast, qui erant circa LX. & Populus Civitatis Astensis cum aliquibus de Villis nostris, euntes Casurcium, & stantes in guastum combusserunt eorum fœnum, & paleas usque ad portas. Marchio Salutiarum cum Forensibus nostris cum majori quantitate militum in duplum quàm nostri, & plures pedites cum eo voluerunt irruere super nos. Milites quidem Astenses, & Populus, dirigentes Vexillum contra ipsos, cupiebant prœliari cum ipsis; sed Marchio exterritus, & confusione repletus, tristis reversus est in Moncalvum. Astenses autem Ast reversi sunt gaudentes, ex quo qui remanserunt Ast, repleti sunt gaudio magno valde.

CAP. XXXVIII.

Manuelus Isimbardus Potestas Ast.

Manuelus Isimbardus Papiensis factus est Potestas Astensis per VI. menses, & confirmatus fuit per annum unum; cujus consilio Astenses societatem & juramentum fecerunt cum parte Facini de Tilio, & Grafagna totius Montisferrati, qui nobis promiserunt juvare nos ad recuperandam totam terram, quam Forenses nostri dederunt Marchioni, si filius Imperatoris Græcorum non venisset ad possidendum Montisferrati Regnum (68). Nos autem promisimus contra omnes, qui nocere videntur eis, & maximè contra Marchionem Salutiarum, qui cupiebat exhereditare prædictos. Astenses verò die secunda Novembris ad postulationem Grafagnæ partis in militibus CC. & plus duobus millibus peditum iverunt ad Montem-Magnum, & stantes ibi per dies VIII. nihil facere potuimus; nam exire de viis non poteramus, quia die ac nocte de cœlo pluviæ non cessabant. Populum quidem Potestas tenere non poterat. Media autem nocte in Vigilia Sancti Martini, quidam ex maioribus de Tilio ad Potestatem venerunt, & deficiente Capitaneo, ego Guilielmus indignus loco Capitanei Populi solus eram. Qui prædicti de Tilio offerebant nobis reædificare Castrum. Contra Marchio Salutiarum, & Forenses nostri cum exfortio suo erant in Moncalvo. Mane verò facto Astenses iverunt ad requisitionem prædictorum ad Villam Pontesturæ, qui audientes turbati sunt valde, dicentes Jacobo de Gabiano, & Ruffino de Ozano, qui erant nobiscum circa XX. equites, portantes Vexillum unum signatum Montisferrati signis; quòd non erant ligii Domus Montisferrati; & prò posse conabantur, ut foris permanerent. Ex pacto verò intravimus Villam, promittentes eis, quòd eis in aliquo non noceretur. Audiens hæc Populus Astensis, repletus est furore, non invenientes comedere nisi rapas; & multa improperia mihi Guilielmo dicebant, dicentes quòd meum officium magis erat vendere piper (69), quàm Populum Astensem fame mori facere. Et multa alia blasphemantes dicebant. Per totam noctem milites & Populus steterunt armati, & nix eadem nocte de cœlo cadebat. Marchio Salutiarum, & Forenses nostri insidiantes nobis, venerunt ad Vignale dicentes: *Modò sunt Astenses in loco, ubi affectamus eos invenire*. Astenses autem reversi sunt Ast gaudentes. Marchio Salutiarum, & Forenses nostri dum prope Villam Vignalis venirent, hæc videntes, contristati sunt valde. Post hæc verò pars Grafagna

(67) In antecedenti capite hic Philippus Achajæ Princeps, Astensis Populi Capitaneus memoratur electus. Hoc alio in capite is illi animus in accepto Magistratu fuisse cognoscitur, ut fœnerando servitium lucraretur imperium. Hac data porta exteri non modò Principes liberas in Urbes, sed Cives ipsi liberas in Patrias servitutem haud raró intulerunt. Ut ab innumeris abstineam testibus, unus sufficiat Platina in vita Clementis Papæ V. Scaligeros, Bonacossas, Carrarios, Veronæ, Mantuæ, Patavii Dominos ex Capitaneis factos apertissimè scribens.

(68) Montisferrati Regio à sæculo X. in Alerami Familia, & Gente Palæologa Marchionatus dignitate perpetuò fulsit, usque ad Gonzagas Mantuæ Duces a Carolo V. Imperatore, & Montisferrati à Maximiliano II. factos. Regnum ergo non fuit umquam; cur ita dictum videatur supra in notis Capite 34. Ex Cæsarea Josephi I. concessione Ducem suum nunc habere Sardiniæ Regem Victorem Amedeum I. Sabaudiæ Ducem lætari meritò potest.

(69) Ejusdem Scriptoris conditio, ac fortuna mihi nunc primùm patet, ut qui piperariæ mercaturæ operam vel actu daret, vel ipse ante, aut sui dederint. Hæc de se ipso dicens mirè ingenuus habendus, totaque hac sua in historia magni absque dubio faciendus est.

fagna ex his fuit exaltata, & cum voce dicebat: *Si Astenses pro nobis prædicta non fecissent, Marchio Salutiarum nos bonis omnibus spoliasset.*

CAP. XXXIX.

Raynaldus de Læto vênit in Lombardiam.

CArolus Siciliæ Rex Anno MCCCV. Mense Martii, antequam fuissent plura, quæ scripta sunt ante, misit in Lombardiam Raynaldum de Læto Apuliensem ejus Senescalcum in locis Pedemontium cum militibus circa centum, & ducentis balestrariis, qui omnes appulerunt Albam; & Albenses, & illi de Clarasco, & Saviliano, & de Monte-Vico suscipientes eos cum gaudio, eidem Senescalco de novo fidelitatem fecerunt (70) nomine dicti Regis. Astenses eidem Senescalco plures Ambasciatores miserunt, & quicquid petierunt ab eo, benignè concessit; & in obsequium Astensium vênit in guastis Tongi, ac etiam Moncalvi, in cujus campis Leo Voglietus captus fuit, & ductus Ast, ubi stetit per multa tempora carceratus. Astenses verò ad postulationem Senescalchi cum eodem Senescalco, & ejus exfortio fuerunt in guastis Novelli, & ipsa nocte dormierunt in Clarasco. Media autem nocte surrexerunt omnes, & iverunt versùs Cuneum, credentes ipsum ex pacto ordinato habere. Pluvia magna supervênit illa nocte, & errantes in via nihil facere potuerunt. Quam ob causam multi, qui hoc tractaverunt, timentes ex Cuneo exierunt. Sequenti Mense Septembris misit pro Pedemonte prædictus Rex milites CCC. & pedites plusquam mille, qui cùm timerent transire, Astenses milites cum militibus Principis euntes obviam eis steterunt, ibi per dies XX. Ibi autem transeuntes multa mala Marchioni Salutiarum fecerunt. Qui in minori spatio Mensium trium Cuneum, & Valles, & eorum districtus habuerunt, & aliam terram totam, quam Marchio Salutiarum occupaverat olim Carolo Siciliæ magno Regi & terram patrimonii sui. Factus est & ejus Servus: ex quo Astenses turbati sunt ultra modum, ignorantes prædicta, & nihil de prædictis scientes à Siniscalcho prædicto. Milites quidem ultimi, quos Rex miserat, reversi sunt in Provinciam. Raynaldus de Læto conventionem, & juramentum fecit cum Astensibus (71) in hunc modum: quòd tenebatur posse suo offendere Forensibus, & inimicis de Ast, tunc & per tempora existentibus, & eos in terra Regis stare non permitteret. Astenses illud idem fecerunt. Transeunte verò Anno, vel circa, Marchio Salutiarum Villam Fossani eidem Raynaldo dedit; quo audito Astenses turbati sunt ultra modum de dicto Senescalcho, talia non sperantes in æternum. Prædictus Raynaldus Ast vênit; & quidam de Populo furiosè venerunt ad hospitium, ubi erat dictus Raynaldus, & clamantes, & volentes irruere in eum, dicentes: *Hic est, qui nostram Villam Fossani occupat violenter. Et factus est amicus illius Marchionis, quem oculi nostri videre non possunt.* Quidam verò Sapientes volentes hoc vitare, blandis verbis illos ab eodem hospitio abire fecerunt. Crastina verò die prædictus Raynaldus reversus est Albam: perfectum est opus ejus; & reversus est ad Regem in Provinciam.

CAP. XL.

Montilii Villa capta fuit.

ASstenses tempore Guilielmi de Mombello euntes nocte ceperunt Villam Montilii furtivè. Mane verò facto Astenses equites & pedites cum Principe iverunt illuc, & ibi steterunt, credentes habere Castrum Montilii. Princeps ibidem nullo modo stare volebat; sed coëgerunt eum blandis verbis; & stetit ibi per dies tres, & Astenses cum eo. Viri quidem de Montilio, & mulieres exierunt de dicta Villa, & extraxerunt omnia, quæ ibi habebant. Astenses succenserunt totam Villam Montilii. Non post multos dies prædicti Astenses ceperunt, & tenuerunt Villam Corcavagni, & Villam & Castrum Murusenghi.

CAP. XLI.

De Musteola.

TEmpore Manueli Isimbardi Potestatis, & Raymondini de Terzago Mediolanensis, Capitanei Populi Astensis, & Princeps cum eis, Georgius de Ceva, & milites Cherienses castrametati fuerunt in Festo Sancti Johannis Baptistæ super montem Musteolæ, & construxerunt ibi Villam, & magnis fossatis, & fortibus lignis vallaverunt eam, & intus posuerunt homines & mulieres de Murusengho, & aliquos Forenses de Montilio, qui omnes in dicta Villa posuerunt omnia bona sua. Princeps verò, antequam perfecta esset dicta Villa, voluit inde recedere. Astenses autem cogentes eum blandis verbis tenuerunt eum per tres dies. Qui videntes, quòd nihil proficerent, rogaverunt eum, ut veniret Ast cum militibus suis; & ipsi cum Georgio de Ceva, & Cheriensibus ibi starent, donec perfecta esset dicta Villa, quæ nondum fortis erat. Qui eorum precibus acquiescere noluit, sed ibi dimisit Oddonum de Castroaynaldo Capitaneum Astensis Populi, & vênit Ast cum Astensibus contra voluntatem eorum, credentium firmiter, quòd prædicta Villa durare non posset. Crastina verò die Marchio Salutiarum cum Forensibus nostris, & cum exfortio suo venerunt circa dictam Villam nomine Musteolam. Tunc Capitanei, qui erant in dicta Villa, nuntios veloces miserunt Ast, ut eis succursum daremus. Potestas, & Sapientes Astenses Principem requisiverunt. Ipse verò cum eis ire noluit. Astenses equites & pedites iverunt, credentes, quòd Princeps eos sequeretur ad Villam Montis Clari. Crastina verò die in Festo Beati Quirici dicta Villa capta est, & destructa fuit; & ibi mortuus fuit ex uno quarello Oddonus de Castroaynaldo; Jacobus de Beccaria captus & carceratus fuit in Moncalvo; multi ex Forensibus nostris, &

(70) Pro temporis opportunitate qui minùs poterant, illius, qui plus poterat, jugum vel invitò, vel sponte accipiebant; secus verò potentiores jugum minùs potentis excutiebat. Ita Regis hujus, prout magis, minùsve aliquando poterat, acceptum excussumque à pluribus Populis jugum videatur Capitibus sexto, & decimo. Eapropter facta illi de novo fidelitas hoc in Capite dicitur.

(71) Cum hoc Siculi Regis Senescalco, tot in Italia Urbium subactore, Astenses fœdere juncti, quantum animorum & virium habuerint, luculenter ostendunt, & luculentiùs ostenderunt per ea Regem adversùs eumdem gesta, quæ Capite 31. traduntur.

& alii plures locupletati sunt ex spoliis, quæ ibi inventa fuerunt. Astenses ex his irati sunt valde, & præ dolore nuntiaverunt Principi, quòd si prædicta opprobria vindicare non vellet, ipsum diligere non possent. Qui blandis verbis, satis benignè respondit, quòd in brevi talem faceret ultionem, quòd Astenses contenti essent, & ex his quæ acciderent, læti essent. Tunc Princeps ejus præcepto omnes gentes suas eques & pedes, & viros Amedei Comitis Sabaudiæ, quos habebat circa montes, una dierum in Astensi Civitate voluit partes congregare, fingens Mustiolæ velle opprobrium vindicare. Mane autem facto vocare fecit ad se majores de Solario, & majores aliquot Populares, quibus ille ait: *Volo protinus, & sinè dilatione habere dominium (72) & possidere Astensem Civitatem, taliter quòd Amedeus prædictus pro medietate sit Dominus, & de alia medietate instituatis me Dominum in æternum*. Quo audito, renuntiaverunt hæc majoribus Civitatis, & Popularibus, qui sequebantur eos. Qui furore & ira repleti sunt; & quidam ex eis dicebant: *Eamus, & occidamus eum, qui nos desolatos ad Mustiolam reliquit, & efficiamus sicut Alexandrini*. Sciens autem hæc Princeps, timuit, & coram majoribus ait: *Erravi ex consilio mihi dato, & timui, ne Rex Carolus vester Dominus esset*. Et habito sacramento cujuslibet primogeniti Civitatis, quòd in aliquod jugum servitutis vel dominii inde ad Annos tres sequentes Astenses penitus non venirent, hoc acto Princeps illæsus remansit, & gentes suæ. Ab illa die Astenses parum de Principe confidebant; ipse verò eis occultè nocuit, prout credo.

CAP. XLII.

De adventu Marchionis Theodori Montisferrati.

ANno MCCCVI. Theodorus (73) filius Imperatoris Græcorum, existente Potestate Uberto de Petra Papiensi, & Gabrio de la Turre Capitaneo, appulit Januam, & cepit in uxorem filiam Opecini Spinolæ (74) dicti de Luculis, tunc Capitanei Januæ, nomine Argentinam. Et deinde vênit Casale, & cum eo vênit Comes Philippus de Langusco (75) Papiæ Comes, qui aliam filiam supradicti Spinulæ in Uxorem habebat. Marchio Salutiarum, & Forenses Astenses occupaverant majorem partem terræ Montisferrati, & eidem Theodoro prohibebant suo posse, ne in dictum Marchionatum intraret. Qui soldatis militibus pluribus, vênit circa Pontemsturam, & obsedit eam, stans ibi, donec Castrum & Villam habuit ad voluntatem suam. Deinde vênit Mombellum, & ipsum obtinuit sinè contradictione aliquorum. In Festo Sancti Michaëlis Anni præsentis Astenses, & Princeps Acha-

(72) Obligatis suo stipendio Principibus liberæ olim Civitatis Populus superbiebat, ignorans sua sibi pecunia servitutem comparare. Hoc sub Achajæ Principe periculum Astensis Populus agnovit, vitavitque; Cùm verò Vicecomites, ad subigendam Langobardiam natos, sibi Capitaneos incautus præfecerit, illis obsequi Dominis etiam invictus debuit. Semper postea subditus sub multorum potestate fluctuavit, modò Vicecomitibus Mediolani Dominis, modò Montisferrati Marchionibus obtemperans, donec in Principem obtinuit Ducem Aurelianensem, cui Valentinæ filiæ suæ marito dotis nomine usurpatam Urbem Astensem cessit Dux nondum Mediolani ab Imperatore constitutus Joannes Galeatius Vicecomes. Hujus deinde filius natu secundus Philippus Maria Mediolani Dux tertius eamdem iterum Civitatem occupavit. Sfortiis postea, & Galliarum Regibus, Mediolanensis Ducatus hæreditatem contra se invicem vindicantibus paruit, quoad à Carolo V. Imperatore (ut Adriani eo tempore viventis testatur historia, Venetiis edita Anno 1583., lib. 17., pag. 1198., ad Annum 1561.) Beatrici Lusitanicæ, uxoris suæ sorori, Ducis Sabaudiæ matri, pro se, filiis, & posteris sub Imperii clientela tradita est, quorum sub felici ditione ad hunc Annum 1727. per duo ferme sæcula quievit, quiescitque regnante Victorio Amadeo inter Sabaudiæ Duces Rege Sardiniæ primo.

(73) Ut Clarissimum Muratorium mea jam monuit Epistola super hunc aliosque duos rerum Astensium Scriptores, ita nunc mea hæc Nota monere Lectores debet, Benvenutum Sangiorgium ex hoc Capite 42. nec non ex aliis Capitibus 53. 55. & 58. excerptam omnem Theodori hujus in Montisferrati Marchia successoris memoriam Montisferratensi Chronicæ suæ insitam voluisse, rebus omnibus omissis, quas ad Principem illum minimè pertinentes intermedia Capita alia continent. Hunc Authorem nomine Guillielmum, cùm ille Rufinum nominet, diversos duos fuisse Historicos mihi suaserat, sed postquam ex facta textus utriusque collatione idem esse opus cognoverim, unum eumdemque sub diverso nomine Authorem mihi aliisque suadere posse ac debere percepi.

(74) Argentinam Marchionis Malespinæ filiam dixisse perperam agnoscuntur Campana & Zazzera de Familiis Montisferrati Principibus agentes, quorum secutus errorem Marchio Julius à Puteo Veronensis admiranda Magnæ Comitissæ Mathildis gesta describens, Narratione 15. pag. 388. Albicium inclitam illam mulierem Spinulis rectè adscribentem ipse corrigendus corrigit. Illustrem hanc cum Theodoro Palæologo, Græci Cæsaris filio, Montisferrati Marchione cognationem, Spinularum genti sartam tectam volunt Scriptores Liguriæ omnes. Veram istorum sententiam in tuto ponit Astensis iste coævus Argentinæ Scriptor. Videat etiam qui velit, Fliscorum arborem genealogicam, quam Federicus de Federicis Senator Januensis illius Gentis historiæ præposuit.

(75) Capite 44. dicitur *Comes Philippus Papiensis*, idest qui Comitatum Capite 77. expressum *Langusci* & *Lumelli* habebat in Agro Papiensi, genus fortasse ducens ab antiquis Papiæ Comitibus, dum quævis Italiæ Civitas suo gubernari à Comite solebat, ferebatque; sed degustata libertate uni fidelis Cæsari, Comites vel penitus deleverat, vel quibusdam in pagis repressos, nullam sua intra mœnia auctoritatem exercere permittebat. Verùm & ipsi Comites Urbium sibi subigendarum occasionem commodè semper arripuerunt, ut iste Languscus arripuit, subacta sibi Papia. De antiquo suo ab hac eadem Urbe oppresso Comite, istius fortasse Langusci Progenitore, factam ab Othone Frisingensi Episcopo Capite 19. narrationem hoc repetere loco deberem; sed sexto Collectionis hujus Tomo ipsum adire Authorem volens quisque cùm possit, omittendam illam duxi. Recentiorem itaque aliam propono legendam de Comitibus Guidis historiam, ab utroque Scipione Admiratis, ex fide tabularum egregiè scriptam, & Florentiæ Anno 1640. typis editam, ut quanta olim auctoritate in Tuscia Palatini Comites illi valuerint, uno statim videatur intuitu, ut deinde à Tusciæ Urbibus detrectata, eorum concidi potestas cœperit; ut denique quam paucis in Castris se continere debuerint; ut Florentinos Protectores colere, & pati postea Dominos adacti fuerint; donec ab iisdem deplumati Tusco è solo miserrimi omnes evaserint. Unus hac tanta ex arbore ramus Mantuæ superest, Marchionum de Balneo dictus, ut amissi satis ampli Principatus memoriam, retento præcipui unius Castri nomine, custodiret. Videatur etiam liber, cui titulum Author Imhoff fecit: *Genealogiæ 20. Illustrium in Italia Familiarum*, quarum in classe secunda secundum Guidia Gens occupat locum pag. 139.

Achajæ cum eis, fuerunt ad colloquium cum dicto Theodoro ad pontem Ruptæ, qui est prope Grassanum. Quo viso, Princeps osculo Judaico, & amplexatus ejus brachiis, osculatus est eum; & ibi verba bona & utilia pro ipso, & Astensibus, loquuti fuerunt. Et volentes Astenses dicto Theodoro auxiliari ad recuperandum terram Marchiæ Montisferrati, dictus Theodorus Astensibus illud idem promisit juvare contra Marchionem Salutiarum, & Forenses Astenses. Princeps præsens ibi dixit: *Ibimus Ast; & habito consilio prædicta adimplebimus, Deo dante.* Ipsa verò die Astenses, & Princeps cum eis, Ast reversi sunt gaudentes. Crastina verò die Potestas, & Sapientes de Ast affectantes adimplere prædicta, quæ in dicto colloquio tractata fuerant, dixerunt Principi, quòd ei placeret, ut nos cum eo societatem & ligam de novo, prout tractatum fuerat cum dicto Theodoro, faceremus. Quibus Princeps scivisse respondit, quòd Pater dicti Theodori, & filii ejus inimici sunt perfidi, & nolle ejus societatem & ligam. *Et vobis Astensibus dico, & præcipio, in quantum tenemini mihi sacramento Societatis nostræ, quòd cum dicto Theodoro nullo modo Societatem nec ligam faciatis*. Quo audito, irati sunt vehementer, & omnes, qui viderant, dicebant: *Unde hoc? quia prædictos in colloquio Pontis Ruptæ vidimus se se amplexis brachiis pariter osculari*. Multis blandis verbis alloquuti sunt prædicti Astenses Principem, ut eis permitteret adimplere prædicta, quibus acquiescere noluit. Prædicti verò Astenses abeuntes inierunt & firmaverunt, prout ordinatum fuerat, Societatem & ligam prædictam. Theodorus prænominatus Montisferrati Marchio obsedit Moncalvum, construens ibi mangana plura. Milites Astenses, & aliqui pedites ibi erant ex Astensi Populo. Federicus de Salutiis & Forenses de Ast, intus Moncalvum erant.

Rex Carolus, antequam ista fierent, & nondum dictus Carolus venerat citra mare, miserat Ast Ægidium Generalem Procuratorem suum ad instituendum de novo firmam societatem, & amicitiam veram, causâ recuperandi terram, quam Marchio Salutiarum olim occupaverat Carolo Magno Regi, cupiens prædictum Marchionem ex ejus patrimonio exheredare, si posset. Nondum dictus Rex habuerat Cuneum, nec Valles, nec prædictum subjugaverat Marchionem. Astenses audientes hæc, gavisi sunt gaudio magno valde, & intrantes cum Ægidio domum Principis, prædictus Ægidius tamquam prudens ex parte Regiæ Majestatis, ex parte filiorum suorum, non tamquam fidelem (76), sed tamquam filium, & fratrem Principem salutavit, promittens & expresso pacto, tamquam procurator prædictorum, si ei placeret juvare ad rehabendum terram supranominatam, residuum, quod ultra illam acquireretur, sic divideretur. Videlicet tertia pars esset Astensium, & alia tertia pars Regis, & alia tertia pars Principis. Et plus eidem, si petere vellet, Bargè, & Revellum, dummodo juvaret etiam eum ad acquirendum Clarascum, & circumstantes Villas ibidem; & alia plura, quibus ego Guilielmus interfui, & vidi, & audivi. Princeps, habito ejus falso consilio, omnia recusavit; & audivi ab ejus secretis, quòd plus placebat Principi habere vicinum Marchionem Salutiarum, quàm Regem Carolum, qui nimis fortis erat. Ægidius verò habita responsione à dicto Principe, iratus est valde, & coram aliquibus Astensibus, ponens manum super caput ejus abrasum, jurando dixit, quòd Rex Carolus pro his Achajæ Principatum occuparet in brevi. Eodem die Ægidius in Provinciam ad Regem perrexit, & ei prædicta, quæ gesta fuerant, per ordinem narravit; & insuper quòd Princeps expresso sacramento coëgerat Astenses, ut prædictum Regem in ejus Dominum non eligerent in æternum. Audiens hæc Rex iratus est, & mittens Filium suum nomine Duca, qui Principatum Achayæ, sive de Moreis, occupavit, ex quo Philippus de Sabaudia prænominabatur Princeps. Qui uxorem, & plures alios Sapientes eidem Regi misit, qui tamen nihil facere potuerunt; sed usque in hodiernum diem prædictus Rex Principatum prædictum occupat violenter.

Videns autem Princeps, quòd nihil proficeret, de novo cum Raynaldo de Læto, qui nondum fuerat in Provincia, pactum secretum fecit, quod noluerunt, ut scirent Astenses; sed ejus falsum fuit dictum, prout inferiùs narrabo. Eadem hora Raynaldus de Læto, & Princeps prædictus, stante Marchione Montisferrati in obsidione Moncalvi, prout dictum est supra, congregata multitudine virorum bellantium, & multitudine curruum victualia eis portantium, quamvis quasi vacui fuissent, sperantes ex bonis Astensium onerare. Marchio Salutiarum dono fraudolento Moncalvum, & Vignale Regi dederat, quorum Castra viris Provincialibus munita erant; & ideo prædicti Senescalchus, & Princeps euntes illuc, dicebant, quòd volebant expellere de terra Regis Marchionem prædictum. Quo audito, Marchio, & Astenses, qui erant cum eo, timuerunt; & eadem hora surgentes irati ab obsidione Moncalvi, unusquisque reversi sunt in domum suam. Sequenti die Raynaldus de Læto, & Princeps, & cum eis circa XV. millia peditum, & milites quingenti venerunt in campis Tongi. Forenses Astenses eisdem cibaria, & optima vina quotidie ministrabant, & eis dona pulcherrima, scyphos argenteos, & loricas pulchras ibidem obtulerunt. Princeps verò, & Senescalchus miserunt Ast Jaco-

(76) Fidelem, idest Vassallum, cùm hæc vocabula sint synonima. Hac de re moneri Lectores indignabuntur, sed patienter ferent moniti, negatum id fuisse in libro recenter edito, inscriptoque: *Memoire de l'independance de Florence*, pag. 24. Voce ista *Fidelis* duplex esse potest usus, ut vim habeat vel substantivi, vel adjectivi. Si primo modo adhibeatur, Personam, nomine, vel munere Clientem sonat. Si modo secundo, idoneum à substantivo, cui adhæret exprese, vel adhærere intelligitur, sensum accipit, videlicet amicitiæ, societatis, aut alterius cujuscumque muneris. Clientelam significare hoc loco constat; nam ut prudens laudatur salutatio ab Ægidio facta Principi Achajæ, non tamquam Fideli, sed tamquam filio, & fratri. Cùm loco filii, & fratris Principem Ægidius nomine sui Regis habuerit, illum equidem intellexit habere loco filii fidelis, fidelisque fratris. Cùm verò non tamquam fidelem prudenter agens salutaverit, sub nomine fidelis sensum alium, omissione dignum debuit intelligere; sui nempe Regis *Feudatarium*, *Hominem*, *Vassallum*, quæ omnia vocabula cum fideli synonima esse Author est Sigonius de Regalibus differens lib. 7. de Reg. Italiæ, sub Anno 973. Cur id cum laude omiserit Ægidius, si aliquis scire desideret, hanc fortasse causam probabit. Achajæ Principem pro ditione aliqua hominium, sive fidelitatem Regi Siculo, & minimè Langobardo, facere alias coactum. Capite 39. Regi eidem submissæ plures in Pedemontio Urbes leguntur, quarum in Territorio Castra quædam Princeps fortè possidebat.

cobum Ogerium de Saviliano, ut placeret Astensibus, quod prædictus Senescalchus, & Princeps cum gentibus suis venirent in Civitatem Astensem ad reficiendum corpora sua, quæ ibi fame peribant. Astenses petitionem negaverunt, & munita Civitate ex amicis, miserunt prædictis, ut juxta Civitatem venire non audeant, & aliquis de Ast victualia eisdem portare non debeat, præsumentes ex ejus malitia, & quasi scientes, quòd intrare volebant Civitatem Astensem, ut haberent dominium Civitatis prædictæ, prout audivimus à secretis amicis, & evidenter apparuit ex ore Umberti Gambarelli Notarii dicentis in Ast, quòd Instrumenta fecerat manu sua, quibus Princeps, & Senescalchus sacramento Forensibus tenebantur, ipsos in Ast reducendo, dominium Ast reddere taliter, quòd unusquisque eorum pro medietate dominium haberet Civitatis prædictæ. Et omnibus his adhibenda est fides, quia Forenses de Ast in terra Principis, & ad ejus mensam per dies plures steterunt, & vixerunt. Princeps excusans se de his dicebat, quòd Astenses nolebant ei solvere pecuniam, quam debebant. Marchio Montisferrati, sequenti mense Octobris nocte intravit in quadam parte Moncalvi, quæ dicitur la Serra, sperans intrare in Villam Moncalvi; & ibi stans per tres dies, nihil facere potuit. Johannes de Beccaria ibi carceratus, qui captus fuerat Musteolæ, exivit de carceribus, & vênit Ast gaudens. Sequenti mense Decembris Marchio Montisferrati nocte, & furtivè, intravit Castellum Clavaxii, & ipsum, & Villam tenuit, & tenet ad suam voluntatem, & Sanctum Raferium, & alia Castra ibi circumstantia præter Gassinum, quem Princeps cum militibus Astensibus, & Cheriensibus cum manganis per vim ceperunt. Et illi de Castiliono ex timore sub pacto fideles facti sunt dicti Principis ante adventum dicti Marchionis. Et post ejus adventum Princeps, & Senescalchus obsederunt Leynicum cum manganis; & intus erat Squarza de Quaranta pro Castellano; & ibi stantibus mortuus fuit unus ex majoribus Provinciæ cum uno quarelo. In fine habuerunt Villam, & Castrum Leynici ad voluntatem eorum (77); & prædictum Leynicum usque nunc occupat violenter Princeps Marchioni prædicto: pro quibus prædicti Princeps, & Marchio cum aliis pluribus inter se se quotidie prœliantur.

CAP. XLIII.

Cavalerium captum fuit.

Astenses tempore Uberti de Petra mense Aprilis intraverunt Villam Cavalerii, & cum eis erant de militibus Montisferrati circa XXV. Princeps verò erat Ast, cui tractatus Cavalerii ignotus fuit. Astenses verò ex Cavalerio miserunt Astam Principi, ut ad eos iret, qui iratus ad eos ire noluit; & die crastina recedens de Ast cum Uxore sua, faciens inde portare omnia, quæ habebat in Ast, fuit in terram suam, & ampliùs non est reversus Ast. Ab illo die ipse conversatus est cum Forensibus de Ast, & occultè familiaris factus est eorum, dicens, quòd Astenses solvere nolunt ei illud, quod pro suo salario promiserunt; & alias multas querimonias faciebat de ipsis. Georgius de Ceva vênit ad Astenses in Cavalerio, & cum eis stetit per XX. dies, donec habuerunt dictum Castrum Cavalerii, quod munierunt ad voluntatem suam, & eum possederunt, prout solent.

CAP. XLIV.

Comes Philippus captus fuit.

Burgondanus de Sancto Nazario Papiensis Potestas Astensium factus est mense Julii Anno MCCCVII. & Paganus de Cernusco Mediolanensis factus est Capitaneus. Mense Augusti sequenti Marchio Montisferrati, & Comes Philippus Papiensis (78) cum eo, venerunt ad Villam de Luy, credentes habere ipsam ex pacto facto, si Marchio prædictus posset stare per dies XV. in loco ibi prope constituto in campis, & Rex Carolus, cujus fideles erant, dictum Marchionem expellere inde non posset. Tunc finitis diebus XV. prædicti de Luy Villam, & Castrum redderent Marchioni prædicto, & de novo fideles ejus fierent; Audiens hæc Raynaldus de Læto Regius Senescalchus, congregatis militibus, & Populis suis, & Princeps cum exfortio suo, & Georgius de Ceva cum eis, euntes castrametati sunt in campis juxta Villam Vignalis. Mane verò facto Philippus Comes, & qui cum eo erant, stultè & furiosè, positâ personâ Marchionis in securum, insultum fecerunt in exercitum prædictorum, qui fortiter prœliantes afflixerunt dictum Comitem Philippum, quem personaliter captum miserunt ad Regem Siciliæ, qui in diebus illis erat in Civitate Marsiliæ, & in quodam Castro Provinciæ per VI. menses, & plus ipsum tenuit carceratum, donec Opicinus Spinola, qui Regi Carolo promiserat servire in expeditione pro recuperatione Siciliæ cum X. galêis instructis, & cui Carolus jura super Montemferratum cesserat (79), de dictis carceribus ipsum extraxit, & usque Papiam salvum conduxit. Et hoc fuit ex pacto facto à dicto Opicino cum Rege prædicto, quia promiserat ei dare centum galêas ex viris Januensium ad acquirendum Regnum Siciliæ ad bursam dicti Regis & alia plura: pro quibus Rex dicto Opicino reddidit Castra & Villas Moncalvi, & Vignalis, quæ Rex occupaverat Mar-

(77) Ab hoc verbo *voluntatem eorum* usque ad Caput 53. in verbo *Robertus Siciliæ Rex &c.* intermedia omnia editus in Chronico Sangiorgii textus non habet.

(78) De hoc Philippo Comite, ejusque Comitatu satìs dictum est Capite 42. in notis. De illius posterirate, è Principatus fastigio privatam in nobilitatem delapsa, dictum pariter satis in Nota data Cap. 14. Cùm verò hìc captivus in bello factus, atque in libertatem ab Opicino Spinula assertus dicatur, sui Liberatoris Gener (ut Marchio erat Montisferrati) manifestetur oportet. Sorores enim duas Opicini filias sibi uterque copulavit, ut in principio Capitis 42. apertissimè traditur.

(79) Sui nihil Spinulæ Rex, & Regi Spinula dedit, multum quamvis uterque ab utroque acquisiverit. Id valde mirum, sed æquè verum videbitur jura (si hoc abuti nomine licet) perpendenti, quæ Spinulæ Rex, Regique Spinula cesserat. Ea equidem loco nihili ponenda erant in Rege, qui juxta videnda Capite 13. Ogerii Alferii, & Capitibus 6. 8. 9. & 37. Gulielmi hujus Venturæ, nihil in Monteferrato habuit, nisi vi contra Gibellinos usurpatum, sive deditione à Guelphis acceptum, nullo tutus jure, sed unius pendens ab arbitrio fortunæ. Spinula verò suæ tunc Patriæ arbiter, Patriæ suæ vires intento ad recuperandam Siciliam Regi pollicitus, quæ à Genero suo Theodoro Montisferrati Marchione, belli periculis, atque laboribus comparanda erant, eidem pacificè dare dotis nomine potuit, omnia ex inito cum Rege fœdere conquisita.

Marchioni, prout Marchio Salutiarum dono fraudulento concesserat prædicto Regi. Tunc Opicinus Spinola ex viris Januensibus munivit Castra Moncalvi, & Vignalis; & viri de dictis Villis facti sunt fideles dicti Opicini, & usque nunc prædicta possidet occasione dotis (80) ejus filiæ Argentinæ. Et illos de Prato restituit in Moncalvum cum familiis suis, & illud idem fecit Sechis de Vignali, qui omnes expulsi fuerant ex domibus suis sequentes Marchionem prædictum. Inde Carolus sibi obligare volens Philippum Principem Achajæ; & Manfredum Marchionem Salutiarum, pacem inter ipsos composuit, in qua ex parte Principis inclusi fuerunt Cherienses, & Comites Sancti Martini cum subditis eorum, & etiam Mutius Asinarius, Georgius Valerianus, Solarii, & alii Cives Astenses; pro parte verò Manfredi Marchionis comprehensi fuerunt in pace prædicta Petrus de Sancto Georgio, Comes de Blandrate cum fratribus & subditis suis, Henricus de Carreto, Marchio Savonæ, Johannes frater Manfredi, Gulielmus Isnardus cum hominibus Summæ-Ripæ, Sinfredi, & cum aliis Civibus, qui de sua factione erant.

CAP. XLV.

Afflicti sunt illi de Castello.

PRæsente Anno MCCCVII. Mense Aprilis Bergadanus Potestas, & Astenses milites venientes in guastis Fringi, cùm essent ad pontem superiorem de Versa, viderunt circa milites quinquaginta ex Forensibus nostris, qui venerant juxta Sanctum Nicolaum de Versa, & eos persequuti sunt usque juxta Rivum Francorum, & ex eis ceperunt X. & equos XII. Inter viros capti fuerunt Johannes Guttuarius, Gandulfus filius Gulielmi Vacchæ de Nono, Bastardus de Castronovo, Jacobus Testa, qui nunc ab aliis sunt fortiter exercitati. Sequenti Mense Junii Astenses, eques & pedes, & ducenti de Cherio pedites cum eis, fuerunt ad Masium, collectis jam messibus, & ibi steterunt. Tum factâ Nonâ, & dum inde redirent, Forenses nostri, qui erant in Masio eques plusquam centum, irruerunt super nostros, percutientes milites Astenses; & à longe erat Populus, qui hoc audito, veloci cursu irruentes super Forenses persequuti sunt eos usque ad fossas Masii, & IV. ex eis mortui fuerunt, & IV. capti quorum unus cum Vexillo rubeo Forensium captus fuit videlicet, Jacobus de Vago nomine. Ex Astensibus, & duo cum quarelis mortui fuerunt ibi. Morellus de Solario cum equo effrænato depositus ab eo, & pluribus plagis impositis super eum, mortuus fuit ibi, & ejus equus remansit vacuus. Mane verò facto Solarii miserunt Forensibus, ut eis mitterent ad Rochettam corpus Morelli, quod cùm jam sepelissent, extraxerunt illud de terra, & ipsum ad Rochettam miserunt. Solarii videntes eum pluribus plagis vulneratum, dicebant, quòd postquam ipsum ceperant, eum interfecerunt: quod nescio; Forenses quidem sciunt. Crastina verò die Astenses reversi sunt ibi, ubi mortuus fuit Morellus, & per totam diem vineas guastaverunt. Ipsa verò die reversi sunt Ast. Sequenti Mense Julii exploratores media nocte venientes Ast, Potestati dixerunt, quòd post eos iret ipse, & milites; Qui eadem hora surgentes, & sequentes eos invenerunt juxta Muascam ex Forensibus nostris equos XXX. & plus, & totidem per domus pedites, quorum major pars capta fuit; & etiam ex his mortui fuerunt X. & capti fuerunt ibi plusquam XX. & pro firmo paucissimi ex illis evaserunt.

Finito regimine Burgadani facti sunt Consules Mense Augusti Thomas Rotarius, Conradus Malabayla, Raymundus Faletus, & Aleranus Layolus. Eodem Anno cum exfortio suo, & cum viris Cheriensibus peditibus circa CCC. obsederunt Muascam cum manganis, & trabuchis. Manfredus de Carreto cum viris D. peditibus, & balestrariis C. ibi vênit. Forenses de Ast toto posse suo Astenses inde expellebant. Federicus de Salutiis, Johannes de Salutiis, Henricus Marchio de Carreto, & Gulielmus Daniel, omnes cum exfortio suo congregati erant in Ancisa (81). Georgius de Ceva cum militibus X. cum Astensibus erat. Forenses, qui erant in Ancisa, prætereuntes juxta Canelas, & euntes versùs Casinascum, à Calandis Astensibus, & ab aliquibus militibus de Ast cum eis, afflicti fuerunt, & ex eis capti fuerunt circa X. inter quos erat Jacobus de Ancisa, cui dicitur Guercius, filius Gabagni Constantii de Alba, & Bonifacius, & Jacobus, & Simon Guttuarius filius Guttuarii, quem Solarii gladio occiderunt, postquam captus fuit, & ductus per longam viam: ex quo Astenses irati fuerunt ultra modum. Solarii verò se excusabant, quòd hoc fecerunt in ultionem Morelli. Astenses autem stantes in obsidione Muaschæ timuerunt, & miserunt ad Cherienses, ut eis succurrerent, quia inimici in Casinasco fortiores erant Astensibus. Crastina verò die Cherienses cum viris MD. armatis, & archeriis, & balestrariis, & plusquam C. militibus, ipsa die cum Astensibus fuerunt circa Muascam. Astenses ibi steterunt per XXII. dies. Videntes hoc illi, qui intus Muascam erant, timuerunt valde, insperantes succursum habere; & ex pacto facto cum Astensibus, inde ad duos dies exierunt ex Muasca. Astenses intrantes Muascam, usque ad fundum diruerunt eam. Astenses, & Cherienses, & alii eorum amici, omnes domum suam reversi sunt gaudentes. Et mense sequenti milites de Ast euntes ad Summam-Ripam de Boscho invenerunt viros de dicta Villa pro majori parte in campis seminantes semina sua, & irruentes in eos occiderunt V. ex eis, & LX. illorum captivos duxerunt Ast, & ipsos in carceribus posuerunt.

CAP.

(80) Desiderari videntur hæc verba: *Theodorus Marchio*. Hic enim ut Vir Argentinæ Castra prædicta possidere dotis occasione debebat, cui etiam uxori suæ superstes cùm fuerit, liberosque ab illa susceperit, illius consequi dotem Spinula genitor non potuit. Benvenutus Sangiorgius in Chron. Montisfer. pag. 139. Theodorum Marchionem fatis cessisse notat Anno 1338. factique paulò ante testamenti tabulas affert, in quibus de Argentina uxore mentio nulla cùm sit, abesse à viventibus equidem debuit.

(81) In alio exemplari legitur Incisa, ut hodie locus idem, & veterum ejusdem Marchionum Familia vocatur; quamvis Marchionale istud Castrum, à quo illustre ductum cognomen retinet, non ampliùs possideat; sed Rochettam in ripa Tanari sitam sub antiquo immediato erga S. R. I. Clientelari jure conservat. De hoc aliisque Imperialibus Langarum Feudis more suo scripsit eruditè J. V. C. Antonius Gattus in cap. 6. scripturæ nuncupatæ: *Jura S. R. I. & Libertas Langarum vindicata*.

CAP. XLVI.

Obitus illorum de Castello.

MUltas offensiones dederunt Forenses ab illa die, qua exierunt de Ast, usque ad diem ruinæ de Muasca, Astensibus, & Villis eorum, venientes quasi quotidie prope muros burgorum, capientes homines, & alios occidentes, & etiam mulieres, & universa pecora campi, quot die rapientes. Villis nostris pejora fecerunt & maximè in Aquirana. De viris Calocii ceperunt & occiderunt per plures vices plusquam quinquaginta. Et quasi simile illis de Castro-Novo fecerunt & aliis Villis circumstantibus, quotidie currentes, pecora, oves, & boves, & homines capiebant, eos turpiter carcerantes, & excutientes eis dentes multam pecuniam extorserunt ab eis; & aliam multam pecuniam ex pacto treguarum factarum cum nostris Villis habuerunt ab eis. Ex quibus Deus mirabiliter providit, quia illos denarios, & alios, quos habebant, in soldariis, & custodiis Castrorum suorum ponendo, multis modis expenderunt; & multas persequutiones in eorum personis passi sunt, & eorum amici primum. Ante obitum Marchionis duo ex filiis Guliermi Turchi voluntate Dei in domibus suis obierunt. Eodem modo Loysius Guttuarius obiit in Casinascho. Galvagnus Testa, Rochus de Sancto Johanne obierunt in Masio. Pedes & humeri Jacobi Guttuarii facti sunt sicut fœnum aridum, quia ambulare non potest, nisi bajulando portetur. Tholomæus Asinarius, Ruffinetus Alferius, Francifcus de Castagnolis, Guliermus Alferius, eorum fideles & sequaces, sepulti sunt in Ast.

CAP. XLVII.

De malis actibus Principis.

PRinceps multifariè multisque modis olim Astenses sub jugo servitutis ejus conatus est subjugare. Novissimè diebus illis ruinæ Mustiolæ, cujus mandato multitudinem virorum Astensium in viridario Fratrum Minorum voluit congregare. Omnes amici Forensium mandato Principis ibi fuerunt adunati. Nicolinus Duchus Legista Assessor Principis proposuit coram eis, præsente ibi Principe cum familia sua, ut eidem concederetur generalis baylia & facultas pacificandi Astenses cum Forensibus suis. Amici Forensium alta voce clamabant: *Impleatur voluntas Principis, & hæc fiant fiant*. Illud idem dicebant quidam ignorantes, qui in Osea Propheta non legerant dicente: *Væ vobis insipientibus dicentibus Pax Pax, & non est Pax*. Catalanus de Solario surgens iratus, & quasi manum ad gladium tenens, dixit, quòd numquam sufferre posset; nec aliquis Rex, sive Princeps ipsum pacificare poterit cum illis, qui Patrem suum Fulcum nomine occiderunt. Multi verò, qui tunc Solarios ex Populo sequebantur, surgentes, quasi manu armata illud idem dicebant. Tibaldus de Solario surgens in medio Populi ibi tumultuantis dixit, quòd locus ille non erat locus Consilii, & ea, quæ ibi fierent, non valerent;

A sed habito Consilio majori impleretur voluntas ejus. Hoc audito, Princeps abiit in domum suam: omnes, qui ibi erant, sequuti sunt eum. Ipsa verò die voluit habere eadem causa majus Consilium. Moruellus Isimbaldus tunc Potestas, legalis & prudens, qui non consenserat iis actibus, Principi negavit petitionem suam. Raymundus de Terzago tunc Capitaneus Populi, tamquam falsus, malitiosè ex conventione facta cum Forensibus ex multa quantitate terræ rubeæ Florentinæ, operatus est, quòd ante auroram Consilium Populi sonari & præconizari fecit. Audientes Solarii, & Populares eorum sequaces, timuerunt valde, & monentes eos, ut irent ad Consilium. Congregato Consilio in magna quan-

B titate, Nicolinus Duchus ibi eosdem sermones proposuit, quos dixerat in viridario Fratrum Minorum. Princeps, & Loysius de Sabaudia expectans cum familiis suis in Canonica, ubi mortui sepeliuntur, suos Nuntios misit Raymundo de Terzago, ut ipse cum illis, qui erant ad Consilium congregati, descenderent ad eum in Canonica, ubi erat. Raymundus prædictus pro posse suo ejus precibus acquievit. Multitudo clamantium Amicorum Forensium clamabant: *Descendamus descendamus ad Principem*; & iterum *descendamus*. Adversùs eos contrarii dicebant: *non non*. Raymundus prædictus descendit ad eum solus, affectans voluntatem Principis

C adimplere. Quidam de Populo, cujus nomen nosco, sed hìc scribere nolui, ante Principem vênit: Princeps tunc de ipso confidebat, quem Princeps interrogavit pavescens: *quisnam rumor est?* Ille verò benigne respondit: *Mi Domine, valde timeo de te, quia tumultus Populi loquentis contra te dicit: Modò tempus est Alexandrinorum sequi vestigia* (82). Princeps hæc audiens timens factus est, & abiit in domum suam, & non post multos dies ipse cum Uxore sua, & eorum suppellectilibus abierunt in terram suam. Forenses nostri sequuti sunt eum, Gulielmus Turchus, Federicus Asinarius, Guliermus Guttuarius, & alii plures ex majoribus eorum, ad mensam Principis quotidie epulantes. Ambascia-

D tores Astenses iverunt ad Principem, mirantes, & non credentes prædicta posse fieri, quæ videbant. Princeps dicebat eis: *Pecuniam annorum duorum ex meo salario mihi solvere noluistis; & ideo si mihi incontinenti eam non solveritis, amicus efficiar & socius vestrorum Forensium*. Astenses autem timentes, ne illa fierent, ex pacto promiserunt ei usque ad VIII. Annos libras X. millia annuatim solvere pro salario annorum duorum, pro quibus solutum non fuerat. Ille autem eorum precibus acquiescere noluit. Hæc autem audientes Astenses eidem Principi plusquam quinque vicibus per majores Ambasciatores illud idem miserunt: quæ omnia recusavit. Forenses de Ast secum ibant, stabant,

E & redibant per terram Principis. Astenses autem multi derobati fuerunt, ac etiam vulnerati. Regaudus de Rotariis, & ejus Socii de Canellis, in Rurales à Ministris Principis vulnerati fuerunt. Rotarii quidam in Salomone legerunt dicentes: *Stultus statim indicat iram suam. Sapiens tacet, & attendit tempus; & qui dissimulat injuriam, callidus est*. Astenses dissimulantes opera Principis, pluribus vicibus ad eum miserunt, ut

(82) Has easdem in Achajæ Principem minas jactasse Astenses, de sua libertate sollicitos, Author iste dixit cap. 41., cujus repetitionem dicere ferme potest caput illud 47. Hic tamen propositam sibi ab Astensibus Alexandrinorum imitationem clarè magis explicat. Quid Alexandrini contra eorum Dominum Montisferrati Marchionem admiserint, ut illius evaderent ultionem, videatur cap. 14. ut illorum exemplo moti Astenses, quid in oppressorem suæ libertatis audere magis justè vellent, intelligatur.

ut ipse veniret, vel ejus gentes in eorum succursum mitteret, & maximè, dum essent in obsidione Muaschæ, quæ fuit incœpta Mense Augusti Anno MCCCVIII. Astenses insidias Principis timebant; & ab illa die non ausi fuerunt eum amplius requirere, excusantes se de salario suo, quia malè nobis servivit, & malè solutus erit. Et super ejus prædictis insidiis Dominus providebit.

CAP. XLVIII.

De malis operibus Solariorum.

SOlariorum mala opera fuerunt, antequam expulsi fuissent ex Astensi Civitate, quorum manus in vicinorum sanguine sæpiùs tingebantur. Pejora fecerunt post eorum adventum, quia facti sunt carnifices amicorum. Pessimis modò perseverantes in operibus, gloriantur. Mors introivit in Urbem Astensem, quia invidia Luciferi venenosi, quæ ab initio, & ante secula creata fuit, & usque ad futurum seculum non desinet, in Astensium cordibus requiescit. Solarii ab initio Guttuariis inviderunt, eo quòd mirabiliores essent vicinis. Aurum & argentum possidebant supereminenti mensura; domibus, & Castellis, & Turribus, equis & armis præcedebant Astenses. Speciosæ fuerunt uxores eorum; byssus & purpura vestimenta eorum, quarum capita cooperta erant pretiosissimis margaritis. Ministri eorum vestiti vestibus duplicibus; extranei quotidie ad eorum mensas saturati sunt; & eorum manus mundæ fuerunt à sanguine populari. Guttuarii, sive de Castello, inviderunt Solariis, & eos odio habuerunt; & volentes se excusare de prædictorum expulsione, dicebant: *Fratres nostros injustè & abs re occiderunt. Noluerunt pacificari nobiscum, nisi ex illo peccato ex bursa nostra pecuniam extorquerent.* Sequaces eorum de Hospitiis, cùm essent exules Savonæ, suas in facies demonstrabant, dicentes de Solariis: *Istud factum est per manum eorum.* Alii verò dicebant: *Virgis nos cædent, cùm ventres nostri ab eorum peditibus conculcati fuerint. Possessiones nostras occupant violenter, unde pro his evidenter apparet, quòd consentientes fuerunt expulsioni eorum.* Anno primo reversionis Solariorum diruerunt omnes domos illorum de Castello, Gulielmi Turchi, Voglietorum, & aliorum plurium Forensium. Pulchram Guttuariorum Turrim de Mercato super domos innocentium vicinorum dirui fecerunt. Deinde facti sunt Carnifices amicorum. Berreta filius Henrici Solarii, deliberatâ conscientiâ, gladio latus perforavit cujusdam Beccarii illorum de Nono, qui recesserat cum Solariis de Ast, & cum eis Albæ steterat. Et eadem hora mortuus remansit in mercato. Fabius, & Valentinus filii Fulchi Cazæ. Eodem nomine extra portam Sancti Quilici Oliverium servitorem magnis plagis interfecerunt, qui ibi remansit mortuus solus. Filius Ruffini de Solario ex improviso interfecit Tabuxium, qui acus faciebat. Filius Tartari de Solario in obsidione Muaschæ duos digitos manus Antonii de Alfiano incidit: ex quibus omnibus contra eos processum non fuit; & omnia prædicta mala remanserunt impunita. Multi verò ex Solariis spiritualia violant, Monasteriorum bona occupantes, capientes oves & boves eorum, & possessiones eorum occupant violenter. Castra Communis Astensis injustè possident, & alia plura mala, quæ vobis scribere nolo: pro quibus verè prænominati sunt Solarii ingrati Carnifices amicorum. Eorum mores, reddentes mala pro bonis, conversi sunt in naturam: quibus dici potest, quod scriptum est in Matthæo: *Ecce mitto ad vos Prophetas & Scribas, & amicos vestros, qui pro vobis dispersi fuerunt, & ex illis occidetis, & flagellabitis, & digitos eorum incidetis, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est* à sanguine Morueli Turchi, nati ex vestro semine, quem occidistis, usque ad sanguinem amicorum, quos occiditis tota die. *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Non domus vestræ dixi; sed in singulari Solariis dictum fuit, qui digni sunt majori pœna puniri, quàm Forenses fuerint, quamvis prophetizatum fuerit ab antiquis, quòd supereminenti Guttuariorum pecunia, & ignorantium Solariorum stultitia, Astensis Civitas destrueretur. Paveant Solarii, & eorum sequaces in eorum militiis, transeuntes per viam, quibus viri, & mulieres, juvenes, & senes, & sugentes ubera clamant post eos dicentes. *Venient super Solarios dies iræ.* Populus languens dicit: *Solarios potavi, dum in Civitatem redirent, puro vino; & vineam, in qua natum fuerat; mihi abstulerunt. Portas Civitatis igne succendi, ut per eas intrarent; & ipsi perforaverunt latera mea.* Et quotidie clamantes dicunt: *Vindica, Domine, sanguinem innocentem, quem Solarii effuderunt; & citò redeat dies illa prima Dominica Madii ad purgandum scelera ingratorum, quæ per annum unum non potuerunt purgare.* Videtur enim Populo, quòd eorum materia digesta & parata sit ad purgandum. Physicus verò dicit, *digesta medicari, & movere non inde.* Caveant ergo Solarii mense Madii, in quo corpora hominum curari solent (ac etiam aliqua eorum, & Forensium scelera purgata fuerunt) ne residuum peccatorum suorum purgetur fortissima scamonea. Sciant enim, quòd ægritudines iteratæ magis periculosæ sunt prioribus. Sperant, si eorum pedes laberentur extra Civitatem eorum, invenire equis suis Albensium præsepia præparata. Non proderit, quia Reges, & Principes Populi, & linguæ propter eorum ingratitudinem odio ipsos habent taliter, quòd nisi conversi fuerint à via sua mala, & pœnitentiam egerint de peccatis, quæ operati sunt (quod non credo) corruent in itinere suo, & cum impiis in æternum peribunt. Quia vox Populi vox Domini, ac nullum violentum perpetuum, & nullum malum impunitum. O ignorantes, credentes, quòd Deus ultionum dormiat: de quo dicitur in Exodo: *Ego sum Deus Zelotes, fortis, & potens, visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Agite ergo pœnitentiam, ut deleantur peccata vestra.

CAP. XLIX.

Primus Sermo.

PRimum quidem sermonem incipiens: Aperiantur aures surdorum. feci de actibus Forensium in diebus obsidionis de Rocha, cùm unus ex duodecim videns, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus noluit sequi Forensium vestigia, sed abiit in Villam suam, & stetit ibi pacificè, mittens majoribus Astensis Populi epistolas, verbis in hunc modum ornatas pacificis: *Patres nostri vobis Civitatem liberam dimiserunt; vos autem sub jugo Regis, vel Principis alicujus subjugare nolite. Concordiâ parva crescunt, sinè qua Astensis Civitas durare non potest. Ex quibus timui, memorans præterita, &*

& præsentiens aliquid de futuris, quia inimicos odio habui, & eorum legem non dilexi. Cùm legissem, væ vobis, qui conditis Leges iniquas, contraponentes principia falsa veris. Primus iste sermo in scriptis divulgatus est ad Forenses ubique. Secundum sermonem composui, qui incipit: Eructavit cor meum verbum bonum, quem in scriptis misi Principi per Guliermum de Verzolio ejus ministrum in diebus afflictionis Comitis Philipponi. Interpretationes Hospitiorum Astensium incipientes: *Solarii ingrati, ac etiam ignorantes soli remanebunt in brevi*, interpretavi, prout prænomina, & eorum opprobria operati fuerunt. Ex omnibus supradictis me, & natos meos odio habebunt, quia eorum mala non tacui, nec tacebo, dum vivam, cupiens semper, ut scelera nova & vetera tam Forensium, quàm Tenentium, punita fuissent. Ex quibus multas persequutiones passus fui & pro quibus non silui, nec sileam, quia scriptum est: *Illum autem timete, qui potest mittere corpus, & animam in gehennam*. Et in Matthæo: *Beati, qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*. Omnia, quæ suprascripsi, vel scribere feci, & venerunt ad me scripta manu Domini, non ex Libro exemplavi, sicut cecinit Propheta David, sed solo oculo, manibus, auribus, vidi, tetigi, & audivi. Et quamvis multas persequutiones, & improperia à Forensibus passus fui, & ero passurus: ille, qui novit omnia, antequam fiant, scit, quòd quæ suprascripta sint, & infra scribentur, non processerunt ex spiritu malitioso, vel spiritu odii & ultionis, sed spiritu Paracleto veritatis, qui à Patre procedit, de quo scriptum est in Johanne. Aliqua præ timore sub oblivione omisi. Paveant Solarii, ne ejus substantia festinata minuatur; quia juvare qui voluit, poterit aliquando nocere: Forenses timeant, ne eorum residuum substantiæ eisdem auferatur in brevi; quia pejora meruistis portare, quàm usque nunc portastis. Vos omnes scindite ergo corda vestra, Forenses, & Tenentes, quæ duriora sunt durissimo adamante, quæ usque nunc hircorum sanguine non potuerunt confringi, clamantes, & nos dicentes cum eis: *Parce, Domine, parce Populo tuo, & ne des desolatam Civitatem Astensem in opprobrium gentibus alienis*; & mittere digneris super obdurata corda Forensium, & eorum bona possidentium, & sanguine immaculati Agni dilectissimi nati tui, cujus effusione lapides scissi sunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, resurrexerunt, taliter ut ipsi, & nos cum eis, dicant puro corde alta voce clamantes: *Da pacem, Domine, in diebus, & finibus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Domine Deus noster*: quam excelso Throno tuo nobis mittere digneris: qui vivis & regnas per infinita secula seculorum. Nos autem eisdem puro corde responsum præbeamus dicentes: *Amen*, & *fiat pax*, & *fiat pax*. Amen.

CAP. L.

Epistola missa Julio Gardino à Philippo ejus filio.

Periantur aures surdorum, & dissolvatur vinculum mutarum linguarum ad audiendum, & loquendum miraculum novum factum super gentes iniquas, quæ violaverunt Virginem incorruptam, & Civitatem non suam sib. ipsis penitus destruxerunt, non recordantes judiciorum Dei, nec præcepta parentum servantes, sed consiliis juvenum adquiescentes, cum quibus nutriti fuerunt: ex quo eis accidit, sicut Roboam filio Salomonis. Et etiam hæc egerunt consilio senum Judicum, qui Populum regere videbantur, de quibus in Daniele dicitur: *Egressa est iniquitas de Babylone à senibus Judicibus, qui videbantur regere Populum*; & ipsi ex ea evadere non possunt; Angelus enim Domini acceptâ sententiâ vênit, ut secet eos medios. Nam istud miraculum novum à Deo factum est, quod sequenti Anno ab ipsa die Dominica Madii, qua iniqui prædicti suam malitiam compleverant, quam longo tempore in eorum cordibus imaginaverant & tractaverant; ipsa verò die expulsi sunt de Hierusalem in Hiericho. Verè in Hericho positi sunt in cavernis & stabulis bestiarum. Filii autem Israël, quando exierunt de terra sua cum equis suis, invenerunt Albensium parata præsidia, & ibi, & in maritimis partibus, & Cherio domos præparatas, & ornatas, stantes ibi per annum honorificè cum amicis. Miraculum fuit in quatuor elementis, quia Anno illo aër tenebrosus & offuscatus stetit; aqua quasi continuò de Cœlo cadens parata erat ad diluviandum eos: igitur devoravit omnes eorum substantias. Terra fuit sterilis, & infructuosa, carens pane, vino, fœno & fructibus arborum. Anno isto Jubilæo, quo filii Israël reversi sunt in terram suam, terra fuit fructuosa, & ex his omnibus pertulit abundanter. Miraculum verò fuit illa prima die Septembris. Credentes iniqui prædicti ad Astensem Civitatem furiosè redire cum maxima quantitate inimicorum Civitatis prædictæ, occurrerunt contra eos juvenes & senes cum facibus & armis, Clerici & Monachi cum gladiis & lignis, Virgines & Viduæ cum tridentibus & baculis. Et unde hoc eis? quia denigrata est facies eorum super carbones, & facti sunt terribiles ad videndum, quia Civitatem opimam vastaverunt, & Castra reddiderunt, quæ robusti viri & bellatores robusta manu, & forti brachio vicerant, ac etiam multo auro & argento redemta & murata fuerant, prout sciunt. Verè inde prænominari possunt prænomine scripto in Libro Capitulorum Civitatis Astensis, quod ab eis non cadet, donec eorum radix perpetuò nominetur. Verè possunt dicere prædicti, quod in Hieremia describitur: *Servi dominati sunt nobis; aquam nostram pecunia bibimus; ligna nostra pretio comparavimus*. Nonne erant liberi, & facti sunt modò servi? divites nonne erant, & modò & mendici Cives, & villici maledicti? Et hoc eis pervenit à perjurio quod fecerant anathemo (83), ne ab eis Astensis Civitas

(83) Et hoc eis &c. Idest narratum supra infortunium obvenit causa perjurii anathemi. Acta vetera quicumque callent, quod ipse non sé nel in illis legi, censeo & illos legisse. Promissa non solùm juramento firmabantur, sed promissis obstricti se ipsos (illis nisi starent.) Anathemate percellere solebant. Hoc itaque modo datam fallere fidem debuerunt, quos perjurii anathemi reos Author iste constituit. Assertus supra mos antiquus antiquo aptissimo testimonio confirmatur in Antiquitatibus Estensibus à Muratorio in lucem datis, cap. 24. pag.

vitas vastaretur, & quia populum innocentem peregrinari miserunt, qui eos nutrierat sicut gallina pullos suos sub alas; & ideo relinquetur domus vestra deserta. Non domus vestra, sed domus vestræ; quia si videretis ruinam domorum, & turrium, & eradicationes vinearum, & arborum, non remaneret halitus in vobis, nec spiritus uteri vestri ampliùs loqueretur.

Mirabilis facta est reversio Filiorum Israël ad Civitatem suam, quia omnes eis in via occurrentes, cantantes, & psallentes dicebant: *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, & fecit redemtionem plebis suæ*. Et è contrario aliis iniquis, & vi redire volentibus dixerunt. Et hoc justum fuit, quia Civitatem, quam non vallaverant, nec manus suas ad murandum posuerant, guastaverunt; & Castra reddiderunt, & admirabile tentorium Marchioni. Ex quibus eis accidit, quod scriptum est in Psalmis: *Fiant domus eorum desertæ, & non sit, qui habitet in eis, & Episcopatum ejus accipiat alienus*. Pro certo verè scimus, quòd ampliùs vivere non possunt, quia Marchiones, & Comites, eorum carnes devorant, pinguia comedentes; sanguinem eorum sugunt, sincera vina bibentes; Uxoribus, & eorum filiabus utuntur, & laboribus, quibus frustra sudaverant. Vobis autem Legum peritis dicitur: *Væ vobis, qui subvertitis judicia, judicantes justos, dimittentes noxios, qui in legibus vestris legere debebatis: Maleficos non patiaris vivere*; & alibi: *Diligite justitiam, qui judicatis terram*. Et legistis quatuor ista: *Timor, Odium, Dilectio, Sensus, ista solent hominum mentes pervertere, & sensus*. Non ne ista permoverunt corda vestra, ne videretis Cœlum, nec essetis memores Judiciorum justorum? Oculos vestros ad terram fixistis, scilicet ad illam, de qua dicitur in Cantica Canticorum, *flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advênit*. Flores apparent in terra rubea, ex qua florini fiunt; & non sunt verè flores, sed sunt spinæ, quæ corda vestra avertunt: pro quibus Populum in vobis confidentem decepistis, qui in gremio vestro securus dormiebat. Tempus putationis & ultionis advênit, quia Peccatum vestrum principium purgationis jam cepit. Populus Astensis, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, quæ missa fuit ab altissimo Creatore, ne lupi rapaces agnos ederent mansuetos. Misit enim Dominus Angelum suum, (84), ut eriperet nos de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum; misit enim Principem legalem, & prudentem, juvenem quidem ætate, senem verò prudentia & mansuetudine, natum ex Nobili progenie, non similem illis duobus Tyrannis perfidis, qui Civitatem, quæ eorum parentes nutrierat, destruxerunt; qui eisdem in eorum ultima voluntate præceperant, ut lites & contentiones vitarent Astensium Civium, quæ ab ore magni draconis eruperant. In quorum obsequio Astenses multum sanguinem effuderunt, & infinitam pecuniam spendiderunt, quorum duorum Regna non sufficerent ad solvendum. Peccatum verò eorum, pro ut credo, in brevi tempore purgabitur, Deo dante.

Philippus socius senum Judicum in legibus, vestibus, & ruina Civitatis Astensis, ex Inferno Epistolam istam Judicibus maledictis misit, notificans eis pro certo quæ parata sunt eis. Et nunc juxta eum sedes tenet, non copertas purpura, sed igne ardenti, & sulfure fœtido. Et quia nullum falsum, sive mendacium scriptum est in hoc Libro, nullus quidem credat, quòd Philippus prædictus Epistolam aliquam alicui miserit, in hunc Mundum. Oh inveterati dierum malorum. Modò venerunt ad pœnam peccata vestra, quæ operari solebatis. Verè sicut perfidi Judæi dispersi estis; & hoc vobis, quia Populum innocentem peregrinari misistis, & die ac nocte non dormitis, cogitantes, & eidem Populo literas dolosas sub figura pacis mittentes, similes illis, quas monstrastis in hora vespertina die Sabbati præcedenti ruinæ Astensium, dicentes, quòd Marchio erat in Casali pro firmo, & versùs Canapisium dirigebat gressus suos; & hoc in anima vestra dicebatis Populo in vobis credenti. Et plus eidem affirmantes dicebatis, quòd die crastina nobis salus & pax fieret! O anima maledicta, quæ deputata es cum his, qui in Inferno sunt, cujus facies denigrata est super carbones, ita ut habitantes Civitatem videre timerent. Unde nihil amplius dicendum est, nisi quod scriptum est in Passione Christi de illo Juda, qui prævaricatus est de Apostolatu suo, qui projectis argenteis in Templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Nam digni estis talia sustinere, quia pro minori peccato à vobis commisso Redemtor noster in Cruce pependit; & ideo completum est in vobis, quod scribitur in Job: *Nunc derident vos minores tempore, quorum patres non dignabantur edere cum canibus vestri gregis*; nam textores, & sepi venditores, possessiones vestras possident, & equitant equos vestros. A Domino factum est istud, & non est mirabile in oculis nostris. Erubescant, & confundantur, mittentes epistolas plenas dolo. *Turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsum*. Similes enim sunt Judæ, qui osculo suum tradidit Redemtorem. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Scriptum est; *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oscula*. Verè scimus, quòd initium fuistis & divisionis & ruinæ Astensis Civitatis, zizaniam in populum seminantes, & militum agmina dirigentes, quorum manu Leges & privilegia, quæ ore Populo dictastis, & Legistas dissolvi fecistis, & eos cum manu armata ad majores vulnerandos dixistis: ex quibus odium ortum est sempiternum. *In lege vestra scriptum est, hujusmodi lapidari*, sicut iniqui socii vestri de Rocha modò fortiter lapidantur. *Ecce dies sunt, in quibus dicant montibus: cadite super nos, & collibus, operite nos*. Finem loquendi omnes pariter audiamus, & Creatorem altissimum invocemus, & advocatum nostrum

pag. 238. ubi Vvidonis Marchionis pia quædam donatio legitur Anno 1056. facta, cujus in fine verba ista habentur: *Si contra hæc fecerimus, ipsius Ecclesiæ solvendo prædictam pœnam, & sicut in Canonibus legitur de raptoribus Ecclesiæ, anathemate, scilicet perpetua danacione me constringo &c.*

(84) Tota hæc periodus, magnas æquè ac potentes sinè nomine Personas exprimens, à prænarratis in hac Historia rebus lumen accipit, & præsertim à capite 42. Angelus enim a Domino ad Astenses missus, quinam alius intelligi potest, nisi Theodorus? Princeps ætate juvenis, moribus prudens, stirpe Augusta clarissimus, Andronici Græcorum Imperatoris filius, novus ex hæreditate materna Montisferrati Marchio, Astensium Dominus & Amicus. Pro assertis verò duobus Tyrannis perfidis obvii fiunt Marchio Salutiarum & Achajæ Princeps, quo in postremo pravum in Astenses bene de illo meritos animum jam supra cap. 47. demonstravi. Amborum deinde, quæ nominat, regna Reges fuisse illos nequaquam probant, ut patet ex traditis in notis capite 38. super dignatum Regni nomine Marchionatum Montisferrati.

strum Secundum nomine, Martyrem gloriosum, qui ab eo impetret credentibus habere pacem veram, & non fictam concordiam, firmam ex omni tempore, perpetuò duraturam unà cum Serenissimo Principe nostro, & amicis, ipso præstante, qui vivit & regnat &c.

CAP. LI.

Ruina Astensium facta apud Quatordas.

EXistente Ptolemino Creteisio Cremonensi, Potestate pro Astensibus, Astenses Anno MCCCIX. Mense Madii vastaverunt Masium per duos dies; & aliis duobus diebus sequentibus Ancisam vastaverunt. Deinde venerunt Ast, & ibi invenerunt circa CCC. viros pedites, quos eis miserant in auxilium Cheriensies, qui pedites aratores & zappatores erant pro majori parte malè armati, & pauci valentes erant. Crastina verò die Astenses cum prædictis Cheriensibus fuerunt ad Felizanum, ibi expectantes milites & populum Civitatis, quia ibi in Felizano paucissimi de populo erant, & quasi medietas militum remanserat in Ast, quia fatigati erant. Crastina verò die Mercurii XXVIII. Madii milites & populus, qui remanserat in Ast, fuerunt ad Nonum Astenses, qui erant ad Felizanum, hæc audientes, venerunt cum Cheriensibus ad Quatordas, credentes ibi invenire Astenses, qui venerant ad Nonum, & eos expectantes in vastis Quatordearum, Forenses de Ast, qui erant in Masio. At aliqui de Ancisa, & Lanzavetulæ, & alii plures soldarii, equites & pedites, irruerunt contra eos taliter, quòd afflicti sunt Astenses, ibi fugientes milites versùs Nonum, & nullam defensionem facientes. Capti fuerunt ex Civitate Astensi, & Burgis circa CXX. inter quos erat Robersonus Trottus Capitaneus Astensis populi, Conradus, & Abelonus Malabayla, duo ex illis de Solario, & duo de Pellettis. Alii de populo erant. Ex populo Astensi mortui fuerunt ibi circa XII. inter quos erant Buccanigra de Buccanigris, Ghilynus de Gregorio, Gilius Laurentius, & alii circa IX. Ex nostris Villis mortui fuerunt circa XXV., qui eorum segetes devastabant; & ex ipsis capti fuerunt circa centum. Ex Cheriensibus circa CXL. capti fuerunt, & nullus ex eis mortuus fuit ibi, quia nullam defensionem fecerunt. Astenses, qui remanserant in Ast, & Solarii, & eorum sequaces exterriti sunt valde, & miserunt Principi, ut Ast veniret; & ibi vênit cum militibus centum, cui Astenses omni die dabant libras 50. Georgius de Ceva cum militibus XX. Ast vênit ad bursam Astensium. Post hæc Astenses, & Forenses, congregato majori Consilio dederunt generalem bayliam Amedeo Comiti Sabaudiæ, & Philippo Principi ejus nepoti, pacificandi Astenses cum Forensibus suis, taliter, quòd dicta pax in Civitate Astensi fieret, & non alibi. Tunc Astenses, & Forenses præconizari fecerunt, ut offensiones cessarent inter eos, & cessaverunt. Post hæc qualibet pars quatuor Ambasciatores Cabalerium miserunt, quia ibi Comes erat, rogantes eum, ut Ast veniret ad pacificandum eos. Qui vênit apud Secusiam die XXI. sequentis Mensis Septembris. Deinde dictus Amedeus Comes vênit in Ast, & ibi stetit per mensem unum. Post hæc ipse, & ejus nepos Philippus sententiam pronuntiaverunt inter prædictos, dimittentes carceratos jam dictos absque redemtione; & dicti Forenses dimittere debeant Castra Communis dicto Communi pretio librarum 6000. Item quòd Guliermus Turchus ire debeat in Insula Cypri; & si illuc ire noluerit, unus ex ejus filiis ire debeat, & ipse Guliermus ire debeat ad manendum in vita sua ultra fluvium Senæ, seu Sanganone. Qui si ire noluerit, illi de Castello teneantur relinquere prædictum Guliermum, & ipsum non juvare contra Commune Astense, nec contra illos de Solario. Post hæc Forenses prædicti in Festo Beatæ Catharinæ pacificè venerunt Ast, & cum eis duxerunt omnes carceratos, qui capti fuerunt in ruina de Quatordas, & congregata multitudine virorum, & mulierum in Mercato de Sancto, prædicti de Solario, & Forenses osculantes se se, pacificati sunt. Guliermus Turchus noluit ire in Cyprum, nec mittere aliquem ex filiis suis. Robertus, & Nicolinus Bertraldus, qui custodiebant Castra Masii, noluerunt illud Communi reddere, cùm eis præceptum fuisset à Principe, qui remanserat Gubernator pacis prædictorum; & ex ejus arbitratu, & Amedei, sententiam dederat, quòd dictus Philippus ex dicto officio omni anno haberet ab Astensibus libras XVII. millia Astenses: ex quo valde turbati sunt Astenses. Philippus prædictus videns, quòd Bertraldi prædicti Castrum Masii Communi Astensi reddere noluerunt, fecit prædictos, & omnes eorum coadjutores in Mercato banniri pessimo banno, & quòd facies eorum pingatur ad omnes portas de Ast reversa facie versùs terram, & pedibus desuper. Tunc Solarii procuraverunt consilio & favore dicti Principis prædictos de Castello de Civitate expellere. Quadam die Sabbati XXII. Madii Anno MCCCX. Solarii cum hominibus nominatis Villarum circa CCC. manu armata fuerunt ad domos Bertraldorum, ubi major pars illorum de Castello morabatur. Hæc audientes illi de Castello ad domos amicorum suorum iverunt, & crastina die soli illi de Castello exierunt de Ast, & iverunt Masium; pauci autem sequuti sunt eos, videlicet quatuor de Palliis, & heredes Philippi Scarampi, & Jacobus de Catena cum filiis suis.

CAP. LII.

Ædificata est Villa Septimarum.

ANno supradicto MCCCIX. Villa Septimarum, quæ erat circa Castrum heredum filiorum Beltrami de Comentina, voluntate hominum dictæ Villæ volentium sese liberos esse à prædictis, & esse sub jugo Civitatis Astensis, diruta fuit, & mutata, & ædificata supra montem de prope, & ædificata fuit Mense Martii.

CAP. LIII.

Robertus Rex Siciliæ venit Ast.

ANno Domini MCCCVIII. mortuus est Carolus Rex Siciliæ, & Comes Provinciæ, in cujus locum Robertus ejus filius tertio genitus, exclusis Ludovico, & Andrea ejus filiis majoribus natu, ad hoc faventibus Philippo, Petro, & Ludovico aliis fratribus suis, aliquorum Doctorum sententia Regnum Siciliæ, & Comitatum Provinciæ, & Comitatum Pedemontis obtinuit, & Rex designatus est. Qui Robertus natus Caroli Siciliæ Regis vênit in Lombardiam Anno MCCCX. & appulit in Burgo Cunei die decima Mensis Junii. Deinde vênit ad Montem-Vicum, Fossanum, Savilianum, Cla-

Clarascum, & Albam. Philippus Sabaudiæ tunc stans in Ast timuit, ne Astenses ipsum Robertum eligerent eorum Regem, quia fama erat undique, quòd Astenses dictum Regem feceerant venire in Lombardiam; ac etiam dicebatur, quòd Opecinus Spinola tunc Forensis Januæ promiserat Januæ Civitatem ei dare. Tunc Philippus prædictus congregata multitudine majorum Astensium, tam Populi, quàm Hospitiorum, pluries, & in diversis locis proponi fecit eis, quòd timebat, ne Astenses servi fierent dicti Regis, quia inimicus est dicti Philippi; & volebat scire ab Astensibus veritatem, & sacramentum habere ab eis, ne eligerent in æternum eorum Dominum dictum Regem. Sciendum est, quòd tunc erant in Ast Episcopus Basiliensis, & alius Episcopus, & Loysius de Sabaudia Ambasciatores missi ab Henrico Rege Alamanniæ, & electo Imperatore, & confirmato à Summo Pontifice. Qui Ambasciatores in majore Consilio Astensium proposuerunt ex parte Imperatoris, ne Astenses ab aliquo subjugarentur, & maximè jugo Regis Siciliæ; notificantes pro certo, quòd dictus Imperator infra Kalendas proximi Mensis Septembris veniret in Lombardiam. Tunc Astenses benignè dictis Ambasciatoribus, & Philippo jam dicto responsum dederunt dicentes: *Servi sumus Domini Imperatoris; & omnibus diebus vitæ nostræ alium Dominum habere nolumus præter illum*; & alia verba circa Ambasciatam pulcherrima, prout melius potuerunt. Ambasciatores prædicti iverunt ad Cuneum, ubi erat Robertus Siciliæ Rex; deinde iverunt Savonam, Januam, & Pisas, portantes prædictis ex parte Imperatoris similem Ambasciatam. Tunc Astenses ordinaverunt mittere Albam octo Ambasciatores, quia ibi erat Robertus Rex Siciliæ; & congregato majori Consilio firmatum fuit, quòd unus Syndicus iret ad dictum Regem, qui haberet bayliam generalem faciendi societatem & ligam cum prædicto Rege Roberto. Tunc Philippus prædictus turbatus est valde, & nuntiare fecit per majores suos, ac etiam ore suo dixit Salembino Castello electo Syndico, & Ambasciatoribus electis, ut non irent penitus loqui cum dicto Rege; & si irent, teneret eos perfidos inimicos, tamquam si unum ex ejus fratribus occidissent. Quod audientes, non ausi sunt illuc ire; sed Bonifacius cui dicitur Pajarius, & Simbaldus de Solario, & Carnotus, qui tunc Consules erant Civitatis Astensis, ultra voluntatem dicti Philippi iverunt in Albam, & invenerunt ibi Regem prædictum, & ejus Uxorem pulcherrimam mulierum; & cum eo erant milites circa 500. optimè, si opus esset, parati ad bellandum. Prædictus verò Rex Ambasciatores Astenses ad mensam suam pluries recepit; & inter alios Lombardos, Astenses, qui nunc Civitatem tenent, cariores habebat, & eorum fraternitatem & ligam affectabat habere. Et sic prædicti Ambasciatores miserunt Ast, ut eis mitterent duos Judices, qui scirent dictare, & ligare ligam, & societatem factam cum dicto Roberto Rege Siciliæ. Supradicti Judices de Ast Albam ire non ausi fuerunt propter contradictionem Philippi Principis Achayæ. Tunc prædictus Rex fecit in Alba ligam & confœderationem cum Astensibus in hunc modum: Quòd debeat eis auxiliari & prœliari contra omnes, qui inimici fuerint illorum, qui nunc tenent Civitatem Astensem; & quòd omnes Astenses sint in sua protectione, ubicumque fuerint. Et illud idem Regi promiserunt Astenses, & eidem Regi, & ejus heredibus dare annuatim marchas centum argenti. Et de his audivi legi in majore Consilio publicum Instrumentum. Sequenti die Dominica IX. Augusti prædictus Rex vênit Ast cum Uxore sua, & cum eo circa milites 400. optimè præparati. Viri & mulieres de Ast eidem, & ejus Uxori nimium honorem fecerunt. Sequenti die in Festo Beati Laurentii prædictus Rex convivium magnum fecit Astensibus in domo Fratrum Minorum, ubi interfui, & mensam ejus optimè præparatam scyphis & vasis ad vina fundenda ex auro purissimo & argento vidi, ita quòd nullus fuit qui ibi uteretur cibo vel potu nisi in argenteo vaso purissimo. Sequenti die Mercurii XII. Augusti prædictus Rex discessit de Ast, & fuit Alexandriæ, quam, ejectis Invitiatis, & Lanciavetulis Gibellinis, sibi in totum supposuit Anno MCCCX. Ipsa nocte Eclipsis Lunæ fuit circa horam matutinorum, & duæ partes dictæ Lunæ, prout vidi, obscuratæ fuerunt.

CAP. LIV.

Eclipsis Solis.

Eclipsis Solis fuit Anno supradicto MCCCX. die Sabbati ultimo Januarii post horam Nonæ; & quasi medietas dicti Solis obscurata fuit, existente Cœlo clarissimo & sereno. Ptolemæus Cortesius Potestas exivit à suo Regimine in Calendis Madii. Astenses nullum Potestatem elegerunt, sed de Mense in Mensem per quatuor Consules regebantur, expectantes quid facere deberent cum dicto Roberto Rege Siciliæ.

CAP. LV. (85)

Pastroni expulsi fuerunt de Vignali.

Eodem Anno Sicci de Vignale expulerunt Pastrones de Vignali, & eorum amicos Mense Aprilis; & cum eis fuerunt ad expellendum prædictos Johannes de Solario, Nicolinus Casinus, & viri CCC. de Villis Astensibus, & diruerunt omnes domos Pastronorum, & eorum sequaces. Sequenti Mense Junii Theodorus Marchio Montisferrati volens intrare Vignale, non potuit, quia illi, qui tenebant Vignale, non permiserunt dictum Marchionem intrare. Tunc ipse Marchio vastavit Vignale. Sequenti Mense Forenses de Vignali plures ceperunt de Villa Vignalis, & etiam occiderunt.

CAP. LVI.

De Fame valida, & Peste in multis Provinciis.

Notum sit omnibus præsentibus & futuris, quòd Anno MCCCXV. fuit fames valida in regionibus Alamanniæ, Olandiæ, Flandriæ, Pannoniæ, Lovaniæ, Brabantiæ, & Franciæ, talis, quòd similis non est à seculo audita, quia granum, quod caperet Astensis mina, vendebatur XV. grossis Turonensibus; & pinta boni vini ad

(85) Post sequentia ommissa capita duo 56. & 57. aliud caput 58. de Henrico agens Comite Lucemburgico in Imperatorem electo, narratis huc usque de Marchione Theodoro rebus conjungitur in Chronico Montisferrati pagina 106.

ad mensuram Astensem in supradictis locis vendebatur tribus grossis Turonensibus; & tantum duravit dicta fames, quòd aliquo pretio frumentum, & avena, & vinum non inveniebantur. Et hæc acciderunt ex abundantia pluviarum, quia in diebus illis pluvia de Cœlo non cessavit: ex quibus pauperes innumerabiles obierunt fame, & inveniebantur in viis & plateis mortui sicut canes. Post hæc Epidemia, seu mortalitas supervênit tam divitibus, quàm egenis, ex qua tertia pars virorum & mulierum supradictarum Regionum obierunt, & maximè Rex Franciæ, qui non regnavit per Annum. Et tantum duravit, quòd quasi non inveniebatur, qui mortuos sepeliret. Et hoc verum est, quia multi Astenses habitantes in illis partibus venientes Ast, & fugientes famem illam & pestem, approbabant, & dicebant, omnia supradicta esse vera. Et in fine omnes ejusdem patriæ asserebant firmiter, quòd ex tali fame, & Epidemia tertia pars virorum & mulierum obierunt.

CAP. LVII.

Præcepta data filiis meis pro meo Testamento.

EGo Guilielmus cùm essem annorum LX. (86) Anno MCCCX. ignorans finem meum, nolens intestatus decedere domi natis meis infrascripta mandata dedi, dum viverem, functus mentis & corporis sanitate, & eisdem præcepi, ut cunctis diebus suis in eorum fixa sint cordibus.

Primum, ut Dominum Deum timeant, & præceptis ejus obediant, & ultra illum alium timere non debeant, qui potest & corpus & animam perdere in Gehennam, sicut scriptum est in Luca. Matri eorum honorem conferant, & cunctis diebus serviant ei. Memores sint, quanta passa est in utero propter eos, & multa mala in eos nutriendo sustinet tota die. Scriptum est enim in Exodo: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*. Communi, & Civitati eorum obediant, & fideles eisdem persistant, & cunctis viribus resistant omnibus pugnantibus contra ipsum, eo quòd in Catone scriptum est: *Pugna pro patria*.

Officia & Consilia Communis pro posse vitare debeant. Multos de Popularibus mendicare vidi, sectantes Communis Consilia; ac etiam mihi nocuit, prout sciunt.

A Medico juvene caveant sibi, & ejus violentas medicinas sumere non præsumant; sed honorent Medicum propter necessitatem. Si eorum itinera erunt per loca, non vitent sociari ad mensam Majorum vel ditiorum ipsis; sed prima fercula capere non præsumant; & pauci sint ibi eorum sermones; & in loco novissimo mensæ recumbant, quia *qui se humiliat, exaltabitur*.

Si tribulati fuerint in aliquo, in personis, & bonis, patientes sint ad omnes, & ex eo eorum familias contristare non debeant, quia in multas tribulationes fui, & per patientiam liberavit me Dominus; & sciant, quòd *per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*.

A Filii mei, quia fratres sunt, dilectionem habeant inter se, sicut eos dilexi; & unus partem alteri contingentem minuere non præsumat. Et si filios genuerint, ad probitatem eos instruant, & eorum filias, & plus juvenes quàm poterunt, sapientibus viris nubant.

Non invideant super vicinos suos, vendentes plusquam ipsi, quia plures ex talibus viris mendicare vidi, eo quòd *qui festinat ditari, non erit innocens*.

In Divinis Scripturis novis & antiquis studeant; & Fabulas scriptas in Libris, qui *Romanzi* vocantur, vitare debeant, quos semper odio habui. Et in Catone studiosè legant, dum potuerint, dicente:

B *Discere ne cesses, curâ sapientia crescit.*

Eorum antiquos amicos, & patris, non dimittant; sed semper eis fideles existant, quia *amicus novus assimilatur vino novo*.

Justi & misericordes omnibus diebus suis sint, & eleemosynarii pro posse, & ultra; & maximè vicinis egentibus. Quia si egerint, non timeant in diebus suis inopes fieri, quia *numquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*. Non omnibus impossibilia narrantibus credant; & de re perdita & irrecuperabili non doleant.

Ego Guilielmus, sanus mente & corpore, mandato expresso præcepi filiis meis, ut invicem

C se se diligant, sicuti eos dilexi. Minores eorum majori obedientes sint; semper verò major eorum pro patre sit eis. Alium ordinem non capiant, nisi Matrimoniale (87) conjugium. Quando autem placuerit illi Creatori, qui me segregavit ex utero matris meæ, spiritum meum segregare, corpus meum sepeliri faciant ad Monasterium Sanctæ Annæ in monumento, quod ibi fabricare feci. Uxor mea, & heredes mei juxta me ponantur, & omnes, qui ab eis exierint. In die sepulturæ meæ in septem Ecclesiis campanas pulsari faciant, idest ad Monasterium Sanctorum Angelorum, ad Monasterium Turris, ad Domum, ad Sanctum Martinum, ad Sanctum Paulum, ad Sanctum Secundum de Mercato, ad Sanctam Mariam Novam in die obi-

D tus mei, nec ultra. Si possibile eis fuerit, super me plorare non debeant, quia in Deo spero, quòd anima mea in bonis demorabitur, & semen meum benedicetur à Domino.

Infrascripta legavi pro anima mea infrascriptis, ut eis dentur à filiis meis infra dies XV. post obitum meum.

Primò Monasterio Sanctæ Annæ florenum unum auri. Item Gracitæ & Gentæ filiabus meis florenos tres auri pro qualibet.

Item Hospitali Sancti Johannis de Burburo solidos decem Astenses.

Item Hospitali Sancti Marci solidos X. Astenses.

E Item Hospitali Sancti Evasii solidos V. Astenses.

Item Hospitali Sanctæ Mariæ Novæ solidos V. Astenses.

Item ad opus Planchæ de Versa solidos V. Astenses.

Item

(86) Hanc ego Historiam dum oculis citò percurrerem, & notis aspergerem, curans Historici ævum noscere, non semel in margine notavi tempus illud, quo Author ipse narratis rebus interfuisse testatur. Hìc plenam à suo testamento lucem accipio, cùm illius tabulas Ann. 1310. condidisse sextum agens ipse decennium dicat. Anno igitur 1250. vitæ limen attigisse constat. Quo ab illiterato sæculo ingens accipit pretium rude sed verax rerum gestarum testimonium ab Authore isto tunc vivênte relictum, quocum, alioque simili, si congruant illius ætatis facta à longè viventibus descripta, probamus; sin autem dissentiant, jure merito refellimus.

(87) Viro aliis in locis pietatem spirante traditum hìc sive consilium, sive præceptum & valde indignum. Amanuensis errore genuinum Authoris sensum vitiatum suspicor.

Item Fratribus Prædicatoribus, pro Missis canendis, solidos X. (88) Astenses.

Item Fratri Rodulfo de Gorzano ejusdem Ordinis solidos X.

Item Fratri Loysio Careocio, & Maynerio Caruto pro facere convivium ipsis, & Henrico Sertori, & Bartholomæo Roberto, & aliis sociis solidos XV. Qui omnes, antequam comedant, dicant septies pro anima mea *Pater noster*, quia multùm confido ex eorum orationibus.

Octavium Fratrem de Ponte dilectissimum diligant puro corde, & cunctis diebus suis serviant ei. Omnibus diebus eorum vitæ fideles ei sint, & heredibus suis. Verè sciant, quòd summa medicina fuit ipse omnibus necessariis meis.

Ego Guilielmus suprascripta præcepta, & infra, si qua fuerint, sub alligatione animarum suarum, & ad recipiendum Dominicam benedictionem præcipio filiis meis, ut attendere & observare debeant posse suo.

Item Liber iste *Memoriale Guilielmi Venturæ* vocabitur, in quo nullum verbum mendax scriptum est, quem alicui dare, vendere, præstare, & pignorare non præsumant ullo tempore sub obligatione prædicta. Et si qua scribenda ventura fuerint post obitum meum, scribi faciant, cùm eis placuerit.

CAP. LVIII.

Adventus, & gesta Henrici de Lucemburgo Imperatoris Romanorum in diversis locis in Italia, & in Ast præcipuè.

Henricus Lucemburgi Comes factus est Alemanniæ Rex Anno MCCCIX. demum Imperator est electus per Clementem V. Summum Pontificem, qui ante fuerat Archiepiscopus Burdegalensis, & in diebus illis tenebat Sedem in Avignone, nec umquam Romæ fuerat, postquam factus fuit Papa. Tunc dictus Henricus Nuntios suos misit per universum Imperium, ut adventum ejus expectarent gaudentes, nec aliis obedirent; & hoc, quia Robertus natus Caroli quondam Regis occupaverat Cuneum, Albam, & alia loca Pedemontium, & venerat Ast causâ subjugandi Astenses. nec potuit: & hoc fuit Anno MCCCX. Mense Augusti. Tunc Rex Robertus fuit Alexandriæ, & subjugavit eam. Guilielmus de Invitiatis tunc Capitaneus Alexandriæ, & illi de Lanzavetulis nolentes obedire prædicto, exierunt de Alexandria, & occupaverunt plures Villas, prœliantes quotidie contra Civitatem prædictam. Anno MCCCX. prædictus Rex Henricus congregata multitudine militum plusquam 6000. (89) inter quos erant Episcopus Leodiensis, Archiepiscopus Treveriensis, Amedeus Comes Sabaudiæ, Philippus ejus nepos, Dux Brabantiæ, Guido Delfinus, & Veraldus frater Henrici prædicti; qui omnes prædicti cum eodem Henrico Mense Septembri appulerunt Secusiam. Ambasciatores Romani, Philippus Comes de Langusco, Maffæus Visconte tus tunc Forensis Mediolani, Pisani cum eorum militibus armatis, & XII. Ambasciatores de majoribus Ast fuerunt Secusiæ gaudentes, & sperantes, quòd Lombardia pacificaretur per prædictum Henricum, qui deinde vênit Taurinum. Viri de Ipporegia primi fuerunt, qui fidelitatem fecerunt dicto Henrico; deinde vênit Cherium, & Cherienses illud idem fecerunt. Post hæc vênit Ast die X. Novembris Anno MCCCX. & cum eo, invitis Solariis, & aliis Guelfis, duxit illos de Castello, & alios Gibellinos, qui foris steterunt per multos annos. Tunc dictus Henricus, congregato Consilio super voltas de Domo, ibi fuit; & ordinatum est ibi, quòd fieret fidelitas eidem, sicut prædecessores Astenses tenebantur antiquis Imperatoribus; & ex hoc Philippus de Vialo, & Benedictus de Pelleta Syndici juraverunt prædicta attendere. Et prædicta confirmavit Andreas Garrettus præcepto dicti Henrici, stantes ambo super Solario Consilii. Et dictus Henricus ore suo dixit, & confirmavit Astensibus antiqua privilegia, & de novo, si opus esset, & bonos mores conservare promittens: & hoc præsentibus omni Populo Astensi, & ejus militibus armatis in Mercato de Domo. Crastina verò die dictus Henricus non fuit contentus; sed congregato universo Populo per modum concionis in Mercato de Sancto, omnibus militibus suis armatis equis & armis, stans ipse Henricus super Solarium illorum de Comentina, proponi fecit à Nicolao de Silebanis Senensi, quòd baylia eidem Henrico concessa non sufficit. Tunc quidam formagiarius nomine Guilielmus de Vayro surgens super tabulam unam, & tenens Capucium in manu sua, elatis manibus clamabat alta voce, dicens: *Consulo, consulo, mi Domine, ut tibi detur generalis baylia Civitatis Astensis, & ejus districtus*. Tunc Nicolaus prædictus stans super Solarium dixit: *Cuicumque placuerint verba Guilielmi prædicti, stet super pedes suos; alii verò in terra sedeant*. Tunc ibi rumor maximus fuit. Quidam clamabant: *fiat fiat*; alii verò pro majori parte *non non*. Tunc scribi fecit Henricus prædictus in Canonis suis, & autenticari, quæ dixerat Guilielmus de Vayro. Tunc dictus Henricus Vicarium elegit Nicolaum de Bonsignorio, & novas leges imposuit, & Castra Astensium gentibus extraneis ad bursam Astensium fecit muniri; onera gravia, & fodra importabilia super illos de parte Guelforum imposuit; & hoc in vindictam, quòd Regi Roberto fidelitatem præstitissent: ex quibus Astenses turbati sunt valde. Ac etiam ordinavit, quòd ultra tres viros intra sese non præsumant congregare. Vox una, & fama erat, quòd Philippus de Sabaudia consilio suo in his illis de Solario & sequentibus eos nocuit, eo quòd introduxerant Robertum Regem in Civitatem Astensem. Sciendum est, quòd Amedeus Comes Sabaudiæ, & Philippus Princeps promoverunt (90) dictum Henricum ad veniendum in Lombardiam: ex quo Philippus Rex Franciæ tur-

(88) Hinc deduci commodè potest quanti solidorum veterum moneta valeret, si pro operandis cum symphonia Sacris solidi decem, & pro dando tot Personis Epulo quindecim ex legato relicti non modò sufficere, sed abundare potiùs debebant.

(89) Cùm arabicus altero Manuscripto in Codice numerus duplicetur, & signet 3000. cui ex duobus, quos adhibeo, fides habenda esset, prorsus ignorarem, nisi editus à Sangiorgio textus à supradicta me dubitatione liberaret, cùm non per numeros, sed per literas exprimat: *tribus millibus*.

(90) Philippus iste de Sabaudia, Achajæ solo titulo Princeps, nepos erat ex fratre Amedei, paternæ usurpatæ sibi Sabaudiæ Comitis, cujus hortatu Imperialis ab Henrico VII. Augusto Vicarius Papiæ, Vercellarum, Novariæ, ac Pedemontis est constitutus, ut rem Gallico Regi minimè gratam fecit, Imperatoris in Italiam adventus Author dum fuit, ita neque fidam Imperatori operam præstitit. Hæc omnia ab Astensi nostro partim ommissa, & partim vix indicata, fusè magis & clarè narrat suppar alius Author Joannes de Cermenate capitibus 42. 43. & 50. in hac collectione Tomo IX.

turbatus est valde. Tunc ego Guilielmus Ventura vidi Domum Sabaudiæ per manum Francorum Regis positam in ruinam occasione prædicta.

CAP. LIX.

Quando Imperator recessit ex Ast, & ivit Casale, Vercellas, Novariam, & ad alia loca.

Tunc dictus Henricus exivit de Ast die XII. Decembris, & ivit Casale, Vercellas, & Novariam, quæ omnes Civitates exceperunt eum gaudentes, & fideles factæ sunt, & tributum ei dederunt ex auro suo. Audiens Guido de Turre, qui tunc Capitaneus erat Mediolani, timuit; & congregata multitudine peditum stipendiariorum, quos vidi, voluit occurrere prædicto Henrico. Philippus de Langusco consuluit Guidoni, ne prædicta faceret; & ita prædictus Henricus intravit Mediolanum in Vigilia Nativitatis Domini, & voluit habere dominium Mediolani (91), per modum concionis facta petitione ad Sanctum Ambrosium; & ibi Andreas Garrettus (92) prædictus ex Condominis Ferreriarum, Imperatori fidelissimus & carissimus, Juris utriusque Doctor, & Secretarius Cæsareus Astensis, similia verba proposuit, quæ super solario Consilii Astensibus dixit; & sic concessa est baylia generalis Mediolani ad voluntatem suam. Tunc voluit habere florenos centum millia auri, quos eidem dederunt inviti. Post hæc dictus Henricus, & ejus Uxor acceperunt Coronam Ferream ad Sanctum Ambrosium in Festo Epiphaniæ Domini, prout vidi. Turbati sunt illi de Modoëtia, quia coronatus non fuit ibi; & duxerunt illum Modoëtiam, & eidem dederunt florenos auri quinque millia, eo quòd liberos eos fecit à Mediolanensibus. Deinde linguæ detrahentes, & malignæ promoverunt Henricum prædictum taliter quòd Guido de la Turre expulsus est de Mediolano, & omnia bona ejus destructa sunt; & Archiepiscopus Mediolani, & alii per tres annos extra Mediolanum steterunt. Post hæc dictus Henricus habuit ab illis de Mediolano ultra eorum voluntatem florenos auri quinquaginta millia. Post hæc ivit Papiam, & in Festo Paschæ ibi fecit, & ordinavit plures Milites Papienses, ut etiam fecerat in Epiphania Domini plures Milites in Mediolano. Sciendum est, quòd centum Milites Astenses steterunt in Mediolano ad bursam Astensium, donec dictus Henricus stetit in Mediolano, qui stetit ibi per menses quatuor. Tunc dictus Henricus misit Vicarios suos Parmam, Brixiam, Placentiam, Papiam, & Bergamum; & Franciscum de Cravesana misit Cremonam, qui parum ibi stetit, & inde expulsus fuit. Pars Guelfa de Como expulsa est; & inde die prima Julii Henricus prædictus præbuit auxilium Forensibus dictæ Terræ. Similiter accidit Guelfis Novariæ. Henricus nuntios suos misit Cremonam, ut eidem obedirent; & noluerunt. Tunc cum exfortio suo, & eorum militum, qui innumerabiles erant, & peditum Mediolani, & aliarum Civitatum Lombardarum, præparavit se ad pugnandum contra Cremonam. Audientes hæc Cremonenses timuerunt, & habito consilio venerunt obviam dicto Henrico nudis pedibus, & funes super colla sua ferentes, tam viri, quàm mulieres, Clerici, ac Monachi, extra Civitatem Cremonæ per milliaria tria; qui cùm vidissent eum à longe, flexis genibus clamabant una voce dicentes: *Parce Domine, parce Populo tuo; & væ nobis, væ nobis, quia peccavimus*. Quæ videns Henricus, noluit eis misereri (94), sed introivit Cremonam, & introduxit Forenses, qui banniti fuerant de Cremona per annos XLV. Tunc diruit muros Civitatis, domos magnas, & multas turres, & super eos pessimam sententiam ab Andrea Garretto prædicto pronuntiare fecit. Primùm condemnavit Cremonam ad dandum dicto Henrico florenos auri centum millia, & quòd deinde non appelletur Civitas, & quòd totum posse eorum, & reditus sint, & perveniant ad Cameram Henrici prædicti; & alia multa mala innumerabilia eidem fecit.

CAP.

IX. editus. Istiusmet Philippi Sabaudi bonus erga Imperatorem animus videatur capite hujus Historiæ 53. dum meditantibus ab Imperatore defectionem Astensibus se minacissimum præbuit.

(91) Mediolanum Italici Regni, & Romano-Germanici Imperii Civitas revera tunc erat, ut nunc apud omnes est prorsus indubia. Quomodo ergo illius dominium voluisse dicitur Imperator, quod ipse jam velut Imperator habebat? Apparens in hac Imperiali voluntate implicantia penes illos illico ruit, qui tritissimum geminæ naturæ dominium agnoscunt; directum scilicet & utile. Primum sui ex necessitate gradus Imperatori competit super omnes Imperii Principatus & Principes. Alterum uniri cum primo potest, adeò ut Imperator ratione primi sit Imperii totius caput & Dominus generalis, ratione secundi suo sit in Imperio membrum particulare, sibimetipsi subjectum. Id etiam ita evenisse in Urbe Astensi, & quomodo & cur evenerit, fusiùs & clariùs in præcedenti hujus Historiæ capite narratur. Astenses enim ita decrevisse dicuntur: *Quòd fieret fidelitas eidem* (Henrico) *sicut Prædecessores Astenses tenebantur antiquis Imperatoribus*. Ecce dominium Imperiale directum, suam super Urbem ab Astensibus tunc & antiquitus agnitum. Videatur directo huic antiquo, novum tunc utile aliud ab Henrico superadditum; cùm unus de Populo ita clamaverit: *Consulo mi Domine, ut tibi detur generalis baylia Civitatis Astensis, & ejus districtus*. Et ita consulenti turba consentiens alteram adversùs dissentientem victrix responderit: *Fiat, Fiat*. Ab Imperii Civitatibus utile dominium, Imperator earum directus Dominus sibi dari curabat, ut omnibus pæne in Urbibus factionum morbo laborantibus vel civilem vel extraneam tyrannidem deleret. Id ut præstaret suo ex munere & Pontificis hortatu in Italiam venerat, teste Platina in Clemente V., & nisi præstitit, Itali ipsi malorum suorum Authores ut cap. 61. primis habetur in lineis, in causa fuerunt. Hæc meminisse juvabit, cùm eadem infra de Januensibus, Henrico Cæsari sponte subactis, occurret memoria.

(92) Garrettensis Familiæ nobilitas & meritum videri possunt capitibus 9. & 34. hujus Historiæ.

(93) E duobus, quæ sequor, Manuscriptis, unum habet Palmam, aliud Parmam, quo utroque nomine unam eamdemque ambo exprimunt Civitatem, nec hinc longè habemus exemplum in capite 61., ubi Civitas eadem nominatur in altero MSto Palma, nec nisi eadem hic exprimitur Henrico fidelis, eidemque ibi facta rebellis.

(94) Redeuntis ad frugem Cremonæ, & obstinati nimis in illius ultionem Cæsaris acta omnia, ut more suo elegantiùs, ita uberiùs Scriptor alter æqualis Joannes de Cermenate, lectu maximè dignus à capite 33. usque ad totum 35. ut Vir verè Historicus, neque Principem, neque Populos palpans; facilem nimis istorum ab illo defectionem, & minimè solitum illius in istos rigorem dolenti sinceritate narrans, atque ostendens quæ ille sibi clementiæ oblitus, quæque isti sibi à fide devii attulerunt incommoda.

CAP. LX.

De obsidione Brixiæ.

HÆc audientes viri de Brixia Ann. MCCCXI. præparaverunt se ad pugnandum contra dictum Henricum, qui obsedit Brixiam undique, & cum eo erat multitudo gentium peditum & militum, inter quos erant milites 70. & pedites plusquam mille ad bursam Astensium. Quidam detractores promoverunt Henricum contra Solarios, & eorum sequaces, ex quibus detenti fuerunt in Ast XIV. de majoribus. Postea ipsos conduxit in Brixiam, nec inde reversi fuerunt, donec Brixia capta fuit. Et ultra dati fuerunt Uxori dicti Henrici floreni 2000. auri; & multi ex eis obierunt, antequam essent in Ast. Tibaldus Brusatus de Brixia captus fuit, & morte turpissima occisus. Corpus ejus in quatuor partes divisum fuit, & caput ejus super lignum cum partibus corporis steterunt, dum duravit obsidio Brixiæ. Tunc omnes, qui capti erant à Brixianis, excorticabantur, & pellis & caput extendebantur super muros Civitatis. Veraldus frater dicti Henrici occisus est ex uno quarelo, & flevit eum omnis exercitus. Illi de Brixia super muros deridentes respondebant opprobria multa. Corpus ejusdem sepultum est in Verona. Multa prœlia data sunt Brixiæ cum machinis & quarelis; & ibi erant mille Balestrarii Januenses. Multi quidem de exercitu mortui fuerunt ferro, alii verò crudelissima epidemia in omni parte prædicti exercitus continuè vexati absque ullo remedio mortui sunt quasi tertia pars eorum. Equi eorum & jumenta à muscis occisa sunt in magna quantitate. Novissimè venerunt tres Cardinales, (95) qui pro hoc exercitu pactum fecerunt cum Brixianis, & introduxerunt dictum Henricum in Brixiam; & ex pacto dederunt dicto Henrico florenos auri 70. millia & dirui fecit muros Civitatis. Multa mala passus est Henricus prædictus, & gentes ejus expensis, ferro, peste, & epidemia. Dicitur quòd ibi mortui sunt plusquam decem millia viri bellatores. Tunc dimisit Brixiam.

CAP. LXI.

Quando Henricus vênit Januam.

ET vênit Januam Anno Domini MCCCXII. cum paucis militibus. Variis pestibus meritò afflicti sunt Lombardi, quoniam Henricus Romanorum Rex inculpabilis fuit (96), quia venerat tamquam Rex mansuetus ad pacificandum Lombardos, nec potuit, quia pars prænominata Guelfa non potuit esse vicina illorum, quibus dominari solebat; & Gibellini voluerunt antiqua opprobria vindicare; & ideo comparantur Anguillæ, quæ nec per caput neque per caudam manu teneri non potest. Guelfi de Bergamo exeuntes dicebant: *Expulit nos injustè de Bergamo*. Papienses prœliati sunt insimul, dum essent Comes Philipponus, & Manfredus de Beccaria in exercitu Brixiæ, & ex eis mortui sunt plures gladio. Pars Manfredi de Beccaria exivit de Papia. Philippus de Sabaudia Vicarius Papiæ cepit personaliter Manfredum de Beccaria, & in custodia posuit eum. Vercellenses prœliati sunt insimul, & ex eis mortui fuerunt plures gladio; & tertia pars Vercellarum combusta est; & prœliati sunt per dies 40. & nullus eorum inde exivit. Brixiani inter sese maximè prœliati sunt. Pars Guelfa mortua fuit; & qui remanserunt, expulsi sunt inde. Eodem Anno multæ rixæ & seditiones fuerunt Vercellis. Nam Philippus de Colobiano aliorum Advocatorum ope tyrannicè gubernabat; & volens Henricus reponere Titiones in Civitate, obstantibus Advocatis, sæpe pugnatum fuit; sed recedente Henrico, vicerunt Advocati, & sic Titiones exules permanserunt. Cremonenses partem Gibellinam expulerunt, & ex illis multis occiderunt. Parma rebellata est contra Henricum Romanorum Regem. Et excusabant se dictæ Civitates, dicentes, quia constituit ex auro Maffeum Viscontum in Mediolano, Canem de Scala in Verona, qui semper in dictis Civitatibus Tyranni fuerunt. Januenses susceperunt dictum Henricum honorificè, & constituerunt illum Dominum suum (97) ex pacto facto cum Ambasciatoribus Januensibus in

(95) Tres istos nominat Cardinales laudatus pluries synchronus Author Joannes de Cermenate cap. 42. ubi de illis hæc habet. „ Itaque in „ Regis Castra opportuni cunctis veniunt Cardinales Legati, Hostiensis, Albanensis, & „ Lucas de Flisco, quos Summus Pontifex destinabat Romam, ubi à Francisco de Campo-„ Floris similiter Cardinali & Legato expectabantur, imposituri aureum diadema Regi.

(96) Hæc Henrico VII. Imperatori laconicè data laus, quàm debita fuerit, dignissimis tanto Principe verbis & factis coævus alter de hoc Augusto Scriptor luculenter ostendit cap. inter alia 18. 23. & 57. jam laudatus in notis superioribus Author. Æquè magnam ac veram Cæsaris istius virtutum ipse quoque Admiratus Florentinæ Henrico infensissimæ Urbis Historicus, merita fraudare laude non potuit lib. 5. Florentinarum Historiarum Anno 1313. pag. 259. lit. E. *Vir Sapiens, Justus, & Gratiosus, in armis strenuus, Catholicus & Honestus* ab Archiepiscopo Florentiæ Divo Antonino laudari etiam meruit in 3. Par. Historiali Titulo 21. capitulo 2. §. 8. In Historico rerum Savonensium Compendio ab Augustino Maria de Montibus Romæ typis edito Anno 1697. pacificus hujus Imperatoris animus commendatur pag. 79. sub Anno 1311. dum intestinas Januensium discordias pacare laborabat, à quo Savonensibus petentibus Agri & Urbis suæ jura confirmata fuerunt.

(97) Vidimus & observavimus capite 59. & data ibi nota 91. hunc Imperatorem voluisse & obtinuisse utilem in Civitatibus Mediolani, & Hastæ dominationem, ultra directam sibi supra omnes Imperii Populos debitam, ut à sua inseparabilem dignitate. Gemino huic exemplo par aliud Januæ secutum, quid significet, luce clarius esset, nisi hac de re Januenses inter se Scriptores, ab antiquis nempe moderni discreparent. Justinianus Nebiensis Episcopus in indice suo Annalium Januensium libri 4. susceptum hoc ab Henrico penes ipsum VI. & penes alios VII. Januensis Urbis, & status regimen, admissi suam in Patriam extranei Principatus initium appellat, repetitæ postea & amissæ sæpiùs libertati subsecutas alias Alienigenarum dominationes, secundam, tertiam &c. temporis ex ordine vocat. Quamvis tamen suo Imperio, ut suo quilibet in Principatu Princeps nusquam sit extraneus, lætam nihilominus à ditione tali veritatem nec ego arbitrarer, nec alius quisquam discretus arbitraretur interpres, cùm reapse peregrina ea dici dominatio possit, quæ apud Cives stare suos solita, in alterius Civitatis vel Provinciæ homines migraverit. Sed cum Januensibus antiquis documentis atque Scriptoribus conciliari nullo modo potest, quod libris integris in lucem editis animosior inter suates Raphael à Turri publicare non erubuit, suam nempe Januam, & subditam Januæ maritimam Liguriam à Romano-Germanico Imperio fuisse & semper durasse penitus abscissam. Sua tamen in Cyrologia, Anno 1642. Genuæ publici juris facta, ipse secum pugnans,

in Mediolano cum dicto Rege, & eidem dederunt florenos auri LX. millia. Mense Decembri Uxor dicti Henrici defuncta est, quam vidi in domo Fratrum Minorum, ubi sepulta fuit tam honorificè, quod vix potest credi. Flebant omnes, qui noverant eam, eo quòd erat laudabilis, Catholica, & Eleemosynaria inter ceteras mulieres. Henricus prædictus novitates plures voluit Januæ facere, nec potuit. Volebat habere Castrum Januæ, & deponi in manu sua, & deponere Abbatem Populi, nec potuit. Tunc milites dicti Henrici infirmabantur, & multi ex eis obierunt propter Epidemiam, quæ tunc Januæ erat; & ideo dictus Henricus non audebat stare in Civitate Januæ, & semper stabat ad loca de foris Januæ; & per menses quatuor stetit ibi.

CAP. LXII.

Quando Henricus ivit Pisas.

ANno Domini MCCCXII. Henricus prædictus fuit Pisas per mare, & secum duxit paucos milites. Tunc Guido de Turre erat Florentiæ, & promovit Florentinos, & alios Toscanos Guelfos contra dictum Henricum, & congregaverunt circa 4000. milites ad domandum eum; & ipsi noluerunt eum recipere, sed ipsum insidiabantur consilio & favore Regis Roberti ut non intraret Romam. Die verò III. Aprilis horâ vespertinâ dictus Henricus cum paucis militibus, & quasi occultè equitavit illa nocte per maremmam, donec pervenit ad terram Comitum de Sancto Florio, & ibi stetit, donec ejus milites applicuerunt ibi. Post hæc die III. Madii intravit Romam quasi violenter quia Johannes frater Regis Roberti erat ib cum Ursinis & militibus plusquam mille. Illi de Como, & Forenses Toscani, & Populus Romanus pro majori parte, qui erant cum eo, dicebant ei, quòd habebant secum milites 3000. Cardinales tres, quos miserat Papa cum eo, voluerunt eum coronare ad Sanctum Johannem Lateranum, qui noluit, & cupiebat ad Sanctum Petrum; nec potuit, quia Ursini cum prædicto Johanne munierunt Sanctum Angelum, & Sanctum Petrum. Quadam verò die dictus Henricus succensus furore voluit prœliari contra inimicos suos. Principes ejus, & Populus Romanus non permiserunt eum exire; sed prædicti omnes exierunt ad pugnam, & vi ceperunt Capitolium, Militias, & Campum de Flora, & pervenerunt usque ad Sanctum Angelum. Adversarii verò exeuntes prœliati sunt insimul taliter, quòd ab utraque parte mortui sunt multi, quorum fuit Episcopus de Letto, & Petrus de Sabaudia. Audiens hæc Papa misit nuntios suos Cardinalibus Romæ, ut darent Coronam prædicto Henrico ubicumque vellet. Qui coronaverunt eum intra Ecclesiam Sancti Johannis de Laterano in Festo Beati Petri à Vinculis absoluti, primo die Augusti Anno MCCCXII. Post hæc nominatus est Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator & semper Augustus. Raynerius de Grimaldis stabat ante fines Romæ pro Rege Roberto, prohibens vi-

gnans, sui validissimus est impugnator. Ita enim cap. 22. dicit: *Sed Regno Italiæ contributa tandem Genua, ejusdemque vicissitudinibus conflictata, eo usque permansit in fide, quo ipsum concidit Regnum*. Cap. postea 23. de Regni ejusdem dissolutione agens dicit: *quo bello* (per Imperatorem Federicum Primum contra Ecclesiam gesto.) *Italiæ inclytum Regnum, quod à duobus posterioribus Henricis* (quarto & quinto) *agitatum Lotharius Saxo, Germaniæ & Italiæ Rex ac Imperator, Conradusque Secundus Germaniæ Rex restituere frustra tentaverat, convulsum Gibellinorum Guelphorumque è Germania famosæ factiones penitus prostraverunt*. Si ergo Genua Italici Regni Civitas *eo usque permansit in fide, quo ipsum concidit Regnum*, ad hæc usque indicata prostrati penitus hujus Regni tempora fidelis haberi ab omnibus deberet, sed idem à se ipso dissentiens Raphael à Turri diversam Lectoribus suis exhibet opinionem cap. 26. ita scribens: *Genua igitur non expectato post Ottones, Henricosque Italici Regni interitu, cum cæteris Italiæ Urbibus ad libertatem emersit, sed Henricis ipsis Ottonibusque florentibus . . . . à jure quocumque alieno in libertatem vendicavit*. Advertantium verò sibi documentorum vim ipse sentiens, ut illorum auctoritatem infirmet, Feudalibus ab utroque Federico Avo & Nepote datis privilegiis, fœderis & contractus larvam imponit. Eo tamen tempore Januensis Populi gesta à tunc viventibus scripto consignari cùm cœperint, Scriptoribus illis Raphaelem à Turri posthabendum omnes æquitatem amantes censebunt. Illorum ergo unus, isque gravissimus omnium Januensium Caffarus, audiri hoc loco maximè meretur. Iste sui temporis acta scribens de Patriæ suæ Legatis à Federico I. Augusto Papiam vocatis ita sub anno 1162. loquitur, ut videri potest hujus editionis Tomo VI. colum. 279. lit. E.: *fidelitatem Imperii juraverunt, & determinatum servitium, sicut in Privilegiis scriptum habetur, facere promiserunt*. Æquè clara & convincentia Cæsareæ super Januam superioritatis testimonia plusquam multa egregio isto Caffari, & suorum ex mandato publico Continuatorum traduntur in opere, cujus ab auctoritate recentiores alii antiquitatum Januensium Scriptores si discedant, nullius ipsi fiunt auctoritatis. Hoc utinam opus à selectis ab urbe sua viris ad hujus usque Henrici tempora fuisset perductum, & minimè nunc notæ istius lumine Henricus iste Imperator indigeret ut directus Januæ dominus, quales ante ipsum Prædecessores sui, suique postea fuere successores. Suus propterea ex filio nepos Carolus IV. Vicecomites Mediolani dominos ab Arce Monœci usque ad Corvi promontorium suos & Imperii Vicarios creavit, ut Corius affirmat in Historia Mediolanensi Par. 3. ad an. 1355. Maximilianus I. Cæsar Austriacus anno 1507. Januam ut Imperii urbem, sibique ut directo Domino subjectam, Ludovico XII. Galliarum Regi, dira in ipsam sibi rebellem meditanti, enixè commendatam voluit, Auctore Guicciardino in Historia Italiæ lib. VII, sed conspicuo magìs uti possumus teste, Privilegio nempe quod ab eodem Maximiliano Augusto Januenses impetrarunt, & Raphael à Turri sua in Cyrologia sub lit. S. 2. publici juris fecit. Ita enim in illius initio Imperator loquitur: *Sanè ut intelleximus Cives & Communitas Civitatis nostræ Imperialis Genuæ &c.* Et cùm illius in fine ita etiam de Germanica Urbe loquatur, vim suæ locutionis ostendit: *Datas*, inquit, *in Civitate nostra Imperiali Augusta die 4. mensis Aprilis Anno Domini* 1513. Id olim ut verum, ita gratum fuisse Januensibus ea suadent, quæ à Carolo V. Imperatore multa ipsi acceperunt Privilegia, quorum in aliquibus à Federico de Federicis pag. 122. & 124. Fliscanæ Historiæ, & à Maximiliano Deza in Historia Spinularum pag. 335. publica luce donatis, legere omnes possunt adhibitam istam propugnatæ hactenus veritati faventem formulam: *Dat. in Civitate nostra Imperiali Genuæ &c.* Brevi jam nota delibasse sufficiat, quod integræ Historiæ abundaret argumentum. Mihi quoque sufficit contra Januenses Scriptores, Scriptoribus & documentis munitus Januensibus certam patrocinasse veritatem, certus etiam ego ab ista factus non posse Januenses minimo sibi pudori ducere amplissimam atque tutissimam sub S. R. Imperio libertatem, quam digniores ipsa & potentiores in Orbe Reges Ducesque maximo sibi ducunt honori.

A victualia Domino Imperatori. Quadam die dum audiretur, quòd Pisani mitterent victualia Romæ, dictus Raynerius cepit dicta victualia & galêas violenter. Januenses hoc audientes, armaverunt galêas XV. & miserunt post Raynerium prædictum, & non invenientes eum reversi sunt Januæ. Imperator prædictus exivit de Roma, & ivit ad Tibolum.

CAP. LXIII.

De Comite Guarnerio.

COmes Guarnerius de Apspurg remansit in Lombardia ad pugnandum contra rebelles B Imperatoris; occidit autem gladio Marchionem Guilielmum Cavalcabò in Soncino, & multos alios de majoribus Cremonæ, & multa mala intulit Papiensibus. Post hæc ipse cum Mediolanensibus Vercellas intravit cum militibus circa mille, & prœliati sunt cum Philippo de Sabaudia; & mortui sunt de ejus familia plures. Et dictus Philippus intravit cum Advocatis, & etiam alii cum Titionibus; & ibi steterunt per mensem unum, quotidie prœliantes. Tunc facta est tregua inter ipsos inde ad duos menses. Transactis verò XV. diebus Philipponus Comes de Langusco intravit Vercellas, & posito igne in domibus de Titionibus, & sequentium eos, expulsi sunt prædicti de Vercellis; & plures eorum capti, & mortui fuerunt mense Augusti currente Anno MCCCXIII.

CAP. LXIV.

Imperator vênit in Tusciam.

MEnse sequenti Septembris Anno MCCCXII. Imperator prædictus vênit Aretium, & ivit super posse Perusiæ, guastando ibi, quia ei obedientes non erant. Post hæc vênit super posse Florentiæ, & obtinuit aliqua eorum Castra, & Villas, & castrametatus est cum exercitu suo juxta Florentiam circa milliaria duo. Florentini, & alii Toscani pro majori parte rebelles (98) & inobedientes erant Imperatori, & non sequebantur eum, nisi Pisæ (99), Aretium, & Cor-

(98) Num subditi S. R. Imperio Florentini fuerint & sint, magna nostri temporis questio facta est, pro qua & contra quam stantes, Gallica, Latina, & Italica lingua eruditi nuper multi prodiere conatus. Abstrusiora causæ istius viscera penetravit Anonymus natione Theuton, & egregius lingua Italus, mihi amicissimus Gottifredus Philippus de Spannagel, C Cæsareæ nunc Vindobonensis Bibliothecæ Vicecustos, qui Mediolani degens annis 1724. & 1725. duo edidit magnæ molis & eruditionis volumina, quibus aggressum opus: *Vera Libertà Fiorentina* inscriptum, Eruditis optantibus dedit absolutissimum. Tot tamque claris firmata præsidiis juris Imperii veritas atque justitia in Comitiis Cameracensibus agnita & judicata fuit. Idem deinde cùm agnoverit & judicaverit facta Anno 1725. inter Imperium & Hispaniam felicissima pax, quidquid roboris esset optandum, justitia & veritas eadem totum accepit. In illius enim articulo sexto arescenti Magnorum Hetruriæ Ducum Mediceæ Familiæ Primus Philippo V. Hispaniarum Regi à secunda Uxore Farnesia Natus, eventuali, ut ajunt, ab Imperatore Carolo VI. donandus investitura, successor est assignatus. Optimo id actum jure antiquus iste D comprobat Astensis Historicus, nunc primùm & opportuno tempore in lucem datus, qui Florentinos Henrico VII. obsequium denegantes, vivens tunc ipse testis pro rebellibus habuit. Quis verò tales non haberet? si pro talibus ipsi se Florentini habuerunt, ut qui ab Augusto supradicto rebelles renunciati, & rebellium pœnis addicti, (quod certissimum memorabile factum an Author iste tacuerit, an illius exscriptor omiserit, ignoro) à Carolo IV. Henrici VII. per Filium Nepote Augusto, admissa ab ipsis culpa, & inflicta ab illo pœna liberari petierunt & obtinuerunt. Florentino Florentinæ Reipublicæ Scriptore Ammirato lib. 5. ad an. 1313. pag. 258., & ad an. 1352. pag. 542. damnatæ & absolutæ Patriæ suæ dato Teste, Augusti utriusque damnantis & absolventis legitima supra damnatos Rebelles, & eosdem supplices absolutos E posita in tuto lucet auctoritas, contra quam pro Florentinis illam confitentibus, æquæ & sanæ mentis nemo non videt.

(99) Probatis supra ex Florentina rebellione subjectis S. R. Imperio Hetruscis, firmissimam aliam ex Pisanorum fidelitate probationem Author iste tunc vivens nostro tempori opportunam suppeditat. Ferè semper omnes inter Hetruscos Pisanorum erga S. R. Imperium fides effulsit maxima, & maximus amor. Hujusmodi amoris & fidei laude, ac merito Pisanos Divus Bernardus agnovit maximè claros, & suo maximo elogio clariores fecit. Audiendus est Sanctus iste Clarevallensis Abbas pro Pisanis apud Lotharium II. Imperatorem calumniatis, ita eidem scribens; ut legi potest in hac etiam ipsa Rerum Italicarum collectione Tomo 3. in Commentariis Constantini Cajetani ad vitam Gelasii II. Papæ pag. 407. lit. B. *Quænam quæso in omnibus Civitatibus sicut Pisa fidelis, egrediens & regrediens, & pergens ad imperium Regis &c.* Ipsi etiam audiantur Pisani de sua erga S. R. Imperium fide coram Federico Primo Imperatore ita gloriantes, ut Januenses referunt Caffari Annales ab Oberto Cancellario tunc vivente continuati, hujus Italicæ Collectionis Tomo VI. videndi colum. 315. lit. E. *Nos tales Vassalli sumus, quia fideliores nobis non invenietis.* Hactenus fidei Pisanæ meritum exterorum Scriptorum testimoniis probatum simul & commendatum est, nunc Pisanæ fidei collatum ab Imperiali Majestate præmium est cognoscendum, Pisano Teste dato antiquo Anonymo suis in recusis Tomo VI. colum. 173. Collectionis hujus Annalibus ad annum 1163. lit. D. ita dicentibus: *Ambasciatores Pisani Communis, ab Imperatore Federico Vexillum receperunt, & spatam pro Investitione Imperatoria super omnes Civitates Thusciæ.* Pisanis ergo inter Imperii subditos à Divo Bernardo numeratis, & inter Fideliores laudatis, & quod insuper notandum magis est, Pisanis ipsis Imperio subjectos esse se fatentibus, seque subjectorum fidissimos jactantibus, tantus tamen hac nostra ætate fuit & est in aliquibus animus, ut Pisanam inclytam olim Rempublicam, nunc valde amplam Magni Florentini Ducatus partem à Romano-Germanico semper Imperio sejunctam voluerint & velint, librisque editis ab omni superioritate liberam ubique prædicarint & prædicent. Quam ex istis Lector eat in partem, si sapiens, si æquus fuerit, ille viderit. Videat interea Pisanis in rebus minùs antiquis à Guicciardino magni nominis Historico Florentino narratis lib. 3. pag. 87. Jus Imperii adeò fuisse conspicuum, ut anno 1496. periclitante Pisana Libertate, & Pisarum dominio inhiantibus tum Venetis tum Florentinis, Maximiliani I. Cæsaris arbitrio agitatam de Imperiali Urbe litem, Dux Mediolani Ludovicus Sfortia committendam dixerit, & curarit. Natum deinde ex parte Pisani Agri Principatum Plumbini nullus ignorat. Hujus origo, amplitudo, & situs exactè strictimque describitur à Philippo Casono Rerum Januensium fæculi XVI. nupero Scriptore sub anno 1548. pag. 195. silente tamen procurasse sibi Januenses ab Imperatore Carolo V. Ilvam Principatus illius Insulam, ut Author est Ammiratus Florentinæ Historiæ lib. 33. sub eodem anno pag. 484. lit. A., qui Scriptor idem Ducem etiam Florentiæ Cosimum beneficiariam sibi Plumbini concessionem ab eodem Augustissimo Carolo V. quæsivisse diu & obtinuisse tandem affirmat citato libro ad an. 1552. pag. 488. lit. A., & pag. 491. lit. D. & E. Pisanæ igitur Urbis & Pisani Agri Superiores Austriacos etiam Imperatores discimus agnitos à peritissimis de Italico jure Ita-

Cortona. Et dictus Imperator stans in obsidione ibi juxta Florentiam multa damna intulit Florentinis; & intus Florentiam erat major quantitas militum & peditum, quam foris erant cum Imperatore; nec ausi fuerunt Florentini inde ad bellum exire. Et cùm ibi per menses duos stetisset, videns quòd nihil proficiebat ivit ad locum Sancti Cassiani, & eum destruxit. Inde omnes, quos poterat rebelles suos, & multas Villas destruxit, arbores, vineas, stans in dicta Villa per menses duos tempore hyemali. Postea reædificavit Pogebonum (100). Et sciendum est, quòd multa mala facta sunt ibi, antequam Pisas veniret, ab utraque parte, prœliantibus pluries; & mortui fuerunt plures, & capti, maximè Pisanorum. Dum staret Pisis, venerunt milites. Tertonenses (1), & quidem prœliati cum Pisanis ceperunt locum Sarezanæ per vim, & ibi multa spolia, & bona mercatorum invenerunt, & postea habuerunt Sarezanam; & omni die prœliabantur de Luca in Pisas, & de Pisis Lucam. Et Pisani multas impensas fecerunt pro Domino Imperatore, prout fama erat. Et audivi dici, quòd Pisani dederunt Imperatori postquam vênit Secusiam, usque ad obitum ejusdem plusquam 700. millia florenos auri; & multi Pisani ex prædictis mortui & captivi fuerunt apud Lucam & Florentiam. Anno sequenti MCCCXIII. Imperator paratus fuit cum militibus 3000. & galèis de Janua 25. & de Pisis 15. & de Sicilia 31., & volens ire super terram Regis Roberti, quem bannierat ad perdendam vitam, si potuisset ipsum habere, ivit super posse Senarum, & dum ibi staret in guastis, obiit ibi ex febre, & ex arenæ doloribus Anno MCCCXIII. in Festo Sancti Bartholomæi. Milites sui reversi sunt Pisas, & ossa ejus portaverunt in Alemanniam, & fuerunt Mediolani. Masseus Viscontus tunc dominabatur Mediolanum pro Imperatore.

CAP. LXV.

Pisani elegerunt Vicarium Ugutionem de la Fagiola.

DEfuncto Henrico Imperatore, Pisani Anno Domini MCCCXIV. destituti favore Imperatoris elegerunt Vicarium, & quasi Dominum Ugutionem de Fagiola de posse Aretii, qui mirabilis fuit in operibus suis, pugnando contra rebelles Imperatoris, destruendo Villas, & Castra Florentinorum, Sancti Miniati, & Circumstantium, incidendo vineas & arbores eorum. Quadam verò die prædicti Ugutio cum Pisanis & militibus Teutonicis circa mille, qui remanserant ad bursam Pisanorum, intraverunt fraudulenter Civitatem Lucæ, & exspoliaverunt eam, nec domui Legati Papæ pepercerunt, & mulieres violaverunt. Post hæc possederunt Villas & Castra, quæ erant prædictæ Civitatis Lucæ. Tunc exaltatum est cor eorum, & destruebant Florentiam, & partem Guelfam de Toscana. Qui prædicti miserunt Nuntios Regi Roberto, & misit Florentiæ duos ejus fratres Petrum, & Principem de Taranto, & ejusdem Principis filium Carolum nomine, & cum eis milites circa mille ad bursam Florentinorum & partis Guelfæ. Qui prædicti congregato exercitu magno iverunt cum militibus 4000. & peditibus 60. millibus ad Montem Catinum; & ibi erant Pisani, qui obsederant eum cum militibus 3000. & peditibus 40. millibus. Quadam verò die dum jam ibi stetissent ambo per menses tres, Florentini volentes mutare exercitum suum, Pisani irruerunt super eos; & afflicti sunt Florentini, & mortui sunt ex eis plusquam septem millia viri, & in supradicto prœlio mortui sunt prædicti Petrus, & Carolus filius dicti Principis, & Franciscus filius dicti Ugutionis de Fagiola; & capti ibi fuerunt circa 2000. de parte Guelfa; & locupletati sunt Pisani ex armis, equis, & mulis portantibus prædictorum necessaria; & hoc fuit in Festo Decollationis Sancti Johannis Baptistæ Anno MCCCXV.

CAP. LXVI.

De captione Comitis de Salabruga, & de captione Morutii.

SCiendum est, quòd antequam hæc fierent, Thomas Comes de Sculiaccio Neapolitanus vênit Papiam, & ibi congregavit exercitum suum. Erat cum eo Ugo de Baucio Regius Senescalchus, & milites 2000 & pedites 10000. ex fidelibus & amicis Lombardiæ Regis Roberti. Et cum eis erant illi de la Turre, tunc Forenses Mediolani, ad magnas expensas. Qui omnes iverunt super posse Mediolanensium, & volentes transire passagium unum Ticini, quod per Mediolanenses munitum erat, ecce quòd de Mediolano exierunt milites 600. & cum eis erat Theodorus Marchio Montisferrati, & prœliati fuerunt invicem; & afflicti sunt Mediolanenses, & plusquam centum ex eis interierunt. Marchio verò prædictus evasit; Comes verò de Salabruga Teutonicus, & nepos ejus, & aliqui de Mediolano capti fuerunt. Crastina verò die Comes de Sculiaccio prædictus cum exercitu suo intravit quasdam Villas de Mediolano ibi prope; pedites verò præcedentes, ignorante ubi essent, intraverunt dictas Villas; & ex ipsis capti fuerunt plusquam mille. Hæc autem milites audientes positi sunt in fugam, nemine persequente. Cùm autem venissent Papiam, Papienses hæc audientes irruerunt super eos, & ex eis vulneraverunt multos, & occiderunt, & eorum spolia acceperunt. Deinde dictus Thomas vênit Ast tristis. Post hæc obsedit Morutium, & ipsum cepit violenter, & ibi capti fuerunt de Forensibus Cunei quinquaginta, quorum medietas in carcere obiit, reli-

Italicis Principibus, Duce Mediolanensi, Januensi Republica, & ipso etiam Florentino Duce, regnantis Mediceæ stirpis Authore. His puto veritati factum satis, quin a Notarum proposito prolixus nimis abscedam.

(100) Podium Bonitii, Italicè dictum: *Poggibonzi*, sua ista ex instauratione dici cœpit Podium aut Castrum Imperiale. Ammiratus in Hist. Florent. lib. 5. pag. 257. lit. D. ad annum 1313. Mons Imperialis cur quando vocatus idem Locus traditur à Joanne de Cermenate cap. 55.

(1) Tertonenses vitio scripturæ hic nominari, & intelligi pro illis debere Lucenses, noverint omnes Derthonæ à Pisis alpestrem ultra centum milliaria distantiam agnoscentes. Noverint etiam hujus Historiæ verba diligenter expendentes, maximè ubi parum infra dicit: *& omni die prœliabantur de Luca in Pisas, & Pisis Lucam*. Lucenses ergo & Pisani è finitimis egressi Urbibus invicem colluctabantur, atque ab illis erepta istis Sarzanæ Civitas fuit, sed Marchionibus Malaspinis jussu Cæsareo bellum contra illos gerentibus eamdem Urbem cedere coacti sunt, ut Testis est Joannes de Cermenate, cum quo Ammirati etiam sententia congruit Lib. 5. rerum Florentinarum pag. 258. lit. A. ad annum 1313.

reliqui verò decollati, & laqueo suspensi fuerunt de melioribus Cunei: ex quo multa mala processerunt à Nicolao Cavalerio, cujus frater decollatus fuit.

CAP. LXVII.

De obsidione Draconerii.

Dictus Thomas de Sculiaccio obsedit Draconerium per gyrum primo Januarii MCCCXIV. & cum eo erant milites quinquaginta de Ast. Dum autem ibi essent, Manfredus Marchio Salutiarum, & cum eo milites 500. supervenere ibi, ut eos inde repellerent, nec potuerunt, quia lignis & nive, cujus copia in terra erant, vallaverant se taliter, quòd eosdem offendere non potuerunt. Et fuerunt ibi à Kalendis Januarii usque ad medium Aprilis. Demum dictus Thomas inde recessit, & reversus est in Apuliam.

CAP. LXVIII.

De adventu Ugonis Delfini in Italiam.

Ugo Delfinus vênit Papiam cum militibus 300. ad bursam Lombardorum. Astenses ei dederunt florenos auri 1300. Tunc ipse ivit Papiam. Ugo de Baucio semper cum eo fuit. Congregato exercitu suo erant cum eo milites 2000. & non fuerunt ausi ire super posse Mediolani, sed intraverunt Burgos Placentiæ, & nihil aliud ibi facere potuerunt, & reversi sunt inlaudabiles in operibus suis in patriam suam. Tunc Teutonenses volentes irruere, & capere Ugonem de Baucio, qui ibi erat, irruerunt in eum vehementer, nec potuerunt eum detinere, sed discessit ipsis Tortonensibus remanentibus rebellibus contra ipsum.

CAP. LXIX.

Expulsio illorum de Castello, & de dominio Regis Roberti.

Multas passiones eorum meritò passi sunt Astenses à principio, quo vênit Imperator inter Lombardos, quibus propter eorum malitiam tam Tenentes, quàm Forenses pejoribus digni sunt; quia eis non fuit sufficiens expellere post pacem factam illos de Castello de Ast ex arbitratu Amedei, & Philippi de Sabaudia, ac etiam ex pace facta inter sese ad invicem osculantes. Sed Johannes, & Aynaldus, & alii fratres de Solario in Villa Sancti Stephani gladio occiderunt Rubeum de Isnardis. Tunc Guilielmus frater prædicti procuravit cum Imperatore, & misit Ast Franciscum de Cravesana, qui una die ordinavit, ut viri de Barberina, & plures cum armis congregati ad Frincum, Ast venirent pro expellendo Solarios, prout dicebatur. Solarii verò hæc præscientes iverunt ad domum illorum de Comentina, ubi morabatur prædictus, & blandis verbis, & minis fecerunt cum eo, quòd congregati ad domos suas reversi sunt omnes. Tunc Thomasinus de Ansola Vicarius Imperatoris condemnavit V. viros Populares in libras 200. pro quolibet: alioquin unicuique eorum pes incidatur. Qui solverunt libras mille Communi; tamen amici solverunt majorem partem. De illis de Castello, qui rumorem incœperant, aliquis eorum condemnatus non fuit; alii verò plures de Populo amici Solariorum injustè occasione prædicta banniti fuerunt. Qui quadam die cum Johanne, & Aynaldo de Solario violenter Castrum Aliani ceperunt cum filiis tribus Francisci Guttuarii. Banniti quadam die ceperunt quosdam de familia Imperatoris, & eos occiderunt in Valle Tinellæ, qui eidem Imperatori attinebant; & ideo exterriti sunt illi de Castello timentes, quod eis evenit. Ultima die Martii quidam ex ipsis bannitis venerunt cum armis occurrentes contra illos de Castello, ex quibus mortuus fuit Manfredus Schetinus. Tunc illi de Castello munierunt Castellerium, & ipsa nocte vallaverunt illud. Crastina die illi de Solario cum amicis de Populo prœliati sunt cum illis de Castello, & eos vincere non potuerunt. Die Martis IV. Aprilis Solarii cum amicis de Populo, & Ugo de Baucio Provincialis Senescalchus Roberti Siciliæ Regis, & cum eo erant milites 300 & pedites bellatores circa 3000. ipsa die prœliati sunt cum illis de Castello, à mane usque ad noctem; & afflicti sunt illi de Castello, & ex eis capti fuerunt plusquam mille. Major pars eorum fuerunt de Monteferrato, & ibi mortui fuerunt circa 30. Tunc Philippus de Sabaudia iratus, quia odio habebat Solarios, & aliquos milites habebat de suis in Castello, vênit cum exfortio suo, & intravit Villam Ripæ, & Villam Podivarini. Senescalchus tunc vênit Ast cum exfortio suo Pedemontis, & Alexandrinorum. Philippus hæc sciens veloci cursu reversus est in domum suam. Tunc Astenses fecerunt fidelitatem prædicto Regi Roberto Anno MCCCXIV. per modum quod fecerunt eidem viri de Alexandria. Mense sequenti Junii Comes Guarnerius, & Mediolanenses, & Theodorus Marchio Montisferrati, & Philippus de Sabaudia ceperunt violenter majorem partem Villarum Papiæ, quæ sunt in Lomellina; & Garlascum obsederunt, & ipsum ceperunt. Post hæc Comes Ugo Senescalchus intravit Casale, & posito ibi igne afflicti sunt Casalenses, & eorum sequaces, & multi ex eis expulsi fuerunt; inde fecerunt fidelitatem Regi Roberto.

CAP. LXX.

Excusationes Comitis Philipponi, & Astensium.

Primo Septembris venerunt in Astam milites circa centum, Senescalchus jam dictus cum militibus Pedemontanis, & cum peditibus centum, qui de Provincia venerunt, & milites Alexandrini eodem Mense fuerunt Papiæ. Papienses verò fidelitatem fecerunt prædicto Regi Roberto, prout Astenses fecerunt. Comes Philipponus excusabat se dicens, quia Philippus de Sabaudia, quem in Vicarium Papiæ Imperator elegerat, invitavit Ricardinum filium, & decem viros de majoribus Papiæ, quos posuit in carceribus, & nunc eos tenet fortiter carceratos. Comes Guarnerius, & Maffeus Viscontus, qui pro Imperatore regnabat, destruxerunt, & ceperunt Villas, & Castra Papiæ. Simili modo se excusabant Astenses. Thomasinus de Ansola (2) nos condemnavit injustè falso consilio Francisci de Cravesana, qui præsente Mense Septembris judicio Dei, & peccato Astensium, à Ministris

(2) Ambo, quos sequor, Codices sibi cohærent, enuntiando in superiori capite Thomasinum de Ancola, quem hic enuntiant de Ansola.

nistris suis occisus est gladio in Plebe Cechi cum duobus nepotibus suis. Johannonus de Salimberiis Vicarius Astensis capiebat omni Anno ab Astensibus florenos decem millia auri pro stipendiariis militibus, & peditibus, qui nihil proficiebant; & alia fodra importabilia mensibus singulis imponebat. Ac etiam Solarii, & amici valde timebant de quodam Judice Januensi nomine Lanzarotta (3) de Negrino, qui dicebatur tenuisse pro parte Solariorum, & amicorum eorum. A Vespexono de Solario ablati fuerunt ab ipso Imperatore, stando in obsidione Tusciæ, floreni 300. ex verbis contumeliosis habitis in Ast cum Facino Ostiario Imperatoris prædicti. Ultra hoc dicebant Astenses: Concessit Raymundo de Ancisa Porcile, quod auro emimus ab illis de Blandrata. Concessit Cossanum, & posse ejus, Georgio de Busca; & alia Castra Astensium in manu alienigenarum, quæ ad bursam Astensium munita erant, & ignorabat destructiones eorum. Et pro his duxerunt Senescalchum in Ast. Sequaces Solariorum tam majores (4), quàm populares, pro majori parte turbati fuerunt ex Dominio Roberti Regis. At major progenies cum quatuor habentibus à Communi bayliam, videlicet Philippo de Malo, Cattalano Cazæ, Salimbeno Casseno, & Guilielmo de Rodello, qui vicinos suos subjugaverant, ignorabant prædicta. Consilio Petri Laurentii nati secundùm naturam, Notaria & Officium Notariæ emtum auro à Notariis, concessum fuit Roberto Regi, ex quibus Notarii malè contenti sunt, & erunt, si casus affuerit; & ideo providentia Imperatoris provideat, ut furor ejus placabilis sit super innocentes.

CAP. LXXI.

Johannes de Puteo Alexandrinus Vicarius Astensis.

JOhannes de Puteo Alexandrinus factus est Vicarius Astensis, qui multa mala Forensibus fecit. Primò destruxit, & igne succensit Villam de Septimis; & vineas illorum de Comentina incidi fecit; illis de Ripa, & de Podivarino rebellibus Astensibus multa mala facta sunt in pecudibus & personis. Die 26. Septembris prædictus Johannes cum militibus de Ast afflixit illos de Ripa juxta Alarios; & ex eis capti fuerunt circa 20. & totidem mortui. Forenses de Ast circa ipsam horam erant intus Ripam.

CAP. LXXII.

Conflictus Comitis Guarnerii, & Ugonis de Baucio Siniscalchi juxta Quatordas.

COmes Guarnerius Anno MCCCXIII. Mense Martii, antequam prædicta fierent, vênit in Montemferratum unà cum Galeatio Visconto, & cum eis milites plusquam 500. & dum transirent juxta Villam Quatordearum, Ugo de Baucio Regius Senescalchus cum militibus Astensibus, & aliis Alexandrinis, eundo Alexandriam, casu & sinè provisione obviavit eisdem; & fuerunt invicem prœliati. Theodorus Marchio

A Montisferrati erat etiam cum Comite antedicto, in quo conflictu pauci mortui fuerunt, Teutonici 25. & de Astensibus tres. Conradus de Braida Albensis fugiendo velut vilis captus fuit; & ab altera parte quidam Nepos ipsius Comitis. Durum fuit prœlium inter ipsos, & ipsa die Senescalchus cum gente sua reversus est in campum, & sic videtur campum obtinuisse. Conradus prædictus, datis mille florenis, ipse, & nepos Comitis Guarnerii, qui melior erat illo, ambo à carceribus sunt relaxati. Comes prædictus vênit ad Nonum; Henricus de Rolvengho dedit ei Castrum, quod ei dederat Imperator. Dictus Comes cum Forensi-

B bus Astensibus in Festo Sancti Secundi vênit ad Molendinos Tanagri. Astenses exierunt improvisi contra eos, & capti fuerunt ex Astensibus 40. & mortui & negati plusquam 30. Post multum tempus Forenses Astenses exierunt contra eos, & ex eis aliquos percusserunt; & dum eos usque ad Quartum persequerentur, alii, qui in abscondito remanserant, contra Astenses exierunt; & afflicti sunt Astenses, & fugerunt in Quarto, & ibi mortui fuerunt tres de Ast, quidam filius Ameyni de Solario, Antoninus Cassenus, & Godinus Faletus. Et tunc Comes Guarnerius dedit Castrum Noni Guilielmo Vachæ pro quadam florenorum quantitate.

C

CAP. LXXIII.

Captio Castri Montis Bersarii à Martino Alferio.

MArtinus Alferius fraudulenter cepit Castrum Montis Bersarii, & voluit subjugare, & factus est Astensium inimicus. Astenses multa mala illis de Monte Bersario intulerunt, domos diruendo, & quamplures ex hominibus occidendo, inter alios Thomam Regem, & vineas & arbores incidendo. Quadam verò die viri de Barberina congregati plusquam mille, volentes capere Bastiam Vinchii: quod Astensibus nuntiatum fuit, & ibi equitaverunt,

D videlicet Passerinus de la Turre cum peditibus, & militibus. Illi autem de Barberina visis Astensibus, terga verterunt, & positi sunt in fugam, nec aliquis ex eis fuit captus, nisi Bastardus de Castro-Novo vir fortissimus quidem, quem gladiis occiderunt. Post hæc Forenses furtivè Villam de Costiliolis intraverunt, consentiente aliquo dictæ Villæ, & ibi multa bona lucrati fuerunt tam in grano, quàm in vino, & pecunia ibi reposita per Astenses. Astenses verò plures postmodum iverunt ibi, & damna plurima dictæ Villæ intulerunt, incidendo arbores, messes, & vineas, & quidquid ex Villa erat comburendo. Sandronus Asinarius captionis dictæ Villæ fuit auctor præcipuus, cui constitit bonam pecuniæ quantitatem, & pro his factus est Dominus dictæ Villæ, qui multa

E mala intulit Insulæ, & Villis convicinis. Quadam verò die Astenses existentes in guastis dictæ Villæ, cœperunt duos ex his, qui consenserunt proditioni dictæ Villæ, & eos in campis occiderunt. Et nuntiatum est Astensibus, quòd viri de Nicia erant in offensionibus Castagnolarum. Quidam stipendiarii Catalani Alferii circa 500. iverunt ad eos in Valle Tinellæ, & eos cum prædictis invenerunt, & invicem fuerunt fortiter prœliati; & conflicti fuerunt illi de Nicia, viriliter se de-

(3) De Negrono penes aliud legitur Apographum.
(4) Hic evidenter elucet quinam intelligendi sint ex hac voce: Majores; videlicet illi, quorum conditio supra Popularem eminebat. Quos ergo multis in locis Author notat fuisse de Majoribus, sive de Melioribus Ast vel aliarum Civitatum, Nobiles intellige Viros à Populo secretos.

defendendo, & ex ipsis capti fuerunt magis quàm 50. & totidem mortui. Posthæc plures de Nicia capti fuerunt à stipendiariis de Ast, & antequam exirent de carceribus, constitit eis 200. florenos auri. Postmodum tregua medianate pacificati sunt invicem illi de Nicia, & Astenses. Præterea sciendum est, quòd in Campis Montis Bersarii, dum essent in guastis, Astenses ceperunt Gualetum filium Johannis de Rocheta, quem in carcere esse fecerunt diu, & ex ipso mille florenos habuerunt. Guilielmus de Cazalupa per extrinsecos captus fuit, & in Rochetam ductus, qui eidem dictos florenos restituit. Et ultra Simon faber Astensis furtivè captus per quosdam deceptione, comedendo pastillos, cum eisdem qui eum deceperunt, ductus fuit in Rochetam; & dictus Johannes iis, qui eum ceperunt, dedit florenos 300. Marchiones de Rocheta post mortem Henrici Imperatoris semper contra Civitatem Astensem pugnaverunt. Et non post multum tempus quidam alius filius dicti Johannis Calliani captus fuit per quosdam Astenses, & Ast ductus.

CAP. LXXIV.

Captio Cassinarum à Forensibus Alexandrinis.

POst hæc Forenses de Alexandria intraverunt Cassinas, & multas offensiones dederunt Alexandrinis; & illi de Alexandria, similiter ipsis multa mala fecerunt. Nam quadam die Raymundus de Ancisa cum quampluribus de Lanzavetulis capti fuerunt, & tamdiu steterunt Alexandriæ carcerati, quousque Alexandrini facti fuerunt Regi Roberto rebelles. Postmodum illi de Fossano Regi Roberto facti sunt rebelles, & Marchioni Salutiarum se dederunt, quos tueri non potuit, sed concessit eos Philippo de Sabaudia, tunc Achajæ Principi nomine, sed non re, Anno Domini MCCCXX. qui tamen guastati sunt valde, ipso eos defendere non valente.

CAP. LXXV.

Marchio Salutiarum fit Regi Roberto rebellis.

MArchio Salutiarum, qui Regi Roberto fidelitatem fecerat, factus est ei postmodum rebellis & infidelis, & eidem multas offensiones dedit, & ipse ei. Maximè autem Gaucherius Cavalerius de Cuneo quotquot inveniebat, occidebat. Et quadam die de Morosio plures 50. interfecerunt, & alios in Caralio, Guilielmum Cazolanum, & socios quamplures, & Provinciales multos cum eisdem.

CAP. LXXVI.

Quando Rex Robertus in Siciliam ivit.

RObertus Siciliæ Rex Anno MCCCXV. Mense Julii exercitum maximum congregavit, videlicet galêas 120. & naves tam magnas quàm parvas 200. & plures oneratas victualiis & militibus 4000. & peditibus 60. millibus & cum eo duxit Uxorem, & filios, & ascendit Insulam Siciliæ, & obsedit Trapanum in gyrum; nam secum portaverat trabes 60. millia de subtus acutas & ferratas, & asseres infinitos, & ibi fecit quasi Civitatem fossatam, & vallatam. Et fuit ibi per menses VI. nec aliquid proficere potuit; nam fames valida & Epidemia maxima eos taliter incessit, quòd tertia pars eorum tam militum, quàm peditum morte pessima obierunt. Tunc ex pacto facto, & tregua cum dicto Frederico Siciliæ Domino cognato suo tristis & dolens Neapolim rediit, & exercitum in Apuliam reduxit, toto Thesauro suo consumto diutissimè congregato, & sumta etiam ultra id mutuo magna auri quantitate. Multæ autem naves in recessu naufragio ibi fortuna pessima perierunt. Cùmque postea Anno MCCCXVI. congregato novo exercitu in Siciliam rediisset, multa damna intulit Sicilianis; sed eos obtinere non potuit. Et destinavit treguam facere, qua tamen infecta rediit. A pluribus autem fide dignis, qui præmissis interfuerunt, audivi referre prædicta.

CAP. LXXVII.

Fidelitas Papiensium & illorum de la Turre facta Ugoni de Baucio nomine Regis.

PApienses, & illi de la Turre tunc Forenses de Mediolano, fecerunt fidelitatem Ugoni de Baucio nomine Regis Roberti, qui Ugo tunc Regis prædicti Senescalchus Papiæ morando cum stipendiariis multis ad Papiensium expensas, damna multa fecit locis circumvicinis, maximè autem Viglievano, capiendo ibi ex hominibus plus quàm 200. Nam ferè tota terra Papiensis erat Papiæ rebellis. Philipponus de Langusco Comes Langusci & Lumelli, Mediolani carceratus erat; volendo enim intrare Placentiam, captus fuit juxta Placentiam, & Mediolanum ductus. Manfredus de Beccaria fuit per Annos quatuor Papiæ carceratus. Comes verò de Salabruga similiter carceratus fuit Papiæ per Annos tres. Antonius de Fuxilago stetit carceratus, donec Imperator vixit, per Forenses Papienses.

CAP. LXXVIII.

Philippus de Sabaudia vastavit Savilianum, sed Ugoni de Baucio terga vertit.

ANtequam fierent prædicta, Philippus de Sabaudia, facta cum Forensibus Astensibus conventione & liga, fuit cum eisdem in guastis Saviliani. Ugo verò de Baucio cum militibus Astensibus ivit ad eum, cui dictus Philippus terga vertit, eum nemine persequente. Ipse verò Ugo cum gentibus suis per tres dies continuos Fossanum vastavit. Et alia etiam vice dictus Philippus à facie ipsius Ugonis fugit. Modicum non post Philippus prædictus Aralia Villæ Novæ, & quidquid extra muros ipsius Villæ erat, dirè succensit.

CAP. LXXIX.

Conflictus Ugonis de Baucio à stipendiariis Mediolanensibus.

UGo de Baucio volens in Papiensium ire succursum, suo exercitu congregato, dum flumen Scriviæ vellet transire, stipendiarii Mediolanenses contra ipsum occurrerunt; & ibi afflictus fuit Ugo prædictus, & ibi fuerunt capti Gener ejus, & Nepos, & alii pauci. Mediolanenses autem Scriviam transeuntes, invenerunt Populum Alexandriæ, & Valentiæ, & ex eis plusquam mille ceperunt.

CAP.

CAP. LXXX.

Captio Civitatis Papiæ per Mediolanenses.

MEnse Novembris Anno MCCCXV. Mediolanenses circa auroram furtivè Papiam intraverunt, & occiderunt Riccardinum filium Comitis Philipponi de Langusco, & alios circa XV. Modica alia damna ibi fecerunt; & facti sunt Papienses ex tunc Maffeo Visconto sub tributo, & Regi Roberto rebelles. Et qui fuerunt ibi diutius carcerati, fuerunt à carceribus liberati.

CAP. LXXXI.

Alexandrinorum prodigiosa mutatio.

EOdem Anno MCCCXV. Mense Decembris sequenti, Alexandrini instabiles, & seditiosi, & velut rota volubiles, non impleti fraudibus, sed repleti, nolentes suos mores emutare perversos, quin potiùs in seditionibus gloriantes, infideles ac rebelles facti sunt Regi Roberto, ac ejus dominio, quem dum elegerunt, non erant tunc nisi Anni V. & circa dies X. Ante proditionem prædictam in communi Consilio juraverunt nullum alium Dominum, nisi prædictum Regem, se capturos. Hujusmodi facinoris fuerunt auctores præcipuè Bonifacius de Alexandria, Thomas de Puteo, quibus ipse Rex licèt immeritis Ordinem præbuerat Militarem. Ambo verò prædicti Ugoni de Baucio, tunc ibi pro Rege existenti, nuntiaverunt, ut ab Alexandria quamcitius discederet: quod fecit, & Ast vênit via, qua potuit breviori. Ipsi verò Alexandrini ibi Maffeo Visconto convocato Terram dederunt, & facti sunt eidem sub tributo. Post hæc dicti Alexandrini obsederunt Castrum de Viarisio, & ibi steterunt per duos Menses cum manganis & trabuchis, & foderunt eum taliter, quòd muri ruerunt. Et ibi mortuus fuit Percivallius Pantrerius Albensis, Castellanus dicti loci; alii verò socii ducti fuerunt captivi Alexandriam.

CAP. LXXXII.

Quòd Rizardus Gambatesa, & Ugo de Baucio ceperunt multas Villas Alexandrinorum.

SEquenti mense Augusti Anno MCCCXVI. ecce Rizardus Gambatesa, & Ugo de Baucio cum militibus 500. & Balestrariis 200. qui venerant de Provincia ad bursam Astensium, & locorum Pedemontium, iverunt ad Villam de Ivigliis, & intraverunt ibi pacificè. Simili modo intraverunt Villas Quargnenti, & Solerii, Boschi, & Castellaccii. Et in Villam Fubinarum intraverunt violenter, & destruxerunt eam. Multi illorum de Puteo, & de Trottis exierunt voluntariè de Alexandria. Audiens hæc Maffeus Viscontus misit Alexandriam milites plusquam mille. Marcus ejusdem filius cum exercitu suo ivit ad Boschum, & Castellaccium, & intravit ibi violenter, & cepit ex illis de Hospitio, contrariis illorum de Puteo 20. & de aliis de illorum parte plusquam centum, quos Mediolanum misit carceratos, & posito igne in dictis Villis, & in Villa de Ivigliis, succensæ sunt omnes.

CAP. LXXXIII.

De victoriis Astensium, & Forensium Alexandriæ.

POst hæc Astenses milites cum Forensibus Alexandriæ mense Octobris Anno MCCCXVIII. fuerunt prope portas Civitatis. Exeuntes autem de Civitate, Forenses, & Astenses ceperunt ex eis circa 50. & mortui circa 12. inter quos, erant 15. de Merlanis, & de Lanzavetulis. Eodem mense milites Astenses iverunt Casale; illi autem de Casali Anno MCCCXVI. se à dominio Papiensium, & Regis Roberti subtrahentes, supposuerant se Theodoro Marchioni Montisferrati; & ob id Astenses contra eos pugnaverunt. Illi igitur de Casali exeuntes, afflicti sunt, & capti ex eis plusquam 50. & mortui 15. Eodem mense milites de Ast iverunt ad Montem Calerium, & ceperunt magnam quantitatem boum, & pecudum, & homines 20.

CAP. LXXXIV.

Captio Demontis.

ANno MCCCXVI. mense Januarii Castellum Demontis captum fuit per Forenses Cunei, & Demontis, furtivè & nocte. Ugo de Baucio Regius Senescalchus ibi pergens obsedit eum cum ingeniis, ponens ibi manganos & trabuchos. Manfredus de Salutiis, & Philippus de Sabaudia, congregato exfortio suo, perrexerunt ad Burgum Sancti Dalmatii, credentes succurrere Castrum Demontis, nec potuerunt, qui inde reversi sunt Fossanum. Prædictus Ugo ibi stetit per plures dies, & dictum Castrum habuit ex pacto.

CAP. LXXXV.

De discordia Brixiæ.

ANno supradicto MCCCXVI. & mense Februarii Cives Brixiani nocte prœliati sunt insimul, taliter quòd pars Episcopi Gibellina exierunt inde, & multa mala, & homicidia facta fuerunt, ac etiam multæ robariæ.

CAP. LXXXVI.

Captio Montis Grossi.

EOdem Anno MCCCXVI. die XIV. mensis Martii Marchiones de Rocheta cum Forensibus de Ast intraverunt nocte Villam Montis Grossi violenter ex tractatu Jacobi Gambini, & aliquorum de dicta Villa; & multa mala fecerunt ibi. Major pars dictæ Villæ inde fugerunt, & multi captivi ibi fuerunt, & multa mala spolia inde portaverunt.

CAP. LXXXVII.

Victoria Opecini Spinolæ Forensis contra Januenses.

EOdem Anno MCCCXVI. & eodem mense Dominicus de Auria Januensis cum soldatis 500. Januensibus volens ire in offensionibus Opecini Spinolæ tunc Forensis Januæ, stantis in Arbizola, & Castro Novarum, qui prædicti sol-

ſoldati erant eques, & cum eis pedites multi de partibus Januæ, prœliati ſunt inſimul; & afflicti ſunt Januenſes à dicto Opecino, & capti pro majori parte, & mortui fuerunt, inter quos prædictus Dominicus de Auria Capitaneus mortuus fuit. Et hoc fuit juxta fluvium Scriviæ; & prædicta facta fuerunt apud Montem Jardinum.

CAP. LXXXVIII.

De tregua Aſtenſium cum Forenſibus ſuis, & Principe, & Marchione Salutiarum.

ANno MCCCXVI. primo Aprilis confirmata eſt tregua inter Aſtenſes, & Forenſes de Aſt, & Philippum de Sabaudia, & Marchionem Salutiarum, & de Carreto, & de Ancisa, uſque ad Feſtum Aſcenſionis, tali modo quòd Aſtenſes non poſſint intrare aliqua Loca, Villas, vel Caſtra, quæ prædicti teneant, ſed per poſſe prædictorum poſſint ire & redire ſecuri. Forenſes, & eorum prædictorum ſequaces eodem modo facere poſſint, ita quòd nec in Civitate Aſtenſi, nec in eorum Villis intrare poſſint. Eodem Anno, & Menſe Ugucio de Fagiola, quem Piſani & Luchenſes in Dominum ſuum elegerant, expulſus eſt de Piſis violenter ad rumorem Populi hoc modo. Nam cùm Nerius Ugucionis filius ex Luca expulſus fuiſſet à Luchenſibus, Ugucio collectis militibus de Piſis exivit, & ut filium ſuum in Lucham remitteret ivit; ſed cùm nihil profeciſſet, rediens, à Piſanis, qui ejus mores ampliùs ferre non poterant, eſt excluſus. Et ſic uno die duas Civitates, ſcilicet Lucham, & Piſas perdidit; & plures de Familia ſua mortui fuerunt in Piſis, & Lucha. Ipſe autem fugit in terra de Malaſpina (5). Eodem menſe Florentini, hoc audito, venerunt ad quamdam Villam de Lucha cum militibus 600. & peditibus 5000., & intraverunt violenter dictam Villam. Piſani hoc audientes irruerunt in eos. Florentini exterriti vertentes terga fugerunt; & afflicti ſunt à Piſanis, & multi ex eis capti fuerunt.

CAP. LXXXIX.

De guaſtis datis per Principem, & Forenſes Aſtenſes uſque prope Aſt.

PEtrus de Sabaudia Archiepiſcopus de Lugduno, & Odoardus de Sabaudia venerunt Secuſiam prima Junii Anno MCCCXVI. cum militibus 200. Tunc Philippus de Sabaudia, Marchio Salutiarum, & Forenſes de Aſt, congregato exercitu ſuo, venerunt in campis Villænovæ, & ibi erant milites 500. & pedites circa X. millia. Poſtea venerunt apud Revignanum, & duas noctes ibi ſteterunt, deſtruendo in circuitu domos, ponendo ignem in eis uſque ad Momboninum. Tertia verò die Sabbati 12. Junii MCCCXVI. domum ſe receperunt. Ugo de Baucio cum militibus Pedemontanis, & peditibus ſtetit in Aſt tunc, & valde profuit eis. Poſt hæc prædicti cum exercitu ſuo iverunt Foſſanum; & ibi vênit Stephanus filius Maffei Viſconti cum militibus 200. Tunc prædicti omnes iverunt in guaſtis Saviliani, & audientes adventum Rizardi Gambatrizæ, qui tunc erat in Monte-Vico, inde receſſerunt. Archiepiſcopus, & Odoardus de Sabaudia cum militibus ſuis reverſi ſunt ultra montes.

CAP. XC.

De guaſtis (alibi de geſtis) Gaucherii Cavalerii Forenſis de Cuneo, & Ugonis de Baucio, & Rizardi Gambateſæ Seneſcalchi.

GAucherius Cavalerius VII. Julii An. MCCCXVI. intravit furtivè in Aurora Villam de Monte-Vico cum militibus 200. & peditibus circa 1000. & obtinuit dictam Villam, & munivit Plateam, & ibi ſtetit uſque ad horam Nonam. Dictus Gaucherius tunc erat Forenſis de Cuneo. Et hora Nonæ recordati ſunt viri Montis-Vici, & irruentes ſuper dictum Gaucherium, & gentes ſuas, taliter egerunt, quòd mortui ſunt ex eis pluſquam centum, & aliquot capti, & equites quinquaginta ceperunt. Prædictus Gaucherius inde fugit. Poſt hæc Rizardus Gambateſa, & Ugo de Baucio cum militibus ſuis, & militibus de Aſt, ibi venerunt, & inquiri fecerunt, quis eſſet auctor tantæ malitiæ; & inventâ malitiâ decapitati fuerunt viri tres de Veliatiis; aliqui verò dictæ Villæ, qui conſenſerant, inde fugerunt; quibus eorum domus dirutæ fuerunt. Eodem menſe Junii MCCCXVI. milites ſoldati à Communi Januæ, & aliqui Cives Januæ de majoribus, & pedites armigeri, & baleſtrarii 5000. quorum Capitaneus erat Manfredus Marchio de Carreto, qui prædicti ſoldati erant circa 1000. volentes ire in offenſionibus Opecini Spinolæ tunc Forenſis Januæ, commorantis Buzalæ, dum appropinquaſſent ad dictum locum, ecce 500. milites & 2000. viri pedites miſſi à dicto Opecino irruerunt contra prædictos per capita montium; & plures illorum de Janua tam eques, quàm pedes mortui fuerunt. Noviſſimè verò milites, & pedites prædicti Opecini pro majori parte mortui & capti fuerunt. Craſtina verò die Teutonici ſoldati, qui erant cum Januenſibus, litigantes cum prædictis pro diviſione ſpolii, dicentes quòd habere deberent duplicem ſoldum, & quòd bellum vicerant, irruentes ſuper Januenſes hora prandii, occiderunt ex eis circa 500. & perſonaliter ceperunt Manfredum de Carreto, Lambam de Auria, & ejus filios, & aliquos de majoribus Januæ, quos ex pacto pecuniæ dimiſerunt.

CAP. XCI.

De morte Opecini Spinolæ.

OPecinus Spinola obiit ex febre in Serravalle, & in ſuo teſtamento legavit filiæ ſuæ uxori Marchionis Montisferrati omnia ſua jura, quæ habebat in Serravalle.

CAP.

(5) Spinetta Familiæ Malaſpinæ notiſſimus Heros Foſdenovi Maſſæ Carrariæ Fivizzani &c. Marchio, in iſtorum primo munitiſſimo Caſtro, amicum Uguccionem duarum Urbium principatu lapſum, verus Amicus hoſpitem accepit, amotumque ab illius capite offendit ipſe periculum, Caſtruccio magnæ potentiæ magnique animi viro, Patriæ ſuæ Lucæ aliarumque plurium in Tuſcia Civitatum Tyranno contra ſe ſuamque ditionem concitato. Plures habebit Teſtes qui Marchionis à Puteo penultimam leget Narrationem libri nuncupati: *Maraviglie Eroiche di Matilda la gran Conteſſa d'Italia.*

CAP. XCII.

Rizardus Gambatesa Senescalchus Regius.

RIzardus Gambatesa Regius Senescalchus Provinciæ missus à Rege Roberto appulit Cuneum Anno MCCCXVI. mense Julii ex pacto facto cum Astensibus & fidelibus ejus Pedemontanis, dantes prædicti eidem Rizardo florenos 5000. & Astenses totidem, eo quòd secum duxerat in prædictorum servitio milites 500. de Provincia, & Balestrarios 300. pedites, qui omnes iverunt ad Savilianum, quia exercitus, qui steterat super Ast mense Junii proximè antecedenti, tunc ibi erat. Qui audientes recesserunt de guastis Saviliani. Tunc dictus Rizardus cum militibus de Ast, qui erant cum eo, iverunt Fossanum, & multa mala ibi fecerunt, incidendo vineas, & arbores, & eorum molendina igne succensa sunt. Demum iverunt Revellum, & violenter intraverunt Villam Revelli, & exspoliaverunt eam, & igne posito fuit succensa. Et Villa de Amuiis simili modo spoliata, & succensa fuit. Et multas offensiones fecerunt in terra Marchionis Salutiarum, qui tunc erat Salutiis cum filio Maffei Visconti. Et cum eis erant milites 400. & Nuntios suos miserunt Rizardo Gambatesæ, ut crastina die se pararet ad pugnandum cum ipsis in campis Salutiarum. Qui Rizardus fuit ipsa die ordinatus, cum gente sua & militibus de Ast circa 100. & stetit ibi à mane usque ad vesperas, & non fuit qui veniret ad bellum. Deinde dictus Rizardus cum militibus & balestrariis suis vênit Ast die 26. Julii Anno MCCCXVI. Tunc Astenses cum prædictis iverunt ad Montem Grossum, & violenter intraverunt in dictam Villam, & exspoliaverunt eam, & igne posito succensa est tota die 30. Julii MCCCXVI. Item die 2. mensis sequentis Augusti MCCCXVI. Villa Montis Bersarii simili modo capta, & exspoliata, & tota succensa fuit; & multi viri & mulieres, infantes, & lactentes plusquam 50. ibi igne mortui sunt. Et multos captivos duxerunt in Ast, ex quibus Astenses turbati sunt valde. Post hæc Astenses iverunt cum prædictis, & guastaverunt vineas de Quatordas, & vineas de Monte Alto. Die verò vigesima ejusdem mensis Augusti MCCCXVI. prædicti milites & balestrarii Provinciales iverunt in offensionibus Alexandrinorum, & intraverunt Villam de Iviliis pacificè; postea intraverunt violenter Villam de Fubinis, quæ quasi tota succensa fuit. Post hæc intraverunt Quargnientum, & Solerium pacificè. Simili modo intraverunt Villam de Boscho, & de Castellaccio. Hæc audiens Maffeus Viscontus misit Alexandriam milites plusquam mille. Marcus ejus filius Vicarius erat ibi. Provinciales prædicti relictis omnibus prædictis Villis, venerunt Ast. Prædictus Marcus cum gente sua ivit ad Boschum, & ad Castellaccium, & violenter intravit in eas; & posito igne succensæ & destructæ sunt ambæ Villæ, & plures de parte illorum de Puteo capti fuerunt, quos Marcus prædictus carceratos Mediolanum misit plusquam centum, inter quos erant 22. de Hospitio illorum de Puteo. Post hæc prædicti Provinciales reversi sunt Provinciam. Eodem mense Augusti MCCCXVI. Robertus Rex Siciliæ misit galêas 80. cum militibus 1500. & multitudinem balestrariorum peditum in Siciliam, & iverunt in Valle de Mazaria, & in partibus illis destruendo usque ad Burgos de Messina; & aliud facere non potuerunt, nisi guastare, & ponere ignem. Demum reversi sunt Neapolim, ut superius dixi. Post hæc dictus Fredericus Siciliæ Dominus misit in Calabria galêas 60. armatas super offensione dicti Regis Roberti. Eodem Mense Augusti MCCCXVI. Bernardinus filius Petri Cazæ occidit gladio Manuelem de Platea in Mercato de Sancto juxta horam sextam, & non fuit ausus quisquam ibi, nec alibi, loqui verbum. Quis ignorat, quòd Deus ultionum talia oblivisċatur? Sequenti Mense Octobris MCCCXVI. in Vigilia Apostolorum Simonis & Judæ Forenses de Ast cum Marchionibus de Rocheta intraverunt furtivè cum scalis circa ortum Solis Villam Montis Grossi. Raynerius Cazæ custodiebat eam pro Communi, & Uxor ejus cum eo, & filius Odoardi fratris ejus cum eis, & viri circa 60 qui omnes capti fuerunt, & carcerati. Eadem hora Astenses illuc iverunt, & ponentes ibi plures custodes, munierunt eam.

CAP. XCIII.

De Johanne de Ossa Episcopo Avinionense. De divisione Cardinalium post mortem Papæ Clementis, & de electione Papæ Johannis.

JOhannes de Ossa, qui prius fuit Episcopus de Fregius, postea factus fuit Episcopus de Avignono, & tunc Cardinalis existens, factus fuit Papa in Civitate Lugduni, cui nomen est Johannes. Sciendum est, quòd magna dissensio erat, & fuit inter Cardinales post mortem Clementis Papæ, quia in Carpentraxio mortui fuerunt ex familiis Cardinalium viri 500. & steterunt per annos duos, & plus, antequam sese possent convenire ad eligendum Papam. Et nondum elegissent, nisi quòd obstricti fuerunt Cardinales prædicti per manum Fratris Regis Franciæ in domo una Lugduni usque ad panem & aquam. Et hoc fuit Mense Augusti Anno MCCCXVI.

CAP. XCIV.

Quòd Forenses ceperunt Bastiam, & de ædificatione, & captione Montis Marcidi.

ANno Domini MCCCXVII. Mense Januarii Forenses de Ast ceperunt violenter Bastiam, quam fecerant Astenses super Montem Loreti, & captivi ducti sunt in Costiliolis omnes, qui intus erant. Die II. sequentis mensis Junii Anno MCCCXVII. Bonifacionus Danielis Pallidi ædificavit, & vallavit, & muravit Castellum Montis Marcidi. Astenses iverunt illuc die XX. prædicti Mensis Junii, & violenter intraverunt dictum locum; & capti fuerunt ibi prædictus Bonifacionus, & unus filius Philippi Pallidi, & duo filii Guttuarii de Guttuariis, & omnes alii, qui cum eis erant.

CAP. XCV.

Quando Ugo de Baucio expulit hostes de Burgo Apostolorum.

DIe Veneris XVI. Junii Anno MCCCXVII. Philippus de Sabaudia, & Marchio Salutia-

tiarum cum exfortio eorum populi & militum (6), venerunt intus Burgum Apostolorum, & ibi steterunt usque ad horam tertiæ. Eadem hora Forenses de Ast cum exfortio suo venerunt super Ripam Versæ. Et hæc audiens Ugo de Baucio, qui tunc erat Albæ, veloci cursu Ast venit cum modica quantitate militum; erat hora quasi sexta. Hoc autem audientes, qui erant in Burgo, & ad Versam, timuerunt valde, & turpiter cum magno pavore recesserunt inde, nemine eos persequente.

CAP. XCVI.

De Captione Ripæ.

Die XXV. Junii sequentis Anni (7) MCCCXVII. Astenses iverunt ad Villam Ripæ, & prœliati sunt eam. Tunc Ugo de Baucio præconizari fecit ibi, quòd quisquis intraret in dictam Villam, omnia essent sua, quæ lucrari possent. Tunc omnes Astenses, & Catalani surrexerunt de equis suis, & populus cum prædictis militibus fortiter prœliantes intraverunt Aralia violenter, & posito igne in Villa, fortè succensa est tota. Intrantes autem in dictam Villam ceperunt viros, & mulieres, infantes & sugentes ubera, & omnia spolia, quæ ibi erant. Sciendum est, quòd erat ibi magna quantitas auri & argenti Forensium de Ast, maximè aliquorum de Pelletis, sive de Bojis. Qui capti sunt, & ducti Ast; & antequam exirent de carcere, constitit eis libras 4000. Et intus dictam Villam erant aliqui de Borgognono, qui capti fuerunt.

CAP. XCVII.

Forenses de Ast ceperunt molendina.

Die III. Junii Anno MCCCXVII. Forenses de Ast venerunt ad Tanagrum cum navibus, & ceperunt duo molendina, & XX. viros, quos invenerunt ad defendendum ea, inter quos erant tres de illis de Solario.

CAP. XCVIII.

De gestis Ugonis de Baucio, & aliorum plurium.

Anno eodem MCCCXVII. Mense Januarii Gaucherius Cavalerius, tunc bannitus de Cuneo, cùm interfecisset prope Trinitatem quemdam armigerum, ejus inimici casu ibi prætereuntes, eum ceperunt. Ugo de Baucio Senescalchus fecit decollari eum in Cuneo. Post hæc prædictus Ugo fecit decollari Simonem Laurentium in Ast, eo quòd confessus fuit tractasse cum Masseo Visconto, & Forensibus de Ast mortem prædicti Ugonis. Sequenti Mense Aprilis MCCCXVII. Legati duo unus Minor, alius Prædicator, missi à Iohanne Papa venerunt in Ast, & treguam fecerunt cum Forensibus de Ast, quæ malè observata fuit. Sequenti Mense Madii MCCCXVII. Spinolæ tunc Forenses de Janua reversi sunt pacificè Januam, consentientibus ex tractatu illis de Flisco, & de Grimaldis. Hæc autem videntes illi de Auria exierunt de Janua. Sequenti Mense Septembris MCCCXVII. Astenses fecerunt Bastiam unam Costiliolis super Montem Loreti (8) fortissimam. Forenses de Ast ibi venientes prœliati sunt ibi; & multi ab utraque parte quarelis mortui fuerunt. Et illud idem eisdem venit ad Villam de Castagnolis, & similiter ad Govonum. Et tunc unusquisque eorum reversi sunt in domum suam. Eodem Mense Septembris MCCCXVII. quasi diluvium aquarum fuit Ast, & in circumstantibus partibus, taliter quòd multas domos diruit in Burgo Apostolorum, & aliorum, & aliquos viros & mulieres negavit; & Burbur fregit campum de Mignanis, & intravit in Tanagrum: quod numquam auditum fuit die II. Decembris MCCCXVII. Forenses de Ast, & Marcus Viscontus cum eis cum militibus 500. & peditibus plusquam mille, fuerunt ad Portam Sancti Petri, credentes ex tractatu Civitatem intrare, & non potuerunt; sed inde reversi sunt cum pudore. Eodem Mense Decembris MCCCXVII. Carolus de Flisco, Gasparonus de Grimaldis, facti sunt Capitanei Janue Civitatis. Spinolæ, qui videbantur esse conjuncti cum eis, exierunt de Janua.

CAP. XCIX.

Discordia Januensium, & de subsequentibus actibus eorumdem.

Sequenti Anno MCCCXVIII. mense Januarii Spinolæ & Auriæ intraverunt pacificè Savonam consensu majoris partis Civitatis Savonæ, & Castrum ceperunt. Prima autem die Aprilis MCCCXVIII. Forenses Januenses obsederunt Civitatem Januæ usque ad Sanctum Tolegum (9); & cum machinis trabucabant Turrim de Codeferro. Januenses volentes ponere victualia in dicta Turri, tunc Forenses irruerunt in eos, & ex eis occiderunt plusquam centum, inter quos erant X. de melioribus Januæ. Post hæc Januenses miserunt plures galêas ante portum Savonæ, prohibentes victualia, & marcadantias, ne intrarent Savonam. Tunc Januenses timuerunt Forenses, & murari fecerunt omnes portas Civitatis Januæ præter duas; & banniri, & confinari fecerunt de Civitate Januæ circa 2000. & dirui domos, quæ erant circa muros Civitatis intus, & extra. Tunc Guelfi de Janua invitaverunt Regem Robertum ad veniendum in subsidium eorum, & cum ejus favore Gibellinos expulerunt; postea Januæ gubernium Roberto tradiderunt. Qui Rex Robertus Siciliæ misit Januam milites 500. Omni die ac nocte Forenses, & Tenentes Januam prœliati sunt insimul, & multi ab unaquaque parte perierunt gladio; sed pro majori parte Forenses obtinuerunt victoriam, quia Tenentes Januam, semper corda eorum erant cum Forensibus. Die XXV. sequentis mensis Junii Forenses violenter intra-

(6) Hæc inter Populum & Milites distinctio pondus addit iis, quæ capite 90. dicta, videri possunt. In libro Statutorum Veterum Derthonensium distinguuntur Cives inter eos, qui de numero Militum sunt & Populi; Nobiles quippe & Populares.

(7) Vulgaris iste loquendi modus: *sequentis mensis, & sequentis anni*; quando neuter mutatur, intelligendus est annus & mensis ille, qui idem durare sequitur, non qui elapsum excipit.

(8) Mons iste Loreti sive Laureti ditio fuit antiqua Marchionum de Lancea, quorum dono Montisferrati Marchioni subjectus in Astensium potestatem belli jure transiyit. De hoc loco, deque primis illius Dominis videantur notæ, quæ habentur cap. 8. Ogerii Alferii, & hujus Historiæ capitibus 6. & 16.

(9) Quis iste sanctus sit, indigenæ noverint; neque possum ego divinare an hic accipiendum sit pro Templo an pro Burgo sive Villa, ubi suo impertito nomine solatur.

intraverunt murum de Predio, & plures Januenses occiderunt. Tunc Marcus Viscontus ivit cum gente sua hospitari in Besagno (10), & multas offensiones dedit Januensibus, taliter quòd defendere se non potuissent, nisi Robertus Rex venisset, quia jam aquæ deficiebant. Item die Veneris XXI. Mensis Julii MCCCXVIII. prædictus Rex cum Vxore sua, & duobus fratribus suis, appulit Januam cum militibus 1500. & peditibus 6000. ubi Nobilium & Popularium consensu gubernium ejus Civitatis per X. annos sibi traditum est. Tunc Marcus Viscontus recessit de Besagno, & omnes, qui cum eo erant in Besagno, turpi modo & occultè in nocte fugerunt, & multa spolia ibi perdiderunt, & gentes suas. Et ivit in Burgo de Predio cum aliis. Demum continuè prœliabantur die ac nocte Forenses, & Tenentes; & semper Forenses obtinebant victoriam. Fama erat, quòd ex Tenentibus Januam mortui fuerunt, antequam exirent de Burgo, plusquam 1500. De Forensibus in modica quantitate.

Anno sequenti MCCCXIX. die VI. Februarii prædictus Rex misit milites, & pedites plures in galeis, & posuerunt scalas ad Sanctum Petrum de Arena, & ad Sestrum. Hæc autem audientes Forenses Januæ miserunt contra eos milites & populum, qui non potuerunt resistere eisdem. Eadem nocte Forenses de Janua, qui erant in Burgo Predii, nocte & furtivè inde recesserunt. Tenentes autem Januam post eos abierunt, & multa spolia, viros, equos, arma abstulerunt eis. Tunc Forenses timentes, ne à Rege subjugarentur, ad Fredericum Siciliæ Regem nuntios miserunt, qui Forensium precibus motus illis subsidium misit. Tunc Robertus Rex prædictus misit milites & pedites plures Arbizolam. Forenses Januenses tunc existentes Savonæ exierunt contra eos, & ibi afflictæ sunt gentes Regis plusquam 300. Audiens hæc prædictus Robertus Rex, misit in obsidionem Savonæ naves & galêas multas in mari, & multitudinem militum & Populi, & obsedit Civitatem Savonæ; & antequam essent Savonæ, ceperunt Arbizolam. Audientes hæc Forenses qui erant Savonæ, iverunt illuc, & videntes intraverunt intus Arbizolam. Tunc gentes Regis inde reversi sunt. Tunc Forenses ope Regis Siciliæ obsidebant continuè Januam, & foveas & cunicula faciebant, ut sub muris transirent: quod videns Robertus, & quod Forenses quotidie proficerent, & quod res Civitatis Januæ quotidie in pejus ibant, recessit in Etruriam, & inde in Riperiam Januæ misit milites 800. & pedites 15. millia cum quibus inimicos fugavit, & Januam ab obsidione liberavit. Tunc Robertus Januam venit, & composuit res & regimen Civitatis ad votum suum. Post hæc Robertus Rex per mare ivit Avignonum cum Uxore, & fratribus suis ad Summum Pontificem Johannem nomine, qui eum constituit Vicarium totius Italiæ, vacante Imperio. Interim Forenses Januæ, intellecto recessu Roberti Regis, venerunt Januam cum 28. galêis, quas instructas habebant in portu Savonæ, Ducem habentes Conradum Auriam, & denuo obsederunt Januam per mare, & per terram. Et cùm per totam hyemem Civitatem obsidione afflixissent, nec

A proficerent, inde tamdem recesserunt; attamen multas offensiones per mare & per terram dederunt Tenentibus Januam. Post hæc Marcus Viscontus, congregato exercitu suo cum militibus plusquam mille, & totidem peditibus, & Forenses de Ast, in Vigilia Beati Johannis Baptistæ circa auroram venerunt usque ad fossatum Civitatis, Ast versùs Montem Raynerium, & dirutis despalidibus, aliqui ex eis circa quinquaginta intrantes, expulsi sunt inde turpiter. Videntes autem, quòd nihil proficerent, inde recesserunt cum pudore, quia affirmabant Forenses de Ast, ipsa nocte velle intrare Ast cum consensu aliquorum malignorum habitantium; & ibi fuit mortuus Marcus Guttuarius. Prædi-
B ctus Marcus Viscontus cum exercitu suo ivit Alexandriam, & circa Ast non stetit nisi circa horam Tertiam. Tunc prædictus Marcus Viscontus cum exfortio suo ivit Gamalerium, & obsedit eum, & cepit. Post hæc prædictus Marcus, & Forenses Januenses iverunt primo die Augusti in obsidione Januæ usque ad locum Vassalini de Campo, & prœliati sunt taliter, quòd ab utraque parte multi occisi sunt gladio. Forenses miserunt Januam galêas suas. Tenentes Januam exeuntes contra eos, Forenses ceperunt ex illis tres galêas, & eas submerserunt. Et deinde Forenses Januæ iverunt ad Nolarum Civitatem, & ibi ceperunt galêas VI. absque viris, quas miserat ibi Robertus Rex. Foren-
C ses, & Marcus Viscontus semper stabant in obsidione burgorum Januæ, semper offensiones facientes uni alteris.

CAP. C.

De morte Ugonis de Baucio.

TUnc videlicet Anno Domini MCCCXXI. Ugo de Baucio Senescalchus Regis Roberti, cum exercitu suo, & cum Astensibus intravit Villam de Nove. Post hæc intravit Burgum Burgolii consensu Bonifacii de Alice. Quadam die Dominica secunda Decembris dicti Anni MCCCXXI. dum iret ad Mon-
D tem Castellum, occurrit contra eum Marcus Viscontus, qui tunc erat Alexandriæ cum militibus & peditibus Alexandrinis, & afflixit eum in campo, & mortuus est ibi, habens in corpore suo vulnera 20. & plus. Tunc Astenses miserunt pro eo, & sepultus est in Ast honorificè in choro Ecclesiæ Sancti Francisci (11) (*Ipsius Ugonis sepultura nunc est in Ecclesia Fratrum Minorum Sancti Francisci in Capella magna in sinistra parte*) plorantes eum viri & mulieres. Post hæc quadam die MCCCXXII. Forenses Januæ cum galêis 14. iverunt exeuntes de Savona ad Villam de Elexo. Tenentes autem Januam euntes post eos ceperunt pro majori parte galêas illas, &
E ibi igne posito combustæ sunt, & burgum dictæ Villæ. Hoc facto Tenentes Januam iverunt cum galêis 60. Savonam; & videntes quòd nihil ibi proficerent, iverunt Albengam, & ibi intraverunt violenter, & exspoliaverunt eam, & igne posito succensa est pro majori parte. Post hæc vallaverunt eam fossatis, & muris, & possederunt eam Tenentes Januam. Eodem tempore Tenentes Januam volentes ire Neapolim cum ga-

(10) Besagno. Hoc nomine Januense vulgus appellat amœnissimæ Vallis fluviolum, ab ortu Solis, sub Urbis mœnibus in mare decurrentem.

(11) Hæc Authoris verba mihi visum est diverso charactere notare, ut intelligi clariùs possit tempus sepulti Ugonis de Baucio in Choro Sancti Francisci & tempus aliud, quo in eadem Ecclesia translatum est ad Capellam Magnam viri ejusdem sepulchrum. Primo enim tempore, non autem secundo uterque Astensium sexus meritis lachrymis tanto militi parentarunt.

galêis 70. Forenses Januæ hæc scientes iverunt contra eos cum galêis 70. Tenentes Januam videntes eos in alto mari, exterriti sunt, & præ timore fugerunt ad Neapolim. Raymundus de Cardona Catalanus erat Dux, & Armiralius ibi pro Rege Roberto cum prædictis Tenentibus Januam. Tunc Forenses prædicti, & qui cum eis erant, cum galêis 30 Frederici Regis Siciliæ versùs Januam redeuntes, & credentes violenter intrare, non potuerunt; sed ibi multa mala ad Portum Januæ fecerunt, submergentes in mari galêas plures & Ligna. Post hæc iverunt ad Burgum de Vultri, quem Tenentes Januam tenebant munitum, & ibi Forenses intraverunt violenter, & plures milites ibi mortui sunt gladio; & dictum locum possederunt Forenses. Tunc prædicti Forenses euntes ad Clavarum succenderunt eum igne, & omnes Villas in circuitu, quas Tenentes Januam possidebant. Quadam autem die Tenentes Januam cum galêis 15. volentes portare victualia Civitati Noli, Forenses, qui erant Savonæ exeuntes contra ipsas, retinuerunt, & ceperunt tres galêas ex illis Tenentium, & viros, qui erant ibi. Post hæc Forenses prædicti iverunt ad Civitatem Noli, & obsederunt eam per mare & per terram; & ceperunt ex pacto, salvo, quòd Castellanus quidam Provincialis (12) noluit reddere Castellum, donec ipse, & qui cum eo erant, capti personaliter fuerunt. Et tunc prædicti Forenses euntes versùs terram Marchionis de Cravezana, & in Valle de Arocia multas Villas ceperunt & destruxerunt. Forenses semper stabant in burgo Predii cum exercitu suo, facientes, & recipientes à Tenentibus multa damna, quæ scribere omitto. Et usque per totum Annum MCCCXXII. stabant ibi semper in burgo. Quadam die Anni supradicti MCCCXXII. Mense Februarii Tenentes Januam ceperunt in mare plura Ligna Forensium onerata, & venientia de Sicilia, & dicebant, quòd erant plusquam VI. Ligna; & alia tria Ligna ceperunt de illis de Finario. Eodem Mense Februarii MCCCXXII. quædam Cocha onerata veniens de Sicilia, fregit prope Niciam, ita quòd Forenses Januæ eodem Mense multa mala passi sunt in ære, & personis, navibusque suis.

CAP. CI.

De Philippo de Valesia, & Maffeo Visconto.

ANno MCCCXX. die XV. Junii Philippus de Valesia de Domo Franciæ, & frater ejus Carolus, filii Caroli, cum multis militibus plusquam mille, inter quos erant Bernardus de Mangolio, & Comes de Roxi venerunt Cuneum, & appulerunt Ast V. Julii MCCCXX. Ea die erant milites Teutonici Soldati à Maffeo Visconto in obsidione Vercellarum, stantes versùs partem de Titionibus, & prœliantes die ac nocte contra Advocatos; & jam ibi steterant per mensem unum. Tunc Philippus prædictus de Valesia hæc sciens, perrexit Vercellas cum omnibus militibus, quos duxerat secum, & cum Forensibus (13) Lombardis amicis Regis. Hæc autem audiens Maffeus Viscontus misit duos ex filiis suis Novariam cum exfortio suo militum & peditum. Tunc Philippus prædictus cum gente sua exivit in campum contra prædictos tali modo, quòd adversarii sui venerunt prope eum milliaria tria. Prædictus Philippus ibi stetit cum gente sua in campis per dies duos, & noctes duas; tertia verò die quidam miles doctus missus à Maffeo prædicto, secretè loquutus fuit cum Bernardo de Mangolio. Quid dixerint, ipsi sciunt; sed eadem hora Philippus prædictus cum pudore & verecundia reversus est Vercellas. Vercellenses turbati sunt contra eum. Crastina verò die inde recessit, & plures eorum exspoliati fuerunt bonis suis, & equis; & multi vulnerati, & mortui fuerunt ibi. Fama, & vox communis fuit inter nos, quòd ex copia florenorum à Maffeo receptorum supradicta complevit; & credendum est, quia malum incœpit facere in Saviliano, quia ipsum Savilianum & homines dictæ Villæ tradidit, & concessit, & dedit Philippo de Sabaudia, qui nunc tenet & possidet dictum locum: ex quibus Robertus Rex, & ejus fideles valde turbati fuerunt. Et prædicta mala facta, & operata fuerunt malivolo consilio Bernardi de Mangolio, quia superaverat ipse omnibus.

CAP. CII.

De Beltramo Cardinali Legato Apostolico contra Maffeum Viscontum.

EOdem Anno MCCCXX. Mense Augusti Beltramus Cardinalis de Pogietto, Legatus missus à Johanne Summo Pontifice in Lombardiam ad pacificandum eum, vênit Ast die VI. Augusti; & plures nuntios Religiosos, Prælatos, & Episcopos plures, per singulos dies misit Maffeo Visconto, & filiis suis, ut compparerent coram Summo Pontifice, aut coram ipso Legato, dantes ei terminos plures, quos terminos neglexit. Sed misit exercitum suum Vercellas, & obsedit partem de Advocatis per gyrum, taliter quòd nemo intrare nec exire poterat; & ibi steterunt à medio Mense Septembris Anno MCCCXX. usque ad medium Mensis Aprilis Anni MCCCXXI. Tunc milites Catelani, qui erant Ast plusquam 300., iverunt ad Santiagum prope Vercellas; & ibi erant Martinus de Agliate cum gente sua, & plures Lombardi Forenses, eques & pedes, volentes intrare Vercellas cum multitudine curruum cum victualiis. Et dum irent, venerunt contra eos milites Maffei, qui erant in obsidione Vercellarum; & prœliantes afflicti fuerunt illi, qui volebant intrare Vercellas; & victualia prædicta capta fuerunt; & de Forensibus Lombardis plusquam 200. mortui & capti fuerunt cum equis & armis. Tunc Episcopus Vercellensis Ubertus de Advocatis, sive de Colubiano, & qui cum eo erant 1500. viri, qui per Menses VI. obsessi fuerunt, nec plus habebant quod manducarent, ex pacto facto cum duobus filiis Maffei dederunt & reddiderunt locum, & exfortia, quæ tenebant Advocati. Illi de Titionibus stabant in domibus suis prœliantes semper contra Advocatos. Tunc diruerunt muros, & alias domus, & majorem partem dicti loci. Simon de Colubiano Uberti Episcopi frater, & XII. de majoribus ejus partis ducti sunt ad Maffeum in Mediolano, & ibi carcerati fuerunt. Episcopus Vercellensis Ubertus supradictus detentus fuit in Palatio Vercellarum cum custodibus die ac nocte. Quodam verò sero dictus

(12) Provincialis, idest ex Provincia vulgo la Provenza, Occidentalibus Italiæ finibus maritimis contermina.

(13) Forenses Lombardi, videlicet ii, qui à contraria Factione suis è Civitatibus pulsi fuerant. Planum idest, neque hac nota indigebat, sed notasse nemini nocebit, & fortasse aliquem juvabit.

ctus Episcopus callidè inebriari fecit custodes vino purissimo. Tunc Episcopus implevit tunicam suam paleis, & eam posuit, & statuit in medio dormientium, & per latrinam exivit sanus & liber, & ministri ejus in Servii (14) flumine parati fuerunt, & duxerunt eum cum equis suis Bugellam lætum & sanum.

CAP. CIII.

Quòd Maffeus Viscontus excommunicatus fuit per Papam Johannem.

Post hæc Beltramus Legatus jam dictus multas & plures literas misit Maffeo, & filiis suis, ut comparerent coram Summo Pontifice infra menses duos; & post hæc alium terminum assignavit Summus Pontifex aliorum duorum Mensium prædictis, qui omnia neglexerunt, & in omnibus inobedientes fuerunt. Tunc dictus Johannes Papa eos & singulos eorum maledixit maledictione pessima Dei, & Apostolorum Beatorum Petri & Pauli tamquam inobedientes, hæreticos, & scismaticos; & omnes Civitates, Villas, & Castra, & omnes habitantes in eis, qui subjecti erant dicto Maffeo, etiam excommunicavit excommunicatione pessima.

CAP. CIV.

De adventu Raymondi de Cardona Vicarii Regis Roberti, & ejus gestis, & de Marco Visconto, & de bello inter Delfinum & Comitem Sabaudiæ, & de Januensibus.

Anno sequenti MCCCXXI. Robertus Rex misit Raymondum de Cardona nobilem militem & doctum ad bellum, ut fama asserit, in Lombardiam, & constituit eum generalem Vicarium super omnes Civitates, (15) Villas, & Castra, quæ & quas dictus Rex tenet & possidet in Lombardia, & super omnes subjectos & habitantes in ipsis. Qui Raymondus appulit Ast die Lunæ XI. mensis Madii MCCCXXI. die Mercurii XIII. Madii præsentis Marcus Viscontus cum gente sua pacificè, & cum voluntate virorum Villæ Quargnienti intravit dictam Villam Quargnienti. Die XIV. Madii MCCCXXI. dictus Marcus cum gente sua guastavit Villam de Solerio, & Villam de Nono. Tunc Raymondus de Cardona misit Valentiam milites 500. qui iverunt & intraverunt violenter Villam Montis Castelli, & exspoliaverunt eam, & viros & infantes captivos duxerunt; & posito igne succensa est tota. Prædictus Raymondus cum residuo militum suorum, qui erant in Ast, ivit Valentiam die XII. Junii MCCCXXI. Eodem mense galeæ 40. quæ erant Januæ, armatæ iverunt Andoram, quibus pergentibus Episcopus Albinganensis filius Raymondi Spinolæ volens obviare illis, afflictus est cum gente sua, & ipse Episcopus ibi mortuus fuit gladio (16). Eodem Anno MCCCXXI. causâ aliquorum Monachorum Sancti Benedicti in Abbatia Ambronay degentium, discordiæ magnæ factæ sunt inter Amedeum Comitem Sabaudiæ, & Guigonem Delfinum Viennensem, cum quo erat Henricus Archiepiscopus Metensis: ex quibus multa mala orta sunt. Nam Delfinus intravit Villas Montis Miliani, Sancti Laurentii, & Corberiæ violenter, & posito igne succensæ fuerunt & spoliatæ. Dum exirent de dicta Villa, illi de Sabaudia ante eos fuerunt, & afflicti sunt illi de Delfino, & capti fuerunt de majoribus Baronis Delfini plusquam 20. inter quos erant Aynardus de Peutte, & illi consimiles. Inde capta fuerunt ab Amedeo Castrum Sancti Germani, & alia loca, quæ erant Delfini. Postea Petrus de Sabaudia Archiepiscopus de Lugduno ivit in obsidione cujusdam Castelli, & ibi afflictus fuit à Delfino, & spolia perdidit; & ibi capti & mortui fuerunt plusquam 500. Die XVI. Junii MCCCXXI. Raymondus de Cardona cum gente sua violenter intravit Villam Quargnienti, & ibi cepit plures Teutonicos cum equis & armis, & duxit eos secum, redemtione facta ex florenis 6000. Post hæc habuit Villam Ocimiani ex pacto. Tunc venerunt de Provincia plures milites, qui iverunt Valentiam. Tunc dictus Raymondus cum militibus 1500. stetit per dies V. circa Alexandriam, guastando vineas & arbores; postea sperans intrare Terdonam, ivit illuc. Marcus Viscontus volens ipsum obviare, vênit contra Raymondum prædictum in majori quantitate militum & peditum, quam habebat dictus Raymondus; & erant prope unus alteri per minus de uno milliari, nec se offenderunt, & unusquisque reversus est domum suam. Post hæc dictus Raymondus intravit Castellum Bassignanæ, & Villam & Castellum de Pezzeto.

CAP. CV.

De gestis per Legatum Apostolicum contra Maffeum Viscontum auxilio Astensium.

Anno sequenti MCCCXXII. die XIV. Januarii in Festo Sancti Hilarii Legatus jam dictus, congregata multitudine virorum & mulierum, voce præconis in Mercato de Domo, & ipse stans super solarium cum Archiepiscopo Mediolanensium, & aliis multis Prælatis, fecit sermonem, incipiens: *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus*: pronuntians, & dicens multa mala de Maffeo Visconto, & filiis ejus, quæ non possum scribere; notificans eis, si ipse personaliter non comparuisset in loco Bergolii ad excusandum se ex his, quæ objecta sunt ei, usque ad diem XXV. Februarii MCCCXXII. proximi, ipse & filii ejus cadunt in sententiam maledictionis Summi Pontificis Johannis, & Apostolorum Petri & Pauli; & si pos-

(14) Servii voce barbara exprimitur flumen, mœnia Vercellensis Urbis adlambens, vulgò dictum la Sesia, apud latinos Sessitis nomen obtinens.

(15) Stultitia pugnantium inter se Populorum propriæ cum jactura libertatis Regi Neapolitano alterum in Longobardia Regnum pepererat. Hujus sub potestate positi sponte Guelphi, certam sibi de adversariis Gibellinis victoriam promittebant. Hoc alebat malum absentia Imperatorum, neque satis curabat rara brevisque ipsorum apud Italos præsentia.

(16) Sævientium Italos inter Populos, Civesque inter & Domos Factionum cruenta certamina admirationi & horrori sunt ea nunc in Historiis tradita legentibus. Tantæ tamen erant animis etiam cœlestibus iræ. Guelphi æquè ac Gibellini sacros Urbium suarum Pastores unius in alteram Factionis Duces non raro habuerunt, neque raro mactatas inter oves victi cœsique & ipsi ciciderunt, aut bello capti ægrè ab hostium manibus evaserunt. Hisce casibus hæc minimè caret Historia; sicut enim hunc Albingauni Episcopum bellica calamitas obruit, prœlianti Episcopo Aretino par utique contigit, tantum non parem expertus est Vercellensis Episcopus, quia obsessus se dedidit, & arctè custoditus per turpem viam sagaciter effugit, ut supra indicavit.

possent haberi, comburantur igne tamquam Hæretici, & Scismatici. Qui noluerunt comparere. Et in dicto colloquio dictus Legatus ordinavit in Clero pro omni die ad majorem Missam, dicto *Pater noster*, dicatur Psalmus *Exsurgat Deus* cum una Oratione in opprobrium Maffei prædicti, qui noluit comparere. Tunc dictus Legatus die Martis 2. Februarii 1322. in Festo Beatæ Mariæ fecit portare Vexillum Sanctæ Ecclesiæ super solarium de Domo; & prædicatum fuit ibi, quòd quilibet vir, & mulier, qui vellet sequi dictum Vexillum ad destruendum dictum Maffeum, & coadjutores ejus, liber & mundus sit ab omni peccato tam à culpa, quàm à pœna. Tunc prædictus Legatus die Veneris 19. Februarii 1322. cum Archiepiscopo Mediolanensi, & aliis Episcopis, Prælatis, & Inquisitoribus Hæreticorum, & Raymondus de Cardona cum militibus plusquam mille iverunt Valentiam; & misit Archiepiscopum Mediolanensem cum 4. Inquisitoribus Hæreticorum ad locum Burgolii ad dandum sententiam pessimam supradictam dicto Maffeo & filiis ejus. Qui prædicti Inquisitores maledixerunt prædictos, & excommunicaverunt ipsos, & eorum sequaces maledictione Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Johannis Summi Pontificis, & privaverunt eos omni honore militiæ, regimine Civitatum, Burgorum, & Villarum, in tertiam & quartam generationem; nec aliquis Judex sententiam aliquam dare possit; & Notarii non possint Instrumentum componere. Et si quis aliquem ex prædictis personaliter, vel eorum bona capere possit, tenere, carcerare, redimere tamquam perfidos Saracenos debeat. Robaldus filius Conradi Malabailæ ivit tunc Valentiam cum viris armigeris equitibus 25. & ibi stetit per mensem unum ad bursam suam. Eodem Mense Februarii 1322. Raymondus de Cardona cum gente sua fuit in campis Alexandriæ, & ibi invenit multos laborantes, ex quibus cepit & occidit pro majori parte 150. Eodem Mense Februarii 1322. Ambasciatores 12. de majoribus Mediolani venerunt Valentiam, ubi erat Legatus, cum verbis pacificis fraudulenter, & nihil fecerunt ibi.

CAP. CVI.

De gestis Raymondi de Cardona.

ULtimo Aprilis MCCCXXII. Franciscus de Monsolito cùm esset Valentiæ, veniens Ast, casu invenit, & obviavit armigeris equitibus 50. qui erant inimici nostri, qui fugerunt omnes in Bastiam de Mongerano. Hæc audiens Raymondus de Cardona, obsedit eos ibi. Sexta die capti, & carcerati fuerunt, & equos & arma ibi dimiserunt. Tunc Raymondus vênit Ast, & transivit Tanagrum, & ivit versùs Novas, & invenit Balestrarios 500. Januenses, & cum eis intravit violenter Villam Vazolii (17), quæ est prope Terdonam. Et non post multum tempus Marcus eodem modò violenter intravit dictam Villam Vazolii, & multos occidit ex gentibus nostris. Raymondus prædictus vênit in campis Alexandriæ cum militibus suis, & Balestrariis, & ibi multa mala fecit, incidendo messes, arbores, & vineas, stans ibi per decem dies. Post hæc dictus Raymondus die prima Junii MCCCXXII. cum gente sua fuit in obsidione ad Castellum Bassignanæ cum manganis & trabuchis, & per naves in aqua, & ibi stetit per dies 20. Postea transivit per aquam ad Burgum Bassignanæ. Eodem die prima Junii 1322. Marcus Viscontus, & Girardinus Spinola Capitanei & duces partis Gibellinæ venerunt prope Burgum Bassignanæ circa milliarium unum, & ibi castrametati sunt cum militibus & peditibus suis; & stantes ibi per dies 18. quadam die Martis 6. Julii post Nonam Gibellini cum magna provisione irruerunt contra Raymondum prædictum, habentes milites 2000. & plus, & pedites 15. millia; dictus verò Raymondus non habebat milites mille, nec pedites 2000. Tunc Raymondus cum stultitia & audacia occurrit contra eos, & prœliati sunt insimul, & afflictus est Raymondus cum gente sua, & terga vertens fugit in Burgum cum majori parte militum suorum. In dicto prœlio mortui fuerunt ex parte Raymondi milites minus centum, & capti 500. & equi circa 300. & balestrarii & pedites circa 200. Et ex Gibellinis veritatem ignoramus; sed fama & vox erat, quòd plures ex eis mortui fuerunt, quàm de illis Raymondi, maximè de militibus & equis. Bernardus de Monsolito cùm esset in obsidione Burgi Bassignanæ cum militibus 200. inter quos erant milites 50. de Ast, videns ruinam in Burgo Bassignanæ, vili modo fugit Valentiam. Non post multos dies Raymondus cum paucis vênit nocte Valentiam, & dimisit in Burgo milites 300. & pedites plures, & in dicto Burgo vir non remansit. Audiens & videns hæc Legatus contristatus est valde, & mittens nuntios pedes, & eques ad Abbatem Burgi Sancti Dalmatii, nuntiavit quæ facta fuerant Summo Pontifici, & Regi Roberto, qui miserunt Ast milites 300. per tres vices, qui iverunt Valentiam die prima Augusti MCCCXXII.

CAP. CVII.

De morte Maffei Visconti excommunicati.

NOtum sit omnibus, quòd Maffeus Viscontus Capitaneus, & Dominus Civitatis Mediolani & districtus, tunc existens excommunicatus tamquam Hæreticus & Scismaticus à Summo Pontifice Johanne XXII. obiit (18) inscito casu, nec quisquam scit, ubi sepultus fuit, quia Ecclesia noluit recipere eum. Galeatius primogenitus ejus factus est Dominus & Capitaneus Mediolani pro eo; & dictus Maffeus obiit XXIV. Junii MCCCXXII.

CAP.

(17) Pozolii etiam latinè parum sciens scribere debuisset: Pagum enim minimè obscuri nominis prope Derthonam, atque in ejusdem districtu vulgus appellat: *Pozzolo Formigaro*.

(18) Matthæus Vicecomes duos & septuaginta annos natus diem clausit extremum, non casu inscito, sed piè ad id se præparans, præsentibus suo fato Filiis laudabilia plurima suasit. Clam & sine pompa sepulchro datus videndas ob causas in Corio; & in secundo Jovii libro, seu vita supradicti Matthæi pag. mihi 69. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus Par. 3. Titulo 21. cap. 5. §. 3. fol. 103. mortuum in Abbatia Charevallis, & sepultum in inferno Matthæum dicit, quod equidem sepulchrum scissi ab Ecclesia Catholica viri sibi ædificant si propria culpa, non odio aut errore Judicis, adeò tremenda in ipsos sententia feratur, quæ tamen à Pastore in gregem lata eidem S. Antonino Par. 3. Tit. 22. cap. 1. §. 6. fol. 128. timenda semper & servanda videtur, sive justa sit, sive injusta.

CAP. CVIII.

De obsidione Burgi, & de Gibellinis Viscontis.

SCiendum est, quòd Gibellini stabant semper in obsidione Burgi Bassignanæ, & fecerunt fossata magna circa eum, ponentes ibi aquam, ne aliquis exire posset; & intus Burgum erant semper milites 300. & pedites multi carentes semper vino. Dictus verò Raymondus semper stabat Valentiæ cum militibus suis, expectans succursum Papæ, & Regis, & cupiens succurrere gentes, quæ erant in Burgo prædicto obsessæ, ut prædicitur. Per dies 45. de loco Valentiæ non discessit, quousque prædicti Mediolanenses de obsidione recesserunt.

CAP. CIX.

De liberatione Placentiæ, & de Galeátio Visconto.

POst obsidionem memoratam cùm in dicto Burgo essent milites circiter 300. & pedites quamplures, Legatus præfatus cupiens ipsorum providere saluti, facta cum quodam Ambasciatore Regis Alemanniæ compositione quadam, prædictos obsessos de Burgo prædicto extraxit. Qui Legatus postea die XXV. Augusti MCCCXXII. Ast vênit, & pro succursu habendo ad Summum Pontificem suas literas & nuntios properantes destinavit, quàm expressiùs poterat auxilium implorando. Summus verò Pontifex tunc Ast misit satis citò milites mille, quos ipse Legatus ad dictum Raymondum breviter destinavit. Nona verò die Octobris MCCCXXII. tunc immediatè sequentis, quidam Nobilis Civis Placentinus nomine Obitius Versutius de Lando, quem Galeatius Vicecomes de Civitate expulerat Placentiæ, & ei etiam abstulerat quoddam suum Castrum, & opprobria etiam alia sub silentio prætereunda patraverat, vênit Ast ad Legatum, & obtentis ab eodem militibus 300. Teutonicis, & amicis omnibus, quos habere poterat, computatis, sua industria, suaque cautela & ingenio intravit præfatam Civitatem Placentiæ, à qua expulit Azzum Galeatii filium, eam à dominio dicti Galeatii & suorum complicum totaliter liberando, sub cujus dominio, & tyrannide pessima diu steterat subjugata, & dominium ipsius Civitatis obtinuit, in quo à Summo Pontifice fuit confirmatus. Et ipse licèt Gibellinus esset, nihilominus Guelfos in Civitatem reduxit, & Legato Pontificis honorificè recepto, Castra Placentiæ, quæ Galeatius occupaverat, recuperavit. Die verò Lunæ VIII. Novembris MCCCXXII. tunc immediatè subsequentis Vir nobilis & potens Dominus Guilielmus de Pusterla, & quamplures alii, tam de majoribus, quàm Popularibus Mediolanensium Civibus, cupientes ab excommunicatione liberari, Galeatium, & fratres suos Vicecomites de Mediolanensi Civitate expulerunt violenter, cum quibus ter uno & eodem die pugnaverunt, & tamdem victores extitere. Quo facto Mediolanenses verentes, ne se possent propriis viribus defendere, per Oratores ad dictum Legatum Papæ, qui tunc erat Placentiæ, missos Mediolani Civitatem Pontifici suppofuerunt, Viscontis omnibus ejectis. Qui quidem omnes se in Laudo reduxerunt; & post moram modicam ibi factam præfatus Galeatius cum gente sua Mediolanum est reversus, & amicis consentientibus, imò porta quadam per proditionem obtenta, factus est Dominus sicut priùs, & per vim, & metum à Populo Dominus fuit conclamatus. Interim ipso Galeatio in Laudo existente, Mediolanenses miserunt Legato Ast nuntios speciales, ut Mediolanum se transferret; qui quidem vel timore, vel fatuo consilio mediante, eò ire recusavit: quod utinam non fecisset; nam à pluribus supponitur assertivè, quòd si Mediolanum devenisset continuò gressus suos, prout à pluribus sperabatur, sinè dubio clades pestifera Lombardorum fuisset celeriùs terminata. Sed vel minus provido consilio suadente, vel eo, qui cuncta ordinat, aliter disponente, præfatus Legatus Placentiam ire decrevit. Post modicum verò tempus dictus Dominus Guilielmus de Pusterla cum XII. Ambasciatoribus Mediolanensibus iverunt ad dictum Legatum, loquuturi cum eodem, & simul omnes tractaturi statum pacificum partium prædictarum. Sed qui bonis operibus sæpe resistit, & de malis continuè gloriatur, eo causante, nequiverunt ad effectum perducere quod pararant.

CAP. CX.

De Raymondo de Cardona, & quòd Januenses Forenses ceperunt Albigaunum.

DEmum Mense Februarii Anno MCCCXXIII. quo quidem Anno fuit in Italia insperata, & inaudita à cunctis viventibus etiam centenariis, & eo ampliùs, immensarum, & diuturnarum nivium multitudo, Dominus Raymondus de Cardona Burgum Bassignanæ cum exercitu Pontificis violenter intravit, & per dies XX. tenuit eum, post quos Gibellini violenter ceperunt eumdem locum, & igne posito combusserunt. Et cùm Civitatem Alexandriæ dictus Raymondus expugnare vellet, illi de Alexandria præ timore Civitatem illi reddiderunt. Prætereundum enim non est, quòd de Mense Augusti proximè præteriti 1322. extrinseci Januenses cum quibusdam Marchionibus de Carreto Albigaunum obsederunt, & illic per Menses IV. continuè steterunt; & non habentes illi de Albigauno necessaria ad vivendum, insperantes etiam aliquem posse habere succursum, facto pacto, cum armis suis qui exire voluerunt exierunt, & terram liberè dimiserunt. Deinde die Jovis XVII. Mensis Februarii MCCCXXIII. antedicti Tenentes Civitatem Januæ Burgum de Predio violenter intraverunt, bona omnia in magna quantitate ibidem existentia rapientes. Multi quidem ibi capti fuerunt, sed pauci interfecti, fortè circa XX. ex habitantibus verò dicti Burgi post Burgi captionem plures in modico tempore Januam pacificè sunt reversi. Priusquam verò hæc fierent, de Mense Octobris MCCCXXII. scilicet proximo Anno prædicto (19). quidam Regis vespiliones, sive soldati, de Ast exeuntes iverunt ad Sassellum; & Villam intrantes, bonis omnibus spoliaverunt. Inde verò redeuntes, inimici dictorum militum de convicinis partibus coadunati, ad quosdam arduos passus præstolantes eosdem, quos nullo modo poterant evitare, obviam exierunt; & ex ipsis militibus amplius quàm quinquaginta ceperunt cum armis & equis. Die verò Jovis XXIII.

(19) *Alibi* præterito.

XXIII. Mensis Octobris MCCCXXIII. Dominus Raymondus de Cardona ex pacto facto pacificè & absque strepitu Terdonam intravit; qui verò in Castro erant, ipsum per dies aliquos tenuerunt; sed mediante quadam Florenorum quantitate, pro quibus ferè omnia fiunt in præsenti, probitate deserta, dictum Castrum dicto Raymondo reddiderunt. Die verò sequenti Mensis prædicti XXV. Octobris MCCCXXIII. milites, qui Placentiæ erant cum Domino Legato de Placentia, omnes exierunt, euntes versùs Mediolanum, & erant relatione & existimatione plus quàm 2000. & per iter multum augmentati sunt numero. Et venerunt ad quoddam flumen vocatum Abduam. Hæc audiens Marcus Viscontus, collectis multis militibus & peditibus festinavit prævenire eos, antequam ad flumen accederent, volens pontem rumpere, & inimicis victualia prohibere. Cùmque venisset ad Cassanum, milites Raymondi iverunt, & posuerunt se in loco, ubi Marcus venire debebat, qui Marcus fingens se alia ex causa illuc venisse, non tamen refutavit pugnam; Sicque ibi commissum fuit prœlium valde magnum, in quo multi ab utraque parte corruerunt, plures tamen, ut ferebatur, de Mediolanensibus: dictum enim fuit, quòd perierunt de Mediolanensibus ultra 400. de nostris verò perierunt circiter centum. Quo facto prædicti milites cum peditum innumerabili comitiva iverunt Modoëtiam, & ibi steterunt per menses tres, & eo amplius. Dominus Raymondus de Cardona, cùm esset Placentiæ, vênit etiam ibi cum gente sua. Post modici temporis intervallum dictus Raymondus cum militibus suis æstimatis æstimatione Communi 4000. & peditum numerosa quantitate campos Mediolani occupavit, & obtinuit ex Comitatu Mediolanensium loca quamplura. Demum dum die Dominica XIX. Junii subsequentis MCCCXXIV. Burgos Mediolani intravit cum conflictu Mediolanensium non modico, & eosdem Burgos diu pro majori parte diebus pluribus tenuit, & ibi sedit.

CAP. CXI.

Miraculum Astensis Ecclesiæ ruinatæ sinè interitu alicujus.

UNum tamen prætermittendum non puto, licèt ab hac materia multum videatur alienum, tamen quia id miraculosè contigit, & ex Divina ibi sinè dubio clementia factum fuisse nemo potest sanæ mentis ignorare, ut tanto melius à Fidelibus ad memoriam devotè reducatur, & locus ille crebriùs frequentetur, & solemniter Omnipotens veneretur, uti sinè dubio id audientibus in futurum stuporem mentis ingeret, miraculum hoc enarrabo. Nam die XX. Mensis Martii Anni præsentis MCCCXXIII. tempore scilicet Quadragesimæ, horâ meridianâ, celebratis Divinis Officiis, atque totaliter expleto Diurno in Astensi Ecclesia Cathedrali fabricata antiquitus in honorem Beatæ Virginis gloriosæ, ubi erat, ut moris est, congruo tempore tam devota utriusque sexus multitudo copiosa, ipsa Ecclesia vacuata priùs multitudine usque ad ultimum, licèt in ea minantis in proximo futuræ ruinæ nulla prorsus indicia apparerent, quamquam esset ex tenui materia atque debili ab antiquo fabricata, subitò, improvisè, inopinatèque concussa est à summo usque ad deorsum; & totum corpus ipsius Ecclesiæ uno momento funditus versum est in ruinam, sinè aliqua alicujus sexus alterutrius aliquali læsione. Ex quo à nemine Catholico est aliqualiter ambigendum, ipsam, cujus patrocinium in dicto loco continuè imploratur, & cujus præsidio universa subsistunt, piam & pronam Fidelium preces humiles audivisse, & pro Fidelibus & devotis clementer intercessisse apud omnium Conditorem. Quare continuatis precibus, & processionibus dignum puto præfatum locum eo devotiùs frequentandum, quo ibidem ipsius miracula palàm & lucidiùs sunt experta. Non modicum verò post Canonici Ecclesiæ memoratæ, præsidio Antistitis Astensis Ecclesiæ, famosi utique & præclari viri, implorato, atque obtento, ad ipsius fabricæ reparationem animati, præfatam cœperunt continuò fabricam reparare, quibus ipsa opem ferat, pro cujus honore, & veneratione locus ipse colitur, & ipsa utique apud Filium pro Fidelibus intercedat, pro cujus honore ipsa fabrica reparatur.

CAP. CXII.

Quòd Raymondus de Cardona recessit ab obsidione Mediolani propter Epidemiam.

DEmum ad prosequendum historiam inchoatam convertatur stilus noster. Multis ergo diebus Dominus Raymondus prædictus cum militum & peditum copiosa comitiva Burgos Mediolani occupavit, & inde Mediolanensibus intrinsecis multa damna dedit; & persæpe alii alios invadebant. Tamdem causante calore, & multitudine gentium causam præbente, aër corrumpitur, & maxima Epidemia generatur in Burgis, adeò quòd infra modicum tempus plusquam 300. ex soldatis ipsius Raymondi sunt peremti, & ferè circa 800. graviter infirmati. Quod attentè considerans dictus Dominus Raymondus, timens de futuris tam de morte infirmantium, quàm etiam de statu proprio, & de attenuatione etiam exercitus, per hunc modum more prudentis viam eligens tutiorem, cautè infirmos omnes super currus & vehicula poni fecit, & Modoëtiam securè conducere fecit Anno MCCCXXIV. ubi cum universo exercitu se transtulit, Burgis dimissis, nihil omnino de suo, vel de suis ibidem derelicto. Equites verò suos disposuit hinc inde, ad tuitionem & custodiam eos ordinans Castrorum, & itinerum indigentium custodia bona. Post modicum verò temporis spatium eodem Anno MCCCXXIV. Galeatius cum soldatis, quos habebat, & cum prædictis militibus, quos eidem miserunt Dominus Canis de Scala, & Dominus Passarinus, Modoëtiam vênit cum proposito obsidendi, & eam tenuit ferè obsessam per duos menses vel circa. Sed quoniam pestis milites invaserat, re infecta recessit; sed paulò post iterum venientes Visconti occiderunt 300. inter milites & pedites Domini Raymondi, qui nihil timentes erant in quadam Villa Carrariæ. Interea admonitus Papa, quòd Ludovicus de Bavaria electus Imperator opem tulerat Viscontis, eum excommunicavit, nisi intra tres menses cessisset electioni de se factæ, & personaliter comparuisset coram dicto Papa. Qui Ludovicus à Papa ad futurum Concilium appellavit, & per Oratores suos Papæ respondit, se compariturum coram eo, si Romam, ubi vera Sedes Petri est, se conferret. Sed nihilominus auxilia præbuit Viscontis. Paucis post diebus audiens Viscontus, captum fuisse à Cardona

dona Vavrum (20) à Mediolano cum exercitu exiens, illuc perrexit, & cum Cardona pugnavit, & vicit; & Cardonam unà cum Henrico à Flandria personaliter cœpit. Sed Raymondus, deceptis custodibus, fugit (21). Tunc Mo- A doëtienses exeuntes irruerunt in obsidentes eos; & fugatis inimicis tentoria eorum spoliaverunt. Hæcque omnia facta sunt usque ad Annum MCCCXXV.

(20) Vavrum ideft Vaprium imminens flumini Abduæ Oppidum, ubi victum & captum à Vicecomite Cardonam fusè narrat Corius Par. 3. an. 1324. pag. 460.

(21) Ita scribere illius ævi Authorem oportuit; nam ita factum fama ubique sparserat. Vulgata in populum fuga, Cardonam liberè dimissum Galeatius Vicecomes tegere curabat, ut secretò invicem conventa tutiùs exequerentur: ipse videlicet Galeatius, suadente Cardona, cum Pontifice reconciliandus, & fœdere jungendus, neque optatis eventus defuit. Adduci tamen Vicecomes nullo modo potuit, ut Dominum ipsius Imperatorem non exciperet, cùm eam fœderis legem accepit, ut eosdem ille, quos Pontifex, Amicos & hostes haberet Ita Jovius in vitis 12. Vicecomitum lib. 3. sive vita Galeatii pag. mihi 83., Corius Par. 3. an. 1323. Venetiis à Caballis editus an. 1565. pag. 463, & 464.

FINIS CHRONICARUM
GUILIELMI VENTURÆ.

MEMORIALE SECUNDINI VENTURÆ

DE REBUS ASTENSIUM.

EGo Secundinus Ventura Notarius, Civis Astensis, & de Collegio Notariorum Civitatis Ast, filius quondam Domini Andreæ Venturæ, & Dominæ Beatresinæ de Follis uxoris suæ, in diebus meis vidi & audivi infrascripta, quæ vera sunt, tam per visum, & auditum, quàm per publicam vocem & famam, & communem opinionem Astensium & totius Patriæ; & non expedit aliqualiter dubitare.

Et primò de Anno Domini MCCCCXIX. de mense Martii, existente Illustrissimo Principe Domino Carolo Duce Aurelianensi Domino Civitatis Astensis, & districtus, & totius patriæ Astensis, & habente & tenente Civitatem Ast in Castro Cittadellæ pro ejus Gubernatore totius patriæ Astensis spectabilem militem Dominum Percivallium de Bendemuleno Gallicum, Johannes Turchus de Castello filius bastardus Domini Antonii Turchi de Castello Domini Castri Frinchi, cum certa comitiva gentium armatorum, equitum & peditum vênit de nocte apud Civitatem Ast, & voluit scalare Castrum prædictæ Cittadellæ, in quo tunc erat dictus Dominus Gubernator; & ibi habebat ædificia quamplura apta pro scalamentis. Sed juvante Deo, & Beato Secundo Patrono Civitatis Ast, hoc facere non potuit. Et habebat secum unum perfectum scalatorem nomine Barberius de Septimis, qui post modicum tempus interfectus fuit una sagitta per manus unius de Canalibus. Et videns ipse Johannes, quòd nihil facere poterat, quia fuerunt auditi per aliquos ex Civibus Ast, qui ibant circa muros, & clamantes *foras foras*: inde fuit ad locum Antignani districtus Ast, credens ipsum locum malitiosè accipere; & non valens ipsum accipere, ibi per gentes ipsius loci fuit afflictus, & ibi dimisit artificia apta ad scalamentum faciendum, quæ artificia ex post vidi in dicta Cittadella.

Dicta guerra duravit usque ad An. MCCCCXXII. quo Anno Illustris. Dominus Philippus Maria de Viscontis Dux Mediolani accepit dictam Civitatem Ast in gubernium cum voluntate Civitatis Ast. Dicta guerra nominabatur guerra Episcopi Astensis, & Johannis Turchi, qui Dominus tunc guerram faciebat cum sequacibus suis; nominabatur enim Episcopus Albertus de Gutturariis de Castello.

Dictus Johannes Turchus existens Capitaneus generalis Illustris Domini Johannis Jacobi Marchionis Montisferrati (qui Dominus Marchio tunc fidebat de ipso Johanne tamquam de filio proprio) de Anno MCCCCXXX. die XIX. Decembris suspensus fuit ad furcas in Monte Calvo modicum extra portam dicti loci, & ibi præsens fui, & vidi. Dictus Dominus Marchio ipsum A suspendi fecit, quia proditor suus esse volebat, granditer; sed adimplere non valuit idem Johannes per eum falsè ordinata. Postquam dictus Dux Mediolani accepit dictam Civitatem Astensem & Territorium in gubernium, Cives & omnes Subditi continuè steterunt in pace, & absque guerra usque ad Annum MCCCCXXXI. quo Anno prælibatus Dominus Dux, & dictus Dominus Marchio Montisferrati existens coadunatus & colligatus cum Communitatibus Venetorum, & Florentiæ, ad invicem sibi guerram fecerunt; & Civitas Ast cum Territorio existens in gubernio, & sub gubernio prælibati Domini Ducis Mediolani fuit in guerra maxima.

Dicto Anno Domini MCCCCXXXI. die Sabbati XVI. (*) mensis Junii prælibatus Dominus B Marchio posuit exercitum suum contra Civitatem Ast, & circa ipsam Civitatem deversus Tanagrum, & ipsemet personaliter erat cum comitiva equitum 2000. & peditum 5000. vel circa; & ibidem stetit usque ad diem 20. dicti mensis Junii, qua die inde recessit ipse Dominus Marchio cum tota ejus comitiva ob timorem Illustrissimi Domini Principis Pedemontium, qui cum comitiva magna gentium asserebatur venire contra ipsum Dominum Marchionem in adjutorium prælibati Domini Ducis Mediolani. Qui Dominus Dux habebat in uxorem sororem unam ipsius Domini Principis, & filiam Illustris. Domini Ducis Sabaudiæ. Et dicto tempore epidemia magna vigebat in Ast. Die antecedenti, C qua dictus Dominus Marchio obsedit dictam Civitatem Ast, exercitum suum habebat contra Castrum Frinchi, & locum, quem tenebat Gabriel Turchus filius legitimus supradicti Domini Antonii, & frater dicti Johannis Turchi, qui Gabriel eo die captus fuit, & interfectus uno verettone à gentibus præfati Domini Marchionis, & postea prælibatus Dominus Marchio factus est Dominus dicti Castri, & loci, & dictus Gabriel guerram magnam faciebat prælibato Domino Marchioni juxta posse suum.

Eodem Anno dictus Dominus Marchio posuit exercitum suum contra Januam, & credens ipse Dominus Marchio, tractatu Domini Barnabæ Adorni de Janua exulis, dictam Civitatem Januæ capere, ipse Dominus Marchio gentes suas D equites & pedites in quantitate misit usque Sextrum, quæ postea fuerunt in Valle Pozzevola, seu Porcifera; & cum eis erat dictus Dominus Barnabas Adornus, ibidem expectantes galêas, & naves Venetorum, quæ debebant venire in succursum dicti Domini Marchionis contra dictam Civitatem Januæ, quæ tenebatur & regebatur per supra nominatum Dominum Ducem Mediolani. Et sic expectantes decem & octo galêas Venetorum, quibus præerat Petrus

(*) VI. Ita codex un. ab alio dissentit. Quis verò illorum à veritate absit, mihi non liquet. Verborum aliorum notare diversitatem omitto, cùm nullum in illis detrimentum veritas patiatur; neque loci satis hoc in margine hujusmodi tot inutilium notarum necessitas haberet.

virus Loredanus, & galeatiam unam, & galeas quatuor Florentinorum, quæ omnes erant in portu Pisarum. Sed illæ venientes die XXIII. Septembris apud Ecclesiam Sancti Fructuosi, quæ longè est à Janua per 20. milliaria, pugnaverunt cum galeis Januensium, quarum Dux erat Franciscus Spinola Octoboni filius; & Januenses afflicti sunt, & ex galeis 21. Januensium 8. captæ fuerunt, reliquæ verò fugerunt. Franciscus quoque captus fuit, & Venetias missus, ubi in carcere stetit. Quare dictus Dominus Barnabas, & dictæ gentes dicti Domini Marchionis hoc auxilio privatæ (nam Veneti magis intenti erant in infirmorum, & vulneratorum cura, quàm in bellum gerendo) afflictæ sunt per Nicolaum Picininum Capitaneum Generalem dicti Domini Ducis Mediolani, & major pars ipsorum & quasi omnes capti fuerunt; ac etiam dictus Dominus Barnabas, qui tunc credebat se facere Ducem Januæ, prout communiter dicebatur, & dictum fuit, in carceribus decessit. Sed quòd decesserit, non est verum; quia egomet existens Januæ eum vidi, & cum eo specialiter loquutus fui Anno Domini videlicet MCCCCXXXIX. Nicolaus ergo habitâ victoriâ omnes milites Liguriæ, qui pro Marchione tulerunt arma, licet sinè armis ab eo veniam peterent, occidi jussit. Nec fuit crudelis in milites tantùm, sed & in plebem, sed sinè respectu ætatis, sexus, aut religionis alios occidit, alios vendidit velut pecora, & emtores emere coëgit. Postea in Montemferratum veniens, omnem regionem vastavit & spoliavit.

Non post longos dies applicuit Alexandriam quidam Capitaneus Armigerorum præfati Domini Ducis Mediolani, nominatus Comes Franciscus Sfortia, cum comitiva equitum 2000. causâ & occasione castrametandi loca & Castra dicti Domini Marchionis. Qui Capitaneus cùm fuit in ipso loco Alexandriæ, multas gentes populares in quantitate 5000. & ultra ibidem fecit coadunari, inter quas gentes multi erant de Civitate nostra, & Villis nostris Ast, & postmodum suum exercitum posuit contra, & circa locum Luii, in quem locum post IV. vel V. dies violenter intravit, & ejus gentes armigeræ, omnes mulieres ibidem existentes violaverunt, prout dicere audivi à gentibus nostris, quæ ibidem erant; & totam ipsam terram assaccomanaverunt, quæ repleta erat bonis multis, & divitiis spoliaverunt. Omnes condolebant de violatione mulierum, & non immeritò. Caveat nos Deus à simili infortunio. Et antequam compleretur Annus MCCCCXXXI. dictus Comes Franciscus Sfortia cum gentibus prædictis multa Castra & loca, quæ esset longum nominare, dicti Domini Marchionis in dicto Monteferrato tam violenter, quàm ex pacto habuit & accepit, & maximè locum & Castrum Casalis Sancti Evasii; & necesse fuit, quòd dictus Dominus Marchio recessisset de dicto Monteferrato, & iret ad standum in loco Clavasii in Canapisio, timens de futuris periculis. Et deinde non se tenens in ipso loco Clavasii bene securum, ivit in Sabaudiam ad Dominum Ducem Sabaudiæ, cum quo pluribus diebus stetit, & residuum sui dominii commendavit, & se ei fidelitatem facturum promisit. Et postea fingens se velle reverti in Montemferratum, recessit per partes Alemanniæ, quia forsitan non bene fidebat in præfato Domino Duce, ad locum Venetiarum, ubi honorificè, prout dicere audivi à tunc ibidem astantibus, receptus fuit, & bene tractatus; & ibidem stetit, donec quædam pax facta

A fuit inter dictum Dominum Ducem Mediolani, & dictos Venetos. Quæ pax facta fuit de Anno MCCCCXXXII. in qua quidem pace Sigismondi Imperatoris requisitione omnia loca, & Castra, quæ capta fuerant prædicto Domino Marchioni tam in Monteferrato, quàm ultra Tanagrum, & alibi, per prælibatum Dominum Ducem, eidem Domino Marchioni liberè fuerunt restituta. Et ipse Dominus Marchio recedens à loco Venetiarum pro veniendo in Montemferratum, vênit Mediolanum pro visitando præfatum Dominum Ducem, qui Dominus Dux præfatum Dominum Marchionem honorificè tractavit, non obstante guerra supradicta, quæ fuerat inter eos. Et deinde dictus Dominus Marchio Casale vênit, qui locus Casalis jam eidem Domino Marchioni per dictum Dominum Ducem restitutus erat.

B

Eodem Anno MCCCCXXXIII. Sigismondus Imperator in Italiam vênit ad capiendam Coronam, & ad Philippi requisitionem in Hetruriam iverat, à quo cùm promissam pecuniam expectaret, nec Philippus eam mitteret, vix Sigismondus Bohemos à rapina retinebat, & ab incursionibus. Tunc Nicolai Estensis operâ Philippus concordiam fecit cum Venetis, & Florentinis. Ex qua pace Franciscus Spinola cum aliis, qui in carceribus Venetiarum erant, liberati, & in patriam redire permissi fuerunt, ubi magna cum lætitia fuerunt recepti. Quare Florentini sperantes prohibere, ne Sigismondus Romam iret, per territoria Luchæ, & Senarum discurrebant. Sed cùm in terra aliena viderent equos suos pati, factâ prædâ iverunt Aretium, & in ea Civitate se continebant. Tunc Sigismondus Romam perrexit, ubi à Papa & à Cardinalibus honorificè receptus, coronatus est; & inde in Alemanniam rediit, & transiens visitavit Cardinales & alios Prælatos, qui in Basilea erant; non tamen Pontificem Scismaticum, qui ibi electus erat, visitare voluit. Et hic Papa erat Amedeus Dux Sabaudiæ, qui cùm Eremita esset apud Ripaliam, à Concilio Basiliensi factus fuerat Papa, & Felix Quintus vocatus est. Anno Domini MCCCCXXXV. die III. Junii obiit Johanna hujus nominis Secunda, Regina Neapolis, in qua periit linea Caroli Primi. Igitur succedere prætendens Renatus Lotharingiæ Dux, frater Ludovici Tertii, Isabella Uxor ejus vênit Neapolim de Mense Septembris MCCCCXXXV. & ibi accepta fuit, ut ex actis, quæ vidi, gestis sub die XIV. Aprilis MCCCCXXXVIII. Postea vênit Renatus die XIX. Madii MCCCCXXXVIII. & Castrum, quod vocatur de Ovo, quod ab Alphonso tenebatur etiam, recuperavit. Anno Domini MCCCCXXXIII. de mandato Eugenii Papæ Concilium congregatum in Basilea ipsum Eugenium deposuit è Pontificatu, & Amedeum Ducem Sabaudiæ, qui in Eremo apud Ripaliam habitabat, creavit. Sed fuit Papa Scismaticus. Hoc eodem Anno Johannes Jacobus Marchio Montisferrati misit Johannem filium suum ad Ludovicum Ducis Amedei à Sabaudia filium, ut terras suas, quas ei commendaverat, recuperaret. Sed cùm non solveret magnas pecuniarum summas, quas Dux Sabaudiæ expendiderat pro custodiendis terris illis, fuit à Ludovico dictus Johannes Taurini detentus, & in carceribus stetit, donec Johannes Jacobus Pater ejus publico Instrumento pro dictis summis dedit in solutum Clavasium, & omnes alias Terras Montisferrati ultra Padum Taurinum versùs, ac etiam Jurispatronatum Abbatiæ Sancti Benigni Fru-

C

D

E

Fructuariensis, ac etiam Civitatem & territorium Aquensem, quam Civitatem & territorium expost Amedeus in feudum concessit prædicto Marchioni, pacto apposito, quòd deficiente linea masculina, Civitas & territorium ad Principem, & ejus successores redirent: quæ pacta aliis vicibus fuerunt approbata ab ipsis Marchionibus, & à Secundino Natta Astensi, & aliis dictorum Marchionum Ambasciatoribus, & ex sententia judicialiter prolata per Guidonem Torellum Guastallæ Comitem, & Guarnerium de Casteliono, & Emanuelem Siccum Doctores & arbitros ad hoc electos ab ambabus partibus confirmata.

De Captione Regis Aragonum.

ANno Domini MCDXXXIII. obiit Johanna Neapolis Regina: quod audiens Alphonsus de Aragona, qui in Sicilia erat, studuit occupare Regnum illud, & occasionem quærebat opportunam. Et sic Anno Domini MCDXXXIV. obsedit locum Gayetæ, in qua obsidione constanter perseverabat, eam stringendo. Igitur Anno Domini MCDXXXV. de mense Augusti existente Rege Aragonum unà cum tribus fratribus suis videlicet Rege Navarræ, Magistro Sancti Jacobi de Galitia, & Infante Aragonum, & multis aliis Baronibus, & Principibus, & Marchionibus, ac militibus atque Nobilibus, videlicet Johanne Antonio Marzano Duce Suessæ, Johanne Antonio Ursino Principe Taranti, & quodam filio dicti Domini Ducis, ac Vicerege Siciliæ, Christophoro Cajetano Fundanorum Comite, ac Rogerio fratre ejus, quorum alter Protonotarius, alter Quæstor Regni erant, ac etiam Francisco Pandonio, Conceto Lauretano, & multis aliis de ejusdem Domini Regis comitiva circa numerum personarum 20. millium & cum navibus 18. & galêis 14. in exercitu contra locum Gayetæ tam per terram, quàm per mare. Audientes hæc Januenses, tunc sub dominio præfati Ducis Mediolani existentes, ejus Ducis mandato armaverunt naves 13. & galêas tres causâ dandi subsidium dicto loco Gayetæ. In quo loco erat quidam Franciscus de Spinolis cum certa comitiva gentium pro custodia ipsius loci Gayetæ, ne ipse locus Gayetæ ab ipso Rege Aragonum caperetur. Timebant Januenses, quòd si à dicto Rege caperetur, multa mala eisdem sequerentur, quæ procul dubio & ipsis, & toti Lombardiæ fuissent sequutura. Quæ audiens Alphonsus obviavit eis cum 14. navibus, & juxta Pontiæ Insulam una pars alteri accesserat; sed dante Deo die IV. mensis Augusti prædicti in Festo Sancti Dominici dicti Januenses cum eorum navibus & galêis ab hora XI. usque ad XXIV. ad invicem taliter prœliaverunt, & sic durum & magnum prœlium fecerunt, quòd dictus Rex cum tota ejus comitiva fuit conflictus; & ipse Rex unà cum dictis fratribus suis, videlicet Johanne Rege Navarræ, & Magistro Sancti Jacobi de Compostella personaliter capti, & presonii fuerunt; & etiam personaliter capti fuerunt dictus Antonius Dux Suessæ, & filius suus, & Johannes Antonius Princeps Taranti, & Vicerex Siciliæ, & Antonius Comitis Fundani filius, & Johannes Magister Ordinis Alcantaræ, & multi alii inter Principes & Marchiones numero 40 & milites 300. & inter alios circa numerum 12. millium & captæ fuerunt naves 13. & 4. combustæ; & captæ fuerunt galêæ 14. Capitaneus Armatæ Januæ fuit quidam

A Blasius Asseretus Januensis, publicus Scriba, Vir in maritimis rebus magni nominis, qui Petruccium Verrem insignem Piratam singulari galêæ prœlio, secum pugnante virtute, fortitudine, & consilio vicit & cepit. Non est in rerum natura qui dicat, se umquam vidisse seu dici audivisse talem victoriam fuisse factam in toto Orbe. Prædictus verò Infans Aragonum, frater dicti Regis Aragonum, captus non fuit, sed aufugit. Nota, quòd ex captione prædicta multa mala sequuta sunt prælibato Domino Duci Mediolani, & maximè quia prælibatus Dominus Dux dictos Reges & Barones à navibus & fortia dictorum Januensium abstulit, ipsosque apud se in Civitate Mediolani voluit retinere, quos bene & honorificè pertractavit;

B deindeque composuit sese cum Alphonso, & eum, & omnes alios absque redemtione honorabiliter licentiavit. Asserebant quoque, quòd ipse prælibatus Dominus Dux, quando dictum Alphonsum Januam secum duxit, ut inde ad Neapolim super galêas Januenses duceretur, prout factum fuit, volebat omnino, quòd dicti Januenses, qui continuè fuerunt inimici dicti Regis Aragonum, & quem semper odio habuerunt, ligam & fœderationem facerent cum ipso Rege. Quæ omnia videntes dicti Januenses, & credentes ipsa omnia fore sibi damnosa, mediante consilio Francisci Spinolæ suprascripti,

C qui in dicta Civitate Januæ tunc erat quasi alter Dux Mediolani, facti sunt rebelles prælibato Domino Duci Mediolanensi, ibidem interfecto Opecino de Alzate de Mediolano, qui erat tunc Potestas Januæ pro dicto Domino Duce. Et prædicta fuerunt de An. Dom. MCDXXXVI. in Festo Sancti Stephani. Sicque tota Riparia Januæ, cui prælibatus Dominus Dux dominabatur, infra duos dies post prædictam rebellionem Januensium, similiter eidem Domino Duci facta fuit rebellis. Castrum verò, quod vocant Castelletum, quod est in Janua, se tenuit pro dicto Domino Duce per aliquot dies; tamen expost Januenses ipsum violenter ceperunt & diruerunt, prout egomet vidi ipsum esse dirutum. Eodem Anno MCDXXXVI. volens prælibatus

D dictus Dominus Dux recuperare dominium Januæ, & Riperiæ, Jacobo Picinino duci sui exercitus mandavit, ut Castelletum Januæ, quod pro se tenebatur, succurreret. Quod audientes Januenses festinaverunt illud aggredi, atque acriter pugnantes primum murum ceperunt. Interea Picininus exercitum posuit contra Civitatem Albinganæ, & ibi stantes gentes suæ per multos dies, ipsam habere nequiverunt; sed ipse & gentes abinde recesserunt. Et timentes dicti Januenses, ne possent resistere potentiæ dicti Ducis, missis Damiano Palavicino Legum Doctore, Simone Mazza, Johanne Justiniano, & Luciano Grimaldo Ambasciatoribus, fecerunt ligam & confœderationem cum Venetis,

E & Florentinis, qui Veneti, & Florentini tunc erant in discordia cum prælibato Domino Duce; & dictam ligam fecerunt de Anno MCDXXXVI. existente Duce Januæ Domino Thomasino de Campo Fulgosio. Audientes autem Januenses, quòd Picininus veniret cum militibus 1500. & peditibus 15. millibus Castelletum denuo aggrediuntur & pugnant; & tamdem illi, qui intus erant, succursum non sperantes, Castrum reddiderunt. Sciendum est, quòd prælibatus Dominus Dux omnes Januenses, qui in dominio suo erant, personaliter capi, & in carcerem conjici mandavit; & Castrum & Villam de Gavio, quod esse solebat de dominio Januen-

nuensium, tradidit Domino Baptistæ de Campo Fulgosio fratri dicti Domini Thomasini, qui dictus Baptista factus est inimicus dicti fratris sui, & de ipso Castro & loco guerram fecit Januensibus. Castrum verò & Villam Vobii tradidit Domino Barnabæ Adorno de Janua, qui tunc erat inimicus dicti Domini Ducis Januæ. Qui Dominus Barnabas non post modicum tempus se concordavit cum dicto Domino Duce Januæ, ignorante prælibato Domino Duce Mediolani; & restituit Januensibus dictum Castrum & Villam, mediantibus Januinis 9000. sibi traditis per dictam Communitatem Januæ. Eodem Anno Domini MCDXXXVII. Alphonsus Neapolim rediens, Johannem Vitellescum Patriarcham Alexandriæ ibi ab Eugenio Quarto Papa missum cum peditibus 3000. in subsidium Renati invenit, & parum abfuit, quòd non fuerit de improviso captus apud Gajanum die ipso Festi Natalis Domini. Mirandum fuit, quòd ipse inimicorum adventum sciens noluit relinquere Missam, quam audiebat, & illud exiguum tempus, quod illi nocere debebat, illi profuit. Nam illi, qui in insidiis parati erant, quo ipse erat transiturus, existimantes lapsum fuisse tempus, quo ipse transiret, ex insidiis exeuntes inde recesserunt. Anno Domini MCDXXXVIII. Renatus Alphonsum ad singularem pugnam invitavit, quam acceptavit Alphonsus, sed non pugnaverunt, cùm unus in unum, & alter in alium locum iverint.

Tamdem Anno Domini MCCCCXXXIX. Alphonsus obsedit Neapolim, & Ducem sui exercitus constituit Dominum Petrum de Aragona Infantem Castiliæ fratrem suum, qui castrametatus est ex parte Carmelitanorum, & bombardis percutiens Civitatem, fortè die XVI. Octobris MCCCCXXXIX. pila Bombardæ percutiens Ecclesiam, pertransivit murum dictæ Ecclesiæ; & caput Crucifixi in medio Ecclesiæ stantis abstulisset, nisi figura illa miraculosè caput retraxisset: quod videntes Fratres, statuam inde auferre voluerunt, sed non potuerunt. Sequenti die XVII. Octobris, quæ erat dies Veneris, dum dictus Petrus ordinaret percutiendam Civitatem à latere Carmelitanorum, pila Bombardæ Civitatis jactata dicto Petro caput abstulit: hocque illi advenit, quia contra Alphonsi voluntatem Ecclesiam prædictam percuti ordinaverat; qui audito miraculo prohibuit, ne ibi Civitas percuteretur, nec voluit ibi Bombardis percuti Civitatem. Sequutæ postea tot pluviæ fuerunt, ut Alphonsus se ab obsidione levare coactus fuerit.

Anno MCCCCXL. Die Mercurii de Mense Aprilis die vigesima circa horam XXIII. Reverendus D. Bernardus de Landriano de Mediolano intravit Civitatem, & Episcopatum Astensem, pro Episcopo ipsius Civitatis electus ob mortem Reverendi Domini Episcopi Alberti de Guttuariis de Castello, olim ipsius Civitatis Episcopi, qui Dominus Albertus suum diem clausit extremum de Anno MCCCCXXXIX. proximè præterito die XVI. Mensis Julii ipsius Anni. Ipse Dominus Bernardus est ætatis annorũ 70. vel circa, prout ipsius aspectus demonstrat.

Anno MCCCCXL. Die Jovis XII. Mensis Madii murare incœperunt fundamentum faciei Ecclesiæ Sancti Secundi de Mercato, quæ facies porrigit deversus Mercatum, existente Præposito dictæ Ecclesiæ Domino Antonio de Curtis, & existentibus Canonicis D. Tibaldo Staturia, D. Hieronymo Taliapane, D. Christophoro de Mussis, D. Johanne Penna, D. Johanne de Casoliis, & existentibus Cappellanis, D. Presbytero Joannino de Omodeis, & D. Fratre Jacobo de Venturis. Quo fundamento completo usque ad æquitatem terræ, nil postea fuit ædificatum, nec muratum usque ad Annum MCCCCLXII. quo Anno die Martis XI. Mensis Madii incœperunt murare, & ædificare supradictum fundamentum.

Eodem Anno MCCCCXL. Die XV. Mensis Madii in Festo Pentecostes factum fuit in hac nostra Civitate Astensi per Dominos Fratres Sanctæ Mariæ Ordinis de Carmelo Capitulum suum Generale, & ad ipsum Capitulum venerunt Fratres CC. & ultra. Et est sciendum, quòd per Sanctissimum Dominum nostrum Papam Eugenium Quartum concessa fuit Plenaria Indulgentia, & remissio omnium peccatorum tam à pœna, quàm à culpa, quibuscumque venientibus ad visitandam Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo de Ast, in qua fuit dictum Capitulum Generale, & verè pœnitentibus, & confessis, & de eleemosynis dictæ Ecclesiæ, & Fratribus juxta facultates suas elargientibus. Quæ quidem Indulgentia incœpit in primis Vesperis Vigiliæ dicti Festi Pentecostes, & finivit in aliis Vesperis dicti Festi Pentecostes. Fuit communis opinio, quòd ad ipsam Indulgentiam venerunt de Forensibus intus viri & mulieres personæ 4000. & ultra, & modicum granum tunc reperiebatur in Ast. In Vigilia dicti Festi Pentecostes applicuit in Ast Reverendissimus Dominus Cardinalis Cypri. Namque sciendum est, quòd omnia hospitia Civitatis Ast erant plena Forensibus, taliter quòd multi erant, qui non sciebant ubi logiare. In die verò Pentecostes prædictus Dominus Cardinalis Missam celebravit in Ecclesia Sancti Secundi de Mercato ad Altare magnum, & ipsam Missam ego audivi.

Nota quòd Anno MCCCCXLIII. die II. Mensis Madii fortiter ninxit in Villis nostris circumstantibus, & maximè ultra Tanagrum; & deinde die IV. ipsius Mens. Madii cecidit magna brina tam in posse Ast, quàm alibi, quæ omnes vites destruxit.

Anno Domini MCCCCXLV. mortuus est Johannes Jacobus Marchio Montisferrati, cui successit Johannes primogenitus cum Gulielmo, Bonifacio, & Theodoro. Qui Johannes post paululum in Uxorem filiam Ludovici Principis Pedemontium duxit.

Anno MCCCCXLVII. Die Dominica XIII. Mensis Augusti circa horam II. noctis Illustrissimus Dominus Philippus Maria Dux Mediolani dies suos clausit extremos in Civitate Mediolani in Castro portæ Jovis. Et ut dicitur, & prout etiam audivi à Mediolanensibus, ipse Dux condidit in præsentia quamplurium ex Camerariis suis testamentum suum, in quo dixit, & voluit hæredem universalem suum esse Regem Aragonum, quem aliàs videlicet de Anno MCCCCXXXV. penes se habuerat pro captivo. Sed Mediolanenses, qui nullo pacto voluissent esse suppositi jugo & dominio Catalanorum, examinari fecerunt Camerarios prædictos, qui testamento prædicto dicti Ducis præsentes erant, & tamdem testificati sunt, quòd ipse Dux tempore, quo ipsum testamentum fecit, non erat in bono intellectu, nec in sua bona memoria. Et est sciendum, quòd Castellanus dicti Castri Portæ Jovis prædictum Castrum, quod magnum, pulcherrimum, & fortissimum erat, posuit in manibus & fortia Civium Mediolanensium, qui ipsum postea funditus diruerunt, magnis divitiis & munitionibus in ipso Castro repertis; & similiter diruerunt aliud Castrum, quod erat in Ci-

vi-

vitate Mediolani nominatum Castrum Portæ Romanæ. Prædicto verò Castellano, cui erat cognomen .... tradiderunt prædicti Mediolanenses Castrum de Abiategrasso, quod distat à Mediolano per milliaria XIV. Est enim sciendum, quòd prælibato Domino Duce habente guerram maximam cum Venetis & Florentinis, & fecissent ipsi Veneti, & gentes suæ armigeræ manu armata transitum citra flumen Addæ, seu Abduæ, & cepissent locum unum nominatum Cassanum, & timente ipso Domino Duce de inimicis suis, eo quia gentibus armigeris fortiores eo erant, ipse Dux statim destinavit virum nobilem, & strenuum Thomaxinum de Tebaldis de Bononia Camerarium suum, sapientem, elegantem, & bene doctum ad Serenifs. Dominum Carolum Regem Francorum pro ab eodem Domino Rege adjutorium capiendo gentium armigerarum, & cum baylia eidem Domino Regi promittendi hanc Civitatem Astensem cum toto Territorio Astensi, quod ipse dictus Dominus Dux adhuc in gubernium habebat, sive occupabat. Et prædicti Veneti dictum transitum fecerunt de Anno MCCCCXLVI. de Mense Decembris. Et dicto Anno & Mense ivit dictus Dominus Thomasinus ad prælibatum Dominum Regem pro prædictis adimplendis. Et nota, quòd prædictus Dominus Dux Mediolani prædictam Civitatem Astensem restituere noluit Illustrifs. Principi Domino Carolo Duci Aurelianensi Nepoti suo, videlicet filio unius Sororis ipsius Domini Ducis Mediolani, quæ vocabatur Domina Valentina, eo quòd Civitas Astensis eidem Dominæ Valentinæ data fuerat pro ipsius dote usque de Anno MCCCLXXXVI. ut in Instrumento acto Parisiis die XVIII. Januarii ejusdem Anni per Procuratores, quamvis ipse prælibatus Dominus Dux Aurelianensis misisset Illustrem Dominum Bastardum Aurelianensem fratrem suum naturalem Mediolanum ad prælibatum Dominum Ducem Mediolani avunculum suum pro requirenda restitutione dictæ Civitatis Astensis, & quæ eidem Domino Duci Mediolanensi posita fuerat in gubernium usque de Anno MCDXXII. existente, ipso Anno & aliis Annis VII. elapsis, prælibato Domino Carolo Duce Aurelianensi in Anglia detento, & etiam tunc in Anglia detento & existente Illustrissimo Domino Comite Angolesme fratre germano ipsius Domini Ducis Aurelianensis; & ad prædicta requirendum fuit prælibatus Bastardus de Anno MCDXXXXII. prout ego Secundinus vidi, quia tunc eram Mediolani.

Antequam prædictus Dominus Dux Mediolani decederet, venire fecerat in Civitatem Astensem Magnificum Dominum Raynaldum de Dresnay militem, nuntium, & Ambasciatorem specialem Serenifs. Domini Regis Francorum, proponendo in manibus & fortia ipsius Domini Raynaldi, nomine dicti Regis, juxta promissiones factas, ut asserebant, prælibato Domino Regi per dictum Thomasinum de Tebaldis de Bononia nomine præfati Domini Ducis Mediolanensis, Civitatem Astensem cum fortalitiis & territorio prædictæ Civitatis. Sed ipse Dominus Dux vivens promissa noluit adimplere. Verùm ipso defuncto, videlicet in Vigilia Beatæ Mariæ de mense Augusti MCDXXXXVII. prædictus Thomasinus de Tebaldis, qui ipsam Civitatem & Castra omnia, & fortalitia ipsius Civitatis habebat in gubernium, & in potestate sua, eamdem Civitatem cum fortalitiis realiter posuit in manibus, fortia, & potestate præfati

A Domini Raynaldi de Dresnay tunc in ipsa Civitate existentis, & omnia recipientis sub nomine præfati Domini Regis Francorum. Nam post multos dies Cives, & Nobiles Feudatarii Civitatis & Patriæ prædictæ Astensis, fidelitatem & juramentum fidelitatis præstiterunt & fecerunt prælibato Domino Regi in manibus præfati Domini Raynaldi nomine Regis recipientis, sub hac tamen conditione, dum esset de beneplacito & bona voluntate Illustrissimi Principis, & Excellentissimi Domini Caroli Ducis Aurelianensis directi Domini ipsius Civitatis & Patriæ.

Et quoniam defuncto prælibato Domino Duce Mediolanensi Dominus Marchio Montisferrati, ac etiam Dominus Dux Sabaudiæ quærebant de

B terris, quas dictus Dominus Dux Mediolanensis tenebat, sibi acquirere, & prout jam sibi acquisiverat dictus Dominus Marchio locum Quargnienti, & Castra Rivi Francoris, & Quatordearum, & dictus Dominus Dux Sabaudiæ terram Valentiæ, locum Montis Castelli, & quædam alia loca, præfatus Dominus Raynaldus etiam quæsivit de dictis Terris solitis esse sub dominio prælibati quondam Domini Ducis, acquirere sub nomine Regio. Quin immo ipsius Mediolani, & totius ejus dominii dominium & possessionem petebat nomine Domini Caroli Ducis Aurelianensis, ad quem jure hereditario Civitas Mediolani, & ejus Territorium & dominium spectabat: quod jus ad eum pertinebat

C uti Maritum Dominæ Valentinæ sororis Domini Philippi Mariæ Vicecomitis Ducis Mediolani. Et infra paucos dies habita supradicta Civitate Astensi, homines Filizani se posuerunt sub dominio prælibati Domini Regis, & similiter homines Solerii, homines Castellaccii, homines Burgolii, & plures alii aliorum locorum. Et habente ipso Domino Raynaldo exercitum magnum in Territorio Alexandriæ ivit contra locum Boschi apud Alexandriam cum equitibus 1500. Gallicis. Communitas verò Mediolani, quæ se regebat ad libertatem, & sub cujus dominio se posuerant homines prædicti loci de Boscho, & etiam Civitas Alexandriæ dederat succursum dictis hominibus de Bosco. Et cùm

D ob id dictus Raymondus vellet ducere exercitum suum contra Alexandriam, & Tertonam, Dominus Franciscus Sfortia Ambasciatores suos misit ad eum, qui eum rogarent, ne injuriam cum armis inferre vellet Alexandriæ, vel Tertonæ: quod libenter illi concessit. Sed cùm denuo obsideret locum Boschi, Mediolanenses miserunt contra eum Bartholomæum Coleoneum, & Astorem Manfredum de Faentia, qui adventum eorum nuntiaverunt obsessis, signo inter ipsos composito dato. Illi de Boscho exeuntes, & Mediolanenses venientes ante, irruerunt super gentes Raynaldi, quæ à principio vincebant, sed tamdem terga vertentes, victæ & afflictæ fuerunt; & tamdem captus fuit ab armi-

E geris Mediolanensibus dictus Dominus Raynaldus, & quamplures ex suis; & ipse Raynaldus fuit missus Mediolanum in carceribus. Gentes verò suæ, quæ superfuerunt, relictis armis reversæ sunt in Franciam; multi verò & in quantitate, maximè de Alexandrinis, & quamplures Mediolanenses mortui fuerunt, inter ceteros tam illorum de Invitiatis, quàm de Lanzavetulis, & illorum de Merlanis. Et hoc fuit de Anno MCCCCXLVII. die Martis XVII. Octobris in Vigilia Sancti Lucæ. Infra verò paucos dies post captionem dicti Domini Raynaldi prædicta loca Felizani, Solerii, Burgolii, Castellaccii, Fregarolii, & alia loca omnia, quæ dictus Domi-

minus Raynaldus acquisiverat sub nomine Regio, terga verterunt, & se sub dominio Mediolanensium posuerunt. Civitas Placentiæ post mortem dicti Domini Ducis Mediolanensis, qui vivens ipsius Civitatis Dominus erat, capta fuit ex pacto aliquorum Civium ipsius Civitatis à Venetis, contra quam expost Mediolanenses posuerunt exercitum, & ipsam de mense præsenti Novembris MCCCCXLVII. vi acceperunt post obsidionem XXXII. dierum, & ut asseritur, ipsam ad saccomanum posuerunt. Et eorum Capitaneus fuit ad prædicta faciendum Comes Franciscus Sfortia armorum Capitaneus, qui cùm uxorem haberet naturalem filiam dicti Domini Ducis Mediolani, prætendebat in ipso Ducatu, & Johannis Marchionis Montisferrati auxilio, ac etiam Guliermi fratris ipsius Marchionis, meliorem partem obtinuit inter contendentes, & competitores. Et cum eisdem fratribus promisisset Alexandriam, & alias Terras, eorum opera factus fuit Dux Mediolani, & Comes Ast in despectum Alphonsi Regis Neapolis, & Ludovici Principis Pedemontium, & Venetorum. Et dictus Franciscus Sfortia, Bartholomæi Coleonii opera cepit personaliter Johannem Campensem Generalem ductorem exercitus Ludovici Principis Pedemontium. Sed nihil observavit ex his, quæ promisit fratribus de Monteferrato; imò sub fictione zelotypiæ ob causam cujusdam fœminæ personaliter detinere fecit Guliermum de Monteferrato in Castro Papiæ, quoad usque renuntiavit ipse, & quitavit ei id omne, quod sibi promissum fuerat: Ex quo ingratitudinis infamiam acquisivit. Sed hoc bene stetit ipsis fratribus de Monteferrato; nam Deus permisit, ut qui partem ejus, qui minus justam causam habebat, defenderant, ab eo loco præmiorum damna sentiant. Caveant igitur hi, qui aliis adhærent, ut eis non adhæreant, qui jus non habent. Sed ad historiam revertendo, post Placentiam captam Thadæus Estensis, qui in Placentia erat, sequenti nocte fugit, & ivit Parmam, & inde Regium. Albertus Scotus, qui in Castrum inferius se receperat, sequenti die Castrum reddidit. Quoniam verò Carolus Gonzaga Capitaneus Francisci Sfortiæ fuit impeditus in præparandis navibus, quibus usus est Franciscus Sfortia ad aggrediendum Placentiam, prædæ factæ in Placentia portionem suam habere non potuit, Franciscus Sfortia donavit illi 500. Cives Placentinos, qui adhuc tenebantur in quadam turri, quam occupaverat, ut eorum ranzonibus sibi satisfaceret. Nec his contentus Franciscus Sfortia, ut magis militibus satisfaceret, eis permisit, ut in Placentia per dies 40. viverent ad expensas Placentinorum, ut dicitur, ad discretionem, sed meliùs diceretur, absque discretione. Quibus durantibus, Placentini multas extorsiones, & damna passi sunt. Postea Franciscus ivit Cremonam contra Venetos. Unum non est omittendum, adventus Illustrissimi, & Excellentissimi Principis & Domini Caroli Ducis Aurelianensis superiùs nominati, qui in hac sua Civitate Astensi applicuit de Anno MCCCCXLVII. die Jovis XXVI. mensis Octobris. Et Vexillum, sive umbraculum, sub quo progrediebatur in ingressu Civitatis, deferebant Dominus Johannes Bartholomæus Scarampus Juris utriusque Doctor, Dominus Manuel Malabayla Legis Doctor, & Dominus Gulіermus Asinarius, omnes de Hospitio, Dominus Secundinus de Nattis Legis Doctor, Dominus Benentinus Damianus, & Dominus Johannes de Curia, omnes de Populo. Et hi fuerunt electi per Consilium generale dictæ Civitatis Ast; & ex ordinatione ipsius Consilii ipsi omnes expensis suis se induerunt vestibus, capucciis, & caligis panni albi pro majori lætitia adventus ipsius Domini Ducis.

Anno MCCCCXXXXVIII. Die decima Augusti in Festo Sancti Laurentii prælibatus Dominus noster Dux Aurelianensis, & qui etiam se appellat Ducem Mediolani ob mortem dicti Domini Philippi Mariæ Ducis Mediolanensis, ab hac Urbe sua Astensi recessit, & ad partes Gallicas reversus est cum gentibus suis, & Domino Magistro Johanne Cugho ipsius Domini Ducis Physico, qui per menses novem alloggiatus stetit in domo nostra cum familia sua, & quodam Domino Presbytero Johanne Cappellano, & Eleemosynario ipsius Domini Ducis. Et ipse prælibatus Dominus Dux tempore sui recessus dimisit hìc ejus Gubernatorem suprascriptum Dominum Raynaldum de Dresney tunc à carceribus Mediolani relaxatum.

Est sciendum, quòd prælibatus Dominus noster Dux Aurelianensis post ipsius adventum in Civitatem Ast, & antequam recederet ab hac Patria, misit suos Oratores ad Civitatem Mediolani pro reducendo ipsos Mediolanenses sub gremio & dominio ipsius Domini Ducis: quod tamen ipsi Mediolanenses facere noluerunt. Nomina Oratorum sunt hæc: Dominus Antonius de Cognasco miles Gallicus & strenuus, Dominus .... ex Marchionibus Cevæ, Dominus Garetii, Dominus Secundinus de Nattis Legum Doctor, Dominus Antonius de Romagnano miles & Legum Doctor, & Dominus Franciscus Rotarius Dominus Roviliaschi. Et nota, quòd prædictus Dominus Secundinus de Nattis ex ordinatione dicti Domini nostri Ducis fuit expositor sermonis, & Ambasciatæ prædictæ.

Anno MCCCCLIV. de Mense Octobris pluviæ fuerunt ita magnæ & longæ, quòd omnia flumina Lombardiæ, Padi, Ticini, & Tanagri, & alia ita creverunt, quòd non erat homo vivens, qui recordaretur se vidisse, nec dicere audivisse, quòd umquam ita crevissent. Nam Tanager noster fuit usque ad domum illorum de Rotariis, quæ est in agris ultra locum, ubi dicitur ad Murram: quod nunquam nisi tunc fuit visum, nec auditum. Et in tantum crevit, quòd, prout dici audivi ab his, qui viderunt, diruit tertiam partem Pontis Civitatis Albæ, & tertiam partem pontis Alexandriæ, & medietatem pontis nostri Tanagri. Flumen verò Padi in tantum crevit, quòd quamdam Turrim grossam & magnam, quam ego sæpiùs vidi integram existentem in pede Pontis Bassignanæ pro custodia ipsius Montis, in totum diruit; & homines septem inter mares & fœminas, qui in ipsa Turri morabantur, perierunt. Diruit etiam tertiam partem dicti Pontis Bassignanæ. Et alia infinita mala quæ fecit ipsum flumen Padi in partibus inferioribus, prout narrare audivi ab his, qui viderunt, tam in necationibus (*) hominum & bestiarum, quàm aliter, esset longum scribere; & inter cetera quòd Civitas Ferrariæ, nisi fuisset statim reparata, & data magna provisio, fuit in periculo necandi.

Anno

(*) Negationibus. Ita legendum suadet stylus Prædecessoris sui Gullielmi Venturæ, & proxima hujus Authoris formula; *Civitas Ferrariæ fuit in periculo necandi*; Illud certè periculum non fuit inferendæ necis sed patiendæ; propterea legendum est *negandi &c.*

Anno Domini MCCCCLVII. die Sabbati XXIII. Mensis Aprilis incœperunt pilias, super quas fieri debet, & murari facies Ecclesiæ Sancti Secundi de Mercato Astensis.

A

Anno MCCCLXXXVI. Data est Ast in dotem à Galeatio Visconto Duci Aurelianensi, ut vidi Instrumentum actum Parisiis die XVII. Januarii per Procuratores.

FINIS EXPOSITIONIS SECUNDINI VENTURÆ.

DE PRŒLIIS
TUSCIÆ
CALIGINOSUM POËMA
FRATRIS RAYNERII
DE GRANCIS PISANI
ORDINIS PRÆDICATORUM

Nunc primùm

EX MANUSCRIPTO CODICE CLASSENSI

E V U L G A T U M.

IN FRATRIS RAYNERII PISANI POËMA DE PROELIIS TUSCIAE

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Quicumque titulum hujus Operis a me praefixum legit, vel me tacente continuo intelligat, quid de Opere ipso, ejusque Auctore sentiam atque sentiendum putem. Nempe e tenebris tenebricosum plane Poëma per me eductum, ac ineptissimum Poëtam hactenus delitescentem, ante Eruditorum conspectum sisto. Ad hunc, nisi OEdipus sis, non accedas; & quum sis quoque OEdipus, novae hujus Sphingis, non oracula dicam, sed deliria ac monstra, quantumcumque frontem corruges ac mediteris, non facile assequi valeas. Sed qua ratione, jam petas, caliginosus hic foetus, adversante adeo Minerva natus, & luce illa indignus, quam ejus pater tantopere, ut ita dicam, odisse videtur, nobis obtruditur, immo quasi Italicae Historiae lucem allaturus, choro tot Scriptorum illustrium additur? Antequam responsum habeas, accipe, cui debeam Libri hujus, qualiscumque sit, evulgandi facultatem. Is fuit Clariss. Vir, & Camaldulensis Ordinis praecipuum ornamentum, P. D. Petrus Cannetus, olim Classensis sive Ravennatis, nunc Forolivienfis Coenobii Abbas, cujus nomen in Literatorum Republica jam diu sonat. Codicem igitur MStum Poëmatis hujus humanissime ille pro suo more ad me e Classensi Bibliotheca mittendum curavit, & quamquam probe nosset, quot vitiis abundaret donum, non tamen a mittendo abstinuit, injucundum quidem, sed non omnino inutile arbitratus. Scriptus fuit membranaceus iste Codex, ut characterum forma indicabat, eo ipso Seculo, quo Auctor floruit, hoc est Decimo quarto a Nativitate Christi. Minio & auro exornatae initiales literae, & picturae singulis Librorum exordiis appositae, argumento sunt, Codicem aut Auctoris ipsius jussu ita conscriptum, ut Magnati alicui offerretur, aut certe eodem Seculo ad illustris alicujus Bibliothecae usum fuisse exaratum: quod postremum mihi facilius persuaserim, quando, praeter perpetuos Auctoris caespitantis lapsus, occurrebant ibi & amanuensis errores non pauci.

Itaque ubi ad legendum Poëma ipsum me contuli, quod & Canneto ante acciderat, identidem ego haerebam, in horrentes tenebras subito conjectus; nullaque meditatione ex ejusmodi anfractibus sensum exsculpere dabatur. O lepidum caput, medioque e Parnasso prorsus exsibilandum Poëtam, exclamabam ego intertdum, exclamabunt & quicumque legent. Nullus ei Latinae Linguae usus, contemta Prosodiae ratio, & quod potissimum tantae caligini causam praebuit, stilum Poëseos is plane ignorabat. Quare dum soluta oratione neglecta (in qua is fortassis aliquid valebat, ut ejus Epistola prooemialis, & Librorum singulorum synopsis ostendit) Latinis versibus sua sensa vult expromere, nihil aliud quam inepti Poëtae, simulque infelicissimi Historici titulum sibi comparavit. Sed amabo cur abortivum foetum in publicum diem trahis, & stolido versificatori inter tot egregios, aut saltem tolerandos Historicos locum tribuis? Bona verba. Inter has ipsas tenebras nonnulla sunt, immo non pauca, quae intelligas, & alibi frustra quaeras. Plura etiam mentis acie adhibita assequaris, si reliquarum Tusciae Historiarum facem Carmini huic adhibeas. Nemo agrum contemnit, aut pro nihilo dimittit ea tantum de causa, quod reddat fruges a lollio sterilique avena nequaquam immunes. Equidem optassem ut ad ea tempora meliorem Historiam mihi suffecisset Pisana Civitas; sed quando ejus monumenta sensim dilapsa sunt, & nunc avaris alienae gentis manibus custodiuntur, pessimi consilii fuisset unum illud, quod mihi benevola fortuna obtulit, abjicere non alio titulo, quam quod di-

digniora exerere non possim. Eadem quoque ratione non irascendum Carminis hujus Auctori, qui quod potuit dedit; sed dimissis, quae vitiosa obscuritas nobis eripuit, ei pro reliquis satis perspicue enarratis habendae sunt gratiae.

Sed quis tamdem Poëmatis hujus Auctor? Inter Scriptores Ecclesiasticos celebris est Frater Raynerius Pisanus ex Ordine Praedicatorum, Auctor *Pantheologiae*, hoc est Summae universae Theologiae, quae pluries edita est, nempe Nurembergae Anno 1474. cura Fratris Jacobi Florentini Ordinis Minorum, tum Venetiis Anno 1486. tum Lugduni Anno 1519. Brixiae 1580. & denique Parisiis circiter Annum 1685. cura Fratris Johannis Nicolai Ord. Praedic. qui tantis accessionibus, ut ait Oudinus, hos Libros auxit, *ut primaevus Raynerii labor cognosci non possit*. Raynerius iste, si Natali Alexandro acquiescere velimus, Anno 1333. floruit. Du-Pinius eum memorat ad primos Annos Seculi XIV. circiter Annum Christi 1305. Labbeus vero in Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiast. nescio qua ratione ab aliis nimium discors, eum nobis exhibet viventem ad Annum 1414. Quapropter Caveus Raynerii mentionem faciens, & Trithemio praeeunte, ipsum statuens ad Annum 1301. *Scriptorem incertae admodum aetatis* appellat. Sed audi Sanctum Antoninum in Summa Historica part. 3. tit. 23. cap. 11. §. 2. *Frater Raynerius*, inquit ille, *Pisanus post hos fecit Summam magnam nominatam Pantheologiam distinctam in duas partes* &c. Viden *post hos* (scilicet post Raymundum de Pegnaforti, & Bartholomaeum Pisanum) floruisse, aut saltem scripsisse Raynerium Pantheologiae Auctorem? Atqui Bartholomaeus Pisanus, a quo Summa conscripta est, *quae dicitur Pisanella, seu Bartholina*, *seu Maestruccia*, fatentibus Natali Alexandro & eodem Caveo, e vivis excessit Anno 1347. Quum vero *post illum*, teste Sancto Antonino, Raynerius suam Pantheologiam elaborarit, necesse est, ejus aetatem ad posteriora tempora referre, quam Du-Pinius & Caveus censuerint. Ambo etiam eodem tempore floruerunt; certe Raynerius Bartholomaeo posterius scripsisse dicendus est. Quid? quod ipse primus Pantheologiae evulgator Frater Jacobus Florentinus in Praefatione altera ad eumdem Librum, edita Anno 1474. aperte indicat tempus, quo Pantheologiae Scriptor vivebat, his verbis: *Hoc autem Opus, superveniente Dei altissimi gratia, per quam omnes hujus Doctoris conatus fuerunt excitati, incoepit ipse sub Anno Domini Millesimo trecentesimo trigesimo tertio. Et eadem Dei gratia cooperante, per quam omnes ejus conatus fuerunt adjuti, continuavit suam compilationem die & nocte orando* &c. *& tamdem gratia Dei consummante, complevit Opus suum.* Quibus ex verbis intelligis, Natalem quidem Alexandrum recte consignasse tempus, quo floruit Raynerius Pantheologiae Auctor, ceteros vero diligentiae parcentes minus accurate de illius aetate loquutos.

His positis, veri videatur simile, eumdem fuisse Raynerium hunc Theologum atque Poëtam, cujus nunc Poëma publici juris facio. Idem utrique nomen *Raynerius*; eadem Patria, nempe *Pisae* (*nostram Civitatem Pisanam* iste appellat): commune quoque ambobus idem institutum, uterque enim in Praedicatorum Ordine militavit. Accedit eadem aetas: nam ut vidimus, Pantheologiae Scriptor Anno 1333. *Summam*, ut ajunt, suam scribere est aggressus, & plures adhuc Annos in ea instruenda sudavit; Poëmatis vero Auctor iis ipsis temporibus sine dubitatione floruit. Etenim postrema, quae ille refert Lib. VIII. pacem exhibent a Duce Athenarum tunc Florentiae Domino initam inter Florentinos ac Pisanos; hoc autem contigit Anno 1342. Quare vides confluere omnia, ut unum eumdemque Raynerium Pisanum patrem habuerint tam Pantheologia, quam Poëma Proeliorum Tusciae. Quod solum conjecturae hujusmodi obstare posse videtur: ille, qui tantis tenebris Poëma nunc evulgandum implevit, vix credi possit Pantheologiae Auctor, hoc est Libri non minus eruditionis copia quam stili perspicuitate conscripti. Verum & haec facile concilies. Potest quis Scholastico ac paene barbaro sermone utens, prosa oratione sensa sua dilucide expromere; verum si aversa Minerva, necessariisque destitutus subsidiis, Poëtam insuper agere, & inter compedes metri narrationem suam constringere velit, tum nullum ibi Latinum, nedum Poëticum stilum sentias, & ineptias tantum ac deliramenta offendas. Fortassis etiam ne in ipsa quidem *Pantheologia* Raynerius se perspicuitatis magistrum exhibuit; qualem enim is Librum efformavit, non habemus, sed qualem primus Editor Frater Jacobus Florentinus a se expurgatum expolitumque nobis dedit. Audi ipsum in Praefatione suae editionis fatentem. *De quo Opere*, sunt ejus verba, *ego discurrendo ipsum, pauca subtraxi, & multa addidi, quae in dicto Opere videbantur deficere, reducendo etiam aliquas materias subtiles ad Stilum Faciliorem & Clariorem, ut tam a legentibus, quam audientibus dulcius gustarentur, & medullitus imprimerentur.*

Quae tamen ita dicta velim, ut nihil ego statuam. Nam quum hac de re confu-

fuluiſſem doctiſſimum Virum Angelum Poggeſium Piſanum, reſcripſit ille, in Coenobio Sanctae Catharinae Ordinis Praedicatorum, multos quidem Raynerios fuiſſe, at in nullis monumentis ſervari nomen *Fratris Raynerii Granchi*: Auctorem vero Pantheologiae appellatum fuiſſe *Fratrem Raynerium a Rivalto*, hoc eſt ab humili Caſtello ſito in collibus Piſanis. Addidit ille ſe Scriptoris noſtri mentionem deprehendiſſe in Epiſtola praefixa Pandectarum Florentinarum editioni, quam Coſmo Mediceo dicavit Anno 1553. Franciſcus Torellus. Inter cetera ibi legitur: *Atque haec ex antiquis Piſanorum Annalibus apud Plotium Griphium eorum Civem accepimus, quibus Raphaël Volaterranus per omnia fere adſtipulatur; & illo multo antiquior Raynerius Grachia Piſanus iis Libris, quos ante ducentos ferme Annos de Bello Tuſco conſcripſit.* Vides heic Fratrem Raynerium noſtrum aperte indicari. Quod vero *Grachiae Familiae* tribuatur, neſcio an recte factum; nam in pervetuſto Codice, quo ſum uſus, is appellatur *Frater Raynerius Granci*, ſive *Granchi*. Ex ipſa nobili Granchiorum Piſanorum Familia fuiſſe etiam creditur Frater Bartholomaeus de Sancto Concordio, Summae Piſanellae Auctor; quod tamen ego affirmare non auſim. Id mihi tantummodo compertum, nominari a Poëta noſtro in fine Libri Quarti *Johannem*, & *Bartholomaeum de Grancis*, conſanguineos ſuos, qui in expeditione Piſana contra Catalanos Sardiniae occupatores periere. Ipſe vero in calce Operis ſe poſtremum ex ſua Familia dicit.

Neque inſalutata dimittenda ſunt, quae is Lib. IV. habet de antiquiſſimis Pandectis, quas Populus Piſanus in depopulatione Amalphitanae Civitatis Anno 1136. inventas, tamquam mirabile trophaeum, in patrium ſolum avexit, nunc autem veluti incomparabilem theſaurum Florentiam translatas Magnus Etruriae Dux poſſidet. His verbis rem tradit Raynerius noſter Lib. IV. omnium, quos novimus, primus:

Malphia Parthenopes datur & quando omne per aequor,
Unde fuit Liber Piſanis geſtus ab illis
Juris, & eſt Piſis Pandecta Caeſaris alti.

Celeberrimus inter Matheſis Profeſſores atque Eruditos vir, & Piſani Gymnaſii grande ornamentum, Guido Grandius, Camaldulenſis Abbas, in Epiſt. *de Pandectis* ad Clariſs. Virum Joſephum Averanium, Piſis Anno 1726. edita, parum veriſimile contendit, aut certe parum idoneis teſtibus nixum putat, quod vulgo fertur de Pandectis ex Amalphitana direptione Piſas aſportatis. Sibi vero adverſantem memorat Taurellum ſupra memoratum, laudantem *in eamdem ſententiam neſcio quem Raynerium Gracchia (an potius*, ſubdit Grandius, *Gracculum) Piſanum, qui ante ducentos Annos Librum de bello Tuſco conſcripſit*. Sed ignoto huic Gracculo fidem non facile hac in re adhibendam cenſet doctiſſimus Grandius, quum ille Scriptor *ducentis, atque amplius Annis* poſt Amalphitanam direptionem rem tradiderit, *coaevis Scriptoribus plane incognitam*, ac praeterea ſe imperitum oſtendat, ubi *Melfiam* ſive *Malphiam* pro *Amalfi* accipit: quae ſane diverſae Urbes in Apulia una, in Principatu Salernitano altera, in Regno Neapolitano olim fuere & adhuc ſunt. Quod eſt ad poſtremum hunc Poëtae noſtri errorem, eidem ſtili barbaries quodammodo excuſationem parabit. Certe ille *Amalfim* indicare voluit; fieri enim non potuit, ut Piſanorum claſſis Melfiam, mediterraneam Civitatem, diriperet. Is vero *Melfiam*, ſive *Malphiam Parthenopes* in eum finem appellaſſe videtur, ut Civitatem Amalphim paucis paſſuum millibus Neapoli diſtantem indicaret, atque a Melfia diſtingueret. Ceterum an-ne Pandectae ab Amalphi Piſas avectae fuerint, ego aliis inquirendum relinquo, moniturus dumtaxat, ignotum fuiſſe Raynerium noſtrum Clariſſimo Grandio, quo tempore Epiſtolam ſuam *de Pandectis* conſcripſit. At ille riſum poſtea continere nequivit, uti ipſemet certiorem me fecit per ſuas literas X. Kalend. Decembris Anno 1726. conſcriptas, poſtquam Canneto monente animadvertit, ſe ipſum ante Annos viginti eumdem fuiſſe, qui ſingularem Poëmatis hujus Codicem ſupra mihi laudatum Piſis emerat, & una cum aliis bene multis MStis Ravennam ad Cannetum miſerat in Claſſenſis Bibliothecae ornamentum. Idem vero Codex olim ſpectarat ad Bibliothecam Petri Angeli Bargaei celebris Poëtae, atque inde ad alias manus translatus, & a Grandio redemtus, tamdem in Claſſenſi Coenobio conquievit.

EPISTOLA
FRATRIS RAYNERII
AD DOMINUM
BETTUM GRIFFUM.

Magnæ morum nobilitatis & dignitatis egregio Militi Domino BETTO *de* GRIPHA *progenie Frater Raynerius Granchi Ordinis Prædicatorum.*

NOstram Civitatem Pisanam non solum speciositate, sed & æquitate justitiæ omnibus aliis eminere, octo Librorum volumina, statum & conditionem nostræ ejusdem Civitatis Pisanæ plenariè continentia, post tertii lustri curriculum Dei adjutorio, Beati Thomæ de Aquino præsidio speciali, & vestræ exercitationis studio, jam complevi, poëticè compilata: quæ debent & possunt vobis, & aliis Pisanis Civibus esse utilia & jucunda. Nam

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ.

Exhortor ergo vestram sagacitatem & prudentiam in agendis, ut ejusdem Libri volumine non solum ad spatium vel solatium, quia in eo in rei veritate sunt amœna Rectoribus Civitatum, sed etiam ad exemplum regiminis, utamini & cautelam. Nam ait Poëta

Cùm totum fecisse putas, latet anguis in herba.

Invenietis enim in dictis voluminibus quinque principaliter indicata: videlicet nostræ Civitatis Pisanæ multa dispendia, casus arduos, & periculosos eventus propter Civium Pisanorum discordias, divisiones, dissensiones, & æmulationes Civium, & Coscepti. Ex quibus in occurrendis poteritis præmuniri. Invenietis cautelas innumeras, protectionum munitiones, & defensationes ejusdem nostræ Civitatis, evasæ patrocinio Virginis gloriosæ, quæ super omnes Sanctos & Angelos est à nostris Civibus sublimanda. Invenietis bellorum maris & terræ asperos exitus, sed pro majori parte nostræ Civitati dictæ gloriosæ Virginis precibus adfuisse triumphum. Invenietis de statu Imperii & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ multa circa Imperatores & Papas contigisse mirabilia & longa digna memoria, & etiam totius Tusciæ bella à longis temporibus instaurata. Invenietis arringhationum tam Florentinorum, quàm Pisanorum in Senatu, in Aula Imperiali, Papali, & Regia, propositiones, allegationes, & sapientissimas determinationes. Et breviter nihil invenietis in Tuscia gestum magnificum, quod non huic nostro Operi innectatur. In quibus si aliquid gestum per vos inveneritis virtuosum & famosum, non in superbiam, sed in sapientiam & in gratiam Redemtoris vester animus erigatur. Nam delector ego summè dictus Frater Raynerius, vos, qui tantis negotiis & providentiis negotiorum civilium intenditis, feliciter exequentes, devotioni intendere, & orationi in nostra

Ecclesia, & in Missa privata flexis genibus numquam recedere, vel cessare, nisi consuetis orationibus, & supplicationibus terminatis. Unde exemplum præbetis non solum Laicis, sed Religiosis, & Clericis, orationis & devotionis ad Deum. Et supplico ut dictum Codicem non examinari, vel sententiari, aut judicari, vel exponi faciatis per omnes, sed per illos, qui promtas gerunt claves poëticæ facultatis. Valeat dominatio vestra semper, & mei memoriam habeatis.

DE



DE PROELIIS TUSCIAE

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Urbs absolutè dicta in toto Mundo intelligitur Civitas Romana per Antonomasiam nuncupata. Sed hìc intelligitur Civitas Pisana, quia non absolutè accipitur hìc Urbs, sed respectivè & possessivè. Unde dicitur *Urbs mea*, idest Fratris Raynerii componentis hoc Opus. Et bene *mea*, quia Pisanus. *Romana vetustas*. Unde hìc inferius dicitur in IV. Libro

Lex antiqua docet juvenes quodcumque vetustum.

Et *A bove majori discit arare minor*

Junctis animis, & *mentibus unitis*. Unita fuit Roma tempore belli Punici, & Scipionum, qui fuerunt duo, scilicet Numantinus, & Africanus. Et ideo Roma tunc deducebat & captabat omnes honores Mundi, victorias, & triumphos propter suorum Civium unitatem. *Et dum per varios*. Divisa fuit Roma postea tempore Syllæ & Marii, qui bellum civile commoverunt in Roma, pro eo quòd Marius optabat septimum Consulatum Urbis. Cui Sylla contradixit cum quatuor legionibus, quas tenebat in Campania, & ipsum de Urbe fugavit. Et hoc est, quod Ovidius dicit: *In cœno Marius jacuit, cannaque palustri.*

Causam divisionis Civium Romanorum, quorum exemplo vult Frater Raynerius Cives Pisanos, qui tunc temporis erant discordes, ad pacis concordiam revocare, exprimit Lucanus: *Quid pacem excusserit Orbi,*

Invida fatorum series, summisque negatur &c.

Et Juvenalis: *Ad sua quod domitos deduxit flagra Quirites,*

Summus nempe locus nulla non arte petitus.

De concordia autem eorum dicit Augustinus in Libro de Civitate Dei: *quod hoc animo Romani pendebant ad bellum, non suam, sed pacis victoriam cogitantes*. Ad prosequendum autem incœptum Opus dictus Frater invocat Sanctum Thomam de Aquino, sicut patet hìc statim inferiùs:

Sancte Beate meus &c. Et sic suum prosequitur intentum.



Rbs mea, te memorem faciat Romana vetustas,
Quæ, regitur junctis animis dum, captat honores;
Et dum per varios manet inconsulta, ruitque.

A Mentibus unitis cognoscit Roma triumphos.
Vos modò, Pisani Cives, non talia fertis,
Qui ruitis ferro, ruinis & peste nefanda.
Suspicione mala vestros quoscumque fugatis,
Quosque per insidias mactatis turpiter intus.
Hunc in Sardineam vultis, hunc tendere Velum,
Hunc facitis tantùm Lombardos quærere montes.
Quot proinde fuga nutrit Romandia pulsos!
Nec cupitis qu mquam revocare ad mœnia Civem.
Spargere sed tantum, finem concludere stragis.
Nec cuiquam munus vultis comprendere palmæ:

 Unde

Unde furor vester longos perrexit ad Indos.
Collige membra tuum: nexu jungaris amico:
Et quasi marmoreis remanes firmata columnis.
Sancte Beate meus mihi, Thoma, protinus adsis,
Quem doctrina, tuum genus & commendat Aquini.
Qualis palma fuit, qualis victoria, Cives,
Quam tulit ingratis Ugucio tunc dominatus,
Marchia quem genuit, titulatus de Fagiola?
Affuit ut Princeps victus conferre Catino,
Gallica gens secum, Carolus tunc filius ejus,
Et properans mitis Petrus germanus adesse.
Pars quoque Guelforum, mittens Florentia cunctos,
Mittens ipsa suos Castrum defendere, Senæ;
Gens Perusina legans, pariter Bononia misit.
Millia quinque equitum quibus affuit alta propago,
Dum properare volunt, Castrum se ponere subtus,
Nomine Submanum, victus adjungere promti,
Obstitit, & claudens Uguicio gensque Gebellis
Per miliare prope, medio tunc amne per ipsos
Tunc refluente, vident hostes, cùm mutua semper
Bella movere simul soliti quasi quotidiana
Inque . . . .
Pars revenire dato ad proprios, belloque duello:
Pluribus unde manent acies certare diebus.
Ultima dira volens Princeps inferre Philippus,
Undique Baptistæ celebrant cùm festa Johannis,
Quique Sacerdotes, tunc tentans mittere bellum
Quando & amica petit caput ab Herode puella,
Præcipit ire suos febrescens mittere victus,
Vel recreare cibo; pugnam vel ecce potentes
Qui spatiantur, eunt; viserunt omnia manè,
Quando acies firmant, faciuntque invadere cunctos.
Perstat & ipse sagax Uguicio, gens quoque secum,
Teutonicos retinens equitum tria millia fortes,
Quingentosque etiam tantùm de sanguine Tusco
Cum peditum bellans tunc millibus ut quadraginta
Nerius atque Comes, bellans cum robore (a) Dinus.
Hoc erat ex aliis robur de parte Gebelli.
Firmaturque, suos adjungit postea plebi,
Est ubi currus; eos nectit, facit agmina cautus,
Tunc duo sed pedites copulat, stant ante sagittis.
Jungitur ecce simul gens proxima tota & aversa.
His datur unde mora. Stant cuncta rudentia bello.
Agmina Guelforum, Carolus, Florentia tota.
Estque Gebellis ibi gens hostis promta tueri,
Quando inimica parat balistas promtiùs illis,
Quasque levant, plectunt, feriunt, & perdere Guelfos,
Vulneribusque datis traxerunt inde secundo;
Et popularis abit gens, spargitur, exuit hastas,
Tertius ictus eit, peditum nec affuit unus
Omnibus ex Guelfis, sonuit dum Mundus ab illis.
Stant simul, & ne dum franguntur in ardua belli,
Quos petiere probi, citiùs quàm fortè liceret
Octo per & gladios, qui prosternuntur ibidem.
Partis & intrepidæ gentes, pariterque Gebelli
Insiliuntque pares, feriuntque potenter & ipsi,
Per spatium superant, & reflectuntur ad horam
Agmina Tuscorum; Pisanaque signa reflectunt
Guelfi, Aquilasq; parum verterunt, sed rediere.
Teutonici meliùs certant, junguntur ad ipsos,

A Quos tenuere; manent acies, stipantur & illic
Postea rescindunt, mactant pars Guelfa per intus,
Quos lacerant medias tunc inter bella rapinas
Excidioque ruunt, fugiunt, dant ensibus illos.
Vir tamen atque probus Guelfus Carrocius obstat,
Vixque tota cohors potuit devincere campo,
Quem simul invectis jugularunt ictibus ipsum.
Prata per & campos remeant tunc vulnere fracti,
Quos simul & gladiis ferierunt atque secarunt.
Ex quibus ut miseri veniunt transire paludes,
Demerguntur aquis Guelforum millia multa.
Cœna limosa viros equites, peditesque necabant.
Dum staret illa tabes, tumulant campestria multos.
B Interea ecce patet *Carolus* hæc arma rapinas
Voce puellari clamans *sum*. Fortiter hostes
Teutonici pariter juvenes collidere gaudent,
Nec fuit una sibi pietas avertere ferrum.
Sternitur, unde madet, repletur sanguine totus,
Nec homo, nec quisquam, nec vivens postea Petrum
Conspexisse patet. Fertur jacuisse palustris.
Princeps cuncta videns toto simul agmine fracto
Inde recessit iens infirmus corpore signans.
Expletoque tamen cuncto certamine victor
Congregat ipse suos Uguicio, talia mandans:
Nemine distracto vagabundus ab agmine pergat,
Nec vacet aut spoliis, noceat vel hostibus ictu.
Vult patuisse prius latitent vel fortiter ipsi,
C Vallis & an nemus teneat, vel celet eosdem.
Comperit esse suis victor dum prospera cuncta,
Se retinere illos edictum solvit ibidem.
Tunc capiunt, feriunt iterum, nec unus abibat.
Stat furor armorum, libabant corpora Marti;
Nec satiatur eis, revocatur fortiter ira,
Vulnus & à nullo discessit, dira cruentis
Nec fuit una manus tunc non madefacta cruore,
Unus abire potens natitant quoque corpora tantùm.
Pulcher & insignis Carolus Vir totus amœnus
Ducitur intactus tumulandus nobilis esse.
Quem bene subducto pheretro triginta levantes,
Ensibus accincti posuerunt ante sed aram.
Altiùs ascendens Nerius tunc jura paterna
D Protulit in medium, Carolo regnante priore:
Ipse Gerardus obit mactatus vertice cæso,
Qui pater ipse fuit meus, & nunc date medelam.
Cùm venit & Miles referens, tunc stante caterva,
Promtus & hunc ense vestivit funere supra;
Induit atque dedit Comiti sis partis amator,
Quem retinens agitat, vocitatur postea Miles.
Sic Rapidis jubilus fuit, & symphonia, chorus,
Gestus, & in voces prorumpunt tympana cantus,
Gaudia cum multis clangoribus ipsa gerentes,
Utpote mactato Carolo quia gens fuit ulta
Ipsa Gebellis eò, dum Conradinus obivit
Decapitatus atrox (b) veniens auferre coronam.
Talibus & gestis gaudent attingere muros
Agmina Pisarum. Tamen ut stant, ecce propinqui.
E Festivitate nova juvenes, quoque nupta puella,
Et puer in festum venit, & cum matre senescens
Obvius, & populo referenti gaudia lætus
Exclamare simul: *Moriantur quique rebelles:*
Reddita pax nobis est & concordia ferro;
Atque vocare patres pro magna parte sepultos
Quid Deus ad Mundum solvens sua jura modernis
Non revocare velit vos & concedere tempus
Patribus exiguum videatis cuncta triumphum.
Qualia dum repetunt, clara cervice rubentem
Conspexere Ducem subfultum cernere multis.
Pan-

(a) Dinus scilicet de Rocha, ut habetur inferiùs in octavo.
Et Ludoycus ei de Rocha astringere Dinum,
Qui Dinus Comiti Nerio junctus erat.

(b) *Atrox*, quia contra Ecclesiam venit Conradinus.

Panditur & velum commissum firmiter hastis,
Ut capiens Dominum reddatur gloria Mundo.
Dignus erat, sed non fuit & tunc captus ad illa,
Dum renuens dixit: *sunt talia Cæsaris ista*.
Atque ferens cunctis Uguicio: *claudite*, fitque.
O quantum Pisana ferox Domino prætendis honores!
Excipis, expelles (c) similandum non Ugolino (d).
Janua quando Urbis patuit firmata capistro,
Ingrediuntur eas Populus, sed & agmina cuncta,
Et comitiva fluens, intrant simul intus equester,
Tuncque Sacerdotes Templum vestire parati,
Virginis ob laudem cantant, Altaria libant,
Cum sociis sacris subjungens Arciepiscus.
Hostia sacratur; reddunt sua vota Mariæ.
Festivitatis eunt expleto numine Sancto
Ad loca grata domos, pausant, dant membra quieti.
Altera captivos acies bene fortis & apta
Ducit, & intrat, habens Guelfos tria millia tantùm,
Quos locat ipsa domus turris, clauduntur & intus.
Tunc memores Rapidæ (e) cœperunt esse suorum,
Janua quando illos cepit, memoresque Meloræ,
Talia deplorant: *Rubuit mare sanguine fuso*
Civibus evasis, fregit cùm Janua nostros,
Atque reclusit eos, retinendo in carcere semper,
Cùm didicere viri multas subtiliter artes.
Omnibus exclausis rediit tamen ipse maritus.
Matre favente pia redierunt Virgine Pisas.
Nos simili jure sed alamus in Urbe reclusos.
Quod simul & faciunt: curant evadere Guelfos,
Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.
Victibus unde suis suspendunt plena canistra,
Et recreant. Tales vigilabant dum pietate,
Tempore cùm mille currebant, & duo centi
Octuaginta etiam quinque, & pro luctibus anni.
His tamen expletis Pisani quærere fractos
Gaudent, atque suis quærunt ex omnibus octo
Qui patuere. Fuit vir tunc manifestus in illis,
Quatuor occisis, Franciscus de Fagiola,
Filius invicti Patris victoris & heres;
Intrepidusque etiam Miles, dictusque Johannes
Florentinus erat, quando exul Stephanus, atque
Qui priùs ad hostes feriunt ex omnibus octo.
His tribus adjutus Carolus fuit, atque levatus.
Funerea educunt Pisas immissa pheretris
Atque fuere pia, quando orat voce Sacerdos
Da requiem, cunctis tunc respondentibus *amen*.
Da lucem, Pater ipse Deus peccantibus istis,
Nobilibus tamdem paries, Templumque refulget,
Dum sua signa gerunt, Carolus quando altiùs extat
Virginis in Templo Sacratæ sedque Mariæ.
Ultimò currus eis suspenditur esse ruinæ
Tunc memor, & resídet tot inter cerea Matris.
Annis millenis currentibus ista per Orbem
Atque trecentenis junctis ter quinque fuere.
Sicque ruina modum cœpit vexare per omnem.
Rex tamen ipse pius Robertus cuncta serenat.

A Mittunt Pisani, quamvis sua Ligna perissent
Quinq; (f) per insidias, pacem componere secum.
Lumina Gorgonæ Rapidis dum dena micabant,
Gentis & aversæ partis numerare Galêas,
Quæ tamen ipsa vident oculis nunc ponere curam.
Conspexere, ruunt mediis in turpiter undis;
Quin habet illa probus Admiratusque Johannes.
Nec Deus ipse Pater cunctis, qui jura ministrat,
Vult sua pestiferos meliùs decernere facta.
Annuit, & Rapidi (g): *Jungas tua fœdera nobis*
Quid, Roberte vigil sapiens, cunctaris in Orbe
Claudere? Nec Pettam volumus, Carolumq; necare.
Nos (pie, crede tuis) tantùm, sed nostra tueri.
Cur proprios cupiunt victus inferre Catino,
B *Cùm manet obsessum nostro sub robore Castrum?*
Et pius ipse: *Quibus quos possum credere amicos,*
Qui socios falsis audent jugulare rapinis,
Lucanos feriunt fides sub fœdere pacis?
Fœdera componit, quin ipse Uguicio secum,
Atque redire licet Lucam, veniuntque rebelles.
Ut mea sint tantùm solidis rationibus apta
Expedit, & Rapidos nos confutamus amicos.
Non meruere tui, referunt sua jura natantes,
Hoc, pie; Fagiolus Lucam quandoque per artes
Impetiit. Fuimus Cives non causa reati.
Cur misere suos inter sua mœnia pulsos,
Qui fregere fidem, revocant quin Uguicionem,
Atque inter pestem remeat Castruccius intus,
Dum (h) Lupus ad pontem capturus viribus (i) Agnam
C *Ducere quingentos pedites sub fraude latenter*
Ausus ad arma vehit Pastoris nomine dicens:
Flectite custodes pontem, pecudesque locate.
Ictibus unde illos lacerant, turremque tenentes
Teutonici pandunt iter, agmina cùm patuere
Solis in adventu, quando Urbis janua fertur
Ignibus usta simul, quando intrant agmina cuncta
Et spoliant rebus subductam fraudibus Urbem.
Nos tamen immunes fuimus sumus atque reati.
Tunc pius ad Rapidos: *Quantumque in viscera vester*
Sanguis & in fratrem, Carolumq; invexerit atrox,
(K) *Nos tamen esse pii debemus: pacta sequantur.*
Et posuere: fidem spondent: pax inde secuta est.
D Æquora Robertus promittit salva marinis
Pisanique suum fœdus capiuntque sequuntur,
Promittuntque, simul per Sanctos utique jurant
Sacramenta Dei per & Evangelia Christi,
Ut quoties pius ipse velit confligere quosque,
Navibus & velis dare inde pro posse favorem.
Quærere per medium firmatis syrtibus æquor,
Seque suis ratibus primam committere pugnam.
Pacta sed hæc inter pro victis utique Templum
Quot priùs in sortem dederat victoria prædæ
Octuaginta equites, dum conflixere trecentis,
Mœnia dum Vici liquerunt oscula dantes,
Martyrem egregium revocant cùm mente Georgium;
Si ipse faveret eis, bellat cùm (l) Struffa potenter.

(c) Invehitur Frater Raynerius contra Pisanos satìs asperè, quia ipsos reprehendit de ingratitudine, & Uguicionem inferiùs de Tyrannide.

(d) Quia Comes Ugolinus tradidit Castrum sibi Uguicio acquisitum, unde *similandum non Ugolino*.

(e) Idest Dominæ Pisanæ reclusis Guelphis Pisis captivis ex debellatione Montis Catini, *cœperunt memores esse suorum*, scilicet virorum captivatorum à Januensibus in mari, Meloræ alitorum & nutritorum à Dominabus Januensium in Janua. Et sic curant eadem pietate nutrire eosdem captivos in Civitate Pisana.

(f) Pisani fecerunt armatam quinque Galearum, dantes pro custodia ab inimicis signum Gorgonæ Insulæ, ut pro qualibet Galea inimicorum apparente faceret unum lumen, quæ fecit decem lumina, quæ Pisani non cognoverunt; & ideo perierunt capti à decem Galeis Regis Roberti, in quibus Admiratus erat Dominus Johannes de Celona.

(g) Pisani quasi volubiles ex eo quòd sæpe sæpius statum suæ Civitatis volvebant.

(h) Scilicet de Menabio, qui tenuit Pontem Tecti in prima captione Lucæ.

(i) Idest Civitatem pinguem Lucanam à Pisanis captam.

(K) Scilicet Rex Robertus.

(l) Pisani deputaverunt excolendam pro illa Ecclesia, de qua pacta continebant ex dicta pace contracta. Quæ Ecclesia usque hodie est receptaculum peregrinorum pro dictis mortuis undecumque advenientium. Fuit etiam Corpus Caroli restitutum dicto Regi Roberto, deferendum Neapolim, sicut patet in textu.

E Teu-

Teutonicis tantis domus instauratur egenis
Redditur & Caroli gelidis sed corpus in armis.
Aurea Neapolim remeant cùm lilia (m) patri,
Hæc capiunt, firmant : sic pax post cuncta manebat.
Tunc fortuna suum caput extulit : Urbs recreatur,
Et tetigit summos regnans. Tunc undique Pisæ
Fulget in immensum, rubet inter cetera signum,
Et mare per cunctum remeant ex undique primi.
Quisque marinus iens, nisi grandia signa tuentur
Quem rubicunda, perit, mediis spoliatus in undis.
O utinam semper tantis contenta fuisset:
Non rueret, proprios vel (n) sanguinolenta necaret,
Nec nutriret eos Romandia, non Fabrianum,
Lombardia suos, non gens extranea Mundi
Geminianus eos Castrum quos inde receptat
Colle etiam quantos dispersos per Comitatus.
Sed fortuna suis levis est : non permanet hora:
Dum ratione carent, cœcatur sensus in illis.
Sicque rotare solet, nullum permittere fixum
Casibus ut voluit fallax fortuna modernos.
Composuere simul, victorem mente feroces
Fallere, nec minimum tentant cùm pondere munus,
Talibus obsequiis tantum sed mittere fraudem
Convenire licet. Cives sua pectora frangunt.
Rumpitur utque chaos quod Sol virtute resolvit
Fervidus in ventos, dum Terræmotus in Orbem
Surgit, & ut trepidant animalia quanta ruinam,
Talia sub tantùm secreta voce loquentes:
Nos quamvis Cives palmam tenuisse per istum
Publica fama ferat, cunctos submittere vult nos.
Ponimus & vitam, bellum facimusque, Catinum
Concutimus, primùm balistam traximus illic,
Spargimus & Guelfos Cives, reflectimus hastas;
Unde ruina fuit per nos tunc hostibus illis.
Muneris oblitus, Florentes ponere nobis
Audet, & in Cives sævit, vult omnia Pisas.
Pejus & invênit, Cives dum scindere curat
Et (o) quatuor Rapidis populum submisit habenis,
Cive per infamiam mactato vertice cæso,
Dum posuit crimen Robertum velle regentem,
Banducio, Civis cui non similatur & unus
Tuscus in Italia, tanta virtute vigebat,
Consilioque fuit nullus tam providus umquam.
Filiolumque simul Petrum mactavit inermem
Ante oculos patrios, vix cùm tumulatur in Urbe.
Addere quosque simul liceat pulsare furorem,
Advena vel Civis submittat colla tyranno.
Hæc animis tantùm committunt verba silenter.
Temptus & unde fuit, committunt omnia fatis,
Insurgitque ferox Colceptus nomine multis
Voce : *Jumus Cives: vivat Commune: Gebellis*
Pars moriatur, & hi qui sunt de parte rebelli.
Additur & Populus : semper discordia crescit,
Omnibus invasis de gentibus Uguicionis.
Urbs retinetur, habent illam, firmantq; potenter.
Victor & immunis sceleris non qualia cernit
Quando equitarat eis Lucam gaudere, fuitque
Agminibus cunctis Tuscorum prandia pandens,
Festivantque simul insontes (p) Pascha Leonis
Cum dapibus sapidis, faciunt ornare (q) caballos,
Cymbala tinnitus cùm mittunt postéa longos.
Conventusque nitet (r) Romani Martyris, atque

A (s) Fratribus attonitis tantarum gentibus Urbium.
Ecce fuit præsens in aula sponte viator,
Auribus insinuans victoris cuncta levatis.
Atque dedit : *Scultes, referam quæ facta fuere.*
Sum citus, & volui minimum concedere tempus.
Nunc Rapidos Cives rabies vexavit & ira,
Et servos petiere tuos, quantosque necantes
Concutiunt paucos, qui post mansere tuorum.
Qui velut esse solet pavidus, interque leones
Cervus agit dubius, sic victor prandia linquens
Omnibus atque suis suspensis vultibus angit.
Et tulit : *O socii Rapidum cognoscite fraudem.*
Qui mediis fractis, mittunt sua vascula surgunt:
Hos tenuitque tremor cunctos, quantique fuerunt,
B Et rediere suæ vires victoris in illo.
Quin animat socios : *quid non accingitis enses?*
Quod faciunt. *Urbem Lucanam*, dixit & illis,
Percurramus; habent exemplum fortè nocendi.
Interea & Populus Lucanus pergit ad ipsum,
Redde tuis, dicens, *vinctum* : *Castruccius adsit.*
Crimine quo potuit tanto dic utique plecti
Tam probus? ipse feras, vel quæ sit causa patescat.
Qui tulit & cunctis : *terdenos fœdere junctos*
Mactat habetur enim : sumus & nos jura tenentes.
Tuncq; resumserunt : *volumus hunc reddere vitæ*:
Victor ad hæc spatium petiit se reddere talem,
Quo potuit minimum dicens : *nunc reddo fidelem.*
Sed priùs ad vinctum properans, & clanculo reddens,
C Talia verba dedit : *Vivet Castruccius : annos*
Addidit atque sibi; te numquam lædere tento
Utique ego, sed volui timidum pavidumque tenere;
Sed modò per Christum victum non sumere juro
Hi priùs excussus reddaris carus amicis.
Tu mihi cœlestes per Sanctos utique jura,
Si tua vita manet, me non contingere ferro.
Vinctus & ipse simul submissa voce sacravit :
Si mea vita manet, per Sanctos juro fideles,
Per prolemque suam, genuit quam Virgo Maria,
Omnia per Christi, Pater, Evangelia juro,
Per quoque Patronum Martinum, quæque sacrata,
D *Per Faciem Sanctam, per corpus & utique Sitæ,*
Nil malè commissum per me fietque meorum.
Tuncque sacrant, firmant Uguicio, vinctus & ipse,
Fœdera componunt; testem posuere coronam
Cæsaris invicti. Tunc victor reddere vinctum
Audet, & ad Cives Lucanos talia fatur :
Excipe, Luca, tuum, talem gens excipe Civem,
Cui Tuscus sanguis parebunt sidera cœli,
Et velut ancillæ præsagi fulminis ignes.
Quæ probus ascultans rapuit Castruccius ensem,
Atque vocat socios; *circum me cingite, Cives.*
Talibus evasit tunc artibus, estque receptus.
Urbs manet apta sibi, dominatur fortiter illam.
Tamdem victor ei repetit, vult inde recessum,
E Qui promittit, erat vir tantus & ipse legalis,
Janua quando Urbis patuit comitantibus illum,
Civis in arma ruens, hastam suspendere tentat,
Atque per incestus petiit collidere mœstum.
Quod probus aspiciens dixit Castruccius; *absit*,
Et loquitur pavido post tunc sic mente jucunda:
Con-

(m) Ideſt Principi, cujus filius erat dictus Carolus, & nepos carnalis Regis Roberti.

(n) Invehitur fortissimè Frater Raynerius contra Civitatem Pisanam propter multas strages hominum, quæ tunc ibi fiebant, sicut habetur in tertio Libro. Et hæc fuit causa & materia, quòd dictus Frater composuit hunc Librum.

(o) Dicit contra Uguicionem de occisione injusta Banduccii Boncontis & Filii.

(p) Ideſt convivium Uguicionis factum Lucæ in Festo Resurrectionis Christi.

(q) Ideſt mensas propter quatuor pedes, quos mensa habet.

(r) Ideſt loco Fratrum Prædicatorum de Luca.

(s) Ex admiratione tanti convivii & multitudinis discumbentium, & innumerabilium gentium ibidem convenientium.

Consoleris enim, victor: jugulare priores
Est solitum Rapidis. Feltro de Monte Guidonem
Expulere, fuit patriæ qui tantus amator,
Atque redemit (t) *eos Guelforum viribus actis.*
Fertur Ugolinus (u) *illis dominatus ad artum,*
Quem fames invasit, turris testatur amara.
Guelfus & ipse puer matris de pectore mammas
Suxerat ipse latens, vix quem clausere tenentes
Carceribus tetris annis triginta bene illum.

A

Quem priùs ipse pater solvens pro virgine Cæsar
Liberat Henricus nimia dulcedine mitis.
Gens ingrata nimis fuit, hoc cognosce natantum,
Semper & ipse patri munus, pariterque Mariæ
Hoc fuit ab illis vitam te ducere solam.
Concipit ille Canem Lombardum ferre salutem.
Antea per tempus fuerat conjunctus amore.
Sicque fugit. Regere Lucam Castruccius audet.

(t) Pisani ex debellatione Meloræ remanserunt debiles & fragiles: unde usque ad muros impugnabantur à Guelphis. Sed Comes Guido de Monte-Feltro vocatus à Pisanis, eos sagacissimè & potentissimè de manibus eorum eripuit, postea ab eis licentiatus. Et sic Pisani arguuntur de ingratitudine suorum Dominorum.

(u) Comes Ugolinus existens Dominus Civitatis Pisanæ prodidit dictum Commune, dans Castra & Fortilitias Comitatus Lucanis eorum hostibus. Unde Pisani ipsum reduxerunt in Turrim cum filiis & nepotibus suis, ibidem fame peremtis, uno evaso Guelpho nepote suo, liberato ab Henrico Imperatore Pisis tunc præsente. Unde illa Turris vocata est Turris Famis usque in præsentem diem.

Explicit Liber Primus.

DE

DE PRŒLIIS TUSCIÆ
INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAstruccius de Antelminellis Nobilis Lucanus dum post dominium & recessum Uguiccionis de Fagiola à Civitate Pisana & Lucana regere cœpisset in Luca, amorem & affectum partis Gibellinæ & Imperialis sub mortis præjudicio instituit esse servandum. Sed cùm Dominus Paganus de Quartigianis fuisset unà secum intus in captione prima Civitatis Lucanæ, in qua facta est Gibellina, & signa sua ostendisset agminibus Pisanis ex sua Turri eminenti; & hoc est quod dicit

Nonne nigris aquilis fulget mea Turris amœna;

obtinuit ab exiguo Populo Gibellino de Luca, ut simul deberet cum Castruccio regere in Luca. Et sic regimen ejusdem Civitatis districtum fuit per sex menses ambobus, & successivè regerent. Castruccius autem contentus fuit, dum tamen primi sex menses regnandi deberentur eidem: quod & factum est. Infra quod tempus sic Populum & Milites delinivit, quòd omnes fuerunt allecti ad ipsum. Et cùm post terminatum tempus dictus Dominus Paganus vellet ascendere, Castruccius non permisit, firmato se cum Populo, & Militibus terræ; Unde Dominus Paganus videns se esse deceptum, recessit à Luca. Ex quo dicto Castruccio remansit liberè dominium Civitatis Lucanæ. Et hoc est quod dicit:

REgnat in Urbe sua probus & Castruccius audax,
Ardua præcipiens; super omnia Partis amorem;
Et Populum servare monet sub pondere vitæ.
Atque rebellantem sibi vult intrare sepulcrum;
Lucanosque regit, qui tunc parêre potenti
Sollicitantur ei, vi plus quàm cordis amore.
Impiger ad Populum Miles tulit unde Paganus,
Et sua jura movet: *Non sum tibi causa salutis*
O Popule infelix ego? non sum Quartigianus?
Non me per medium presserunt pondera belli?
Non domus atque mea Turris victricia signa
Cæsaris ostendit Pisanis agminibusque,
Quando equites veniunt Lucam custode necato
Nomine. Pastoris cùm splendent arma refulgent?
Nonne Aquilis nigris fulget mea Turris amœna?
Quando ego, & ipse sagax Uguicio jam prope muros
Tunc fuit, insinuo non tunc vexilla per arcem
Militibus cunctis veniant ut frangere portam?
Vos modò nec minimum vestro confertis honorem,
Ac regit intrepidus Populum Castruccius omnem?
Et Populus cunctus motus dulcedine Partis
Flectitur exiguus: rogitant: Castruccius offert:
Unde illis regimen fuit & commune: tenebant.
Non finit esse locum gladiis vagina duobus,
Nec simul ora frenum duo tantùm dura gubernat.
Sic animis secum disjunctis unus & alter
Deviat à medio virtutis, & odia surgunt.
Despicit ille: silet Miles: despexit eumdem,
Et Populo coram Castruccius ista locutus
Tunc fuit, & tenuit regimen: divisit in annum:
Suntque sui primi menses. Regnavit in Urbe
Liber, & in sexto debebat reddere sedem
Illi: cuncta probus firmavit & omnia secum:
Civibus allectis Lucanis regnat & ipse.
Ille sed obstabat, baculum se velle petendo.
Non dabat ille sagax: faciem monstravit & ausum:
Ictibus ad sturmum pulsatis æra sonabant.
Mandat in arma rui, strepitum dum sentit amicus
Exit ab Urbe levis victoris more secutus

A Lombardum ipse Canem, paucis comitantibus ipsum.
Postea sed regimen solum transfertur ad illum,
Qui minimos Urbis cupit & extendere muros;
Et David ille Sion plantas Jerosolyma fulget
Unde venire solet Deus atque ibi condere leges:
Sic muris celerem nectit Castruccius arcem
Versùs Pisanam, cunctis cernentibus, Urbem;
Et vocat in signis Augustam Cæsaris illam,
Reddere ubi voces, nocturno tempore tantùm,
Hic facit intus ibi junctis custodibus arcis.
Jam quibus expletis Castrum Mons ipse Mariæ
Fortè rebellabat, conatur quod probitatis
Vir & habere suum vicinum providus Arno.
Et fuit intus ei suffultus sanguine patrum,
B Promittensque, parans Velter petit inde monetam
Quam numerare velit: respondit promtus: & ipse
Tempore composito tantùm bis quinque dierum
Se dare dicit, habens totum, miser utique posse.
Unde suis properans Lucanis Teutonicisque
Circuit expectans, & non referebat amicus,
Terminus unde fuit, potuit nec reddere votum.
Qua ratione probus, postquam conduxerat aptas
Ipse acies, Castrum tentat per bella tenere:
Nec datur. Attingit gens tunc Lucana pedestris,
Ambulat, estque simul, faciunt tentoria cuncti,
Obsidet & Populus: Castrum nec redditur illis.
Ultimò subactis cunctis prope mœnia bellum
C Immisere: fuit nec tunc victoria terræ.
Excogitatque modum talem Castruccius illic.
Machina fertur ei, quam tunc aptare magister,
Pondus & ad fundum ponit, canapamq; trahentes
Funda levatur humo, salit atque ad sidera saxum:
Pervolat, invisum venit, & post mœnia frangit;
Concutit & turres, arcemque invertit ad imum.
Nec istauratis tantùm vel fortè duabus,
Pluribus imo illi nec saltim vivere possunt.
Bella quibus victis non plus sufferre potentes
Reddere se cupiunt, quos ille in fœdere junxit.
Velter & ipse prior cunctis tunc reddere claves
Vult tamen; ille negat dicens: *hoc jam bene Castrum*
Nos retinemus, & est nostrum, sed viribus istud
Vi-

Vicimus, unde sumus bellis jam fortè sepulti.
Tunc venit & præsens vel ter fuit atque petebat
Fœdera; respondit: *non sum Castruccius illi*
Juribus astrictus: jam terminus ipse cucurrit,
Et mora præteriit, terram te reddere nobis.
Fallere nec possis quemquam, te vita sequetur;
Carcere sed clauso volumus tibi reddere munus.
Atq; inter tenebras locat hunc Castruccius unum,
Sicque revertuntur Lucam: Fuit intus equester:
Ipse suis cunctis Capitaneus estque levatus.
Vox *probus & fortis vivat Castruccius ipse,*
Vivat; & ipsa simul gens omnis protulit *amen*
Ille sed insignis tantùm ista ad verba movetur,
Nec juvenilis eum levitas vel gloria quæque
Extulit in ventum, quantum si in monte fuisset
Turris ad internam radicem: sic probitatis
Finxerat aspectum, quòd nec ad tanta movetur;
Et subitò imò gravem faciem vertebat ad omnes,
Quam decet ipsa ducem, palmam cùm fecerit omnem.
Pergitur, estque aulæ vicinus: prandia dantur
Militibus primis sociis, & cuncta silerunt.
Currit & ipse ortus Solis, tempusque sed omne
Nec fluvius tantùm, navis vel fluctibus, ipsa
Atque sagitta venit citiùs, quàm tempus in Orbem
Surgat. In Urbe fuit lux immediata secunda,
Civibus adjunctis in aula sponte Senatus,
Et se constituunt Dominum, vocitantq; perennem.
Jam quibus ipse probus respondit voce senili.
Jure ego quo possum deceat vel fortè videte
Officium minimum Civem dominantis in Urbe
Civibus & renuo. Volumus nos utique cuncti:
Insonuere pares. Placido qui postea vultu
Induit ipse manum baculo regnare potenter;
Unde fuit Divo tunc Lucæ lata potestas.
Sed malè quàm capiunt non assuefacta labores!
Scilicet ut teneros lædunt juga prima juvencos,
Et frena vix pullus patitur sufferre caballus,
Sic renuit parêre sibi generosa propago
Cæsaris astricta fulgens, tantisque vocatis
Juribus Imperii scribis decreta gerendo,
Spernunt, concipiunt, cupiunt splendere priores,
Nec parêre volunt. fluvio nundante sed obstant.
Et movet intrepidus bellum Castruccius illis,
Dum fugiunt Collem Puteum, retinentq; potenter.
Obsidet ille citò Lucanis omnibus arcem,
Dum nituere canes clypeis, ariesque refertur
Machina, sed gattis circumdant undique Castrum.
Obstant: ille furit: firmatur gensque rapina.
Non erat intus eis victus; vexilla levarunt
Nobilis & Nerii Comitis: nec ille favebat.
Et rediere fame sub fœdere quo voluissent
Vix laterum quidquam remanet: fregere per omnem
Castrum: tanta rapit stolidos discordia nequam.
Nobilibus trusis inter sua mœnia Lucæ
Hos clausitque suus, plusquam Castruccius, error.
Bellat & ipse etiam post hæc discrimina Vici,
Cum bene quingentis referens solùm ipse trecentos,
Cùm bellavit eques, pars altera sedq; pedestris.
Militibus Guelfis devictis, quin & habenas
Hostibus incidunt, erantque animalia secum.
Fortè erat & Castrum tunc obstans Monsque Colonus,
Et per Gharfaniam splendens, cernentibus illud
Desuper, atque ipsum protectum viribus arcis,
Infima Bargha cui, velut Urbs, subjecta manebat.
Hoc probus aspiciens: terrebant undique postes:
Crevit & in animo virtus: conatur & illud
Vincere. Conduxit gentem super atque cacumen,
Bella movens ptopriis tunc viribus. Accipit arcem,

A Castrigerique suos tantùm defendere muros
Fortiùs attentant, ornant, & stramina ponunt
Mœnibus. Atque probus robustos eligit omnes:
Præparat & gattos: attingunt fortiter illud.
Fulminat & Castri gens hostis more sagittas,
Cùm pluviosus humo madefacta aspergitur imber,
Æthera nigrescunt, quando ipsa tonitrua terrent
Nec redduntur: eis tantùm sed fortiter obstant,
Intrepidusque leo meliùs circumdat eosdem
Undique bella parans, memor & non utique vitæ
Mille superductis, armorum quoque paratu
Incitat, & primus contingit mœnia Castri.
Quem malè tunc ingens tot inter prœlia saxum
B Vulnerat, & numquam fatigatus in ardua belli
Clamat voce suos, pugnamque immisit acerbam.
Castri gensque suo moribundis robore fracto
Pacta petunt: retinent lumen decernere vitæ.
Sicque suum volitum deduxit. Redditur illi
Trasiricus Castrum vicinum, sedque rebelle,
Viribus admissis, nec sperans esse recursum
Hoste suos mittit: quos & Castruccius audax
Junxit amore: datur: munit tamen atq; refirmat,
Juraque Gharsaniæ gessit probus ipse per arma.
Tamdem cuncta suo baculo subjecta potenti,
Pervenit & Lucæ, regnatque potenter ibidem
Qui bene post menses nec vulnere consolidato
Urbs magis esse decens, quàm Castrum fortè vocari,
Postulat & solitum Ficeclum reddere fœdus.
C Hostibus ista ferens: *quo vos Florentia jure*
Possidet? Accipiam: tantùm vexilla tenete
Cæsaris. Et renuunt, Guelfos se quosque gerentes.
Quos priùs artatis sub obsidione, rebelles
Nec revocare potens studio vel arte sagaci,
Impedit atque fuit subitò prope mœnia Castri
Agminibus quantis pestes tunc temporis intus
Fulmina cùm rutilant, ventusque involvitur Orbe
Hostibus invasis, & tunc insontibus intus:
Diripuitque leves muros, faciuntque foramen.
Intrat & ipse. Suis fertur Carraria terræ.
Vix quoq; per cunctum capiunt in peste Gebelles,
Nec fuit intus ibi solùm vox ipsa loquelæ.
Ut tamen attingunt Turrim, vigilavit & unus
D Turrigianus, & hic Socios exercitat omnes.
Dantur ad arma manus: resonat campana tumultum.
Obstat Turris eis cuncto munimine saxis,
Exiliunt omnes, vicinaque Castra recurrunt.
Guelfus & ipse Exter Pisanus nomine Vannes
Scornigianus eis succurrit de prope multis
Undique Castorum. Veniunt vexilla Leonis (*).
Turris & obstabat: errat Castruccius: intus
Se simul atque suos non tunc sinè peste reducens.
Exit & ab illis: equitant: sunt postea Lucæ.
Quod ubi vir fortis cogitat, furibundus in aula,
Esse suis dedecus, non vult plus vivere Mundo;
Et quo plus minimum solantur, verba recepit:
Quæ generat catulos nimiùm festina catella
E Cœcos, nutrit eos: homines sic facta sequuntur.
Excogitare licèt Pisanos talia secum
Atque tulere: *Simul veniet Castruccius, aptans*
Ipse acies subitus, muros attingere nostros.
Strata gravem somnum dant, & linteamina munda:
Pulvinar molle faciet dormire sepultos.
Ecce propinquus erit nobis Castruccius hostis.
Ergo tuamur. Et his junxit commune Senatus.
Primus & ascendens Gaddus fuit ista locutus
Ipse Comes: *Volui vobis ostendere casum*
Hostibus artamen subitus Castruccius atrox
Præcipitabit: eant minimus vos scitis & omnes.
Po-

(*) Idest Sancti Miniatis, cujus sunt arma Leonis in Vexillo.

A Ponite custodes muris : obstate feroci.
Credite, Libertas res est præstantior auro.
Ursa monet catulos submissa voce latere,
Cùm tamen affuerit, primam se porrigit hosti.
Sic faciam. Siluit : loquitur Cosceptus & ipse :
Non gerit hic animum Cives scultare Gebellem.
Gaddus & ipse suus avus non nomine Partis,
Tempore, quo Carolus primus regnabat in Orbe,
Decapitatus, erat Partis qui famine robur.
Cujus & iste Comes titulatur nomine grandis,
Cùm probus Italiam jam Conradinus adisset,
Principibus multis veniens, spoliare corona
Tunc Carolum properans : fuit & simul ecce propinquus
Teutonicis quantis sociatus, nonne Gerardo
B Pergit in Apuliam juvenis cum robore Partis,
Dum Ciperanus ei patuit pons esse meroris,
Rex probus unde venit pugnam committere Gallis,
Dum priùs invasos potuit mactare per enses
Conradinus amans juvenis plus bella puellis,
Se dare tunc spoliis licuit, quando ille latebat
Teutonicos cunctos dispersos munere prædæ,
Quosque sagax totus linquens montana silenter
Cum bene quingentis Carolus probus atque virilis
Mactat, & in cupidos sitibundus vertitur ensis.
Nec fuit amotus furor ipse a pectore, donec
Fluxit in arma viis liquor & tunc sanguinis omnis;
Cùm juvenis pulcher cupida tunc gente peremta
Aufugit ab illis, sociatur fortè duobus,
Obvius & nautæ spondet; qui cuncta secutus
C Elevat Austurium referens : meat, atque fugere.
Sed fuit infidus, tres tantum nauta relevans;
Et patuere viri, Carolo cùm postea ducunt,
Quos simul absque dato spatio transmisit ad Urbem,
Parthenopisque foro, cunctis præsentibus illis,
Tunc fuit ipse suis medio, quando ista geruntur.
Ducitur & Juvenis rubicunda in veste caballo,
Atque secundus ei Dux Austrius ecce necandus.
Ducitur invictus animo simul atque Gerardus.
Pergite, quæso, viam, Carolus, monstrate feroces
Omnibus, unde fides clarescat: sunt anathemæ.
Pergitur : adclamant omnes pietate virorum.
Et redire fuit : populus stetit, atque resumsit
D Tunc Carolus medio revocans Divina locutus:
O Deus ipse dedit Virgo pia Mater & alma
Optima proles ego refero super omnia grates.
Jam priùs atq; dedit Manfredum regna tenentem;
Viribus expurium nostris superamus & armis.
Dum campestre fuit bellum, superamus eumdem,
Cùm patuit furiens occisus in agmine magno.
Nuncq; Cometa fuit prosper: superamus aversos.
Scriba refertque : silent : tubat & sinè carmine præco.
Exequitantur ibi tres. Conradinus & ante
Plectitur, & miles ensem splendore nitentem
Exuit, illius caput atque à vertice truncat.
Fertur & ipse alius medio jam victus hiatu
Vestibus in albis studio nec veste decorus
E Austrius, & veniens miles stetit atque secundus,
Quem feriens animam diviso à corpore duxit.
Tertius adductus nigrescens veste Gerardus
Prosilit in medium propriis in passibus adstans,
Immotoque cui vultu placet addere verba
Dicens : quanta Deus pateris moriantur inermes
Hosque Duces nullo cæso pecudesque figurant.
Si priùs hunc miserum potuissem cernere casum,
Hostibus & coram Guelfis sinè peste necandos
Me simul & juvenes manus hæc, quæ postque locavit,
Corripuisset : ego juvenum sum causa ruboris.
Tuncque levis multùm vestem dejecit, & alter
Qui Comitem pulso miles necat ense liquore.

Et maduere Duces plano stratisque refusis.
Rex tamen extinctos non vult tumulare anathemas
Intraque conjugium sponsæ non ponere abortos.
Ultimò sed clausit vilis tamen urna rebelles
Annis Millenis duo centum quinque duodenis
Octo & eis junctis, Urbanus quando regebat.
Sic, ait ultor eis, meruit jus iste regendi.
Gaddus ; & adjecit claudens sua verba loquelæ:
Claruit antiquitus : patrios modò servet honores.
Inflexit . . . . . genus, munusque parentis,
Dum regit officio populum, regnavit in Urbe.
Ultor & ipse etiam nullis fuit ecce secundus,
Atque priùs fuerat mercator vendere telas,
Civibus & coram primus surrexit in Urbe
Lubrica, postque domus pictis parietibus armis
Lucuit inde sibi, variumque in frontibus ornans:
Unde homo tam minimus dominatur robore Gaddi.
Qua ratione animos Rapidûm dissensio vexat
Tunc ait & Comiti Cosceptus : nonne tenemus
Imperium? regimen solum stabilire queamus.
Non piguit Rapidos semper committere fraudem,
Flectere majores, primis rescindere vitam,
Quando ego Fagiolum Rapidum fremensq; rapina
Impetimus, quantos audent jugulare priorum!
At cùm postque fuit totum Commune sub armis,
Et rapuere fugam, majores pergere secum
Tunc cùm Luca suis dederat gaudere cibatis,
Viribus & quantos audemus lædere nostris,
Interpresque suus doctus cognoscere causas
Dum refugit varians habitum sub tegmine vili
Non ego prosiliens Jacobum, qui cuncta regebat,
Immemor innocui nati, quater atque retentus,
Propulsare volens, tepidum gelidumque calorem
Impeto filioli, dextramque investio ferro?
Exue mi cestus vocitans, quando ille recusat,
Quem pavidum gladio tentans occidere, natum
Lassat, & ille madet medio, Judexque necatur;
Et patuit doctus vita spoliatus & ævo.
Magnatesque alios Rapidi non viribus audent
Præcipitare suis thalamis, & frangere plano?
Disce Comes similem non incursare ruinam,
Meque tuos Cives Rapidum cognoscere fraudem,
Vim quoque pulsemus, tremeant ut corda virorum.
Nunc socium teneo, robustum corpore toto,
Cui nomen virtusque sonant cum famine fortis.
Hunc sibi conjunctos armorum quosque feroces
Quærere per cunctam faciamus fortiter Urbem.
Quisquis eis Rapidus tentet producere fultum,
Nosque pares magnos jugulo confringere tali,
Atque fugare volens multorum robore fultus,
Parteque victoris subducta, ipsumque levare,
Hos priùs attingat, quàm nos. Sic ruvida pestis
Hosque Comes junxit: furiunt, Pisasque recurrunt
Et Cosceptus ei non satur sede regendi
Tunc Comiti : Ascultes, referant quæ forti salutem.
Quatuor apparent Cives victoris amici,
Qui Commune priùs tota virtute regebant.
His quibus expulsis regnamus: junge Senatum.
Junxit & ipse Comes duodecim Commune sed omne,
Talia verba loquens: Cives scultate Nasonem.
Parva necat morsu spatiosum vipera taurum.
Dico ego: vipereum latitat commune venenum.
Utique posse putant ex nostris pandere muros
Hostibus: ille cupit victorem reddere sedi:
Ille alius dicit: veniat Castruccius intus.
His quibus immissis, nos tunc ab Urbe vacamus.
Gaddus & adjecit Pisanis verba Poetæ:
Cùm totum fecisse putas, latet anguis in herba.
Pandere fermentum placuit, serpensque latebat.
Fervidus atque sagax Cosceptus verba resumsit,
Ista

Ista locutus eis, & coram stante Senatu:
Milvus ad alta volans protensis stabat in alis,
Flectere quem doctus ferro transverberat arcum,
Sanguine qui maduit. Traxitque à vulnere telum
Milvus, & incœpit secum sua talia fari.
Non volat hoc ferrum, nec fert hæc hasta cruorem.
Quærere per melius voluit, pennamque revisit.
Tunc ait: ista volat: sola est hæc criminis actrix.
Unde perenne dedit monitum, quod credo referre.
Dumque rotat spatium, dicens, tempusque per annum,
Si quis erit volucrum pennatus vellere quanto,
Has & aves spolient, pennas renoventque recentes.
Sic Commune decet curam gestare suorum,
Pellere quosque suos, noceant ne fortè rebelles.
Permeat unde furor, Populus surrexit in armis

A

Ille suis: pergens Cosceptus circuit Urbem,
Quatuor & Cives, Lippus, Rubeusque, Johannes
Se latitare volunt; Zenus tamen inde recessit
Solus ab Urbe, cui dederant non crispina formam.
Postque sibi patuit timido, Castrumque receptat.
Nec fuit una mora: jugulant cùm mœnia Castri.
Qui probus ad longos Lombardos pergere gaudens
Exulat, atque manet Zenus tunc Mediolani.
Gensque Gibellis eo Florentum tota fugato
Errat, & illorum molestant facta marini.
Unde abeunt Lucam: resident: Castruccius optat,
Exulat inter quos suus & Ritrilla secretus.
Tres tenuit reliquos Populus sinè peste furoris,
Flectere qui discunt caput, & quando unda refluxit
Talibus insidiis nostrum Commune peribat.

Explicit Liber Secundus.

DE PRŒLIIS TUSCIÆ
INCIPIT LIBER TERTIUS.

PIsani accepta ab eis Civitate Lucana, dum carerent bello Civitatis Populique, se ipsos diviserunt. Sic Romani destructa Carthagine & civile bellum & intestinum infra Civitatem commoverunt. Et unus Uguiccionem, alius Castruccium in dominium Civitatis Pisanæ intromittere cupiebat; unde ex dicta divisione infra se ipsos bellabant. Et una die unus, altera alius Civitatem invadebat, & se ipsos ex dicta divisione perimebant, & occidebant. Inde est, quòd tale regnum sic divisum Frater Raynerius regno quorumdam animalium assimilavit, quæ componentia quamdam Civitatem, & se invicem invadentia, coacta sunt deserere Civitatem, & ire per deserta. Sic dicti Cives idem periculum incurrebant ex dicta divisione & lite, nisi sapientia & sensus olim felicis memoriæ Gaddi Comitis de Dompnoratico obviasset, uniens se Populo Civitatis. De cujus obitu Comitis habetur in fine istius tertii Libri

Vana carens studio &c.

LEx fuit una Lupis, Canibus, sed Vulpibus atque,
Hisque habitare simul placuit condentibus Urbem.
Esse sed & nequeunt tamdem sinè jure monetis.
Unde Lupis placuit dominum vocitare Leonem.
Hic probus, iste sagax. Laudant primordia Regem;
Pergere sedque foràs cupiunt, silvasq; sequuntur,
Et referunt magnam tunc ista animalia prædam.
Post reditumque Leo sortitus prædia cunctis
Decimat, & carpit Vulpis spoliata rapinam.
Clamat, & ecce suæ veniunt apponere casum.
Rex tamen ad medium scultat sua jura ferentes.
Cernimus: hæque Lupis pendent animalia multa,
Colla premunt agnis, referunt avidasque capellas,
Nec inter reditum minimum patiuntur inultum.
Nos tamen exiguis leviant animalia prædis:
Hæc viduata patet spoliis simul atque marito.
Tunc Leo Rex numerum cœpit conferre dierum
Criminis à gestu quasi reddere prædia mœstæ
Non sua, seque Lupi jungunt culpare sorores:
Viribus, ajentes, *capimus, non crimine victus.*
Agrege Pastorum trahimus nos viribus agnum:
Fallere quasque dolis cupiunt hæ, credite, matres,
Fercula quando ollis nimiùm calefacta malignæ
Faucibus attingunt horrentibus inde calore,
Ac fessum ex opere vexant clamare bubulcum,
Insidiantur eis quando hæ contingere pullos.
Quæ sua verba illi bene sunt accepta Leoni
Vulpibus & mandat sileant, ne fortè perirent.
Exulat ab illis tunc jus animalibus omne.
Vi quoque regnabant, & surgunt odia secum.
Cùm tamen hora fuit illos percurrere silvas
Insimul, ecce Lupis spatium, simul atque Leoni.
Tunc Canibus junctis, sociatis Vulpibus intus,
Exclusere suos hæ tunc à mœnibus hostes;
Et petitur cautus: regimen transfertur ad Ursum.
Tendere postque dolum cupiunt animalia pulsa,
Se quoque per segetes celantes vellere restas,
Ceparumque globos duplicant, & colla coronant.
Atque tulere: *Duas turmas faciamus & omnes*
Ingrediamur eas: lucri tunc causa patebit.
Sic medioque foro surgemus viribus illic
Præcipitare Canes, Vulpesque in dentibus illas.
Sed priùs ipse Leo: *vestris rescripta feratis*
Sanguinis astrictis, simul atque in fraude juvabunt.

A Mittere opus placuit cunctis, foliamque recidit,
Quam Lupus ut velox scriptam conclusit in aure.
Ire paratur: ibi latitans Euricius audit,
Gestaque percipiens, currit festinus, & ipse
Insimul atque Lupus properant, & nox fuit Orbi.
Mœnia clausa Lupo non dant iter intus adesse;
Rimula sedque dedit minimo properavit ad Ursum,
Et fuit ecce prope: transmisit verba sopito.
Incipit: ille silet: nec tunc scultabat, & ipse
Hæret, & illius venti vigilavit ab ictu,
Armiger atque rudem tenuit, cùm fatur ad aurem:
B *Hostibus ipse tuis pro certo accingeris, Urse,*
Atque Lupus portat scriptam cum carmine fraudem.
Ursus ad hæc Canibus mandat: duxere ferentem
Carmina, quæ legitans tenuit tunc dentibus illum
Ursus, & exhibitum lacerant per membra vicissim,
Atque reum mortis referunt, cui carmina dicunt,
Scinditur unde fides violata amicitia cordis.
Concitat illorum rabiem: lacerantur in ipsis:
Jura negant: furiunt rabiis, Ursusque recessit,
Postea nec patuit cunctis animalibus urna.
C Urbs bene Communis regitur sinè peste minorum;
At cùm non regimen potuit, furor inde resedit
Sic Pisana regis Urbs quampulcherrima Cives,
Ut animale tuum regnum: superaris ab ira:
Unde videris amens gustasse & pocula Circis.
Tunc Cosceptus ei: *Totum Commune tenemus*
Ordine monstrifero: sors una est insita rebus,
Quam sitiunt cupiunt etiam sinè lumine vitæ.
Dum locus ipse prior retrahit quantumq; vetustus,
Reddere grata cupis loca cum mineralibus aurum:
Sicque meatus ei locus est acceptus in imo.
Quanta cupîdo trahit Mortales numinis auri,
D Non fit ut in rebus quod non patiatur avarus.
Non socius properans alium mactavit inermem,
Cùm simul ecce ibant Lucæ, suspensus in altum,
Unde moneta fuit sibi tunc inventa rapinæ?
Clericus atque malus Plebanum nonne senentem
Tascula, quando illi patuit de nocte malignus,
Vulnerat atque necat, fugiens invisus ad alpes?
Ille etiam Facius Comes & non cautus ab illo,
Dum comitiva fuit secum quando exequitabat,
Ipse rebellis ait non: accipe, litera fertur,
Quam legitando malus gladio percussit ob aurum,
Sanguine dum maduit, patuit nec criminis actor,

Cùm

Cùm fuit occiſus, feriens tunc ſtante caterva?
Rex tamen & Princeps multum præponderat aurum,
Dum plectendus abit levitato crimine nummo.
Judicis illius memores fiamus amici,
Cujus & heredem corio facit ille ſedere,
Dum ſpoliavit eos, ſpoliatus & utique dorſo.
Sedibus in ſacris dominatur fortiter aurum,
Fit ubi non dignus Paſtor, pecudumque ſed hoſtis.
Vocibus & nullum ſolium datur abſque moneta.
Quidve feram? Deus ipſe venit numiſmate Chriſtus.
Si tamen eſſe velit, cupit aurum fortè meatus,
Fœdere quo Zenus Piſanum concipit Urbem.
Lombardus ſanguis avidus dulcedine partis
In Cane Majori pluſquam vis fulminis ardens
Flagitat ire, parans abjectos reddere Piſis.
Impoſuitque modum Canis, & fuit ille ſequutus.
Undique ſollicitans victor, Vermiſque laborat.
Intus amant illum quidam tunc reddere ſedi,
Qui, quantum ſiluit tendens ſua retia lymphis
Piſcibus impulſis, tantum ſiluere: reatum
Conficiuntque: parant fraudem: ſunt atq; ſequuti,
Syndone concluſa recipit quando ipſe magiſter,
Inciditque latens & inſons tunc Bugiani.
Sed Deus ipſe regit, mater pia vota receptans
Urbis, & unus ibi ſcultabat verba malorum
Fraudis, & eſſe cupit Lucæ, & Caſtruccius illum
Audit, & ille refert: *ornant vexilla ruinæ*.
Quem probus atque ſagax clauſit Caſtruccius, & tunc
Mittere Piſanis curavit ſerica, dicens:
Vos reparate: fuit præſens qui cuncta referret.
Tunc duodecim paucos Sapientes claudere curant,
Omnibus oſtenſis videant quid eſſe gerendum.
Qui ſtupuere ſimul: quidquam qui verba locutus
Tunc fuit: *Inter nos litem Caſtruccius aptat*.
Non retulere ſed eſt quædam proditio vera.
Inquiruntque: patet tunc illis litera nequam,
Intitulata ſuo victoris fraudis amico,
Quo mediante exter debebat pergere Zenus.
Quam legitare volunt: narrabat: *Sponſa paratur*
Veſtibus, atque thoro reddetur tempore tanto,
Congerieſque venit: dabitur ſic illa marito.
Is dubioſus eos moleſtat in ardua caſus:
Unde trahunt illum pœnali pondere colli,
Qui dedit: *Ipſe feram: ſum, ſcitis, & ipſe forenſis,*
Factus amore bono Civis Piſanus ab annis,
Crimine ſumque reus, victoris præmia captans.
Litera narrat enim: ſcultetis, & omnia pandam,
Et lacerate agiles veſtras in vertice comas.
Proſequiturque, refert: *mihi litera ferre ſalutem*
Cernitis: imo necat, tenet atque in ventre cruorem.
Narrat: amica parat veſtes reddenda marito,
Congerieſque venit, ſponſus jungetur & illi.
Nunc animadvertat, taceat quantuſque Senatus,
Et lacrymare queant, albos & rumpere canos.
Uxor & ipſe reus Urbs eſt Piſana: Maritus
Victor erat: veſtes ſunt hæc vexilla. Fuiſſet
Reddita ſedque thoro, Dominus ſi tantus adeſſet.
Congerieſque acies, quæ ſtant, Canis atq; paravit,
Quaſque ſagax multùm duxiſſet Uguiccio Piſas,
Atque fuiſſet: eas poterat tunc ſcindere ferro,
Sanguine Piſarum totam madefacere terram,
Congeriemque trahens totam regnare per Urbem.
Utque locutus eis, pariter reus ipſe taceret
Omnibus attonitis lacerarunt tempora vultus,
Atque ſuper pheretrum poſuerunt terga latronis,
Poſtea per collum vehitur ſuſpenſus ad auras.

(*) Id eſt Eccleſia Fratrum Prædicatorum de Piſis.

A *Reddere quis poterit,* dicebant, *quaſque ſalutes,*
Dignaque Virgineo Piſani munera culti,
Alma parens? Nobis liceat tibi fundere grates.
Excipe, Virgo pia: vitam fenſare tuorum.
Civibus ex quidam tunc audent, atque tulerunt:
Suſpicione ſumus decepti: attendite cuncti;
Nam bonus ipſe ſuis Caſtruccius extitit, & nos
Suſpicione mali certamus in Urbe viciſſim.
Hiſque Comes ſapiens verbis pariterque reſiſtens
Addidit: *Omne bonum Lucano optamus & omnes:*
Tanta ſalus nobis fuit, aſcultate, per illum,
Unde tenemus eum mortem velut eſſe fidelem,
Atque ſuper cunctos animum geſtare Gebellem
Urbs Lucana ſuo baculo ſubjecta regatur:
B *Servet eumque Deus Guelfis ab hoſtibus ipſe.*
Nos tamen eſſe ſimul libertas compatiatur.
Surgit & intrepidus dicens Coſceptus & illis:
Sic probus ipſe ferens valeat per tempora, noſter
Eſtque fidelis ei reddemus grata libenter.
Quin modò plus timidos liceat nos reddere Cives.
Tegmine ſub meriti tractantur grandia belli
Hi quoque regnabant Gaddus, Coſceptus, & ipſe
Sanguine Lanfranco commoto intrinſecus exul.
Ut redeat cupiunt conſortes Zenus ad Urbem
Atque ferunt Comiti ſeorſum talia Gaddo;
Qui negat iſta, ferens: *maſſam corrumpere totam*
Non decet ob unum, Comes atque in verba reſiſtit.
Quot ubi Coſcepto ſunt hæc immiſſa per aurem,
Cum bene quingentis properans, tunc ſtante Senatu,
C Irruit, & pontis habitacula quanta revolvens,
Inventiſque ferox tunc proponentibus illic,
Mactat eo feriens, Sacratum ſedque cibandum;
Fortis & illius nepotem fercula dantem
Impietate ſua ferit, & puer inde necatur;
Et fuit inde ſuis Martini ad numina fervens
Ipſe receptus atrox Coſceptus nomine cunctis.
Poſtque ſimul miſeri conſortes ſanguine fuſo
Non culpare malos cupiunt vel fortè necare.
Imò ſuos referens unus: *ſcultate, parentes*
Non minimos ultor auſiſſet ponere tactus,
Atque necare patres ſemoto ſanguine noſtro.
Qui properant multis, tribus atque in peſte repertis
Inde ſuis levibus placidè cantare puellis,
Ictibus invadunt, cædem faciuntque duorum:
D Unde fugam capiunt. Recipit tunc Luca Gerardum.
Alter eum attingens, reſidens ſe jungere, ſervo
Hoc referente: *ut eas, ego plectar crimine mortis:*
Pauſat habere illum tergo: capiuntur, & ambo
Decapitantur, eos tumulavit quos Caterina (*).
Tertius evaſus vocitatur nomine Corbus,
Culpat & heredem, quando ſponſalia Civis
Jurat, & ipſe ruens ſubitus ſuper arma Guidonem
Impetit, atq; necat: gemit & pater unde Philippus,
Undique funus eis, dicens, *deferte per Urbem,*
Innocuuſque meus pateat: quem poſt tumularunt,
Sed Commune reum decollat. Corbus obivit.
Quanta rapina vehit vos Cives? nonne peritis?
E (**) Vana carens ſtudio mentis fiducia cunctos
Decipit: unde ſibi promittant tempora multa.
Dum Comes ad ſtratum voluit conſcendere ſerò,
Tendere vultq; pedem, ſolioq; innectere plantam,
Nec priùs adjunxit tripodam, tenuitqne cubile,
Quàm caput ima petens rueret, Gadduſq; reflaret,
Urbis honor, virtus populi, ſapientia gentis.
Quem duodecim mane totum Commune gemendo
Pacis amatorem tumulant ad Templa Minorum.
Poſtquam tanta ſuo fuit Urbs Piſana regente
Exſpoliata, vocant duodecim parêre ſigilla,
Teutonicoſque ſuos, qui jurant eſſe fideles.

Affuit

(**) Mors caſualis Comitis Gaddi Domini Civitatis Piſanæ.

A Affuit atque ultor Cosceptus. Velle figillum
Imperiale negant Rectores voce superba:
Quos quando ille ferox tanta cum fronte negantes
Aspicit à fundo revocans de corpore flatum
Artibus, & sufflans advinctis pectore palmis
Intulit: *O socii, qui mecum mille tulistis*
Aspera, desertum, Comitisque à robore nudum,
Nunc faveatis: amant quidam me scindere ferro,
Nec sitis ab illis cessabit dira veneni,
Partibus in multis donec miser ipse resolvar:
Nunc habetote fidem: vexillum pandite Partis.
His quibus auditis duodecim: *per membra secamus*
Te, nisi discedens abeas, tua facta sequaris.
Cura & o mortalium! præbete flatibus aurem.
B Talis amicus erit tibi tempore prosperitatis,
Qui subeunte rota te deseret atque negabit:
Credite: nulla fides regnat, vel grata voluntas,
Possit ut in nullo quisquam confidere, vivens.
Ergo tenete manus, casus cognoscite Mundi.
Fac tibi de mille, qui te non deserat unum.
Ille sed ut cautus discedens postea muros
Deserit, atque fuit Senis cum robore parvo.
Fortis inadvertens non post multa otia captus,
Ducitur, & populus Pisanos luce secunda
Jungere curriculo faciunt, & pendere furcis.
Gens sic tota simul errans, velut ecce capellas
Gramineis pratis cernis pastore carentes,
Spargitur, & surgunt quidam de sanguine Franco,
Urbe lacessita quosdam mactare per enses.
C Quis furor, o Cives? ferro quid tanta potestas
Est? dare conveniunt vobis simul omnia dira.
Virgo sed ipsa parens; Pisarum nostra matrona
Ecclesiæ cujus Augusto cerea Cives,
More sub antiquo Proserpina cùm colebatur,
Corde & mente pia referunt. Hæc ipsa salutem
Præstitit. Adjungunt se Cives mane sequenti
Justina ab illis est quæ Regina colenda
Tunc revocata. Fuit Communi agente levatus
Ipse Comes Nerius; & sic cessatur ab ira.
Quo regnante viro, regnans in pectore Cæsar
Ejus erat. Studuit Cosceptus fervidus illum
Præcipitare malus, & qui Commune lacessunt
Artibus: unde fuit juvenis, qui talia tentat,
Junctus amore sibi: sed tunc inventus in arte
D Fraudis, & hunc Judex torquebat pandere gestum:
Qui bene non cautus dum post tormenta fuisset,
Ferrea confesso cùm vellent mittere vincla,
Ac super hæc eadem vellent incudine jungi,
Ipse reus vulnus accepto incudine tentat.
Una salus miseris nullam sperare salutem,
Unde & eo membris præcisis, jamque refracto,
Antonius Judex vitam dimisit ab ævo.
O genus humanum nascens de renibus Adam,
Quæ tibi fatalis sors est innexa polorum?
Dicit Agustinus, uno de corpore natos
Ipse duos uno venisse ad lumina puncto,
Febricitare simul disjunctos corpore membris,
Corpore & incolumes unaque probantur & hora.
E Ille Jacob Sanctus legitur de corpore molli,
Ille alius Esau venator virque pilosus.
Unde huic ab aliis minimo collata fuisse
Tanta suo virtus animo, manus, atq; voluntas,
Tanta & inexperto vis addita, quanta feremus.
Hanc ego virtutem stellis pro parte tributam
Assero: sed sapiens totis dominabitur astris.
Ampliat unde ferox cordatus lumina mentis
Quando ait ipse bovi secreto limine reddens:
Esque fidelis: *ego*, dixit Cognatus eidem,
Sum velut ipse malus mors est, & sum tibi junctus.
Æs dedit ille sibi; *properes, reditumq; ministra.*
Sunt & in urbe mei, quos magnos tempore nostro
Fecimus: in illis confidas: suntque fideles.
Qui bene sollicitus perversus mittere fraudem
Incipit, & junxit, quos ille expressit amicos.
Et tenuere pares. *Veniat: sumus attumulati.*
Nulla datur nobis sedes, nec status honoris.
Jamque paret: *veniat: Cives sumus ista volentes.*
Hæcque loquaris ei, dixerunt: *tempora tollat.*
Et malus ipse boves festinat pergere promtus
Audit & ipse refert: Cosceptus verba recepit:
Cordis amore tibi respondent utique juncti:
Jam veniat: promtus veniat: sumus ecce sequaces.
Qui movet, atq; fuit paulùm secretus ab urbe.
Affuit & solus Cognatus parva locutus,
Cùm titubare tubam videris, gens ipsa levatur,
Ecce simul taceas, ne plus coneris, habebis
Imperium. Nequidus post hæc perrexit ad hostem,
Atque tulit: *Comiti Nerio sum factus amicus*
Ipse tuus: teneo Cosceptum: præbe Johannes.
Spondet & ipse Comes: *bis sum tibi mille daturus.*
Da: dedit ille malus; *da tu*; dedit ipse cohortem,
Unde simul Nerii pergunt: sunt ecce propinqui,
Atque tubavit eis: unus credebat amicos,
Se referensque venit Cosceptus: cernuit hostes.
Et fuit acceptus Nerio, deductus & illi
Solis in occasu, Nerius cùm dixit eidem:
Mundes amice manus, mundes cœnare paratus.
Tunc velut ut magno dixisse Pirata marinus
Fertur Alexandro: *tu Rex, ego latro, vocaris.*
Regna capis octo: minimam spoliare carinam.
Sic ait & Comiti dicens: *ego luce sequenti*
Prandia fecissem, spatium si se tenuisset.
Tunc priùs injectis manibus, nec flexus ab illis
Colla ligant ambos ad posteriora lacertos,
Atque trahunt illum: vox insonat inde furoris,
Pontis & in saltu, ne vox incœpta noceret,
Ensibus illius corpus per membra secarunt.
Voxque rumoris abit; Populus tacet, ille necatur.
Sic Commune silet, tunc cùm vigilantur iniqui.
Nunc, o Pisa, meum tibi carmen sit documentum.
Aspice principium Græcorum Pisa tuorum,
In quibus & virtus fuit & sapientia magna,
Teste & Aristotile, Platone, & Socrate magno.
Qualiter ipse Pelos tuus extitit ædificator.
Hos habuisse patres Urbs nobilis ipsa memento,
Ante tuum Regnum Romanum quàm viguisset,
Per bene quingentos transactos firmiter annos.
Aspice & Æneadum quem te misisse favorem
Cernimus, unde fuit vita spoliatus & ævo
Circumfusa acie Turnus devictus ab illo.
Aspice Lucanos domitos. Mons ipse & Apertus
Protestatur adhuc bello occubuisse in eodem
Gens sociata sibi tunc Florentina per omnis,
Nomine Jordanis bellat cùm fortiter illic,
Sanguinis egregii natus de stirpe Aliana,
Regis Alamaniæ Capitaneus atque fidelis.
Ipse manu Fredi debellat cùm bene decem
Millia viginti ductis sub captivitate
Inde Senas: Anni currebant Mille Ducenti
Sexaginta sibi junctis & omnibus uno.
Aspice priùs eos domitos quàm facta . . . . . .
Pugna foret illis sed tunc obtenta Meloræ.
Affrica Pisano quando auspice fertur Ugone;
Malfia Parthenopes datur & quando omne per æquor,
Unde fuit Liber Pisanis gestus ab illis
Juris, & est Pisis Pandecta Cæsaris alti,
Civibus adjunctis animo mente atque fideli.
Temporibus Civis Tancredus Guelfus & illis,
De Vicecomitibus vir audax sed probitatis,
Qui

Qui dum Lucanis hæsit, Castrumque per illos
Obtinuit medium Lucanos inter & ipsos
Arcibus Agnani constructis quando fugarunt
Omnibus ex quosdam nostrorum per Medianam,
Cantilena fuit quando omnibus insinuata.
Heu doleo, Pisa: de me est stirps una recisa.
Quòd si tanta doles uno de Cive rebelle,

A

Quos gemitus addam, quando omnibus inde revulsis
Bella movetis ei civilia? nonne peritis?
Corde sitis Cives uno, & pietatis amore;
Atque tributa fluent quæ Pisis ponderis omen
Imposuere: sitis una cum mente regentes.

Explicit Liber Tertius.

DE

DE PRŒLIIS TUSCIÆ
INCIPIT LIBER QUARTUS.

DUm Civitas Pisana vicino bello Civili & intestino intrinsecus laboraret, additum est etiam ei bellum navale, idest marinum per mare hoc modo. Dum Sedes Judicatûs Arborensis vacaret in Sardinea, & deberetur Ughoni de Basso, assentiente Communi Pisano, dictum Commune petivit à dicto Ughone XII. millia Florenorum, in adjutorium expensarum; quos ille persolvit, & Judicatum accepit. Quia autem Jacobus Rex Aragonum, cui privilegiata fuerat Sardinia à Bonifacio Papa VIII. exigebat & petebat Sardiniam à Pisanis; Pisani dubitantes de regimine Sardiniæ, socium regiminis dare voluerunt prædicto Ughoni. Qui dictus Ugho præsentiens destinavit dicto Regi Jacobo Ambaxiatores, & pecuniam magnam, ut ipse super Sardiniam navigaret. Qui misit statim filium suum super Sardiniam cum multis Uscheriis, & Galêis. Unde Pisani armatam fecerunt contra dictum primogenitum dicti Regis, constituentes Admiratum dictæ armatæ Dominum Guasparum de Auria Januensem, qui servivit Pisanis in dicto bello cum XX. Galêis suis. Quibus etiam Galêis Pisani XXX. suas Galêas addiderunt eidem, unde exiverunt in mare latissimum, & in dicto mari cum eisdem Catalonensibus conflixerunt, quibus palma & victoria affuit propter bandas altiores suarum Galêarum, quæ Pisanorum Galêis & Januensium eminebant. Unde dicti Catalonenses applicuerunt Sardineæ, & habita est ab eis Villa Ecclesiæ per obsidionem. Et hoc est quod Poëta dicit

Villa sed Ecclesiæ victus nec intus habentis.

Habita est etiam ab eis Civitas Terræ-Novæ. Cùm autem dicti Catalonenses obsiderent Civitatem Castelli Castri, quod est Caput & Clavis totius Sardineæ, Pisani cum eis pacti sunt, quibusdam territoriis remanentibus Civitati Pisanæ usque in hodiernum diem. Auctor autem volens hujusmodi bella describere, incipit ab exordio, qualiter Calixtus Papa Pisanis dedit Vexillum Ecclesiæ vermilium, ut contra Regem Mugettum Saracenum bellarent. Et hoc est, quod dicit:

Hic dederat Signum Pisanis quàm rubicundum &c.

Qui bellantes dictum Regem occiderunt, & alios infideles, & Sardineam à dicto Papa eis privilegiatam semper postea tenuerunt.

INsula Sardineæ Pisanis juncta per annos A
Fœdere quàm digno retinet plus quàmque trecentos,
Herculis à nato titulata, & nomine Sardæ,
Fertilis argento, calybis tamen Ilba metallo.
Hæque duæ gentes semper vixere sub ipsis.
Omnibus ista canam, verumque innectere conor.
Papa Deus Mundi cognoscitur esse per omnes.
Hic dederat signum Pisanis quàm rubicundum,
Bella movere suis tunc hostibus ut Saracenis,
A quibus ipsa malis regebatur & Insula: contra
Christicolæ capiunt vexillum nomine Crucis,
Tempore cùm sedecim currebant Mille: Calistus
Ille regebat, eis qui talem contulit. Unde
Gens proba lignorum reparant conducere classes,
Atque ferunt: ventis datur hæc armata: fuerunt B
De prope: bella movent Januensibus arte suorum
Posse sed & magno, quia tunc Urbs tanta vigebat.
Nec datur ipsa priùs, quàm bella asperrima possent
Jam superare, cruor flueret diffusus in undis:
Unde habuere. Patet Mugetus captus ab ipsis.
Clavibus Ecclesiæ tantùm subjecta per illos
Tunc fuit, atque Fides Pisanis claruit armis.
Unde Pater Sanctus munus conferre labori
Inde cupit, legans Pisanis Civibus ipsam,
Juribus & cujus intrant, tumulisque duobus
Præda fuit pinguis illis divisa, vocatis
Sortibus: unus eis terram de matre fuisse,
Aureus alter ibi fertur Januensibus illis
Advenisse. Fuit tunc Insula quanta meorum
Copia thesauri tumulo collata superbis.
Insula Pisanis retinetur tempore tanto,
Cùm pius ipse Pater talem dedit, atque sigillat
Gelasius, centum quando ibant mille viginti.
Contulit ipse etiam cæde pro Majoricana,
Cujus & adventum describunt prosperitatis
Carmina, quæ fert hæc Ecclesia Marsiliensis.
Verbi Incarnati de Virgine mille peractis
Annis his centum bis septem connumeratis,
Vincere Majoricas Christi famulis inimicas
Tentant Pisani Majoricati Regna profani.
Marte neci dantur multi: tamen his sociantur
Angelicæ turbæ, Cœli sociantur in Urbe;
Et vi Divina redeunt victrice carina.
O pia victorum bonitas! Defuncta suorum
Corpora classe gerunt, Pisasque reducere quærunt,
Sed simul adductus turbet ne gaudia luctus,
Cæsi pro Christo tumulo clauduntur in isto.
Sic Fredericus eis eadem sua jura ministrat,
Mille sed & centum currentibus undique junctis
Sexaginta simul, cùm contulit omnia, quinque.
Papa & Alexander Quartus sua jura novavit.
Postea jura meis sunt hæc: & jure tenebant.
Nunc & o Christicolæ miserum subjungite fletum,
Vosque simul Cives deflete & crinibus omnes
Vos lacerate patres: tanti periere labores;
Dum satis ingratus vobis Bonifacius aufert,
Atque sigillat eam de Regibus Aragonensi;
Promptus & ipse cupit Jacobus; Commune sed obstat,

Se retinere ferens de jure, ut Papa jugavit.
Ut tamen ipsa meos rabies vexavit & ira,
Scinditur ipsa fides, unita à mente recedunt,
Re publica ab illis deserta, in viscera bellant:
Et vacat illa potens de . . . . exurgere Sedes
Arborensis: eam petit atque expostulat Ugo.
Cui Commune petit, Nerio dominante, juvamen
Ferret ut expensis: retulit: dant jura regendi,
Unde levatur habens titulum, Judexque vocatur,
Quatuor ex unus, totidem quia subjacet illa.
Regnat, & auscultans de Civibus omnia dira,
Qualiter ipse Comes Nerius cum parte suorum
Ille alius multos post se deduceret omnes
Cordibus abscissos, *libertas*, dicit, *amatur*
Omnibus à belvis: tractat se reddere Regi.
Quod ubi percepit Nerius, Commune sed omne,
Mittere tunc illi curant sociare regentem:
Acceptare velit rogitant, & sustinet addens:
Vos properate meos Cives: quibus ipse locutus
Tunc fuit & missis: *veniat*: *Sumus ecce parati*:
Omne suum velle volumus Communis: abite.
Et rediere: ferunt pariter præsente Senatu:
Omnia vult, dixit: multos aptate, regentem.
Jam quibus auditis, Cives super astra fuerunt,
Atque parant cunctos, juvenilis temporis omnes,
Classibus immissis fluitent, comitentur & unum,
Postque sibi adsistant omnes, tueantur Ugonem
Præcipiunt Patres: remeat Pisana juventus.
Ille sed & nequidus citiùs quàm fortè redirent,
Regis ad imperium promtus transmiserat ipse,
Atque venire petit natum, vel mitteret illi
Cuncta, sed & Regnum veniat dividere secum.
Utque suum volitum meliùs deduceret Ugo,
Misit in auxilium, numerans inde ipse monetam
Fortè per immensam, veniat vel fortè superstes.
Rex probus ista videns, postquam sua munera cepit,
Sollicitatur, ei mittens tunc inde Galêas
Quinquaginta. Fuit tota hæc armata propinqua
Numinibus sanctis, portusque ad limina Marci,
Gentis inauditæ, duxit quam providus Infans
Freta replens: adeunt, ventosq; habuere secundos.
Quos ubi vicinos aspexit firmiter Ugo,
Convocat ecce simul Pisanos fraudis amator;
Unde fuere, refert: *Sumus, ascultate, videntes*
Civibus, & junxit Nerius Commune latenter:
Excogitaverunt nobis auferre paternum
Jus: sumus, & nobis libertas extitit olim:
Nunc dare consortem cupiunt, avellere sedem.
Unde perit Remus? Lucanus dixit apertè:
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
Sic ait, & nullus tota manet Urbe fidelis.
Quantum ego, vos scitis: annales solvere census
Augusto volui quotiens offerre Mariæ,
Cerea quando omnes desertis lumina Matri.
Ut minimus colui Civis Commune: videtis.
Vos tamen heredi non vultis pandere sedem,
Ni duodena priùs numerassem mille Johannes:
Sic similis factus sclavo Tiopoque recepi.
Vilis eram, dixit Nerius Comes, atque Potestas.
Nulla propago manet, dixerunt: *imò vacabat*
Regnum, quod Spurio volumus concedere, nostrum.
Tuncque resumserunt: *volumus consistere tecum.*
Membra sumus Cives: nostrum Commune relinquis?
Vincit amor patriæ: nescis sua verba Poëtæ?
Nos priùs exactis superet mors tristibus annis,
Aeris attritis moribundi, & clade probata,
Atque resolutis nobis vertantur in imum,
Pace superducta tibi cunctis partibus, Ugo,
Fœdera civilis rumpantur quàm pia nexus.

A *Imminet atque tuis pestis, Lucanus & ipse*
Artibus observat, Florentia terret eosdem.
Viscera, si nostrum sentis Commune, tuaris.
Dicere sic ausi te non generare propagem.
Non juvet ipse Deus positos surgentibus iris
Nos, si non linguam medio convellimus ore.
Pluris honoris eris Nerio, quia, crede, sequetur,
Nosque tuis illum faciemus flectere plantis.
Crede: supervenient tibi grata: sequaris amicos:
Jungeris Infanti tantùm si firmiter Ugo.
Crastina sitque dies jugulum paritura serenes.
Addidit atque sagax unus de Civibus illi:
Lex antiqua docet juvenes quodcumque vetustum:
Omnia gesta priùs modo quo fienda regantur.
B Jam Pisana cohors undenis lata carinis
Litoribus Turris adhæsit sparsa per illa,
Ruraque vastavit rudium Pisana juventus,
More juventutis velut est invadere quæque.
Ex quibus ut Sardos licuit decidere virgis
Octuaginta, venit Parazo sociatus & ipse
Judice Gallure pro sculpa, & Callaretano.
Civibus & coram juravit, stante Senatu,
Non nocuisse suos, sed se insontem esse reati,
Quem priùs oblatos damnarunt mille Johannes:
Postque tributarius fuit, & subjectus ab illis,
Reddere Falcones duodecim bis quolibet anno
Unde suos juvenes possent placare. *Caveto*
Nunc, quia si Parazo culpatus cæde fuisset,
Copia nec omnis Babylon, nec illa Phisonis,
C *Atque redundantis laticis mistura monetæ,*
Addita Alamaniæ surgentis gurgite stagni,
Thessalicæ primo Mundo surgente moneta,
Hunc à morte Ducem Parazonem liberavissent.
Ergo cave nostrum Commune offendere Judex.
Talibus & Judex quantum lapis ipse movetur.
Imò abit, & furiens revocato in monte veneno
Anguis ut attraxit, postquam projecerat illud.
Moreque Sardineo, protervo pectore fallax,
In spurcum veniens rancorem perfidus Ugo,
Jussit in arma rui: Cives mactare per enses.
O furor immensi veritus nec criminis est hic.
Fœdera nobilium Pisano oblitus amore;
Quàmque ferox mentis fuit immedicabilis ira
Quàmque suum nequidum pectus non scire parentes
D Pignora nobilium quod extitit absque reato
Perdere. Sed taceo, sed adhuc jugulabitur inde:
Nec Deus horrendum scelus est acturus in ævum.
Portus & armatæ tunc panditur, atque receptat,
His quibus unde malus victus transmisit & ipse.
Mœnia servabat numquam confisus in illis:
Imò & Arestanum propria cum gente regebat.
Quod ubi dum nautis spatium fuit ecce cupitum,
Se reparare, suas aptare ad bella Galêas:
Pergitur elatis velis cum robore venti,
Navibus armorum multis tunc inde gravatis,
Usceriisque simul repletis pondere equorum:
Altaque freta petunt: remeant & quærere muros.
Villa sed Ecclesiæ victus nec intus habentis,
E Unde nutrire suos posset, tunc navibus illis
Undique litoribus commissis, mœnia subtus
Se posuere. Fames, novies dum Luna coisset,
Facta & in Urbe fuit, canibus tunc inde voratis.
Hocque feram: veniens illos nec gravida puppis
Civis adivit eos, cupiens deferre (*) superbis,
Antea sed remeat, quàm sic armata fuisset,
Pretia majoris sperans tunc inde monetæ,
Ut Commune sibi dederat, non fata secutus
Casus inexperti, remeat nec Urbe nutrita,
Janua quando illi numerum dedit ipsa cupitum.
Sicque meam, Cives, nunc ascultate loquelam,
Promere si possim vobis, quæ cura monetæ.
Villa

(*) Idest Januensibus propter eorum conditionem superbam.

Villa habet & quantos mineralia, quanta meatus, A
Fertilis argenti, sitis & non debuit esse
Muneris exigui: Civisque erravit abire.
Crevit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit.
Nunc & abite, meum non possum frangere pectus
Urbs ruitura fame, certo sub fœdere victa
Redditur, atque fuit sub illis nomine prædæ.
Spargitur Infantis gens omnis, & undique terret
Sardineam: petitur nova Urbs per bella teneri,
Quam bene Pisani munitis arcibus intus
Defensare putant robustis omnibus ipsam.
Bellaque dum mittunt Infantes mœnia circa,
Terrigenæ & illam defensant: bella feruntur B
Undique, & ejectis saxis, facibusque, sagittis,
Sanguinis unda fluit: rabies vexavit eosdem.
Gens sua multa nimis de Cathalanensibus illis
Errat, & à muris confringitur, atque peremta
Corpora conspexit, & tunc cessavit ab ira.
Altera fitque dies, bellumque immittitur atrox
Terrigenis. Fantes circumdant mœnia cuncta:
Partibus atque tribus numquam sic aspera pugna
Mittitur: & Cives tenebant stramina muris:
Vix & in Urbe fuit, quam non posuere, supellex.
Gens igitur Fantis exercent inde lacertos,
Saxaque multa trahunt, mixtis tunc ignibus illis,
Atque sagittantes feriunt, feriuntur & ipsi:
Culminis ab ictu perierunt atque secundo.
Tertia post bellum lux jam dimiserat Orbem: C
Bella movent iterum, quantumque asperrima Fantes
Omnibus à muris gattis cum robore forti.
Nec datur: imò fuit strages quàmmagna suorum
Postea nec bello, nec pugnant artibus, imò
Se posuere: fuit sub obsidione rebellis
Urbs: manet Infantis populus per tempora quærens.
Nec habuere illam, donec sub mensibus esset
Evacuata cibo: sed postea deficiente
Fruge datur Fanti salvis tunc omnibus ipsis.
Qui rediere, suis tunc vultibus attumulati.
Talia post Pisas referunt excidia, sedque
Vultibus ignotis dicebant ut mulieres:
Es meus ipse? feras: quasi post tot secla maritus D
Defuit: atque ille: *sum vir tuus ipse*: *supersunt*
Pignora: sed mater dicebat: *ventre renato*
Es soboles dubia: *facies te non manifestat*.
Sum, dabat ille: *utinam mater non me genuisses*.
Qualia dum Cives scultabant mente sepulta,
Infremuere pares: junxit Commune Senatum
Virginis in aula. Cunctis præsentibus ipsis
Surgit hians animo quidam tunc pandere Civis:
Sum minimus vestrum, pariter sensusque minoris.
Continuatque simul, postquam conscendit in altum:
Fractio nostrorum patet: *hanc non credo referre*
Cerno ego sic, Cives, totum Commune sed esse
Corpus ut in membris: *unum compage resultat*.
Membra sed à nobis sunt Urbes scissa per arma: E
Villaq; capta manet: *nova Urbs ablata rebellat*.
Corpus o nunc, Cives, remanens, oculumque relictum,
Nosque tuamur: *& est magna Urbs sub nomine Castri*.
Hæc oculus nobis est omnibus ipsa per æquor.
Sol rutilans manè, priùs & quàm luminet Orbem,
Hanc priùs illustrat, licèt & sub nomine Castri.
Quæ si neglecta prædatur & undique cura,
Corpus abest: *cupio castrum defendere Castri*.
Surgit & inde alius: simul & Commune silebat.
Navis ad Hesperiam remeans involvitur undis,
Atque perit ventis: *sed hanc vacuare laborant*,
Quodque valore bonum totum jactare per undas
Utique sed nautæ: *hæc orsus cuncta perissent*.
Sic vacuare volens, *quod est mihi fortè monetæ*,
Offero sollicitus, *quàm tanta ab Urbe levari*.
Promtus & adjecit Lucani Verba Poëtæ:
Inconsulta ruit qualis cùm turbidus Auster
Reppulit à Lybicis immersum syrtibus æquor,
Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali,
Navitaque, & nondum sparsa compage carinæ,
Naufragium sibi quisque facit: sic Urbe relicta.
Tertius ascendit: Cives pariterque silere.
Una domus pulchra cujusdam fertur ad ignes,
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Hoc ait Ovidius, *cujus domus ipsa peribat*.
Jamque duas Urbes capiunt: *nimis obfuit ignis*.
Defensare volo talem pro viribus Urbem.
Dixerat: & quartus cœpit: tacuere Senatus.
Arbor erat duro multùm speciosa bubulco,
Fructibus ipsa suis & semper fertilis illi,
Quam simul adjunctis avibus per & agmina vastant.
Villicus unde fuit motus nec impatienter.
Posse pati facile est, *si non patientia desit*.
Naso tulit, *quando curam descripsit amoris*.
Pluribus & primis avibus se lædere junctis
Mitia desertis ramis decerpere poma
Audent: *ille tacet*: *veniunt incidere ferro*.
Tuncque sagax multùm conatus retia tendit,
In quibus injectis avibus per colla necavit.
Qua nos arte pari claudamus Cathalanenses.
Quintus & ipse loquens: *Vidistis*: *verba ruinæ*
Inquit, *& ô Cives melius nec lingua dedisset*.
Dum trepidant nullo firmante robore partes
Ille docet: *semper nocuit differre paratis*.
Junxit & ipse Prior duodecim: dein multa fuerunt
Insinuata: sed est illis conclusio concors
Jungite, quæso, manus: *pulsate in corpore vires.*
Sic tenuere: placet bellum committere forte.
Indicat & præco Populo ascultante per Urbem:
A teneris annis qui sunt ad bella potentes,
Accipiant omnes quindenis usque senentes
Arma: fuit cunctis totus conatus ad illa:
Omnibus omissis tunc Artibus arma secutus
A minimis quantis, & fit offensio pulchra.
Pergere quaterni Cives cernuntur & omnes,
Hicque suis armis tunc resplendentibus: inde
Cùm fulsere suæ galeis maleisque cohortes,
Jungere se cupiunt quando ecce ad limina Petri,
Cantibus & jubilant insignia quanta sequentes.
Cùm patuere acies vicinæ ad templa Guidonis
Atque Leonardi, sumunt cùm vitrea Bacchi.
Postque suis Portus cunctos pariterque receptat.
Tertia fitque dies assumtis navibus illic,
Grandia quando levant insignia quàm rubicunda,
Sirtibus & malo commissis vela levarunt.
Cùm fuit & magnum vexillum ponere puppi,
Quod ruit: & clamant, dubium contingere casum.
Heu malè commissum fatalis casus inurget,
Quando iræ patuere Deûm, manifestaque belli
Signa dedit Mundus, Pisanis præscia pugnæ.
Non ea marmorea summo de culmine Virgo
Inde ruit Templi? nec mensibus adnumeratis?
Ponsque novus noster flammis non uritur, atque
Mercibus exustis? sunt hæc mala fata ruinæ.
Portus & ipse dedit signum, cùm puppibus illis
Ventus adest subitus demergere, cùm perierunt.
Ergo meos opto uno conjunctus amore
Vivere: tunc venient Pisanis prospera cuncta.
Postea sed licuit Vexillum ponere civem.
Undique dum fluitant, sparguntur & unde per æquor

Fla-

Flatibus, & remeant: fit Carbonaria promta,
Litoribusque suis naves sunt ecce propinquæ.
Sunt & in Urbe mei post hæc discrimina Cives,
Sardineamque volunt castrum defendere Castri
Hostibus ab illis: gens omnis quanta paratur,
Agmina per acies peditum priùs ecce cohortes.
Sic Cathalanenses veniunt ex parte suorum;
Atque simul junctis cunctis tunc Fantibus illis.
Teutonicis quantis, Pisana & gente probata,
Viribus armorum decidere corpora ferro
Injiciunt pariter manibus: diffusus in illis
Mox cruor ipse natat, acies quando esse propinquas
Contigit: amborum partes jugulantur ab armis.
Fantibus invictis, Manfredo terga petente,
Deviat à pugna gens & Pisana: quiescunt
Bella: fuisset enim Pisanis palma triumphi,
Agmina Manfredus si conduxisset ab arte.
Imminet ipse bonus Pisanis punctus: abibat
Se dare vilis & hic aspectibus ipse puellæ.
Talia quando illi dedit & meus ipse Johannes
Gentis in aspectu juveni monumenta salutis:
Nos trahat armorum virtus, non nexus amoris
Vilis: ad arma manus dentur: superemus aversos:
Jus & habere simul præscriptum sollicitemur;
Arma petamus, & hos plausus dimittite, quæso.
Intulit atque sagax: *superatis hostibus omnes*
In liceat placidis nos delectare puellis.
Unde minatur: & hic decernit pergere Pisas:
Atque fuit referens infirma per omnia belli.
Omnia tunc igitur terrent ex robore Fantes.
Fœdera sed jungit vilis Manfredus habere.
Urbs vicina suis à Fantibus utique muris
Ædificatur, & hanc concedunt fœdera pacis.
Sicque habitare simul cœperunt Urbe propinqua,
Partis & adversæ miles permixtus uterque
Improperantque simul tunc omnibus omnia gesta.
Fortiùs in bellis, meliùs nos gessimus illic:
Fortiùs in bellis medios vos ense secamus.
Paxque fugatur: habent sua fœdera quanta cupita.
Una dies Orbi luxit, quando ecce triginta (*)
Contigit illorum, quos gens Pisana peremtos
Attumulant Fantes, & non patuere propinquis.
Fantibus unde fuit gemitus nec vox: sua quæque
Pectoribus clausis referunt. Quando ecce silenter
Litoribus illis Navis paritura venisset,
Unde fuit præsens adiens cum Civibus illa,
Quos priùs Infantes manibus per colla ligatis
Demersere undis de Civibus advenientes.
Quæ dum Pisanis sunt hæc manifesta, fuerunt
Mentibus attoniti Cives, deflere parentes.
Unde Gerardus abit miles probitatis & Urbe
Sæpiùs amissa jugulant per membra suorum.
Nec fuit ira prior sic hostibus irrevocanda,
Quantum facta ferox illis post talia gesta.
Sicque suis Fantes conductis navibus Urbis
Littora restringunt possit ne victus adire.
Pervolat una maris in fluctibus unde sagitta,
Atque fuit Pisis referens, & littora cingunt.
Quod ubi tunc Populus scultavit, & omnia dira,
Esse suos clausos sub obsidione, Johannem
Mittere curavit qui postquam jungitur Urbi,
Mandat abire senes de mœnibus, & mulieres,
Temporis exigui pueros, & stringere victus
Tempora. Qui postquam rigarunt lumina vultus,
Urbis & à muris sunt tales protinus extra,
Ingemuere pares, reditum se velle petendo,
Qui velut in hostes mos est sævire feroces.
Viscera sic illis hostili voce negarunt.
Tunc abeunt miseri: sparguntur, & hostibus hærent
Quos & ut aspexit, expellere Cathalanensis

A Gens cupit; ac iterum veniunt ad mœnia Castri.
Janua clausa fuit: sed mœnia quanta per illos
Instaurantur, & his fingunt deferre sagittas.
Sicque suis miseros desertis Cathelanenses
Hos tenuere: manet Urbs tunc obsessa per illos.
Unde sagittà fuit Pisis. Junxere Senatum,
Civibus & coram loquitur probitatis amator
Unus, & adjecit magna virtute locutus:
Insula deperiit: clavis superesse videtur.
Est Januensis eis nostra & de parte Gebellis
Guasparus: hinc Cives jungamus pristina bella.
Hostibus Ecclesiæ sunt & Januensibus apta.
Junxit & ipse omnis una cum voce Senatus:
Hunc habeamus: & huic destinant: facta recepit
Guasparus, adjungens se navibus ipse viginti:
B Pisæ equidem totidem sociant: fuit unde patronus
Fluctibus in mediis tota cum gente receptus.
Signa levant: adeunt quærentes mittere victus.
Quas ubi dum Fantes longinquo ab æquore puppes
Aspexere, velut reptare foramine parvo
Granigeras solitas æstatis tempore tantùm,
Moxque velut pecudes gaudentes gramine pingui,
Ligna velut latos discurrere prata juvencos:
Infremuere pares: ambas committere bandas,
Regis signa suis innectere grandia proris,
Evacuare rudes armis à corpore saccos,
Corpora membra suos armare ad bella carinas
Et remeare vident hostes se lumine claro
Sic Januensis ibi abrepto Guasparus ense
Exuit & cunctos animat: sunt ecce propinqui.
C Fantibus ut visum est patronem tunc Januensem
Artibus ire, priùs feriunt ex omnibus illam,
Qua manet ipse, ratem, primo quæ frangitur ictu.
Guasparus & sociæ confestim providus hæsit:
Corpora Lignorum facit & committere secum.
Partis & adversæ restaurant undique remos,
Insimul & jungunt excurrere prœlia bandis,
Atque fuere super pectus cum pectore: nauta
Irruit, & quisquis certant, feriuntque potenter.
Spargitur unde cruor, lacerant per membra marini,
Exanimantque pares. O matres quæ genuistis,
Oque patres miseri, luctus effundite mœstos:
Semina depereunt: nullum expectate superstem.
D Stat furor ipse malus: rubefacto à sanguine ponto,
Influit atque rates tunc sanguinis unda reflexas:
Eminet à bandis: sunt omnia mixta cruore.
Fantibus ab illis facta est victoria: postque
Cuncta fuere suis sub ensibus accumulata.
Permanent ecce sed Urbs sub obsidione famescens:
Nec datur imò intus: pro victu utuntur asellis,
Cunctaque bruta vorant: stant mensibus atque reclusi.
Esse sed & licuit toto post ista Senatu,
Et surrexit ibi sensatus pauca locutus
Civibus: *Ut corpus membro curatur in uno,*
Nec medicina potest membro conferre, sed obest:
Hoc Avicenna docet membrum præcidere tali.
Corpus abiret amo: Castrum sed reddere pacto.
E Quot ubi verba silet. Post hæc Commune ferentes
Misit ad Imperium Regis pro fœdere pacis,
Quam tenuere. Manet pacis conditio talis:
Urbs reditura fuit priùs, & post Insula tota,
Civibus obsessis servato jure salutis;
Subque suo jussu Villas dimittere quasdam,
Et servare fidem: sic sunt sua pacta secuti,
Tunc commune suis transmisit Civibus illis,
Clavibus ut redeant dimissis Fantibus illam (**).
Qualia dum recipit, non vult parêre Johannes,
Antea post tempus quàm sit sententia vitæ.
Sic-

(*) Pisani XXX. de Catalanensibus una die occiderunt & sepelierunt. Catalanenses hæc dissimulaverunt; sed postea una nave Pisanorum adveniente, omnes in mare submerserunt.

(**) Idest Sardiniam.

Sicque resignavit vultu cum mente sepulta.
Pluribus amissis redeunt. nec corpore sani
Victibus ab illis, à cladibus, aëre. Post hæc
Quod superesse fuit de Civibus attumulatur.
Quare alios sileam: non est mihi causa ferendi.
Dicere de propriis licet. Hoc fuit ipse Johannis
Natus, & huic similis de Grancis Bartholomæus.
Quòd si tanta mihi contingunt funera soli,
Quanta putentur eam sunt tumulata per Urbem!

A Et Pisana cohors deflectitur inde reversa,
Et spoliata simul: facta est victoria Fanti:
Regnat Ugo: & subicit Sardos à viribus infans.
Sicque suo cursu fluxerunt tempora multa,
Postquam tanta fuit sub Pisis Insula talis,
Atque superatis à Cathalanensibus ipsis,
Insula pro bellis tamdem transfertur ad illos,
Cùm bene currebant trecentum mille viginti
Quinque sed & junctis annis, de mense Novembris.

Explicit Liber Quartus.

DE

DE PRŒLIIS TUSCIÆ
INCIPIT LIBER QUINTUS.

POstquam Guelfi de Tuscia viderunt Castruccii potentiam augmentari, pro eo maximè quòd ipse Castruccius ex tractatu consanguinitatis filiæ, quam dederat in uxorem Domino Philippo de Pistorio, ex quo ipse obtinuit Civitatem Pistoriensem traditam sibi à dicto Domino, miserunt ad Regem Robertum, timentes ne Pratum, & alias circumstantes Terras Florentiam acciperet pro auxilio contra eum. Qui receptis eorum Ambaxiatoribus, misit in Tusciam Dominum Raymundum de Cardona Aragonensem cum tribus millibus militum. De cujus missione & adventu Castruccius quamplurimum exultavit, cupiens se similiter exercere ut principalis in pugna. Quod ita factum est. Dum dictus Dominus Raymundus ex sua obsidione accepisset domum & Fortilitiam de Alto-Passu, Castruccius nolens ipsi permittere appropinquare Civitati Lucanæ cum gente sua, auxilio & præsentia Domini Azzonis, filii Domini Galeaz de Vicecomitibus de Mediolano exivit contra eum, acceptans Montem Cerrulium pro sua securitate. Unde quidam Miles Theotonicus, pro parte Guelforum vocatus Dorlinbach, volens claudere gentem dicti Castruccii cum quingentis militibus, conatus fuit Montem acceptare Porcharii. Quod Castruccius præsentiens cum totidem gente militum priùs dictum Porcharium acceptavit, atque cum eisdem ibidem bellans, duello personali cum dicto Dorlinbach dimicavit, & finaliter triumphavit. Unde dictus Raymundus cum omni gente sua postmodum circa dictam domum Alto-Passus in Cerbaria, & Castruccius cum gente sua, & Lombardis ex adverso occurrens, cum eodem Domino Raymundo, & tota gente sua conflixit ibidem; unde etiam devictâ pugnâ reportavit triumphum. Et hoc est, quod dicit:

Insuper & Guelfi sparguntur, & ille triumphat.

PRœlia Tuscorum referam. Castruccius, ardens
Partis amore, probus quos se deferret in hostem,
Exeat ille sibi. quo posse pandere vires
Solus, & exutum vestisse ex nomine Martem,
Circuit omne latus, cupiens immittere pugnam.
Unde fuit præsens Raymundus tamque probatus
Quàm Leo per silvas, velut inter & aëra vultur,
Missus in auxilium Roberti à robore Guelfis
Cum bene: mille tribus equitum de parte Leonis
Gentis & expertæ: gaudet Lucanus & unde.
Sed priùs oportet, quàm prœlia Tusca sequantur,
Reddere me causas litis. Urbs Pistoriensis
Fons & origo fuit bellorum condita Regi:
Dux novus accessit Robertus factus ad illam,
Agminibus Guelfis repetens cum robore ferri;
Nec fuit apta fames: reclusit fortè per annum.
Sicque redire cupit, duplici variata colore
Partis & Alborum, partis simul atque Nigrorum:
Redditur unde fame: Guelfisque paratur, & illi.
Jam munire volunt, regnat Florentia quando,
Tempora sed currunt annorum fortè viginti,
Cùm duce fortuna Lucanus Rector eamdem
Quærit habere suam: prima obsidione reclusit:
Guelfa sed obstabat pars: vult intrare per artes.
Miles erat nimio secum conjunctus amore
Pistoriensis, ei terram sitiensque jugare:
Cùm mediator adest gestum tractare per omnem
Promtus, & incœpit sacratus verba Philippo
Missus ab intrepido, scultat quando omnia miles:
Qua virtute potes meliùs retinere cupitum,
Dic, solium, miles, quàm juncto fœdere secum
Urbe resignata regnare perenniter intus?
Ipse tuum corde Lucanus gestat amorem:
Nobilis ò Miles, jungaris firmiter illi,
A *Pistorioque dato donabit sceptra regendi*
Ipse tuis manibus: regnabis liber in illa.
Quidve moraris? amant Florentes vellere sedem,
Crede tuo, miles, regnum decerpere tale.
Miles ut attonitus suspirans voce silenti
Intulit: *O misere quanta virtute sed es quis*
Faris, & ad Civem proponis verba ruinæ?
Et medius: *timeo minimum tam grata referre:*
Tempus erit: facies mercedem talia danti.
Dic: ego per Sanctos totum servabo fidelis
Ut Simoentis, ait qui tractat cautus Ulisses.
Junxit & ille sibi: *properes, dominumq; sequaris*
B *Ipse meum: cupio quæ vult: sua pacta reporta:*
Postque redire pares: tibi sum responsa daturus.
Et properavit, habet, defert, & fœdera narrat,
Conjugium, dicens, *vult tecum sanguinis: ipse*
Filiolam retinet, quæ quantum sit speciosa,
Culta nitet niveo velut ista puella colore,
Mollis & est illi sermo, & dulcedo loquendi,
Atque suo in vultu resplendet patris imago.
Qui stupuit reddens: *aurum estne daturus?*
Et medius: *quantum poteris concernere visu.*
Munera, crede mihi, capiunt hominesq; Deosque.
Concitus & miles juravit numina dicens:
Per Jacobum Sanctum, per cuncta altaria Christi,
Omnia fortunæ subeam discrimina mortis.
C *Nocte superducta veniat si lumine cœco*
Indice Lucanus, quo possim jungere quosdam
Me reparare, meis exsurgens Urbe sopita,
Mœnia si non do transacta luce secunda
Illi ego: sed videas, peto tamdem velle puellam.
Ponitur unde fides: confirmant omnia dextra.
Cunctaque signa dedit. Cœco sub lumine miles
Pervolat: unde citò fuit, & per verba profatur
Ista, sed & coram Lucano talia reddens
Aulæ in medio vult omnia facta Philippus:
Pretia vult auri: dat mœnia vultque puellam.
Sic-

Sicque sagax totus mandat simul esse cohortes.
Primus in arma ferox veniens, conducit easdem
Gente sua tota, retinetque in tempore Serram
Vallis, & obscuro media de nocte silenter
Insinuavit ei: gestum cognoscit amicus:
Unde suis tota consurgens Urbe sopita
Invigilatque, silet sub armis: janua terræ
Quæritur ab illis tantùm de nocte silenter:
Fortis & adveniens promtus Castruccius exter
Mœnia contingit: nec vox fuit inde loquelæ.
Concitus & miles complexis clavibus illic
Protinus exclusit: dantur sic ostia magno,
Ingrediturque omnis gens cum tota ipsa potenter,
Nec radiante rogo, vix cùm tunc sidera parent:
Arcibus acceptis, quoquam nec ense peremto,
Fœderibus salvis servantur mœnia terræ.
Inde fuit Titan: resplendent agmina clarè:
Terrigenæ aspiciunt: mirantur: sunt tremebundi.
Esse sub hostili se cernunt fraude retentos,
Artibus ignari, quibus ille intraverat anceps
Unde sibi adsistunt: jurant sub hostibus esse.
Taliter aufertur Urbs tunc optata per illum:
Estque Philippus ibi regnare & in Urbe secundus.
Cui bene gesta fuit quanta ipsa pecunia tota,
Atque puella nitens: pater & complexus uterque
Copulat adjiciens: *Sum fortè fidelis amicis*
Sumque parens: sola testatur Pina paternos
Ipsa sed & gestus: tibi quam non jungo Philippe.
Accipe mille tibi: paritura est ista Gebelles.
Accipit: hortatur socios: sunt fata secuta.
Non ego prædixi regnare perenniter intus.
Sicque suo cursu respondent ultima primis:
Est socer, ille gener, Cæsar Pompejus & ipsi.
Nunc sequar ipse priùs, quæ dixi, prœlia Tusca.
Vir probitatis & est Raymundus promtus adire,
Gente superducta peditum cum mille triginta,
Millibus atque tribus equitum de parte suorum:
Initiatque: fuit prope mœnia tunc Capiani,
Bella movens Martis, sperans excidia: sed quæ,
Cui malè castrigeri posse sed obstare putantes,
Robore tam grandi se clausos, nec inde recursum
Mœnia dant illi, quos & sub fœdere salvat:
Unde sagax munit Castrum, Guelfisque relinquens,
Fortè per arma petit Montem Falconis, & arcem
Qui tuebantur. Eunt tunc hostes frangere muros,
Undique & invadunt multis à partibus illud.
Stat: posuere satis majores postea curas,
Et redire datur Castrum sub fœdere Guelfis.
Ambulat & cursos referens citus ipse pedester
Talia Lucano stupefacto auditibus illis.
Inde sed abscedens hostis cum gente virili,
Ipse, duobus ibi munitis robore Castris,
Pergit in arma, velut mos est sævire leonem.
Circuit agminibus planum, fit inde chorea,
Quam probus ipse trahit studio: coruscat in armis,
Dum nituere suo tantoque à lumine montes.
Dirigit inde acies, Passus conquiritur Altus,
Atque fuere: manet populus: firmatur ibidem.
Somnus ut abscessit membris à corpore toto
Estque dies, veniunt bellum committere Guelfi,
Qui bene fortè satis defensant archibus illud
Passigeri: & nullus datur aditus, estque rebelle.
Quod ubi Raymundo visa est gens fortis & audax,
Excogitavit eos ut vinceret obsidione,
Quam parat; atque suos curans se reddere tutos
Hostibus à subitis, foveasque innectit & illic
Omne latus circum vallans concludere Castrum,
Apponens steccata, super cum frondibus arches,
Se simul atque suos recludens firmiter intus.

Quæ dum Lucano sunt hæc manifesta patenter,
Exit ad arma ferox, properans cum mille ducentis,
Teutonicis plusquam mediis, Podioque recepto
Cerulii, residet peditum cum mille viginti.
Utque tenet Passum Raymundus fœdere juncto
Ex fame, prævaluit multùm sua fama per Urbes,
Otia prætendens, & non se jungere pugnæ.
Durus ait, fervens nimis, atque ad bellica promtus:
Nunc tria Castra sumus: reditus modò fortè negatur,
Hostibus & mediis sumus, inter & agmina Lucam.
Sic ait ad Guelfos: *claudamus scilicet hostes.*
Est iter in montis securum vertice quoddam,
Nec aliud: claudatur eis, sunt unde visuri
Lucam. Ego sic referens promtum me profero vobis.
Cui malè consultus Raymundus: *facta sequaris:*
Et properes fortis, animes tibi corda tuorum.
Qui numeravit ei quingentos tunc probiores.
Ille equites passum vitare Gebellibus illis
Utque movens, tentat miles decerpere durus
Culmina Porcharii, medium se ponere genti.
Sed priùs ipse suos ducens Castruccius illuc,
Fortè & per totidem percussit in agmina quanta,
Durus ut ab animo trahitur se jungere soli.
Spargitur in bello gens omnis, & unus & alter
Ingerit in medios hostes: sic ipse locutus
Tunc fuit adversis, gladios interque mucrones
Totus in arma furens: *Ille est ubi? dicite, quæso.*
Bellat, eique sibi. Quæ sunt insignia vestis
Mox videt, atque ferit, telumque immittit: & ille
Obviat adstricto vultu præfringere corpus.
Sicque simul certant: superarunt arma Gigantum.
Durus & ille ictus, postquam vicere loquelam.
Æquabant iterum vires: superante Gebelli
Parte, datur: recipit durus Castruccius illum.
Unde per & colles, valles, montana fugarunt
Ensibus exhibitos, se diffundente liquore
Sanguinis: & remanet durus post omnia captus.
Gensque Gebellis & his expletis tota virilis
Cerulium pariter remeavit: suntque recepti:
Atque fuit. Dantur sonitus clangoris amœni:
Quos ubi Raymundus scultavit, promtus, habentur,
Intulit, *ex nostris: tantùm est Castruccius audax.*
Nunc animemus eos: jungamus ad arma viriles
Dextras: vosque mei veniatis. Et agmina jungit:
Et rediere: manet pars intus tota Gebellis.
Interea prudens cogitans Castruccius hostes
Esse per innumeros, non posse æquare potentes,
Advocat ob partis Lombardos promtus amorem.
Scribit, adesse suis in partibus undique Guelfos,
Castra tenere sibi: Galeatius utque recepit,
Mittit in auxilium natum cum mille trecentis,
Qui conducit eos juvenis cum robore grandi:
Et fuit inde suis contingens mœnia Lucæ.
Utque videt tales Castruccius, atque recepit,
Exclamavit eis præsentibus ista locutus:
O proba gens fortis, quantum velut esse leones
Creditur, ad vestrum conceptum sanguine Tusco
Partis amore simul tantùm venistis amici:
Solvite, quæso, manus: pulsatc in corpore vires.
O juvenile decus, Azzonis forma virilis,
Pocula sume tibi, redeat calor unde retentus
Viribus & Græcis: post tunc feriamus in hostes.
Ferte simul species, dixit Castruccius addens,
Græcaque vina: simul fecerunt omnia servi:
Accipit unde priùs juvenis: tepefactus ob haustus
Inde rubescit: amat bellum committere forte.
Ordine quando omnes sumserunt, sunt recreati,
Tunc

Tunc probus ad Superos, Guelfas videt unde cohortes,
Dirigit aspectum: *Vos, qui super astra manetis,*
Vos, quibus ipse Deus, nostra non prece, movetur,
Sic ait, *auxilium præstate Gebellibus istis.*
His latus Azzoni densatum mille trecentis
Gentis & expertæ, quantum sub sole revivscat
Altera mortalium, committit datque sinistrum,
Ipse sibi assumtis robustis postea mille:
Sic expertus agit Princeps ex parte suorum.
Utique Raymundus properans clangoribus altis
Immiscetque priùs gens, quàm Castruccius audax,
Percutit in medios, dimissis fortibus ante.
Sic imitatus eum, latus & percussit ad idem
Azzo per adversum, miscentur & agmina secum.
Mars dominatur, & est primus tunc factus in astris,
Prœlia cùm Mundus deducit tanta virorum.
Surgit arena: nitent sed non obscuriùs enses:
Spargitur inde cruor nimius, rigat arva, cruentat.
Insuper & Guelfi sparguntur: & ille triumphat
Ensibus infessis: quos tunc pars ipsa Gebellis
Insequitur victos. Putat ut Raymundus amicos,
Cernuit atque hostes vibrantes fortiter enses,
Viribus amissis stetit, & fuit ipse locutus
Militibus: *Redeo, bellum servate fidele.*
Qui manet intactus, retinetur captus ab illis,
Ipse etiam, multi velut & per mille suorum.
Postea Florentes quàm sic fuit ille, levatis
Omnibus ad Cœlum Lucanis, quàm tremebundi
Mittere curarunt Roberto talia Regi
Omnia per Cives, qui quanta fuere locuti
Aulæ in medio, Rex quando ascultat: & illi:
Splendor, honorque, decus, lumen, Roberte, tuorum,
Sidereis oculis discernens ardua cuncta,
Quo velut à fluvio fluit & sapientia Mundi,
Musarum reserans claves doctissimus auctor,
Pondus libra manens, Rex probitatis amator,
Nec Salomon fulsit, quàm tu mitissime Regum:
Aspera multa premunt Tuscos: Castruccius hostis
Fortiter in Guelfos sævit: debellat eosdem:
Regis & insurgens adversùs mœnia tangit,
Omnibus exustis jam turribus in Comitatu:
Undique jam muros circumdant mœnia Prati.
Ut juves ipse tuos, venias succurrere noster,
Omne tuum velle facimus: succurre fideles:
Ipse, vel ut genitum transmittas. Ista locutis
Rex ait: *o Tuscus sanguis, sed lancea nobis*
Nonne rubet, Carolo spatium nepote peremto?
Germanoque simul demerso in gurgite Petro
Alveus ipse rubet inter virgulta nonne?
Et modò filiolum petitis, Regnique superstem?
Multa lego: Christus dixit, scultantibus illis:
Rex fuit ad Regnum mittens perquirere feudum
Utique per servos, quos affecere coloni:
Inde alios plures jugularunt: destinat illis
Ultimò filiolum, dicens verebuntur eumdem.
Quem priùs ejectum, quoniam dixere, secundat
Frugibus, ab agro, confodere sunt, tulit, ausi.
Misimus ad Guelfos plures: dimittite natum.
Una Gebellinis spes est viduare coronam.
Sicque resumserunt, quando unus protulit audax:
Majestatis honor tibi sit, Rex magne: fideles
Nos, miserere, tui: reddemus non tamen actum.
Ingenium Regis præcellit cuncta virorum:
Hostes peste sua patrem sequebantur iniqui.
Filiolum deceat utrum bellare per arma,
Non petimus: Regem te quærunt, crede, Gebelles.
Regna tibi dantur. Reliquus subjunxit ab illis:
Italiam totam dant hostes sed Ludovico:
Omne datum Regnum Federico attende rebelli:
Tuscia tota manet, quam tunc Castruccius arcet.
Tertius adjecit, Regis quando aula silebat:

A *Pars inimica tuis, retinens in pectore vulnus*
Pro Conradino cupiunt te pergere Regem.
Quartus ait: *nostro pro munere si retineris,*
Te per sacra Dei moveat, quòd Papa Johannes
Sanctus, & ipse Pater pius, excommunicat illos.
His Carolus primo genitus super omnia Regi
Intulit: *ecce, parens, te quærunt primitus hostes,*
Postea me quærunt: melius sit pandere vires,
Otia quàm gelidis spatiis committere longa.
Unde movetur: & est juvenis dux totus in armis,
Agmina conducens equitum tria millia secum.
Sunt & in Urbe citò: gens Florentina favebat
Illi: & ibi statuit sedem: defensat eamdem.
Bella movens Carolus, Montis capit atq; Mariam:
B Promtus: & observat Castruccius, ista silenti
Pectore concludens, nec verbum protulit oris.
Admovet ille acies juvenis: fuit atque propinquus
Mœnibus audacter Castri probus Artiminensis.
Quod per & arma petens: datur & nec viribus illud:
Impetit infessis: obstabant fortiter intus:
Nec datur: à Guelfis immittitur undique pugna
Pluribus occisis: nec sic se reddere curant.
Mittitur ac iterum bellum: nec janua fertur.
Quod ubi dum Guelfa gens non videt esse triumphum,
Vincere conatur multis tunc ignibus ipsos,
Quos posuere: & ibi fumus subfocat eosdem:
Nec rediere priùs, quàm nox deduceret umbras.
Excogitavit eum Lucanus ut esse potentem,
C Esse ibi Lombardos, gentes cum robore Tuscas,
Præsidium Regis, Regnum cum gente suorum,
Agminibus Gallis toto cum robore partem:
Mittit Alamaniam, veniat Ludovicus ut ipse,
Bavariæ Princeps titulo cum Cæsaris alti.
Bella sed ecce petens; adducit fama rumores:
Vis Chaos antiquum, tunc quando elementa redibant,
Quando ego, quæ fueram globus, & sinè imagine moles,
Ut tulit Ovidius, tantos adduxit hiatus?
Pandere judicium Christus ferebat, apertè
Nubiferus totus veniens, & stimmata ferre:
Esse dies serus, caderent quòd sidera Cœli,
Regibus & regnis divisis gente per omni:
D His fames ipsa malis addebat in Orbe cruentum:
Quilibet & quantus, quovis polleret honore,
Arma capit, gladio fabricato ex vomere duro.
Et probus atque sagax mittit Castruccius illi
Munera multa, gravem fisconem sedque monetæ.
Accipit ille datum: fulcitur fortiùs audax:
Unde movet gentes Tuscas inquirere promtus.
Teutonicisque simul Pisanis Imperialis
Est & amor partis, cunctisque Gebellibus unus.
Hac ratione potens terrebat Luca marinos.
Cùm bene Majoricas populus Pisanus adisset,
Navibus & centum quando obsidione petebat,
Bella movens Fidei. Tunc hostibus ipse potenter
Partis utrusque, datis quàm pluribus inde duellis,
Ex populo innumeris gladiis utroque peremtis,
E Ante suis cunctis devictis, cùm perierunt
Rege ab ense dato, non verso & decapitato,
Matre suæ prolis conversa, & prole dicata,
Bello instaurato priùs & quàm palma daretur.
Urbe vacante suis, subitò & tunc inde reversis,
Ecce per immensa gens tunc Lucana pedestris,
Sic & equestris eis tunc mœnibus esse propinqua.
Sed sociata sibi gens Florentina fidelis
Affuit, & muros intrant, Pisasque tuentur
His: quibus instando Lucanis pro capienda,
Desuper in muris nostris mulieribus ipsis
Inde locatis, eos defensant posse per omne.
Et Florentina gens, & Pisana virilis
Exit ad arma: fuit bellum crudele per omnes,
Quo-

Quolibet immoto tunc agere, nec fugiente,
Nec cedente simul spatio quantoque minori.
Quod patet incultum sic omnibus & laceratis
Attumulant victis Lucanis corpora cuncta:
Nec spoliata brevi spatio, nec missa pheretris,
Nec manuata suis: hostis simul hoste sepultus
Tunc fuit intactis armis tumulatus & ipsis.
Hodie perfossis sulcis abinde revellunt
Arma: viri qui sunt mirantur quique moderni.
Quàm bene vicinæ non se patiantur & Urbes,
Decretalis eis testatur de spoliatis.
(a) Partis & exortum dicam surgentis iniquæ.
Tuscus in Italia vexatur sub Friderico
Sanguis, & affectus permixtus & inde veneno
Incitat in rabiem Tuscorum corda malorum,
Fœdera dum tanto corrumpunt corde maligno,
In opus atque ruunt, quando hærent hostibus ejus,
Mœnia Caprariæ tunc acceptantibus ipsis.
Quos male tunc patiens Guelfos Fredericus eosdem
Omnibus inde illi cunctisque Gebellibus hesis,
Damnat eos capiens, exemplum sicque daturos,
Vomere candenti compressos, & speculatos,
Obruit attonitos cœcatos lumine vitæ.
Arce refirmata sed tunc obstante Lupina,
Desuper unda fluens mediatas dividit arces
Arnus: à Caprarìa surrexit prima ruina.
Inde Florentinus bellantibus in Aretinos,
Jam duce Americo Guelforum quàmque probato,
Quem genuit Nerbona virum, prope mœnia Castri
Fortia (b) Biblenæ cùm gens fuit ipsa Gebellis
Victrix fronte priùs, immota cùm retrahuntur

(a) Initium & origo partis Guelfæ, & Gebellinæ in Italia sub Frederico Imperatore.
(b) Conflictus Biblenæ Gebellinorum de Aretio factus à Florentinis, & Lucanis.

A Agmina Guelforum, non se sufferre potentes
Viribus ab illis. Sed gens Lucana virilis
Et proba tunc feriunt, quibus & datur ille triumphus
Omnibus & Guelfis: lacerant per membra reflexos,
Inde cruore viis fuso per prata Gebellum.
Hic facer ille perit devictus Episcopus illis,
Agmina qui duxit hortatus voce Gebelles,
Dicens: Ferte viri: cunctas ostendite vires.
Quòd si culpa gravat vos, nunc (c) *absolvo fideles.*
B Estque peremtus ibi germanus sed Gulielmus:
Multi etiam, quos silva locus tumulavit acerbus:
Mundus dictus eis ex Ordine sedque Minorum,
Oppidi & extra suos muros & fortia Puppi,
Est tumulatus adhuc guerræ & Capitaneus illic
A Feltro Monte probus, & Bonconte virilis.
Sed montana petens cupiens evadere Guido
Ipse Comes potuit, dum sic salvatur ibidem.
Tres tamen ex Guelfis cernuntur ut esse leones
Spargere per silvas animalia cuncta feroces:
Sic omnes sparsere suos à viribus hostes.
Scilicet ipse probus Davissus de Galiano,
Sanminiatensis Malpilius, & Maghinardus
C De Romandiola: similarunt arma gigantum.
Sic æquatus eis, bellat priùs inde reflexus
Hostibus ad Plebem, quam dicunt nomine Toppi,
Ipse Comes: redimit dedecus, quando omnia manens.
Milleque ducentis Domini currentibus annis
Octuaginta novem, tunc Barnaba cùm colebatur.

(c) Contradictio erat peccatores absolvere ante culpam commissam, ideft non adhuc commissam: quæ est contradictio, & impossibile absolvere non ligatum.

Explicit Liber Quintus.

DE

DE PRŒLIIS TUSCIÆ
INCIPIT LIBER SEXTUS.

EXagitata omni Italia ex guerris Tuſciæ, creſcente gente Guelfis de Tuſcia ex adventu Caroli primogeniti, & unigeniti Regis Roberti, venientis Florentiam cum militibus multis, Caſtruccius miſit in Alamanniam Nuntios Ludovico de Bavaria electo in Romanorum Regem, non tamen ſufficienter, ut tenebat Eccleſia. Ludovicus prædictus ad literas Caſtruccii ſtatim Tridenti in Karinthia affuit, ubi Ludovicus prædictus pacificavit Dominum Canem de Scala cum Duce Karinthiæ, ex quo nomine pacificantis crevit dicto Ludovico favor magnus in tota Italia. Unde accito eo Montiam, ſtatim cum gente innumera fuit in Mediolano, & ibi fuit coronatus in Imperatorem, favente ei Populo Mediolanenſi, ab Epiſcopo Guidone de Petra-Mala de Aretio, Epiſcopo Aretino in præſentia omnium Baronum Gibellinorum cum magna ſolemnitate & gaudio. Quod ſentiens Johannes Papa XXII. fulminavit, & innovavit magnos & duros proceſſus contra omnes fautores dicti Ludovici, Clericos & Laicos, ſubjectos & Dominos, qui ſuæ interfuerant coronationi, & excommunicavit omnes faventes eidem. Quapropter procurante Caſtruccio adventum dicti Ludovici Piſas, ipſas per obſidionem unius menſis obtinuit cum artibus Caſtruccii & aſtutiis ſuis. Sciarra autem de Columna ſentiens Romæ advenientis potentiam, Urbem ſuâ potentiâ obtinuit, & ipſam dicto Ludovico diſpoſuit; unde dictus Ludovicus obtenta Civitate Piſana, & ibidem fulcitus pecunia, Romam cum quinque millibus militum equitavit, & ibi coronatus fuit in Sancto Petro. Quod totum dictus Johannes Papa irritavit. Quare dictus Ludovicus & alii Imperiales novum Papam, ſcilicet Petrum quemdam de Corbaria, erexerunt, & Cardinales novos fecerunt. Unde fuit tunc nova Eccleſia ficta. Et erant tunc temporis duo Papæ, & quidam unum, quidam alterum ſequebantur. Ultimò quia pereunt cum fraudibus acta, dictus Petrus per Piſanos, fœdere Papalis ſecuritatis præſtito, fuit datus in manibus veri Johannis Papæ. Et hoc eſt, quod dicit:

Redditur Antiſtes vero ſub fœdere Papæ.

MOta ab Alamania ventura gente vocatum A
Vocibus ad Regnum dubiis quamvis Ludoicum
Bavariæ per ſcripta Ducem Caſtruccius optans;
Quo ſuperare queat Carolum perquirere Piſas
Acceptare ſimul, Regnumque invadere pingue:
Mittit, in Italiam veniat, pro Cæſare magno.
Qui movet adveniens: ſubitus fuit atque Tridenti
Gentibus innumeris equitum per mille ſuorum:
Lombardoſque tenet. Carintus Dux probitatis
Cum Cane Majori vexatus, fortiter illum
Suſcipit exhibito Regno pro Cæſare cuncto:
Quos bene concordes factos Ludovicus amore
Jungit eos pariter ſibi, qui dant poſſe per omne.
Moncia confeſtim ſolvens ſua fœdera tali
Paruit, & paleam geſſit ſimul inde Coronam. B
Omnis & Italia audito nomine grandi
Pacificantis, amant illum de parte Gebelli.
Deſtinat unde ſibi Lucanus rata monetæ:
Fulcit, & ut veniat rogitat Caſtruccius ipſum.
Summus & Antiſtes concordatus Papa Johannes
Ipſe per arbitrium juſſit non eſſe parendum
Inhabili, & Urbes munivit gente virili.
Obſtat & huic etiam Robertus Rex Ludovico
Gentibus innumeris, multis equitatibus ipſa
Lombardia ſimul, Guelforum partis eidem.
Concitus inde petit Optatum Mediolanum,
Atque tenet, regnans magno pro Cæſare grandis.
Papa tamen nocuum mandat vitare rebellem
Quoslibet, & Guelfi parent ex undique Papæ.
Ipſe tamen medio tunc Urbis magna locutus

Mediolanenſis, adjecit fronte potenti.
Omnibus & cunctis adſtantibus, Imperiali.
Sede locatus, eis coram Magnatibus illic:
Regna perire videns Tuſcorum, veſtra ruenda
Hos ſuperare graves venio pro viribus hoſtes,
Eſſe & in auxilium venio: nunc date coronam,
Sed diadema: ſumus nos defenſare fideles.
Ferrea debetur: paleam quia Moncia geſſit.
Unus & adſurgens dixit tunc ſtante loquela:
Jus tenet Imperii, credatis talia, noſter;
Vocibus, electus quamvis ſit & Auſtrius ipſe:
Iſte movet bellum, devincens fortiter ipſum:
Iſte Ducem potuit pariter devincere campo,
Millia per ſeptem proſternere viribus omnes
Hic equitum, bellans tantùm pro nomine Regni.
Auſtrius acceptus fuit, & ſalvatus ab iſto:
Fœdere pro belli ſpondet non eſſe nocentem:
Jure hoſtile ſibi debetur ſedque corona.
Et ſiluit. Pariter profatur & inde ſecundus:
Papa ſuo juri ſi detrahit ipſe Johannes,
Eſt minimè ipſius ſervanda monitio Papæ.
Appellamus: abeſt: habeat tamen iſte ſueta.
Tunc Comites quanti, totidem per fortè regentes,
Primus & ipſe ſacer Terlatus Epiſcopus illum
Induit, & capiti nectit regnare coronam:
Sed diadema refert, quo poſſit flectere Guelfos.
Sicque coronatur clangoribus undique magnis,
Dum ſonuit celebre feſtum, quando iſta geruntur.
Et venerantur, amant hunc Cives Mediolani:
Nam dominatur eis Galeatius: ut poſuere:
Plectere vult cunctos, nec reſpirare valentes:
Subjugat ut ſclavos, ſpoliat ſimul atque moneta:
Subleva Cæſar onus: poſſimus vivere Mundo.

Qui dedit: *Afficior, vobis miseratus*: & ipsum
Excitat ut veniat: Comparet: tunc Ludovicus
Carcere concludens, dat Civibus inde regentem.
Sic malè perplexus populus jam Mediolani
Solvitur, & magno dant præmia quanta monetæ.
Destinat atq; illi Lucanus tunc bene promptus,
Deferat ut veniens Tuscos submittere Guelfos.
Pergit & ipse, simul quatuor per millia secum
Inde equitum, per mille sibi de gentibus illis
Undique Lombardis: nec pausant pergere promti
Usque quo Pontremulum veniant. Sed tunc propiato
Obviat ipse probus Castruccius & Ludovico,
Gente per immensa splendens, vir totus in armis.
At ubi fit præsens, subitus deprehensa & habena
Exequitavit ei: fit concitus inde pedester,
Et manibus, flexis pedibus, cervice remissa,
Adclamavit ibi: *Vivat per tempora Cæsar*.
Et Ludovicus eum complectitur: ille quievit:
Ac super ascendens, dexter fit inde caballus.
Sicque simul cuncti muros cum flatibus intrant,
Et statur, ab illis Pisanis extupefactis.
Luca subest magno (sic tunc Castrucius illi
Intulit) *& venias: lucramur quod retinemus.
Dirige te, Cæsar, Pisas conquirere primùm,
Sunt ubi & audaces cervicem flectere numquam
Adsuefacti: ad eos te confer, Cæsar: & ipse,
Si venerantur, habes: si non per & obsidionem
Mœnia tentamus: sunt intus & inde Gebelles
Urbis, ut ex quidam proponunt se retinere,
Qui duo mille viros robustos de Comitatu
Immisere tibi: muros & mœnia vitant:
Undique per circum Pisas, & mœnia cunctis
Inde locatis eis, invitis tu potieris,
Urbe, & matre simul, lactabit quæ bene nostros,
Atque nutrire potens Italos est Pisa: propinques*.
Cæsar ut aspexit cuntatum tanta ferocem,
Quam magis astrictè cum mente & corde gerebat,
Molestare Urbem debens nec spiritus illi
Affuit: unde probus animavit fortiter illum:
*Non bene, Cæsar, eis compassus: sunt bene pauci,
Mœnia qui muros devitant, suntque Gebelles
Intus in Urbe magis, qui dabunt mœnia gratis*.
Vix & eum tales potuerunt flectere causæ.
Ultimò sed flexus, equitatibus omnibus illa
Mœnia circumdant, & sunt attingere muros.
Intus & experti Cives per & undique Pisas
Apposuere modum: claudens superadditur Arno
Partibus ipsa maris fluvium superacta Galêa,
Viribus armorum cunctis munita per intus,
Unde sagittantes defensant: est quasi murus.
Pro non spargenda renuunt sed pacta moneta.
Agminibus tantis tunc tentant exteriores
Et fodiere suis à muris proinde meatus,
Muribus ut solitum est caseum corrodere pinguem,
Mœnia per subter se subintrare putantes,
Noctis & obscuro percurrere protinus Urbem,
Atque tenere. Sed his tunc defensantibus illam
Est opus incœptum sonitum per & insinuatum:
Unde meatus eis similes fodiere per intus.
At cùm nocte simul tentant invadere Pisas
Mœnia per subtus, & pertransire meatus,
Est ab ore silens populus, mactatque per omnes:
Et requievit opus. Bellantes postea muros,
Hinc ab inde & eunt ex undiq; mittere pugnam:
A quibus obstatur Pisanis fortiter intra:
Nec sed habere datur, sed nec sua forsan adire
Mœnia: tunc virides stabant decerpere frondes.
Cautus ut & vulpis cogitat Castruccius artem,

(*) Obitus Episcopi Aretini Terlatorum de Petra-Mala.

A Ista ferens magno tunc clanculo sed Ludovico:
*Quamdiu Pisani teneantur, Cæsar & audi,
Mente & gente simul tu crede: sparsus in aquis
Mons ruiturus humo ventis quis forsan abiret,
Quàm sua gens minimùm moveatur abesse furoris.
Quinque tenent Urbem: cunctos exsolve coaptos,
Atque reduc illos ab Urbe, & junge sacratum:
Ipse & mittat eis Terlatus Episcopus unum,
Quod sibi non magno, mihi non, adsistere curent
Prandia facturo: ac tunc cùm mensa cibandos
Steterit, adjungas Lanfracum sedque Gerardum
Militibus multis suffultum: quinque reducet
Cæsaris ad aulam pransuri: & tunc retinebis*.
Qui renuit pariter, nolens maculare coronam.
Tentat & ipse illum Terlatum sedq; Guidonem:
B *Mitte*, ferens, *quinque Pisanis velle quietem:
Utique cessabunt pestes: moneasque sacrate
Ante tuos thalamos immissis protinus intus*.
Qui sceleris insons dixit: *ferat omnia servus*.
Quinque simul Cives, illi pro partis amore:
Omnia narrato, quæ dixit Episcopus: illum
Mox & adire petunt, & sunt adsistere promti.
Jam quibus exceptis Terlatus & ipse fidelis
Præparat, atque fuit præsens & adesse Gerardus
Fortis, & adjunxit referendos Cæsaris aulæ.
Unde reduxit eos, & pransis postea numquam
Aditus ad muros patuit. Terlatus & ipse
Concitus adversùs Lucanum mente furebat:
Atque dedit, multis coram præsentibus addens,
Ut equitare licet, & dum fuit obvius illi:
C *Non mea progenies didicit committere fraudem.
Utique culparis magnæ Castruccie fraudis:
Ast ego sum dictus fraudator & esse Gebellum*.
Unde gravatus & hic & mente & corpore totus,
Febricitavit: & Urbs Pisana datura per ipsos,
Ne suus ab illis aspectus & ipse pateret,
Infirmatus abit: magis ac mage languor & ipse
Crevit: & ut Monti præsens fit postea Nigro,
Inhabitavit æger, gravior quoq; languor & hæsit
Desperatus ait de vita tanta locutus
Tunc fuit ipse Sacer coram scultantibus ipsum:
(*) *Gloria quanta perit! letho paror ipse: videtis.
Quid prodesse potest robur, genus, atq; potestas,
Aretium totum tenuisse, strasse rebelles,
D Debellasse & eos Guelfos, tenuisse cohortes,
Undiq; per Mundum sonuisse per æthera fama?
Nunc medicina magis: sed non, quia morbus acutus
Deprimit*: & totus compunctus talia fatur:
*Crimina nostra feram: partis fui semper amator
Imperialis ego, Guelforum semper & hostis:
Ecclesiam vexans, unctus tanto ordine sacro:
Castellanæ Urbis de nocte acceptor, & anceps
Destituens Guelfos, quantum concessit & ira.
Una manet misero solùm mihi prævia virtus,
Observare datum fœdusque fideliter à me.
Et paror his meritis æternis utique pœnis.
Sed Deus ipse veni: miserum quem sanguine fuso
E Jam redimis: media transacta ætate receptes*.
Talibus expletis, servorum tentus in ulnis
Brachia tunc inter, munitur corpore Christi.
Ipse calor cessit, friguit quoque totus & omnis,
Atque recessit ei spiritus: Deus ipse pietur.
Panditur Urbs magno Ludovico, intratque potenter,
Quinq; sibi adjunctis equitum cum millibus intus.
Gens priùs hostilis, recolens tunc Imperialis
Partis & affectus, renovatur cordibus: ardor
Rumpitur in voces: clamabant: *Vivat amicus,
Induperator*: ei congaudent gestibus omnes.
Est-

Estque suis regnans, toto simul Orbe tremente,
Fervidus in Pisis: movet ac Ludoycus, & Urbem
Accipit, & retinet Romam: fortis in omni
Regnat sceptra tenens, quamvis nolente Johanne
Papa, & cuncta suo subjecit fortia Regno.
Et surrexit ibi quidam proferre Gebellis
Dicens mente nigra: *Gentes scultate loquentem:*
Christus habens minimum pauperrimus intulit illis:
Volucribus Cœli nidum natura paravit,
Vulpibus & foveam: mihi non ubi membra reclinem
Nec fortuna dedit: ego nec causatus egendo
Vivo: meos gressus, cupiunt qui Regna, sequantur.
Ulteriùsque dedit: *Spicas vult vellere Christus,*
Cùm propriis sociis tenuem vult carpere victum,
Asseruitque magis munus non utique dite,
Imò columbarum porrexit Christus egenus.
Summus & Antistes mandavit Papa Johannes
Multa & habere, simul retinens marsupia plenâ
In commune Deus quare est pellendus abinde.
Postque secundus ei proponens verba resumsit:
Partis amore viget: multum favet utiq; Guelfis
Ipse Johannes, eos abhorrens inde Gebelles.
Tertius adjecit dicens: *scultate, Quirites.*
Agmina transmisit obstantia, credite, magno
Bella movens, Christus cùm dixerit evaginanti:
Admove per gladium: gladiator quisque peribit.
His moveor. Ludoycus eis: *moveantur & omnes.*
Adhibuitque senem sacratum nomine Petrus,
Omnibus & coram vestitum veste rubenti
Exhibuit: *datur iste tibi, cape Roma.* Levatur
Papa: sed à cunctis fit Curia: regnat in Urbe.
Quæ sanies vobis fuit, & suggesta voluntas
Suggerere tanto? sanies quæ stulta Gebellis!
Sciarra Columnensis, Romam qui immiserat illos,
Sprevit, cuncta suo solvi negat atque Johanni.
Pro regnante tamen stat fortis mente Gebellis,
Atque refirmatam conservat viribus Urbem.
Promtus adesse patet tunc & Castruccius illic:
Fer, Ludoyce, tuo solium concerno Ducatus
Partibus in Tuscis, si non subesse suetis
Principibus, agitant unde omnia bella rapinæ.
Subjuga: confestim submittent colla feroces.
Qui dedit: *Est placitum nobis augere Gebelles:*
Augustusque vocor, quamvis nolente Johanne.
Quinque manent Urbes Diœcesibus intitulatæ
Has totidem: Lucana priùs datur; ipsa Lunensis;
Et pariter subjecta datur Urbs Pistoriensis;
Atque in Vulterris dominatum pandimus omnem;
Massa per arbitrium subsit sub jure Ducatus.
Has tibi pando tuis sub viribus esse regendas.
Sicque coronatur Dux tunc Castruccius ipse,
Intitulatis ei sic Urbibus: unde coluntur,
Gaudia cùm resonant, quin hastiludia multis:
Inde equitum mille deducere gaudia secum:
Inde acies quantæ: quin acceptavit ibidem
In propriis retinens Vexillum currere palmis,
Atque dedit: magnus fuit Alexander & unus.
Postque dies paucos sic omnia cuncta refirmant:
Fortia resplendent sic agmina cuncta per imus.
Jura Senatus ei dantur: Castruccius optat:
Accipit, & retinet, Romaque splendet in omni,
Vestibus in propriis referens insignia verbis
Perlatus insertis, fusisque in pectore renes,
Est Deus id quod vult: erit quod volet id Deus idem.

(*) Mors crudelis & violenta Bonifacii Papæ VIII.

A Et Ludoycus eis, coram tunc stante Senatu:
Sceptra patent nobis Lombardica, Regnaq; Tusca,
Atque per Imperium retinemus cuncta Senatum.
Ista coronatus sic: & post verba quievit.
Me, sed, o Christicolæ, verum, scultate, tuebor,
Atque feram pariter, errorum nubila pandens.
Christus habens minimùm quàm sit vel factus egenus
Cernite, cum duodecim quærebant solvere victus
Inde cibis emtis, numeros æquare monetis.
Ergo habet ipse Deus tantum commune, sed usum;
Ipse Deus proprium devitans cum duodenis.
B *Inde habet ipse malus & usurpare locellos*
Mittere sollicitus illamque abscondere Judas.
Ulteriùsque ferens unguentum Magdala Christo
Ungere culpatur: operis sit vendere Sanctum,
Pascere pauperrimos, num nos captare ducentos:
Ipseque ego Judas possum venumdare totum,
Pauperibusque Dei, pereant ne, pandere victum.
Ergo habet ipse Deus tantum commune, sed omne.
Papa levatur: & is immissa peste reatus,
Antea quàm solum Mundus deduceret annum,
Principibus primis hinc inde in partibus ipsis
Adfuit extinctis mors: & non dicere curo
Nomina: nec remeant ab Urbe invadere Regnum.
Imò relabuntur hinc inde, & gente recisa
C Deviat & Pisis. Hæc inter gesta recepta
Desuper ostendit Deus hoc Anathema per Orbem.
Redditur Antistes verò sub fœdere Papæ:
Ipse levatur: ei Petrus datur atque Johanni,
Fœdere composito Pisanis, nec violato,
Cùm bene currebat Mundus per mille trecentos
Bis denis junctis, & cunctis omnibus octo,
Sospite dum clauso congaudet Papa Johannes,
Congaudent Patres cum Cardiquenalibus omnes.
Tota sed Ecclesia congaudet quanta Monarcha,
Nonque Bonifacio (*) tantum pietatis inhæsit
Munus ab infestis, quem Rege favente capessunt
Urbis in insidiis Romanæ quàm furibundi,
Atque negant volitum cupientis pergere secum
Inde Columnenses, Crucem retinentis, & illis
D Hoc ajentis: *heu miseros fortuna paravit*
Ipsa ferox casus, ut est inflectere Papam.
Quare ego sic furiens lethum pro pace reposco.
Nec adjecit eis plus, cùm per membra paratus
Spiritus abscessit tepefacto corpore grandis.
Fata sed hostiles producunt sidere casus.
Rex fuit Andreas (**) Roberto jam tumulato
Semine Regali succedens in diademo,
Nec absolutis bello pugnaque lacertis,
Nec malè commissi lapidis percussus ab ictu,
Fulmine, nec subita decedens apoplisia:
Servorum insidiis mutilatur gutture, tuncque
Suffocatur, eis tunc omnibus inde peremtis
E Per diversa malis supplicia cùm perierunt,
Sex quadraginta simul quando ibant mille trecenti.
Et jam Pausanias captandus præmia famæ,
Regis in excidium ruit inconsultus, & illi
Fata promittebant nunquam moriturus eundem,
Ni sub ipse rudi titulato postea curru
Ense sub ingenti cum occisore peremtus.
Sic incœpta malis pereunt cum fraudibus acta.
Mœnibus amissis tunc Urbis Pistoriensis
Cogitur & rediens Castruccius, Urbe relicta,
Concitus est Pisis Lucam firmare virilis.

(**) Mors Regis Andreæ.

Explicit Liber Sextus.

DE PRŒLIIS TUSCIÆ
INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

QUia dicto Ludovico de Bavaria existente Romæ, & se pro Imperatore gerente, & Castruccio existente cum eo, assumto Senatoris Officio, atque ab eodem Ludovico Ducatus titulo insignito, Dominus Philippus de Sancto Geneto regniculus Capitaneus guerræ generalis Guelforum, simul cum Domino Simone de Tosa Florentino, & Monaldo Conestabili partis Guelfæ, de nocte Pistorium silenter acceperant; timens Castruccius ne similiter Lucam acciperent, dimisso eodem Ludovico Romæ, ipse in transformato habitu iter versùs Pisas per maritimam assumsit, ac subitò Pisis patenter comparuit, urbe Pisana sibi subjecta per omnia; atque inde Lucam concitus est receptus, ibique de omnibus partibus sui dominii à Monte Murlo usque Siestri de Riparia Januensi gentem innumeram adunavit. Et sic similiter Sole existente in Cancro de mense Junii cum Pisano Populo & Lucano, & mille quingentis militibus obsedit Pistorium, quod de mense Augusti obtinuit. Ibidem ipso priùs receptato, scilicet in Pistorio, statim post suam & suorum consortum expulsionem de Luca, obsesso ibidem cum Albis & Gibellinis à Rege Roberto, tunc Duce Calabriæ. Et hoc est quod ipse idem dicit, loquens de Bandino de Gualfreducciis exititio tunc Pistoriensi, qui militavit ibidem in captione prædicta

Recolis nos mœnia Lucæ
Deseruisse &c.

BEllicus arma petens vult Urbem Pistoriensem.
Obsidione dari: gens jungitur aspera Pisis
Undique magna fluens: dant Urbes, singula Castra:
Luca movet cunctos: veniunt: Gharfania mittit
Tota viros fortes: mittit Versilia quantos:
Mittit Luna suos peditum Riparia mille.
Inter cuncta simul numerantur ut agmina centum,
Quæ peditum jungens Castruccius ipse probatus
Ordinat, & veniunt steccata & ponere tecta,
Sol quia conscendens incendia quærere Cancri
Ecce daturus erat illis sub frondibus æstum,
Mille superductis equitum pro sorte suorum.
Suntque viri fortes Serram transcendere Vallis,
Cum galeis calybum fulserunt lumina Prati,
Et nituere suo tantoque à lumine montes.
Sicque suis hærent muris extendere campos,
Ac sternunt fructeta: suis tunc stare locellis
Militibusque novem fuit insimul una caverna:
Conaturque Urbem vallare ex undique totam,
Cingere per medium, contingere mœnia jactu,
Ponere vela, suos extendere papiliones,
Nidificare domos, & frondibus ergere tecta.
Et fuit hora brevis, quando Urbs concernitur illic,
Omnibus in virides gaudentibus undique ramos.
Patula quando illis tunc affuit ecce taberna,
Grata trahunt, recreant ex omnibus intima: vina
Dantur: & ipse calet æstu Castruccius aucto,
Cuncta videre priùs, si fieret aditus illis
Hostibus, & cernens vult singula reddere tuta.
Et quater atque quater totiens pergebat in armis,
Quantus equus fortis vix sufficiebat eidem
Undique per campos, remeans apponere curam,
Et scrutatus eos, rediens, dare membra quieti
Advocitabatur, avidos gustare liquores.
Sicque manet Populus Pisanus, Luca per omnis
Mœnia Pistorii sub obsidione tenentes.
Tunc animabat eos dicens: *Memorate vetustum*
Bellum, quando fuit sub obsidione perenni,
Cùm Dominus aleas legitur fecisse tabellas,
A *Longa fuit nimiùm cùm tunc obsessio Trojæ,*
Otia ne tœdeant, nam sunt ratione repleta.
Ludite gramineos per campos; astra videte;
Excogitate queant qui sunt & in Urbe famescunt.
Nam tua cuncta potes, animus cùm sustinet illa.
Ergo velite moras: venient gratissima quæque.
Quæ placuere: movent interdum cantica, ludos:
Et spatiantur: habent virides post talia fructus
Hæc comitiva venit: abit hæc: hæc obvia currens
Obviat: hæc obstat: gaudent excurrere secum,
Amplexare simul, sellisque levantur equorum.
Inter hæc est præsens sociatus vir probitatis,
Militibus multis excurrens prata potenter,
Persistebat eques præsentibus omnibus ipsis,
Totaque per medium gens se scindebat ibidem.
B Jamque dato spatio magnis præcurrere metam,
Inde refert miles se primum currere promtum:
Atque secundus ei currebat, tertius atque.
Postea pulsatis quantis clangoribus, ipse
Percurrebat eum, simul associantque cohortes.
Qualia dum Cives cernebant Pistorienses,
Urbe & ab obsessa tantùm spatiare Gebelles,
Inde equites multos peditesque insistere ludis,
Inter & amplexus equitum se jungere sellis,
Atque levare: vacant: vix pax inducta manebat:
Sed tuebantur: & hi frondes ad grata redibant.
Et priùs exclusus morbo perplexus acuto
De Vice-Comitibus Dominus Galeatius inde,
Protinus abscedens, & postquam Piscià talem
C Acceptavit ibi, solutus carne virilis
Pervolat ad Patres, tumulatus corpore ibidem.
Partis eam Guelfæ cupiens nutrire Philippus
Regniculus miles, subjectus sedque Roberto,
Mille petit veniant equitum: scribit inde sacrato
Bononiam promtus de summis fratribus uno,
Mittere qui tepuit. Bellum Castruccius & sic
Instauravit eis gattis cum robore grandi:
Unde super custos firmavit in arce priori:
Concitus & Pratum cognoscit prœlia Turris.
Tunc cogitavit eis dicens: *audite*, Philippus,
Misimus: ipse piget Legatus mittere gentem
Agmina multa tenens, & non transmittere promtus,
Be-

Bononiæ residens Lombardos flectere Papæ.
Nos modò sexcenti linquamus mœnia Prati,
Nec adeamus eos, quia sunt ut mille Gebelles
Ipsi equitum fortes: moveamus nos tamen ipsi
Usque sed ad Murlum. Dicent: Commune movetur,
Extimebuntque, minùs poterunt immittere bellum.
Quod placuit: quidam veniunt excurrere primi.
Ast ubi senserunt scursores proinde Gebelles
Esse propinquus eis omnis exercitus, inde
Abscessere simul, bellumque ab Urbe levarunt,
Infra suos palos sua se steccata locantes.
Et probus insistens iterum destinat eidem:
Mitte, ferens: ruimus: Urbs panditur: eque Gebellis
Obsidione perit: veniant solummodo mille.
Delegat unde sibi rescribens singula miles.
Pervenit: est coram, cùm narrat talia currens:
Mœnia circumdant: equites sunt mille trecenti:
Pistoriumque fames stringit: datur: unde sarate.
Quàm citiùs mittens cura nutrire fideles.
Unde dedit sacer Legatus mille trecentos;
Quos ubi Regniculus recipit, tenet atque Philippus,
Admovet adducens cunctos prope mœnia Prati
Millia bis equitum septingentosque viriles,
Adnumeratis ei peditum bene mille viginti.
Mœnibus à Prati cunctis equitantibus, inde
Protinus abscedens tota cum gente locatur
Partibus Aglanæ repletis in Comitatu.
Et tulit hic uni: *properes: pete mœnia campos.*
Ipse Philippus utrum maneat Castruccius illic?
Currit & ille citò: rediens dedit omnia cuncta.
Sculta, Philippe, tuum: residet Castruccius, imò
Cantat in aspectus veniens jam Pistoriensis.
Ast ego perquirens captus sum ductus ad illum.
Qui dedit: es Guelfus? tuli: sum. Tua facta referre.
Me cupiente ejus socio mactare per ensem,
Qui negat, adjungens: referens dic omnia gesta.
Manè levis fueram: semper vocat ipse Philippus:
Vade per & campos, semitas, & mœnia quære.
Vel magis obsideat sumus hic Castruccius Urbem:
Nam duplices nobis acies sunt: ipse recessit.
Me referente, movet tales prorumpere risus:
Ore patente genas vix dentibus ecce videbam:
Ut refero, similes risus fecere Gebelles.
Quid faciemus ad hæc, dixit, *scultate*, Philippus:
Despicit hic omnes: residet: vult bella: feramus.
Atque movere suos mandat: stravere secundò
Partibus à ruris Aglanæ versùs ad illos.
Undique consepti stant agmina Guelfa nutrire:
Statque sagax, totus per circum mœnia clauden.
Fit mora: se firmant victus adjungere Guelfi;
Atque Gebellis eis pars sic obstare laborat.
Insinuant intus per faces Pistorienses,
Se fame consumtos non posse resistere quidquam
Temporis: unde petunt bellum committere Guelfi,
Insinuantque sibi maleatam per chirothecam.
Congregat audacter qui sint bellare maniplos
Concitus audaces, & talia protulit illis:
Vos ego semper amo: socii scultate Gebelles:
Nunc bellare petunt hostes: stant mittere victus:
Respondete: simul videatur vestra voluntas.
Qui pariter cuncti dixerunt, esse gerendum.

A Tunc accersivit referentem Cortoniensem
Ista ferens voce Castruccius ipse silenti:
Ancha fidelis amo te quantum pignora mater.
Nunc adeas Guelfos, indutus veste Ducatus,
Quam mihi gessit amans clarissimus Induperator,
Nobilitare volens, cùm gessit jura regendi
Urbibus in quinque: chirothecam ferque Philippo.
Omnia narra, locum, sed tempus bella movendi.
Concitus audacter qui sic post verba recessit.
Estque suo præsens vestitu, quarta Philippo
Insinuatque diem, respondet: *luce sequenti:*
Nec probus acceptat, promittens utique quarta:
Quod habuere satis ratum quàm firmiter hostes.
Tempus & hoc infra percepto vomere forti
Evacuare jubet cunctos fossata viriles,
B Et duplicare simul foveas de nocte silenter,
Ne suus ipse labor forsan transiret ad hostes:
Protinus adjungens foveis steccata tueri
Arboribus multis truncatis per bene centum,
Aditus ut illis pateat nec mittere victus.
Estque dies belli signatus: gens sua Guelfa
Agmina conjungens nectit: movet addere pugnam:
Undique senserunt nec sollicitare caballum.
Tunc furiunt omnes: certant: feriuntur ab illis
Desuper ab archis ab alto culmine Guelfi.
Nec fuit accessus: sunt omnia tuta: famescit
Pistorium. Cogitant tunc hostes pergere Pisas:
Ponere se medios properant: cepere Savinum (*).
C Omnibus exustis tunc ruribus in Comitatu,
Ignibus immissis domus hæc flammescit & illa
Et capiunt ibi residentes fortè per omnes:
Absque rumore trahunt ad partes postea Guelfas.
Ille manebat ei vicinus Pistoriensi,
Gens comitiva, simul populus Pisanus in armis:
Urbsque famebat: eam capiunt per fœdera pacis:
Unde datur. Totus maleatus Vir probitatis
Sic ait & Simoni: *quid, Florentine, sopita*
Urbe capis muros, me Romæ tunc residente?
Jura Senatus ibi me tunc retinente, per artes
Ingrederis: Ludovicus habet cùm mœnia Romæ
Imperat ut Tuscis, & quærens postea Regnum
Consociatus ei, reditum me cogis at ipse.
Mœnibus istius acceptis igitur Urbis,
D *Permea, visurus me numquam sedque Monalde.*
Ipse Philippus amat per filum quærere muros.
Regniculus mensurat ei fossata magister,
Unde refert, pontes media de nocte capitque.
Pistorium redit nobis per & obsidionem.
Permeat unde Simon equitum cum forte ducentis
Atque Monaldus. Habet muros Castruccius Urbis.
Est ubi, dixit eis, *Blandinus Pistoriensis?*
Astitit: at ille lucentem protulit ensem,
Atque dedit: *Recolis, nos cùm Robertus & intra*
Claudere nos potuit sub obsidione per annum?
Sum memor. Atque probus: *recolis nos mœnia Lucæ*
Deseruisse, meos nutrit cùm Pisa Gebelles?
Sic etiam nobis redeunt Saturnia Regna.
E *Gaude fidelis, habens, aluit quæ te priùs, Urbem.*
Ipse tamen famui misera sub veste per annos:
Nunc quoque Saturnus ditavit. Sicque vibrato
Ense tulit, recipit quem miles factus ibidem.
Sicque manu forti munitus, & ense, virilis
Intrat, & agminibus probus ipse Gebellibus intus:
Atque tenet gaudens per bellica mœnia victor,
Jamque morâ exhibitâ gaudet pertingere Lucam,
Urbe reformata, Pisis splendere & in omni
Urbibus in geminis susceptus papilione,
Un-

(*) Monasterium est Sancti Savini prope Pisas ad tria milliaria.

A Undique ruralibus, & Civibus adveniendo
Posse videre Ducem, cultumque expandere honoris.
Si fortuna volet, cœlum conscendes in altum:
Si volet hæc eadem, bassum descendes in imum.
Est tamen assis ei, commissaque tota potestas,
Qui regnare facit regnans per secula semper.
Mense & in Augusto medio cùm festa coluntur
Virginis Assumtæ, cùm cerea quæque tributa
Dantur ei, Vannes Rubeus custosque Mariæ
Colligit auratum cupiens deducere templum,
Ornamenta suo contexere grandia: culti
Immemor ipse Dei, mandat servare retentis.
Sic bene Matronæ Missam celebrabimus omnes:
Census erit promtus persolvere Teutonicos sed.
B Cui genibus flexis custos: *Dux ipse vocaris:*
Crede tuis, desum: Lucanus pauper abibas:
Undique collegit miserum te Virgo Maria;
Erexitque nimis: dominaris abinde Siesti
Usque propinquatus Prato: sed desine, magne:
Murlus adest, præbetque tuis confinibus Orbem.
Sicque locutus ei defensat sacra Metellus:
Estque tuum solium Virgo ampliatura: quiesce.
Nec veritus Matrem, Templum, nec Numina sancta,
Præcipit absconsum pariter deducere censum.
Quo bene compunctus resolutis crinibus omnis
Solvitur in gemitus coram tunc Matre locutus:
Virgo parens, custos ego sum, sine peste reatus,
Quæ paris ipsa Deum, Cœlum conscendis & astra,
C *Hoc die flecte malum spoliantem Numina sancta.*
Quæ tulit: & clades tunc affuit ipsa patenter,
Febricitare facit quando illum mox pia Mater,
Urbe per excursa ludis, plausuque theatri.
Inde calens Lucam quæsivit concitus ire,
Utique sed membris languor magis hæsit acutus:
Unde cubile petens committit se medicinæ.
Profuit & nec dum: quin & magis aggravat illum
Languor: & ut trepidat, vivat ne pars sua Lucæ,
Debilis adsurgens, faciem monstravit humatam,
Patula quando illum suscepit lata fenestra,
Et rediit victus morbo virtute per omni,
Ista ferens strato superaddidit ista locutus:
Summa Dei virtus me magna potentia flectis,
D *Viribus armorum qui numquam prostrahor: adsis.*
Atque tulit sociis tantis præsentibus addens:
Mortuus ut fuero, Mundus renovabitur omnis.
Et siluit, pariter extinctus lumine vitæ:
Commovet unde suus Pisas discurrere natus;
Et veniebat eum gens tunc Lucana juvare,
Scilicet Henricum titulatum jure Ducatus.
Obstat & huic Populu Pisanus, quinque rebelles,
Ex quibus acceptus patuit bos pendere furcis.
Adsociatis ei scelere pro quatuor ipsis.
Sed Ludoicus eis succurrit: mœnia Romæ
Deserit: & veniens est Pisis: & siluere:
Omnia Pisarum capiens & jura regendi.
Cæsar ut est Pisis, iterum gravat inde moneta:
Suscipit: atque negat multis stipendia servis,
Qui strepuere: simul sociatis tunc bene mille
E Accipiunt Collem, retinentque potenter & ipsum
Utique Ceruli, pueris & matribus illis
In gemitus fusis, quos gens tunc aspera cunctos
Suscipit in ulnis natos matresque benignè.
Hæc sumus accincti stipendia quanta negantur,
Artibus ignaris volumus velut esse sorores:
Vos vocitate viros: veniant, habitentque vocati:
Teutonici generis fuimus jam nobilitati:
Et sumus ecce pares: vobis communia velle,
Nos habitare simul: Podium gens nostra levabit,
Afferet atque bonum quodcumque adducere victus.
Consiliantur, & hi: *Pisis Ludovcus inhæret,*
Nosque tenet medios Pisis ab Urbe Florente
Collis. Et ad Guelfos destinant pacta Florentes:
Arma tenemus, equos: homines sumus utiq; mille:
Ferte manus Guelfi: veniemus in Urbe manere.
Non Commune tulit gens aspera quanta feroxque
Fallere: vult habitet: *victus sumus ecce daturi.*
Et resident. Lucam Ludoycus quærit amicam,
Quæ patuit, mater quando & pro parte Gebelli
Exhibet & natos tres tantùm Pina virilis,
Ista ferens gemitu coram tunc Cæsare dicto:
Do: cape, semen habens nostrum: Castruccius abest:
Omnibus una simul restat sententia mortis.
Hos ego pectoribus propriis alo lacte refuso:
Hos ego gigno meis lumbis: legitima proles
Est: fave Cæsar: eos nutrio pro parte Gebelli
Hic puer Henricus: memoratur Cæsar in isto.
Iste secundus habet vim nomen Valeriani
Cæsaris ipsius germani: & tertius iste
Alterius gestat nomen, ferturque Johannes.
Ista puella datur conjux per gesta Philippo,
Pistorium genitor quando & per pacta jugavit.
Tange meos, Cæsar, nec respue pignora patris:
Tange, & flecte, manus, caput, & contingere colla.
Accipit: & tenero solutus pectore mœstos
Stringere cum lacrymis nec est rubefactus ibidem.
Atque dedit: *Probior Orbis memoratur in istis:*
Ista propago mea est: pia mater nunc tege vultum.
Taliter accepit Lucam Ludoycus ab illa,
Regnaturus eam minimo pro tempore grandis.
Millia sedque duo, Romam quos duxerat ipse,
Nec Ludoycus eis censum persolverat, addunt:
Nos equites censum cupimus stipendia nostrum,
Partibus à nostris qui venimus inde favere,
Atque levare: tenes Lucam, Pisasque: gerentes
Arma sumus: petimus te solvere pretia nobis.
Qui retinens nimia nec solvere pretia posse
Indicat, exhibitâ Lucâ pro pignore census.
Fortia qui capiunt Urbis post inde recessum,
Atque tenent arcem, turres, sed mœnia cuncta:
Unde legant Guelfi Florentes bis quadraginta
Millia se tantùm Florenos solvere puros,
Luca feratur eis si tunc & ab Alamannis.
Jam quibus allectis Cives tunc evacuati
Solvere Pisani se dicunt velle triginta
Bis dare: confestim persolvere. Sic fluitabat
Urbs sub gente rudi. Memoretur Luca prioris
Status, & acceptæ se culminis undique famæ,
Cùm sonuit tu facta sonum Florentia gestat.
Nec datur ab illis: errabant fortiter omnes.
Tunc proba mater eis ostendens pignora patris,
Dixit: *habete fidem, nec Guelfis Luca feratur,*
Mittite ditato per tempora longa Sagonam,
Est ubi vir magnus, qui prælia multa probavit,
Utique Lombardos superat cum gente Gebelli,
Inter eos bellans primus, cùm frangitur ille
Raymundusque perit. Vir dicitur esse Gerardus
Spinula, vir fortis, magnæ & probitatis amicus.
Ille dabit: referam propriam viduata monetam.
Adquievere cui: mittunt: vult solvere promtus:
Pergitur: unde capit Lucam probitatis amator,
Teutonicis quantis persolvens Urbe relata,
Fortia quæque tenens, foris & regnavit & intus:
Estque fidelis eis, dominatus ad omnia parti,
Undique & acceptat, veniant habitare Gebelles.
Unde redit promtus miles non deesse Paganus.
Et spatium sed non animum mutat qui trans mare currit,
Fraudis & inventus patrator, more prioris,
Judicat hunc pariter periturum morte Gerardus.
Culmine & in turris clausus quando ipse locatur,
Majestatis eo specie sub imagine Crucis,
Non sed alimoniæ munito, clauditur intus.
Ex fame confestim morituro & profuit uxor,
Moreque fœmineo Delata nocte tabellam
Ap-

A Applicat : alternæ superaddita concita turri :
Dissipat & murum, quo panditur ipse maritus :
Indeque lapsa sibi pergit Delata per altum,
Artibus evasus turrisque ergastulo & arcto.
Sed bene promtus eum capiens de nocte Gerardus,
Decapitare facit : placatur nobilis uxor.
Regnat & unde etiam magis ex formidine fultus.
Messibus, & anno deducens inde monetam
Civibus adcomodam, pro libertate trahenda :
Tun: lentescit amor, oblito munere census,
Civibus : unde vocant sibi Regem præesse Johannem,
Cæsaris Henrici genitum, regnare potentem.
Unde fuit: paret, flectens se sponte Gerardus,
B Maxima sedque gravat gens Urbem debitatam
Pluribus expensis Rex : unde & deserit illam,
Et Carolum retinens natum dimisit eisdem
Cum bis mille equitum Lucam regnare virilem.
Qui retinet sedem Carolus dominatus eisdem,
Ipse favore regens Lucam de jure paterno.
Nec illum sufferre potens tunc evacuata
Luca refert: illam Carolus cum gente recedens
Deserit, & Simoni dat sedem proinde Philippi
Scilicet Herrigi de primis : præestque fidelis.
Tamdem Regis eam dicto, ceptisque triginta
Millibus auratis, Rubeis consignat eamdem.
Protinus & regnat Rubeo de sanguine Petrus
Vir probitatis, & est retinens Parmensis eamdem.
C Sed pia pro natis tunc Corrigiensibus ipsa
Mater habens tenerum, fraternum possit amorem :
Concita Mastino sic destinat : exteriores
Esse suos : veniat in mœnia mittere natos.
Qui bene cum magna properans attingere gente,
Obsidet, atque capit, Lucam petiturus eisdem.
Sed negat ipse Petrus, Pisano robore fultus.
Civis & adjungens promittit cuncta sed illi
Agmina ducturum : securus concitet Urbem,
Ipse sibi Luca Pisis fruiturus : & ille

(*) Invasio Domini Benedicti Macchajonis, & suorum in Civitatem Pisanam.

Non bene consultus (*) Benedictus nomine miles,
Sanguine de magno natus de stirpe Gualanda,
Exul ab Urbe datus Pisana, Bononiensis
Qui dominatus erat Thaddæus & hactenus (**) Urbi,
Præditus à stirpe, milesque à legibus ipsis,
Suscipit, impendens vexillum. Sic Benedictus
Nobilibus junctis centum de Civibus illi,
Et peditum numero juratis fortè trecentis,
Surgit in arma ferox: Veniunt: Commune lacessunt,
Et spoliant, ductis cunctis de carcere trusis.
Juribus & spretis laniatur authentica quæque.
Sed Deus ipse pater, mater pia Virgo materna
His posuere modum, Martinus tuncque colendus.
Dum Comes insignis Facius vir tunc probitatis
Jungit amore suos Cives, vocitatque: *venite:*
Nosque juvemus, ait. Properant: aciesq; paravit
Teutonicas : totus Populus succurrit in armis,
Pontis & in Spinæ pede tantùm firmiter illic
Se posuere : manet Populus defendere Pisas
Civibus ab illis tantùm : sed janua fertur
De plagiis: nequidi capiunt tunc ignibus Urbem:
Bella moventur : & hi stabant : pars quæque furebat.
Ultimò gensque, probus Facius, sociusque fidelis
Miles in arma ruunt, Dinus, Fredericus & asper
Teutonicus: sed eis Urbs tunc Lucana favebat:
De Rubeisque Petrus linquens montana silenter
Subveniebat eis multis aciebus : & ante
Quàm daret ipse, Comes, Populus dant bella favorem.
Sicque fugaverunt vivi licèt utique semper.
Unde colatur amans Pisas tunc Virgo Beata,
Sed Deus ipse priùs, Martinus & inde colatur
Tempore quo Mille currebant atque Trecenti
Sexque Triginta fuit novitas hæc utique Pisis.

(**) Idest Bononiensi.

Explicit Liber Septimus.

DE PRŒLIIS TUSCIÆ
INCIPIT LIBER OCTAVUS.

Dominus Mastinus de Scala Lombardus, obsessâ per eum Parmâ, & habitâ sub pactis de manibus illorum de Rubeis de Parma, dictam Civitatem assignavit liberè aliis Nobilibus Dominis de Corrigia avunculis suis. Et hoc est, quod dicit

------ *illam pro sanguine matris.*

Quæ mater dicti Domini Mastini erat soror dictorum Dominorum de Corrigia. Qui retinentes dictam Civitatem pro se ipsis, negabant aditus & accessus Domino Mastino ad Civitatem Lucanam, quæ etiam tenebatur per eum. Unde *Florentes*, ideft Florentini, & Pisani solicitati sunt Civitatem Lucanam emere à Domino Mastino. Et exhibitâ Lucâ ab eo Florentinis, volentes Florentini possessionem ingredi Civitatis Lucanæ, Pisani totis eorum viribus obstiterunt. Unde fuit posita à Pisanis obsidio dictæ Civitati Lucanæ, auxilio etiam juncto Pisanis Domini Luchini de Vicecomitibus de Mediolano. Florentini autem volentes victus adjungere Civitati prædictæ per vim militum & armorum, Pisani ex adverso contradicentes eisdem, Angelo de Rachanato Capitaneo Populi Pisani, & tunc guerræ Capitaneo instituto, Domino Dino de Roccha maritimæ, & Domino Ciupo de Scholaribus, Administratoribus constitutis totius exercitus Pisanorum, sequutum est durum & crudele bellum, sicut patet in litera. Ultimò instaurata obsidione per melius à Domino Eunufrio Comite de Montefeltro, & Arce Pratali, sicut tangitur in litera, habita est Lucana Civitas à Pisanis. Et hoc est, quod dicit:

Redditur: accipiunt illam per pacta Gebelles.

Denique Mastino, clades post omnia dira,
Luca datur: fluitans Lombardo subsidet illi:
Addita Parma cui fuerat per & obsidione
Utique de Rubeis, quibus & pro fœdere junctus
Urbe resignata dominatum (a) gestat in illa:
Vique jura premit, cui subest Justinianus.
Et dominatus eis, illam pro sanguine matris
Exhibet audacter tunc Corrigiensibus ipsis:
Qui regnare suo cœperunt robore tantùm,
Clavibus acceptis, & non servare fideles
Fœdera vel Rubeis, vel saltem mœnia (b) danti.
Nam dominatus amor non patitur associari
Sedibus, & Regnis, & primis fratribus hostis.
Unde negabatur Lucanus & aditus (c) illi.
Quapropter nimiùm Florentes sollicitati
Grandia Mastino promittunt rata monetæ,
Mœnia si pateant, & Urbs Lucana per illum
Exhibita ad Guelfos sic ipsa feratur eisdem.
Gesta sed hæc minimùm Pisanos ut latuere,
Mittere, & expertos Cives componere secum
Non piguit: renovant illi qui viscera partis,
Fœdus & initiant immensi ponderis auri.
Unde vacillabat Mastinus partis amore,
Muneribusque suis, quæ tunc Florentia grandis
Promittebat ei: sed tunc adversus ab illis
Spondet: & effigies Pisanis sola dabatur.
Quod nimis incautus cupiens deducere, sacrum
Accersivit: adest de statu relligionis
Cuncta ferens Guelfis, impresso hinc inde sigillo.
Exhibuit: juvenis sed tunc sociatus eidem
Destinat advertens promtus tunc Civibus acta
Omnia Pisanis: fuit in cautela sacrati.
Ardua Pisani sic postquam talia cernunt,
Ire sed ad Guelfos Urbem sic inde propinquam,
Undique se clausos si tanta Urbs facta rebellis

(a) Ideft Dominus Mastinus.
(b) Scilicet Mastino.

A Insidiaretur, nec posse evadere pestem.
Inde per antiqua memores, maleisque subactos
Junxit utrasque ritus, unde arx ipsa dabatur
Mœnibus Asciani patefactis, intraque muros,
Cùm jugulant omnes quantos, quos Pisa remisit
Esse recepturos Castrum, maleisque subactos
Turris in ingressu, cùm vox nec ipsa sonabat
Exteriùs nostris illorum, quos jugularunt.
Poco tempo innanzi la tornata de' detti Ambasciadori, lo Tribuno seppe di verità, come li Colonnesi, lo Prefetto, & altri molti nobili Romani, e delle terre circunstanti, faceano grande raunata di gente, per torleli la Signoria, & entrare in Roma, & uccidere lui, e tutti li suoi. E sentito questo si fornio di gente, accioche questo non fosse; e poscia fece uno grande parlamento del popolo di Roma, e di molti altri nobili, e disse loro quello, che sentiva contro a se, e che elli intendea di combattere con tutti quelli, che li faceano lo trattato adosso, e confortolli tutti d'essere prodi, e pronti, e di stare attenti, dicendo, che se'si venisse a battaglia, elli li vincerebbe tutti; e disse loro, che non potea essere, che non si combattesse: peroche la notte dinanzi havea havuta una visione, che li parea, che Papa Bonifazio li dicesse, che li convenia combattere con li Colonnesi; e che li vincerebbe: peroche erano compiuti quaranta anni, che li Colonnesi doveano portare pena delli peccati commessi nella persona di Papa Bonifazio, e contro alla Chiesa. Quando elli hebbe così confortato lo popolo, ciascuno si partì a fornirsi d'arme. Questo parlamento fue Sabato, adì dieci di Novembre 1347. Poi lo Martedì seguente, li Colonnesi con tutta loro potenza entrarono in Roma, per andare a Campidoglio per combattere lo Tribuno; & elli, come persona, che stava attento, sentita la loro venuta, fece sonare la campana a romore; all'hora tutto lo popolo trasse armato a lui a Campidoglio. Elli con la gente da cavallo, e con li pedoni, francamente, date le bandiere, e'l nome si fece contro a'nemici, li quali erano gia venuti in fine al Monte di Testaccio. El nome del Tribuno fue *Spirito Santo Cavalieri*; a piedi d'esso monte combattero insieme li Colonnesi col Tribuno, e col popolo di Roma: la battaglia fue durissima: lo Tribuno, e'l popolo combatteano contro a'nemici vigorosamente, e faceano loro troppo grande danno d'abbatterli, d'ucciderli in forma, che ciò parea, che venisse bene dallo Spirito Santo, e non da humanità d'huomini. Li Colonnesi, & la loro gente non potero resistere, diedono le spalle. Lo Tribuno col popolo li vinse, e sconfisse tutti; & la più gente uccisono, e presono, che pochi ne camparono. Di quelli della Colonna vi morirono sei: delli Orsini due; e molti altri Caporali di loro gente. Li nomati morti della Colonna furono questi, Stefanuccio, Gianni suo figliuolo, Piero d'Agabito proposto, Bastardo di Messer Stefano, e Randolfo di Messer Belvedere. Delli Orsini furono morti, Messer Ranaldo, e Giordano, Cola, Balli di Molona, Messer Giordano delli Artesini, Cola Tartara, Polo di Libano; & molti altri gentili huomini Romani, Orvietani, e d'altre terre vicine a Roma, amici de'Colonnesi; e preso vi fue Messer Giovanni Prefetto di Roma con molti altri Caporali. Data la sconfitta; lo Tribuno col popolo tornò a Campidoglio con grande festa; e tutti li presi fece mettere in prigione. Hora lasciamo di parlare del Tribuno, & diciamo del Re d'Ungaria.

Dopo la morte del Re Andrea, lo Conte Paladino, lo quale lo Re Uberto havea tenuto grande tempo in prigione, & lo Re Andrea, come fue fatto Re ne lo havea tratto contro la volontà delli altri Reali, per tema, che havea di loro; e per grande amore, che lo Re Andrea portava al detto Conte, si partì da Napoli, & andò al Re d'Ungaria, fratello carnale del Re Andrea, per ordinare che si vendicasse della morte del Re Andrea. Lo Re fece grande honore al Conte, & intese volentieri li suoi ragionamenti, & mandò per lo Re d'Appollonia suo fratello carnale. Giunto in Ungaria lo Re d'Appollonia, fue insieme col Re d'Ungaria, e da lui intese quello, ch'el Conte li havea detto, e feciono raunare lo consiglio, nel quale lo Conte disse quello, che havea detto al Re; nel detto consiglio si delibera di fare vendetta in quanto per terra si possa havere li passi sicuri, da poscia che per mare non si potea andare, per la guerra, che lo Re havea col Comune di Vinegia per la tolta di Zara. Lo Conte proferse di fare tutti li passi sicuri in fine presso a Napoli. Come lo Re ode lo Conte, subito il fece suo Ambasciadore, e diedeli compagnia di sua gente, e denari assai per soldare gente, se bisognasse. Lo Conte se ne venne a Melano; e quivi domandò lo passo, ed hebbelo per lo Re, e per la sua gente; e simile al Signore di Verona, & a'Marchesi da Ferrara, & al Signore di Bologna: peroche costoro erano quelli, che lo poteano contendere, e da tutti l'hebbe graziosamente; e così l'hebbe per tutta Romagna. Poscia n'andò all'Aquila, e quine sodduste lo Signore, che la tenea a ribellarsi da'Reali, e tenere la Città per lo Re d'Ungaria, e soldò gente, e misela nell'Aquila per lo Re d'Ungaria, e tornossi in Ungaria. La gente, che era nell'Aquila, cominciò a fare guerra alle terre d'attorno, che si teneano per li Reali. E certi delle contrade vennono a' comandamenti del Re. Vedendo li Reali essere così guerreggiati dalla gente dell'Aquila, feciono loro sforzo; & andarono a assediare l'Aquila, e puosonvisi presso, e faceano grande guerra a quelli dentro; & in pochi dì rihebbono tutte le terre, che erano ribellate da loro. Quelli dell'Aquila non erano poderosi a potere uscire fuori a quelli dell'oste; si che però mandarono al Re d'Ungaria a significarli, che erano assediati da'Reali, e che li soccorresse: onde lo Re mandò loro cinquecento Cavalieri Tedeschi, de' quali fece Capitano lo Duca Guarnieri. Et come quelli dell'oste sentirono questo soccorso, che venia a quelli dentro, si levarono da campo, & andaronsene a Napoli.

Lo

Lo Duca entrò nell' Aquila con la detta gente; & inde a pochi dì cominciarono a fare guerra nel paese, tanta, che in poco tempo tutto Abruzzo, e Terra di Lavoro facea l'ubbidienza loro.

Lo Re d'Ungaria, per dare esecuzione al suo proponimento, si mosse d'Ungaria; & anziche nessuno Lombardo, o Toscano sapesse sua mossa, fue elli a Trento. Dove lo Vescovo di Trento lo riceveo graziosamente, e diedeli lo passo per lo suo speditamente; e così li feciono quelli da Verona, quello da Ferrara, e quello da Bologna, e tutti li Romagnuoli: e così venne infino a Fuligno, dove si riposò col Signore due dì, e 'l terzo cavalcò verso l'Aquila, ove molti Baroni del Regno vennono a lui a fare l'ubbidienza sua; e quivi stette pochi dì: e poscia cavalcò verso Napoli. Messer Luigi con li altri Reali, e con molta gente era a Capoa, per impedire l'andata del Re: lo passo era quivi molto stretto e forte, si che poca gente l'harebbe tenuto. Sentendo lo Re, che li Reali erano a quello passo, cavalcò celatamente, e passò lo fiume in altra parte. Sentendo li Reali, che lo Re havea passato lo fiume d'altronde, subito ritornarono a Napoli; & lo Re andò ad Aversa, Lo Duca di Durazzo si scoperse in tutto contra a Messer Luigi, e contro alli altri, che non voleano ricevere lo Re d'Ungaria in Napoli. Messer Luigi vedendo la divisione de' Reali insieme, si fece apparecchiare uno Legno, in sul quale montò elli, & la Reina Giovanna, e con certi Cavalieri, e partissi da Napoli. Lo Duca di Durazzo con li altri Reali, con molti Baroni, e Cavalieri, e col popolo di Napoli, andarono incontro al Re infine ad Aversa, e menaronlo a Napoli con tutta la sua compagnia, con grande festa. Lo Re mostrò loro buona cera, facendo la festa grande col Duca di Durazzo, e col Prinze di Taranto, e con li altri Reali, non mostrando loro alcuna malavoglienza, e così stette molti dì. Poscia cavalcò ad Aversa solo con sua gente, senza fare dire nulla a nessuno de' Reali, dove s'andasse; e quando vi fue stato alquanti dì, mandò per lo Duca di Durazzo, e per li altri Baroni, che andassono a lui. Lo Duca, & li altri, per la buona cera, che havea loro mostrata, credendo che havesse loro perdonato, non presono guardia, & andarono a lui: elli mostrò vederli volontieri, si che nessuno pensava, che elli fosse turbato contra loro. Stando lo Re nella sala del palagio d'Aversa, fece chiamare a se lo Duca di Durazzo, e domandollo, in qual luogo lo Re Andrea era stato morto, e che morte fece, e da qual finestra del palagio elli fue gittato. Lo Duca rispuose, *per Dio, Signor mio, per Dio non vogliate rinfrescarmi la doglia, che io n'ho: peroche dalla sua morte in quà, mai io non fui allegro.* All'hora lo Re disse, che era di bisogno, che lili dicesse. All'hora lo Duca disse, *io lo dirò*, e disseli tutto lo fatto, come stette, e da qual finestra lo gittarono nel giardino, e subito detto che l'hebbe, fue a lui gittata una sagora in collo, e con essa strascinato per la sala infine alla finestra, e così con la sagora in gola fue messo fuori della finestra predetta, & la sagora fue legata dentro, e quivi lo lasciò stare impiccato tanto, che vi morio; e come fue morto, la sagora fue tagliata; si che 'l corpo cadde nel giardino, in quello luogo, dove era caduto lo Re Andrea, e statovi un pezzo del dì, così morto, li fece tagliare la testa. Li altri quattro Reali fece pigliare, & mandarli prigioni a Napoli, e poi si partì elli d'Aversa, e tornossi a Napoli; & inde a pochi dì, mandò quelli quattro Reali prigioni in Ungaria; e fece portare anco in Ungaria lo fanciullo, che era nato del Re Andrea, e della Reina Giovanna per farlovi allevare. Elli rimase a Napoli Signore, e quasi tutti li Baroni li giurarono fedeltà, & ubbidivanlo, come lo Re Uberto. Grande crudeltà fue tenuta, che usasse lo Re d'Ungaria nella morte del Duca, da poi che elli, & li altri si fidarono di lui; e più opera diede lo Duca nell' entrata, che fece lo Re in Napoli, che nessuna altra persona, pigliando sempre la contesa per lui contro a Messer Luigi, e contro alla Reina Giovanna, e' loro seguaci. Lo Re riforma Napoli di nuovi Ufficiali, e fece Capitano della Città M. Baglione de' Baglioni da Perugia; e Cecchino di M. Vinciolo fece Giustizieri d'Abruzzo, che era da Perugia; lo Conte Lallo dall' Aquila fece Conte Camarlingo, & dieli ciò che teneva Messer Carlo Artu, e 'l figliuolo: a M. Ugolino da Fuligno diede ciò che tenea Messer Restano di Camtermi. Riformata la Città, licenziò lo Duca Guarnieri, e Messer Filippino da Mantova, e loro gente. Messer Filippino si tornò a Mantova: lo Duca andò in Campagna con ottocento Cavalieri Tedeschi al Conte di Fondi, nipote che fue di Papa Bonifazio; e cominciò a far guerra a certe terre nemiche del Conte, si che in pochi dì n'hebbono molte: quelle, che si davano per amore, erano rubate tutte: quelle, che erano vinte per forza, chiunque vi si trovava dentro, maschi, e femine, piccioli, e grandi, erano tutti morti, non habbiendo di loro nessuna misericordia, e 'l simile era fatto di loro, se nessuno n'era preso. Lo Duca cavalcò con tutta la sua gente, e con quella del Conte, che furono da tremila Cavalieri, e gente da pie in grande numero a una terra nemica del Conte, che si chiama Soppino: peroche Messer Ranaldo, e quelli di casa sua, furono a prendere Papa Bonifazio, e combatteronla in uno dì più volte, e non possendola vincere si trassono indirieto per riposarsi. Quelli dentro, pensando, ch' el Duca li tornasse a combattere, s'afforzarono di molti argomenti da difesa. Lo dì seguente, lo Duca tornò alla terra per combatterla, quelli dentro non si mostravano. Quelli del Duca n'andarono di filo alla porta, e tagliaronla; & entraronvene dentro da trecento cinquanta. Quando quelli dentro vidono entrati quelli, che parve loro; feciono calare giù la cataratta della porta, e montarono suso, e difesonsi da quelli, che erano rimasi di fuori, tanto, che se li levarono d'intorno; e quelli trecento cinquanta, che erano entrati dentro, furono tutti tagliati, e morti da quelli dentro: grandissimo danno ricevero quelli di fuora in quello dì.

Grandissime, e pericolose in vita furono in quello anno 1347. & 1348. di fame, e di pestilenziosa mortalitade per tutto lo Mondo, e spezialmente intra li Infedeli: & in Barbaria si dice, che morirono de' dieci li otto: e molto paese s'abbandonò. Nell' Isola di Cicilia s'abbandonò Trapalì, & altre terre assai: discese la detta pestilenza a Vignone, e per tutta Provenza, & in Toscana; e massimamente in Pisa, dove lo padre abbandonava li figliuoli, e' figliuoli lo padre, & la madre, & l'uno fratello l'altro, e che non si trovava chi volesse servire nullo malato, nè portare morto a sepoltura, nè Frate, nè Prete, che andare vi volesse, perche

la

la infermità s'appiccava dallo infermo al sano; A e durò la infermità più di quattro mesi continui. Trovossi, che in tre mesi morirono in Vignone più di centoventi migliaja di persone.

Ancora nella Città di Pisa fue nel detto anno grande novità: peroche ne fue cacciato Tinuccio, e Messer Dino dalla Rocca, e' loro consorti, e seguaci tutti; e molti altri grandi, e popolari ne furono mandati fuori a' confini in diverse parti del Mondo. Lo Caporale fue a cacciarli Andrea de' Gambacorti: peroche elli in persona andò loro alle case, e col fuoco li vinse, e rubò, & arseli tutti. Questo fue a dì ventiquattro di Dicembre 1347., e per tutte le dette persecuzioni non si aumiliava persona nessuna; e trovossi, che in Pisa morirono alla soprascritta mortalitade più di venticinque migliaja di Christiani in meno di tre mesi.

Nel 1348. si trovarono essere sotterrati in Parigi, a dì 13. di Marzo 1573. nobili huomini senza li altri di picciolo affare. Lo Re si partì della Città, & andonne a Leone. La Reina morio con uno figliuolo, e due nepoti, e molti altri Baroni. Noliens è una Città nel Reame di Francia, che faceva ventimila huomini; e per la grande mortalità, che vi fue, non vi rimase tremila. Ancora presso a Parigi a centodieci miglia era una notabile Città, che si chiamava Anerens (*), caddevi una folgore dal Cielo, che consumò grande parte di quella Città. Nelle parti di Gerusalem apparve uno drago, fatto come quello di S. Giorgio, il quale divorava ogni persona, che se li parava innanzi. Nelle contrade del mare della Tana, era una Città di più di quaranta migliaja di huomini; nella quale cadde si grande quantità B di vermi dal Cielo, che appuzzarono, & avvelenarono tutti quelli, che dentro vi erano, salvo che alquanti, che sene fuggirono. Questi vermi erano di grandezza d'uno sommesso, & haveano otto gambe; la Città havea nome Luco, & in tutto si disabitò.

Que-

(*) Forse dovrebbe dire *Amiens*.

IL FINE.

Questi due Capitoli, che seguono, se bene son fuori del luogo loro, e non continuano la Istoria, nondimeno perche trattano della medesima materia, e così si son trovati nell' unico libro scritto a penna, si sono ancora essi fatti stampare.

Questo è quello, che fue trovato per li Medici di Parigi, e tutto il loro Collegio a riparo della mortalità.

Noi, cioè, lo Collegio de' Medici di Parigi, con maturo, e disputato consiglio alla presente materia di mortalità, e ruina di vita con li testimonj de' nostri antichi savj in medicina, dichiarando la cagione di questa pestilenza più apertamente, che si potrà secondo le regole, e le conclusioni della Astrologia, e della scienza naturale.

Fermo, e palese è, che nelle parti dell' India del mare grande, le stelle minacciant li raggi del Sole, & lo calore del fuoco celestiale, molto usarono la loro potenza contro all' acqua d'esso mare, forte combattendo con essa; di che nacqueno spesse fumositadi, che copriano spesso lo Sole, convertendo la luce del Sole in tenebre, e quella fumosità per spesso ricorrimento ritornò al detto mare per spazio continuo di dì vent' otto; ma al fine la potenza del fuoco, e del Sole usarono tanto le loro forze contra lo mare, che tirarono a se quasi uno ramo di esso mare; & l'acqua convertita in fumo si levò in aere. E per questa cagione in certe parti s'appuzzarono si l'acque, che uccisono, e corruppono li pesci, la quale acqua così corrotta, lo caldo del Sole non la poteo consumare, nè di quella non si poteo generare acqua, nè grandine, nè nieve, nè rugiada; ma volando per l'aere la detta fumosità annebbiò più parti del Mondo a guisa di colore di vetro: e questo fece per tutta Arabia, e parte d'India, e di Creta; le valli, & le pianure di Macedonia, Ungaria, Albania, e Cicilia, e se toccherà Sardigna, non vi rimarrà persona viva; e'l simile avverrà a tutte l'Isole, e loro confini, dove lo vento marino d'India corrotto arriverà, ò sia per fine a quì arrivato durante lo segno del Leone. Se li habitatori de' detti luoghi non useranno li infrascritti rimedj, o simili, noi li facciamo certi di loro tostana morte, se già dalla grazia di Christo non fossono ajutati.

Pare a noi, che le stelle, con l'ajuto della natura, si sforzino per divina potenza a difendere, e sanare l'humana generazione, perforando la detta nebbia, con li razzi del Sole, D consolandola col vigore del fuoco: la quale nebbia intra li dieci dì, & li diciassette di Luglio prossimo, che verrà, si convertirà in puzzolente, & in maliziosa piova; & all' hora l'aere sarà molto sodisfatto. E però quando a voi si dichiarerà per segno di tuoni, la detta grandine, e piova, incontenente senza indugio ciascuno si guardi dallo aperto aere, & innanzi, e dopo la detta piova, si faccia fuoco grandissimo di viti, e d'alloro verde, e d'altre legna secche; & d'ascenzo, e di camomilla in grande quantità, cioè nelle piazze, & in ogn' altro luogo habitati dalle genti, e per le case,

A & in fine, che la terra non sia diseccata dell' acqua della detta piova, non vada nessuno affaticandosi per li campi, tre dì dopo la detta piova; & in questo mezzo si schifi la diversità de' cibi, & la frigidità della sera, della notte, e della mattina; e non si mangino uccelli volanti, nè d'acqua, nè porci freschi, nè buoi vecchi, nè pecore, nè carne grassa; ma usisi le carni in sul debito loro tempo, e siano calde, e secche; ma non siano calde, e furiose: usisi savore, con polvere di pepe, gengiovo, e garofani: e spezialmente per quelli, che sanno temperatamente vivere, e prendere lo cibo. Non è sano dormire di dì: dormasi la mattina in fine al levare del Sole, o poco più: la mat- B tina a desinare si bea poco: la sera si ceni alle ventitre hore: e puotesi più bere, che la mattina. Lo vino sia chiaro, asciutto, e grande, mettendovi lo quinto, o'l sesto acqua. Usare frutti secchi, o verdi non è nocivo col bere: ma usare frutti, e non bere, quello è mortale. Bietole, o altre herbe condite, o non condite, non sono sane; herbe saporite, come sono, salvia, o ramerino, sono sanissime. Mangiare cibi liquidi, humidi, e freddi a' più delli huomini sono rei; andare di notte, per cagione della rugiada, è mortale; e così in fine a Terza. Pesci di nessuna acqua non si mangino, se non sono piccioli d'acque correnti, che non escano di paduli. Lo troppo andare è reo: C stiasi più al caldo, che non si suole, per difesa dell' humido, e del freddo. Li cibi non si cuocano con acqua piovana: e ciascuno si guardi dalle piove. Quando fosse piova, piglisi un poco di tiriaca fina dopo mangiare: chi è grasso, non stia al Sole: li vini siano sottili, e buoni; e beasi spesso lo dì, e poco per volta. L'olio dell' uliva è mortale a usarlo mangiare. Trarsi sangue, lo digiuno, o l'astinenza disusata, darsi malenconia, o corruccio, o bere soperchio, è mortale. Se nel tempo dell' Autunno, li giovani non si guarderanno dalle dette cose, ne correranno pericolo di morte di flusso di corpo. Coloro, che non escono del corpo usino rimedj leggieri, quanto possono, come sono, cristeri, e cure: li bagni non sono sani. Usare con le femine è pessimo, e mortale; e non che usarle carnalmente: ma eziandio tenerle con seco nel letto, è cosa da non camparne a ciascuno, ma spezialmente a huomini habitanti in Isole, o alla marina, dove habbia percosso lo detto vento.

Come Papa Bonifazio fue tradito, preso, e come morio.

Habbiendo lo Re di Francia preso sdegno con Papa Bonifazio per certe cose, che havea volute da lui, e non le havea potuto havere,

vere, diede ordine con Messer Guiglielmo da Nogareto, Capitano in Corte del Papa; & havevavelo fatto essere lo Re, di fare morire lo Papa, promettendoli lo Re, di mettere in grande stato lui, e tutti i suoi, e chiunche s'adoperasse in ciò. Messer Guiglielmo per dare esecuzione al fatto, fue con Isciarra dalla Colonna nemico del Papa, e disseli la intenzione del Re, & la sua. Sciarra, come persona, che più desiderava la morte del Papa, che nulla altra cosa, attese volentieri al detto di Messer Guiglielmo, e subito parlò con quelli, che odiavano lo Papa, e principalmente con Messer Adinolfo, e col fratello, e con Messer Ranaldo da Soppino, con Massimo da Alatro, con Giuffredi Busse, Maliscalco della Corte; al quale fue promesso denari assai per condurlo a questo trattato. Tutti intesono al tradimento, e condusservi Messer Napoleone delli Orsini Cardinale. Quando Sciarra, e Messer Guiglielmo hebbono sodutti costoro a loro piacere, diedono con loro l'ordine, quando lo dovessono fare: & ordinarono farlo di notte, per tema, ch'el popolo da Alagna non si levasse contro a loro a romore: & al dì nomato, cioè a dì sette di Settembre 1303. Sciarra, Messer Adinolfo con le genti loro andarono di notte alle porte d'Alagna: all'hora Messer Guiglielmo, Capitano in Alagna per lo Papa, e Giuffredi generale Maliscalco, seguendo l'ordine dato con Isciarra, e con li altri, andarono ad aprire la porta. Sciarra con la gente sua entrò dentro, e con Messer Adinolfo, e con le bandiere del Re, gridarono, *viva lo Re di Francia, & viva Sciarra*; & andarono al palagio del Papa, el quale fue per tradimento aperto loro, & ellino cominciarono a percuotere, & uccidere chiunche si trovavano innanzi in palagio. Sentendo lo Papa lo romore, & vedendo non potere fuggire; prese l'ammanto di San Piero, e puosesel o adosso, e prese una Croce in mano, e puosesi a sedere in una sedia. Vedendolo Sciarra, & li altri in quello luogo, con l'ammanto, e con la Croce, non ardirono à toccarlo; ma gridavano contro a lui, che rifiutasse al Papato, si come elli havea fatto rifiutare a Papa Celestino: Elli rispondea, *mai non rifiuterò*; *peroche Papa sono*, *e Papa morrò*: Ellino lo schernivano, e rubarono tutto lo tesoro della Chiesa, & le Reliquie Sante; & sparsono lo Latte della nostra Donna, e molte altre cose scelerate feciono, e pigliaronlo, e così preso il tennono infine a Lunedì senza mangiare, ò bere; e se non fosse una feminella, che li diede quattro uova con uno poco di pane, sarebbe morto di fame, essendo abbandonato da tutti li suoi; salvo, che dal Cardinale Francesco; il quale mai non volse uscire del palagio, dicendo, *prima sarò morto con lui, che io n'esca*. Lo terzo dì uno Cavaliere d'Alagna, pensando quello, che si facea al Santo Padre nella sua Città, subito s'armò, e montò a cavallo; e senza nulla altra deliberazione uscio di casa sua: gridando; *viva lo Papa Bonifazio Santo nostro Padre, e muojano li traditori*. Onde lo popolo d'Alagna fue tutto ad arme, e corsono con quello Cavaliere insieme al palagio, dove lo Papa era prigione. Molti di quelli dentro, udendo questo romore, sene fuggirono fuori. Lo popolo entrò nel palagio, e pigliavano, & uccidevano li traditori, cui potevano, di loro si gittarono molti per le finestre, credendo campare: ma pochi ne camparono. Presi vi furono Messer Ranaldo da Soppino, Messer Adinolfo, e molti altri Caporali, e furono menati dinanzi al Papa. Quelli d'Alagna si inginocchiarono tutti dinanzi al Papa, domandandoli perdono di quello, che avvenuto li era nella loro Città; e non era stato difeso. Li presi li domandavano perdono del peccato commesso contra lui. Elli levatosi l'ammanto, e posata la Croce, si fece alle finestre, perche lo popolo vedesse, che era vivo; & assoluta la Città d'Alagna, e'l suo popolo, & liberò li prigioni, & ogn'altro colpevole, salvo, che chi havea del tesoro della Chiesa, se non lo restituiva.

Quando li Romani seppono, ch'el Papa era libero, mandaronli grande ambasciata de' più notabili Romani, a pregarlo, che tornasse a stare a San Piero: lo Papa rispuose, che di ciò volea compiacere al popolo di Roma, & insieme con li Ambasciadori tornò a Roma, e tutti li Cardinali, e l'avanzo della Corte di Roma con loro. Li Romani uscirono loro incontro con grande festa, e misono lo Papa in San Piero nel Palagio suo. Stando lo Papa in Roma, e pensando quello, che havea ricevuto, e spezialmente dal Re di Francia, al quale elli sempre havea servito, e conceduttoli le decime del Reame di Francia più e più anni, prese in se stesso tanto coruccio, che in pochi dì morio, e fue soppellito in San Piero a grande honore, come a lui si convenia.

E così fue adempiuto quello, che si truova scritto nella elezione de' Papi, che diceva così: *Intrabit, ut Vulpis; regnabit, ut Leo; & morietur, ut Canis*, e così seguio la storia profetica contro a lui; peroche con grande astuzia fece rifiutare il Papato a Papa Celestino, e fece chiamare se Papa. Regnò come leone, perochè più magnanimamente visse, e regnò, che mai regnasse Signore del Mondo, morio come cane, peroche per quello, che li fue fatto, arrabiò di dolore, e di quello morio.

Ego Jacobus Francischini de Ambrosiis scripsi A. D. 1396. die 22. mensis Decembris, cujus anima post mortem requiescat in pace. Amen.

MCCCLXXXXVI.

IL FINE.

GUALVANEI FLAMMÆ
MANIPULUS FLORUM,
SIVE
HISTORIA MEDIOLANENSIS
Ab origine Urbis ad Annum circiter MCCCXXXVI.
AB ALIO CONTINUATORE PRODUCTA
Ad Annum usque MCCCLXXI.

NUNC PRIMUM EDITA

EX MANUSCRIPTO CODICE PERGAMENO MEDIOLANENSI,

ET CUM ALTERO

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

COLLATA.

IN GUALVANEI DE LA FLAMMA MANIPULUM FLORUM

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

NOn infimum locum inter Italicae Historiae Scriptores sibi promeruit *Gualvaneus de la Flamma*, cujus Chronicon nunc primum publicae luci reddo. Fuit is Patria Mediolanensis; & Ordinem Praedicatorum ingressus, ea morum honestate, eoque splendore doctrinae fulsit, ut inter praecipuos sui temporis numeraretur. Circiter Annum 1297. Seculo valedixit: cujus rei testem ipsum habemus. Etenim in hoc eodem Libro enarrans magnificas nuptias Azonis Vicecomitis, & Beatricis Estensis, Anno 1299. celebratas (Corius hasce nuptias ad Annum 1300. refert) haec scribit: *Sed quia ego Frater Gualvaneus de la Flamma scribens praesens eram, nam in Ordine Praedicatorum eram habens unum annum cum dimidio, quod oculis vidi, fideliter enarrabo*. Tempus, quo ille vivere desiit, non ita certum; nam quod Historia haec protrahatur ad Annum usque 1371. non ipsi Gualvaneo tribuendum, sed alicui alteri, qui additamentum fecit. Nam is *Manipulum Florum* non ultra annum 1336. produxisse videtur, uti facile intelliget qui sequentium Annorum Historiam cum praecedenti conferat. Clarissimus autem Vossius in Tract. de Historic. Latin. Lib. 2. Cap. 64., *Galvanum Flammam* memorans, MStum Codicem Chronici istius, ut puto, laudat suo tempore existentem apud Franciscum Eliam Patricium Mediolanensem, in cujus fine, uti ipse ex Laurentio Pignorio acceperat, haec verba legebantur: *Scripsi Anno 1336*. Sed ut obiter innuam, deceptus fuit ipsemet Vossius a Jovio in Vita Othonis Vicecomitis, ubi memoratur *Stephanardus Flamma, qui Historiam ipsius Othonis carmine conscripsit*. Quare idem Vossius Stephanardum eumdem nobis exhibet, uti Auctorem *Manipuli Florum*; quamquam is postea dubitet, num alius a *Stephanardo de Vicomercato* esset hic *Stephanardus Flamma*. Ego Stephanardi Carmen jam edidi supra Tom. IX. Collectionis hujus. Jovius autem Stephanardum cum Gualvaneo de la Flamma nimis supine confudit.

Ceterum quis fuerit Gualvaneus noster, luculentius nos edocebit Ambrosius Taëgius ex Ordine Praedicatorum in Historiis MStis, quae adservantur adhuc in Coenobio Gratiarum Mediolani, scriptae circiter Annum 1490. Is vero in haec verba loquitur ad Annum 1315. *Quum igitur hoc Anno studium Philosophiae Moralis in Ordine sit introductum, primus qui legit in Conventu Mediolani, fuit Frater Galvaneus de la Flamma Mediolanensis, qui legit Ethicam, Politicam, Oeconomicam, & Rhetoricam Aristotelis, & Tractatum de Sphaera. Hic fuit persona honorabilis, & bonae famae in Civitate Mediolani, apud Magnates, & Principes pergratus. Per ejus operam Conventus Mediolani haud parum suscepit incrementum. Quamplura edidit Opuscula, videlicet Chronicam Ordinis ab ipsius principio usque ad Annum Domini 1343.* (Vides quousque vitam suam produxerit Gualvaneus) *Chronicam Imperatorum, & Chronicam aliam Civitatis Mediolani a conditione Urbis usque ad sua tempora*. Quod est ad *Historiam Ordinis Praedicatorum*, hanc nusquam videre mihi contigit. Reliqua vero Opera Gualvanei recensere accuratius mihi licebit, qui ipsa millies sub oculis habui, quum Mediolani in amplissima Urbe, ac in celeberrima Bibliotheca Ambrosiana dulcem vitam inter Libros agebam. Itaque videre est in laudata Bibliotheca membranaceum Codicem MStum, ubi in primis occurrit Fratris Gualvanei de la Flamma *Politia Novella*, quam ipse in *Conventu Fratrum Praedicatorum Sancti Eustorgii* scripsit, atque dicavit *Illustribus Principibus Urbis Mediolani, & Ducibus, Senatoribus, & Consulibus*. Ibidem antiquas, sed fabulosas, Mediolani origines pertractat. Reges ibi ante Christi adventum som-

somniat; aliaque congerit ad illius Urbis vetustatem, atque amplitudinem ostendendam, quae tamen spissis fabellis intermixta rarum sibi lectorem temporibus nostris spondere possent.

Subsequitur *Chronica Extravagans, habens Quaestiones LXXXIII. subalternatas Chronicae Gualvagninae, quam edidit, sive disputando determinavit ipse Frater Gualvagneus de antiquitatibus Civitatis Mediolanensis*. Heic rursus agit de Antiquitatibus Mediolani, suumque propositum his verbis exponit: „ Sed quia in Chronicis multae insur„ gunt contrarietates, & diversi diversa de eadem Historia conscripserunt: ideo „ ego Frater Gualvagneus de la Flamma Ordinis Praedicatorum, Sacrae Theo„ logiae Lector, qui magnam Chronicam scripsi de actibus Civitatis Mediolani, „ ubi multi mihi contradicere incipiunt, aliquas Quaestiones disputare proposui, „ ut aemuli mei, & veritatis inimici, videant clare, quod illud, quod scripsi de „ laudibus Urbis Mediolani, totum ex Libris authenticis est exaratum. „ Heic autem Antiquitates Mediolanenses accuratius pertractat, interspersis tamen Fabulis, quas a germanae Historiae narrationibus aetas illa, vix a barbariei tenebris caput attollens, secernere nondum didicerat.

Tum ibi legitur *Chronicon Majus*, quod ipse *Magnifico Domino Azoni Vicecomiti Civitatis Mediolani Domino generali* dicatum voluit. Opus spissum, & quamquam fabellis, ubi antiqua pertractantur, saturum, adhuc tamen magni faciendum; quippe multa ibi sunt, quae frustra alibi quaeras; & scriptor ille sibi ingentem copiam praecedentium Historicorum pararat, quo subsidio suum Chronicon pertexuit. Plures ex iis jam periere, quorum catalogum dedi in Prolegomenis ad Collectionem istam. Exorsus est autem Chronicon istud ab Adam, ut eorum temporum mos fuit, illudque perduxit ad suos usque dies. Auctor certe nulli essem, ut vomen hoc fabellis, ac digressionibus ineptis abundans, e tenebris ereptum publici juris facerem. Attamen multa sunt, quae inde ab homine quopiam emunctae naris excerpta in aliquam Literarum utilitatem procul dubio cedere possent. Ibi ad Annum Christi 1336. narrat, jubente Azone Vicecomite, coeptum esse celebrari in Urbe Mediolanensi *ad honorem Virginis almae Festum Nativitatis ejus de Mense Septembri*. Ad Annum 1340. animadvertit, in luxum ruere Mediolanensium juvenum mores, & alia quaedam facta Anno 1341. adjicit. Quare saltem ad eum usque Annum Gualvaneum vixisse, intelligere possumus.

Ab enumeratis hactenus Libris diversus est *Manipulus Florum*, quem nunc publica luce donandum censui. Usus sum antiquo Membranaceo Codice, quem mihi suppeditavit Camillus Sitonus Antiquitatum Mediolanensium olim studiosissimus, qui a nescio quo ad utendum acceperat; Palatini verò Socii, ne quid desiderandum relinquerent, paratum jam typis exemplar cum alio recenti Codice Bibliothecae Ambrosianae ea, qua solent, diligentia contulerunt, & variantes lectiones, ac numerorum potissimum menda, quibus librarii libros inspergunt, assignare & emendare nisi sunt. Heic utique legentibus primo occurrunt fabulae non paucae: consuetudo namque omnium Populorum fuit sua exordia, quae plerumque latent, magnificis, sed falsis originibus & phaleris amplificare. Ego retinere haec malui, quamquam Critico palato parum grata, ut quae olim foret Mediolanensium opinio de origine suae Urbis, nostris temporibus pateat. Ceterum quae a Beati Ambrosii obitu Gualvaneus habet usque ad Caroli Crassi Augusti Imperium, nihil mihi continere visa sunt, quod in publicam lucem efferri Eruditorum interesset; omnia enim ferme petita sunt e Paulo Diacono, Godefrido Viterbiensi, Martino Polono, aliisque id genus Historicis notis, atque vulgatis. Quare ab iis edendis lubentissime temperassem; Verum apud me vicit opinio doctissimorum hominum, qui vel ineptos Scriptores integros accipere malunt, quam decurtatos. Utique in Chronologia minime accuratus fuit Gualvaneus, idque animadvertas vel post Annum Christi Millesimum, quum Heribertum Archiepiscopum ad Cathedram Ambrosianam conscendisse ante Annum 1013. statuat, & Friderici I. annos turbet, ut alia innumera omittam. Verum non haec omnia semper Gualvaneo tribuenda, sed Librariis quoque, notas praecipue numericas perperam describentibus, ac saepe confundentibus. Quod etiam praetereundum non est, ejusdem *Manipuli Florum* vetera exemplaria Mediolani habebantur, in non paucis alterum ab altero dissimilia, ac discordantia. Certe Puricellius, Vir doctissimus, in contexendis suis Libris interdum usus est exemplari, quod cum nostro non convenit. Ab ipso etiam Gualvaneo profecta fortassis est hujusmodi diversitas, qui sua mutarit, sive correxerit.

Ceterum in fabulosis narrationibus, ac vulgi rumoribus adoptandis, liberalem se praestitit, quod negare non audeo, Gualvaneus noster. Sed pares in ejusmodi cala-

calamitate habet ille, quotquot in rudi illa temporum conditione Historiam a se remotam suscepere contexendam. Attamen tot, ac tanta sunt, quae ille nobis ex antiquitate servavit, ac praesertim de Mediolanensium rebus, ut ambabus ulnis ab Eruditorum Republica excipiendus sit illius labor; quamquam non paucis defectibus scatens. Et ex ejus sane penu hucusque profecerunt, qui Mediolanensem Historiam, ejusque praeclarissimae Urbis Antiquitates accuratiore studio literis mandarunt, ut mirum sit, cur Andreas Rovetta in Bibliotheca Illustr. Viror. Ord. Praedic. Provinciae Lombardiae Gualvaneum nostrum insalutatum dimiserit, quum tamen Scriptor hic apud Eruditos Mediolanenses magno sit in honore, ejusque nomen saepe in eorum scriptis occurrat. Si Stephanardum memoravit, Gualvaneum praeterire non debuit; accuratior fuit P. Jacobus Quetif, qui in suo de Scriptoribus Ordinis Praedicatorum opere illustrem hujus Auctoris famam collegit atque illustravit. Postremo tamdem loco noverint Lectores, existere Mediolanense Chronicon MStum, cui titulus *Flos Florum*, ejusque exemplar olim legebam ego apud Johannem Blanchinum, eruditum Civem Mediolani. Sunt qui similitudine quadam nominis decepti Historiam illam cum *Manipulo Florum* confundunt: sed extra omnem dubitationem positum est, nihil rei habere unam cum altera, & Auctorem Libri *Flos Florum* serius vixisse: qua de re legendus Clariss. Puricellius.



Placito Romoli inu. et del

Gio: Batta Sintes sculp. Romæ

CHRONICA MEDIOLANI,

SEU

MANIPULUS FLORUM,

AUCTORE

FRATRE GUALVANEO DE LA FLAMMA

ORDINIS PRÆDICATORUM.

Incipit Prologus in quamdam Chronicam de Civitate Mediolani, quæ appellatur Manipulus Florum.



SI autem fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, nullus morderet, nullus detraheret. Nunc autem quia hujus illustris Urbis Mediolanensis longum exordium, ejusque triumphales victorias, ac ingenua gesta super omnes coætaneos meos diligentiùs inquiro, morsibus caninis remuneratur labor, sermonibus veritatis detrahitur, sudori sitis superadditur in præmium. Et licèt ista calamum velociter scribentis ab inceptis sæpiùs retraxerint, amor tamen generosæ Patriæ incitat accuratiùs. Postposito ergo omnium latrantium strepitu, Christi Jesu fultus juvamine, ad exhibendum hujus Opusculi effectum me contuli, præsertim cùm mos fuerit antiquus serpentum, nudis indulgere, vestibus & armis onustum dilaniare. Numquid lux Mundi Doctor Ambrosius hæresum insertione, dictis obnubilatur? Numquid lingua Christi Gregorius ignium voragini in suis Libris condemnatur? Numquid scribanice Augustinus numerosa Librorum traditione fabularum compilator acclamatur? Numquid Cœlorum vox Hieronymus in sua Hebraica veritate falsidicus appellatur? Certè reor, quòd nec mihi veniam dabitis filii hominum, quorum dentes sunt arma & sagittæ, & lingua gladius acutus. Discant ergo obtrectatores mei, quorum labia caninis dentibus sunt vallata, priùs legere hanc Chronicam, quàm detrahere. Quid sibi demeruit Liber iste? In ullius opprobriumne malum exemplum inseritur? Deus in Sanctis suis benedicitur, & Civitas ista strenuis commendatur. Igitur jactis verborum ambagibus narrandi sumamus exordium, illius Spiritus Sancti invocantes auxilium, qui docet nos veritatem. Amen. Sed ut materiam

riam detrahendi, quantum in me est, detraham ab æmulis meis, Libros, ex quibus hanc Chronicam extraxi, enarrare curabo.

CAPUT PRIMUM.

Chronicæ, è quibus præsens Opus compilatum est.

Liber Gottofredi, qui dicitur *Memoria Seculorum*, est apud S Ambrosium.
T. Livius est apud Joannem de Cermenate.
Jacobus Januensis de Varagine, &) apud Cre-
Paulus) sentiagum.
Historia Lombardica.
Historia Ecclesiastica.
Historia Romana.
Stephanardus Ord. Prædicatorum.
Bonvisinus de Ripa apud S. Eustorgium.
Jacobus Laudensis, &) apud Joannem de
Registrum Communitatis) Cermenate.
Ptolomæus Episcopus Ord. Prædicatorum apud Episcopum de Torsello.
Sycardus Episcopus Cremonensis apud Papiam.
Leucippus apud Freistum de Medicis.
Martiniana Ordinis Prædicatorum.
Eutropius.
Graphia aureæ Urbis apud Lanzalottum Crottum.
Datius, &) apud S. Nazarium.
Arnulphus)
Chronica Paduana apud Presbyterum Ambrosium de Valnesia, & Vassallinum Bossum.
Registrum Potestatum Mediolani apud Panigarolas.
Historia Beati Barnabæ cum)
Ordinaria Historia omnium) apud S. Eustor-
Archiepiscoporum Mediola-) gium.
nensium.)
Liber descriptionis Mediolani.

Ex his viginti quatuor Chronicis hanc Chronicam adnotavi, quam *Manipulum Florum* appellari placuit.

CAP. II.

De figuris, sub quibus aliquæ Civitates figurantur.

Auratæ Virginis candidum Gallum bajulantis, speciosissimam formam Mediolani, totius Italiæ, Normandiæ, & Saxoniæ ferentem diadema, designat figura. Sic Roma leonis, Brundusium cervi, Troja equi, Carthago bovis, Janua griffonis, Cremona porcæ, Papia vulpis, Placentia galli, ob significationem Varro Poëta designare testatur. In hac præclara Civitate primò sedit, & jacet Barnabas Apostolus triginta duorum Sanctorum Archiepiscoporum turba vallatus. Hìc magnus Mundi Doctor Ambrosius magnum convertit Augustinum; hìc magnus Virgilius togam recepit: ex quo patet quòd hìc Studium generale floruit.

CAP. III.

De prima constructione Mediolani.

Anno ante Christi Incarnationem 1972. secundùm Jacobum in sua Chronica, Civitas Mediolani constructa fuit, anno antequam Roma fieret 932. Et quia Historiographorum oculos amor propriæ Patriæ excœcavit in mul- A tis, quòd non curaverint mentiri, aut fictiones ad libitum componere, dummodo possint suas Civitates famosas & notas facere, ideo ille, qui est Doctor Theologiæ, & Prædicator veritatis non debet nisi vera scribere. Idcirco ut possim probare de antiquitate Mediolani Civitatis, ut dixi, ponam aliquas radices verissimas, ex quibus clarè patebit, verum esse, quod dictum est.

CAP. IV.

Prima Probatio antiquitatis Civitatis Mediolani.

B Prima radix est ista. Italia est Provincia antiquissima, ubi est sciendum, quòd in textu Bibliæ Genesis 8. & 9. Cap. sic habetur, quod Noë egrediens de arca stetit in montibus Provinciæ Armeniæ, cui dixit Dominus: *Crescite, & multiplicamini, & ingredimini terram, & replete eam; & vixit Noë post diluvium 350. annis, & mortuus est.* Ex mandato ergo Dei sic in progenie multiplicatus est, ut dicit *Magister in Historiis Scholasticis*, quòd post diluvium vidit ex se natos 24000. virorum, & centum plus armatorum, exceptis mulieribus, & parvulis. Inter alios genuit Noë post diluvium, ut dicit idem Magister, quemdam filium nomine Janitum, qui in scientia Astrologiæ exstitit peritissimus. Hic prædixit, quatuor C futura esse Imperia, & Imperium Occidentale erat futurum tam forte, quòd omnia Mundi Imperia exterminaret. Quod planè Daniel propheta prædixit. Quo audito Nembrot gigas altissimus, & tyrannus crudelissimus, qui turrim Babel propterea erexit cupiditate dominandi altiùs, ut in illa Civitate nomen suum perpetuò haberet, vocavit filium suum nomine Camesem, præcipiens ei, ut navigio intraret Italiam, & ibi aliquam Civitatem construeret, sperans, quòd illa foret, quæ Domina Mundi futura esset. Quibus auditis Cameses, præcepto patris arctatus, navigio intravit Italiam, & in partibus, ubi nunc est Roma, primus inhabitator fuit. D Quid autem fecerit in Italia iste Cameses, non legitur, nisi quòd Liber, qui *Graphia Aureæ Urbis* dicitur, dicit, quòd Noë intrans in Italiam istum Camesem habitatorem invênit. Postquam Cameses filius Nembrot gigantis intravit Italiam, aliquibus diebus Noë magnus, qui præcepto Dei audito, postquam esset de arca egressus, ut intraret terras, & habitatoribus impleret, ut supradictum est, navigio vênit in Italiam, ubi circa partes, ubi nunc est Roma, Civitatem construxit, quam ex suo nomine Civitatem appellavit Noë. Ubi postquam regnavit 150. annis, finem vitæ & laboris dedit, ut clarè habetur ex Libro, qui dicitur *Graphia Aureæ Urbis*. Sed hodie sunt multi, qui dictis E istis contradicunt, & arguunt sic. Sacra Scriptura, quæ facit mentionem de Noë, & filiis, nullam facit mentionem, quòd intrarit Italiam: ergo non est verum, quòd Noë intravit Italiam. Multi Libri de hoc essent fati; sed nullus Liber authenticus hoc dicit; ergo non est credibile, quòd Noë intraverit Italiam. Ad intellectum hujus quæstionis est sciendum, quòd quando Noë egressus fuit de arca circa partes provinciæ Armeniæ, ita potuit ire versùs Orientem, sicut versùs Occidentem, quia nullus homo erat in Mundo, nisi ipse solus cum tribus filiis, nec erat aliqua domus, cultura, nec arbor. Unde habetur in *Historiis Scholasticis*, quòd cùm de ipso

ipso multa progenies descendisset, totum Mundum divisit in tres Principatus. Nam filio suo majori, qui dictus est Sem cujus describuntur in Sacra Scriptura 27. generationes, obtinuit Asiam, sive totum Orientem; Cham filio suo secundogenito, cujus describuntur 30. generationes, obtinuit Africam; Japhet filio suo minori, cujus describuntur 15. generationes, dedit Europam, in qua est Italia. Cùm ergo Noë de terra nihil sibi retinuerit, ita potuit cum Japhet intrare Italiam, sicut remanere in Armenia. Ergo nullus reputet impossibile, quòd Noë intrarit Italiam. Ad primum argumentum est dicendum, quòd Sacra Scriptura nihil dixit de Noë post diluvium, in quo vixit 350. annis, & mortuus est. Sed non dicit, ubi habitarit, nec ubi fuerit mortuus, nec sepultus. Sed dicitur, quòd Sacra Scriptura non dicit, quòd intraverit Italiam; ergo non est verum istud. Nihil valet, quia multa sunt scripta, quæ sunt verissima, de quibus non fit mentio in Sacra Scriptura; sed sufficit, quòd Sacra Scriptura non contradicat, & quòd Chronica, quæ dicitur *Graphia Aureæ Urbis*, quæ est Liber valde authenticus, Historias Romanorum antiquas describens, dicat, quòd intraverit Italiam, & quòd Civitatem in partibus Romæ construxerit, quam ex suo nomine Noë appellaverit, sicuti dictum est. Ad secundum argumentum est dicendum, quòd ad faciendum unam Civitatem bene sufficerent mille homines pro armis; sed Noë post diluvium vidit ex se natos 24000. virorum armatorum, & centum plus, exceptis mulieribus, & parvulis, ut dictum est. Ergo antequam moreretur, potuit videre vigintiquatuor magnas Civitates manu filiorum suorum constructas. Ad tertium argumentum est dicendum, quòd Chronicæ antiquæ hoc non contradicunt, ut dictum est. Est ergo declarata prima radix, scilicet, quòd Italia est Provincia antiquissima.

CAP. V.

Secunda Probatio.

Secunda radix est talis. De similibus idem est judicium; sed Nembrot ablaticus Noë post mortem Noë construxit in Oriente unam Civitatem, quæ habebat in circuitu 42. leucas, & turrim, quæ erat alta per duas leucas. Ergo alii ablatici Noë nati de Japhet, qui tenuit Europam, potuerunt multas, & magnas Civitates ædificare in Italia, ut Tubal filius Japhet construxit Ravennam, Subres filius Tubal construxit Subriam, idest Mediolanum, Janus Bifrons Janiculam Civitatem juxta Romam, & ipse Noë Civitatem Noë, ut dictum est.

CAP. VI.

Tertia Probatio.

Tertia radix est talis. Secundùm cursum naturæ nihil fit subitò, immo successivè & gradatim cuncta suas attingunt perfectiones, ut videmus, quòd puer subitò non fit vir, nec Sol subitò facit diem perfectum; immo puer gradatim ad debitum pervenit corporis incrementum, & Sol primò facit mane cum parva luce, deinde facit meridiem. Idem est de Civitatibus. Nam legitur, quòd primò Civitas fuit valde parva, & sine Episcopatu, & non potuit attingere, quòd haberet de Episcopatu 18. milliaria; unde postquam constructa fuit, ad hoc

A laboraverunt, paulatim crescendo per 242. annos. Dicamus igitur, quòd Civitas Subria, sive Mediolanum fuit ita potens, antequam Roma fieret, quòd non solùm in suo Episcopatu dominium habuit, immo totam Lombardiam subjugavit. Hoc non potuit fieri subitò, immo per longa annorum tempora ad tantam potentiam devênit. Ergo antiquissimo tempore ante Romam constructa fuit. Sed in antiquissimis temporibus nullæ Civitates construebantur, nisi à filiis Noë, & à filiis filiorum: Ergo verum est, quòd Subres ablaticus Noë hanc Civitatem construxit, quæ toti contratæ nomen dedit. Unde usque hodie quædam pars nostri Comitatus Seprium dicitur, quasi Subrium. B Et quia Civitas Mediolani in principio fuit parva, demum est facta potentissima. Qualiter creverit, audiamus.

CAP. VII.

Qualiter creverit Civitas Mediolani, & de Civitatibus, quæ erant in Comitatu ejus.

Fuerunt circa Civitatem Mediolani quamplures Civitates post multa tempora constructæ, quæ istam Civitatem multùm conturbaverunt, ex quarum destructione Civitas Mediolani facta est potentior. Una Civitas dicta est C Monfortis, quæ erat situata juxta Varesium, cujus vestigia adhuc apparent. Alia Civitas dicta est Statio, quæ post dicta fuit Engleria. Ista Civitas fuit nobilissima; quæ cùm fuisset destructa, una parentela exivit, quæ dicebatur de la Columna. Hi versus Romam iverunt. De ista Civitate sic dicit *Frater Stefanardus*:

Urbs antiqua fuit antiquis diruta bellis,
Ipsa redacta solo, pauco contenta colono,
Nobilitatis habens priscæ vestigia servat,
Delubra quæ reficit prope mœnia sparsa per agros.

Alia dicta fuit Barri, juxta Civate; quæ Civitas situata fuit in monte Briantiæ. Alia Civitas Leucum; & ista Civitas potentissima fuit, in D quam vênit Cæsar Imperator, cùm de ultramontes rediret, unde Lucanus:

Leucas, & ardentes civilia bella sub Ætna.

Fuerunt insuper plures Principes, & Barones in Comitatu Mediolani, Civitatem Mediolanensem multis injuriis fatigantes. Inter alios isti ab antiquo fuerunt potentiores, scilicet Castrum Martum, in quo erant nobilissimi Marchiones, à quo Castro tota contrata appellatur Martesana. Item Castrum Seprii, in quo fuerunt Comites præclarissimi, à quo Castro tota contrata Seprium, sive Subrium appellatur. Item in Burgaria fuerunt Duces potentissimi. Isti tres Principatus maximi cum Civitate nihil facere habuerunt, E quos omnes postea Otho Imperator hujus nominis primus Communitati Mediolani donavit; & per istum modum nostra Civitas de modica facta est maxima. In Valle Sasena fuerunt Comites dicti Comites de Valle Sasena, quorum dominium totam ripam Lacus de Leuco usque in Bernasinam, & usque Medam perstringebat. De quibus nati sunt illi de la Turre, ut dicetur in locis suis. Super Barzanovum in quodam monte erant Comites potentissimi, qui dicti sunt Comites de Turrevilla, qui propter suas crudelitates inde exstirpati in Tusciam euntes, dicti sunt Comites de Rotofort usque in præsentem diem.

CAP. VIII.

Subres Ablaticus Noë condidit Subriam, ideſt Mediolanum.

ANno antequam Roma fieret 932., Anno ante Chriſti Nativitatem 1972. quidam magnus Princeps nomine Subres Hebræus, ſive Judæus genere, ablaticus Noë, in medio duorum amnium, ſive fluminum, ſcilicet Ticini, & Abduæ Civitatem conſtruxit, quam ex ſuo nomine Subriam vocavit. Tunc quia ante ipſum nullus homo, nec mulier, in Italia habitator fuerat, non erat cultura aliqua, nec vinum, nec bladum. Homines, & mulieres glandibus utebantur in cibum; & ſi aliquando aliquam beſtiam capiebant, ex pellibus veſtes ſibi faciebant. In ſpeluncis communiter habitabant; erant rudes moribus, corpore gigantei, per longa annorum ſpatia vivebant; Judaicè loquebantur. Quid autem fecerint iſti, qui in Civitate Subria erant, utrum aliam Civitatem conſtruxerint, vel contra Civitatem Ravennatem, quæ ſola conſtructa habebatur; prœlium aliquod fecerint, non invenitur ſcriptum; ſed per 126. annos ſic ſteterunt ſub dominio Subris Principis ipſorum. Eſt ergo notandum, quòd Civitas Subria, ideſt Mediolanum, conſtructa fuit per Subrem ablaticum Noë, & filium Tubal Anno Mundi 2275. & fuit conſtructa, antequam Roma 932. annis. Roma autem conſtructa fuit per Remum & Romulum Anno Mundi 3207. Subria etiam conſtructa fuit ante Trojam 355. annis, & ante Incarnationem Chriſti 1972. Ex hac quidem præclara Civitate tres Summi Pontifices, duo laureati Imperatores, unus Italiæ Rex, & Illuſtres Cardinales ſex traxerunt originem. Iſta Civitas Subria ſtetit ſub dominio Subris Principis ipſorum per 125. annos.

CAP. IX.

Quomodo Janus Græcus Italiam obtinuit, ubi Rex primus effectus eſt.

ANno poſt conditam Urbem Subriam, ſive Mediolanum 125. annis, antequam Roma fieret 812., Anno ante Chriſti Nativitatem 1846., quidam Princeps nomine Janus, genere Græcus, filius Jovis Regis Græcorum, cum magna multitudine Græcorum Italiam intravit, & totius Italiæ dominium obtinuit, & Rex Italiæ dictus fuit Si autem Subriam Civitatem intraverit, vel quid fecerit, vel ſi cum Subre Principe iſtius Civitatis guerram vel pacem habuerit, totaliter ignoratur. Qui poſtquam regnavit in Italia annis 188. mortuus eſt.

CAP. X.

Quomodo Saturnus Italiæ Rex factus, Civitatis Mediolani mores in melius commutavit.

ANno poſt conditam Urbem Subriam, ſcilicet Mediolanum 313., Saturnus Rex Græcorum, de Græcia per filium ſuum expulſus, vênit in Italiam, & factus eſt Rex loco Jani ſupradicti ablatici ſui, qui intravit Subriam Civitatem, ſive Mediolanum, & ſimiliter alias Civitates, ut Ravennam, Noë, & Caſtra, & Villas. Qui videns populum Subriæ Urbis, & totius contratæ eſſe populum rudiſſimum, glandibus paſtum, pellibus beſtiarum veſtitum, in

A ſpeluncis ut plurimùm commorantem, miratus eſt: unde ſtatuit, quòd omnes homines Italiæ viverent ſecundùm jura naturæ, ſcilicet quòd omnia eſſent communia. Item docuit terras arare, ſeminare, & vineas plantare; item ut mercatores introducerentur in Italiam, ſinè quibus nulla unquam Provincia habuit rerum affluitatem. Docuit naves facere, & vela navibus ſupponere. Per mare, & per terras docuit mercari. Item inter populum ſuum militiam introduxit, docuit clypeos militares portare, in avibus rapacibus, ſcilicet Falconibus, Aſturibus, Accipitribus venationes exercere; denarios de cupro ſtampari præcepit. Ex tunc Italia, relictâ Linguâ Judaicâ, quam Subres intu-

B lerat, Græca Lingua uti cœpit. Et hic Saturnus, ad differentiam ceterarum Provinciarum, totam iſtam Provinciam vocavit magnam Græciam. Unde dicit B. Hieronymus in Prologo Bibliæ, quòd *Italia quondam dicebatur magna Græcia*. Hic autem eſt animadvertendum, quòd Italia eſt illa Græcia, quæ deſtruxit Trojam, unde dicit *Gottofredus in Libro*, *qui dicitur Memoria Sæculorum*:

Græcia Trojanos, quæ tunc ſuperaſſe putatur.
Non erat ex Danais, gens Itala namq; probatur.
Itala nam tellus, Græcia major erat.

Iſte namque Saturnus Rex Saturninam Civitatem, ubi nunc eſt Capitolium, conſtruxit, quæ toti Provinciæ nomen dedit. Et propter iſta

C merita inter Deos relatus eſt, ſummum inter Planetas obtinens locum. Iſto tempore Joſeph in Ægypto venditur. Et quia Saturnus fugiens à facie filii ſui Jovis, in Italiam aliquo tempore latuerat, ideo ſecundùm *Papiam*, tota Provincia dicta fuit Latium à latitando, quod eſt abſcondere. Mortuo itaque Rege Saturno prædicto, Picus filius ejus regnavit pro eo, qui ex ſua uxore, quæ dicebatur Fana, genuit Fanum, qui poſt mortem patris regnavit. Hic Rex Fanus ex Carmenti Nympha uxore ſua genuit Latinum. Iſto tempore tota Italia literis Latinis, & ſermone Latino uti cœpit, unde & Latini dicuntur uſque præſentem diem.

D

CAP. XI.

De diverſis dominiis, quæ in Italia erant.

ANno poſt conditam Urbem Subriam ſive Mediolanum 450. dominantibus Subriis in ſua Subria Civitate, iſti magni populi erant in Italia, antequam Troja deſtrueretur, ut ex diverſis Chronicis habetur: In Aprutio regnabat Achilles fortiſſimus, qui Hectorem interfecit. In Tuſcia regnabat Turnus gigas mirabilis fortitudinis. In Apulia, regnabat Diomedes. In Sicilia regnabat Agamemnon. In Laventia Latinus. In Pedemonte regnabat Evander. In Marchia Triviſana ſecundùm T. Livium Engaddes

E Populi fortiſſimi. Ultra Tyberim regnabat Meſentius. In Calabria Hercules gigas nominatiſſimus. In Inſula Sardiniæ Sardinus filius Herculis. In Inſula Corſicæ regnabat alius filius Herculis nomine Cirenus, unde illa Inſula primò Cireneja dicta fuit. Iſta fuerunt 12. Regna in Italia, ſive in magna Græcia conſtituta, Principibus, & militia nobili plena, populis & tyronibus, ideſt fortiſſimis juvenibus undique referta. Interim ex Troja Civitate quidam pulcherrimus juvenis Paris nomine, Priami Regis filius, auditâ famâ pulchritudinis Helenæ uxoris Menelai Regis, navigans citra mare, ipſam rapuit. Quo audito Agamemnon Rex Siciliæ Menelai frater,

ter, & Helenæ cognatus, convocatis supradictis 12. Principibus, & exercitu copioso, cum fratre suo Menelao navigantes, Trojam obtinuit, atque destruxit. Ex quibus Trojanis plures, qui proditores fuerunt, cum Italicis in Italiam profecti sunt; & Civitates per diversas partes Mundi construxerunt, ex quibus illas notabimus, quæ ad præsens Opus pertinent. Destructâ autem Trojâ secundùm *Leucippum* Æneas cum filio suo Ascanio Julio, & patre Anchise, & cum ipso sex millia virorum pugnatorum, in Italiam vênit, & in Sicilia patrem sepelivit, & in Africa Didonem Reginam Africæ uxorem duxit, quam in brevi tempore dereliquit; nam Idola ipsi Æneæ dicebant: *Redire te oportet in Italiam, ubi Civitatem filii tui construent, quæ domina Mundi est futura*. Qui de Africa rediens, Laviniam Latini Regis filiam uxorem duxit, de qua duos filios genuit, & Italiæ Rex octavus fuit. Hic Æneas filium suum Ascanium Julium in Campania Regem fecit, qui propterea totam Tusciam, & Lombardiam obtinuit secundùm *Leucippum*. Hic Ascanius Julius postquam 192. annis regnavit, Julius filius ejus, qui Albam Longam condidit, regnavit pro eo. De isto Julio per multas intermedias generationes natus est Julius Cæsar, primus Mundi Imperator. Socii autem Æneæ has per ordinem Civitates condiderunt. Nam Pisius condidit Pisas; Marsius Marsorum regionem, Marchiam Anconitanam, sive Anaconitam; Janus Januam; Anglus Angleriam; nobilis Domina Verona Trojana Veronam. Alii socii Æneæ in Provinciam Proventiæ sunt ingressi, ubi has construxerunt Civitates. Nam Nerbonus Nerbonam, Tholosius Tholosam, Catulus Cateloniam, Ledrus Ledram, Barchus Barcinoniam, Seragogius Seragogiam, Toletus Toletum, Segodius Segodiam, Alamachius Alamachiam. Istarum Civitatum populi ab Ænea Æneidi dicti sunt. Ex alia parte Paris Trojanus, secundùm *Leucippum* cum 8000. virorum pugnantium in Insulam Siciliæ vênit, eamque expugnavit. Socii autem Paridis construxerunt has Civitates; nam Palerius Palermum construxit, Missinus Missinam, Brundius Brundusium, Siculus Siciliam, quæ toti Provinciæ nomen dedit. Interim Paris terram firmam ingreditur, & in Apulia has condidit Civitates; nam Trojus Trojam, Tarentus Tarentum, Trajus Trajanam, Capus Capuam, Salernus Salernum. Et vadens in Alamanniam, socii ejus construxerunt has Civitates; nam Colonus Coloniam, Magantius Maguntiam, Gallus Galliam, quæ toti illi contratæ nomen dedit. Ipse verò Paris Parisium, ubi est mortuus. Francus verò, filius Hectoris Trojani, in ripa fluminis Rheni construxit Trojam. Ab ipso Franco tota Provincia dicta est Francia. De isto Franco per multas intermedias generationes natus est Anchises Dux Franconiæ, qui genuit Arnulphum patrem Pipini Grossi: Hic Pipinus genuit Carolum Martellum patrem Pipini nani, qui genuit Carolum Magnum. Item de Troja egressus est Priamus junior, filius Priami Trojani. Hic, secundùm *Gottofredum* in profunda Hungaria construxit Civitatem, quam vocavit Sycambriam, quæ cum adjutorio Mediolanensium totam Hungariam, Alemanniam, & Italiam subjugavit, ut infra dicetur. Item de Troja egressus est Antenor cum populo magno. Hic condidit Paduam. Item de Troja egressus est Venetus, qui in quadam Insula construxit Castrum Venetum, quod postea toti Provinciæ nomen dedit; cum quo venerunt multi socii,

A ex quibus sociis unus Aquilus Aquilegiam, Perusius Perusiam, Ferromanus Ferromanum, Pentapolis Pentapolim miræ magnitudinis, & admirabilis operis condidit. Quorum Civitatum populi secundùm T. Livium Veneti dicti sunt. Æneas verò Trojanus Italiæ Rex octavus construxit Civitatem, quam ex nomine uxoris Lavinam appellavit. Quo mortuo Lavinus filius ejus posthumus regnavit pro eo. Post istum Æneas Sylvius posthumus frater ejus secundùm *Sycardum*. Et isto tempore quarta ætas incœpit. David regnabat in Hierusalem. Mortuo Ænea Sylvio posthumo, regnavit pro eo Silius Latinus, qui multas urbes construxit. Postea regnavit Silius filius ejus. Postea Silius Ægyptius filius ejus; postea Silius Capis filius ejus, qui Civitatem Capuam construxit. Cui successit Silius Carpentius filius ejus. Isto tempore secundùm *Gottofredum* de Civitate Sycambria egressus est maximus populus, qui Hungariam veterem devicerunt, & subjugatâ Bavariâ cum Carentana per Tridentinam vallem ingressi sunt Italiam. Hi sibi confœderatis Mediolanensibus postea Brixiam, & totum planum Lombardiæ destruxerunt. Qui postea per montes Cumarum in Franciam equitaverunt. Unde *Gottofredus*:

Tunc Mediolanenses socios habuere Sycambri,
Viribus illorum suffulti pluribus annis,
Tunc Brixianorum proripuere solum.
Progenies Priami Ligurum capit undiq; plana,
Amodo montana satagunt captare Cumana
Qua validè & rudè vivere semper amant.

Ex hac tam magna & potenti strage, quam intulit Civitas Mediolani toti Italiæ per annos 200. antequam Roma fieret, considerare satis manifestè quilibet potest, quanta sit Civitatis Mediolani antiquitas infinita. Quia sicut Sol primò parvam lucem dat, postea majorem, & paulatim crescit in meridiem; sicut puer parvulus primò existit, postea paulatim crescit in virum perfectum: sic Civitas Mediolani, quæ isto tempore potentissima exstiterat, per multorum tempora annorum paulatim crescendo multos annos consumserat. Exemplum de Roma hoc ipsum confirmat; nam post constructionem Romæ per 244. annos nisi per 18. milliaria longè à dicta Civitate vicinas sibi contratas potuit subjugare. Quanto ergo tempore nostra Civitas Mediolani potuit protelari per longa tempora, antequam tantæ potentiæ fuerit, quòd non solùm per 18. milliaria longè, verùm etiam totum planum Lombardiæ subjugaverit?

CAP. XII.

Qualiter Barbari Lombardiam subjugaverunt.

Destructâ autem totâ Lombardiâ per Mediolanenses, duravit sub dominio Civitatis Mediolani totius Lombardiæ servitus multis annis. Interim gens barbara, qui Tusci dicti sunt, citra montes venerunt, & sibi totam Lombardiam subjugare studuerunt. Venientes autem ad ipsam Civitatem Mediolani, eam obsederunt. Quibus tota Lombardia propter præcedentia gravamina contra Mediolanenses auxilium præstitit. Tamdem Rex Tuscorum Civitatem Mediolani expugnavit, munitiones omnes funditus evertit, ac per totam Lombardiam dominari cœpit liberè in tantum, quòd non solùm terra Tuscia dicebatur, verùm etiam mare Januensium, & Romanum, Mare Tuscorum nuncupabatur, ut dicit T. Livius. Similiter ipsi Tusci facti potentes, sex Civitates magnas citra montes,

tes, & totidem ultra montes construxerunt, quibus præter usum linguæ omnem consuetudinem suam communicaverunt.

CAP. XIII.

De pluribus Regibus immediatè regnantibus in Italia.

MOrtuo Rege Carpentio supradicto, Silius Tiberius filius ejus regnavit pro eo; post quem Silius Agrippa filius ejus; post quem Silius Aremulus filius ejus; post quem Silius Aventinus filius ejus; post quem Silius Procax filius ejus; post quem Silius Numitor frater ejus, qui genuit Sybillam Herytream virginem Deæ Vestæ, cum qua Deus Mars commixtus est, & geminum partum edidit, Remum scilicet, & Romulum. Hic autem Romulus Romam condidit anno post conditam Civitatem Mediolanensem 932., anno post destructionem Trojæ 420. Post Regem Romulum regnavit Numa Pompilius; post eum Tullus Hostilius; post eum Ancus Marcius, post eum Priscus Tarquinius. Isto tempore quinta ætas incœpit; Sedechias regnabat in Judæa; destruitur Templum Salomonis in Hierusalem. Eodem secundùm T. Livium Libro quinto dicitur, quòd per 270. annos, antequam Breno intraret Italiam, Bellovesus Mediolanum reædificavit. Bellovesus nepos Ambigati Regis Celtarum, quæ est tertia pars Galliæ, per Taurinos montes, Juliasque Alpes faciens transitum, in Italiam vênit. Fueruntque cum eo Eudones, Bituríces, Alverni, Senones, Ambares, Carmites, Aluchi, Boji, & Cenomani, ac populorum & militum exercitus copiosus. Quibus Rex Tuscorum juxta flumen Ticinum potenter occurrit, ac transire prohibebat. Tandem Tusci fugantur, & tota Lombardia in dominium Gallorum devenit. De adventu Gallorum istorum sic ait Frater Stephanardus:

Hanc tenuit forti Gallorum marte juventus,
Tuscis expulsis, patriis priùs ipsa fugata
Sedibus, haud patiens fraterni pondera belli.

Tunc Bellovesus cum Marchionibus, & Comitibus, ac cetera turba militari inter Alamanniam, & Ticinum flumen propter vini copiam sua castra fixit; ceteros autem populos rudiores per Æmiliam usque Ravennam dispersit. Nam Titonius Dux Germanorum Brixiam, & partes illas possedit. Senones juvenes recentissimi usque ad fluvium Athesim possederunt. Salvini verò, & Ligones ultra Provinciam transgressi; Tuscos de Mediolano jam fugatos, similiter & Imbros ex propriis habitationibus expellunt. Endones verò in Subrio Pago, qui est in Gallia, nutriti, propter augurium nominis secundùm T. Livium, in Subrio Pago, sive agro, ubi quondam fuerat Subria Civitas antiquissima, quæ nunc dicitur Mediolanum, inhabitare cœperunt. Qui videntes contratam cunctis divitiis, & deliciis plenam, gavisi sunt gaudio magno, & ibidem oppida construxerunt, & Civitates quamplures. Interim ad aures Regis Francorum fama volavit, quòd Lombardia cunctis opibus esset referta; qui cùm intrare vellet Lombardiam, Bellovesius supradictus viriliter occurrit, ac ipsum redire coëgit. Tunc Bellovesus cogitavit Civitatem aliquam fortissimam erigere, ubi Regia sedes existeret, & cunctum populum ab inimicis communiret. Sed & septem viros prudentissimos elegit, qui ab Idolis sciscitarentur, quis locus haberetur aptior. Et Dii responderunt: *Ubi suem à medio tergo nigram, & ex altera parte albam vel laneam inveneritis, illum locum sua vetustate consumtum communite.* Et statim sub ascendente astro Leonis mirabilem murum fundaverunt vigintiquatuor pedum magni hominis grossum, & elevantes ipsum in altum sexagintaquatuor pedum magni hominis in aëre extulerunt. Et secundùm quòd dicit *Dacius*, in circuitu muri erant 310. turres altæ & rotundæ, tam spissæ, quòd de turri ad turrim, quasi vicinus cum vicino faciliter confabulabatur. Super portas Civitatis erant sex domicilia Imperialia, alta, & rotunda; & ante quamlibet portam erat una turris triangularis opere decentissimo fabricata, quæ hostibus barbaris quasi natura munita introitum denegabant. Et fuit facta ista ædificatio Civitatis Mediolani per 270. annos, antequam Breno intraret Italiam secundùm T. Livium Libro quinto. Tunc habito consilio ipsi Civitati nomen (scilicet Subria) antiquissimum abstulerunt, & à sue divino nutu apparente, quæ media erat alba, & media nigra, sive lanea, ipsam Mediolanum appellaverunt. Vel potiùs quia ista Civitas situata est in medio duorum amnium, sive fluminum, scilicet Ticini, & Abduæ, Civitatem Mediolanum vocaverunt. Has duas opiniones de nomine istius Civitatis tangit Frater Stephanardus dicens:

Lanea sus medio quam pertulit esse futuram
Miro visa loco, quo structor mœnia jecit;
Nactaque prodigio est divino nomen ab ipso,
Ipsa duum sita medio amnium condita dives,
Quin & scatebris arentes irrigat agros
Jugibus, ut gratos sic dent pro gramine flores.

CAP. XIV.

Bellovesus quomodo in Regem coronatur; qui Idola VI. fabricari fecit, & nomina Portis dedit.

HIs peractis Gallorum gens ad instar ceterarum nationum Bellovesum supradictum in Civitate Mediolani in suum Regem coronaverunt, anno ante Nativitatem Domini 752. Hic Rex Gallos feroces & indomitos prudenti Ducatu gubernavit, hostes per circuitum Lombardiam invadentes potenter superavit; & sex Idola secundùm sex Civitatis portas fabricari fecit, & nomina portarum imposuit. Nam in porta una posuit Idolum Jovis, & illa porta dicta est Porta Jovis usque in præsentem diem; in porta alia posuit Idolum Apollinis, & illa vocata est Porta Apollinis, quæ nunc Romana dicitur; in Porta Orientali Idolum Junonis; in Porta Ticinensi Idolum Veneris; in Porta Vercellina Idolum Martis. Idolum Saturni, & aliorum Planetarum erant in diversis portis, de quibus nullam certam scripturam reperi, Porta Nova nondum fuerat facta, quæ quomodo, & quando fuerit, inferiùs dicetur.

CAP. XV.

Qualiter Civitas Papiæ, & plures aliæ Civitates ædificantur.

ANno 500. post reædificationem Civitatis Mediolani, Boji, & Cenomani gentes fortissimæ de Civitate Mediolani egressi, propter multitudinem inhabitantium, in ripa Ticini Civitatem construxerunt, quam à vicinitate Ticini fluminis Ticinum vocaverunt, quam nunc Papiam dicimus. Alter socius Bellovesi Regis Me-

Mediolanensis dictus Pucentius, in ripa Padi Civitatem construxit, quam suo nomine Pucentiam appellavit, quam nunc Placentiam dicimus, quæ alio nomine postea Augusta dicta fuit. De Placentia Chrysopolus vir egregius socius Bellovesi Regis egressus Civitatem construxit, quam suo nomine Chrysopolim nominavit, quam nunc Parmam dicimus, quæ aliquando Julia à Julio Cæsare dicta fuit. Post Thebanorum ruinam Manto Thiresiæ Regis Thebanorum filia Civitatem construxit, quam ex suo nomine Mantuam appellavit. In introitu Italiæ Taurinum erigitur; in Provincia Alpiscottiæ Altilia, idest Terdona, & Savona fundantur. Interim Bellovesus Rex Mediolani moritur, & regnavit Sigovesus filius ejus pro eo.

CAP. XVI.

Qualiter Sigovesus Rex efficitur, & de constructione Civitatis Laudensis.

Sigovesus ex Celtico genere Italiæ Rex Secundus, suscepto Mediolanensi diademate anno ante Nativitatem Domini 700. regnavit annis 60. Isto tempore Laudus Civis Mediolanensis vir seditiosus de Civitate Mediolani expulsus, Civitatem construxit, quam ex suo nomine Laudem vocavit, ubi gens ferox, & proterva, ac Romano Imperio semper rebellis extitit. Quapropter magnus Pompejus per longa ab ipsius Civitatis Laudensis constructione tempora, gentem Pyraticam, quæ maris Insulas prædabatur, in Civitatem Laudensem immisit. Et in medio æqualiter inter Mediolanum, Papiam, Brunoniam, idest Cremonam, & Placentiam collocavit. A qua gente scelerata Scelera flumen, vulgò il Seri, nomen accepit. Consideravit attamen Pompejus in medio indomitorum Ligurum indomitos pyratas immittere, ut sic alter ab altero diversissima incommoda pateretur. Post hæc Sigovesus Rex moritur, & regnavit Brunisendus filius ejus pro eo.

CAP. XVII.

Quòd mortuo Sigoveso Brunisendus filius ejus Rex effectus, tamdem à Brennone decapitatur.

Brunisendus ex Celtico genere Italiæ Rex tertius anno ante Incarnationem Christi 645. suscepto Mediolani diademate, regnavit annis 76. Contra quem Brenno Dux Suevorum anno ante Nativitatem Christi 642. in Italiam venire voluit, cui in summitate montium Brunisendus Rex viriliter occurrit, ubi commisso durissimo prœlio Brenno prosternitur, & in Sueviam redire cogitur. Qui tamdem resumtis viribus, & collecto exercitu 30000. militum pugnatorum in Italiam vênit, & obsidens Civitatem Mediolanensem, Regem Brunisendum finaliter cepit, atque ipsum Regem capite privavit. Civitatem Mediolani secunda vice destruxit; similiter Papiam, & Pergamum funditus evertit. Ad istum Brennonem quidam Armites miles nobilissimus de Cluxia Civitate ortus, cujus uxor violentiam passa erat, vênit, & offerens ei vina suavissima, ac fructus dulcissimos, quos de Cluxia Civitate attulerat, Rex bibit; qui vini dulcedine allectus versùs Cluxiam festinavit, quam obsidens cepit, & Armitem militem supradictum ibidem Dominum constituit. Et properans versùs Romam totam Civitatem, excepto Capitolio, obtinuit. Quadam igitur nocte, dum ejus milites per murum usque ad fenestras ascendissent, & quasi habuissent, quidam anser exclamavit, qui custodes excitavit, & sic Capitolium conservatum fuit. Unde Romani fecerunt unum anserem, quem quasi Deum adoraverunt. Unde Gottofredus in Memoria Seculorum sic dicit:

Italicas partes tunc sæva Suevia pressit.
Viribus illorum Romana potentia cessit.
Omne solum Latii, Romaque capta fuit.
At loca præcipua Romæ, Capitolia dicta,
Non modò sunt victa, sed verè sinè clade relicta.
Causa salutifera garrulus anser erat.

Videns attamen Rex Brenno, quòd nihil in Roma proficeret, accepit à Romanis libras mille auri purissimi, ut de obsidione Capitolii recederet: quod & fecit. Sed cùm abiret, Romani collecto exercitu maximo post eum equitaverunt, quem sic arctaverunt in præruptis montium, quòd coactus fuit totum pondus auri, quod à Romanis acceperat, ex integro reddere; & sic confusus in Sueviam rediit.

CAP. XVIII.

Quòd Brenno Mediolanum reædificat, cui nomen Alba imponit.

Anno à prima constructione Mediolani 972. Civitate Mediolani jacente destructa per annos 78. iterum ipse Brenno Rex Sueviæ resumtis viribus, collecto exercitu Theutonicorum permaximo in Italiam rediit, aspirans & fremens, qualiter posset Romam suo imperio subjugare. Et cogitavit per longum Civitates erigere, per quas quasi per scalas suus exercitus de Ultramonte veniens posset usque Romam currens accedere: Et quia Civitas Mediolani Theutonicis transeuntibus primò occurrit, Civitatem Mediolani, quam destruxerat, ædificavit, eamque Gallicis militibus communivit, qui quia naturaliter colore sunt albi, ipsam Civitatem Albam nominavit, & nomen antiquum, scilicet Mediolanum, abstulit. Et de Mediolano exiens, Civitatem in montibus construxit, quam Pergamum nominavit, nam Per in Theutonico idem est, quod mons. Deinde transiens versùs Romam, aliam Civitatem ædificavit in monte altissimo, in modum unius guardiæ, quæ per totum planum Italiæ posset aspicere, & vocavit eam Brixiam, quasi Brenonis Syon, idest Speculam. Construxit Brisellum; & in Marchia Trivisana fecit Castrum, cui Verona nomen dedit, quasi diceret: *Oh Roma væ tibi, quia mihi resistere amodo non poteris.* Item ædificavit Civitatem, quam vocavit Senogalliam, quasi diceret: Ista Civitas est sinus Gallorum, sive de Gallia, ut hìc quiescant, qui pugnare se præsentant. His ubique sic ordinatis Civitatibus in longum, Romam est aggressus; quam cùm impugnasset longo tempore, obtinere non potuit, immo de Italia recedens, numquam rediit. Unde Gottofredus in Memoria Seculorum sic dicit:

Nunc arma tonat Dux Breno, certatque Verona,
Namque Væ Roma dicta Verona sonat.
Brixia fundatur, & Ticina Papia paratur,
Et Mediolanum Breno satagente novatur.
Urbs maris Illyrici nunc Senogallia fit,
Ædificat Senas Tuscorum robore plenas,
Cum quibus & Romæ bella reversa movent.

CAP.

A

CAP. XIX.

Quanto tempore durarit Mediolanensis servitus.

ANno à prima constructione Civitatis Mediolani 1472. Civitas Alba, ideft Mediolanum, fuit sub dominio istorum Theutonicorum annis 200., & sub dominio Gallorum Celticorum fuerat annis 270. Sic ergo duravit servitus ista 470. annis. Quid autem fecerint Suevi Theutonici in Mediolano post recessum Brenonis Regis sui, non invenitur scriptum.

B

CAP. XX.

Quòd Marcellus à Romanis missus Civitatem Mediolani obtinuit, pulsis Theutonicis.

ANno à prima constructione Civitatis Mediolani 1570. Theutonicis Suevis ibidem dominantibus, Romani cœperunt crescere, & sua dominia per totam Italiam dilatare. Qui non immemores injuriarum Brenonis, & gentis suæ, quæ in Civitate Alba, ideft Mediolano, adhuc habitabat, cogitaverunt Theutonicos omnino expellere; & constituerunt Ducem quemdam Marcellum, cui assignato exercitu militum permaximo, ipse versùs Civitatem Mediolani venit, quam usque ad muros obsedit. Theutonici verò furore repleti, congregatis de aliis Civitatibus amicis universis, exierunt obviam Marcello Romanorum Duci pugnam postulantes; & ordinatis ex utraque parte aciebus pugna mirabilis committitur; pluribus diebus confligitur; & ex utraque parte, secundùm Sycardum, plusquam 40000. occisa sunt. Tamdem Romani prævaluerunt, & sic Theutonici de Italia sunt expulsi, & Civitas Alba, sive Mediolanum nunc primò sub dominio Romanorum devenit; & dominatus est ibi Marcellus Dux pluribus annis. Quid autem fecerit, non invenitur.

C

D

CAP. XXI.

Quomodo Annibal Carthaginensis expulsis Romanis Civitatem Mediolani destruxit.

ANno à prima constructione Civitatis Mediolani 1500. dum Romani plenariè dominarentur in Alba, scilicet in Mediolano, Annibal Carthaginensis Dux in Italiam contra Romanos intravit; cui cum maximo exercitu Romani usque Placentiam occurrerunt; quibus adjuncti sunt Cives de Mediolano, qui sub dominio Romanorum erant. Bellum committitur, & Romani succubuerunt. Annibal verò, qui juxta Placentiam triumphaverat, de Civitate Mediolani, quam prope habebat, cupiens ultionem facere, Civitatem Mediolani invasit, quam inveniens habitatoribus vacuam faciliter obtinuit, & funditus evertit. Et sic ista tertia destructio Civitatis Mediolani facta fuit, quæ destructiones factæ sunt antequam Christus de Virgine nasceretur.

E

CAP. XXII.

Qualiter Romani prædictum Marcellum mittunt, qui omnia Urbis mœnia reformavit.

ANno à prima constructione Civitatis Mediolani 1508, ipsa Civitate jacente destructa per annos 8. considerantes Romani, quòd ipsa esset in faucibus Theutonicorum, & quòd ipsa sola poterat esse Theutonicorum repercussivum frenum, deliberaverunt, quòd tam fortis erigeretur, quòd ab hostibus nullâ violentiâ capi posset, & mittentes Ducem Marcellum in Italiam, præceperunt, ut Civitatis Mediolani dirupta mœnia in melius reformaret. Qui veniens ad partes Mediolani, muros circumduxit rotundos, grossos in mensura 24. pedum magni hominis; fuit autem altus à terra pedes 74. In circuitu muri erant 310. turres altæ nimis, & rotundæ, & erant tam spissæ, quòd Custodes de turri ad turrim familiariter confabulabantur. In muro Civitatis fecit sex portas, & super quamlibet portam fecit unum domicilium Imperiale altum, & rotundum, & ante quamlibet portam fabricavit opere decentissimo unam turrim triangularem. Inter portam & turrim erat distantia jactus balistæ. Ex utraque parte viæ muri erant altissimi; & fuit tanta fortitudo istius Civitatis, quòd videbatur esse quædam Civitas à natura communita: sicque Civitate disposita Marcellus Dux Romanorum, ablato nomine Alba, ipsam *Romam secundam* nominavit, unde in Porta, quæ nunc dicitur Romana, hos versus sic scribi fecit:

Dic homo, qui transis, dum Portæ limina tangis,
Roma secunda vale, Regni decus Imperiale,
Urbs veneranda nimis, plenissima rebus opimis,
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes,
In bello Thebas, in sensu vincis Athenas.

CAP. XXIII.

De privilegiis Urbi Mediolani per Romanos concessis, & de Arcu triumphali.

ANno à prædicta constructione .... existente Civitate Mediolani sub dominio Ducis Marcelli, Romanorum Coss. Romæ secundæ, ideft Civitati Mediolani aliqua privilegia concesserunt. Primò Arcum triumphalem ibidem construxerunt. Iste Arcus Romanus incipiebat à Porta Romana, & per duo milliaria protendebatur in longum versùs Nosedam. In latitudine erat quasi per jactum lapidis, habens spondilia ex utraque parte merlata: erat altus à terra quantum balista poterat attingere: Erat tantæ capacitatis superius, quòd totus populus Mediolani ibidem recipiebatur faciliter. Cùm autem aliquod bellum instaret, populus de Civitate exibat, ne obsessus videretur, & in Arcu simul conveniebant, & ibi semper erant bellorum pondera. Ubi est sciendum, quòd consuetudo fuit Romanorum, quòd quando aliquam nobilem Civitatem suæ subdebant dominationi, ante unam portam Civitatis ad perpetuam rei memoriam, Arcum unum, quem Triumphalem vocabant, erigebant, in cujus fornice, illius Civitatis proprietates describebant intrinsecus; & ideo ipse Marcellus duo ante portam illam, quæ nunc Romana dicitur, fundamenta lata & fortissima fundavit, quæ multum distabant ad invicem, & super illas duas pilas, ideft fundamenta,

menta, Arcum mirabilem circumvolvit. In superiori verò parte Arcus turrim rotundam altissimam ædificavit, quæ ferè per totum planum Lombardiæ aspicere potuit; & in volta Arcus subtus proprietates Civium Mediolani describi fecit in hæc verba: *Qui vult modico tempore vivere Mediolanum inhabitet, ubi vires pro legibus observantur, & jura in ossibus hominum describuntur*. Quasi diceret: Cives Mediolani hanc proprietatem habent, quòd si habent aliquam quæstionem inter se, spretis legibus Romanorum, omnes controversias cum gladio definiunt: quapropter innumerabiles occidebantur. Aliud etiam Privilegium Romani Civitati Mediolani inauditum, & numquam alteri Civitati donatum concesserunt; ipsi enim videntes Mediolanenses animo feroces, armis edoctos, corpore gigantes, voluerunt, ut sicut Civitas Mediolani secunda Roma dicebatur, & in nomine unà cum Roma communicabat, ita ex Romano populo & Mediolanensi unus populus efficeretur. Vexilla Communitatis erant æqualia, & omnino similia; & fuit ordinatum, quòd in omni pugna Romanorum semper Cives Mediolanenses primam aciem haberent. Et sic populus Mediolanensis infinitas victorias per Italiam faciebat, unde Frater Stephanardus sic dicit:

Urbs honor Italiæ, Ligurisque potentia sævi,
Justitiæ fomes, cœlesti sedula cultu,
Consilium radios Latinus diffundit in esse
Urbibus & reliquis solita est præbere ducatum
Prudentem, ingentes & opes effundere sumtu
Magnifico. Cives victricia signa rebelles,
Auditis tremuere nimis, aciemque coruscam
Armis, innumero consertam milite floret.

CAP. XXIV.

De Archiflamine.

ET quia Civitas Mediolani Civitati Romæ fuerat comparata, deliberaverunt Romani quantum ad Clerum Civitati Romanæ similem facere. Ubi est sciendum, quòd antequam Christus nasceretur in omni Civitate erat aliquis summus Sacerdos, sicut modò sunt Episcopi, qui dicebatur Flamen à flamma, quia inflammatione ignis coram Idolis thura fumigabant. In Civitate majori & nobiliori ponebatur Archiflamen, sicut modò sunt Archiepiscopi, ab archos, quòd est Princeps, & Flamen, quòd est summus Sacerdos, quasi essent Principes omnium aliorum Summorum Pontificum. Et quia in Roma erat unus Archiflamen, qui aliis Flaminibus circumstantibus principatu præerat, ita in Mediolano esset alius Archiflamen, qui omnibus aliis Flaminibus præesset. Et subjicientes omnes Civitates, quæ sunt in quinque Provinciis Italiæ, scilicet Liguriæ, Æmiliæ, Venetiæ, Alpiscottiæ, Rhetiæ primæ, Rhetiæ secundæ usque in Coriæ Civitatem, & Baveriæ Regnum: ipsam caput omnium aliarum Civitatum constituerunt. Insuper ordinato Archiflamine, qui Diis in igne flammante thura dabat, etiam Deos, quos ipsi Romani adorabant, Civitati Mediolani adorari imposuerunt. Et ut supra, in singulis Civitatis portis unum Idolum imposuerunt, secundùm quod Romani habebant in suis Portis, factæ sunt VI. Portæ; una, quæ aspicit versùs Romam, quæ dicta est Porta Apollinis, quia ibi super Portam exteriùs posita fuit quædam magna statua de marmore, armis & gemmis ornata, corona aurea coronata, in qua unus Dæmon habitabat, qui dictus est

A Deus Apollo; & loquebatur ille Dæmon per os statuæ, sic quòd statua loqui videbatur. Et veniebat Archiflamen cum uno thuribulo magno ad mensuram unius sextarii, & plus, in quo erant carbones accensi, & subjecto thure flamma accendebatur, & fumigabat statuam, & adorabat ipsam cum canticis & laudibus more Romano. Deinde interrogabat statuam de aliquo eventu belli, si aliqua guerra instabat, vel aliquam aliam gratiam postulabat, aut pro aliqua persona in singulari; & Diabolus per os statuæ terribili voce paucis verbis multa prædicebat; & sic populus decipiebatur, eo quòd crederet statuæ, cùm in veritate non loqueretur, sed Diabolus in ea absconditus res-
B pondebat. Alia Porta, quæ aspicit versùs Ticinensem Urbem, sive Papiensem, dicta est Porta Veneris, quia super illam Portam erat alia statua ad similitudinem prioris statuæ, in qua habitabat alius Dæmon, qui dabat responsum, cùm per Archiflamen fuisset adorata, ut dictum est de prima statua per omnia. Item in Porta, quæ aspicit versùs Vercellas, erat statua Martis, & sic in qualibet Porta erat una statua, & in statuis erant Dæmones loquentes. Sed quomodo essent statuæ per portas dispositæ, & quomodo nominarentur Portæ, certam non inveni scripturam, nisi quòd Porta Jovis, quæ dicitur Zobia, habebat statuam Jovis, & illa sola inter
C alias portas nomen antiquum retinuit. Et quia Porta Nova non est de numero VI. Portarum principalium, quomodo fuerit facta, libuit recitare. In Civitate Mediolani erat quidam Dux, qui Idola despiciebat: indignatus Archiflamen ait Duci: *quòd statua sit Deus, volo tibi probare: quid sit tibi futurum, clarè pronuntiabit: quod est proprium Dei, scilicet futura prædicere*. Respondit ille Dux: *Si statua aliquid mihi sciverit prædicere, per quam scilicet portam sim cras exiturus, cùm ad venationem ibo, credam illam statuam esse Deum*. Archiflamen igitur, dato thure statuæ Dei Apollinis, interrogavit de hac quæstione. Respondit Dæmon ille: *Dux cras, cùm ad venationem ibit, est*
D *exiturus per portam magìs de novo factam*. Quo audito Dux cogitavit, quomodo posset statuam reddere mendacem, & cogitavit non exire per aliquam portam Civitatis, sed præcepit servis suis, quòd media nocte murum Civitatis frangerent, ut de novo ibi viam facerent. Mane autem facto Dux per illud foramen exivit; & sic verbum Diaboli verificatum fuit, quia per portam magìs de novo factam exivit; & propter hoc Porta Nova dicta fuit. Insuper Romani in tantum hanc Civitatem honoribus & titulis cumulaverunt, quòd eam, excepta magnitudine quasi alteram Romam gloriosam redderent.

E

CAP. XXV.

De Capitoliis per Imperatores constructis, & de Arengo.

LEgitur in Libro Descriptionis Mediolani, quòd in Civitate Mediolani erant Palatia magna, turres per Civitatem spissæ, & Idolorum templa, quæ quanti essent ornamenti ex auri & argenti imaginibus insculpta, colorum & lapidum pretiosorum diversitatibus redimita, nulla est lingua, quæ dicere sufficiat. Insuper Imperatores Romani ad hanc Civitatem venientes, ibique suas Sedes Imperiales ordinantes, quamplurima Theatra, Amphitheatra, Hyppo-

podroma, & Thermas exstruxerunt, inter quos Maximianus Imperator Civitatem Mediolani ampliare cogitans, murum maximum condidit exteriùs, murum primum non tangentem, cujus secundi muri rotunditas fuit quasi milliariorum septem. Augustale Palatium exstruxit, & totam Civitatem schematibus ornans, verè ipsam magnæ Romæ cognatam fecit. Item Nerva Imperator ad hanc Civitatem declinans, in medio Civitatis Palatium Imperiale maximum, quod fuit inter omnia alia Palatia eximium, & magìs altum ædificavit, in quo Thermas Herculanas, ideſt balnea calida, quæ sub terra artificialiter scaturire videbantur, instruxit, quæ Thermæ Herculianæ dictæ sunt. Item Trajanus Imperator, qui in hac Civitate sedit juxta locum, ubi est Ecclesia Sancti Georgii, ædificato pro se Palatio præclarissimo, cum Thermis, & Circo, multos honores contulit, plurimaque alia magna ac mirabilia ædificia, quæ eburneis cælaturis, & ornamentis diversis auri & argenti, ac diversorum lapidum pretiosorum depicta fuerunt, de quibus aliquid dicam in speciali, prout in Libro Descriptionis Urbis Mediolanensis conscriptum esse reperi. Et primò dicemus de Arena, sive de Arengo. Erat ibi Capitolium nobile, & altissimum, sicut habetur in Historia Sanctorum Faustini & Jovitæ. Similiter ubi Arengum dicitur, in medio Civitatis facta fuit Arena albo & nigro marmore distincta, tota rotunda, in cujus circuitu erant tot cameræ, quot dies sunt in anno, per occultos meatus inclusæ; & erat tantæ capacitatis, secundùm Dacium, quòd omnes multoties totius Italiæ milites ibidem per circuitum sedere poterant, & quilibet quemlibet videre poterat, nec unus aliquem in aliquo impediebat; sed unum in medio positum quilibet liberè videre, & ab uno oratore omnes quidquid diceretur, sinè difficultate intelligebant. Erat & juxta muros Civitatis Viridarium, ubi Senatores, & Consules sua corpora recreabant, & quasi paradisus deliciarum fuit. Nam ibi erat fructuum & florum diversitas immensa, avium inclusarum clarissima melodia. In medio erat Idolum Februæ matris Dei Martis, quod sedebat in aureo throno, & similiter de eventu bellorum responsa dabat, & victorias à Marte filio suo impetrabat. Juxta Viridarium erat Zardinum versùs medium Civitatis, ideſt Brolium, quod usque hodie Brolettum Vetus dicitur, ubi erat Capitolium, ubi Senatores, & Consules morabantur, qui de causis judicabant, & gubernabant Urbem, quam secundam Romam nominabant. Extra muros Civitatis erat Brolium magnum, ubi juvenes in armis, & pugnis diversis, exercitationis causâ conveniebant. Ex alia parte Urbis ex opposito, ubi dicitur Sancta Maria ad Circulum, erat Hyppodromum Circi, ubi equestres milites sua hastiludia peragebant more Romano. De illo loco subtus terram erat strata usque ad Theatrum, ideſt ædificium semitercirculare, quod constructum erat in loco, ubi nunc est Monasterium majus. His itaque mirabilibus ædificiis constructis, & muro mirabiliter turribus redimito in alto aëre sublevato, & Idolis per Portas existentibus, Nobiles, & Principes de Roma ad Civitatem Mediolani cum familiis & thesauris se contulerunt, quam quasi omnium Civitatum Reginam incoluerunt. Insuper Imperatores multi, Româ postpositâ, suas Imperiales sedes hìc collocaverunt; & hujus ratio fuit, ut diutiùs vivere possent, eo quòd in Civitate Mediolani, quæ tunc secunda Roma dicebatur, sit purissimi aëris salubris serenitas, aquarum viventium scaturiens ubertas, clara facies juvenum, & longæva senum ætas, quibus omnibus Roma carere comprobatur.

CAP. XXVI.

Quomodo Civitas Mediolani florebat ultra modum.

ANno post constructionem Civitatis Mediolani incerto, subtus dominium Romanorum Consulum, sedente Quiriaco Archiflamine, quidam Dux Romanorum, nomine Severinus fuit. Isto tempore Imperium in Roma incœpit in Julio Cæsare, qui Imperium usurpavit Romanum. Tunc temporis Civitas Mediolani, quæ secunda Roma, in tantum florebat, quòd vix lingua explicare posset. Mortuo Cæsare Imperatore Primo in Roma, Octavianus filius Sororis ejus post ipsum, Imperium obtinuit.

CAP. XXVII.

De diversis materiis, & de Nativitate Christi.

ANno post primam constructionem Civitatis Mediolani 1922. sub dominio Octaviani Imperatoris, sedente Quiriaco Archiflamine supradicto, Dux Severinus in Vicarium per Octavianum Imperatorem est reformatus. Tunc ista Civitas summa pace 40. annis, quibus Octavianus imperavit, floruit; & deliciis mirabilibus, & divitiis affluebat; sed quid factum fuerit dignum memoria, non inveni. Isto tempore Herodes Ascalonita factus est Rex in Hierusalem, anno post conditam Urbem Mediolani 1972. sub dominio Imperatoris Octaviani, sedente Theodosio Archiflamine; & quidam Dux Romanorum nomine Lucius factus fuit Imperatoris Vicarius. Eodem anno Jesus Christus Dei filius benedictus de intemerata Virgine Maria natus est in Betlehem Judæ. Usque nunc annotavi tempora à constructione Urbis Mediolanensis: amodo annotabuntur tempora à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi.

CAP. XXVIII.

De Beato Barnaba Archiepiscopo Mediolani.

ANno à Nativitate Domini 33. sub dominio Tiberii Imperatoris, sedente Juliano Archiflamine, Consulibus & Senatoribus Regentibus Civitatem Mediolani Dominus Jesus Christus in Crucis patibulo moritur in Hierusalem. Et anno post Christi passionem . . . . . . (*) Beatus Barnabas Apostolus vênit Romam, ubi convertit Clementem, qui postea fuit Papa. Ubi cùm quadam vice propter incultum sermonem à Romanis fuisset derisus, vênit Mediolanum, de qua Civitate ipse B. Barnabas sic ait: *Ego Barnabas Apostolus Christi cum duobus discipulis, scilicet Anatalone Græco, & Cajo Romano ad Civitatem Mediolani veni, quæ post Romam famosissima habebatur, parique ditione sublimis, secunda post Romam Occidentalis Imperii Augustales Infulas retinebat, ubi inveni aliquos de Plebe, qui liben-*

(*) *In MS. Ambr. nulla lacuna indicatur.*

libenter verbum Dei audiebant, *qui postea ad Fidem Christi convolaverunt*. Et tunc per Christianos factus est Archiepiscopus Mediolani. Unde Beatus Dorotheus Doctor sic dicit: *Barnabas Apostolus primus Romanis prædicavit, Episcopus Mediolani factus fuit, per tres annos continuè prædicans, populum baptizans, innumerabilia miracula faciens*. Contra quem Julianus Archiflamen suis præstigiis, & falsa doctrina disputavit. Et quia tota Civitas erat plena Idolis, & in portis Dæmones dabant responsa, & quicunque Civitatem ingrediebatur, Idolis genua flectere cogebatur: Beatus Barnabas extra Civitatem parvum tugurium cum suis discipulis inhabitabat. Cùm autem per tres annos continuasset in loco, ubi nunc est Ecclesia Sancti Eustorgii, sub dio Altare erexit, celebratisque Divinis Officiis & Mysteriis, Anatalonem discipulum suum, quem Episcopum Brixiensem per aliqua tempora ante ordinaverat, vidente universo cœtu Christianorum in Archiepiscopum Mediolanensem ordinavit. Unde Beatus Sylvester Papa dicit: *Barnabas Primus Archiepiscopus Mediolanensis in ipsa Ecclesia suum successorem instituit Anatalonem Græcum*. Et Beatus Hieronymus in epistola ad Cromatium, & Heliodorum sic dicit: *Barnabas Apostolus, qui in Roma Christum prædicaverat, Civitatis Mediolani factus est Episcopus*. Volens autem Beatus Barnabas Apostolus secundùm quod Christus præceperat, Evangelium per universum Mundum prædicare, cogitavit de Civitate Mediolani exire. Et iterum in loco supradicto in Festo Paschatis Divina Officia celebravit, & advocans Beatum Anatalonem, quem Archiepiscopum Mediolani ordinaverat, super omnes Episcopos Catholicos in Civitatibus circumstantibus præsentes & futuros in Metropolitanum instituit. Unde in Historiis Beati Barnabæ dicitur: *Barnabas Apostolus sanxit, ut Ecclesia Mediolanensis, quam ipse fundaverat, principalis Ecclesiastici culminis Sedes, aliarumque in illa Provincia Ecclesiarum Metropolis perpetuò haberetur*. Item in eodem Libro: *Beatus Barnabas Civitati Mediolani privilegium concessit, quæ structuræ eminentia, ac aquarum conventu frequentissimo ceteris Civitatibus principari videbatur, quòd sicut erat inter omnes alias Italiæ Civitates florentissima, atque altera post Romam, magni Imperii dignitate & editione potita, sic Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus super ceteros Pontifices, sive Episcopos, excepto Romano Pontifice, Metropolitanus haberetur*: Non solùm autem Liguriæ, sed & Venetiæ Provinciæ, cujus caput est modò Patriarchatus Aquilejensis; similiter & Provinciæ Alpis Cottiæ, cujus caput est modò Episcopus Januensis; similiter Provinciæ Æmiliæ, cujus caput est modò Bononia, ac similiter omnes Episcopos Rhætiæ primæ, & Rhætiæ secundæ. Similiter & super multos Tusciæ præsules, & usque in Bavariam. His itaque dispositis Beatus Barnabas die Sancto Paschatis celebrato Divino Officio in loco, ubi postea dictum fuit Fons-Sanctus, juxta Ecclesiam Sancti Eustorgii in conspectu populi suum prædixit de Urbe Mediolani recessum: quod Christianis omnibus & Paganis luctum maximum induxit. Huc usque de primis Ecclesiæ Mediolani propagatoribus, prout potui tam ex Græcorum, quàm Latinorum Historiis compilare curavi. Post ingressum Beati Barnabæ in Civitatem Mediolani per tres annos Beatus Petrus Apostolus Romam vênit, qui, secundùm Sycardum, per totam Italiam, præterquam in Mediolano, Gallias, Hispaniam, Africam, Siciliam, atque circumstantes Insulas Sacerdotes ordinavit. Ex quo patet, quòd Ecclesia Mediolani Romanam antiquitate præcessit, & per consequens omnes Europæ, vel Africæ Ecclesias quovis titulo nominatas.

CAP. XXIX.

Quòd primus locus, ubi fuit celebrata prima Missa in Italia, est locus, ubi manet Conventus Fratrum Prædicatorum Sancti Eustorgii in Mediolano.

ANno à Nativitate Domini 53. sub dominio Imperatoris, sedente Beato Anathalone Archiepiscopo II., qui sedit annis 13. Consulibus & Senatoribus regentibus Urbem, quidam Archiflamen, qui præerat Paganis, totaliter contra Beatum Anathalonem prævalebat: Ipse intra muros Civitatis Idolis & delubris immolabat; Beatus verò Anathalon Archiepiscopus Christianorum extra Urbem in Suburbio, non in Templo, sed sub dio, juxta Fontem Sanctum ad Sanctum Eustorgium Deo vivo Divina Mysteria celebrabat. Ex quo patet, quòd primus locus, ubi celebrata fuit Missa in tota Italia, fuit ubi nunc est locus Fratrum Prædicatorum. Tenensque ibi Ordines Sacros, Cajum Romanum virum illustrem in Sacerdotem ordinavit. Insuper aliquantos viros Mediolanenses cives, viros probatos, Diaconos fecit; Idola pro magna parte de Portis Civitatis prostravit. Ex tunc Fidelium multitudo crescere cœpit. Nobiles, & populares ad suam doctrinam convertens, Missarum, & orationum solemnia instituit; majores & minores Sacri Baptismatis unda candidavit; Idolorum cultum pro magna parte evacuavit. Qui à suo Institutore Barnaba nihil discrepans Metropolitanam Cathedram in Civitate Mediolani pro futuris temporibus Christianis statuit esse Fidelibus, quatenus affinium Provinciarum Episcopi, hoc est Patriarchatus Aquilejensis, Episcopatus Januensis, similiter Liguriæ, Æmiliæ, Rhætiæ primæ, & Rhætiæ secundæ, quotquot tunc erant in Sancta Ecclesia, vel futuri erant, habere debeant, post Romanum Pontificem, caput quoddam & decus insigne, Mediolanensis Sedis Antistitem, cui Civitati tantum noverat privilegium à suo Antistite Magistro concessum.

CAP. XXX.

De morte Beati Anathalonis Archiepiscopi, & institutione Beati Caji, & persecutione Neronis in Christianos.

DUm autem Fides Christianorum ultra quàm credi posset in Civitate Mediolani multiplicaretur, exiit edictum à Nerone Imperatore, ut omnes Christiani jugularentur gladio. Qua sententia iniquissima pendente Beatus Præsul Anathalon VIII. Cal. Octob. moritur; cujus corpus pretiosissimum propter metum Paganorum occultè per Christianos sepelitur, & Cajum suum successorem in Ecclesia Mediolani dereliquit.

CAP. XXXI.

Qualiter Beatus Cajus Archiepiscopus Mediolani baptizavit multos.

ANno à Nativitate Domini 65. sub dominio Neronis Imperatoris, sedente Beato Cajo Archiepiscopo III. qui sedit annis 22. Paulino Duce per Imperatorem dato ad regendum Civitatem, videns Beatus Cajus, quòd festa Paschalia instarent fonti Sancti Eustorgii, ubi moris erat ad celebranda cœlestia sacramenta convenire, invocatâ Sancti Spiritus gratiâ, flexis genibus solemniter benedixit, & infra festa Paschalia non solùm populares, verùm etiam Consules & Senatores Urbis nostræ cives clariores in Fide Trinitatis sacrâ undâ candidatos baptizavit; inter quos Beatum Vitalem civium Mediolanensium permaximum unà cum uxore ejus Beata Valeria, & cum duobus filiis suis Beato Gervasio, & Beato Protasio, unà cum omni familia eorum baptizavit. Similiter autem & Philippum illustrem civem Mediolani cum filiis suis Fausto, & Portio. Nero verò Imperator Anolinum Secundicerium suum, virum pestilentem, Consulem totius Italiæ fecit, mandans eidem, quatenus Christianam Fidem radiciter evelleret, in tantum quòd sub astris nihil de ea penitus remaneret. Qui mox ut Civitatem Mediolani totius Italiæ Metropolim ingressus est, audiens Civitatis Mediolani Nobiles & populares in Christi confessione firmatos, mittens satellites suos, rapi jussit generosæ indolis viros, ac pubescenti forma nitidos, quos igne, ferroque, flagellis & equuleis dilaniatos, bestiis in escam tradi jussit; & fontem prædictum, quia ibi conveniebant Christiani ad celebranda Divina, luto turpissimo repleri fecit. Passi sunt in prædicta persecutione Neroniana Beati Martyres Gervasius & Protasius fratres uterini, & alii quamplures. Similiter ex Romana Urbe aliqui, qui Civitatem Mediolani velut omnium reginam incolebant, martyrio coronati sunt. Inter quos fuerunt Beati Martyres Nazarius & Celsus. Beatum verò Cajum Archiepiscopum Mediolanensem fustibus cæsum extra Urbem ejecerunt. Interim Beati Apostoli Petrus, & Paulus in Roma passi sunt; & postea Nero quàm eos occidi fecit, se ipsum manu propria peremit. Ex quo Ecclesia aliquantulum respiravit. Unde de latebris & speluncis Beatus Cajus ad Civitatem Mediolani remeavit, & prædicans contra Idolorum Apollinis & aliorum cultum, visu phantastico Deus Apollo in medio populi apparuit; sed convalescente veritate Fides Christi extollitur in tantum, quòd cives Mediolanenses totam Italiam sua prædicatione converterunt, quia tunc Ecclesia Christi habuit pacem 12. annis, scilicet sub Vespasiano, & Tito Imperatoribus. Eodem tempore Beata Sophia natione Mediolanensis cum tribus filiabus suis scilicet Spe, Fide, & Caritate habentes servos ferè 1000. (a) & divitias inæstimabiles, omnes servos suos liberos fecerunt, & omnes thesauros pauperibus dederunt, versùsque Romam causa prædicandæ Fidei perrexerunt, & in via Raphaelem Archangelum socium habuerunt, & in Roma plusquam 17000. personas ad Fidem Christi converterunt, ubi sub Domitiano Imperatore tres sorores prædictæ, quarum vultus ut Sol refulgebat, per diversa supplicia martyrium consummaverunt I. die Cal. Octob. Tertia autem die post Beata Sophia in pace quievit. Prædictus autem Domitianus Imperator Christianis secundam intulit persecutionem, cujus persecutionis severitas multos ex Civitate Mediolani ferro & igne consumsit. Inter hæc Beatus Cajus (b) in pace quievit I. die Cal. Jan. sepultusque fuit in horto Philippi. Et propter Paganorum persecutionem durissimam vacavit sedes aliquibus annis. Tamdem Domitiani perfidiâ terminatâ, Nerva Imperator substituitur, qui omnia, quæ perfidus Domitianus ordinaverat, revocavit. Hic Nerva primus in Mediolano Imperialem sedem transtulit, hac de causa motus, quia, ut in antiquis & verissimis Annalibus Urbis Mediolanensis reperitur scriptum, *in Urbe Mediolanensi reperitur purissimus aer, salubris serenitas, aquarum viventium scaturiens ubertas, clara facies juvenum, longæva canities senum*, quæ omnia discreto Imperatori longitudinem vitæ promittere videbantur. Qui ingressus hanc inclytam Civitatem, ut vidit murum 310. turribus redimitum, sex domicilia Imperialia alta & rotunda super sex Portas Civitatis, totidemque turres triangulares ante Portas miro opere fabricatas, videns Viridarium amœnissimum, Arenam marmoream, Hyppodromum Circi, ceteraque innumerabilia ædificia in ipsa Civitate constructa, ait: *Verè secunda Roma dicitur Civitas Mediolani*; unde in medio Civitatis eximium Augustorum Palatium collocari sibi cum Thermis, idest balneis calidis, jussit, quæ Thermæ Nervianæ dictæ sunt. Ex tunc Ecclesiis summa pax redditur. Quo audito, Castricianus de Oldanis natione Mediolanensis cum Clero & populo de cavernis reversus est, qui tandem per duos menses precibus victus per populum eligitur, & Episcopus Metropolitanus ordinatur.

CAP. XXXII.

De Beato Castriciano Archiepiscopo, & de aliquibus Ecclesiis (c).

CAstricianus de Oldanis natione Mediolanensis ordinatus fuit Archiepiscopus IV. Mediolani Anno Domini 91. Sedit verò annis 43. Hic ex domo Philippi supradicti, quam Philippus Ecclesiæ Mediolanensi donaverat, quæ est extra Civitatem non longè à silice Ticinensis Urbis, Templum construxit, quod in nomine Jesu Christi, & omnium Sanctorum in Ecclesiam Sanctorum Naboris & Felicis consecravit; nunc autem est locus Fratrum Minorum, qui dicitur Sanctus Franciscus. Hic est locus, qui extra Urbem solitarius erat, & à protervia Paganorum remotus, sepulcroque Beati Caji, & Castriciani prædecessoris & Magistri propinquus. Fuit autem hujus Templi tanta virtus, quòd Fideles & Pagani tam ex Urbe, quàm ex suburbiis, vel etiam ex suburbiensibus viculis concurrentes, omnium languorum curam recipiebant. Nec mysterio carere videtur, quòd sicut locus primus orationis & Missarum Conventui Fratrum Prædicatorum, sic locus primæ constructuræ Ecclesiæ Conventui Fratrum Minorum advenerit, & uterque locus ægris medelam daret corporibus, significans ibidem veros medicos animarum in futuris temporibus habitare. Erant

(a) *MS. Ambrosianus legit* X. millia.
(b) *MS. Ambr.* Gajus *semper*.
(c) MS. Ambr. *& de ædificatione aliquarum Ecclesiarum*.

Erant autem in Curia Imperatoris Trajani duo filii supradicti Philippi generosi, Faustus scilicet, & Portius. Faustus Faustam idest Sancti Vitalis; Portius Portianam, idest Sancti Victoris ad Corpus Ecclesiam construxerunt, in quibus Beatus Castricianus nitentes Clericorum Choros, Davidicos hymnos personantes, instituit. Tunc populus Christianus, qui Civitati Mediolani inerat, cunctis negotiis renuntians, cuncta pauperibus erogabat; qui tamdem quasi luminaria cœli per Mundum discurrentes totum Orbem illuminabant. Ex tunc in Civitate Mediolani nec Jovis, nec Apollinis, nec Junonis, nec Deæ Februæ, nec Deæ Veneris Idola aliquod responsum dare potuerunt, qua de causa ferè tota Idolatria evacuata fuit; & non jam portæ Urbis secundùm nomina Idolorum vocabantur, sed à circumstantibus Urbibus nuncupatæ sunt, portâ Jovis dumtaxat exceptâ. Mortuo namque Nerva Imperatore in Urbe Mediolani, Trajanus filius ejus adoptivus ei in Imperium successit, qui Palatium præclarissimum cum Thermis juxta Ecclesiam Sancti Georgii construxit, hancque Civitatem magnis honoribus exaltavit. Versùs autem Orientis partes profectus Paulinum Vicarium in Civitate Mediolani dereliquit, qui de ejus mandato Christianis tertiam persecutionem intulit, quam tamen sententiam post pauca tempora Imperator revocavit; & sic Beatus Castricianus cum ceteris Fidelibus aliquantulum respiravit. Tamdem Trajanus Imperator moritur, & Adrianus nepos ejus Imperator efficitur, qui quartam persecutionem Christianis movit: qua de causa Calimerus genere Græcus Româ Mediolanum fugit, quem Beatus Castricianus in Ecclesia Fausta in suum Clericum ordinavit. Mortuo autem Beato Castriciano, sepultoque in Ecclesia Sancti Joannis ad Concam prid. Cal. Decemb. Calimerus Archiepiscopus ordinatur. Adrianus autem Imperator habuit in Italia ministros, & Vicarios, scilicet Italicum Comitem Rhætiarum; in Provincia verò Alpiscottiæ, ubi est Civitas Januensis, erat Præses quidam nomine Antiochus; & isti duo multa tormenta intulerunt Sanctis Faustino & Jovitæ Martyribus in Civitate Mediolani. Mortuo Italico supradicto, Aurelius factus est Comes Italiæ.

CAP. XXXIII.

De Sancto Calimero Archiepiscopo Quinto.

CAlimerus natione Græcus quintus Archiepiscopus Mediolani ordinatur Anno Domini 131. Sedit verò annis 53. Hic à Christianis priùs vincula & carceres pertulit, quàm Episcopatus curam suscipere vellet. Factus autem Episcopus totam Liguriam ad Fidem Christi convertit; licèt sæpiùs flagellatus, sæpiùs compeditatus, sæpiùsque exiliatus fuerit, multorum tamen animas & corpora indesinenter sanavit. Interim Adrianus Imperator moritur, cui successit Antoninus Pius, qui Christianis pius fuit. Quo mortuo Antonius Commodus Imperator efficitur unà cum L. Aurelio fratre suo. Hic Antonius quintam persecutionem Christianis intulit, & auditis Beati Calimeri meritis, maximè quia contra Idola prædicabat, ipsum perimi jussit. Quem Infideles plagis affectum in adja-

A centis putei profundum inversis pedibus transcapitaverunt, clamantes pariter, & dicentes: *Nos te meliùs abluemus fontanis, quàm tu nostros, quos incantationibus tuis amentes efficiens, aquis turbidis abluisse probaris*. Et sic ad Christum transivit feliciter ex hoc Mundo. Ipsum verò in Ecclesia suo nomine dedicata Christiani tumularunt, cessavitque Episcopatus anno uno & dimidio.

CAP. XXXIV.

De Sancto Mona Archiepiscopo Sexto.

B MOnas natione Mediolanensis, origine clarissimus, sextus Archiepiscopus Mediolani ordinatur Anno Domini 185. Sedit autem annis 74. (a) Hic plus ceteris vixit. Hic à cunabulis Christo mancipatus per Beatum Calimerum sacro altari deputatur; qui mortuo patre, totum patrimonium suum pauperibus, & Ecclesiæ donavit. Qui Diaconus ordinatus Philosophos in scientia superabat. Erat mirum videre sub pectore juvenili prudentiæ acumen, morum honestatem. Fuit etiam inter Fratres humilis, inter persecutores elatus, suis mitis, adversariis terribilis, Christo subjectus, Diabolo erectus, aurea luce in loco electionis circumdatus, miraculosè præelectus divinitus eligitur. Hic vi-
C cinos Pagos, Oppida, & Castella peragrans, Parochias instituebat; Nobilium, & mediocrum, lixarumque & proscriptorum numerositatem ad Christianam libertatem atque ingenuitatem admittere non cessabat. Quotidie proceres, ac Magistri, & subjectoria conventicula plebium in corpore Ecclesiæ Christianitati congregata (b) sunt. Jam tum Valentinus, & Cerdo, Hebion, atque Cheryntus Hæresiarcæ per suprascriptum Monam fugati sunt & superati. Sub prædicto Antonio Commodo Imperatore passi sunt in Civitate Mediolani Beati milites Christi Victor, & Corona, qui in Ecclesia S. Eustorgii tumulati sunt. Mortuo isto Antonio imperavit Helius Pertinax, (c) Antonius Caracalla filius severi Regis, Macrinus, (d) Ma-
D ximus, Gordianus; & Philippus Primus ex Imperatoribus Romanis Christianus effectus est. Hic apud Mediolanensem Urbem residens, cultum divinum plurimùm ædificavit, & tunc Beatus Monas Archiepiscopus 8. Cal. Apr. moritur, & in Ecclesia Fausti, idest Sancti Vitalis, tumulatur. Nec vacat à mysterio, cur principalis Roma in æquali spatio temporis 20. Summos Pontifices consumserit, & secunda Roma solùm sex Episcopos Mediolanenses Metropolitanos quasi Deos adoraverit. Certè ut designetur, sicut Martyrium Confessioni, & Petrus Barnabæ prælati sunt, sic Ecclesia Romana Ecclesiæ Mediolanensi, & ceteris Ecclesiis est præferenda.
E Post Philippum Decius Imperator efficitur, qui Christianis gravissimas persecutiones intulit, in tantum quòd Ecclesia Philippi, idest Sanctorum Felicis & Naboris scortis & commessationibus maculata fuit. Tunc Beatus Mirocles Archiepiscopus factus fuit.

CAP.

(a) *In MSto Ambrosiano* LXIV.
(b) *MS. Ambr.* aggregata.
(c) *MS. Ambr. addit* Severus Pertinax.

(d) *MS. Ambr.* Aurelius Antoninus, Alexander, Maximinus, Gorgias &c.

CAP. XXXV.

De Sancto Mirocle Archiepiscopo Septimo.

MIrocles Sanctissimus Mediolani Archiepiscopus Septimus ordinatur Anno Domini 246. Sedit verò annis 22., qui in festo Sancti Andreæ mortuus, in Ecclesia Portiana, idest Sancti Victoris ad Corpus tumulatur. Isto tempore fuit Decius Imperator, & Gallus Hostilianus cum filio suo Volusiano. Similiter & Valerianus civis Mediolani, qui de Græcis, Macedonibus, Asia, Hispania, Gothia & Mesopotamia gloriosè triumphavit. Sed in Christianos sævire cœpit, hic à Sapore Rege Persarum capitur, oculis, & naso privatur, cujus tempore iste Mirocles mortuus est.

CAP. XXXVI.

De Sancto Protasio Archiepiscopo VIII.

PRotasius Sanctissimus Mediolani Archiepiscopus octavus ordinatur Anno Domini 249. (a) Sedit verò annis 26. Hic Beatum Epiphanium Episcopum Papiensem Sancti Crispini successorem in Episcopum ejusdem Ecclesiæ consecravit. Isto tempore Gallienus civis Mediolani in Imperio Valeriano successit, cujus filiam Beatus Zeno Veronensis Episcopus à Dæmonio liberavit; unde ipse Beato Zenoni coronam Imperii donavit, ac Christianis semper benevolus fuit. Qui dum in Civitate Mediolani gloriosè imperaret, dolo Aurelii Ducis Palatii occiditur, & in ista nostra Civitate sepelitur. Cui successit in Imperio Claudius; postea Quintalus frater ejus; postea Aurelius; deinde Tacitus; postea Florianus; deinde Probus; postea Diocletianus, qui imperavit in Oriente, & cum ipso Maximianus Herculeus, qui imperavit in Occidente. Hic in Urbe Mediolani Imperialem Sedem posuit.

CAP. XXXVII.

De Sancto Materno Archiepiscopo IX.

MAternus Sanctissimus Mediolani Archiepiscopus Nonus ordinatur Anno Domini 293. Sedit verò annis 12. Hic Lectorum Primicerius existens, à Clero, & Populo unanimiter electus, cunctas Ecclesias Italiæ Metropolitanæ Sedi Mediolanensi subjectas visitabat, viduas Pastore ornabat, unde & Maliodorum Diaconum Episcopum Terdonensem fecit. Inter hæc Maximianus Imperator Civitatem Mediolani ingreditur; namque ubi Mediolanensium mœnia edictis præcedentibus intravit, mox Præconis voce in tota clamatum est Urbe: *Imperator Cæsar Augustus Herculeus Maximianus, semper invictus, triumphator maximus advenit; ecce concurrite Cives; Deos reportat proprios; concurrite Cives, & veneramini. Vos vos procul ab Urbe profani: vobis dicitur, recedite Christiani.* Cùm die altero Tribunal ex alto in Hyppodromo Circi Imperiali fastu præparatum, diademate radians consedisset, astantibus populis latialiter concionatus est: *Oportet*: inquiens, *o generosi cives pristinorum* (b) *sequi statuta morum, & his mentes informare pervigiles, ne fortè luxuriando per alia, simus nostris dignitate pariter ac libertate degeneres; & Sacrosanctam Deorum culturam revocantes ad memoriam, Omnipotentibus Numinibus gratanter litare* (c) *sacrificiorum libamina. Porrò exsufflato Religionis profanæ ritu, & eis, qui hujusmodi sunt, explosis, in nullo participare velitis; quin potiùs illos ad nostram pertrahi facite audientiam, pompantes, ut digni sunt, & ad aliorum exemplar turpiter denudatos per plateas cedentes, ut sic aut morte turpissima condemnentur, aut sacrificent.* Fit clamor ingens Pagani populi: Cæsari maximo semper viventi (d) aurea secula feliciter advehenti, æternum decus diutiùs precatur. Impleturque illico illud Domini oraculum prædicentis: *Tradet*, inquit, *frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient.* Non enim aliquos consanguinitatis affectus, non amicissimorum intuitus à proditionis scelere valuit prohibere. Prodidere matres unicas filias, quas è Christianæ Fidei anulo subarratas noverant; nec minùs patres natos Christianissimos ad Amphitheatrum pertrahendos, ut profanos amentes, atque epilepticos, domibus expulere, & contra nonnulli, genitores proprios (e) infamantes, tortoribus Martyrum puniendos tradidere: & sic Christiani traduntur, occiduntur, & diversis pœnis afficiuntur. Illo tempore Imperator Maximianus Augustale Palatium in Civitate Mediolani construi jussit, & Civitatem ipsam præ aliis Imperatoribus, qui eam incoluerant, magìs fovit, auxit, atque dilexit, adeò ut majorem ejus amplitudinem addiderit, & diversis quoque varietatibus ornando, Romæ cognatam fecit. Fanum Deo Herculi exstruxit, ubi modò est Ecclesia Sancti Laurentii Majoris. In hoc Fano Herculis imago aurea fuit in throno eburneo sedens, quæ responsa dabat. Ante Fanum sexdecim columnas marmoreas erexit, quas laminis æreis deauratas statuit, in quibus, erant sculptæ imagines avium, & piscium, & diversorum monstrorum, quæ omnia quidam ignis consumsit, ut infra dicetur. Item Thermas Herculianas, idest Balnea calida juxta suum Palatium, quod dicitur Maximianum Herculi construxit; & quod multo plus est, insigni innumerabilium Martyrum roseo cruore super ceteras Urbem hanc decoram reddit, in tantum quòd cœmeterium Sancti Eustorgii sexdecim millium Martyrum repletum esse dicitur, tum quia ibi erat locus Baptismatis, tum quia ibi erat lutum infinitæ putredinis; quasi sepulcrum omnis bruti animalis. Hic Imperium Romanum tradidit Maxentio filio suo, qui Beatam Catharinam occîdit, & Regnum Britanniæ tradidit (f) Constantio, qui genuit magnum Constantinum Imperatorem Constantinopolitanum, patrem Constantini Imperatoris Romanorum, & Constantii Imperatoris Ægypti, & genuit Constantiam uxorem Juliani Apostatæ. His itaque sic dispositis, Maximianus Civis Mediolanensis in ipsa Civitate Imperialem purpuram deposuit, secundùm Sycardum, & privatam vitam duxit in Mediolano, ubi & tumulatus fuit, ut creditur. Et quia tam ipse, quàm omnes præcedentes Imperatores usque nunc Ferreâ Coronâ coronabantur, & modò aureo diademate coronari cœperunt,

(a) *MS. Ambr.* CCLXIX. sedit annis XXV.
(b) *MS. Ambr.* nostrorum.
(c) *Corrige ex MS. Ambr.* litate.
(d) *MS. Ambr.* vincenti.
(e) *MS. Ambr. addit* turpiter.
(f) *MS. Ambr. addit*: & Regnum Britanniæ tradidit filiæ suæ, quæ Regem Artuxium genuit, & Faustam filiam suam tradidit Constantio &c.

runt, ideo ordinatum fuit, quòd Corona Ferrea totius Italiæ in Mediolano remaneret, & auream Coronam totius Mundi Domina Roma possideret. Tunc Galerius tenuit Imperium Orientis, Constantius vir Christianissimus, pater Magni Constantini tenuit Imperium Occidentis. Et isti cœperunt imperare cum Diocletiano, & Maximiano, & duravit eorum Imperium annos 52., quia supervixerunt multis annis. Hic Constantinus Christianissimus Imperator Occidentis imperavit apud Mediolanum, quia ibi susceperat Theodoram Maximiani privignam. Interim Beatus Maternus Mediolanensis Archiepiscopus moritur, & Eustorgius Varo Græcus nobilissimus Imperatoris Constantini Vicarius super totam Liguriam & Æmiliam, Archiepiscopus Mediolanensis eligitur.

CAP. XXXVIII.

De Sancto Eustorgio Archiepiscopo X.

EUstorgius, Sanctissimus Mediolanensis Archiepiscopus Decimus ordinatur Anno Domini 311. Sedit verò annis 17. Hic cùm à Clero & Populo unanimiter fuisset electus, de licentia Imperatoris ordinatur. Cui ait Constantinus: ***Populum* (a) *Mediolanensem saluta, & deinceps ipsum ab omni tributo absolve*.** Hic Imperator primo Anno Archiepiscopatus Eustorgii, scilicet Constantinus pius, devicto Maxentio Imperatore cognato suo, totius Orbis Imperium obtinuit. Cujus tempore trium Magorum corpora ad Civitatem Mediolani conducta sunt, ubi plusquam 800. annis in loco, ubi nunc stat Conventus Fratrum Prædicatorum, quieverunt. Post Constantinum imperavit Constantius filius ejus apud Romam, qui licèt in principio fuisset Christianissimus, tamdem factus est Arianus; sub quo Auxentius Arianus Archiepiscopatum Mediolanensem invasit annis 14. Quo non obstante, Christiani Dionysium Christianissimum, ac perfectum virum Archiepiscopum ordinaverunt.

CAP. XXXIX.

De Sancto Dionysio Archiepiscopo XI.

DIonysius Sanctissimus Mediolani Archiepiscopus Undecimus ordinatur. Anno Domini 344. Sedit verò annis 14. Isto tempore Constantius Arianus Imperator Romanorum, apud Ariminum in favorem Arianorum Concilio celebrato, ad Civitatem Mediolani properans, iterum Concilium congregavit, ubi secundùm Historiam tripartitam, interfuerunt Paulinus Tibereos Metropolitanus, Dionysius Metropolitanus Italorum, & Eusebius Vercellensis. Ubi secundùm Fratrem *Joannem Taurinensem* notandum est contra Vercellas. Item interfuit Lucifer Episcopus Galoriæ de Provincia Sardiniæ, & Florentius omnes viri Catholici. At contra Valens, & Ursatius Ariani. Tandem de mandato Dionysii Archiepiscopi Mediolanensis Ariani de Ecclesia sunt expulsi. Tandem Ariani ipsorum mentem contra Athanasium Episcopatum demoliri conati sunt, sed non potuerunt. Similiter nec Eusebius facere voluit, qui tunc totius Italiæ officio fungebatur universalis Legationis. Tunc populus Christianus ait: *Ariani exeant, Pax Dionysio* (b). Et statim, Fidei Catholicæ Dionysius Mediolanensis, postea Eusebius Vercellensis subscripsit; tandem post multa Imperator citavit Eusebium, Luciferum, & Florentium, qui detenti, & post pauca Ecclesiæ restituti, glorificabant Dominum, & laudabant. Postea Imperator 140. Christianos intra Thermas Herculianas recludi jussit; Eusebius Tribuno Galbonio traditur; Florentius verò, & Lucifer Episcopi per Cajum Tribunum custodiuntur. Postea verò Dionysius Archiepiscopus Mediolanensis per Dacianum Decurionem, & per Comites Gentiles Castrensi hospitio recluditur, sicque tota Fides Christanorum extincta fuisse videtur. Tunc Dionysius Archiepiscopus Mediolanensis secundùm Beatum Ambrosium perfidiæ Arianæ subscripsit invitus. Quo audito Beatus Eusebius prudenter filios tenebrarum suo mendacio secundùm Ambrosium derisit; nam dixit: *Volo Arianæ perfidiæ consentire; sed turbor*, inquit, *non modicum, cùm Fides Ariana contradicat Filium Patri æqualem posse esse, cur me in subscriptione Fidei Arianæ Dionysio filio meo postposuistis? Ergo totum deleatur, & recto ordine pater filio præponatur*. Tunc Chirographum subscriptionis diluitur, & Eusebio prior locus subscriptionis donatur. Ex quo Beatus Eusebius (c) ait: *Non ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum Dionysium vobis participare permitto. Sic vobis mentitus sum, sicut Apostolus, qui dixit: Factus sum Judæis Judæus, ut Judæos lucrifacerem. Et me dixi Arianum fieri vobis Arianis, ut filium meum Dionysium de subscriptione Arianorum liberarem*. Hæc audiens Imperator Constantius Dionysium in Armenia arctissimo carcere captivavit, ubi infinitis clarus miraculis martyrio vitam finivit, cujus corpus tandem ad Civitatem Mediolanensem delatum fuit. Sicque mortuo Constantio Imperatore Valentinianus Imperator efficitur, qui Beatum Ambrosium in Civitate Mediolanensi suum delegavit Vicarium, & Ducem in tota Lombardia, qui postea ibidem, ut infra dicetur, Archiepiscopus Mediolani ordinatur.

CAP. XL.

De Sancto Ambrosio Archiepiscopo XII.

AMbrosius Sanctissimus nobilis civis Romanus, ac natione Tignosus, Mediolanensis Archiepiscopus Duodecimus ordinatur Anno Domini 365. Sedit verò annis 25. mensibus 4. diebus 5. Hic Præfecti Urbis pulcherrimus perorator fuit, unde Valentinianus Imperator ipsum sacri Imperii Vicarium fecit, ut Civitatem Mediolanensem, & totam Liguriam, & Æmiliam Provincias gubernaret. Hunc Christus viva voce in Archiepiscopum Mediolanensem elegit, qui infra octo dies ordinatus fuit. Augustinum Magnum, qui in studio generali Civitatem Mediolanensem regebat, baptizavit, & Hymnum, qui incipit *Te Deum laudamus*, cum ipso Augustino composuit. Qui dormiens super altare in Civitate Mediolani Beatum Martinum juxta Pictaviam sepelivit. Omnes Arianos de Italia expulit, unde una pars de Mediolano fuit ejecta, eo quòd nobiliores essent Ariani. Interim Valentinianus Imperator ad Civitatem Mediolani sedem Imperialem posuit, qui Beato Ambro-

(a) *MS. Ambr. addit*: meum.
(b) *MS. Ambr. addit*: Pax Eusebio.
(c) *MS. Ambr. addit*: subridens.

brosio, secundùm Sycardum, ait: *Noli timere, quia Deus, qui elegit te, ipse te adjuvabit; & ego adjutor tuus, & defensor assistam.* Post pauca ipse Imperator Valentinianus apud Birinzonam Castrum in pace quievit: Hæc Sycardus. Qui etiam genuit ex Severa Augusta Gratianum Imperatorem, & ex Justina concubina Ariana pessima Valentem, & Valentinianum Imperatores. Similiter Gallam, Justam, & Gratam. Justina ergo, mortua Severa uxore Valentiniani, ex concubina gratiâ prolis efficitur Imperatrix, quæ Justina viro suo mortuo Arianos fovit, & Ambrosium insidiis, injuriis, & persecutionibus usque ad mortem ferè consumsit. In qua persecutione filius ejus Valens Imperator, quamplurimum ipsam confortavit, quia & ipse Arianus perfidus fuit. In tantum ergo Beatus Ambrosius persecutionem pertulit, quòd oportuit ipsum in Ecclesia Portiana, idest Sancti Victoris ad Corpus, cum Clero & Fidelibus Christianis se recludere, ubi obsessus divinum Officium composuit, ac primò in toto Occidente decantatum fuit: quo Officio per 500. annos totus Orbis usque ad tempora Caroli Magni usus fuit. Beatum Felicem I. Episcopum Cumanum consecravit. Corpora Gervasii, & Protasii fratrum, & Martyrum divina revelatione reperit. Primus, & antiquior inter quatuor Doctores existit. Tamdem Valens Imperator moritur, & Gratianus frater ejus ex Severa Imperatrice natus cum Valentiniano filio Justinæ concubinæ Imperium Mediolanense simul accepit, & Theodosio filio Theodosii Regis Maurorum Imperium Constantinopolitanum tradidit. Accidit isto tempore, quòd Maximus Britanniæ Rex contra Gratianum Imperatorem se erexit, atque occîdit, & Civitatem Mediolani expugnans quarta vice Valentinianum Augustum cum Justina matre sua de Civitate Mediolani fugavit; sicque Imperium Mediolanense arripuit. Hunc Maximum Imperatorem Theodosius Imperator Constantinopolitanus apud Aquilejam occîdit, quem Beatus Ambrosius de Urbe Aquilegiensi usque Mediolanum perduxit, qui restituens Valentinianum Justinæ filium in Imperium Mediolanense, Constantinopolim remeavit. Hic Valentinianus dolo Arbogastis Comitis, & Ducis Eugenii in Viennensi Civitate, quæ est Gallorum Civitas, interficitur; & Eugenius Tyrannus Imperator Mediolanensis appellatur. Qui cùm audisset, quòd ad preces Beati Ambrosii Theodosius iterum adveniret, juravit, secundùm Sycardum, cùm exiret è Civitate Mediolani, si victor rediret, quòd in Ecclesia Ambrosii stabulabitur, Clerici verò sub armis militabunt. Commissoque durissimo prœlio juxta Civitatem Mediolani ventus sagittas Eugenii in suam faciem convertit; sicque Theodosius victor Civitatem Mediolani ingressus fuit: unde dixit Beatus Ambrosius:

O nimiùm dilecte Deo: tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Hic Theodosius clementissimus Imperator, qui appellatur Senior, sicut legitur in quadam Chronica, cùm apud Thessalonicam Civitatem Græciæ orta seditione quidam Judices ejus fuissent à populo lapidati, Theodosius Imperator indignatus jussit omnes perimi, nocentes ab innocentibus non secernens: ubi ferè 5000. hominum sunt occisa. Cùm igitur Imperator Mediolanum venisset, & Ecclesiam intrare vellet, occurrit ei Ambrosius ad januam, eique aditum prohibuit dicens: *Cur, Imperator, post causam tanti furoris non agnoscis molem tuæ præsumtionis? sed fortè recognitionem peccati prohibet potestas Imperii. Decet te, ut vincat ratio potestatem. (*) Princeps es, o Imperator, sed conservorum. Quibus ergo oculis aspicies commune Domini Templum? Quibus calcabis pedibus sanctum pavimentum? quomodo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat injustus? Qua præsumtione ore tuo poculum sanguinis ejus percipies, dum furore sermonum tuorum tantus injustè sit sanguis effusus? Recede ergo, recede, nec secundo peccato priorem nequitiam augere contendas.* His sermonibus Imperator obediens, gemens, & flens ad Regalia remeavit. Cùm ergo in fletu diu mansisset, Rufinus Magister militum causam tantæ mœstitiæ requisivit. Cui ille: *Tu*, inquit, *mea mala non sentis, quia servis. Et mendicantibus aperta sunt Templa, mihi verò ad ea ingressus non est*. Et hæc dicens, singula verba singultibus interrumpebat. Cui Rufinus: *Curro, si vis, ad Ambrosium, ut tibi solvat vinculum, quo te ligavit*. Et ille: *Non poteris persuadere Ambrosio, quia non verebitur Imperialem potentiam, ut legem prævaricari possit divinam*. Sed cùm ille promitteret, quòd eum flecteret, Imperator ire præcepit; & ipse post paululum est secutus. Mox autem ut Ambrosius Rufinum vidit, ait: *Impudentiam canum imitatus es, o Rufine, tantæ videlicet necis autor existens; & nunc pudorem ex fronte detergens, non erubescis contra Majestatem latrare Divinam*. Cùmque Rufinus pro Imperatore supplicasset, & diceret, eum sequi: superno zelo accensus Ambrosius ait: *Ego tibi prædico, quoniam illum ingredi sacra limina prohibebo: si verò potestatem in tyrannidem mutaverit, necem libenter suscipio*. Quod cùm Rufinus Imperatori nuntiasset, *Pergam*, inquit, *ad eum, ut justas in faciem contumelias percipiam*. Cùm ergo venisset, & sua solvi vincula postulasset, occurrens Ambrosius, & ingressum prohibens, ait: *Quam pœnitentiam ostendisti post tantas iniquitates?* Et ille: *Tuum est imponere, meum obtemperare*. Verùm cùm allegaret Imperator, quòd David adulterium & homicidium commisisset, ait Ambrosius: *Qui secutus es errantem, sequere corrigentem*. Quod ita gratanter Imperator suscepit, quòd publicam pœnitentiam agere non recusavit. Cùm igitur reconciliatus Ecclesiam intrasset, & intra Cancellos staret, requirit Ambrosius, quid ibi expectaret. Cui cùm diceret, se perceptionem sacrorum mysteriorum expectare, ait Ambrosius: *O Imperator, interiora loca tantùm Sacerdotibus sunt collata; egredere igitur, & hanc expectationem cum ceteris communem habe; purpura namque Imperatores, non Sacerdotes facit*. Cui protinus Imperator obedivit. Cùm ergo Constantinopolim reversus extra Cancellos staret, mandavit eidem Episcopus, ut intraret; & ille ait: *Vix discernere potui, quæ differentia sit Sacerdotis, & Imperatoris. Vix enim veritatis inveni magistrum Ambrosium, illumque solum Pontificem*. Et quia per diversas partes Mundi Imperatores diris pugnis pro Imperio Mediolanensi certabant, Beatus Ambrosius ab isto Theodosio privilegium impetravit, quatenus Civitas Mediolanensis ab ingressu Imperatoris perpetuò libera foret. Quo privilegio Cives Me-

(*) *Hæc verba*, Princeps es &c. *usque ad* §. & quia per diversas partes Mundi &c. *non habentur in MSto Ambrosiano*.

Mediolanenses longo tempore usi sunt feliciter. Inter hæc Theodosius moritur, & de Civitate Mediolani in Constantinopolim transportatur, & sic Imperium ad Græcos totaliter transivit.

Post hæc Beatissimus Ambrosius Corpus Sancti Nazarii ad Basilicam Beati Petri, quæ fundata fuit in honorem Apostolorum propter eximias reliquias ipsorum transtulit. Post hæc autem ipse infirmatus est, & Dominus Jesus Christus ipsum personaliter visitavit, & ad nuptias Paradisi invitavit. Ante verò paucos dies quàm lectulo detineretur, cùm quadragesimum tertium Psalmum Notario dictaret, subitò ipso vidente Notario in modum scuti brevis ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ejus, tamquam in domum habitator, intravit. Tunc facies ejus tamquam nix effecta est, & postmodum ad suam speciem reversa est. Ipso igitur die scribendi & dictandi finem fecit, nec ipsum Psalmum explere potuit. Tunc Stilico Comes Italiæ, cùm Mediolani esset, Nobiles convocavit, dicens, quòd tanto viro recedente periculum erat, ne Italiæ interitus immineret, rogavitque, ut ad virum Dei accederent, rogantes, ut sibi adhuc vivendi spatium à Domino impetraret. Quod ille ubi ab illis audivit, respondit: *Non ita inter vos vixi, ut me vivere pudeat; nec mori timeo, cùm bonum Dominum habeamus*. Eo tempore IV. ejus Diaconi convenerunt invicem tractantes inter se, quis post ejus obitum bonus esset. Cùm ergo à loco, in quo vir Dei Ambrosius jacebat, longè essent, & Simplicianum ita silenter nominassent, ut vix invicem se audirent, ille ab eis longè positus tertiò exclamavit: *Senex, sed bonus*. Quod audientes territi fugerunt, & non nisi illum post ejus obitum elegerunt. In loco autem, in quo jacebat, vidit Jesum ad se venientem, & sibi vultu alacri arridentem. Honoratus verò Episcopus Vercellensis, qui Beati Ambrosii exitum expectabat, cùm in superiora domus se ad quiescendum composuisset, tertiò vocantis se vocem audivit, dicentisque sibi: *Surge, festina, quia modò es recessurus*. Qui descendens obtulit Sanctum Domini Corpus; quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens, ut in virtute escæ esset animæ refectio. Angelorum nunc consortio, quorum vitam vixit in terris, & Heliæ societate lætatur. Quia ut Helias numquam Regibus, vel ullis potestatibus, ita & iste pro Dei timore loqui non est veritus. Atque inde ad Ecclesiam majorem ante lucanam horam, qua defunctus est, corpus ipsius deportatum est, ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in Pascha. Quem plurimi infantes baptizati, cùm ad fontem venirent, viderunt, ita ut aliqui sedentem in Cathedra Tribunali dicerent; alii verò ascendentem suis parentibus digito ostenderent; plurimi autem stellam supra corpus ejus se videre narrabant. Sed illi videntes videre non poterant, qui tam mundos oculos non habebant. Sed lucescente die Dominico cùm corpus ejus peractis Sacramentis Divinis de Ecclesia levaretur, portandum ad Ecclesiam Ambrosianam, in qua po-

A situs est, ita ibi Dæmonum turba clamabat se torqueri ab illo, ut & ejulatus eorum ferri non possent. Quæ gratia Sacerdotis non solùm in illo loco, verùm etiam in plurimis Provinciis usque in hodiernum manet. Jactabant etiam turbæ virorum, ac mulierum oraria ac semicinctia sua, ut corpus sanctum aliquatenus ab iis contingeretur. Erant enim exequiarum turbæ innumerabiles, totius dignitatis, totiusque sexus, omniumque pæne ætatum, non solùm Christianorum, sed & Judæorum, & Paganorum. Majore tamen gratia ordo præcedebat eorum, qui fuerant baptizati. Et sic Anno Domini 391. die 4. Aprilis Dominicâ Resurrectionis Christi Jesu D. N. in Ecclesia sui nominis tumulatus

B fuit, ubi postea Monasterium ditissimum & Canonica nobilis constructa sunt, quæ alternatim concinentes ab hora media noctis, usque ad medium ferè diem laudes Deo, & Beatissimo Ambrosio canunt. Beatus verò Ambrosius, dum adhuc in carne viveret, fundavit Ecclesiam in honorem Beati Petri Apostoli, & omnium Apostolorum, quæ modò dicitur Sancti Nazarii; item aliam Ecclesiam in honorem Sanctorum Gervasii, & Protasii Martyrum ac fratrum gemellorum, & omnium Martyrum, quæ modò dicitur Sancti Ambrosii; item aliam Ecclesiam in honorem omnium Confessorum, quæ modò dicitur Sancti Dionysii; item aliam Ecclesiam in honorem Beatæ Mariæ Virginis, & omnium

C Virginum, quæ modò dicitur Sancti Simpliciani. Et omnes prædictæ quatuor Ecclesiæ erant tunc extra Civitatem. Qui indicto quatriduano jejunio secundùm Dacium ante diem in IV Dominica septuaginta duos Sacerdotes juxta numerum 72. Discipulorum ordinavit, qui Episcopi dicebantur. Hi ferula & anulo insigniti, quæ Dei erant, & proximo conveniebant, continuò procurabant: quam consuetudinem Græci postmodum à Beato Ambrosio acceperunt. Ex 72. Episcopis Sacerdotibus unum Primicerium, idest cor Archiepiscopi nominavit. Hic de virtutibus ceteros instruebat Sacerdotes; item juxta numerum 24. seniorum, & 24. horarum naturalium, ordinavit 24. Cardinales, sive Cardi-

D narios, quos corrupto vocabulo nunc vocamus Ordinarios. Deinde ordinavit Archipresbyterum, & cum ipso, juxta numerum VII. donorum Spiritus Sancti, Diaconos VII. ordinavit; item Subdiaconos 24. Acolitos idest Notarios sui Palatii multos instituit. Similiter & Lectores instituit; item & Primicerium puerorum, qui cum ferula coriata in Ecclesia hyemali, idest Beatæ Virginis, filios Marchionum, & Comitum, vel etiam Capitaneorum initiales literas docebat, ac fortissimè virga flagellabat. In Schola Sancti Ambrosii erant decem viri Clerici, cum quibus mulieres vetulæ ministrabant, vinum & hostias offerendo. His omnibus benedicens Beatissimus Ambrosius una uxore posse uti concessit, (*) qua

E defuncta & ipsi vidui in æternum permanerent. Quæ consuetudo duravit annis 700. usque ad tempora Alexandri Papæ, quem Civitas Mediolani genuerat. Nunc autem talis consuetudo abrogata & vetita est. In latere Aquilonari Hye-

(*) Fabellam hanc in sua quoque Mediolanensi Historia Corius adoptavit, ob id etiam à Sacra Indicis Congregatione merita censura confixus ut datæ ad Cardinalem Archiepiscopum Federicum Borromæum ejusdem literæ, adhuc in Ambrosiana Bibliotheca vigentes testantur. Curam illam fuisse seculo XI. dubium esse non potest, quo damnata à Summis Pontificibus Sacerdotum connubia non tam calamis, quàm armis Mediolani propugnabantur; eamdem enim Landulfus senior in hac Collectione Tomo IV. editus uxoratis Clericis summopere favens, primus quem viderim retulit; habuitque exscriptorem credulum, ac fidelem Galvaneum Flammam, ac postmodum Corium; sed quantum à mente, & scriptis Sanctissimi Præsulis nostri hæc aberrent, luculenter docuit Puricellus in peculiari dissertatione, quam in memorato volumine adjicere fol. 121. opportunum duximus.

Hyemalis Ecclesiæ erant Philosophorum Scholæ multiplices, quæ longa Archiepiscoporum consuetudine ipsorum stipendiis sustentabantur. Hic, ideft in ista Civitate Mediolanensi, Virgilius natione Mantuanus togam secundùm Sycardum suscepit, idest Licentiatus fuit. Hic magnus Augustinus docuit, immo veram Philosophiam didicit, quia Fidem accepit. Post Beatum Ambrosium Beatus Simplicianus sedit.

CAP. XLI.

De Sancto Simpliciano Archiepiscopo XIII.

SImplicianus ex Cataneis de Beverate, sive de Sorexina, quod est juxta Rivum de Martesana Mediolanensis Archiepiscopus Decimustertius ordinatur Anno Domini 391. Sedit verò annis 4. de quo dicit Beatus Augustinus, quòd lucebat in eo gratia Divina. Fuit enim Philosophus permaximus Augustini comes, & socius individuus. Hic ordinavit 24. Sacerdotes qui additi 72. Sacerdotibus supradictis faciunt 96. sive quasi decies decem, unde Decumani dicti sunt. Vel secundùm aliquos Decumani dicti sunt, idest majores, quia offerebant; & supplebant Officium majorum Cardinalium in Ecclesia Metropolitana. Vel dicti sunt Decumani à Decimis, quas devotè recipiebant, vel quia cum 24. Cardinalibus scrutinium Cleri & Populi audiebant. Hic Beatum Gaudentium primum Episcopum Novariensem consecravit, Corpora Sanctorum Martyrum Sisinii, Martyrii, & Alexandri acquisivit, sicque Civitas Mediolani tota quasi Templum unum facta est. Unde Proverbium inolevit, *Mediolanum in Clericis*, *Papia in deliciis*, *Ravenna in Ecclesiis*, *Roma in ædificiis*; Facta est igitur mater hæresum, Dei templum, & oraculum. Unde versus:

Erroribus pollet populi fœcunda potentis
Urbs nota, & felix, longoque celebris ævo,
Deliciis miranda suis, & plena decoris,
Ambrosii decorata fuit fulgoribus almis,
Justitiæ fomes, cœlesti sedula cultu,
Imperii quondam sedes, & æmula juris.

CAP. XLII.

Quomodo Civitas Mediolani cœpit regi per Duces.

SUblato itaque Imperio de Urbe Mediolani post mortem Beati Ambrosii Civitas Mediolani per Duces regi ac gubernari cœpit. Hi enim Duces per electionem, sicut modò fit Venetiis, assumebantur ad vitam, quibus hæ dignitates collatæ sunt. Scilicet quòd erat Dux Burgariæ, Comes Seprii, Marchio Martesanæ. Item suum erat jus stateræ Comunitatis. Omnibus sinè herede decedentibus heres erat. De quolibet nato censum recipiebat; de quolibet curru lignorum unum lignum habebat; de qualibet sporta piscium mediocrem piscem suum esse dicebat; de qualibet fornata panis unum panem recipiebat. Dux autem ille, quicunque fuisset, prout ejus dignitas atque præclara nobilitas exigebat, ceteris temporibus anni habitabat in Palatiis juxta Ecclesiam Sancti Protasii ad Monachos, ubi usque hodie *Curia Ducis*, sive vulgo *Cordusium* dicitur. Iste Dux jurabat servare infrascripta Statuta: videlicet: Quod honestum erat. Comunitatibus Villarum, Civibus, & Civitati curiosè procurabat; injurias acriter puniebat; turbationes Civium totaliter sedabat. Præsidium erat Orphanis, tribulatis solatium, viduis subsidium, parvulis defensio, injustis lex, justitia perfidis, timorque latronibus. Omnisque mercator, sive rusticus, sive bubulcus, quo volebat poterat ire securus. Ecclesiarum & Clericorum honores integrè servabat; contra hostes erat solicitus. Propter quæ quasi Deus à populo adorabatur, sic quòd Civitas Mediolani summa pace, summoque gaudio fruebatur.

CAP. XLIII.

De Sancto Venerio Archiepiscopo XIV.

VEnerius Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XIV. ordinatur Anno Domini 395. Sedit verò annis 9. (*) Jacet ad S. Nazarium.

CAP. XLIV.

De Sancto Marolo Archiepiscopo XV.

MArolus Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus Decimusquintus ordinatur Anno Domini 408. Sedit verò annis XI. Jacet ad Sanctum Nazarium.

CAP. XLV.

De Sancto Martiniano Archiepiscopo XVI.

MArtinianus Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XVI. ordinatur Anno Domini 419. Sedit verò annis 3. Jacet ad S. Stephanum ad Rotam.

CAP. XLVI.

De Sancto Clicerio Archiepiscopo XVII.

CLicerius Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XVII. ordinatur Anno Domini 423. Sedit verò annis 18. Jacet ad S. Nazarium.

CAP. XLVII.

De Sancto Lazaro Archiepiscopo XVIII.

LAzarus Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XVIII. ordinatur Anno Domini 450. Sedit verò annis XI. Jacet ad S. Nazarium, in cujus ultimo anno, scilicet 440. (**) Civitas Mediolani quinta vice subjugata est.

CAP. XLVIII.

De Attila Rege Vandalorum.

ATtila Rex Hunnorum, seu Vandalorum, terror hominum, metus Orbis, amator belli, flagellum Dei, superatis Thracibus, Macedonibus, Turcis, Ungaris, & Dacis, Agrippinam Civitatem, idest Coloniam, superavit, ubi Beatam Ursulam cum XI. Virginibus martyrizavit; omnes Civitates Alamanniæ super Rhenum, Parisium, & totam Franciam superavit; Regem Burgundionum prostravit; cum Azone Romano in Campis Catalameneis conflixit: 1800. virorum ex utraque parte pereunt. Inde ultimò superatus in Hungariam rediit; in Italiam intravit; Aquilegiam expugnavit; Concordiam, & Pictaviam, idest Paduam, Civitates evertit; Civitatem Mediolanensem quinta vice subjugavit; Papiam igne ferroque consumsit; & tamdem divino nutu rediit. Et licèt multas haberet uxores, adhuc tamen Honoriam sororem Valentiniani Imperatoris superduxit, in cujus nuptiis Diabolus accepta in ipsum potestate ipsum suffocavit; regnavitque Gensericus filius ejus pro eo. In hac tam crudeli peste Beatus Lazarus moritur, & ad S. Nazarium tumulatur, cui successit Eusebius.

CAP. XLIX.

De Sancto Eusebio Archiepiscopo XIX.

EUsebius Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XIX. ordinatur Anno Domini 462. Sedit

(*) *MS. Ambr.* VIII.

(**) *MS. Ambr.* CCCCLXII.

dit verò annis 17. Hic pro reædificatione Civitatis Mediolani Synodum suorum Suffraganeorum congregavit, inter quos præcipuè fuerunt Episcopi Papiensis, Placentinus, Januensis, Coriensis, Cumanus, & Savonensis, qui omnes postea subtracti fuerunt. Civitas autem renovabatur, unde & ipse Ecclesias destructas & pollutas restaurare cœpit, & festum Dedicationis in Dominica III. Octobris ordinavit; & tunc arca de Ecclesia Æstiva ad Ecclesiam Hyemalem reportatur. Tunc temporis Imperator quemdam Comitem suum nomine Aricemer Vicarium Sacri Imperii super totam Italiam instituit, quem Mediolanenses in suum Ducem elegerunt, qui semper se Ducem Mediolanensem appellabat; ubi genuit filium, quem Orestem nominavit. Beatus Eusebius interim moritur, & ad Sanctum Laurentium majorem tumulatur. Cui successit Geruntius.

CAP. L.

De Sancto Geruntio Archiepiscopo XX.

GEruntius Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XX. ordinatur Anno Domini 480. Sedit verò annis 6. (*) Aricemer Dux Mediolani cum Oreste filio suo rexit Civitatem Mediolani annis 15. Contra istum Ducem Igor Rex Alemanniæ vênit usque Pergamum, cui Aricemer cum militia Mediolanensium viriliter occurrit, & expugnata Civitate Pergamensi ipsum Regem Alemanniæ prostravit. Deinde iste Aricemer Romam viriliter perdomuit. Audiens autem Gensericus Attilæ filius Rex Hunnorum, quòd militia Mediolanensis contra Romam dimicaret, citissimè ad Civitatem Mediolanensem convolavit, quam pugnatoribus vacuam inveniens, maximè quia propter destructionem patris sui Attilæ nondum fortificata fuerat, faciliter expugnavit sexta vice, ac fortiter communivit. Quod audiens Aricemer Dux Mediolanensis ad Civitatem Mediolanensem rediit, quam difficillimo prœlio obtinuit, & violenter septima vice Civitatem cepit. Post pauca Aricemer moritur, Ducatumque Orestes filius ejus pro eo suscepit. Isto tempore Odoacer Rex Ruthenorum in Italiam vênit, & Orestem Ducem Mediolani in Civitate Papiensi obsedit, vicit, ac occupavit; & veniens Mediolanum totam Civitatem octava vice destruxit.

CAP. LI.

De Italicis, qui dederunt se deliciis & voluptatibus.

ANno Domini 486. Italici deliciis & voluptatibus dediti, nullo modo armis insistere decreverant: unde à Longobardis, Hungaris, Gallis, & Francis singulis annis exspoliabantur; eorum oppida seu castra destruebantur, eorumque uxores opprimebantur. Quibus visis tota Italia ordinavit de faciendo sibi Regem, & sic (**) Diocletianum nobilem civem Romanum sibi elegerunt in Regem ac in Civitate Mediolani ipsum coronaverunt. Qui statim omnes majores natu, atque opibus ditiores ad se vocans, præcepit eis equos bellicosos & arma totis viribus præparare, victualia pro duobus mensibus recuperare; & ascendens montium cacumina, ibidem castra sua fixit, ibique 4000. & quingentos milites ordinavit; Regi Gallorum volenti in Italiam venire viriliter restitit, ac ipsum redire coëgit. Tamdem cum magno gaudio ad Civitatem suam Mediolanensem rediit. Interim ex altera parte Theutonici ingredi Italiam conabantur: qua de causa Diocletianus Rex Veronam perrexit, ubi congregato exercitu admirabili ad transitum Guarda nuncupatum equitavit, & per XV. dies in faciem Theutonicorum restitit, ac retrocedere fecit. Ipse autem cum triumpho Veronam remeavit, ubi post pauca extremum diem clausit, quem tota Italia summo cum dolore in Ecclesia Sancti Zenonis sepelivit. Iterum congregato Concilio Italici elegerunt sibi in Regem Maximianum de Castro-Seprio natione Mediolanensem virum nobilem & potentem, qui Anno Domini 489. in Civitate Mediolanensi coronatus est Rex Christianus. Inter hæc Alexius Hungariæ Rex in Italiam festinus properabat. Quo audito Rex Maximianus Veronam equitavit, & deinde ad montem Silicis Hungaris hostiliter occurrit; bellum committitur; à mane usque ad Nonam certatur. Utrique verò parti pessimè fuit: unde multis diebus sine pugna steterunt. Tunc Florixius in auxilium Regis Hungariæ vênit, & populus Mediolanensis cum vexillis innumerabilibus, & tubis clangentibus Maximiano Regi concivi suo auxilium præstitit: unde iterum pugnatum. Fugiunt Hungari, & per IV. milliaria fuga duravit; innumerabiles etiam corruerunt; & sic Maximianus Rex cum ingenti gloria ad suam Civitatem Mediolanensem rediit, qui multis temporibus Italiam prudenter gubernavit. Tunc Longobardis, qui erant in Pannonia, & Gisulpho Regi eorum percipiendo mandavit, quatenus de Pannonia, idest Brunonia, sive Cremona, Verona, & Mantua exirent, quas occupare jam cœperant. Qui statim exeuntes in Hungariam recesserunt, ubi congregato exercitu copioso in Flaminiam Provinciam, idest Romandiolam, ingressi sunt. Quibus Maximianus Rex ad Forum Cornelii, cujus oppidum dicitur Imola, viriliter occurrit, & ibidem sua castra fixit. Prœlium inchoatur, & à mane usque ad Nonam fortissimè certatur, in quo prœlio perdidit Maximianus Rex Mediolanensis 240. milites, ex Hungaris verò mortui sunt 5200. & capti 512. Tunc Hungari ipsa nocte privatim fugientes omnia bona sua dimiserunt, sicque Maximianus Rex ad suam Civitatem Mediolanensem cum gaudio magno rediit. Quo mortuo Odoacer Rex Ruthenorum resumtis viribus iterum Regnum Italicum obtinuit, & in Italia multa prœlia magnâ Victoriâ commisit. Odoacer his elatus, Regiam potestatem assumsit. Augustulus verò, qui Imperii dignitatem arripuerat, cernens Odoacris successus, sponte purpuram exuit, cùm vix mensibus XI. imperasset. Anno Domini 475. Odoacer Romam ingressus est, & annis 14. quietè Italiam obtinuit, arbitrio regnans, donec ab Orientis partibus veniens Theodoricus cum Gothis à Zenone Imperatore missus, eum à Regno summovit. Iste Zeno cum Gothis pacis fœdus iniit. Theodoricus puer à patre suo Principe Gothorum Zenoni in obsidem datur, qui Theodoricus cùm 18. annorum esset, Imperator utilitatem Reipublicæ respiciens, misit eum cum Gothis, & gente sua in Italiam, quam Odoacer occupatam tenebat. Cùm ergo Theodoricus à Regione Mæsia per Bur-

(*) *MS. Ambr. addit*: jacet ad Sanctum Simplicianum. Istius tempore, scilicet anno Domini CCCCLXXXV. Aricemer &c.

(**) *Vide, quot Fabulas Romanenses Gualvaneus noster ebiberit, & nobis etiam propinare voluerit. Omnia heic & infra aut ficta, aut in Chronologiam peccantia.* Muratorius.

Burgariam, & Pannoniam in Italiam venisset, & post multos labores non longè ab Aquilegia in uberrimis pascuis se & suos recrearet, Odoacer cum Italiæ viribus ipsum invadens, contritus est à Theodorico. Itaque Odoacer paulò post Romam fugiens, cùm à populo non fuisset permissus intrare Urbem, Ravennæ se se recepit, quem Theodoricus post tres annos obsidionis peremit; & Romam veniens cum gaudio est receptus. Postea verò Theodoricus omnia quietè tenens, ut sui Regni vires stabiliret, filiam Regis Francorum duxit in uxorem; Hunnerico Regi Vandalorum Almafredam sororem suam sociat in conjugium. Ejus Almafredæ filiam Malaburgam Emenfredo Regi Turingorum maritat; Ex concubina filias unam Alarico Regi Visigothorum; alteram Sigismundo Regi Burgundionum; Almasinatam verò tertiam filiam Eutharico ex Alamannorum stirpe nato evocato ab Hispania tradidit, sicque Italiæ nulla gens affinis prætermissa est, quæ Theodorico aut conjunctionis affinitates, aut pactione sociata non fuerit. Zeno verò Imperator cùm per annos 16. imperasset, apud Constantinopolim morbo diem clausit extremum. Anastasius in Imperio succedit Anno Domini 492., qui in Euticis hæresim est dilapsus, negans in Christo duas esse naturas, Divinitatis scilicet & Humanitatis; & cùm annis 27. imperasset, vi fulminis percussus occubuit, cui Justinus major successit in Imperio Anno Domini 520. qui præfuit annis 11. Hic Justinus Imperator Christianissimus statuit, ut ubicunque Ecclesiæ Hæreticorum essent, Catholica religione consecrarentur. Quod cùm in Italia Rex Theodoricus Gothus Ariana hæresi pollutus audivisset, Joannem Papam, & alios Consulares viros in Constantinopolim dirigens, comminatus est, quòd nisi Ecclesias Arianis restitueret, omnes Christianos perimeret gladio. Qui à Justino honorificè suscepti, ad preces Papæ, & Nuntiorum compatiens neci Christianorum de Ecclesiis Arianorum supersedit. Dum verò in itinere demorarentur, Theodoricus rabie iniquitatis stimulatus, Boëtium Consularem Senatorem, quem priùs in exilio relegaverat Papiæ, & alios viros Catholicos gladio trucidavit; Joannem verò Papam cum iis, cum quibus erat profectus, postquam redierant ad ipsum, in Ravenna carcerali angustia peremit. Sed hanc ipsius crudelitatem mox animadversio Divina secuta est & ultio; nam nonagesima octava die post hoc facinus subita morte defunctus est. Qui, ut refert Beatus Gregorius Libro 4. Dialogor. Cap. 30. visus est à quodam solitario magnæ virtutis horâ nonâ discinctus atque discalciatus, & vinctis manibus deduci inter Joannem Papam, & Symmachum Patricium, & in vicina Vulcani olla jactari; & quia Joannem Papam affligendo in custodia occîdit, Symmachumque Patricium ferro trucidavit, ab illis justè in igne mitti apparuit, quos in hac vita injustè judicavit. Igitur Theodorico Rege defuncto, Gothi sibi Regem præficiunt Talericum ex Amalasinta filia Theodorici genitum. Justinus verò Augustus postquam annis 11. imperasset, Constantinopoli in pace quievit. Cui successit Justinianus sororis suæ filius Anno Domini 531. & imperavit annis 38. Hunc Agapitus Papa vir Dei revocavit ab errore Euticis hæretici. Hic leges condidit, & consummavit Libros, scilicet Codicem & Digesta.

CAP. LII.

De Talerico Rege.

Talericus Theodorici Regis nepos, sive Abiaticus Anno Domini 547. suscepta Mediolanensi Corona regnavit annis 10. Isto tempore, scilicet 545. tota Italia tanta fame pressa fuit, quòd matres filios proprios comedebant. Contra istum Talaricum Justinianus Imperator Constantinopolitanus totis viribus cogitabat, qualiter posset Italicum Regnum de manibus ejus eripere; sed nihil profuit. Quo tamdem mortuo, successit ei in Regnum filius ejus Deodatus.

CAP. LIII.

De Deodato Rege.

Deodatus filius Talerici Regis ex Gothico genere Italiæ Rex Octavus, suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 557. regnavit annis 4. Hic Deodatus aviam suam, ad cujus procurationem Rex factus fuerat, occîdit: de quo Justinianus gravatus est. Tunc Deodatus Agapitum Papam in Constantinopolim misit, ut sibi perpetrati sceleris impunitatem impetraret: qui veniens in Constantinopolim, invênit Imperatorem Justinianum in errorem Euticis hæretici incidisse. Cui dixit Agapitus: *Credebam invenire Justinianum Christianissimum, & inveni Euthicianum.* Tamdem Imperator convertitur, & Agapitus ibidem moritur. Similiter Deodatus Italiæ Rex occubuit. Quo mortuo, successit ei in Regnum filius ejus Guitidus.

CAP. LIV.

De Guitido Rege.

Guitidus filius Deodati Regis ex Gothico genere Italiæ Rex nonus, suscepta Mediolanensi corona Anno Domini 561. regnavit annis duobus. Contra istum Justinianus Imperator Constantinopolitanus quemdam Belisarium nomine Vicarium suum super Italiam fecit, qui omnes Gothos de Italia exterminavit, veniensque Romam Guitidum Regem Italiæ inde fugavit; sed Guitidus Rex resumtis viribus Belisarium Vicarium Imperatoris in Civitate Romana per unum mensem obsedit, & nihil profecit. Ex quo Guitidus Rex Italiæ Ravennam rediit. Post quem Belisarius Vicarius Imperatoris cucurrit; pugna committitur, Guitidus superatur, & vinculatus in Constantinopolim ducitur. Quo audito Gothi, qui in Liguria citra Padum inhabitabant, Hyldebaldum ipsius Guitidis filium Regem in Italia fecerunt.

CAP. LV.

De Hyldebaldo Rege.

Hyldebaldus Guitidis Regis filius ex Gothico genere Rex decimus, suscepto Mediolanensi ferreo diademate Anno Domini 563. regnavit mensibus II. Hic Hyldebaldus sine consensu & requisitione Justiniani Imperatoris Sylverium fecit Papam. Qua de causa Imperator Justinianus ipsum Sylverium Papam in exilium misit, Hyldebaldum verò Regem Italiæ exbannivit, & post pauca ipse Hyldebaldus Rex Italiæ

liæ moritur. Quo mortuo, successit ei in Regnum filius ejus Hortirius.

CAP. LVI.

De Hortirio Rege.

HOrtirius Hyldebaldi Regis filius ex Gothico genere Italiæ Rex XI. suscepta Mediolanensi corona, regnavit paucis mensibus; nam Imperator Justinianus propter patris excessum Belisario Vicario suo præcipiendo mandavit, quatenus decapitaretur. Quo sic mortuo, successit ei in Regnum filius ejus Totila, qui etiam Banduilla dictus est.

CAP. LVII.

De Totila Rege.

TOtila, qui & Banduilla dictus est, Hortirii Regis filius ex Gothico genere Italiæ Rex XII. suscepto Mediolanensi diademate ferreo Anno Domini 563. regnavit annis 10. Hic Totila Rex Italiæ cum Belisario Vicario Imperatoris Justiniani sæpissimè conflixit; quo mortuo Imperator Justinianus Narsetem Eunuchum uxoris suæ Vicarium in Italia fecit; qui de Græcia egressus per Hungariam transivit, & Alboim Hungariæ Regem secum in Italiam traxit, cujus auxilio Totila Rex Italiæ vincitur, & decapitatur. Sicque Regnum Gothorum, idest Guasconum, finitum fuit, qui ferè annis 100. in Italia regnaverant. Alboim autem Rex Hungariæ in Hungariam rediit.

CAP. LVIII.

De Constructione Civitatis Venetiarum.

VIdentes autem Italici genus Longobardorum nimis sibi vicinum, Civitatem Venetiarum construxerunt, ut sic de cetero per mare nullum possent transitum habere. Sicque Justinianus Imperator totum Regnum Italicum pe plano cœpit possidere. Justiniano autem in Constantinopoli imperante, cives Mediolanenses elegerunt sibi in Ducem quemdam nobilem civem Mediolanensem Hylduinum nomine. Hic genuit filium, qui dictus est Azo, qui fuit puer elegantis formæ, & mirabilis pulchritudinis, cujus tempore Beatus Benignus Mediolanensis Archiepiscopus efficitur.

CAP. LIX.

De Sancto Benigno Archiepiscopo XXI.

BEnignus Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XXI. ordinatur Anno Domini 586. Sedit verò annis 8. Jacet ad Sanctum Simplicianum.

CAP. LX.

De Sancto Ausano Archiepiscopo XXII.

AUsanus Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XXII. ordinatur Anno Domini 594. Sedit verò annis 8. Jacet ad Sanctum Stephanum ad Rotam.

CAP. LXI.

De Sancto Arsatio Archiepiscopo XXIII.

ARsatius Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XXIII. ordinatur Anno Domini 602. Sedit verò annis 2. secundùm Chronicam Leonis, jacet ad Sanctum Stephanum ad Rotam; cujus Corpus in Bavariam detulit Lambertus, de cujus tumulo continuus liquor manabat. Isto tempore Lambertus Francorum Rex cum tribus Ducibus, scilicet Buccilino, Aygmundo, Leutherio, & duobus fratribus suis, scilicet Theuderico, & Theudeberto, & Baronum copia, ac cum exercitu Theutonicorum infinito Imperium Italicum usurpare conatus est, & Civitatem Mediolani decem annis continuis obsedit crudeliter. Tunc cives Mediolanenses Hylduinum cum filio suo Azone Ducem sibi elegerunt, qui Civitatem Mediolani contra Lambertum viriliter defendit, duoque Duces Lamberti, scilicet Buccilinus, & Aygmundus occiduntur. Leutherius similiter Dux ejus inter Tridentum & Veronam per Narsetem Vicarium Imperatoris capitur. Videns autem Lambertus, se undique à potentia Mediolanensium superatum, pacem cum pactis petiit, jurans se numquam portas Civitatis Mediolani ingressurum, si liberum transitum cum paucis per medium Civitatis sibi concederetur. Quod audiens Hylduinus Dux Mediolanensis gavisus est valde, maximè quia res nullius periculi esse videbatur. Cùm ergo Rex Lambertus per unam portam fuisset ingressus, per aliam illico exivit, & statim jussit obsidionem à Civitate Mediolanensi recedere; qui fingens se longiùs ire, media nocte revertitur, & nullo ipsum custodiente murum fregit juxta Ecclesiam Sancti Michaëlis ad murum ruptum, unde nomen accepit. Et ingressus Civitatem per rupturam muri, non per portam ne perjurus videretur, totam Civitatem igne, ferroque nona vice vastavit. Funditus portas Civitatis & murum turribus redimitum evertit; antemurale, quod Maximianus Imperator erexerat, cujus circuitus erat 7. milliarium cum dimidio totaliter diruit; Palatia Civitatis & domos solo coæquavit; omnia Campanilia dejecit, excepto Campanili Sancti Michaëlis ad murum ruptum, quia ibi murum aperuerat, & Ecclesiam inhabitabat, unde usque hodie illa Ecclesia dicitur ad murum ruptum. Hic Coronam Ferream totius Italiæ de Mediolano auferens, ad Civitatem Papiensem transtulit; Hylduinum Ducem Mediolanensem decapitavit; & Azonem filium suum secum captum adduxit. Hic Rex dùm Civitatem Mediolani destrueret, audivit Beatum Ambrosium sibi dicentem: *Quia Civitatem Mediolani meæ protectioni commissam destruere ausus es, in brevi canes comedent carnes tuas.* Post pauca dum hic (*) Lambertus Rex in montibus Parmensis Civitatis venationi insisteret, nimio somno gravatus, in gremio Azonis filii quondam Hylduini Ducis Mediolanensis, qui adhuc paucos annos trahebat, dormire cœpit. Tunc puer, Magistri sui suggestione recepta, spinarum manipulo ipsum crudelissimè mactavit, cujus caro à bestiis devorata est, omni militia ejus ipsum derelinquente. Ex tunc illa contrata vocata est *Malaspina*. Tunc puer Azo ad Civita-

(*) *Gualvaneus noster heic tempora & homines nimis supinè confundit, & fabulas venditat. Lamberti Imperatoris casum, qui exeunte Seculo IX. vivere desiit, ad Seculum VI. atque ad tempore Justiniani I. Augusti trahit.* Murat.

vitatem Mediolani revertitur, & Mediolanensis Dux efficitur, qui ipsam Civitatem Mediolani reædificare procuravit, ut potuit; & circa murum, & portas Civitatis totum suum studium posuit, ut fortes essent contra hostium insultus. Intra Civitatem erant domus instructæ ex cratibus ligneis luto linitis, coopertæ paleis, unde Civitas quondam plena Palatiis magnis, tunc magis videbatur Villa, quàm Roma secunda. Si flabat aliquis ventus, vox præconis per Civitatem clamabat: *Quicumque quamdiu ventus flaverit, in domo ignem succenderit, perdat personam, & omnia bona sua confiscentur*. Et sic sinè cocto homines pluribus diebus vescebantur; parvuli aquâ frigidâ balneabantur; & sic in magna miseria cuncti cives angariabantur. Sic stante Civitate Mediolani, ecce Romani mittunt ad Imperatorem Justinianum dicentes: *Aut Narsetem Vicarium tuum super Italiam removeas, aut Civitatem Romanam hostibus tuis trademus*. Quo audito Imperator Justinianus Longinum sacri Imperii Vicarium fecit super Italiam. Tunc Sophia uxor Imperatoris hanc epistolam Narseti scripsit, dicens: *O Narses Eunuche, ego tibi notifico, quòd cum ancillis meis faciam te filare, & lanarum pensa dividere*. Ad hæc verba Narses respondit: *Et ego talem telam tibi ordiri procurabo, quam donec vixeris deponere non valebis*. Unde statim ad Alboynum Longobardum, Pannoniæ, idest Hungariæ, Regem Epistolam misit, dicens: *O inclyte Rex Alboyne, cùm propter auxilium tuum Gothorum genus de Italia sit exstirpatum, justum mihi videtur, quòd rudissima rura Pannoniæ deseras, & Italiam cunctis divitiis refertam possessurus ingrediaris*. Quod sinè mora Rex Alboynus facere procuravit.

CAP. LXII.

De Origine Longobardorum.

HOc genus Longobardorum à longis retroactis temporibus intueri oportet. Gens enim quædam erat Germanica plurimùm populosa, quæ de litoribus Oceani à parte Septentrionali egressa scilicet de Insula Scandinavia, ubi filios suos sæpiùs turmatim vendidit, aut turmatim emisit, cùm per belli multa certamina, diversarumque terrarum circuitus tamdem Pannoniam devenisset, ultra non audens procedere, sibi sedem in ea perpetuæ habitationis instituit. Hi primò Hynnuli, postea Longobardi appellati sunt. Ex prædicta igitur Insula Longobardi sub Ducibus Hybor & Agion tempore Beati Ambrosii egressi sunt; Regnum Scribonitarum, & Regnum Vandalorum, idest Sclavorum, subjugaverunt, Provinciam Scoringarum & Mauringorum humiliaverunt; & tunc Agamud sibi in Regem præfecerunt, qui Lamissionem filium meretricis, quæ septem filios uno partu genuerat, sibi in filium adoptavit. Qui postquam 33. annis regnavit, ab Hungaris, & Burgaris dormiens occiditur. Cui successit Lamissio supradictus filius ejus adoptivus; cui successit Leuthem annis 40., cui successit Hedioch annis 24., cui successit Godeoch annis 16., cui successit Elafus annis 24., cui successit Thacus. Hic Regem Rodulphum Herulorum superavit; cui successit Vacho, qui Suevos subjugavit; cui successit Valtari; cui successit Adoyn, qui Longobardos in Pannoniam, idest novam Hungariam duxit. Hic Rex Adoyn genuit Regem Alboym, qui duxit Clotsiyundam filiam Regis Francorum, de qua genuit Alboynsiundam. Mortua prima uxore duxit Rosymundam filiam Regis Gepidanorum, quem ipse occiderat, & de capite ejus sibi cuppam paraverat, circumcludens argento, unde bibebat. Cum hac uxore, & 20000. Saxonum, adjunctis sibi Gepidanis, Sarmatis, Burgaris, Hungaris, Suevis, Ubricis cum parvulis, uxoribus, ac substantia eorum ingressus Trivisium, Gisulfo nepoti suo Furlanorum Ducatum dedit, Vincentiam, Veronam, & totam Marchiam Trivisanam, excepto oppido Montis-Silicis, & Ravenna, quam Longinus Vicarius Imperatoris Justiniani communiverat. Et intrans planum Lombardiæ Mediolanum obsedit, quod Azo Dux viriliter defendebat; sed quia nuper fuerat ædificata, nec erat ad plenum fortificata, infra paucos menses superata est; & tunc Azo Dux de Civitate fugit, & dominium Ducum finitum fuit, quod per Reges Longobardos longis temporibus subactum est. Et Alboynus regnare cœpit, & ista decima vice Anno Domini 569. capta fuit Civitas Mediolani. Iste Alboynus accepto ferreo diademate totam Italiam Lombardiam appellari jussit. Isto tempore hastæ igneæ per 250. dies anni per Cœlum discurrere visæ sunt, tantaque fuit copia rerum isto anno, quantum nulla meminit ætas. Erat autem Longobardis consuetudo longas valde barbas portare: unde cùm quadam vice, ut ajunt, exploratores ad eos venire deberent, præcepit Alboynus, ut omnes mulieres solutos crines circa mentum circumducerent, ut barbati homines ab exploratoribus crederentur, & inde Longobardi sunt vocati. *Barda* enim in eorum lingua *barba* sonat. Alii dicunt, quòd cum Hynnuli cum Vandalis pugnaturi essent, & ad quemdam, qui habebat spiritum prophetiæ, accessissent, ut pro eorum victoria exoraret, & eis benediceret, de consilio uxoris juxta fenestram, in qua manè ad Orientem orabat, se posuerunt, & mulieres circa mentum capillos circumducere de ejusdem consilio præceperunt. Cùm ergo ille fenestram aperiens, eos vidisset, exclamavit: *Qui sunt isti Longobardi?* & uxor sua adjunxit, ut quibus nomen dederat, victoriam donaret. Ex tunc Regnum Italiæ à jugo Imperii Constantinopolitani absolutum fuit: unde versus:

Nunc acies quasi pugnantes super æthera visæ
Sunt velut ignitæ, multæque videntur ubique,
Quid sit, & unde venit, nunc recitare licebit.
Nam Longobardorum violenta manus populorum
Igne, fame, gladio terram premit Italicorum.
Hæc gens bella gerens dum dimicat, hoste minante
Fœmina pugnando crines sibi porrigit ante,
Barbaque mentita pendula pendet ita.
Mirantur longas hominum pars altera barbas,
Cùmque vident barbas, metuunt quasi bestia larvas.
Gens Ligurum metuit, cessit, & arma dedit;
Sicque Lombarda meruit gens illa vocari,
A longis barbis nomina fama trahit.

CAP. LXIII.

De Alboyno I. Rege Longobardorum.

ALboynus ex Lombardico genere Italiæ Rex XIII. Anno Domini 569. regnavit annis 3. mens. 6., qui licèt esset Christianus, viperam tamen auream, & quasdam arbores more Gentilium adorabat. Finaliter tamen Beatus Barbatus Beneventanus Episcopus viperam in calicem

cem aureum conflavit. Sanè hoc erat mirum in Regno Longobardorum: ibi nulla erat violentia; nulla ferebatur insidia; nullus alium injustè angariabat; nemo spoliabatur. Ibi non erant furta, non homicidia; unusquisque quò volebat securus pergebat; comam capitis radebant à vertice usque ad occipitium; capillos usque ad os demissos portabant; vestimenta erant longa, & larga, femoralia usque ad talos protendebantur; caligæ usque ad poplitem dependebant; corrigiis caligæ hinc inde ligatæ erant. Hic cùm per suam gentem Mediolanensem Civitatem subjugasset, etiam Papiensem subjugare studebat. Erat namque in Civitate Papiensi quidam Rex Theudericus (*) frater Lamberti supradicti, qui Civitatem Mediolani destruxerat: Hic audiens, quòd Alboynus Rex in Civitate Veronensi contra ipsum arma pararet, in Pradensi campania versùs Veronam exivit cum 4400. militibus, quos sibi miserat Longinus Imperatoris Vicarius. Cui Rex Alboynus occurrit sic, quòd XV. diebus alter in alterius faciem stetit. Pauci concurrunt; utrique parti duellum indicitur; eliguntur Reges ambo, ut duello finem belli faciant. Quo audito Papienses quasi subdoli pro suo Rege Theuderico quemdam Subdiaconum offerunt, quem Alboynus Rex hasta dejecit; & cognito quòd esset Subdiaconus, ira repletus juravit se omnes Christianos occisurum, & Civitatem funditus eversurum, quam in Orientali parte obsedit per tres annos, & plus; & finaliter absque consensu Theuderici Regis Papienses propriam Civitatem prodiderunt. Unde cùm eam intrare deberet Alboynus Rex, equus ejus ante portam Civitatis genua figens, quantumque calcaribus urgeretur, surgere non valebat, quo usque ad admonitionem cujusdam Christiani Rex juramentum mutavit; & tunc equus intravit. Palatium maximum construxit, columnis marmoreis decoravit. Theudericus Rex Papiensis videns se proditum in manibus Papiensium, turbatus pariter & iratus ad Mediolanensem Civitatem accessit, quem Mediolanenses libenter susceperunt, eo quòd Rex Alboynus malè ipsos tractasset. Hic Theudericus omnia Regalia insignia, quæ Lambertus frater ejus Mediolanensibus abstulerat, reportavit. Tamdem fugato Alboyno de Papia, in ipsam Civitatem intravit; Palatium, quod idem Alboynus construxerat, destruxit; lapides, ac columnas marmoreas, ac trabes ad Civitatem Mediolani transtulit; Papienses Civitati Mediolani tributarios fecit, quæ servitus XV. annis duravit. Coronam Ferream, quam Alboynus Rex transtulerat ad Papienses Mediolanensibus restituit; honorem Coronæ viris nobilibus de Mediolano tam in spiritualibus quàm in temporalibus tradidit. Qui mortuus juxta Ecclesiam Sancti Ambrosii sub Capella Sancti Michaëlis tumulatur.

CAP. LXIV.

De Sancto Honorato Archiepiscopo XXIV.

Honoratus Sanctus Mediolani Archiepiscopus XXIV. sub dominio Alboyni Regis, imperante in Constantinopoli Justino juniore, eminente in Sede Romana Johanne hujus nominis tertio Clef Alboyni Regis nepos rogavit Alboynum, ut Honoratum Archiepiscopum ad sedem dimitteret; sed nihil profecit. Quod sentiens Beatus Honoratus timore Longobardorum perterritus ad Januam confugit. Sequenti verò anno ad propriam sedem reversus moritur, & ad Sanctum Georgium ad Nosetam, ubi Mediolanensis Ecclesiæ Cardinales tunc temporis commorabantur, tumulatur. Quadam autem vice cùm Alboynus cum Rosymunda uxore sua cœnaret, & in scypho ex capite patris uxoris suæ facto bibisset, & eam bibere fecisset, illa furore fœmineo repleta, Agilmisium Armigerum occultè conduxit, ut Regem Alboynum in lecto mactaret; quo facto ipsum in maritum accepit, & Ravennam fugit. Ubi videns quemdam pulcherrimum juvenem, Præfectum scilicet Ravennæ, ipsum in maritum habere desiderans, marito suo in quodam balneo venenum dedit: quod ille sentiens, ipsam de veneno bibere coëgit, & sic uterque homicida mortuus fuit. Super tumulum istius Rosymundæ sic scriptum fuit:

Hac jacet in tumba Rosymunda non rosa munda.

CAP. LXV.

De Perideo Duce Mediolani.

Imperante Justino in Constantinopoli, & cassato Regum dominio Longobardorum, Cives Mediolani more antiquo sibi elegerunt in Ducem (**) quemdam civem Mediolani, qui dictus est Perideus, qui postea factus est Rex Mediolani. Hic Perideus Dux Civitatis Mediolani illas structuras, quas Principes Romanorum erexerant, & Rex Theudericus destruxerat, reædificare conatus est, nisi quòd numquam fuit tam magnum, sicuti fuit antemurale Imperatoris Maximiani: tamen magnum fecit. Sed ante hæc omnia hoc videamus. Mortuo namque Alboyno, Clef nepos ejus ex Lombardico genere Italiæ Rex XIV. sumto diademate in Papia primus & ultimus regnavit in Papia Anno Domini 573. & regnavit duobus annis cum dimidio. Hic genuit filium, qui dictus est Autharí, qui postea fuit Longobardorum Rex. Hic Clef fuit vir animosus ultra modum, nam Gontradem Regem Francorum invasit, ipsumque vita privavit. Et post pauca ipse in Papia proditoriè jugulatur. Ex tunc per multa tempora, scilicet per X. annos Lombardia sub XXX. Ducibus fuit. Nam in Mediolano Perideus factus fuit Dux, in Papia Tybar; in Pergamo Gallerar; in Brixia Alychus; in Cremona Valgondus; in Placentia Ferveririus; in Mantua Elmuchius; in Verona Varronus; in Trivisio Tarentius; in Vicentia Fervinus. Omnes Civitates, quæ sunt à Mediolano usque ad Gallorum fines, & omnes Civitates, quæ sunt positæ inter Padum, & mare, erant positæ sub Perideo Duce Mediolani. Ex his autem omnibus Civitatibus Perideus Dux Mediolani infinitum exercitum congregavit contra Hungaros advenientes, unde statim Mediolanenses ipsum Perideum Ducem in Regem elegerunt, quem nobiles Mediolanenses secundùm Privilegium Theuderici supradicti in Ecclesia Sancti Michaëlis prope Sanctum Ambrosium coronaverunt. Isto tempore Clotarius Hungariæ Rex, & quondam Alboyni socius, Ita-

(*) *Erat Gualvaneo nostro ad manus Langobardica Pauli Diaconi Historia; & nihilominus in tot fabulas & gerras heic erumpit. Sed erant olim Romanensia commenta in Ticinensium odium conscripta, quibus bonus Gualvaneus fidem intoleranda credulitate adhibebat.* Muratorius.

(**) *Fabulas hactenus legisti: nunc earum pelagus intras. Finge tibi, te in Romanensem Librum incidisse.* Muratorius.

A Italiam cunctis divitiis plenam sibi subjugare studuit: unde Longino Regi Ravennati Sacri Imperii Vicario maximum exercitum destinavit, qui finaliter 52000. milites congregavit, quia ei propter Hungariam pars magna Italiæ obediebat. Primò autem ipse Rex Longinus Trivisium, Vincentiam, Paduam, & Veronam occupavit; Mantuam & Cremonam subjugavit. Placentiam præter palatium Communitatis, & Turrim campanilem, & Ecclesiam Beati Systi, & Portam Oldericam, expugnavit. Cui Papienses cum gaudio occurrerunt, desiderantes recentis injuriæ, quam sibi Mediolanenses fecerant, ultionem facere. Perideus autem Rex Mediolani cum suo exercitu in campo inter Mediolanum, & Papiam, ubi dicitur Campus mortuorum, castrametatus est, ubi Rex Longinus cum suo exercitu se præsentavit. Pugna indicitur; à mane usque ad vesperum certatur. Attamen fugit Longinus cum suis Papiensibus; & licèt ex Mediolanensibus duo millia hominum sint occisa, & 700. capti, tamen ex Hungaris, & Papiensibus 11000. interfecti sunt, 3000. quoque capta. Iterum sequenti die pugna committitur, & statim Longinus Rex Ravennæ cum Papiensibus terga vertit, & fugit; mortuique sunt ex Hungaris, & Papiensibus 12000. & capti 5046. Fuit ergo summa interfectorum 23000. & carceratorum in Mediolano 8046. Tunc Longinus Rex Ravennam fūgit, & Clotario Regi Hungarorum suum infortunium nuntiavit, qui Clotarius Anno Domini 578. collecto exercitu 36000. militum de Hungaria advênit, cui adjunguntur Emecharius Rex Alemanniæ, Aurelius Dux Saxoniæ, Brunisterdus Dux Sueviæ cum 40000. militum. Hic Clotarius cum tanto exercitu Vicentiam, & Veronam cepit (qui exercitus simul juncti faciunt 76000. militum). Trivisium, Paduam, Montem-Silicem occupavit, Mantuam, & Cremonam subjugavit; Brixiam, & Pergamum suppeditavit, & unicuique Civitati Vicarium dedit. Tamdem ad Civitatem Mediolani accessit, obsidionem ferocissimam instituit, in tantum quòd nec intrare, nec egredi nulli licitum fuit. Instante verò obsidione Perideus Dux & Rex Mediolani cum suis Mediolanensibus singulis diebus inimicos visitabat; nunc istos, nunc illos consumebat gladio. Post tres ergo menses Clotarius Rex gentem suam nonexpectans, sed volens quasi solus muros urbis Mediolani devorare, à quodam agricultore securi percussus subitò exspiravit. Ex quo Hungari nimio terrore concussi, ipsum in equo quasi vivum ad territorium suum reportaverunt, multis diebus occultantes eumdem. Attamen fama de morte Clotarii Regis per castra volavit: quod audientes Mediolanenses gavisi sunt gaudio magno valde, summoque diluculo arma capientes exierunt. Pugnatur acriùs, bellum usque ad noctem prolungatur, finaliter Hungari, & Papienses terga vertentes per nemora & paludes plusquam 10000. se abscondunt; occisi verò fuerunt 11000. capti verò & consignati in Civitate Mediolani 5342. Fuerunt ergo in duobus prœliis bellicosi viri ex Papiensibus, Ravennatibus, & Hungaris à Mediolanensibus interfecti 34000., incarcerati verò 13388. Facta autem hac victoria tam mirabili quidam Florisius Dux Hungariæ in succursum Clotarii Regis Hungariæ Domini sui properabat; sed audiens de morte Domini sui, ac infinita strage Hungarorum, turbatus est valde, cogitansque quòd Regnum Hungariæ posset obtinere, si Hungaros tam durissimè dilaniatos recolligeret: quod & facere cœpit; unde sicut vir potens, & magnæ audaciæ, magnique consilii & roboris, Mantuam & Cremonam accessit, quia ibi tunc erant Hungari; postea Placentiam obsedit, & expugnavit; Regium, Mutinam, Chrysopolim, idest Parmam, per suam potentiam subjugavit. Tunc Perideus Rex Mediolanensis ferox nimis & prudens cum suis Mediolanensibus exivit, & Florisium Ducem Hungariæ per campos, & Civitates perquirere cœpit. Quod intelligens Florisius, consilium cum Hungaris habuit, quid esset facturus: Cui responderunt Hungari: *In Hungaria, in Hungaria. Non sunt Mediolanenses sicut ceteri homines, nam de aqua vinum faciunt, & per unum militum plusquam duos facere possunt*. Fugatis itaque Hungaris Perideus Rex Mediolani Cremonam cepit, Mantuam subjugavit; Brixiam & Pergamum tributarios sibi fecit; Veronam & Paduam expugnavit; Vincentiam & Trivisium obtinuit; Pannoniam & Provinciam prostravit, & cum infinito triumpho ad Civitatem Mediolani rediit. Hic Perideus videns se bellorum fortuna exaltatum ad Imperium Romanorum aspirare cœpit, quo audito Romanorum Imperator pertimuit.

CAP. LXVI.

De pugna Romanorum, & Mediolanensium.

IMperator Romanus audiens quid Mediolanenses fecerant, & quòd ad subjugandam Romam aspirarent, cogitavit ipsorum superbiæ resistere; unde duos Consules, scilicet L. Cornelium, & Ful. Flavium contra eos misit, quibus unam legionem militum assignavit, scilicet 6666., peditum verò assignavit 7000., quibus adjuncti sunt Tusci, Hyberei, Aurelii, Pannonii, & Æmilii. Et castrametati sunt Romani in ripa Abduæ non longè ab Urbe Mediolani. Perideus verò Dux Mediolani cum Symgiberto Vicario Regis Francorum nomine Elichis, qui 7000. militum secum adduxerat, ex altera parte Abduæ ex opposito sua fixere tentoria. Finaliter Mediolanenses viri invictissimi Perideum Regem suum cum electis militibus in insidiis posuerunt; Reliqui verò in tres partes diviserunt; & à tribus partibus exercitum Romanorum percusserunt. Pugna durissima committitur; utraque pars percutit acriùs; finaliter exercitus Mediolanensis fugam simulavit, ut sic Romanos minùs cautos redderent. Insequuntur Romani nostros Mediolanenses usque ad tentoria: quod videns Perideus Rex, qui erat in insidiis cum suis, instructis cuneis in Romanos insiliens, Ful. Flavium Consulem Romanum occidit; duo millia & 325. ex Romanis occiduntur, & 742. capiuntur. Finaliter & ipse Perideus Rex occubuit, & cum ipso tria millia & 34. ex Mediolanensium exercitu occisa sunt: unde Mediolanenses quadam nocte in Civitatem suam occultè redierunt; & tunc Romani usque ad muros venerunt. Quadam verò die Mediolanenses exierunt, & infinitos Romanos interfecerunt. Tunc Romani partem exercitus ad aliam partem Civitatis direxerunt, ut sic dum Mediolanenses hinc pugnarent, Romani inde ingrederentur. Quod dum factum fuisset, videntes hoc Mediolanenses, in Civitatem revertuntur, & inde expulsos Romanos de muris projecerunt, innumerabiles ceperunt, factaque est lætitia magna in Civitate. Interim Elichis Rex Francorum, qui sperabat auxilio Mediolanensium sibi subjugare Romanum Imperium, cum exercitu copio-

copioso intrans Civitatem Mediolani, ipsos Romanos usque ad Placentiam redire coëgit. Post mensem unum Cajus Bebius Consul Romanorum cum exercitu permaximo Romanis adjunctus est apud Placentiam; & tunc Romani Padum transierunt, & in campo Laudensi castrametati sunt. Mediolanenses verò ad Melegnanum exierunt. Tamdem Romani ad Lambri fluminis ripam advenientes, dum transire vellent, Mediolanenses obvios habuerunt; attamen Romani violenter transierunt, ubi pugna committitur, qualem nulla meminit ætas; & duravit pugna septem diebus. Octavo verò die Mediolanenses aliquantulum retrocesserunt semper pugnantes, & quolibet die retrocedentes, securi & salvi in suam Civitatem redierunt. Quo facto Civitas Mediolani usque ad muros obsidetur per X. menses continuos: unde fames in Civitate oriri cœpit, & de pace tractatum sub istis pactis, scilicet quòd Elychis Rex Francorum in Galliam vadat, & Civitas Mediolani Imperio Romanorum obediat: quod valde placuit Mediolanensibus; sed petunt à Romanis, quòd Imperator Romanus de tertio in tertium annum veniat Mediolanum, ubi VII. mensibus sedeat, & totius Italiæ ibidem negotia expediat. Nec in tertium annum in æternum Imperio tributa dare teneantur: quod Romanis pariter valde placuit. Et facti sunt Romani & Mediolanenses unus populus; & sub uno vexillo militat utraque gens. Sicque tota Italia auxilio Mediolanensium Romano Imperio fuit tributaria. Tunc quidam nobilis Romanus factus est in Civitate Mediolani Imperatoris Vicarius.

CAP. LXVII.

De Papiro Duce Francorum.

SUperatâ totâ Italiâ per Romanos, ecce Papirus Francorum Dux cum 120000. militum proposuit Romanum Imperium subjugare, qui veniens versùs Italiam usque ad montes, Papienses ei occurrunt, Papiam sibi offerunt, si honores suæ Civitatis, quos Mediolanenses abstulerant, eisdem restitui faceret: quod Papirus Dux facere promisit. Venitque, ac intravit Papiam, quem Papienses continuis precibus flagitabant, ut Civitatem Mediolani obsideret, quia eâ superatâ faciliùs totam Italiam debellaret. Sed Papirus Dux magis ad Romam subjugandam aspirabat. Tunc omnes Civitates Italiæ Papiro dant tributa, nisi Mediolanum, Placentia, & Verona. Qui tamdem vadens Romam ipsam obtinuit, & exspoliavit. Recedens verò per Romanos & ipse spoliatur 7000. Gallorum cæsa sunt, & 1000. capti, veniensque in Lombardiam in Papiam se recepit, quam ex suo nomine Papiam appellavit. Cùm autem esset Lombardia per X. annos dilacerata, more solito sibi Regem instituit, unde sequitur

CAP. LXVIII.

De Authari Rege Italiæ.

AUthari filius Clef Regis supradicti ex Lombardico genere natus, Italiæ Rex XVI. Anno Domini 585. suscepto Mediolanensi diademate regnavit annis 6. Hic 30. Duces, qui Lombardiam possederant annis X. coëgit medietatem omnium suorum thesaurorum sibi dare propter Regni restaurationem. Contra istum Eidelbertus Rex ad mandatum Mauricii Impe-

A ratoris Constantinopolitani receptis ab ipso Imperatore jamdudum 50000. solidis intravit Italiam; sed nihil profecit. Iterum redit, sed turpiter fugatur. Iterum tertia vice rediit; 30. Duces secum duxit, sed dissenteriæ morbo percussi redierunt. Tunc Authari Rex cum suis Mediolanensibus Brixellum in ripa Padi funditus evertit, totam Italiam subjugavit, Imperium Romanum, & Romam obtinuit; & occupans Apuliam & Siciliam juxta Regium, quod est in Calabria, columnam erexit, in qua sculpi jussit: *Hæc est columna Authari: huc usque fines Longobardorum erunt.* Qui rediens Mediolanum Theodolindam filiam Regis Bavariæ in uxorem duxit. Qui tamdem in Papia tossicatus fine
B prole occumbens, rexit pro eo Theodolinda Regina uxor ejus. Isto tempore erat Archiepiscopus Mediolanensis Constantinus.

CAP. LXIX.

De Constantino Archiepiscopo XXV.

COnstantinus Mediolanensis Archiepiscopus XXV., qui propter metum Longobardorum in Civitate Januensi exul erat, sedit annis . . . Huic Beatus Gregorius multa scripsit, & inter alia Privilegium concessit Archiepiscopo Mediolanensi, quòd semper vacante Regno Ita-
C liæ, infra 14. dies de consensu suffraganeorum suorum posset eligere Comitem Italiæ, qui ad modum Regis regeret Lombardiam, qui in Ecclesia Sancti Ambrosii Coronam ex paleis tritici spicis turgentibus redimitam ac contextam per Mediolanensem Archiepiscopum reciperet, vel per suum Vassallum; cui Prælati Lombardiæ singulis annis tenerentur in 100 marchis auri purissimi, & quælibet marcha valeat libras 100. tertiolorum. Hic Comes continuatis decem diebus non contrahendo moram in aliqua Civitate ultra tres dies, debet Romam ire, ubi per Papam, vel per Cardinales debet coronari Corona argentea; & tunc non jam dicetur Come Italiæ, sed Rex. Iterum debet venire Modoëtiam,
D ubi debet coronari Corona ferrea, postea iterum in Roma Corona aurea: & tunc non ampliùs dicetur Rex, sed Imperator. Quòd si Archiepiscopus Mediolanensis infra istos 14. dies Comitem Italiæ non elegerit, pro illa vice de suo jure cadit; & tunc electio illa ad Papam redibit. Quamvis autem Archiepiscopus iste Mediolanensis isto privilegio non fuerit usus, quia jam Theodolinda Regem Authari sibi in virum acceperat, tamen multi alii Archiepiscopi Mediolanenses usi sunt, ut Valpertus, Ubertus, & alii quamplures. Unde dixit Henricus Imperator hujus nominis Primus, dum coronaretur in Roma, quòd electio & consecratio Regis promovendi ad Imperium pertinebat ad Archie-
E piscopum Mediolanensem. At quia in Italia quondam 18. Provinciæ fuerunt, quas nunc sub una Monarchia Rex Authari conclusit, & omnes Lombardiam appellavit, ideo nunc de illis singulis Provinciis aliquid est dicendum.

CAP. LXX.

De I. Provincia, quæ dicitur Venetia.

PRima Provincia dicitur Venetia à Venetis venientibus de Troja sub Antenore Trojano: unde primò expulsis Hungaris quidam nomine Venetus in quadam Insula construxit oppidum Venetum; alius verò nomine Aquilus con-

construxit Aquilegiam. Hæc Provincia Veneta à Pannonia, idest Hungaria nova, incipit, & Histriam, quæ quondam amplior fuit, complectitur, & continet in se Montem-Silicis, Aquilegiam, idest Forum-Julii, quæ sic dicitur, quia Julius I. Imperator suum Forum ibidem constituit. Et prolongatur ista Provincia per ripam fluminis Abduæ usque Pergamum, unde dictum est caput Venetiarum Pergamum, quia in capite est situatum. Item continet per crustam montis Brixiæ Veronam, Trivisium, Paduam, & novissimam omnium Civitatem Venetiarum; & harum omnium Civitatum caput est Aquilegia. Hæc Provincia tota quondam fuit sub Archiepiscopo Mediolanensi, ut supra dictum est, quæ nunc dicitur Marchia Trivisana.

CAP. LXXI.

De Secunda Provincia, quæ dicitur Liguria.

SEcunda Provincia dicitur Liguria à Ligonibus populis quondam inhabitantibus, ut supra dictum est, vel à legendis leguminibus, quæ in copia ibi inveniuntur. Hæc à Gallorum finibus in Taurino incipit, & usque ad Abduam per ripam Padi, & usque in Theutoniam extenditur. Hæc priùs Subrium dicta fuit, unde Sycardus, & Eutropius dicunt, quòd Romani pugnaverunt contra Subres juxta Mediolanum. Hoc nomen à Subria Civitate Italiæ descendit, quæ Mediolanum secundùm T. Livium dicta fuit. Secundùm veteres Historiographos Provincia Venetia & Liguria una fuit: quod ideo fortè dictum est, quia ambæ erant sub Archiepiscopo Mediolanensi. In hac Provincia sunt Taurinum, Hipporegia, Vercellæ, Novaria, Cumæ. In medio habet Laudem, Papiam, Bruoniam, idest Cremonam, & harum caput est Mediolanum.

CAP. LXXII.

De III. Provincia, quæ dicitur Rhætia I.

TErtia Provincia est Rhætia prima, in qua habitabat Erimales. Ibi est Civitas Coria, & plures aliæ. Hæc à Liguria surgit, & usque in Sueviam protelatur.

CAP. LXXIII.

De IV. Provincia, quæ dicitur Rhætia II.

QUarta Provincia dicitur Rhætia II. in qua propriè habitant agresti, & Rhætii. Hæc à Rhætia I. surgit, & in Alamannia terminos figit. Et istæ duæ Provinciæ fuerunt sub Archiepiscopo Mediolani.

CAP. LXXIV.

De V. Provincia, quæ dicitur Alpiscottia.

QUinta Provincia dicitur Alpiscottia à quodam Rege Cottia, nomine sic dicta per Narnium, qui regnavit in Janua tempore Neronis. Hæc Provincia à finibus Gallorum usque ad mare Tyrrhænum versùs Eurum extenditur. In hac Provincia est Altilia, idest Terdona urbs antiquissima, Ast, Pedemons, Alexandria, Aquis, ubi sunt aquæ calidæ, Monasterium Sancti Columbani, idest Bobium, Savona, Albingauna; & harum caput est Janua Civitas quondam parva, nunc autem potentissima. Vocatur autem ista Provincia Marchia Januensis, quæ quondam totaliter fuit sub Archiepiscopo Mediolani.

CAP. LXXV.

De VI. Provincia, quæ dicitur Thuscia.

SExta Provincia dicitur Thuscia ab Idolorum thurificatione sic dicta, quæ quondam ab Etrusco Rege Etruscia sive Etruria dicta fuit. Hæc à Riperia Genuensi incipit, & per oras maris Thuscorum usque in Apuliam extenditur, & Umbriam Provinciam amplectitur. Ex altera verò parte à mari Adriatico, & Apennina Provincia terminatur. In hac Provincia est Perusium, lacus Elytolus, Spoletum, Pistojum, Pratum, Florentia, Luca, & plures aliæ Civitates, & oppida. Et harum caput est Roma Civitas Leonina; nam Philosophi insignes Civitates secundùm præcipuas feras, aves, & animalia ob significationem aliquam figuraverunt. Unde quia Roma cunctis Mundi Civitatibus domina fuit, ideo Leonis figuram obtinuit, quia omnium ferarum Dominus, & Rex existit. Similiter Brundusium figuram habet Cervi, Carthago Bovis, Mediolanum puellæ aureatæ cum Gallo albo in manu, Troja equi, Janua Grifsonis, Papia Vulpis, Placentia Galli, Cremona Porcæ, ut in principio Chronicæ tactum est.

CAP. LXXVI.

De VII. Provincia, quæ dicitur Campania.

SEptima Provincia dicitur Campania à campis denominata. Hæc Provincia incipit à Roma, & usque ad Siler fluvium extenditur, & ibidem finitur. In hac Provincia est Salernum, & Neapolis, & harum caput est Capua à Capuo Trojano constructa: unde secundùm aliquos ista Provincia dicta est Campania ab urbe Capua.

CAP. LXXVII.

De VIII. Provincia, quæ dicitur Lucania.

OCtava Provincia dicitur Lucania à quodam luco, idest nemore sic dicta. Hæc à Siler fluvio inchoans usque ad mare Siculum per ripam maris Tyrrheni, dextrum cornu Italiæ tenens, ibidem finitur. In hac Provincia est Cassianum, & aliæ Civitates, & harum caput est Regium. Hæc autem Provincia nunc Calabria dicitur; antiquitus tamen dicta fuit Herculea, quia ibi Hercules fortissimus primò regnavit, ut dictum est.

CAP. LXXVIII.

De IX. Provincia, quæ dicitur Apennina.

NOna Provincia dicitur Apennina, ideo quia in Apenninis montibus per mediam Italiam pergentibus sita est. Hæc incipit, ubi Provincia Alpiscottiæ finitur, idest in Bobio, & dividit Thusciam ab Æmilia, & Hyberiam à Flaminea. In hac est Ferronianus mons, Bellius, Bobium, & oppidum, quod dicitur Verona, & harum caput est Urbinum. Nunc autem ista Provincia Apennina dicitur, quia per Bobium continuatur cum Alpiscottia. Fuerunt

runt qui dicerent; quòd esset eadem Provincia cum ea, quæ dicitur Marchia Anconitana: quod Historia Victoris recitat.

CAP. LXXIX.

De X. Provincia, quæ dicitur Flaminea.

DEcima Provincia dicitur Flaminea propter Idolorum flammas permaximas. Hæc inter Apenninas Alpes, & mare Adriaticum, sive Venetiarum est posita. Dicitur etiam Pentapolis à quinque Civitatibus, quas continet, scilicet Ariminum, Cesenam, Foripopulum, Forlivium, Fanum, & Fesulas. Et harum omnium caput est Ravenna. Hæc autem Provincia nunc dicitur Romagnola. Carinus autem dicit, quòd Pentapolis Trojanus construxit Civitatem Pentapolim miræ pulchritudinis & magni operis.

CAP. LXXX.

De XI. Provincia, quæ dicitur Æmilia.

UNdecima Provincia dicitur Æmilia ab Æmilio Trojano. Hæc à Liguria surgit, & inter Apenninas Alpes, & Padi fluenta versùs Ravennam extenditur secundùm Papiam. In hac Provincia est Forum Cornelii, cujus oppidum dicitur Imola ab immolatione Idolorum, Bononia, Ferraria, Mantua, Cremona, Placentia, & ibidem terminatur. Sunt insuper Regium, Mutina, Parma, & harum caput est Bononia. Fuerunt qui dicerent Æmiliam, Valeriam, Mursiam unam esse Provinciam. Similiter Umbriam, & Thusciam, quod communiter non approbatur. Hæc autem quondam cum Flaminea dicta fuit Gallia Cisalpina, unde Ariminum, & Mantua in Gallia constructa esse dicuntur.

CAP. LXXXI.

De XII. Provincia, quæ dicitur Valeria.

DUodecima Provincia dicitur Valeria. Hæc inter Campaniam, Umbriam, & Picenum condita est. Ab Oriente habet Beneventum, ab Occidente Romam. Huic Provinciæ annexa est Nursia, & continet in se Tyburim, Casiolim, Rethe, Furchonum, Amitrinum, & Marsicorum regionem. Sed dicit Carinus, quòd regio Marsicorum rectè per se Provincia existit.

CAP. LXXXII.

De XIII. Provincia, quæ dicitur Saprevia.

TErtiadecima Provincia dicitur Saprevia à saprevis hastis, quibus illa gens quondam utebatur, vel à Saprevia Civitate, quæ quondam famosa fuit. Est autem posita inter Campaniam, & mare Adriaticum, & Apuliam, & incipit à Piscaria, & in Benevento terminatur. In hac Provincia est Theate, Asydena, Hyfernia, & Beneventum Civitas ditissima & harum caput fuit quondam Civitas Saprevia, nunc autem Beneventum, licèt aliqui dicant, has Civitates esse easdem, tamen sub diversis nominibus.

CAP. LXXXIII.

De XIV. Provincia, quæ dicitur Picenum.

QUartadecima Provincia dicitur Picenum à Picæo Rege filio Saturni, vel à quodam Pico, qui eorum vexillum conscendit. Hæc Provincia habet ab Austro Provinciam Apenninam, ex altera parte mare Adriaticum, & usque ad Piscariam protenditur. In hac Provincia est Civitas Firmus, Asculi, Pinus. Harum caput est Adria sua vetustate consumta, quæ mari Adriatico suum nomen dedit. Hæc nunc communiter dicitur Marchia Anconitana.

CAP. LXXXIV.

De XV. Provincia, quæ dicitur Apulia.

QUintadecima Provincia dicitur Apulia consociatâ sibi Calabriâ, inter quam est regio. Sed etiam hæc ab Occidente sive Africo habet Sapreviam Provinciam, ab Oriente mare Adriaticum in sinistro cornu Italiæ, quod per 500. milliaria extenditur. Hæc habet Civitatem Idruntum mercatoribus aptum. In hac est Tarentum, Brundusium, Luceria, Scenopontum, Canusinum, Argentea. Et dicitur Apulia, quia Solis ardore fructus facillimè producuntur.

Sextadecima Provincia dicitur Sicilia, quæ Tyrrheno mari, seu Jonio alluitur. Sicilia verò à ficu, & oleo, quorum ferax est dicitur. Sicus enim Græcè, Latinè ficus dicitur; oleon oleum: ideo Sicilia quasi oleum & ficus dicitur; deque Siculi Ducis proprio nomine nuncupatur.

Septimadecima Provincia Corsica dicitur.

Octavadecima Provincia Sardinia dicitur, quæ utraque Tyrrhenis fluctibus ambiuntur. Porrò Corsica à Duce suo Corso, Sardinia à Sardo Herculis filio nominantur. Nunc ad easdem Insulas transeamus.

CAP. LXXXV.

De I. Insula, quæ dicitur Sicilia.

PRima Insula dicitur Insula Siciliæ à quodam Scitacho Trojano; postea à Sicanio Rege Sicania dicta est; deinde à triangulis Trinacria; finaliter à Libæo monte Libæa dicta est. In hac Insula est mons Æthna ejiciens sulphurea incendia. Hæc Insula ab uno latere Tyrrheno mari, & ab altero Jonio mari abluitur, quæ quondam firmæ terræ conjuncta fuit, ut dicit Virgilius. In hac Insula sunt Civitates nobiles, & multæ, quarum caput est Messina.

CAP. LXXXVI.

De II. Insula, quæ dicitur Colia.

SEcunda Insula dicitur Colia à Colo primò inhabitata. Hæc etiam Vulcana dicitur, eo quòd incendio sit plena. In hujus freto est Scylla rapax vorago maris.

CAP. LXXXVII.

De III. Insula, quæ dicitus Cyrenea.

TErtia Insula dicitur Cyrenea à Cyrino filio Herculis, qui ibidem secundùm Speculum

primò regnavit. Hæc præterea dicta est Corsica à quadam muliere Corsia, quæ taurum suum quærens illuc vênit, referensque Liguribus loci amœnitatem eam habitari fecit.

CAP. LXXXVIII.

De IV. Insula, quæ dicitur Sardinia.

QUarta Insula dicitur Sardinia à Sardinio filio Herculis secundùm Papiam sic dicta. Hæc undique Tyrrhenis fluctibus circumdatur. In hac nec serpens, nec lupus gignitur. Ibi est fons, qui cœcis medelam, furibus cœcitatem inducit. Hæc Provincia in tres Judicatus dividitur scilicet Arboreæ, Galoræ, & Callari.

CAP. LXXXIX.

De Authari Rege, qui prædictas 18. Provincias Lombardiam vocavit.

HAs autem Provincias decem & octo Rex Authari sub una Provincia conduxit; & continet 30. Ducatus, Comitatus multos, Marchionatus infinitos, Civitates, castra, oppida, villas sinè numero. Hanc Provinciam primò inhabitavit Noë, & induxit Linguam Hebraicam per multa tempora. Postea vênit Saturnus, & induxit Linguam Græcam, unde ista Provincia quondam magna Græcia dicta fuit, ut supra ostensum est. Postea vênit Italus, qui in monte Palatino Civitatem construxit, & totam Provinciam Italiam appellavit. Post Italum vênit Æneas, à quo Italici Æneici dicti sunt. Deinde veniente Bellovesio Ambigati Regis nepote, qui primus in Mediolano regnavit, tota Italia cum suis Insulis Gallia Cisalpina dicta est secundùm Carinum. Postea per Romanos tota Italia subjugatur, unde & isti populi Romani dicti sunt. Ultimò à Longobardis Lombardia est appellata usque in præsentem diem.

CAP. XC.

De Theodolinda Regina relicta quondam Authari Regis.

THeodolinda quondam relicta Authari Regis ex Bavarico genere Regina XVII. Anno Domini 591. regnavit annis 2. Huic Beatus Gregorius Papa scripsit IV. Libros Dialogorum, & Epistolarum Christianissimarum, & transmisit Reliquiarum multitudinem permaximam, quæ ub Altari Beati Joannis Baptistæ in Modoëtia reconditæ sunt. Quam Ecclesiam ista Regina construxit, & Beatum Joannem Baptistam Longobardorum patronum instituit, de quo Templo tales extant versus:

Condidit hoc Templum multa virtute verendum
Theodolinda potens Regni diademate pollens,
Pro se, pro natis votum dulcedine matris
Christi Baptistæ, cui sacratur locus iste.
Hunc nostræ gentis caput voluit esse decentis
Longobardorum, talemque parare Patronum.

Posuit etiam ibidem thesaurum pulcherrimum; Palatium similiter Regale fabricari fecit. Anno Domini 591. imperante Mauricio apud Constantinopolim, sedente Laurentio Archiepiscopo XXVI. in Mediolano maxima pax Ecclesiis Christi reddita est. Et ratio est; Cùm enim Theodolinda sinè prole esset, Agysulphum Ducem Taurinensium in maritum accepit, ipsumque ad Fidem convertit, ac cum Romano Imperio, & Ecclesia pacem habere fecit, de quo genuit unum filium, qui dictus est Adoaldus, & unam filiam, quæ dicta est Gundiberga.

CAP. XCI.

De Agysulpho Rege.

AGysulphus ex Lombardico genere Italiæ Rex XVIII. suscepto diademate ferreo de mense Novemb. An. Domini 593. regnavit annis 25. Hic cultum divinum, & Ecclesiarum possessiones ampliavit. Cum Heraclio Imperatore Constantinopolitano, & Theuderico Rege Francorum semper pacem habuit; Cremonam, & Mantuam funditus evertit; Brixellum denuo reparatum igne ferroque consumsit; Adoaldum, quem sibi Theodolinda genuerat, in pueritia sua in Modoëtia coronari fecit, qui postea mortuo Agysulpho Patre suo pro eo regnavit.

CAP. XCII.

De Adoaldo Rege filio Theodolindæ Reginæ.

ADoaldus ex Lombardico genere Italiæ Rex Decimusnonus, suscepto argenteo diademate apud Modoëtiam Anno Domini 616. regnavit annis 10. Qui tamdem mente captus cum sua matre privatur Regno, & sequenti Anno Theodolinda in Modoëtia tumulatur Anno Domini 627., cujus corpus Anno Domini 1310. translatum fuit in urna marmorea alto loco sita, cujus etiam imago ibi decenter sculpta conspicitur.

CAP. XCIII.

De Arialdo Rege.

ARialdus ex Lombardico genere Italiæ Rex XX. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 636. regnavit annis 12. Isto tempore sedebat Deodatus Archepiscopus Mediolanensis.

CAP. XCIV.

De Deodato Mediolanensi Archiepiscopo XXVII.

DEodatus Archiepisc. Mediolanensis XXVII. sedit annis 18. mensibus 2. diebus 14. Jacet Januæ, semper exul propter Longobardos.

CAP. XCV.

De Rothari Rege.

ROthari ex Lombardico genere Italiæ Rex XXI. regnavit annis 6. suscepto priùs Mediolanensi diademate Anno Domini 638. Hic licèt fuerit Arianus, fuit tamen justus, & fortis. Codicem, qui dicitur Lex Lombarda, composuit; Romanis & Thuscis maximas strages intulit. Isto tempore in qualibet Civitate Italiæ erant duo Episcopi, unus Fidelis, & alter Arianus, & ista de causa Archiepiscopus Mediolanensis sedebat in Janua, & Paulus Patriarcha Aquilejensis sedebat ad Gradus. Ex quo postmodum utraque Sedes suffraganea Metropolitano suo voluit æquiparari: quod & factum fuit. Similiter hac de causa multæ aliæ Sedes divi-

divisæ fuerunt, ut patet de Mediolanensi, & Cumana. Isto tempore Archiepiscopus Mediolanensis, & Patriarcha Aquilegiensis invicem se consecrabant. Unde Civitas Cumana, Aquilegiensis, & Montefeltrum Archiepiscopo Mediolanensi in signum mutuæ dilectionis commutatæ sunt. Tamdem Rex Rothari moritur, & in Modoëtia tumulatur.

CAP. XCVI.

De Rodoaldo Rege.

Rodoaldus filius Rothari ex Lombardico genere Italiæ Rex XXII. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 644 regnavit annis 5., mensibus 7. Hic Gundibergam filiam Theodolindæ Reginæ in uxorem duxit, quæ ad instar matris suæ in Papia Ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ construxit. Hic Rodoaldus cùm voluisset uxorem cujusdam Longobardi violare, per ipsius maritum trucidatur. Vacante itaque Regno Lombardico per mortem Rodoaldi, Barones Italiæ elegerunt in Regem Gundrandum filium Regis Bavariæ fratrem carnalem Theodolindæ Reginæ, qui loco sui instituit in Regem Italiæ Ariperth filium suum, qui veniens Mediolanum coronatus est, sicque Regnum Italiæ à Longobardis ad Bavaros translatum est.

CAP. XCVII.

De Ariperth Rege.

Ariperth filius fratris Theodolindæ Reginæ ex Bavarico genere Italiæ Rex XXIII., suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 650. regnavit annis 10. Hic condidit Monasterium Sancti Salvatoris in Papia, ubi est sepultus. Hic antequam moreretur, Italiam duobus filiis suis divisit, primogenito suo nomine Bertharith dedit Ducatum Mediolani; secundogenito nomine Gariperto dedit Ducatum Papiæ. Sed cùm junior invideret fratri majori de Ducatu nobiliori, Grimoaldum Ducem Beneventanum rogat, ut ipsum juvet pro recuperatione Civitatis Mediolani, qui veniens Papiam ipsum Garipertum occîdit, & invadens Civitatem Mediolani, undecima vice subjugavit: unde & Bertharith Ducem Mediolani fugavit usque ad Cacanum Regem Avarorum. Isto tempore sedit Austerius Mediolanensis Archiepiscopus.

CAP. XCVIII.

De Austerio Mediolanensi Archiepiscopo XXVIII.

Austerius Archiepiscopus Mediolanensis XXVIII. sedit annis 10., mensibus 5., mortuus est Anno Domini 645., jacet Januæ, semper exul propter Longobardos.

CAP. XCIX.

De Grimoaldo Rege.

Grimoaldus ex Lombardico genere Italiæ Rex XXIV. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 640. regnavit annis 10., vir ultra modum fortis & strenuus. Hic Bertharith Ducem Mediolani pacificè revocans, ipsum in Laude occidere voluit, ex quo ad Dangubertum Regem Francorum fugit, quem in Italiam contra Regem Grimoaldum duxit. Sed Dangubertus Rex Francorum apud Ripolas superatur. Demum Constantinus Imperator Constantinopolitanus contra istum Grimoaldum intravit Italiam; sed ei per quemdam Eremitam sic prædicitur: *Tu contra Longobardos non prævalebis, quia Beatus Joannes Baptista factus est ipsorum Patronus propter templum, quod ei construxit Theodolinda in Modoëtia. Sed veniet tempus desolationis templi illius, & tunc Regnum Longobardorum finietur.* Hic enim Grimoaldus columbam sagittans, sanguis de ejus flebotomia exivit, unde in Papia medicamine venenoso superposito ibidem occubuit. Post tres dies Bertharith Dux Mediolani cùm de Francia in Britanniam fugeret, vox intonuit dicens: *Revertatur Bertharith in suam Civitatem Mediolani*, quia tertia dies est hodie, quòd Rex Grimoaldus occubuit. Quo audito per tres continuos menses, properans ad Civitatem Mediolani rediit, ubi summo cum honore suscipitur, & Rodoylda uxor ejus cum suo parvulo filio Cuniperth nomine eidem restituitur. Isto tempore sedebat Fortis Archiepiscopus Mediolanensis.

CAP. C.

De Forti Archiepiscopo Mediolanensi XXIX.

Fortis Archiepiscopus Mediolanensis XXIX. Anno Domini 640. (*) sedit annis 3., jacet Januæ, & semper exul fuit propter Longobardos.

CAP. CI.

De Sancto Joanne Bono Archiepiscopo Mediolani XXX.

Joannes Bonus Mediolanensis Archiepiscopus XXX. Anno Domini 663. sedit annis 10. Hic Canonicam de Dexio construxit. Jacet Mediolani ad Sanctum Michaëlem sub Domo.

CAP. CII.

De Antonio Mediolanensi Archiepiscopo XXXI.

Antonius Mediolanensis Archiepisc. XXXI. Anno Domini 670. sedit annis 12. Jacet ad Sanctum Simplicianum.

CAP. CIII.

De Bertharith Rege.

Bertharith filius Ariperth filii fratris Theodolindæ Reginæ ex Bavarico genere Italiæ Rex XXV. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 670. regnavit annis 18. (**) Hic apud Papiam construxit Ecclesiam Sanctæ Agathæ. Uxor verò ejus nomine Rodovirda ibidem Ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Perticas ædificavit. Hic Rex summam pacem habuit, qui moriens filio suo Cuniperth Regnum dereliquit, & in Ecclesia Sancti Salvatoris, quam Pater suus construxerat, tumulatur.

CAP.

(*) *MS. Ambr.* DCLX.

(**) *MS. Ambr.* XVII.

CAP. CIV.

De Sancto Mauricillo Mediolanensi Archiepiscopo XXXII.

MAuricillus Sanctus Mediolani Archiepiscopus XXXII. sedit mensibus 4. Jacet ad Sanctum Satyrum.

CAP. CV.

De Sancto Ampelio Mediolanensi Archiepiscopo XXXIII.

AMpelius Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XXXIII. (a) sedit annis 5. Jacet ad Sanctum Simplicianum.

CAP. CVI.

De Sancto Mansueto Mediolanensi Archiepiscopo XXXIV.

MAnsuetus Sanctus Mediolani Archiepiscopus XXXIV. Anno Domini 678. (b) sedit annis 9. Hic Epistolam ad Synodum Constantinopolitanam scripsit, quæ Christianis magnum gaudium intulit, in hæc verba: *Fides Catholica est, ut credamus, quòd in Domino Jesu Christo, sicut sunt duæ naturæ, scilicet Dei, & Hominis, ita & duæ voluntates, sive operationes. Vis audire quid sit Humanitas? Pater major me est; & secundùm Humanitatem Christum dormientem cerne. Secundùm Deitatem verò audi Christum ventis imperantem.* Sicque Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus, qui tantùm unam naturam in Christo esse dicebat, conversus est. Tamdem Mansuetus Archiepiscopus moritur, & ad Sanctum Ambrosium tumulatur.

CAP. CVII.

De Benedicto Mediolanensi Archiepisc. XXXV.

BEnedictus Mediolanensis Archiepisc. XXXV. Anno Domini 687. (c) sedit annis 47. Hic ad Papam Romanum scripsit, quòd de consecratione Episcopi Papiensis Suffraganei sui se non intromitteret, aliàs tam dantis, quàm recipientis immerita habebitur consecratio. Tamen Archiepiscopus Mediolanensis succubuit, eo quòd plures Episcopi Papienses non inveniebant Archiepiscopum Mediolanensem in sua Sede existere, sed in Januensi Civitate propter metum Longobardorum residere, ad quam furtivè convolabant. Tamdem Beatus Benedictus moritur, & ad Ecclesiam Sancti Ambrosii tumulatur.

CAP. CVIII.

De Cuniperth Rege.

CUniperth Regis Bertharith filius ex Bavarico genere Italiæ Rex XXVI. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 688. regnavit annis 12. Contra istum Algisius, sive Alachis Dux Tridentinus ad inductionem Aldonis, & Gevasonis Ducum Brixiensium contra ipsorum juramentum & fidelitatem arma parat;

A & tandem Cuniperth Regno & Palatio Papiensi privatur. Tunc Algisius Regnum usurpavit, qui in Clerum tyrannizans per Cuniperth Regem supradictum humiliatur; sicque Cuniperth Rex Regnum recuperavit. Hunc Regem Beatus Joannes Episcopus Pergamensis in quodam sermone offendit, cui Rex equum suum indomitum donavit, ut ipsum equitaret, volens de ipso vindictam expectare. Sed ut Sanctus Joannes Episcopus sedere super ipsum cœpit, in mansuetudinem versus est. Quadam autem vice Regina quamdam puellam Theodotem nomine de pulchritudine commendavit, qua de causa ipsam cognovit, ac Papiæ in Monasterio ejusdem nominis collocavit. Tamdem Cuniperth
B moritur, & Papiæ in Ecclesia Sancti Salvatoris cum avo & patre suo tumulatur, & filio suo, Liprando scilicet parvulo, Regnum dereliquit, cui Asprandum quemdam tutorem dedit. Sed statim Ragibertus Dux Taurinensis Asprandum tutorem pueri superavit juxta Novariam; parvulus verò occiditur. Tunc de Regno magna fuit altercatio, ex qua plures occiduntur, multi excœcantur, mulieres quondam Reginæ naso & auribus abscissis deturpantur. Finaliter Ragibertus Dux Taurinensis Regnum obtinuit.

CAP. CIX.

De Ragiberto Rege.

C RAgibertus de parentela Theodolindæ ex Bavarico genere Italiæ Rex XXVII. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 700. regnavit paucis diebus, cui successit Heribertus filius ejus.

CAP. CX.

De Heriberto Rege.

HEribertus filius Ragiberti ex Bavarico genere Italiæ Rex XXVIII suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 700. regnavit annis 12. Hic subjugavit Civitatem Laudensem;
D Rothari Ducem Pergamensem hostiliter debellavit, quem rasura barbæ deturpatum in Taurino captivavit. Demum vadens Cumas, inde Asprandum supradictum fugavit, & persequens cum per Insulam Comacinam è Clavena usque in Bavariam ipsum fugere coëgit. Liprandum parvulum filium Asprandi ad patrem suum in Bavariam misit; Insulam Comacinam funditus evertit; Asprandum juniorem oculis privavit. Et reversus ad Civitatem Mediolani, summam pacem 9. annis habuit. Hic Rex privato habitu de die & nocte discurrens per villas, Civitates & Castra, investigabat quid de persona sua dicebatur; quale regimen rectores sui & Judices sive Officiales operarentur. Ecclesiæ Romanæ Alpes Cottias donavit. Interim
E Asprandus, qui 9. annis in Bavaria exul fuerat, resumtis viribus in Italiam vênit, & facto concursu hostili apud Papiam, Heribertus Rex superatur, qui fugiens in Franciam, dum esset auri pondere gravatus, & vellet cum suo equo Ticinum transvadare, ibidem submergitur, deinde in Ecclesia Sancti Salvatoris tumulatur.

CAP.

(a) *MS. Ambr. addit:* anno Domin. DCLXXXII.
(b) *MS. Ambr.* DCLXXXVIII.

(c) *MS. Ambr.* DCXCVII.

CAP. CXI.

De Asprando Rege.

ASprandus ex Bavarico genere Italiæ Rex XXIX. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 712. regnavit annis 20., qui moriens Liprando filio suo Regnum dereliquit, & in Papia in Ecclesia Sancti Adriani tumulatur.

CAP. CXII.

De Liprando Rege.

LIprandus filius Asprandi ex Bavarico genere, Italiæ Rex XXX. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 732. regnavit annis 12. Hic Rex ex filia Ducis Bavariæ nomine Gotmeda genuit filiam unam, licèt ex alia genuerit Hyldebaldum. Hic fuit vir castus, largus erga virtute conspicuos, pacis amator. Nam cum Regibus Francorum & Avarorum pacem fecit, & optimè servavit. Ad istum Carolus Martellus Pipinum Nanum filium suum usque Mediolanum misit, ut secundùm morem Longobardorum capillos sibi incideret. Tunc Rex Liprandus cæsariem Pipini Nani usque ad aures præcidit, eique pater effectus Pipinum Nanum Regiis muneribus dotatum ad suum patrem remisit. Post pauca idem Carolus Martellus nuntios cum thesauris Liprando Regi misit, ut ipsi contra Saracenos pararet auxilium, qui nihil moratus cum Longobardis in Franciam transivit, Saracenos subjugavit, rediensque in Italiam Ecclesiæ Romanæ donationem Alpium Cottiarum, quam Heribertus Rex fecerat, confirmavit. Hic Rex Christianissimus tantæ fuit audaciæ, quòd solus inter hostes & proditores suos per medium nemoris gladio evaginato transivit, dicens, & clamans: *Facite quod cogitastis*. Qui proditoribus suis contritis, & confessis injuriam indulsit. Tantæ fuit potentiæ, quòd Bononiam, Ravennam, Auximum, Sutrium, Spoletum, Clusinum humiliavit, Romamque obsedit. Tantæ fuit largitatis, quòd ad preces Papæ Castra munitissima scilicet Æmiliam, Ferrariam, & Pentapolim Romanis restituit. Alpes Cottias, ut supra dictum est Ecclesiæ donavit. Ossa Beati Augustini magno pretio comparata de Sardinia usque Papiam transtulit. Hic Rex cùm per Civitatem Mediolani equitaret, & audivisset, quòd in mensuris fraus committeretur, pedem super lapidem unum posuit, ubi pedis sculptura impressa fuit, & ait: *Mensuram habeant: quæ Pes Liprandi* dicitur, à quo Rege nomen extraxit. Tamdem Liprandus Rex moritur, & Papiæ cum Patre suo Asprando in Ecclesia Sancti Adriani sepelitur. Si itaque diligenter advertas, Civitas Mediolani semper fuit Sedes Imperatorum, & corona Regum, sed Papia fuit Regum interitus, & sepultura; nam modò ille Rex in Papia tossicatur, alter proditoriè occiditur, alter jugulatur, alter ibidem submergitur.

CAP. CXIII.

De Theodoro Mediolani Archiepiscopo XXXVI.

THeodorus Archiepisc. Mediolani XXXVI. Anno Domini 735. sedit annis 14. Jacet in Monasterio Horonæ cum sorore sua Horona. Hic Officium Matutinale optimè exposuit.

A

CAP. CXIV.

De Hyldebaldo Rege.

HYldebaldus Liprandi filius ex Bavarico genere Italiæ Rex XXXI. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 744. regnavit mensibus 6., cui successit Rachis filius ejus.

CAP. CXV.

De Rachi Rege.

B RAchis, sive Rachius filius Hyldebaldi ex Bavarico genere Italiæ Rex XXXII. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 744. regnavit annis 4. Hic Romanis contra pacis fœderationem maximas strages intulit, tamdem per Zachariam Papam cum Romanis pacificatus in Monachum cum uxore sua & filiis tonsuratur, & sic in pace quievit.

CAP. CXVI.

De Aystulpho Rege.

AYstulphus Rachis filius ex Bavarico genere Italiæ Rex XXXIII. suscepto Mediolanensi diademate Anno Domini 748. regnavit annis 8.
C Hic Tusciam, & Vallem Spoleti occupavit, & vadens Romam cuncta destruxit. A Papa, & Clero, & universo populo Romano tributa exegit: qua de causa Zacharias Papa à Leone Imperatore Constantinopolitano requirit, ut succurrat Ecclesiæ, quod facere noluit. Tunc personaliter in Alamanniam ad Pipinum Nanum ivit, quem in Civitate Maguntina per manus Bonifacii Episcopi Maguntinensis Regem inungi fecit. Unde versus:

Roma requirit opem, Leo non dedit; unde Quirites
Amodo per Francos satagunt has tollere lites;
Theutonici veniunt, Francica signa nitent.
Sed Maguntinus Regem Bonifacius ungit,
D *Corpore qui minimus res ad meliora redegit.*
Alpibus ejectus celeri Pipinus hiatu
Milite congreditur, Aystulphus marte fugatur.
Urbe sua tunc clam quærere pacta datur.

Ista autem pugna fuit juxta Clusas Longobardorum ultra Hipporegiam, ubi Aystulphus in fugam conversus Papiam fugit. Ibidem se communivit, sed obsidione Theutonicorum fatigatus, justitiam Beati Petri facere promisit, & quinquaginta obsides dedit. Tunc Pipinus Rex in Alemanniam rediit. Unde versus:

Inde Maguntinas patriæ remeavit ad urbes
Regia Francorum quæ tunc erat inclyta Sedes.

Tunc Aystulphus Rex Longobardorum credens se evasisse manus Regis Pipini, Stephanum Pa-
E pam & Romanos graviori plaga percutere cœpit. Ex quo Papa personaliter in Alemanniam ivit, & Pipinum Regem recoronavit super Francos, idest Theutonicos, & uxorem ejus nomine Berta grandis pedis filiam Regis Hungariæ, quam genuerat filia Imperatoris Constantinopolitani in Reginam similiter unxit. Demum duos filios ejus, scilicet Carolum, & Carolum Magnum in Reges inunxit. Dum verò Papa Stephanus in Alemannia adhuc esset, & coronasset Pipinum, & uxorem ejus in Reginam, eam vestitam cicladibus aureis in nomine Domini Reginam designavit, & omnes Barones Alemanniæ benedicens, obtestatus est eos, quòd numquam super se Regem assumant, nisi quem divina gratia,

tia, & providentia, & Summus Pontifex ad tuendam Sedem Apostolicam eligere dignatus fuerit. Postea de Rege Aystulpho durissimè conqueritur: ex quo Rex Pipinus in Italiam vênit secunda vice, & potentiâ Regis Aystulphi repressâ, juribusque Beati Petri restitutis, Romam ivit, & Romanorum Patritius, sive Senator effectus, in Alemanniam rediit. Interim Rex Aystulphus venationi insistens, ictu apri occiditur, & regnavit Desiderius filius ejus pro eo.

CAP. CXVII.

De Sancto Natali Mediolani Archiepiscopo XXXVII.

NAtalis Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus XXXVII. Anno Domini 750. sedit anno I., & mensibus 4. Hic Canonicam Sancti Georgii construxit, ubi etiam dormit in pace.

CAP. CXVIII.

De Sancto Arifredo Mediolani Archiepiscopo XXXVIII.

ARifredus Mediolani Archiepisc. XXXVIII. Anno Domini 751. sedit mensibus 9. Jacet ad Sanctum Nazarium (*).

CAP. CXIX.

De Sancto Stabili Mediolani Archiepiscopo XXXIX.

STabilis Mediolani Archiepiscopus XXXIX. Anno Domini 754. sedit annis 2. mensibus 4. Jacet ad Sanctum Ambrosium.

CAP. CXX.

De Sancto Læto Mediolani Archiepiscopo XL.

LÆtus Sanctus Mediolani Archiepiscopus XL. Anno Domini 756. sedit annis 13. mensibus X. Jacet ad Sanctum Ambrosium.

CAP. CXXI.

De Desiderio Rege, & fine Regni Longobardorum.

DEsiderius Aystulphi Regis filius ex Bavarico genere Italiæ Rex XXXIV. suscepta Mediolanensi corona Anno Domini 761. (**) regnavit annis 17. Hic cum Pipino Rege Nano optimè, & cum Ecclesia vixit; & filio Pipini, scilicet Carolo Magno, filiam suam in uxorem tradidit. Monasterium de Clivate construxit. Attamen cum Papa postea turbatus, Faventiam, Ferrariam, Comaclum de Ravennate Monarchatu abstulit, & sub prætextu orandi Romam ingressus, multos de Roma excoecavit; Papam Hadrianum sibi tributarium fecit, & Ecclesiam multis gravaminibus oppressit. Ex quo ipse Papa in Alemanniam ivit, rogans Carolum Magnum Anno Domini 773. quatenus pro Dei amore, & pro justitia Beati Petri Apostoli facienda contra Desiderium arma pararet. Cui respondit Carolus Magnus, dicens: *Pater meus Rex Pipinus bis venit in Italiam, & nihil profuit, quia rara fides Liguris, & pro nihilo violant foedera pacis. Si vultis mihi dare Regnum Italiæ, ego veniam.* Cui consensit Papa; & statim Carolus magnus filiam Regis Desiderii uxorem suam abjecit, patremque marte subegit. Unde versus:

Curia Francorum precibus consentit eorum,
Tollat ut Imperium victoria Theutonicorum,
Stringat & Italicum priscus ubique solum.
Transit & ad Ligures, quibus is vult dominari,
Sed Desiderius prœlia præripuit.

Audiens autem Carolus Magnus, quòd Rex Desiderius exercitum paraverat, & quòd ei usque ad Clusas Longobardorum ultra Hipporegiam obviam ivisset, exercitum suum divisit; & unam partem per montem Jovis sub Bernardo avunculo suo transire jussit; ipse verò per montem Cinisium ex altera parte transivit. Conjunctis itaque his duobus exercitibus in unum, Rex Desiderius ex altera parte Clusæ stans, Theutonicos transire prohibebat. Sed Carolus Magnus Rolandum & Oliverium nepotes suos occultè per montem transmisit: ex quo Rex Desiderius terga vertit. Tandem juxta Mortariam confligitur, quæ dicebatur tunc Pulchra Sylva, quia delectabilis erat, & tunc propter multitudinem mortuorum, quæ ibi mortua est, dicitur Mortaria. Mortui sunt in illo conflictu Amelius Comes gener Caroli Magni, & Amicus miles socius ejus, qui una die nati, una die baptizati, semper simul conversati sunt, corpore per omnia similes, una die mortui, in duabus urnis, & in duabus Ecclesiis sepulti, quorum sepulturæ altera die sunt conjunctæ. Tunc Rex Desiderius Papiæ se communivit, quam anno Domini 783. Carolus obsedit, ubi & Pascha celebravit. Postea in obsidione Rolandum & Oliverum relinquens, Romam causâ orationis ivit; inde ad obsidionem Civitatis Papiensis remeavit, quam igne tamdem & bello superavit, Regem Desiderium cum uxore & filiis captivatum in Aquisgrani perpetuo carcere intrusit; & omni thesauro Palatii spoliato, quidquid ipse Desiderius, vel sui prædecessores à Romano Pontifice abstulerant, totum Carolus Ecclesiæ redonavit. Omnes Civitates Italiæ sibi parêre coëgit, & Civitatem Mediolani post modicam obsidionem duodecima vice superavit, atque propter odium civium Mediolanensium, qui Regi Desiderio semper adhæserant, coronationem suam super Italiam in Modoëtia instituit. Unde versus:

Primus Aquisgrani locus est, post hæc Arelati,
Inde Modoëtiæ Regali sede locari
Post solet Italiæ summa corona dari.

CAP. CXXII.

De Translatione Regni Italiæ ad Carolum Magnum.

SIcque Regnum Italiæ, quod fuerat sub VII. Regibus Vasconibus ferè annis 100. & sub XV. Regibus Longobardis, & XII. Bavaris ferè annis 206. finitum fuit, & ad Theutonicos transivit. Hoc genus Caroli Magni modò ordiri oportet.

CAP. CXXIII.

De Genere Caroli Magni.

FRancus filius Hectoris Trojani per Italiam transiens, ivit in Alemanniam, ubi in ripa flumi-

(*) MS. Ambr. *jacet ad Sanctum Ambrosium.*

(**) MS. Ambr. *DCCLVI.*

fluminis Rheni quamdam Civitatem nomine Trojam construxit, & à suo nomine proprio totam Alemanniam Franciam appellavit, unde nati sunt Duces Franconiæ usque in hodiernum diem. Ex isto Franco natus fuit Arnulphus, qui primus fuit, qui fuerit constitutus in illa dignitate, qui dicitur Major-Domus Francorum. Hic Arnulphus genuit Anchisem, ab Anchise patre Æneæ Trojano denominatum. Hic Anchises ex Bega scientissima, unde Begamarum nomen descendit, genuit Pipinum Grossum, qui Major-Domus Francorum factus fuit, sicut avus, & pater ejus. Hic Pipinus Grossus tonsurato in Monachum Sigimberto, qui erat Rex Francorum, Grimoaldum filium suum coronari fecit, quem tamdem Barones occiderunt; & Carolus Martellus genitus per concubinatum, Ducatum Franconiæ patrimonium suum hereditavit, & Major-Domus Francorum factus est. Hic Gandianum Regnum, idest Parisiense, invasit, & Franciam quasi à Francis genitam appellari jussit. Similiter Robertum Regem Metensem, Radotum Regem Frixonum, Lantifredum Regem Alamanniæ, Eudonem Ducem Aquitaniæ cum tota Vasconia, Bavaria, Saxonia, subjugavit. Trecenta sexaginta quinque millia Saracenorum occidit; Frisiam devastavit. Tamdem cùm 27. annis Regnum Francorum feliciter gubernasset, tribus filiis suis terram suam divisit. Carolo Manno primogenito suo tradidit Ducatum Austriæ, & Thuringiæ, Pipino Nano secundogenito suo tradidit Burgundiam, & provinciam Provinciæ; Griffo autem tertiusgenitus ejus, quia iniquus erat, à fratribus ejicitur, & in quodam Castro apud Alverniam permansit. Tamdem Carolus Mannus Monachus efficitur; & sic Pipinus Nanus Ducatum Burgundiæ, provinciæ Provinciæ, Turingiæ, & Austriæ hereditavit; & tamdem per Papam Zachariam Rex Francorum factus fuit, & ex Berta Grandipede filia Regis Hungariæ, quæ abiatica fuerat Heraclii Imperatoris Constantinopolitani genuit Carolum Magnum. Hic cùm regnasset in Francia 33. annis, Rex Italiæ factus fuit. Ex Ludovico Imperatore filio Caroli Magni natus est Lodovicus Germaniæ, & Bavariæ Rex, qui moriens unicam filiam dimisit, quam Henricus Gibellinus Theutoniæ Rex de consensu Papæ in uxorem duxit; qui propter servitia facta Romanis per Papam in Imperatorem coronatur, & Imperium de domo Caroli Magni in domum Gibellinorum transivit.

CAP. CXXIV.

De Carolo Magno.

CArolus Magnus ex Franco genere Italiæ Rex trigesimusquintus, suscepto Modoëtiæ diademate Italico anno Domini 774. regnavit annis 9. vir Christianissimus fuit, horas diei & noctis indesinenter recitare continuavit, facie decorus, aspectu & oculis ferus. facies ejus unum palmum cum dimidio habebat, nasus erat longus per medium palmum & plus, barba erat longa per unum palmum & plus, frons erat unius pedis, statura ejus octo pedes continebat in longitudine, clarissimus erat Græco & Latino sermone, omnes artes liberales scivit, maximèque in cursu stellarum curiosiùs studuit, filios suos armis, & filias lanificio assuefecit, quos tamen tenerrimè dilexit, ut numquam domum exiens sine eis cœnare potuit, parum panis comedebat, sed quartam partem arietis, aut

A duas gallinas, vel pavonem, aut anserem, vel gruem, aut integrum leporem devorabat, vinum aqua mixtum bis, aut ter sumebat, attamen in bibendo parcus erat, in mensa semper lectorem aut armoniam audiebat, militem armatum cum equo toto, uno ictu gladii scindebat, quatuor ferraturas equorum manu extendebat, hominem armatum in manu sua receptum super caput suum elevabat, Regnum Aquitaniæ, Vasconiæ, Italiæ, Saxoniæ, Bavariæ, Austriæ, provinciæ Provinciæ, Burgundiæque devicit; Civitatem Mediolanensem, Papiensem, Cæsaraugustam, Pampilionam, ceterasque infinitas Civitates destruxit; studium generale de Roma ad Parisiensem Civitatem transtulit; Offi-
B cium Ambrosianum totis viribus annullare tentavit, Officium Gregorii fontem omnium Officiorum esse determinavit, unde tres scholas pro ipso officio addiscendo ultra montes instituit, primam posuit Metis, secundam Senonis, tertiam Aurelianis; tot Monasteria quot in Alphabeto sunt literæ construxit; in primo Monasterio posuit A., in secundo B., & sic de singulis, ut secundùm proprietatem literarum posset sciri proprietas Monasteriorum, & quælibet litera valebat ultra centum libras Turonenses. Videns autem Carolus Magnus largissima pace undique frui Anno Domini 780. cum uxore sua Hildegardi, & filiis suis causâ orationis Romam ivit, filios suos per Papam baptizari fecit, veniensque
C ad Civitatem Mediolani per Thomam Archiepiscopum Mediolani filiam suam Gilissam similiter baptizari fecit, & Pipinum filium suum Italiæ Regem instituit.

CAP. CXXV.

De Pipino filio Caroli Magni.

PIpinus Caroli Magni filius ex Franco genere Italiæ Rex trigesimus sextus suscepto Modoëtiæ Italico diademate anno Domini 783. regnavit annis 30. Hic Pipinus Græcos de Italia expulit Panoniam Provinciam expoliavit. Hic tandem de conjuratione contra patrem convi-
D ctus in Monachũ tonsuratur de mandato ejusdem, regnavitque Bernardus filius ejus pro eo.

CAP. CXXVI.

De Bernardo filio Pipini.

BErnardus Pipini filius ex Franco genere Italiæ Rex trigesimus septimus suscepto in Modoëtia regali diademate anno Domini 813. regnavit annis 5. Hic contra Ecclesiam tyrannizans per Lodovicum Imperatorem patruum suum in Aquisgrani citatur, ubi dolo capitur, oculis primò, postea vita privatur; Et Pipinus filius ejus cum tribus filiis suis, Bernardo, Pipi-
E no, & Heriberto in Aquisgrani carcerantur, & regnavit Lotharius Ludovici Imperatoris filius, ac Caroli Magni ablaticus pro eo.

CAP. CXXVII.

De Lothario Ablatico Caroli Magni.

LOtharius Caroli Magni Ablaticus ex Franco genere Italiæ Rex trigesimusoctavus, suscepto in Modoëtia regali diademate anno Domini 818. regnavit annis ferè 40.

CAP. CXXVIII.

De Lodovico filio Lotharii.

Lodovicus filius Lotharii ex Franco genere Italiæ Rex trigesimusnonus suscepta in Modoetia regali corona Anno Domini 840. regnavit annis 20. Hic apud Placentiam moritur.

CAP. CXXIX.

De Carolo Grosso filio Lodovici.

Carolus Grossus Ludovici supradicti filius Comes Provinciæ ex Franco genere Italiæ Rex quadragesimus, suscepta in Modoëtia regali corona Anno Domini 875. regnavit annis 7. Hic Italiam pacificè possedit, tandem in magna paupertate moritur, & sic semen Caroli Magni super Italiam defecit, & Imperium ad Italiam rediit. Causa autem ista fuit, nam Carolus Magnus cum Imperatore Græcorum Mundum & Imperium per medium divisit, Ludovicus verò Ablaticus Caroli Magni Imperium Occidentis inter 3. filios suos in partes 3. divisit: Lotharius verò filius istius Ludovici, qui tertiam partem Imperii hæreditavit inter 3. filios suos in 3. partes iterum partem suam divisit, & sic Ludovicus Imperator solùm Italiam habuit, & quia iterum Ecclesia per Longobardos gravabatur, nec ipsam Ecclesiam Theutonici defendere poterant à Longobardis, sententia Summi Pontificis, & Romanorum fuit, quòd Imperium in Italiam rediret, & quòd ille, qui in Civitate Mediolani coronaretur verus Imperator diceretur. Tunc statim Hyverardus Dux Aquilegiensis cum filio suo Berengario in ista Lombardia, & Guido Dux Spoleti cum filio suo Lamberto in Tuscia Imperium usurpaverunt, & similiter aliqua privilegia concesserunt, tandem Hyverardus Dux Aquilegiensis moritur, & Berengarius filius ejus de Italia fugatur, qui vadens in Alemaniam ab Arnulpho Rege Francorum auxilium quærere cœpit. Interim Guido Dux Spoleti Anno Domini 888. à Summo Pontifice coronam Imperii obtinuit, & sex annis imperavit. Ex tunc consuetudo inolevit, ut Imperator per Papam coronaretur, quod ad Archiepiscopum Mediolanensem primò pertinere videbatur. Nam licèt Carolus Magnus per Papam fuerit coronatus quamvis invitus, tamen hic Carolus Magnus filium suum Ludovicum in Imperatorem coronavit, & Ludovicus filium suum Lotharium, & Lotharius filium suum Ludovicum, & licèt aliqui ex istis fuerint per Papam recoronati; hoc fuit per modum gratificationis & amicitiæ secundùm Ptolomæum. Ex tunc ergo Imperium ad Italicos rediit, & corona Imperii Italici de Civitate Mediolani ad Papam transivit. Contra antedictum Guidonem Ducem Spoleti nuper creatum Imperatorem Arnulphus Francorum Rex ad preces Berengarii Ducis Aquilegiensis in Italiam intravit, & in festo Purificationis B. M. Virginis Pergamum violenter obtinuit, ac Ambrosium Ducem Pergamensem supra Portas urbis suspendit, quod factum totam Lombardiam exterruit. Demum omnia subjugans usque Placentiam pervênit, & in Alamaniam rediit. Tunc Guido Imperator moritur, & Lambertus filius ejus Imperator elegitur Anno Domini 894., & imperavit anno uno, & mensibus octo. Contra istum secundum Imperatorem Arnulphus Rex Francorum secunda vice intravit Italiam, &

A Idibus Octob. secundùm Paulum ipsum Imperatorem Lambertum vita per capitalem sententiam privavit, ac debellatâ Româ per Formosum Papam Anno Domini 896. in Imperio coronatur, & ipso anno moritur; In isto Arnulpho sanguis Magni Caroli cessavit, sicut in Arnulpho Patre Anchisis suæ magnitudinis exordium habuit ut supra. Mortuo Arnulpho Imperatore Lodovicus Bosonus filius Regis Provinciæ Anno Domini 896. secundùm Paulum per Longobardos invitatur; ut Imperium Italiæ accipiat, qui statim intravit Italiam, & Berengarium Aquilegiensem Ducem supradictum de Italia usque in Bavariam fugavit, & vadens Romam, secundùm Paulum, à Summo Pontifice Imperii
B diadema accepit. Interim Hungari intraverunt Italiam, quam rapinis, igne, & ferro consumpserunt, ex quo nobiles Civitatis Mediolani per suum Comitatum Castra & fortalicia erigere cœperunt juxta singulas villas, atque suburbia; nam singulis annis Hungari Italiam intrabant, & expoliatis cunctis populis ad propria redibant. Cùm autem vidissent totam Italiam castris, ac turribus redimitam de cetero redire ausi non sunt. Ludovicus autem Imperator suscepto in Roma Imperiali diademate Veronam pervênit, ubi nimia securitate potitus suum exercitum licentiavit, ac deliciis vacare cœpit. Quod ut Berengarius Dux Aquilegiensis supradictus audivit de Bavaria, ubi exul erat, exivit, & de
C nocte per muros urbis Veronæ producitur 12. Cal. Aug., & Lodovicum prædictum Imperatorem cepit, atque oculis privatum in Provinciam remisit. Sicque Berengarius Dux Aquilegiensis Imperium jam tertia vice multo sparso sanguine per ipsum impugnatum cum hujusmodi obtinuit triumpho Anno Domini 900. Isto tempore Guido Dux Spoleti Lamberti supradicti Imperatoris filius in Thuscia Imperium arripuit, qui non immemor, quòd pater ejus ad procurationem Berengarii Imperatoris fuerit per Arnulphum Imperatorem vita privatus, in ultionem Patris sui vênit Veronam versùs, ubi cum Berengario Imperatore conflixit, atque eum vita per capitis mutilationem privavit, & sic totum
D Imperium Italiæ pacificè paucis diebus possidens moritur, & imperavit Rodulphus filius ejus pro eo annis duobus Anno Domini 911. Contra istum Imperatorem Rodulphum Albericus nobilis civis Romanus Hungaros advocavit, qui Thusciam cum mulieribus, & parvulis expoliaverunt, ac singulis annis fines Romanorum devastaverunt: qua de causa Rodulphus Imperator per milites suos eum interfici mandavit, redeuntibus autem Hungaris per Italiam in discurrendo rapinas more solito facere non cessabant. Ex quo Liprandus Episcopus Vercellensis infinito thesauro onustus dum fugeret propter Hungaros expoliatur. Interim moritur Imperator Rodulphus, & in Civitate Januensi fons sanguinis fluxit, & post
E pauca Saraceni mulieres, & parvulos ejusdem Civitatis exportaverunt, & facta de Sarracenis vindicta, Mediolanenses muro Civitatem Januensem cinxerunt, ex quo quilibet Mediolanensis est Civis Januensis, & è converso usque in præsentem diem: Et tunc vexillum Civitatis Mediolani Januenses receperunt.

CAP.

CAP. CXXX.

De duobus Principibus usurpantibus Imperium in Italia.

ANno Domini . . . (*) duo magni Principes in Italia Imperium usurpaverunt: Nam in Marchia Trivisana imperavit Berengarius Dux Aquilegiensis Berengarii filius annis 6., post eum tertius Berengarius filius ejus annis 8., post eum Berengarius quartus annis 11., qui simul juncti faciunt annos 25. Videntes autem Mediolanenses, quòd nullus Rex ex Berengariis nec in Roma, nec in Mediolano coronatus fuerat, unde magis tyranni, quàm Imperatores erant dicendi, Hylduinum Archiepiscopum in Burgundiam mittunt, quatenus Hugo Rex Burgundiæ Imperium Italicum accipiat: quo audito Hugo iste cum Lothario filio suo, & Manasse filio suo parvulo ad Civitatem Mediolani pervênit, ubi 32. annis cum filio suo Lothario imperavit, & semper contra Berengarium dimicavit. Hic Hugo Mediolani Imperator, ut successivè in æternum imperaret, cogitavit Civitatem Mediolani sibi totaliter subjugare, unde filium suum parvulum Manassem Archiepiscopum Mediolani facere totis viribus studuit, sed considerans, quòd Romanorum Pontificum privilegium extabat, quòd nullus fieret Archiepiscopus Mediolanensis, nisi priùs fuisset ejusdem Ecclesiæ Cardinalis, sive Cardinarius, vel Ordinarius, procuravit cum Hylduino Archiepiscopo, quòd filius ejus fieret in Ecclesia Mediolanensi Cardinalis, quod & factum fuit, & post pauca Hylduinus Archiepiscopus moritur. Isto tempore erat consuetudo, & privilegium à Rom. Pontificibus concessum, quòd nullus Episcopus, vel Archiepiscopus sub pœna anathematis, & confiscatione omnium bonorum suorum recipiat consecrationem, nisi priùs per Imperatorem fuerit per baculum, & anulum investitus; tunc autem vacabat Sedes Archiepiscopatus Mediolani; videns autem Imperator filium suum Manassem propter juventutem ad tantam dignitatem incongruum, quendam Cardinalem Mediolanensem Ardericum Cottam nomine grandævum, & senem ordinavit Archiepiscopum Mediolanensem sperans eum citò moriturum: videns autem Imperator ipsum diutiùs vivere, in Civitate Papiensi Concilium convocavit, atque omnes Prælatos interesse præcepit, & Imperator cum Officialibus sui sacri Palatii secretò condixit, quòd rixam qualemcumque contra Archiepiscopum Mediolani procurarent, in qua subitò ipsum interficerent, quod cùm fieret, Archiepiscopus Mediolanensis evasit, sed nonaginta Nobiles de Mediolanensibus propter Archiepiscopi sui defensionem gladio in rixa illa trucidati sunt. Tunc Hugo Imperator tactus dolore cordis intrinsecus, quandam nobilem Abbatiam construxit, quam à numero 90. occisorum Mediolanensium Nonantulam appellavit, & Archiepiscopo Mediolanensi donavit: Hæc Arnulphus. Item Capellam auream cum Cruce fabricari fecit, quæ sub Altari Hyemalis Ecclesiæ sunt collocata tugurio. Hugo autem Imperator in Regnum suum Burgundiæ revertitur, & imperium Mediolani filio suo Lothario reliquit.

(*) *MS. Ambr.* DCCCC.

A

CAP. CXXXI.

De Lothario filio Hugonis Imperatoris.

LOtharius iste in Ecclesia Sancti Ambrosii imperii diadema, sicut & pater ejus, suscepit, & mortuo Arderico Archiepiscopo Mediolani fratrem suum Manassem Cardinalem Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopum Mediolanensem instituit. Sed contra Populus Mediolani Ademarum de Menclotiis natione Mediolanensem Cardinalem ejusdem Ecclesiæ sibi Archiepiscopum fecerunt: Hi duo numquam consecrati fuerunt, tamen bona temporalia, & alia quæcumque pretiosa, quibus Ecclesia Mediolanensis super omnes Ecclesias Mundi incomparabiliter affluebat, destruxerunt. Tandem concorditer fit, ut his duobus cedentibus juri suo, Valpertus Mediolanensis Ecclesiæ Cardinalis in Archiepiscopum Mediolanensem consecratur, & statim Imperator Lotharius moritur, & maximas possessiones Monasterio Sancti Ambrosii donavit. Tunc Berengarius Imperator Marchiæ Trivisanæ cum 3. filiis suis, Guidone, Adelberto, & . . . . . (*) resumtis viribus Imperium Mediolanense totis viribus molestabat. Qua de causa Valpertus Mediolani Archiepiscopus in Alemanniam ivit, & usus privilegio Beati Gregorii, de quo supra mentionem fecimus, Ottonem Ducem Saxoniæ potentissimum Imperatorem Italiæ elegit, qui statim filium suum Lithulphum cum Valperto Archiepiscopo Mediolanensi in Italiam misit, & commissâ pugnâ cum Berengario Imperatore Marchiæ Trivisanæ ipsum captivavit quem postea liberavit, & partem Imperii Italici ei restituit, quod Berengarius malè recognoscens, ipsum veneno occidi procuravit. Mortuo igitur Litulpho Magni Otthonis filio, iterum Berengarius Imperium Mediolanense acriùs impugnare cœpit, atque Athleitam Imperatricem Mediolanensem Imperatoris Lotharii relictam in carcerem detrusit. Audiens autem Ottho Dux Saxoniæ filii sui excidium, totis viribus contra Berengarium suum parat exercitum, & commisso prœlio ipsum Berengarium Imperatorem cum uxore, & filiis captivavit, & in Alemanniam ductos incarceravit. Athleitam autem supradictam Imperatricem Mediolanensem de carcere extraxit, atque sibi matrimonio copulavit, & in Alemanniam rediit, de qua uxore Otthonem II. genuit; Interim Aldebertus Henrici Comitis Francorum filius, cum fratribus suis Adelberto, & Henrico collecto exercitu valida manu ad Imperium Mediolanense aspirans Mediolanum aggreditur. & dirigens Nuncios suos ad Valpertum Archiepiscopum Mediolanensem, qui tunc Urbi dominabatur petiit infra Civitatis Mediolani muros sibi palatium vel Maximiani, vel Trajani Imperatorum præparari: Cui respondit Valpertus Archiepiscopus Mediolani, quòd Civitas Mediolani ex privilegio Theodosii Imperatoris à tempore Beati Ambrosii citra ab ingressu Imperatoris semper libera extitit, unde nec eum intrare permittere volebat; Attamen Palatium Sancti Ambrosii extra Urbem præparari jussit Archiepiscopus Valpertus. Ex hac causa Imperator Aldebertus quamplurimum indignatus est, sed dissimulare disposuit, donec Coronam Mediolanensem recepisset; unde respondit: *Si scivissem hanc Civitatem tali privilegio gaudere, introitum in ipsam non petiissem:*

(**) *Suple ex MS. Ambr.* & Conone.

ſem: Facta autem ejus coronatione, & pluribus annis tranſactis, accepta qualicumque causa contra Archiepiſcopum Valpertum, & contra totam Civitatem ſuæ indignationis ſententiam fulminavit, jurans per Coronam ſuam ipſam funditus evertere: Quod audiens magnanimus Valpertus Mediolani Archiepiſcopus ſuorum privilegiorum jura rimatus in Alamanniam perrexit, & Otthonem ſupradictum Ducem Saxoniæ de plenitudine poteſtatis Italiæ Imperatorem advocavit: Hæc Arnulphus. Tunc Ottho Dux Saxoniæ ad preces Valperti Archiepiſcopi Mediolanenſis, inducente ipſum etiam Athleita uxore ſua genere Lombarda, quæ quondam Imperatrix extiterat, ut ſupradictum eſt in Italiam venit, ac Civitatem Mediolani intravit: Unde privilegium Theodoſii Imperatoris evacuatum fuit. Tunc Valpertus autem Archiepiſcopus Mediolanenſis convocatis omnibus Epiſcopis Suffraganeis ſuis, ac Baronibus, & Ducibus, & Marchionibus, & Comitibus Italiæ Adelbertum Imperatorem Mediolani excommunicavit, atque ejus dominium ſprevit, ipſumque depoſitum appellavit: Quo audito ipſe Aldebertus in Inſulam Corſicam quaſi fur aufugit. Tandem Ottho Dux Saxoniæ in Eccleſiam Sancti Ambroſii introducit; ubi ſuper Altare depoſuit omnes regias veſtes, ac clamydem Imperialem, baltheum & enſem bipennem, ac lanceam ſuam, in qua erat unus de Clavis Paſſionis Chriſti, poſtea ſtola, & manipulo induitur, erat enim quaſi Diaconus, & celebratis Divinis Myſteriis Valpertus Archiepiſcopus ipſum Otthonem laudatum, & confirmatum in Imperio inde perunxit, ac Coronam capiti ejus impoſuit. Tunc Ottho hujus nominis Primus patrimonium ſuum, ſcilicet Ducatum Saxoniæ, & Normandiæ Coronæ Mediolanenſi addidit, largiſſimas Poſſeſſiones Monaſterio Beati Ambroſii donavit. Monaſterium majus fundavit, Regnum totius Italiæ cum Regno Alamanniæ univit, & ſic Imperium de Italia ad Theutonicos rediit uſque in præſentem diem; Quod patet fuiſſe factum ad petitionem magnanimi Valperti Mediolanenſis Archiepiſcopi, & omnium Mediolanenſium procuratione. Tunc omnes Otthones dilexerunt Mediolanum, Friderici verò odio habuerunt.

CAP. CXXXII.

De Depoſitione Joannis Papæ.

INterim Joannes Papa, quòd eſſet publicus fornicator, atque venator accuſatur; ex quo Clerus Romanus ipſum rogat, ut Romam veniat, & de alio Papa ſibi provideat, quod ut Papa cognovit, Joanni Diacono Cardinali naſum, alteri Joanni Subdiacono manum præcidi fecit, quia alter dictaverat contra ipſum literas, alter conſcripſerat: Ex hac causa Otto Imperator Romam vadit, condignam de Papa ultionem illaturus. Valpertus attamen Archiepiſcopus Mediolani ſemper per 3. diætas Imperatorem præcedebat, fueruntque cum Valperto Archiepiſcopo Mediolani 100. Ambaſiatores ex Mediolanenſibus omnes veſtiti ſcarleto, quouſque Romam Imperatorem Ottonem ſociati ſunt; ut ipſum in Roma coram Romanorum multitudine coronaret; quia autem Eccleſia periclitabatur propter Joannis malitiam, & Berengarii tyrannidem, Cardinales vocaverunt Ottonem Imperatorem in Mediolano, qui veniens Romam perſuaſit Cardinalibus ut Papam corrigerent, quo in malitia perſeverante Imperator tamen fecit, quod Papatum renunciavit, quo facto Cardinales per communem inſpirationem pro illa vice confixerunt in Imperatorem, ut de Papa provideret; at ipſe quendam Leonem Theutonicum hujus nominis Primum adhuc Laicum in Papam ſubrogavit, qui receptis omnibus Sacris Ordinibus in Papatu ſubrogatur, ſicut fuit de Beatis Nicolao, & Ambroſio. Ex his manifeſtè deprehenditur, quòd vera corona Imperii erat ſolùm Mediolanenſis, quia hic Otto non habitâ aliâ coronâ Papam depoſuit, & alium Papam ſubrogavit, quod erat privilegium Imperatorum Romanorum tempore Caroli Magni uſque ad iſta tempora. Tunc Imperator Otto de Roma receſſit, & ſtatim Populus Romanus Leonem depoſuit, & quemdam nomine Benedictum ſibi præfecerunt; quo audito Imperator Otto cum Valperto Mediolani Archiepiſcopo Romam obſedit, atque expugnavit, Benedictum Papam vinculatum in Saxoniam miſit, ac Leonem ſuum Theutonicum in Papatum reſtituit. Hic Leo de conſenſu Cardinalium, Epiſcoporum, Prælatorum, ac Populi, & Cleri Romani privilegium datum Carolo Magno per Papam, & Synodum generalem renovavit, ſcilicet quòd nullus fiat Papa, niſi de conſenſu Imperatoris, & quòd ipſe Otto ſuique ſucceſſores Imperium Italicum perpetuò tuerentur ab incurſibus Barbarorum, ac feliciter perpetuò fruerentur: Atque idem Papa Leo per modum amicitiæ, & gratificationis ſecundùm Ptolomæum Ottonem recoronavit, & omnes donationes factas Eccleſiæ Romanæ per quoſcumque Reges Longobardos, vel Francos, de his, quæ ſunt in Italia, ipſi Ottoni remiſit. Tunc Imperator Otto Valperto Archiepiſcopo Mediolanenſi ſuper ceteros Prælatos exaltato coram omnibus aſtantibus oppida multa Imperialia in partibus diverſis Italiæ conſiſtentia donavit, atque ad ſuam ſedem remiſit, qui poſt pauca moritur, & Landulphus Mediolanenſis Archiepiſcopus ordinatur. Iſto tempore Obizo Comes, qui Porticum Sancti Pauli de Roma combuſſerat, Monaſterium de Arona conſtruxit: quia verò hic Obizo inter Imperatorem, & Epiſcopum Peruſinum compoſuerat, ob prædicti Comitis Obizonis amorem donavit dicto Monaſterio corpora Sanctorum Martyrum Gratiani, & Filini. Interim Landulphus Archiepiſcopus Mediolanenſis moritur, & Otto Imperator quemdam Gottofredum Subdiaconum præfecit Archiepiſcopum Mediolanenſem, quem Clerus, & Populus reprobantes finaliter propter Imperatoris reverentiam receperunt. Tunc Otto Imperator Bonizonem de oppido Carcani natum Ducem Civitatis Mediolani inſtituit, ut ſic Civitas more ſolito per Duces regeretur. Quo tempore peſtilentia vermium ſub pulvere latitantium in tantùm Civitatem Mediolani conſumſerat, quod ſtrenuiſſimorum militum raritas facta fuit; modius tritici pro 4. denariis vendebatur, plauſtrum lignorum uno denario dabatur; porci, arietes, & magni boves Dominum non reperiebant, imò gratis dabantur. Mortuo Gottofredo Archiepiſcopo Mediolani Bonizo de Carcano Dux Mediolanenſis contra Cleri, & Populi voluntatem Landulphum filium ſuum mediante auri, & argenti oratione apud Imperatorem Ottonem fieri Archiepiſcopum Mediolanenſem mandavit, quem quia Clerus, & Populus recipere recuſabant, facta ſunt prœlia in Civitate. Unde & Tanzinus de Burris quidam nobilis civis occiditur, quo facto quidam ſervus ipſius Tanzini nomine Mantegacius, à quo deſcenderunt

sunt Mantegacii, Bonizonem Ducem Mediolani in lecto decumbentem interfecit. Tunc Landulphus Archiepiscopus extra Civitatem ejicitur cum fratribus suis, & omnibus ejus faventibus, qui postea cum magnifico Comitatu ivit in Alamanniam ad Ottonem II., qui Otto veniens obsedit Mediolanum; sed nihil profuit, imò Landulphus Archiepiscopus aliquos Cives extra Civitatem ad se venire fecit, quibus promisit, quòd si eum in Civitate recipere vellent omnes dignitates Civitatis inter populares divideret. Fit concordia, & Archiepiscopus cum parte nobilium introducitur in Mediolanum. Intrat ergo Landulphus in Civitatem Mediolani Archiepiscopus, & expoliatis omnibus Ecclesiasticis personis, ipsorum bona per nefandam investituram civibus tradidit, quos capita Plebium appellavit, unde & Capitanei dicti sunt, quos nunc corrupto nomine Cattaneos dicimus. Tribus fratribus suis quatuor millia modios fructuum terræ de patrimonio Beati Ambrosii in feudum sub aurea Bulla donavit; majorem fecit Capitaneum Oppidi de Carcano, secundum fecit Capitaneum Oppidi de Pirovano, tertium fecit Capitaneum Oppidi de Melegnano. Tunc Otto II. cum uxore sua filia Imperatoris Constantinopolitani Romam ivit, ubi & Coronam Imperii à Summo Pontifice, quam jamdudum pater ejus sibi tradiderat, iterum accepit. Isto tempore nobilis Comes de Leuco apud Pergamum moritur. Et Landulphus Archiepiscopus Mediolanensis aspiciens se turpiter Ecclesiam Mediolanensem defraudasse, Monasterium Sancti Celsi construxit. Eodem tempore Conradus nobilis Marchio Curiam de Trechate Ecclesiæ Mediolanensi donavit. Mortuo Landulpho Archiepiscopo Mediolani magna pars nobilium civium de Mediolano, Castra, & Suburbia ac Plebes sibi ab Archiepiscopo donatas habitare cœpit corporaliter, populo demum Civitatem relinquentes. Interim Otto III., Ottonis II. filius per patrem coronatur, & Arnulphus de Arsago in Seprio Archiepiscopus Mediolanensis instituitur.

CAP. CXXXIII.

De institutione Ducis Mediolani, scilicet Bonizonis de Carcano.

ANno à Nativitate Domini 900. sub dominio Ottonis Imperatoris, qui fuit hujus nominis I. sedente Valperto Archiepiscopo Populus Mediolani petiit, ut more solito Civitas Mediolani per Duces regeretur, qui instituit Ducem quendam Becharium, qui dictus est Bonizo de oppido Carcani. Isto enim tempore in Civitate Mediolani non erant aliqui Cives, qui dicerentur nobiles, sed licèt aliquis esset aut in divitiis, aut in parentibus altero insignior, solus tamen Archiepiscopus omnibus eminebat. Interea isto tempore Valpertus Archiepiscopus moritur, quo viso Bonizo Dux Civitatis Mediolani procuravit cum Cardinalibus, sive Ordinariis Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, ut eligerent quendam filium suum Landulphum nomine in Archiepiscopum Mediolanensem, quod ipsi facere omnino contemserunt. Unde hic Dux ad Imperatorem Ottonem accessit, & mediante auro, & argento in tantum procuravit, quòd Imperator ipsum in Archiepiscopum dari ordinavit. Hic Archiepiscopus cùm sedem suam intrare voluit, Populus ad arma cucurrit, & prohibitus est, ne in suum Archiepiscopatum intraret. Ex quo turbatus Bonizo Dux convocatis amicis, favente sibi Imperatore, licèt non præsens esset tunc, arma parans contra Populum durissimè pugnavit, & quendam Tanzinum Burrum virum potentem in bello interfecit; sicque prævaluit, & sic filium suum in Sede Archiepiscopali collocavit. Post pauca Bonizo Dux dum in lecto dormiret, quidam servus Tanzini supradicti dolosè domum Ducis intrans, ipsum dormientem gladio jugulavit. Fuerunt enim isti Bonizoni de Carcano Duci Mediolani, excepto Landulpho, 4. filii omnes Becharii, quos Archiepiscopus cupiens nobilitare ultra 4000. modios fructuum terræ de patrimonio B. Ambrosii in feudum dedit, & Bullâ aureâ confirmavit: unde primum fratrem fecit Capitaneum Oppidi de Carcano, de quo nata est Parentela illorum de Carcano, secundum fecit Capitaneum Oppidi de Pirovano, de quo omnes illi de Pirovano nati sunt, tertium fecit Capitaneum Oppidi de Melegnano, de quo omnes illi de Melegnano descenderunt, & omnes, qui nati sunt ex aliqua istarum parentelarum, sunt Archiepiscopi Mediolanensis vassalli perpetui, quartum fratrem voluit facere Capitaneum, qui contemsit dicens, *potiùs volo esse Becharius, & liberæ conditionis, quàm esse Capitaneus, & Archiepiscopi servus perpetuus*, & de isto quarto fratre nati sunt illi de Scrosatis. Sic itaque ditatis, & nobilitatis tribus fratribus suis, Landulphus Archiepiscopus cum Imperatore procurabat, quòd frater suus major Capitaneus de Carcano fieret Dux Civitatis Mediolani, sicuti fuerat pater suus, & quòd illa dignitas iret per successionem in perpetuum. Quo audito Populus indignatus ipsum Archiepiscopum cum suis fratribus & omnibus ei faventibus de Civitate ejecit, qui in suis fortaliciis se recepit; & ista fuit prima divisio facta inter Nobiles ex una parte, & Populum ex altera, quæ divisio numquam finem habuit.

CAP. CXXXIV.

De Divisione orta inter Nobiles, & Populares Urbis Mediolani.

ANno à Nativitate Domini 909. sub dominio Ottonis Imperatoris exulante Landulpho Bechario Archiepiscopo Mediolanensi, Populus Mediolani sibi rectorem instituit. Isto tempore prædictus Landulphus favente sibi Imperatore, convocatis amicis, & quampluribus Theutonicis stipendiariis versùs Civitatem manu armata veniens, ipsam obsidere intendebat, cui Populus respondit, *non fatigeris venire usque ad nos, quia tecum in campo pugnare parati sumus*. Condicitur ergo pugna ex utraque parte, & in campo de Carbonaria convenitur. Pugnatur invicem diutiùs, sed tandem Archiepiscopus cum suis de campo turpiter fugatur. Interim moritur Otto Imperator hujus nominis primus, qui moriens Ottonem filium suum Imperatorem instituit. Landulphus verò Archiepiscopus videns animum populi contra se obstinatum, & quòd nullo tempore poterat ad Civitatem redire, suscepto magnifico Comitatu in Alemaniam ivit ad Ottonem II. rogans eum, ut cum valido exercitu Theutonicorum intraret Italiam, & ipsum in sua Sede poneret, quod & pater suus facere procuraverat. Intrat Otto Imperator Italiam cum suis Theutonicis, & Civitatem Mediolani obsedit ex una parte, & Landulphus Archiepiscopus Mediolanensis cum parte

parte Nobilium obsedit ex altera parte. Sed nihil eis proficientibus Landulphus Archiepiscopus Mediolanensis seorsum ab Imperatore aliquos cives extra Civitatem ad se venire fecit, quibus promisit, quòd si eum in Civitate recipere vellet, omnes dignitates Ecclesiasticas inter populares divideret, fitque concordia. Tunc Otto ivit Romam, ubi per Papam fuit coronatus. Landulphus verò Archiepiscopus Mediolani cum parte Nobilium Civitatem Mediolani ingreditur, ubi omnes dignitates Ecclesiæ Mediolanensis, quæ erant Cardinalium, & omnes dignitates Archipresbyteri, & Primicerii, & omnes dignitates Decumanorum, & Hospitalium abstulit, & per nefandam investituram civibus popularibus tradidit, & Nobilibus, & ipsos Capitaneos in Plebibus, aut Castris, aut in portis Civitatis instituit, unde dicti sunt Capitanei, quos nunc corrupto vocabulo Cattaneos vocamus. In Civitate itaque Mediolani per omnia suos pessimos actus explevit tanquam vir pestilens, ut totam Civitatem suo imperio subjugaret. Quia verò aliqui populares videntes istum Landulphum Becharium, licèt esset Archiepiscopus, dignitates dividere pro libitó, turbati, mortem ei inferre tanquam rustico vilissimo comminati sunt, qui sibi timens, dignitates Capitaneorum tam Portarum Civitatis Mediolani, quàm Comitatus condividere coactus est. Illi ergo qui à Capitaneis receperunt partes possessionum, dicti sunt Vasalli Capitaneorum; ex istis Vasallis aliqui magìs cordati possessionibus Capitaneorum renunciaverunt, & sic se liberæ conditionis reddiderunt, sed ne plebei viderentur, se dixerunt esse Motta scilicet ut Marcellini, illi de Nigris, Gambarini, Praëlones, & plures alii, & in processu temporis illi, qui non fuerunt Capitanei, nec Vasalli, nec de Motta, sed Artistæ, dicti sunt Credentia, sicut Carnifices, Furnarii, Caligarii, Sutores, Fabri, Lanistæ, Speciarii, Cæmentarii, & similes.

CAP. CXXXV.

De Arnulpho de Arsago Mediolanensi Archiepiscopo XLI.

Anno à Nativitate Domini . . . (a) imperante Ottone III. sedente Arnulpho de Arsago de Seprio Mediolanensi Archiepiscopo XLI. Civitate existente integra duo Consules regebant Civitatem Mediolani. Istis temporibus Nobiles de Mediolano nuper facti nobiles ad Plebes & Terras, in quibus erant facti Capitanei, & sua magna jura recipiebant, derelicta Civitate, in Castris & Villis habitare cœperunt, & quasi nihil haberent facere cum Civitate, soli Archiepiscopo Domino suo obediebant, & facti sunt in processu temporis quasi extranei, & Civitatem despiciebant, ex quo multùm Civitas debilitata fuit, & Archiepiscopus licèt esset in redditibus diminutus, & in Vassallis nobilitatus, quia ei quasi Deo obediebant, tamen multùm in potentia armorum est exaltatus. Isto tempore Otto Imperator hujus nominis III. hunc Arnulphum Archiepiscopum Mediolanensem in Constantinopolim misit, ut sibi Imperatoris Constantinopolitani filiam super omnes virgines speciosam in matrimonium copularet: Fueruntque cum Archiepiscopo Mediolani Duces duo, Prælati multi diversorum graduum, induti aureis, & sericis vestibus cum pellibus armellinis, aut zibilinis, vel dorsibus (b) variis vel martirinis. Hic Arnulphus dum Curiam Imperatoris Constantinopolitani intravit, equum suum Imperialem miræ pulchritudinis præparatum cingulis abrastis, ferreis aureis cum clavis argenteis ferratum super pannum pretiosissimum deauratum in publica platea collocavit. Ipse verò in Pontificalibus cum stola, quam portare solitus erat, universoque comitatu suo magnificè ornato ad Imperatorem ingreditur, & apertâ causâ sui adventus, Imperator filiam suam eidem tradidit conducendam usque ad Romanum Imperatorem. Tunc Imperator Constantinopolitanus Arnulphum Archiepiscopum Mediolanensem in cameram omnibus thesauris plenam introduxit, rogans eum, quatenus, quod sibi magis erat gratum, pro munere recipere dignaretur. Sed Arnulphus de Arsago Mediolani Archiepiscopus totus magnanimus anulum, quem in digito portabat, thesauro Imperiali addidit; Pro reliquiis autem serpentem æneum, quem Moyses in deserto erexerat, accepit, qui modò in Ecclesia S. Ambrosii erectus conspicitur. Attamen antequam illa puella ad Imperatorem Ottonem pervenisset, Otto moritur, & quia Imperium per electionem iret, ordinavit. Arnulphus verò Archiepiscopus Mediolani audita morte Imperatoris juxta Portum Barrianum, puellam in Constantinopolim patri suo remisit, ipse verò ad Civitatem Mediolanensem repedavit, & Monasterium S. Victoris ad Corpus in Ecclesia Portiana fundavit.

CAP. CXXXVI.

De discordia orta pro electione Imperatoris.

Anno à Nativitate Domini . . . (c) vacante Imperio Italiæ, sedente Arnulpho de Arsago in Seprio, orta est in Italia magna seditio de facto Imperatoris; Prælati namque, & Barones de Italia audientes, quòd Imperium deberet de cetero ire per electionem, dixerunt, quòd talis electio ad ipsos pertinebat ex antiquo privilegio Romanorum. Archiepiscopus Mediolanensis dicebat, hoc ad ipsum solum pertinere ex antiquo privilegio B. Gregorii Papæ, de quo supra dictum est. Theutonici verò dicebant, quòd ad ipsos pertinebat Imperatorem eligere ex novo privilegio nuper concesso: Qua de causa plures facti sunt Imperatores. In Civitate enim Hypporegiensi, scilicet Invreæ erat quidam nobilis Marchio, qui dictus est Arduinus. Hic apud Papiam Concilium aliquorum Primatum convocavit, ut de Imperatore sibi providerent, & electus est ipse Arduinus à majori parte Primatum, & in tantum prævaluit, quòd nomen Imperatoris obtinuit, & in Papia coronatus fuit. Arnulphus autem Archiepiscopus Mediolanensis vir ultra quàm credi posset cordatus, audiens quod factum erat in Papia, totum despexit, & apud Ronchalias aliud Concilium convocavit, in quo ostendit privilegium B. Gregorii Papæ, in quo conceditur Archiepiscopo Mediolani, quòd vacante Regno Italiæ infra 14. dies Episcopos omnes, qui erant sui suffraganei, convocaret ad Concilium, & eligeret aliquem in Comitem Italiæ, qui postea esset Imperator. Perlecto igitur Privilegio Arduinum non esse verum Imperatorem promulgavit,

(a) *MS. Ambr.* DCCCCXC.
(b) *MS. Ambr.* foderis.
(c) *MS. Ambr.* MII.

gavit, atque de Imperio deposuit, & postea de consensu suffraganeorum suorum elegit Imperatorem Henricum Claudum Ducem Bavariæ. Hic Henricus audita sua electione nimis gavisus congregato exercitu Theutonicorum permaximo in Italiam vênit, & intrans Civitatem Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii de manu Arnulphi Archiepiscopi amici sui Imperii coronam accepit. Ex quo turbatus Arduinus supradictus Papiam vênit, ubi congregato de tota Italia exercitu valido in Campum Fabricæ contra Henricum Imperatorem vênit, & commisso conflictu mirabili Arduinus prævaluit, & Henricus Imperator in Alemanniam fûgit, sicque Arduinus Imperium Italicum obtinuit. Interim magnanimus Arnulphus Archiepiscopus moritur, & Heribertus de Arsago ultra Abduam Archiepiscopus ordinatur.

CAP. CXXXVII.

De Heriberto Mediolani Archiepiscopo XLII.

ANno à Nativitate Domini . . . (a) imperante de facto Arduino in Italia, sedente Heriberto de Arsago Archiepiscopo, Civitate Mediolani integra existente, Heribertus Archiepiscopus dominabatur in temporalibus, & spiritualibus. Isto tempore Arduinus Imperii usurpator Civitatem Mediolani multis injuriis angariabat, unde Heribertus Archiepiscopus suscepto magnifico comitatu, personaliter in Alemanniam ivit ad Henricum Claudum, quem Arnulphus suus Prædecessor elegerat, rogans eum, quòd in Italiam intraret, qui congregato Theutonicorum exercitu fortissimo in Italiam vênit, cui Arduinus occurrit; bellum indicitur, in campo conveniunt acies utriusque partis pugnatur pluribus diebus. Magnanimus Heribertus bellorum pondera sustentabat, succurrunt Mediolanenses, finaliter Arduinus tyrannus superatur. Tunc Henricus Imperator ad Civitatem Papiensem, ubi erat tota virtus Arduini, gressus suos dirigens ipsam finaliter (b) superavit, quam igne, ferroque destruxit. Demum contra quatuor Marchiones Italiæ, qui Arduino semper favebant, arma paravit, & facto congressu omnes quatuor superavit, atque decapitavit, quorum nomina sunt hæc, Ugo, Azo, Adelbertus, & Obizo. Sic itaque peractis omnibus feliciter bellis, Romam ivit, ubi Imperii coronam ad majorem Imperii sui firmitatem recepit: moram autem protrahente in Roma, & Apulia Henrico Imperatore, Arduinus tyrannus iterum arma movet, & exiens de Hypporegia, idest Invrea, cum maximo exercitu Civitatem Vercellarum violenter obtinuit, Novariam obsedit, sed non superavit, Cumanam Civitatem turpiter invasit, Civitatem Mediolani multis plagis, multisque bellis fatigavit: Episcopum Astensem, quem instituerat, Romam misit, ut à Papa suam consecrationem acciperet, & sic de subjectione Archiepiscopi Mediolani liber existeret: Quod audiens magnanimus Heribertus Civitatem Astensem densissima obsidione vallavit, nec recessit, donec Episcopus Oldericus cum Codice, & Marchio Manfredus cum baculo nudis pedibus per trium milliaria longè ab Urbe Mediolani usque ad Ecclesiam S. Ambrosii pervenissent, ubi reatus, & excessus sui culpam, quòd ausi fuerant consecrationem recipere ab alio, quàm ab Archiepiscopo Mediolani lacrymis protestantes pro tali rebellione anulum, & baculum suscepti Pontificatus deposuerunt. Postea largiente Heriberto Archiepiscopo Mediolanensi receperunt. Tunc Marchio Manfredus super Altare B Ambrosii auri talenta quamplurima deposuit, unde producta fuit illa crux pulcherrima, quæ usque hodie præcipuis tantùm in diebus portatur. Demum Episcopus, & Marchio sicut nudis pedibus venerant, sic per mediam Civitatem usque ad Ecclesiam Majorem perrexerunt, postea domum suam redire permissi sunt. Inter hæc Arduinus videns se undique per Heribertum Archiepiscopum Mediolanensem perurgeri, resignatis regalibus in Monasterio Fructeriæ habitu paupere assumto, ibidem suo quievit in tempore. Tunc Heribertus Archiepiscopus Mediolanensis duos Comites Mediolani invadens, Hugonem scilicet & Berengarium debellavit, quorum bona & possessiones de licentia Imperatoris Henrici Ecclesiæ Mediolanensi confiscavit, tres portas Civitatis Cremonensis obtinuit, ad perpetuam rei memoriam unam portam, Portam Heriberti usque in præsentem diem appellavit, ubi parentes suos de Arsago, & de Doaria, quæ est juxta Arsagum habitare voluit, de quibus natus fuit magnus Bosius de Doaria cum tota sua Parentela. Item Monasterii S. Vincentii subjectionem, quod se exceptum dicebat, à Papa obtinuit, in cujus rei testimonium Papa Corpora SS. MM. Quirini, Nicomedis, & Abundii eidem Archiepiscopo Mediolanensi donavit, item prædictum Monasterium S. Vincentii flobotomavit, de cujus sanguine Sancti Dionysii Monasterium construxit, Ecclesiam Mediolanensem diu laceratam reintegravit, Ecclesiam S. Satyri consecravit die 18. Octobris. Per 20. annos, quibus fames valida hanc Urbem consumserat, singulis diebus octo modios fabarum, præter alia multa leguminа, pauperibus erogavit. In Calendis cujuslibet mensis pauperibus magnam summam pecuniæ donavit vestes propriis manibus pauperibus distribuit. Isto tempore Ecclesia S. Sepulchri per Ronzinum de Cortesella constituitur, isto etiam tempore Henricus Claudus Imperator cum sua conjuge in sancta virginitate ad Christum miraculis coruscando migraverunt. Tunc Papienses in ultionem suæ concrematæ urbis palatium Imperatoris, quod apud ipsos erat, destruxerunt. Magnanimus verò Heribertus audita morte sui Imperatoris Henrici quamplurimum contristatus est, sed statim apud Ronchaliam omnium Primatum Concilium convocavit, ut sibi Imperatorem eligerent; Quibus discordantibus Heribertus Archiepiscopus in Alamanniam vadit sibi de plenitudine potestatis Imperatorem electurus.

CAP. CXXXVIII.

De suprascripto Heriberto de Arsago Mediolanensi Archiepiscopo.

ANno Domini . . . (c) sub dominio Heriberti de Arsago ultra Abduam Archiepiscopi Mediolanensis, imperante Henrico Claudo, Civitate Mediolani existente integra, Dux Civitatis erat. Isto tempore in Comitatu erant duo magni Comites, scilicet Hugo & Berengarius, qui continuè Civitatem Mediolani igne, ferroque vastabant, Cremonensibus præstantibus auxilium & favorem; Ex quo turbatus magnanimus

(a) *MS. Ambr.* MXIII.
(b) *MS. Ambr.* facilimè.

(c) *MS. Ambr.* MXV.

nimus Heribertus Archiepiscopus, exercitum fortem congregavit, ipsos duos Comites in campo ei occurrentes bello durissimo commisso debellavit, omnia Castra, Terras, & alia bona eorum temporalia Imperator Henricus Archiepiscopo donavit, & Archiepiscopum Vicecomitem instituit, cui Comitatus illius curam commisit. Deinde hic Archiepiscopus fortissimus iterum arma paravit, & Cremonensem aggreditur urbem in ultionem, quia prædictis Comitibus dederat auxilium, & eam densissima obsidione vallavit. In Civitate Mediolani sub dominio Heriberti de Arsago ultra Abduam Archiepiscopi Mediolanensis, imperio vacante in Civitate Mediolani erat Dux. Isto tempore Heribertus Archiepiscopus audita morte Henrici Claudi Imperatoris amici sui intimi, secundùm privilegium Beati Gregorii Papæ, de quo supra dictum est, Concilium omnium Primatum apud Ronchaliam coëgit.

CAP. CXXXIX.

De Conrado, seu Cono Duce Gibellino in Imperatorem præfecto.

SEd dum Heribertus invenisset, quòd Alamanni sibi nuper præfecissent in Imperatorem Conradum, seu Conon Ducem Gibellinum, ipsum laudavit, ac in oculis omnium super Italiam coronavit, unde versus:

Dux erat ex villa, quam ritè vocant Gibelina,
Inclyta progenies regum generatur ab illa.

Tunc Imperator Conradus Heriberto Archiepiscopo Mediolanensi præter alia munera pretiosa, contulit eidem, quòd sicuti ad Archiepiscopum Mediolanensem pertinebat consecratio Episcopi Laudensis, ita ad ipsum pertineret investire per anulum & baculum, quod erat jus Imperatoris. Contigit autem, quòd mortuo Episcopo Laudensi Heribertus Archiepiscopus Mediolanensis Ambrosium Ecclesiæ Mediolanensis Cardinalem primùm per baculum, & anulum in Ecclesia Laudensi investivit, ac consecratum ad Civitatem Laudensem manu armata perduxit, cui Laudenses portas clauserunt; at Archiepiscopus Civitatem obsedit in tantum, quòd Laudenses super portas propriæ urbis fidelitatis pacta conscripserunt, ac Episcopus sibi datum receperunt. Post hæc Heribertus Archiepiscopus ad Civitatem Mediol. cum triumpho maximo revertitur, qui nimis dominator existens ad nihilum deducebat omnes gentes, unde Valvassores eidem insidiari cœperunt, quo audito Archiepiscopus Heribertus ipsos extra Civitatem ejecit, & omnibus feudis, & nobilitatibus privavit, quibus adjuncti sunt Marchiani, & Seprienses, & præcipuè Laudenses receptæ injuriæ non immemores. Tunc Heribertus Oldericum Episcopum Astensem supradictum advocavit in suum auxilium, & exiens Civitatem Mediolanensem ad campum, qui dicitur malus exivit, ubi commissâ pugnâ contra Valvassores Episcopus Astensis occubuit, & pro utraque parte lacrymabilis pugna commissa fuit: Videns autem Archiepiscopus Heribertus suæ Civitatis excidium, & quòd magna pars nobilium extra Civitatem ivisset, cogitavit ex Alamannia suum advocare Imperatorem Conradum: quod & factum fuit: Nam Conradus per Veronam transiens ad Civitatem Mediolani pervênit, ubi Coronam Imperii Italici iterum suscepit, & vadens Modoëtiam iterum coronari voluit: quod cùm sibi diceretur, non oportere, respondit, *modò*

A *etiam bene*, & sic iterum in Modoëtia accepit. Iterum Mediolanum Imperator Conradus Gibelinus intravit, & vadens in Ronchaliis Concilium convocavit pro Imperii sui stabilimento Leges condidit, pacem Orbi sub pœna capitis indixit: Sed Comes Lupoldus Primus legem, pacemque violans, heremum incoluit, ubi & filium genuit, qui postea divino nutu Gener Imperatoris fuit. Tandem Imperator Conradus Romam vadit, ubi per Summum Pontificem in Festo Paschatis coronari debuit; sed Heribertus Archiepiscopus Ravennas Imperatorem apprehensâ ejus dexterâ, Papæ præsentare voluit; ex quo dedignatus Heribertus Archiepiscopus Mediolanensis nolens tumultum facere in populo,
B de loco coronationis recessit, ex quo rumor magnus insonuit, quod videns Imperator clementissimè peroravit, dicens: *Certum est, o Reverendi Patres, quòd sicut privilegium est Apostolicæ Sedis consecratio Imperialis, ita & Ambrosianæ Sedis privilegium est electio, & consecratio regalis, unde firmum videtur, quòd manus Archiepiscopi Mediolanensis, qui benedicit, & priùs coronam Italici Regni imponit, si præsens in Roma fuerit, repræsentet S. Petro, ejusque Vicario Regem ad Imperium promovendum, quatenus Ambrosiano Testamento jure possit imperare, qui Ambrosiana consecratione didicit, & cœpit regnare*; sicque Archiepiscopus Mediolanensis vocitatur, sed quia turbatus
C recesserat, ordinavit Papa, quòd Ardericus Episcopus Vercellensis Imperatorem sibi præsentaret, ut sicut Pater in filio, ita & Metropolitanus in suo reluceret Suffraganeo. Ipso die familia Archiepiscopi Mediolanensis in familiam Archiepiscopi Ravennatis prosilivit, ac diris vulneribus impositis, Archiepiscopus Ravennas cum suis Ravennatibus turpiter de Curia aufûgit, quod Papæ, & Imperatori non parum displicuit: Et post aliquot dies in Synodo ordinatur sub pœna Canonis, quatenus Archiepiscopus Ravennas Archiepiscopo Mediolanensi in æternum se præponere non auderet: super quo præcepto Papa conscribi mandavit.

D

CAP. CXL.

De captione Heriberti de Arsago Mediolanensis Archiepiscopi, & de ejus evasione.

SEd Heribertus Archiepiscopus ad suam Sedem revertitur; & Imperator Concilium secundò in Ronchaliis convocavit, ubi Eusebius Episcopus Papiensis cum Cruce advênit, quem intuitus Archiepiscopus Heribertus in magno spiritu ipsum reprehendit, erubuitque Eusebius, & suam Crucem ad pedes Archiepiscopi Mediolanensis deposuit, quæ secundùm Datium plurimùm Christalli in se continens, in S. Mariæ Secretario apud Ecclesiam majorem consecratur
E ad perpetuam rei memoriam. Postea Imperator Conradus Gibelinus cum Heriberto Mediolanum vênit, ubi prima die cum maximo gaudio receptus, sequenti die insonuit, quòd ipse Imperator Archiepiscopum defraudaverat super novo privilegio dato de facto investituræ Episcopi Laudensis, ex quo factus est tumultus maximus in populo, quod Imperator audiens, & timens, dolosèque dissimulans, apud Papiam audientiam pauperum, & viduarum statuit, Archiepiscopumque Heribertum citavit ad vocem cujusdam de Curte Leuci. Veniens autem Heribertus Archiepiscopus Papiam illi rustico respondere contemsit, unde Imperator acceptâ causâ ipsum Ar-

Archiepiscopum tenuit in ultionem rumoris Po-
A puli Mediolanensis ac captum apud Placentiam custodiendum per Theutonicos tradidit. Similiter Episcopos Cremonensem, Vercellensem, Placentinum diversis custodiis mancipavit; quo audito Clerus Mediolanensis suspirat, matronæ clamoribus aërem scindunt, cęnas filiorum recipiunt pauperes, Moniales cilicio tegunt caput, Litaniæ permaximæ celebrantur, universa Civitas nudis pedibus incedit, jejuniis vacat, ululatus permaximos fundit, ut Beatum Ambrosium pro liberatione sui successoris inclinarent; militia verò, ac ceteri gigantei populi Civitatis Mediolani contra Imperatorem arma parant; Archiepiscopus verò Heribertus apud Placen-
B tiam sub papilione curialiter custodiebatur, qui sacramentum dedit, quòd non recederet; quod audiens Abbatissa Beati Systi, quam Heribertus antea consecraverat, cognoscens Theutonicos ad vina inhiare, ordinavit cum familia Archiepiscopi Theutonicos inebriare, unde statim misit Archiepiscopo 20. onera carnium, & decem currus diversorum vinorum, fructus multiplices, & præcipuè nucleares: Cœna paratur permaxima, comedunt Theutonici, vinum in copia funditur, familia Archiepiscopi abstinent; Archiepiscopus contra suum sacramentum facere nolens, lectum suum conscendit nescius; Post cœnam dantur Theutonicis nuces, vina diversa interponuntur, & usque ad quartum Galli cantum
C ebrietas sinè intermissione continuatur (a). Tunc familia Archiepiscopi ipsum de lecto accipiens super equum posuit, venientesque super ripam Padi super navim sanum cum omni thesauro suo usque ad Civitatem Mediolani perduxit, & gavisus est Populus Mediolanensis gaudio magno valde.

CAP. CXLI.

Qualiter Ottho Vicecomes acquisivit Sarracenum portantem in armis suis viperam tortuosam (b).

ANno Domini 1096. sub dominio Heriberti
D de Arsago ultra Abduam Mediolanensis Archiepiscopi, imperante Conrado Gibelino Imperatore, regnante Duce &c., Urbanus II. Pontifex Concilio convocato apud Claramontem, Passagium ultramarinum promulgavit, & ex Civitate Mediolani mirabilis exercitus ultra mare ivit, inter quos fuerunt aliqui insigniores viri; unus dictus est Ottho Vicecomes Archiepiscopatus Sancti Ambrosii, & Ardicus Tondensis nobilis Decurio (c) Capitaneus Mediolani Civis nobilis, & Benedictus, qui dictus est Rozinus de Cortesella vir origine clarus, & quidam alius nomine Petrus de Salvaticis. Isti cùm pervenissent ultra mare, multis confectis prœliis Civitatem Sanctam sunt aggressi, & finaliter
E Joannes Rhodensis supradictus, & Petrus de Selvaticis Cives Mediolanenses primò sunt ingressi Civitatem Sanctam anno 1099. die 15. Julii, & anno Domini 1100. supradictus Rozinus ad Civitatem Mediolani reversus Ecclesiam Sancti Sepulcri construxit. In isto passagio Ottho Vicecomes Archiepiscopatus S. Ambrosii vir fortissimus in suo Clypeo militari septem serta parva depicta deferebat, quia 7. militum scuta uno ictu ad terram prosternere solitus erat. Hic ultra mare existens cum quodam milite Sarraceno gigante duellum commisit, qui in armis suis, & scuto, & galea viperam tortuosam hominem devorantem portabat: Hunc Sarracenum Ottho Vicecomes de equo dejecit, ejus arma abstulit, & à tam præclaro triumpho datum est ei hoc privilegium, quòd exercitus Mediolanensis numquam castra figebat, nisi priùs hoc vexillum in aliqua arbore fixum videatur, quo privilegio tota parentela Vicecomitum feliciter usa est usque in præsentem diem.

CAP. CXLII.

De Conrado Gibelino Imperatore.

ANno Domini 1000. (d) sub dominio Heriberti de Arsago ultra Abduam Archiepiscopi, Imperante Conrado Gibelino, regnante Duce . . . . . . Imperator Conradus, qui quondam fuerat Heriberti Archiepiscopi amicissimus, nunc verò hostis mortiferus Civitatem Mediolani obsidere voluit, ut Heribertum de Archiepiscopatu deponeret, & vita privaret.

CAP. CXLIII.

Qualiter Imperator Gibelinus Conradus obsedit Mediolanum.

ITaque Conradus Imperator audita evasione Heriberti Archiepiscopi contristatus est valde, & congregato exercitu permaximo quatuor Regum, & Baronum, & Prælatorum ad flumen Vitabiam non longè ab urbe Mediolanensi castrametatus est: Landrianum cepit, & super 6. portas Civitatis Mediolani sex exercitus ordinavit, ex quo Civitas perterrita est, verumtamen sex portæ Civitatis Mediolani optimè custodiuntur, sex domicilia Imperialia alta, & rotunda super ipsas portas erecta cum totidem anteportis, seu portalibus triangularibus egregiè muniuntur, 310. turres altissimæ super Civitatis murum constructæ custodiis traduntur arcus triumphalis papilione supposito electi tyronibus communitur, & statim ex utraque parte acies ordinantur; in prima acie urbis Mediolanensis ordinavit Archiepiscopus Heribertus juvenes, qui erant omnes in armis doctissimi equis volantes, hi telis præludunt, Cæsaris insultant agminibus, gyrant hostium castra, feriunt quosque sibi approximantes, gladio cædunt. In secunda acie Archiepiscopus Heribertus ordinavit populum, ex quo nullus sinè consilio terminum prosiliebat. Armis fulgebat terra, uncinis ferreis attrahitur hostis, ensis exigitur; vibratur lancea, jugulatur inimicus, & ubicumque bellum Theutonicorum invalescebat, ex arcu triumphali signo dato multa turba subveniebat. Interim Banerius miles superbissimus Imperatoris Conradi nepos juravit, quòd antequam cibum sumeret portas Civitatis Mediolani transfigeret, quod cùm facere attentaret, ecce Eriprandus nobilis Vicecomes miles millenarius regaliter natus amore propriæ patriæ mortem subire non dubitans viriliter occurrit Banerio, in quo conflictu lanceis primò fractis ac scutis perstrepentibus, ensibus postèa se percusserunt, qui-

(a) *MS. Ambr. addit*: unde Theutonici velut mortui dormire cœperunt. Tunc &c.
(b) *MS. Ambr. addit*: devorantem hominem.
(c) *MS. Ambr.* Capitaneus Archiepiscopatus Sancti Ambrosii, & Johannes de Nigris, qui & est dictus Rodensis Capitaneus Mediolanensis Civis &c.
(d) *MS. Ambr.* MXXXVII.

quibus lacessitis per nasale capsidis Eriprandus Vicecomes tenuit Banerium atque decapitavit, quem evisceratum in facie Imperatoris in arcu triumphali suspendit. Similiter in hoc conflictu Guido Italiæ Comes Imperatoris signifer occubuit; sed Heribertus Archiepiscopus 100. audacissimos milites occultè de Civitate emisit, qui sinistra pariter, & dextera pugnantes, Theutonicos quasi feras trucidabant. Nec mirum, si Civitas Mediolanensis gigantes hactenus genuit, quia numquam ibi vir, nisi 30. annorum uxorem annorum totidem duxit, unde integri viri illo tempore vigebant, qui totum Mundum prosternebant. Post 15. dies videns Conradus Imperator, quòd nihil proficeret, imò deficeret, Civitatis suburbia combussit, Heribertum Archiepiscopatu, pro ut potuit, privavit, & Ambrosium Ecclesiæ Mediolanensis Cardinalem Archiepiscopi Heriberti æmulum Mediolanensem Archiepiscopum fecit, in cujus ordinatione Bruno Archiepiscopus Coloniensis secus urbem in parva Ecclesia secundùm Vincentium celebravit. Hic Bruno cum duobus aliis Secretariis Imperatoris visibiliter vidit B. Ambrosium gladium vibrantem terribiliter Imperatori minantem, & statim super illam Ecclesiam tonitrua, & fulgura descendere cœperunt, qualia nulla meminit ætas, unde Bertrandus Imperatoris Secretarius in amentiam versus est, secundùm Arnulphum. Sequenti verò die Imperator tam turpiter fugit, quòd Hugo Comes Transpadanus ungulis equorum se comprimentium attritus est. Veniens autem Imperator Corbettam ibidem magna pars suorum Baronum tonitruo corruit; similiter & nurus ejus, quam balsamo perunctam in Alamaniam transmisit. Ipse verò Imperator cum suo Ambrosio Antiarchiepiscopo in Papiam se recepit, ubi congregato Concilio omnibus Primatibus Italiæ mandavit, ut sub Ambrosio Archiepiscopo Mediolanensi singulis annis militarent super subjectione Heriberti Archiepiscopi Mediolanensis, quem depositum esse pronunciavit. His auditis Heribertus Archiepiscopus Mediolanensis tanquam vir magni cordis, ipsius Imperatoris verba despexit, & ait: *Ego feci istum Conradum Gibelinum Imperatorem, & tantum beneficium malè cognovit, quia in Placentia me captum detinuit, & nunc, ut potuit, mea me dignitate privavit. Firmissimè ergo sciat, quòd sicut eum feci Imperatorem, ita ipsum Imperio privabo*; Et assumto Comitatu magnifico in Alemanniam ivit ad Oldonem Franconiæ Ducem, atque ei Regnum Italiæ promisit, quod Regnum Oldo libenter recipiens, patrimonium Conradi Imperatoris in Alemannia primò infestavit, ac Gottofredum Imperii Vicarium, & Ducem decapitavit, & caput Imperatori Conrado usque Papiam transmisit: Unde Imperator necessitate compulsus in Alemanniam rediit, Oldonem Ducem Franconiæ durissimè impugnavit, sicque Heriberti cautelis de Italia recedere coactus est. Sed magnanimus Heribertus in Italiam rediens, reintegratis viribus contra Ambrosium Antiarchiepiscopum omnesque fautores Imperatoris bellum ordinavit, Carrocerum quoque excogitavit. Est autem Carrocerum currus quidam admirabilis per circuitum à summo usque deorsum scarleto vestitus, in cujus medio est arbor procera quasi contingens cœlum, quam quatuor viri portare non possunt, quæ à frequentia virorum erecta tenetur funibus hinc inde pertractis. In summitate arboris est Crux aurea splendens nimio fulgore, sub Cruce est vexillum album Cruce rubea insertum. Hunc currum 4. juga bovum trahunt, qui serico albo cum faleris, cum rubea Cruce per medium sunt cooperti. Magister ducens Carrocerum est vir honorabilis, quem Civitas ense, lorica, ac continuis stipendiis dotare tenetur: insuper Civitas providere tenetur de Capellano, qui juxta Carrocerum semper Missam celebret, & vulneratis det pœnitentiam. Hic etiam magno stipendio per Communitatem dotari debet: sunt insuper octo Communitatis Tybicines cum totidem militaribus destrariis, quibus Communitas providet de duobus tentoriis, & salario militibus consueto; Instante ergo tanto apparatu, cùm Archiepiscopus Heribertus suos hostes per totam Italiam perquirere disponeret, ecce de morte Conradi Gibelini nova audita sunt. Tunc per totam Italiam summa pax efficitur, & Henricus filius antedicti Conradi Gibelini in Imperatorem eligitur.

CAP. CXLIV.

De electione, & coronatione Henrici Gibelini Imperatoris filii quondam antedicti Conradi.

ANno Domini 1000. (*) sub dominio Heriberti de Arsago ultra Abduam Archiepiscopi Mediolanensis vacante Imperio, regente Civitatem Mediolani Duce, ad procurationem Heriberti Archiepiscopi Mediolanensis summa pax per totam Italiam facta est. Interim in Alemannia Henricus Gibelinus dictus Henricus Barba-nigra Imperatoris Conradi Gibelini filius factus est Imperator per Barones Alemanniæ. Hic in nullo paternam est imitatus pravitatem, unde statim misit in Italiam Legatos ad Heribertum Archiepiscopum rogans eum, ut secum pacificè viveret, & coronam ei in Ecclesia S. Ambrosii daret, quod Archiepiscopus facere promisit. Unde hic Henricus Mediolanum vênit, & ab Archiepiscopo Imperii coronam accepit. Erat tunc mirabilis pax in Civitate Mediolani. Sed ecce Capitanei Portarum sex Civitatis Mediolani, qui erant Vassalli Archiepiscopi, cogitaverunt omnino dominium Ducum quod à tempore B. Ambrosii usque ad ista tempora duraverat ferè annis 900. annullare: Unde Capitaneus unius Portæ usurpavit jus stateræ, alter Capitaneus jus furni, alter Capitaneus aliam dignitatem, sicque dominium Ducum ferè annullatum fuit. Quia verò inter alias dignitates Ducibus debitas, hæc inter alias erat, quòd si aliquis sinè hærede decederet, Dux erat heres, Capitanei verò (**) singuli singulis à popularibus hoc exigebant, ex hoc populares conturbantur, arma capiunt, viriliter resistunt contra Capitaneos. Quo viso ipsi Capitanei aliquos elegerunt de popularibus, quibus suas dignitates condiviserunt, & eos Vassallos nominaverunt, quorum multitudine sibi denuo adjuncta Capitanei roborati sunt nimis, & sic securiùs suas honorificentias à populo expetere ausi sunt. Videns autem Populus Nobilium impetum non posse sustinere, cogitavit divisionem ponere inter Nobiles.

CAP.

(*) *MS. Ambr.* MXXXIX.

(**) *MS. Ambr. addit* in suis portis.

CAP. CXLV.

De discordia inter Nobiles, & Populares Mediolani.

ANno Domini 1000. (*) sub dominio Heriberti de Arsago ultra Abduam Archiepiscopi Mediolani, imperante Henrico Barbanigra Gibelino, in Civitate Mediolani continuè jurgia fiebant, quia indifferenter popularis cædebatur à Nobili, capiebatur, aut diversis tributis angariabatur, atroces pugnæ committebantur, nunc hìc cadebat Nobilis, nunc popularis. Tunc populares diligenti consilio habito, & Nobilibus nobiliorem in suum Capitaneum & Ducem præfecerunt, qui dictus est Lanzo de Curte vir nobilis, & altus Capitaneus, animo acer, ingenio providus, magni consilii discretione præclarus. Hic accepta super populares dominatione, relicta parte Nobilium, populo totis viribus adhæsit, partem Nobilium persequi non cessavit, & plus quàm pater popularibus fuit. Huic adjunctus fuit quidam Vassallus Albertus nomine, vir nobilis valde qui etiam contra Nobilium partem se erexit; Nobiles iterum jura Ducibus quondam concessa repetunt, contradicit Lanzo de Curte, continuè rixantur Cives. Heribertus Archiepiscopus pacem ponere procurabat, sed nihil profuit, quia Lanzo de Curte cum populo arma clamitans, domos Nobilium & palatia invasit, igne, & ferro, sagittisque eos fatigavit in tantum, quòd omnes Nobiles de Civitate expulit. Videns autem Heribertus Archiepiscopus suæ Civitatis destructionem, dolore cordis tactus intrinsecus, propria voluntate ad Burgum de Modoëtia se transtulit; ipse enim contra Nobiles se noluit opponere, quia de Nobilibus Capitaneis de Arsago ultra Abduam natus erat: nec contra populares voluit pugnare, quia popularium & civium semper pater & pastor extiterat, sed semper loquebatur quæ pacis erant. Pars autem Vassallorum & Capitaneorum ex opposito sex Portarum Civitatis sex fortissima oppida erexerunt, & per tres continuos annos terram obsederunt, nec transivit dies sinè sanguine. Quibus adjuncti sunt Martexani, & Seprienses, secundùm Arnulphum. Populus autem in Civitate obsessus persistebat, & sic Civitas fame, ferroque ferè destruitur in tantum, quòd vino, & pane carebant, nisi quantum intra Civitatis ambitum seminare poterant, aut vineas colere. Nobilium palatia in agros versa sunt, carnes aut pisces non habebantur, nisi in quantum pro redemtione Nobilium, quos continuè capiebant, tradebantur. Nam si intus Civitatem vidisses turribus, atque palatiis desertis jam minantibus ruinam, potiùs dixisses Babyloniam desertam, quàm Mediolanum Imperatorum quondam sedem nobilium. Homines erant macilenti & nigri, prœlio leves, furentes in armis, animo feroces, mori, aut occidere minimè recusantes. Civitas autem in tantum erat fortis, quòd per naturam se defendebat. Super sex Imperialia palatia, quæ erant super sex portas Civitatis erant machinæ, atque tormenta diversa: anteportalia triangularia erant munita fortissimè; super 310. turres, quæ erant in circuitu muri erant singulæ custodiæ, qualibet die Nobiles terram invadebant, & omni die populus exibat; nunc istos, nunc illos gladius consumebat. Stante sic obsi-

(*) *MS. Ambr.* MXL.

A dione per annos tres continuos Lanzo de Curte supradictus, vir ingenio providus, strenuus, fortis, pervigil, cum Alberto socio suo, cum auro, & argento ad Henricum Barbanigram Imperatorem in Alemanniam convolavit, vocans ipsum quatenus Civitatem Mediolani, quam diu desideraverat obtinere, ingrederetur. Cui Imperator ait: *Si ad Sancta Dei Evangelia mihi juraveris XIV. millia militum Theutonicorum in Civitate Mediolani intromittere, ac mihi per plateas fidelitatem ab omni Populo jurare sub pœna nostri Sacri Imperii, tibi promitto omnes Capitaneos, & Vassallos in manus tuas tradere, faciamque pacem omnibus amicis tuis, & inimicos tuos meus conteret gladius.* Jurat Lanzo,

B & Mediolanum revertitur, & intrans domum suam quasi Regiam, ab amicis, & servis, & Populo summo cum honore recipitur; & nuncians Populo quæ sibi Imperator promiserat, summum intulit solatium Civitati. Interim Lanzo, pro ut erat vir nobilis, animo acer, ingenio astutus, magni consilii, discretione præclarus, intra se cogitare cœpit: Theutonici sunt gens sinè consilio, & prudentia; si intrant Civitatem Mediolani, uxores nostras facient suas, filii nostri servi sui erunt. Quomodo possem jugum tantæ militiæ excutere? Quid mihi, si Nobilitas, cùm sit pars præclarior, trucidetur? His renunciatis, exivit ad partem Nobilium, Capitaneorum, & Vassallorum, quibus narravit mi-

C nas Imperatoris. Et pacta primò narrantur, quantumque damnum inesse poterat Civitati Mediolani, si Theutonici dominium accipient. Et post longa verba subjunxit: *Antequam Theutonici veniant, quilibet sanus, & lætus suam ingrediatur Civitatem; de damnis illatis video esse tacendum.* Quibus auditis summa pax efficitur, & quilibet Capitaneus, & Vassallus propriam domum intravit. Sed Nobiles petunt, quòd Lanzo, qui Populum semper protexerat, per Populum die uno traderetur eis puniendus. Consensit Populus, & Lanzo capitur, & in Turri quadam includitur, quæ nunc dicitur Turris illorum de Murigiis, & cum tecti tegula stercoribus plena humanis guttur ejus impletur. Et

D dictum est ei: *Cum stercore in Populo conjunctus fuisti, cum stercore cœnabis*; sicque exbannitur. Revertitur autem magnanimus Heribertus Archiepiscopus, qui fuit in Italia tantæ reputationis, quòd non erat Dux, sive Marchio, qui voluisset alium injustè opprimere, si virga pastoralis Archiepiscopi Heriberti illuc portata figeretur in loco. Unde quæstio non oriebatur, quin imò cessabat, donec quæstio legaliter discussa fuisset. Qui cùm sedisset in Ecclesia Mediolanensi ferè annis XXXIV., appropinquans morti, prædia multa, & Castella donavit Primicerio, & Cardinalibus, & Confessione publicè facta, Eucharistiâ quoque devotè susceptâ,

E ploranti Clero ait: *Nolite contristari, quia ad pedes B. Ambrosii patris mei ascendo.* Quo dicto spiritum emisit XVII. die Februarii, & in Monasterio S. Dionysii, quod ipse construxerat, sepelitur. Cujus corpus post decem menses integrum cum summo vigore ferulam dextera portantem, oculis apertis, secundùm Datium, videntibus universis, repertum fuit, cujus sepulchrum à quatuor partibus ferro, & plumbo sigillatum est.

CAP.

CAP. CXLVI.

De Guidone de Vellate Archiepiscopo Mediolanensi per Imperatorem facto.

MOrtuo Heriberto de Arsago Archiepiscopo Mediolanensi, Clerus, & Populus Mediolanensis quatuor Cardinales Ecclesiæ Mediolanensis elegerunt, quos ad Imperatorem direxerunt, quatenus unum ex illis eis in Archiepiscopum confirmaret. Attamen Henricus Barbanigra Imperator Guidonem de Vellate qui multa secreta Urbis Mediolanensis denudaverat, Archiepiscopum XLIII. Mediolanensem fecit, quem Clerus, & Populus invitissimè recepit, maximè quia de numero illorum quatuor non fuerat. Hic optimè circa Clerum se habuit; sed juxta altare, dum celebraret, solus per suum Clerum relinquitur; ac finaliter ante Leonis Papæ præsentiam per Clerum citatur, ubi optimè se excusans, cum triumpho Clerum suum superavit.

CAP. CXLVII.

De Lanzone de Curte, & tota parentela ejus, qui fuerunt exbanniti in æternum, & de statuto quòd si aliquis Nobilis occidebat aliquem Popularem, solvebat VII. libras tertiolorum, & XII. denarios, & sic immunis erat ab omni pœna.

ANno Domini 1000. (a) vacante omni Dominio, vacante similiter omni Sede Archiepiscopali, exulante Lanzone de Curte ad Civitatem Pergami, pars Populi ad nihilum redacta est. Tunc Capitanei sex portarum Anno Domini MLXXXVI. (b) cum suis Vassallis Dominium Civitatis usurpaverunt, & congregantes universos amicos in Palatio Communitatis, duo statuta fecerunt in odium Populi. Primum statutum fuit istud, quòd Lanzo de Curte Miles proscriptus cum tota parentela illorum de Curte numquam habitare posset in Civitate Mediolani, nec in Comitatu, nec possessiones habere in æternum. Secundum statutum fuit istud, quòd si aliquis Nobilis interficeret aliquem Popularem, solveret VII. libras tertiolorum, & XII. denarios. Quos cùm solvisset, ab omni culpa, & offensa liber esset. Propter quod innumerabiles de Populo infra paucos dies trucidati sunt. Hac de causa Populares iterum alium Capitaneum elegerunt quemdam virum ex numero Nobilium, qui dictus est Herlembaldus Cotta. Hic fuit vir genere clarus, nimis in armis strenuus, corpore gracilis, leonino pectore fervens. Ejus domus fuit quasi domus Regalis ex opposito Ecclesiæ S. Victoris XL. Martyrum.

CAP. CXLVIII.

De Guidone de Vellate Archiepiscopo Mediolanensi.

ANno Domini 1000. (c) imperante Henrico Gibelino, vacante Sede Archiepiscopali, Capitaneo existente Herlembaldo Cotta, contradicente ei parte Nobilium, ipse Herlembaldus contra partem Nobilium prævaluit, unde ad libitum suum quatuor eligi fecit, ut ex illis unus in Archiepiscopum confirmaretur. Primus fuit Landulphus Cotta, qui erat suus frater carnalis, & sacri Palatii Notarius. Secundus fuit Anselmus de Badagio Cardinalis Ecclesiæ Mediolanensis. Tertius fuit quidam dictus Acho & ipse Cardinalis. Quartus dictus fuit Arialdus Canonicæ Decumanorum Diaconus. Hi cùm præsentati fuissent Imperatori, omnes respuit. Tunc pars Nobilium alium præsentavit, scilicet Guidonem de Vellate, qui erat Ecclesiæ Mediolanensis Cardinalis. Hunc acceptavit Imperator, quia secreta negotia Urbis Mediolani denudare consueverat, & propter hoc Imperatori gratus fuit. Hunc Populares invitè receperunt, tum quia non erat de numero illorum quatuor, qui ritè fuerant electi, tum quia in favorem Nobilium dari jussus est. Unde cùm primam Missam in Pontificalibus in Ecclesia Majori celebraret, ab universo Clero, & Populo juxta altare solus relinquitur, & tamquam Simoniacus ante Leonis Papæ præsentiam citatur. Qui comparuit, & facta defensione sua excusatur per sententiam Papæ, & quòd esset verus Archiepiscopus declaratur. Redit Guido ad suam Sedem cum gloria magna, qui optimè circa Clerum se habuit, partem Nobilium fovit, Herlembaldum Capitaneum Populi nullo modo odio habuit.

CAP. CXLIX.

De pugna Mediolanensium contra Papienses.

ANno Domini 1000. (d) imperante Henrico Gibelino, sedente Guidone de Vellate Archiepiscopo, existente Capitaneo populi Herlembaldo Cotta, Guido Archiepiscopus, qui multas pressuras ab Herlembaldo, & Populo sustinebat, misit in Alemanniam ad Henricum Gibelinum Imperatorem, ut Italiam intraret, & Civitatis Mediolani dominium obtineret. Qui omni mora postposita vênit, & in Ecclesia Sancti Ambrosii extra Civitatem coronari voluit secunda vice. Et vadens Papiam Concilium congregavit, in quo multos Barones captivavit, & specialiter Adhelbertum Marchionem, & pergens Placentiam versùs Romam pro Corona Imperii properabat, quam numquam propter suam insaniam obtinuit. Hic quemdam Mediolanensem Civitati Papiensi Episcopum dedit, quem Papienses repudiaverunt: propter quod turbatus Imperator Mediolanensibus præcepit, ut ad destructionem Civitatis Papiensis properarent. Quod cùm facere Mediolanenses vellent, Cives Papiæ cum tota militia sua occurrerunt eis in Campo, qui dicitur Campus Mortuorum, ubi prostrati sunt Papienses, & innumerabiles interfecti. Tunc Mediolanenses ad Civitatem Papiensem equitaverunt, & violenter ingressi, Episcopum, quem eis Imperator dederat, recipere ipsis invitis coëgerunt Anno Domini MLXI. Isto tempore erat quædam Civitas inter Trivilium, & Cremam, quæ dicta fuit Perasus, cujus Cives cum Papiensibus contra Mediolanum pugnaverunt: propter quod Mediolanenses cum exercitu forti ipsam obsidentes destruxerunt.

CAP.

(a) *MS. Ambr.* MLVII.
(b) *MS. Ambr.* M...
(c) *MS. Ambr.* MLXVIII.
(d) *MS. Ambr.* MLXXV.

CAP. CL.

De discordia Archiepiscopi, & Capitanei.

ANno Domini 1000. (a) imperante Henrico Gibelino, sedente Guidone de Vellate Archiepiscopo Mediolanensi, Capitaneo Populi existente Herlembaldo Cotta, in Ecclesia Romana Imperator deponebat Papam, & Papa deponebat Imperatorem, magis ex utriusque libitu, quàm ex justitiæ respectu. Eodem modo & in Ecclesia Mediolanensi quædam maxima turbatio exorta est. Eo namque tempore Sacerdotes uxores habebant, & alii Clerici, & omnes, quos Guido de Vellate Archiepiscopus defendebat, & universaliter omnes Nobiles de Mediolano ex una parte. Ex alia parte Herlembaldus Capitaneus Populi, favente universo Populo, dicebat quòd non liceret Sacerdotibus matrimonia contrahere, & nuptias celebrare, quia hoc magìs est officium Seculare, quàm Sacerdotale. Huic parti favebat Anselmus de Badagio Ecclesiæ Mediolanensis Cardinalis, & Arialdus Canonicæ Decumanorum Diaconus, & plures alii Sacerdotes, & Clerici, quibus displicebat, quòd Sacerdotes ducerent uxores. Et ista pars Herlembaldi Cottæ Capitanei Populi Mediolani in tantum prævaluit, quòd senes, & pueri post Sacerdotes uxoratos clamabant dicentes, quòd essent Patarini, nec inveniebatur ferè aliquis, qui vellet audire eorum Missas, nec apud eorum Ecclesias sepeliri. His visis Guido de Vellate Archiepiscopus volens de Civitate Mediolani scandala extirpare, apud Fontanetum Concilium convocavit omnium suorum Suffraganeorum, in quo declaravit, quòd Sacerdotes licitè uxores habere poterant; insuper majori excommunicatione innodavit Arialdum Decumanæ Canonicæ Diaconem, & Landulphum Cottam Sacri Palatii Notarium Herlembaldi fratrem. Contra sententiam Guidonis isti duo ad Sedem Apostolicam appellaverunt, & euntes Romam tres Legatos impetraverunt, scilicet Petrum Cardinalem Episcopum Hostiensem, & Hildeprandum Diaconem Cardinalem, & Anselmum de Badagio supradictum, qui nuper per Imperatorem factus fuerat Episcopus Lucanus. Hi tres Legati ad Civitatem Mediolani pervenerunt, & auditis accusationibus utriusque partis Guidonem Archiepiscopum Simoniacum declaraverunt, & Sacerdotes uxoratos condemnaverunt. Quo audito Guido Archiepiscopus ad Papam appellavit, & assumtis secum tribus Episcopis Suffraganeis suis, scilicet Novariense, Astense, & Taurinense, cum multis aliis Abbatibus, & Prælatis, Romam properavit. Ubi diligenter se excusans, & statum Sacerdotum uxoratorum defendens, cum gratia Papæ domum remeavit, quem uxorati Sacerdotes cum magno gaudio receperunt. Hic videns se in omnibus prosperè agere contra Populum multa voluit attentare. Ex quo turbatus Herlembaldus Populi Capitaneus ipsum Guidonem Archiepiscopum in Palatio Communitatis per barbam arripuit, & circumducens huc atque illuc, vestes ei turpiter dilaniavit, & ait: *Si usque ad tres dies de Civitate Mediolani, & Comitatu non recesseris, tibi caput faciam amputari.* Videns autem Guido Archiepiscopus se in periculo mortis constitutum, Archiepiscopatum Mediolanensem renuncians in Bregalium Alexandriæ se recepit, ubi miserabilem vitam finiens terminum vitæ dedit. Cui successit Gotofredus Ecclesiæ Mediolanensis Cardinalis.

(a) *MS. Ambr.* MLXXX.

CAP. CLI.

De Anselmo de Badagio Episcopo Lucano creato in Papam, & vocato Urbanus Secundus.

ANno Domini 1000. (b) imperante Henrico Gibelino, sedente Gotofredo Archiepiscopo, partis Nobilium existente Capitaneo Guiliermo de Landriano, Populi Herlembaldo Cotta, Anselmus de Badagio nobilis Capitaneus Episcopus Lucanus factus est Papa Romanus, & dictus Urbanus Secundus. Ad hunc Herlembaldus Cotta Dux Populi Legatos misit, rogans eum, ut declararet per suam sententiam, quid de uxoratis Sacerdotibus faciendum foret. Qui edicto facto in Concistorio, omnes Sacerdotes uxoribus privavit: ex qua re tam grave scandalum oritur, ut nullius Hæresis tempore Ecclesia Romana, aut Ambrosiana graviori schismate percussa fuerit. Audiens Herlembaldus Cotta Summi Pontificis sententiam, gaudio magno est gavisus, & convocata multitudine Populi, omnes Sacerdotes uxoratos exbannivit cum uxoribus & filiis. Demum contra Gotofredum Archiepiscopum, & contra Capitaneos eorumque Vassallos, & universaliter contra faventes Sacerdotibus uxoratis sententiam protulit mortis. Quo audito, Gotofredus Archiepiscopus cum parte Nobilium de Civitate exivit, & in Castelliono se communivit. Tunc Herlembaldus Cotta congregans exercitum validum ipsum Archiepiscopum cum tota parte Nobilium in Castelliono obsedit. Et instante hac obsidione ignis mirabilis ferè totam Civitatem combussit, qui propter instantem obsidionem Castri de Castelliono ignis de Castelliono dictus est. Et non solùm Civitas combusta fuit, imò etiam suburbia. Unde Ecclesia Sancti Laurentii, quæ tunc erat extra Civitatem igne illo ferè in cinerem conversa est; similiter & Ecclesia Sancti Nazarii, & Ecclesia Sancti Simpliciani. Postquam verò Herlembaldus Cotta de Archiepiscopo, & omnibus proscriptis Nobilibus triumphavit, ad Civitatem Mediolani revertitur cum gloria. Et statim procuravit, ut quidam dictus Acho, qui erat Ecclesiæ Mediolanensis Cardinalis, in Archiepiscopum Mediolanensem eligeretur. Et facta relatione ad Imperatorem, ipsum non acceptavit, sed dedit in Archiepiscopum quemdam, qui dictus est Thebaldus de Castellıono.

(b) *MS. Ambr.* MLXXXV.

CAP. CLII.

De morte Herlembaldi Cottæ Ducis populi Mediolanensis.

ANno Domini 1000. (c) imperante Henrico Gibelino, sedente Thebaldo de Castelliono Archiepiscopo, Capitaneo partis Nobilium existente Guillermo de Landriano, partis Populi existente Capitaneo Herlembaldo Cotta, audientes Nobiles Milites de Mediolano proscripti bona nova de dato sibi Archiepiscopo, qui erat ex parte Nobilium, confortati sunt valde, & congregantes amicos ex omnibus partibus Civitatis Mediolanensis ipsam Civitatem sunt

(c) *MS. Ambr.* MXC.

A sunt aggressi. Quod sentiens Herlembaldus Cotta Dux Populi primus exivit obviam inimicis, cui occurrit in campo Herlembaldus de Rhaude Miles proscriptus, atque ipsum de equo dejecit, & decapitavit; & sic in sancta confessione moriens sepultus fuit in Ecclesia Sanctorum Protasii, & Aurelii inter Martyres, idest Sancti Dionysii; ipse enim Simoniacos Sacerdotes, & uxoratos semper fuit persecutus. Cui fuit semper socius, & auxiliatòr B. Arialdus, qui natus fuerat ex Nobilibus Civibus de Carimate. Et sic Thebaldus de Castelliono Archiepiscopus cum parte Nobilium ad suam Sedem venit.

CAP. CLIII.

B *Quomodo capta fuit Hierusalem à Christianis, ubi adfuerunt etiam Mediolanenses.*

ANno Domini 1099. imperante Conrado Imperatore adolescenre, sedente Crisolano Archiepiscopo Simoniaco Mediolanensi in Sede Mediolani, Urbs Hierusalem capitur, ut supra dictum est. Istis temporibus Cives Mediolanenses per literas Urbani II. Papæ, qui erat Civis Mediolanensis, & de parentela illorum de Badagio, ad devotionem provocati Ecclesiæ, assumserunt Crucem Nobiles pariter, & Populares. Injuriæ sunt relaxatæ; per vias & plateas oscula dabant inter se inimici mortales; & mirabilis pax facta est, quæ pluribus annis duravit. Unde prœlia consueta cessaverunt, nec aliqua gesta sunt digna memoria.

C

CAP. CLIV.

De reversione Mediolanensium à Terra Sancta.

ANno Domini 1100. imperante Conrado adolescente, sedente Crisolano Archiepiscopo Simoniaco, Otto Vicecomes, Joannes Rhodensis, & Rozinus de Cortesela cum aliis Civibus Mediolanensibus ad hanc Civitatem sunt reversi, & fuit mirabile gaudium in terra. Tunc Ecclesia S. Sepulchri fabricata fuit.

D

CAP. CLV.

De Comitissa Matelde, quæ donavit Ecclesiæ Romanæ terram illam, quæ dicitur Patrimonium S. Petri.

ANno Domini 1102. imperante Conrado, sedente Crisolano Archiepiscopo Simoniaco, summa pace facta in Civitate Mediolani, Comitissa Mateldis violenter obtinuit Civitates quinque in Lombardia, quas manu armata subjugavit, scilicet Ferrariam, Mutinam, Regium, Parmam, & Mantuam, & etiam majorem partem Tusciæ. Et moriens totam illam terram, quæ dicitur Patrimonium S. Petri, Ecclesiæ Romanæ donavit. Castrum etiam Cremense Civitati Cremonæ prœlia multa intulit.

E

CAP. CLVI.

De maximo igne, qui fuit in Mediolano.

ANno Domini 1102. (*) imperante Conrado adolescente, sedente Crisolano Archiepiscopo Simoniaco, Civitate Mediolani summa pace fruente, fuit in Civitate Mediolani unus maximus ignis, qui domos, & Palatia multa combussit. Ubi est sciendum, quòd Civitas Mediolani propter multas destructiones non erat interim muratis domibus ædificata; sed ex cratibus, & paleis quamplurimùm composita. Unde si ignis in una domo succendebatur, tota Civitas comburebatur. Unde fuit statutum, quòd flante vento nullus in domo ignem succenderet. Et sic interdum tota Civitas sinè igne, & cibariis remanebat.

CAP. CLVII.

De alio igne, qui fuit in Mediolano.

ANno Domini 1106. imperante Conrado, sedente Crisolano Simoniaco, fuit alter maximus ignis in Civitate Mediolani.

CAP. CLVIII.

De Jordano de Clivi Archiepiscopo Mediolanensi.

ANno Domini 1107. imperante Conrado adolescente, sedente Crisolano Simoniaco, Populus Cremonensis, Papiensis, & Laudensis, congregato exercitu permaximo Civitatem Terdonensem obsederunt, totamque igne consumserunt de mense Augusti. Eodem anno in Riperia Januensi Portus-Veneris construitur, & sequenti anno vas pretiosum, in quo Christus cœnaverat Agnum Paschalem, ad Civitatem Januensem deportatur. Eodem anno Crisolanus Simoniacus moritur, & quidam Jordanus de Clivi Archiepiscopus ordinatur.

CAP. CLIX.

De discordia inter Mediolanenses, & Papienses.

ANno Domini 1108. vacante Imperio, sedente Jordano de Clivi Archiepiscopo, inter Mediolanenses, & Papienses quædam magna discordia orta est. Tunc Episcopus Papiensis cum universo Populo, & militia versùs Civitatem Mediolani castrametati sunt. Quibus Mediolanenses in campo occurrerunt. Et commisso forti prœlio Episcopus Papiensis capitur quasi cum omnibus Papiensibus. Qui omnes in carceribus diversis sunt captivati, sed infra paucos dies Mediolanenses eis clementer indulserunt. Unde de carceribus liberantur, & in platea Communitatis omnes præsentantur, & cuilibet Papiensi unus manipulus palearum ad caudam ligatur, quibus accensis extra Civitatem ejiciuntur. Quo tempore Henricus Quartus in Imperatorem eligitur.

CAP. CLX.

De Coronatione Henrici Quarti in Mediolano.

ANno Domini 1110. imperante Henrico Quarto, sedente Jordano de Clivi Archiepiscopo, ipse Henricus Imperator Mediolanum venit, & in Ecclesia S. Ambrosii per Archiepiscopum coronatur. Qui inde volens ire Romam pro Corona Imperii, per Jordanum associatur. Et fuerunt cum ipso Ugo Camerarius ejus, & Amizo

(*) *MS. Ambr.* MCV.

zo pistor suus, quorum cautelis Imperator Romam cepit, ubi multas fatuitates fecit.

CAP. CLXI.

De Coronatione Henrici Quarti in Roma.

HEnricus hujus nominis Quartus, Imperatoris Henrici filius, Cæsar semper Augustus Anno Domini 1110. imperavit annis 15. Hic à Summo Pontifice petiit, ut ossa patris sui Henrici Tertii, quæ erant intumulata, & remanserant annis 15., sepulturæ mandarentur: quod vix obtinuit. Unde ipsum in quadam structura aurea sepelivit. Deinde Romam ivit, qui usque ad gradus B. Petri conducitur, ubi pedes Papæ primò osculatus fuit, postea eidem osculum oris tradidit. Et cùm Coronam accepisset, petiit Papa, quòd Imperator investituras Prælatorum, sicut hactenus juraverat, renunciaret. Quo audito Papam apprehendit, & eum cum omnibus Cardinalibus per duos menses incarceravit. Unde Papa Privilegium Imperatori contulit, quòd nullus Patriarcha, Archiepiscopus, vel Prælatus consecretur, nisi per Imperatorem priùs per baculum, & anulum investiatur. Quod Privilegium hactenus Karulo Magno, & Ottoni Primo alii Summi Pontifices concesserant. Interim iste Papa moritur, & sinè consensu Imperatoris Gelasius Summus Pontifex ordinatur, quem Imperator deposuit.

CAP. CLXII.

De pugna Brixiensium, & Cremonensium.

ANno Domini 1110. Imperio vacante, sedente Jordano de Clivi Archiepiscopo, Brixienses turpiter per Cremonenses subpeditantur; sed succurrerunt Mediolanenses, dantes Brixiensibus auxilium; & cùm pervenissent usque prope Civitatem, Brixienses Cremonenses insequuntur; pugna continua committitur; Cremonenses vertunt terga. Duravit fuga per multa milliaria, & flumen Lolii à sanguine Cremonensium rubricatum est.

CAP. CLXIII.

De destructione Civitatis Laudensis veteris facta per Mediolanenses.

ANno Domini 1111. Imperio vacante, sedente Jordano de Clivi Archiepiscopo Mediolanensi, cùm Civitas Laudensis vetus multis rapinis infestaret Civitatem Mediolani, nostri Cives arma capientes, ipsam ferocissima obsidione circumdederunt, quam fame & plagis afficientes obtinuerunt, & funditus everterunt in Kalendis Julii. Tunc facta sunt sex Suburbia circa illas partes, inter quæ majus Suburbium Placentinum, in quo qualibet die Martis fiebat mercatum multæ utilitatis Laudensibus. Sed Mediolanenses amoverunt inde mercatum, & jusserunt quòd fieret in quodam magno campo, ut utilitas in Mediolanenses redundaret. Fuitque Civitas Laudensis in tanta servitute sub jugo Mediolanensium XLIX. annis, quòd nulli Laudensium licitum fuit vendere domum, vel possessionem, etiam patrimonium suum, absque licentia Consulum regentium Civitatem Mediolani. Quòd si fieret contrarium, emtor, & venditor erant exbanniti, & illa possessione privati. Item si aliquis de nocte exiret de Suburbiis, aut aliquid exportaret, ipso facto erat exbannitus, & temporali possessione privatus. Et in simili servitute Civitas Cumana, & Papiensis à Mediolanensibus tenebatur, ut infra dicetur in locis suis. Isto etiam tempore B. Bernardus electus fuit in Archiepiscopum Mediolanensem, sed refutavit. Eodem anno Anselmus de Pusterla fuit factus Archiepiscopus Mediolanensis, qui Civitatem Cumanam destruxit, quia unus Vassallus suus de illis de Carcano ibidem occisus fuit.

CAP. CLXIV.

Quomodo Anselmus de Pusterla factus fuit Archiepiscopus Mediolani.

ANno Domini 1123. vacante Imperio, vacante similiter Sede Archiepiscopali, Anselmus de Pusterla factus fuit Archiepiscopus Mediolanensis. Hic fecit fieri Altare argenteum in Ecclesia B. Ambrosii. Eodem anno Papa Honorius deposuit duos Patriarchas, scilicet Aquilegiensem, & Gradensem. Isto tempore mortuo Henrico Quarto Gibelino sinè herede, totum genus Gibelinum defecit. Sed remansit isti Henrico Quarto una Soror, quæ tradita fuit in uxorem Comiti de Scoph, & genuit duos filios, scilicet Conradum Comitem de Scoph, qui postea fuit Imperator, & Federicum de Scoph Barbam-rubeam, qui similiter fuit Imperator. Hic Federicus Barba-rubea genuit Philippum Regem Alemanniæ, & Henricum, qui fuit Imperator. De isto Henrico natus est Federicus ultimus, qui genuit Conradum, & Conradus genuit Conradum Et quia in Historiis, & in bellis Civitatis Mediolani occurrerunt, faciamus arborem.

CAP. CLXV.

De destructione Civitatis Cumarum.

ANno Domini 1125. vacante Imperio, sedente Anselmo de Pusterla Archiepiscopo Mediolanensi, Barones Alemanniæ elegerunt in Imperatorem quemdam Ducem Saxoniæ nomine Lotharium. Iste ab antiquo, & quasi naturaliter semper odivit genus Gibelinum, de quo nati sunt quatuor Henrici Imperatores supradicti. Et quia Domus Gibelina defecit, hic Lotharius semper fuit persecutus Comites de Scoph, qui nati erant de Domo Gibelina ex parte matris, ut supra dictum est. Tamdem pax efficitur, & Lotharius Imperator intrans Italiam, ad Civitatem Mediolani pervênit, ubi per Anselmum de Pusterla Archiepiscopum primò in Modoëtia, postea in Ecclesia S. Ambrosii coronatus fuit, qui postea in Roma per Papam Coronam Imperii suscepit. Isto tempore Ecclesia Mediolanensis sex Episcopos Suffraganeos perdidit, scilicet Episcopum Januensem, qui factus est de novo Archiepiscopus; & Bobiensem, & tres alios in Insula Corsicæ, scilicet Maranensem, Nebiensem, & Acriensem, & alium extra Insulam, qui dicitur Episcopus Brunicensis. Postea Alexander Tertius exemit de potestate Archiepiscopi Mediolanensis Episcopum Albigaunensem; & Innocentius Quartus Episcopum Natibensem. Isto eodem anno, scilicet 1126. Anselmus de Pusterla Archiepiscopus Mediolanensis miserat quemdam virum Nobilem de Carcano Vassallum suum ad Civitatem Cumanam, qui ibidem fuit interfectus. Qua de causa

causa Archiepiscopus exercitum paravit fortissimum, & invadens Civitatem Cumarum, quæ & in monte, ubi est nunc domus Fratrum Prædicatorum, per aliquos dies obsedit, & finaliter obtinuit, & funditus evertit, & Cives in illam foveam, ubi nunc est Civitas, descendere fecit. Sequenti anno Padus congelatus fuit; & Rogerius Rex Apuliæ fecit homagium Ecclesiæ de ipso Regno Apuliæ.

CAP. CLXVI.

De duobus prœliis inter Mediolanenses, & Papienses.

ANno Domini 1131. imperante Lothario Duce Saxoniæ, sedente Anselmo Pusterla Archiepiscopo Mediolanensi, exorta est magna turbatio inter Papienses, & nostros Cives. Unde in Campo de Maconago prœlium ordinatur in Kalendis Julii; pugna committitur; Papienses prosternuntur; universus quasi Populus Papiensis capitur, & in carceribus diversis in Civitate Mediolani vinculantur. Sequenti anno apud Martinengum aliud prœlium inter istas duas Civitates committitur, ubi Papienses innumerabiles interfecti sunt.

CAP. CLXVII.

De Lothario Imperatore.

LOtharius igitur Dux Saxoniæ supradictus Anno Domini 1136. Mediolanum vênit, ubi ab Anselmo de Pusterla Archiepiscopo Mediolanensi supradicto primò in Modoëtia, secundò in Mediolano coronatus fuit. Postea per Innocentium Secundum in Roma coronatus fuit in Ecclesia Lateranensi. Isto tempore Rex Siciliæ Rogerius quemdam Anacletum Papam fecit, & Innocentium de Roma fugavit. Sed Lotharius Imperator Innocentium Papam in sua Sede restituit: unde Papa inter Pisanos, & Januenses pacem procuravit, & Pisanum Episcopum fecit Archiepiscopum, cui concessit Primatum Sardiniæ, & Episcopatum Corsicæ; Episcopum etiam Januensem de subjectione Archiepiscopi Mediolanensis exemit, eumque Archiepiscopum fecit, cui subjecit Episcopum Bobiensem, qui erat sub Archiepiscopo Mediolanensi, & tres Episcopos Corsicæ, scilicet Maranensem, Nebiensem, & Acriensem, & Brunicensem, qui non est in Insula. Post multa verò tempora Alexander Tertius Episcopatum Albigaunensem subjectum Archiepiscopo Mediolanensi suppposuit Januensi Archiepiscopo, sicut Naulensem Innocentius Quartus. Hic Lotharius Imperator, qui odiosam nimis habuit parentelam Henricorum Gibelinorum, quæ jam defecerat quantum ad Imperium, tamen contra se surgentes habet Conradum de Scoph, & Federicum Barbam-rubeam, qui nati erant de Sorore Henrici Quarti. Tamdem pax efficitur.

CAP. CLXVIII.

De morte Lotharii Imperatoris.

ANno Domini 1133. Lothario Saxoniæ Duce imperante, sedente Anselmo de Pusterla Archiepiscopo Mediolanensi, Lotharius Imperator ad preces Cremonensium obsedit Castrum de Crema per unum mensem. Quod cùm obtinere non potuisset, Cremonam revertitur, ubi securum esse se credens, per ipsos Cremonenses proditoriè interfici ordinatur. Quod præsciens ad Civitatem Mediolani remeavit, exercitum contra Civitatem Cremonensem ordinavit, & primò invasit Sonzinum, igne ferroque omnia consumens. Similiter & Bassanum, & omnes terras circumstantes destruxit. Et rediens Mediolanum post pauca viam universæ carnis ingressus est. Cui successit Conradus Suevus Comes de Scoph. Eodem anno Piziguitonum construitur. Fuit etiam bellum de Martinengo, ubi jam quarta vice Mediolanenses debellarunt Papienses.

CAP. CLXIX.

De Coronatione Conradi Imperatoris.

ANno Domini 1134. Rolandus factus fuit Archiepiscopus Mediolanensis, & sequenti anno B. Bernardus rediit Mediolanum, Claravallem construxit, Ordinem S. Bernardi ordinavit, qui modò dicuntur Fratres de Conegio. Prima domus istorum Fratrum fuit domus Portæ Orientalis, quam Guido ex Capitaneis Portæ Orientalis construxit. Hic autem Guido vir illustris Romam ivit, & ab Innocentio Tertio in quodam prandio aquam ad manus recepit, & istum Ordinem confirmavit. Et quia iste Papa dicebatur Innocentius Tertius, ideo iste Ordo Tertius appellatus est, & exemtus est ab omnibus gravaminibus Communitatis Mediolani. Hi Fratres fundaverunt primum, & secundum Ordinem Humiliatorum, & visitabant ipsos Fratres Humiliatos. Isto tempore fuit bellum de Rivolta, & ipso tempore secundùm Sycardum apud Cremam totus Populus Cremonensis ductus fuit Mediolanum in carceribus. Mortuo Lothario Imperatore, Conradus Dux Sueviæ Sororis Henrici filius factus est Rex Alamanniæ. Septimo autem Regni sui anno vênit Modoëtiam; & per Archiepiscopum Mediolanensem coronatus fuit postea in Mediolano. Unde versus:

Consilio Seneca, specie Paris, Hector in armis,
Lothario moriente venit Conradus honestus,
Est Mediolani diadema potenter adeptus.

Qui postea vadens in Apuliam quemdam Ducem Guelphum nomine decapitavit, & prœlio Regnum in parte sibi subjugavit: unde versus:

Contra Guelphonem mens Regia plena furore
Viribus oppositis insimul arma movent.
Dextera Conradi gladio conformis Achilli
Signifero veniente Duci caput amputat illi,
Omne decus Guelpho tempore perdit eo.

Ex tunc nomen partis Guelphorum, & Gibelinorum in Sicilia inolevit. Postea duobus filiis suis quidam potens Princeps Tusciæ secundùm ista nomina nomen imposuit, unde & ille, qui dictus fuit Guelphus, totaliter fuit contra Imperium. Tamdem à paucis diebus citra ista nomina in Mediolano, & per totam Lombardiam dispersa sunt. Conradi Imperatoris temporibus ista per ordinem contigerunt.

CAP. CLXX.

De Cœlestino, & Lucio Papis.

ANno Domini 1142. Cœlestinus etiam factus fuit Papa, & post quinque menses Lucius in Papam creatur. Sequenti anno Januenses ceperunt Montem-Pessulanum, & eodem anno Civitas Vintimiliensis fecit homagium Civitati Januensi.

CAP.

CAP. CLXXI.

De passagio facto à Christianis ad Terram Sanctam.

ANno Domini 1144. imperante Conrado de Scoph, sedente Uberto de Pirovano Archiepiscopo Mediolanensi, tres Soles visi sunt, stella Cometa apparuit, maxima mortalitas fuit, pestis carucarum erupit, tres Lunæ cum Crucifixo apparuerunt, ignis maximus fuit in Civitate Mediolani. Federicus Barbarubea cum fratre suo, qui tunc erat Dux Sueviæ, in Constantinopolim pervênit, quibus Imperator Constantinopolitanus panem cum calce mixtum dedit, multosque de exercitu Imperatoris interfecit. Finaliter Imperator Conradus cum Federico Barbarubea Iconium pervênit, & ibidem Rex Francorum ipsos invênit, qui secum CC. naves adduxerat. Tandem Ascalonam ceperunt. Interim Rogerius Rex Siciliæ cum istis ultra mare ivit, qui Regnum sibi perpetuò tributarium fecit. Istud autem passagium Christianis non fuit multæ utilitati, quippe quòd per deserta errantibus ex proditione conducentium à Turcis, & Mauris fortissimè debellabantur.

CAP. CLXXII.

De alio passagio facto à Christianis ad Terram Sanctam.

ANno Domini 1147. imperante Conrado de Scoph, sedente Uberto de Pirovano Archiepiscopo Mediolanensi Eugenius Papa passagium indixit. Inter autem alios Mediolanenses, qui mare transierunt, fuit honorabilis vir Martinus de la Turre, corpore gygas, & magnæ fortitudinis, qui cùm pugnaret, à Sarracenis capitur, trucidatur, & in Fide Christi perseverans verus Martyr fuit. Quos Federicus Barbarubea viriliter defendebat: qua de causa postea fit Imperator. Conradus vix vivus rediit. Rex Francorum in habitu pellegrino Sepulchrum visitavit. Sequenti anno Januenses tempore, quo Imperator trans mare erat, Insulam Minoricam ceperunt, & plus quàm 20. millia Sarracenorum occiderunt. Demum Civitatem Tortosam expugnavere, & tertiam partem divitiarum illius Civitatis obtinuerunt, & plus quàm 20. millia Sarracenorum in Janua incarceraverunt.

CAP. CLXXIII.

De Federico Barbarubea, qui elegit se ipsum in Imperatorem.

ANno Domini 1152. vacante Imperio, sedente Anastasio Papa, sedente etiam Uberto de Pirovaño Archiepiscopo Mediolanensi, Electores Alamanniæ non concordantes de Imperatore fiendo, Federico commiserunt, ut daret idoneum Principem in Regem, qui tertiò se ipsum pronunciavit, dignum Principem se dicens, eo quòd esset nobilior, & fortior Princeps Alamanniæ, & in armis validior; Quòd si aliquis contradicere voluisset, duelli certamen subire cogebatur. Consentiunt Electores, & in Regem Alamanniæ coronatur. Qui audientiam in Civitate ordinavit, ubi duos Cives de Laude, scilicet Magister Homobonus, & Albertanus à nullo missi, sed à propria temeritate, quamdam Crucem ligneam humeris imponentes, ante Imperatorem ingressi deposuerunt, narrantes miserabiliter servitutem suam de qua supra dictum est. Imperator his auditis scripsit Consulibus, qui Civitatem Mediolani regebant, ut à gravaminibus Civitatis Laudensis desisterent. Quo audito Mediolanenses turpiter Nuncios Imperatoris dehonestaverunt. Qui ad Imperatorem reversi vulneraverunt cor eius, & tunc proposuit intrare Italiam. Tunc Laudenses quamdam clavem auream per manus Gullielmi Marchionis Montisferrati ad Imperatorem transmiserunt, Civitatem Laudensem demum, & personas offerentes. Quod Imperator libenter audivit. Cives verò Mediolanenses contendentes ad injuriam, quam fecerant Nunciis Imperatoris, miserunt in Alamanniam nuncios, qui detulerunt unam Cuppam de auro plenam pecuniis, gratiam ejus recuperare cupientes, & promiserunt coronationem facere solemnem, quod Imperator libenter audivit. Tunc Papienses, & Cremonenses cum magnis muneribus ad Imperatorem iverunt, & Mediolanenses accusarunt de multis. Quo agnito, Mediolanenses congregato exercitu permaximo, expulsis Laudensibus, & Cremonensibus, super Papiam equitaverunt de mense Augusti, eosque in admirabilem servitutem redegerunt.

CAP. CLXXIV.

De Coronatione Federici Barbærubeæ in Mediolano.

ANno Domini 1155. Federicus Barbarubea Sueviæ Dux Conradi Imperatoris frater jam factus Rex Alamanniæ, & ibidem coronatus, in Italiam per Taurinum intravit, & Civitatem Astensem debellavit, quam funditus evertit de mense Octubris. Et tunc fuit in Civitate Mediolani quintus maximus ignis. Tunc Imperator Federicus vênit Mediolanum, quem Archiepiscopus Ubertus de Pirovano cum immenso gaudio coronavit.

CAP. CLXXV.

De perditione Terræ Sanctæ.

IGitur Federicus Barbarubea dictus de Scoph, receptâ Coronâ in Mediolano, statim aggressus est Terdonam ad preces Papiensium, succurrentibus Cumanis pro odio Mediolanensium. Quo audito Mediolanenses obsederunt Papiam, & in suburbiis ejus infinitos captivaverunt. Postea verò iidem Mediolanenses obsederunt Cumas, & violenter obtinuerunt. Interim Imperator isto anno eodem, scilicet MCLV. Terdonensem Civitatem destruxit: quod Mediolanensibus summè displicuit. Eodem anno Sol obscuratus est, Saladinus Crucem Christi, & Sepulchrum obtinuit, & Imperator Constantinopolitanus fit tributarius Januensium.

CAP. CLXXVI.

De Federico Barbarubea.

ANno Domini 1154., vacante Imperio, sedente Uberto de Pirovano Archiepiscopo Mediolanensi, Federicus Barbarubea missis per universum Orbem Legatis congregans exercitum maximum per montes Taurinos faciens transitum, pervênit Mediolanum, ubi coronatus fuit; Civitatem tamen intrare non est permissus:

ſus: de quo turbatus eſt nimis. Et circa Feſtum S. Andreæ pervênit Caſtillionem, quod eſt in Territorio Laudenſi, ubi à Laudenſibus juramentum fidelitatis exegit. Laudenſes verò reſponderunt, quòd hoc facere non auderent ſinè licentia Conſulum de Mediolano. Cives verò Mediolanenſes poſt longum Concilium conceſſerunt eis licentiam; & ſic Imperatori fidelitatem fecerunt. Tunc fuit unus maximus ignis in Mediolano, qui magnam partem Civitatis combuſſit. Imperator verò in Ronchaliis Concilium congregavit, quo finito per Landrianum faciens tranſitum intravit Roxate de nocte, cùmque ibidem cibaria conſumſiſſet, Terram igne cremavit, & Abiate perrexit; & tranſiens pontem Ticini ipſum deſtrui mandavit. Tamdem ad Civitatem de Blandrate equitavit. Tunc Mediolanenſes cum pecunia tributi Imperialis ad eum vadunt, quos Imperator videre noluit, nec pecuniam recepit, ſed eis inimicitiam publicam, & bannum indixit, niſi Civitates Cumanam, & Laudenſem liberas dimitterent, cui Mediolanenſes reſponderunt: *Illæ duæ Civitates ſub perpetua Mediolanenſium ſervitute ſunt, nec aliquo modo poſſunt jugum excutere*. Tunc Imperator de ſua Curia Mediolanenſes expelli juſſit, & cum mirabili furia duo Caſtra Mediolanenſium, ſcilicet Trechate, & Galiate, invaſit, atque deſtruxit; & equitans versùs Civitatem Aſtenſem, quæ Marchioni Montisferrati ad ipſius petitionem juſtitiam facere noluerat, invaſit. Aſtenſes verò Civitatem derelinquentes, dum in quadam Rocha, quæ dicitur Rion, ſe communirent, Imperator Civitatem intravit, & ipſam ipſi Marchioni donavit, qui partem muri, & turres dejecit. Tamdem Imperator vênit Placentiam, ubi Papienſes de Terdonenſibus juſtitiam petierunt, qui eis mirabiles moleſtias intulerant. Imperator verò citavit Terdonenſes, ſed comparere contemſerunt. Qua de cauſa ſuper Terdonam equitans ipſam obſedit, & quinta die Aprilis obtinuit, ad quam deſtruendam Papienſes dimiſit; ipſe verò versùs Romam equitavit.

CAP. CLXXVII.

De Coronatione Federici Barbærubeæ in Roma.

ANno Domini 1156., ſedente Adriano Papa in Roma, & in Mediolano Uberto de Pirovano Archiepiſcopo, Federicus Barbarubea Romam ivit, qui à Papa honorificè ſuſceptus coronatur in Eccleſia S. Petri. Ipſomet die à Senatoribus, & Populo Romano fidelitatem, ac jus ſuum exegit, quod ipſi facere noluerunt. Pugna committitur, ex Romanis multi incarcerantur, tamdem ad preces Papæ relaxantur, & pax efficitur. Federicus autem de Roma exiens per Spoletum, & Anchonam tranſiens Veronam pervênit; contra quem Veronenſes turpiter inſurrexerunt; tamdem ivit in Alamanniam. Videntes autem Mediolanenſes, quòd Imperator receſſiſſet, Terdonam reædificare cœperunt, & juxta Abiate fortiſſimum pontem conſtruxerunt. Anno Domini MCLVII. die prima Julii juxta Caſiolum caſtrametati ſunt; & die quinta Julii Caſtrum de Viglevano violenter expugnaverunt, ubi erat Gibelinus Marchio Montisferrati cum ſeptem aliis Marchionibus, & Papienſes cum omni militia. Tunc Mediolanenſes acceptis CD. electis militibus de Papia in obſides, juraverunt Papienſes homagium perpetuum Civitati Mediolani, talia ſtatuentes pacta, videlicet, quòd numquam reciperent Poteſtatem, niſi ſibi per Mediolanenſes datum per ſortem more aliarum Civitatum Mediolanenſibus ſubditarum. Item quòd manibus propriis, & propriis expenſis murum Civitatis Papienſis versùs Mediolanum explanarent. Item quòd nullum Concilium factum in Papia ſit firmum, niſi ſuper Palatium Civitatis Mediolani confirmetur; & de his omnibus producta ſunt publica Inſtrumenta. Sicque Civitatem Papienſem Mediolanenſes quaſi ancillam ſubpeditabant. Ex Papienſibus verò aliqui occultè mittuntur ad Imperatorem uſque in Alamanniam unam Clavem auream portantes, dicentes Imperatori: *Hæc clavis eſt Civitatis Papienſis: veni, & noli tardare*.

CAP. CLXXVIII.

De translatione Corporum trium Magorum à S. Euſtorgio ad S. Georginm.

ANno Domini 1158. Imperante Federico de Scoph, ſedente Uberto de Pirovano Archiepiſcopo Mediolanenſi. Alexander Tertius fuit creatus Papa, qui Federicum nimio odio habuit, & Civitatem Mediolani ſummè dilexit. In cujus honorem Alexandriam Urbem novam, quam ipſi Mediolanenſes erexerant in odium Papienſium, & Marchionum Montisferrati, Alexandriam nominaverunt. Imperator autem Federicus, quia ſinè licentia ſua Papa creatus erat, ipſum de Roma fugari præcepit. Qui in Franciam fugiens, ibidem XVIII. annis exul extitit. Tunc Imperator Octavianum Eccleſiæ Romanæ Cardinalem inſtituit Papam, quem Victorem appellavit, cui totam Italiam cum tota Alamannia, & univerſo Imperio obedire fecit. Hic Victor Antipapa Alexandrum jam per Imperatorem depoſitum cum omnibus ſuis fautoribus excommunicavit. Imperator autem Federicus ad preces Papienſium, & Laudenſium, quorum Civitates jam XLIX. annis per Mediolanenſes deſtructæ fuerant, Italiam intravit. Audientes ergo Mediolanenſes Imperatoris adventum, ut dicit Chronica Leonis, timentes ne trium Magorum Corpora exportarentur, ipſos Reges de Eccleſia S. Euſtorgii abſtulerunt, & in Eccleſia S. Georgii juxta Campanile abſconderunt, quia illa Eccleſia erat intra muros, unde verſus:

Occurrunt Ligures, dant gaudia plena favore,
Padua, Triviſium, Vicentia, Verona ſuperba,
Mantua, Bononia, Mutina, Regium, Parma, Cremona,
Urbs bona Vercellis, Aquis, Alba ſenex, Iporegia,
Omnis ab Italia fert ſibi dona via;
Sed Mediolanum diuturna bella peregit.

CAP. CLXXIX.

De reædificatione Civitatis Laudenſis facta per Federicum Barbamrubeam.

EOdem Anno, ſcilicet 1158. Imperator Federicus Laudenſem Civitatem, quæ jam deſtructa per Mediolanenſes fuerat annis XLIX. reædificavit. Ubi Concilium Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac omnium Baronum Italiæ convocavit, & audientiam ſuper injurias ſtatuit. Tunc Civitas Cumana ait: *O Clementiſſime Imperator, Civitas Mediolanenſis excidium nobis peſſimum ſemper fuit; nam propter unum hominem Mediolanenſem in Civitate Cumana interfectum Anno Domini 1126.* tota

tota Civitas Cumarum destructa fuit, & cùm nuper tuis circa Terdonam servitiis insisteremus, ipsi Mediolanenses Civitatem Cumanam ceperunt, ac igne ferroque ferè consumserunt. Papienses verò secundo loco dixerunt: *Nostrum populum ipsi Mediolanenses tribus vicibus in carceribus captivaverunt, Castrum nostrum de Viglevano diruerunt, & nos infinitis injuriis afflixerunt*. Episcopus autem Cremonensis subdidit: *Civitatis Cremonensis tres portas Mediolanenses suas fecerunt, populum Cremonensem, & militiam ejus sæpiùs interfecerunt, nec nos in pace vivere permittunt*. Marchio Montisferrati conqueritur, quòd in ejus odium Alexandriam construxerunt. Item Novaria conqueritur, Vercellæ sua damna plorant, Pergamum suas antiquas miserias narrat. Et sic nullus fuit qui adjuvaret, vel Civitatem Mediolanensem defenderet. Laudenses verò dixerunt: *Civitas Mediolani nobis facta est malleus, nos enim XLIX. annis de nostra Civitate exules fecit. Civitatem Laudensem multis vicibus evertit, infinitis injuriis nos continuè interficiunt*.

CAP. CLXXX.

De alia destructione Civitatis Laudensis.

EOdem itaque Anno Mediolanenses antiqua gravamina super Laudenses renovaverunt, videlicet quòd nullus posset vendere possessionem, vel domum, etiam patrimonium suum absque licentia Consulum regentium Civitatem Mediolani. Quòd si fieret contra, emptor & venditor erant banniti, & illa possessione privati. Item si aliquis de nocte exiret, & aliquid exportaret, ipso facto erat exbannitus, & temporali possessione privatus. Insuper eis fodrum imposuerunt, & ultra CCC. libras exegerunt, & fidelitatem jurare coëgerunt; sicque nimio terrore perterriti juraverunt fidelitatem salvo jure Imperii. Ex quo Mediolanenses non contenti, comminati sunt eis mortem. Tunc Episcopus Laudensis cum Prælatis, & Majoribus Civitatis ad Archiepiscopum Ubertum venientes ante ejus pedes se prostraverunt, rogantes quòd istud tale sacramentum eis sufficeret, quia de licentia Mediolanensium Imperatori juraverant fidelitatem, & nunc jurare cogebantur à Mediolanensibus; tamen nihil facere voluerunt. Tunc temporis duo Legati Papæ venerunt Mediolanum, scilicet Ardizio de Rivoltela, & Otto de Brixia, ad quorum preces Mediolanenses non infestaverunt Laudenses. Sed post eorum recessum totam Terram Laudensem expoliaverunt, & omnes tam parvos quàm magnos expulerunt usque Piziguitonum. Finaliter tota Civitas Laudensis destruitur.

CAP. CLXXXI.

De reædificatione Civitatis Laudensis.

DEstructa itaque Civitate Laudensi Anno Domini 1158. rediit in Italiam de mense Julii Federicus Imperator cum Duce Bohemiæ, cum Archiepiscopis, & Baronibus, & militia mirabili; Brixiam invasit; totam terram, & territorium usque ad portas Civitatis devastavit per XV. dies continuos. Et transiens flumen Abduæ Tritium obtinuit; muro grossissimo, quod esset in Italia, communivit, thesauros suos ibidem recondidit, & Raynum militem Theutonicum suum Vicarium ibidem reliquit; & in Kalendis Augusti ad Lambrum in portis de Castirago suum exercitum posuit; Civitatem Laudensem in monte Zenonis (*) erigi jussit.

CAP. CLXXXII.

De consilio dato Imperatori per Charocerum Marchionem Malaspinam destruendi Mediolanum.

IGitur Federico, ut prædiximus, in Civitate Laudensi commorante, auditisque lamentationibus singulariter per Civitates Lombardiæ expositis, novoque Civitatis Laudensis excidio attento, surrexit Charocerus Marchio Malaspina vir Hæreticus, longævus, insidiis plenus, & ait: *Audivi à majoribus meis, quòd Civitas Mediolanensis, antequam Roma fieret, per 200. annos ferè Civitatem Brixiensem, & totum planum Lombardiæ destruxit, Civitati Romanæ prœlia durissima intulit. Unde si vis imperare pacificè, totamque Italiam gloriosè gubernare, oportet te priùs Civitatem Mediolanum funditus evertere*. Et præsentari faciens ante Imperatorem turtam unam, subdidit dicens: *Dum ista turta cooperta fuerit, tu de ipsa comedere non poteris; sic dum Mediolanum Civitas fuerit, quæ est totius Italiæ cooperculum, & superbia, non poteris Italiæ rapinis securo animo vacare*. Audiens itaque Imperator tot, & tanta, prout erat vir astutus, ingeniosus, mitis, largus, formosus, cordatus, nobilis, facundus, & morali experientia doctus, cogitare cœpit totis viribus Civitatem Mediolani expugnare. Unde Cives Mediolanenses, quos habere potuit, post se quasi canes trahi jussit, Castrum de Roxate combussit, pontes super Ticinum destruxit, Castrum de Galarate cum muro, & turribus quinque, quod erat Archiepiscopi Mediolanensis, funditus evertit, Trechate combussit, Terdonam obsedit. Tunc 200. milites Mediolanenses invito Imperatore sunt Terdonam ingressi, ubi propter bellicosos actus mortui sunt Ugo Vicecomes, Zaninus Maynerius, Lanfrancus de la Cruce, Albertinus de Carate, Lanfrancus de Curte, & Nigrus de Nigris in jure peritus. Tandem fame perurgente Terdona vincitur, atque 18. die Aprilis destruitur ad preces Papiensium. Eodem Anno 6 Kal. Februarii Imperator ad preces Cremonensium Castrum Cremonense funditus evertit. Eodem etiam Anno 6. die Julii per Blancham Nugam transiens, Abduam transivit, ignorantibus Mediolanensibus, Tritium communivit, & juxta Melegnanum cum exercitu Mediolanensi conflixit, ubi fortuna belli neutri parti jactantiæ causam dedit, licèt quidam Dux Imperatoris vexillifer, & alius nobilis Comes Mediolanensis gladiis occubuerint.

CAP. CLXXXIII.

De obsidione Mediolani facta per Federicum.

ANno Domini 1159. sedente Antipapa in Roma, & Uberto de Pirovano Archiepiscopo, Civitatem Mediolani obsedit Federicus in hunc modum. Cum multis enim Regibus, & Baronibus, & 115. millibus militum

(*) *MS. Ambr.* Gezonis.

rum Theutonicorum Civitatem Mediolani secundùm Ptolomæum duobus annis cum dimidio obsedit, Arcum Triumphalem, qui erat ante Portam Romanam cepit, ac communivit, & in Brolio in Solario Templi Imperator castra sua fixit. Archiepiscopus Coloniensis ad S. Celsum, Dux Bohemiæ ad S. Dionysium hospitati sunt. Tunc Mediolanenses exeuntes Ducem Bohemiæ aggressi sunt, & nisi Imperator succurrisset, ferè ipsum cepissent. Ubi mortuus est Girardus Vicecomes, & Ronzio de Mandello. Sicque continuæ pugnæ committuntur, & facta est tanta copia Theutonicorum ronzinorum in Civitate Mediolani, quòd unus pro quinque Turonensibus vendebatur. Tunc Victor Antipapa, qui Imperatori plus quàm Deo obediebat, Civitatem Mediolanensem, omnesque ejus fautores excommunicavit, omnibus Primatibus Italiæ sub pœna anathematis præcepit ad obsidionem Civitatis Mediolani properare: quod & factum fuit. Interim XXII. Civitates Lombardiæ Imperatori dant auxilium, imò tota Italia, & Tuscia, exceptâ Januâ, Terdonâ, Alexandriâ, Cremâ, & Placentiâ. Tamen multi de parte Nobilium Imperatori adhæserunt contra suam Civitatem.

CAP. CLXXXIV.

De pace facta inter Mediolanenses, & Imperatorem.

ANno Domini 1161. durante obsidione Mediolani, sedente Victore Antipapa, & Uberto de Pirovano Archiepiscopo, isti Nobiles de Mediolano fuerunt fideles Civitati suæ, videlicet illi de Vicecomitibus, de Mayneriis, de la Cruce, de la Turre, de Bolate, de Mandello, de Bultrasis, & universaliter totus Populus, item Placentia, Terdona, Alexandria, & Crema. Videns autem Imperator jam duobus annis in obsidione Civitatis Mediolanensis stetisse, & nihil profecisse, imò potiùs defecisse, anno suprascripto cum ipsis pacem fecit sub istis pactis; videlicet quòd Civitatem Mediolani numquam ingrederetur, & quòd de nullo dominio Civitatis se intromitterent. Et tunc Cives Mediolanenses de banno liberavit; 300. electos obsides, & 29. marchas auri pro jam sibi suisque prædecessoribus denegato tributo recepit; Aquilas Imperiales super altissimum Campanile Ecclesiæ Majoris erigi jussit; Uberto de Pirovano Archiepiscopo suæ Civitati fidelissimo, & Rectoribus Civitatis quasi agnis lupus oscula dedit; 190. incarceratos Papienses liberavit; toti Lombardiæ pacem indidit.

CAP. CLXXXV.

De duobus Cardinalibus electis in Summos Pontifices.

FActa itaque pace inter Imperatorem, & Mediolanenses, Imperator ivit Modoëtiam, & ibi Mediolanenses juraverunt fidelitatem Imperatori, similiter Seprienses, & illi de Martesana. Tamdem Imperator in Ronchaliis Concilium convocavit, ubi omnes Juris peritos habuit, à quibus scire voluit, quæ essent Leges & Jura Imperialia in Lombardia. Quæ omnia cùm assignata fuissent, Ubertus Archiepiscopus Mediolanensis, & Consules, omnesque alii Principes, & Barones, & Prælati in manibus Imperatoris refutaverunt, jurantes de ipsis se numquam ampliùs intromittere. Ex tunc Archiepiscopus multa jura, quæ ab Imperatore Ottone Primo tenebat, perdidit, quòd videlicet erat Comes Seprii, Marchiæ Martesanæ, & Dux Burgariæ. Datis ergo obsidibus Imperator ivit Papiam, ubi novam audivit de morte Adriani Papæ, & quòd duo Cardinales in discordia fuissent electi, quos ad suam præsentiam citavit. Unus, qui erat verus Papa, dictus Alexander, comparere contemsit; alter, qui dictus est Victor, comparuit, quem verum esse Papam Imperator declaravit: quod non erat verum, Alexander verò Papa in Franciam fugit, qui multas literas Mediolanensibus scripsit, ut Imperatori rebellarent; eligebat enim potiùs mori, quàm Cives Mediolanenses derelinquere. Tunc Imperator præcepit Placentinis, ut omnes turres destruerent à 20. brachiis supra. Item præcepit Cremonensibus, ut propriis manibus murum Castri destruerent: quod facere noluerunt. Demum Imperator ivit Modoëtiam. Hæc tamen Imperatoris mandata, & istius Antipapæ Victoris creatio jam anno Domini 1149. (a) facta videntur.

CAP. CLXXXVI. (b)

De proditoribus Civitatis Mediolani.

ANno Domini 1161. sedente Victore Antipapa, & Uberto supradicto adhuc sedente, pacificata Civitate Mediolanensi cum Imperatore, Nobiles de Mediolano, qui Imperatori favebant contra Civitatem, videntes, quòd Imperator recedere disposuisset, usque ad mortem timuerunt; sed Imperator eos confortavit. Cives verò proditores sunt isti: videlicet illi de Carchano, illi de Paravicino cum tota Martesana, ut Cassa, Corone, Herba, & omnes Terræ circumstantes. Item illi de Castilione cum Varesio, & toto Seprio. Item illi de Landriano, de S. Columbano, Insula Fulcheria, ut Rivolta, Caravagium, Trivilium. Item Modoëtia cum Trizio, sed specialiter nominantur Jordanus de Scacabaroziis, Anselmus de Orto, Aripr ndus de Judicibus, Henricus de Herbesiis. Item tota Burgaria, Communitas de Parabiago, (c) Communitas de Leuco. Isti omnes ad Imperatorem in Modoëtia vadunt, rogantes ipsum, ut eos de potentia Civitatis Mediolani eximeret. Tunc Imperator Martesanos, & Seprienses à fidelitate, quam Mediolanensibus juraverant, absolvit, Comitem Genzonum eis in Vicarium dedit; postea in Trizio Rogerium & Conradum de Maze Vicarios instituit, centum milites Theutonicos ibidem dimisit, qui terras de ultra Abduam incendiis, rapinis, collectis excoriabant. Demum Imperator Cremonam transivit, postea in Castro de Ozimiano, quod est in Monteferrato, hyemavit, ubi Ambasiatores totius Italiæ ipsum deprecabantur, quòd non recederet, nisi priùs Civitatem Mediolanensem destrueret, alias pro firmo nos malleabit, & conteret usque ad mortem. Qua de cau-

(a) *MS. Ambr.* MCLIX.

(b) Caput istud cum sequenti in MStis Codicibus, quos vidimus, extra ordinem positum fuerat, quod tum annus, tum res enarratæ satis produnt, Librariorum potiùs, quàm Auctoris errore, nos verò suo loco restituere satiùs duximus, ne historiæ ordo inverteretur.

(c) *In MS. Ambr.* Tota Communitas de Parabiago, Communitas de Turrigia, Communitas de Leuco &c.

causa Imperator duos Legatos, scilicet Raynaldum Cancellarium suum, & Ottonem Comitem Palatinum Mediolanum misit, quatenus Potestatem Theutonicum recipiant, quod erat contra pacta per Imperatorem scripta. Tunc Azo de Bultraffis, Catelanus de Hermenulphis, Martinus Malepera tumultum fecerunt in Populo contra Nuncios Imperatoris, qui fugientes Imperatori renunciant quod factum fuerat. Tunc Imperator priùs requisitos Mediolanenses tamdem exbannivit, & urgentibus conditionibus in Alamanniam ivit, & receptis à Cremonensibus novem millibus Marchis argenti Cremam destrui jussit. Vidèntes autem Mediolanenses Imperatorem totis viribus contra ipsos mala operari, & quòd in Alamanniam abiisset, ad congregandum exercitum infinitum ad destructionem suæ Civitatis, juraverunt ligam cum Placentinis, Cremonensibus, Brixiensibus, & Alexandro Papa, qui in Francia exulabat propter Imperatorem.

CAP. CLXXXVII.

De mirabili pugna inter Imperatorem, & Mediolanenses.

INterea Mediolanenses colligati, ut supra diximus, pontem de Besnate (*) erigunt, Terdonam reædificant, Lomelum construunt, & de mense Maji Castra Montisferrati Stabulum, & Givasium expugnant, & totum Marchionatum conculcant; & redeuntes Ceredanum funditus evertunt. Sozanum capitur, Morengum subjicitur, Fara, Mosezinum, Turris de Homono subjugantur; & de mense Augusti 20. Castella in Valle de Lugano per Mediolanenses funditus sunt eversa. Fueruntque expensæ Communitatis Mediolani circa supradicta 500. millia (**) Marchæ argenti purissimi. Tritium etiam per Mediolanenses obsidetur. Iterum Imperator anno 1162. in Italiam rediit, qui cùm esset Bononiæ, audivit Tritium obsideri, & tribus diebus usque ad montem Gehizonis, idest Laude pervênit. Ubi audita Trizii Oppidi captione usque ad mortem doluit, & vadens obsedit Cremam, quam funditus evertit secunda vice. Tamdem vênit Papiam, ubi audita morte Victoris Antipapæ, Guidonem Pascasium Cremonensem Cardinalem Romanum, qui Papiam ad ipsum venerat, Antipapam ordinavit, qui sententiam Victoris prædecessoris sui contra Alexandrum, & Mediolanenses corroboravit. Postea Imperator versùs Lambrum venit cum furore nimio, igne ferroque omnia consumens, & destruxit Mediolanensibus Vertemate, Vejanum, Brioscum, Legnanum, Vermanum, Polianum, Venzagum. Rhaude intravit primo die Aprilis, sed occurrunt Mediolanenses. Dies congrediendi statuitur, & ordinatis aciebus ex utraque parte pugna incohatur. Nam ex parte Mediolanensium erant in prima acie centum currus triangulares hominibus pleni, qui falces velut remos agitabant. Sub curribus erant equi velocissimi, qui facientes impetum fortissimum hostes exterminarunt. Demum Carrocerum scarleto vestitum cum sagittariis, & peditibus, & Cruce desuper cum Vipera ordinatis pugnam ingreditur. Sequitur insignis militia; clamor attollitur; terram scindunt equi; cœlum pavet, concutitur aër, Imperator fugatur. Qui per Baradigium transiens, & Morimundum, totus confusus, & expoliatus in Papiam se recepit.

(*) *MS. Ambr.* de Bernate.

A Fuit autem tanta præda in Civitate Mediolani portata, quòd tota Civitas equis, argenteriis, captivisque plena videbatur. Et statim sinè mora Mediolanenses suis hostibus ultionem reddere cœperunt. Nam tota Martesana, & Seprium vulneratur, Cossa vastatur, Corone, Herba, Paravicinum consumitur, Castrum de Carchano obsidetur. Tunc Imperator audiens quòd Castrum de Carchano fidelium suorum obsideretur, à Papia succurrit. Pugna indicitur. Tunc Ubertus de Pirovano Archiepiscopus, Milus Archipresbyter, Galdinus Archidiaconus, & Algisius Cimiliarcha, qui in exercitu erant, publicè concionati sunt, quòd Castrum de Carchano est Feudum Ecclesiæ Mediolanensis; unde tamquam proditores Ecclesiæ Mediolanensis ipsos isto Feudo privamus. Interim confligitur, clamor attollitur, exercitus Imperatoris exterminatur, Imperator succubuit, rapinis insistunt Mediolanenses.

CAP. CLXXXVIII.

De primo Potestate dato Mediolanensibus per Imperatorem.

EXpletis ergo pacis confœderationibus, Imperator Bononiam vadit, & mittens omnibus Civitatibus mandat, ut sublato regimine Consulum de cetero per Potestates regerentur. Ad Civitatem ergo Mediolanensem misit duos Legatos, ut Girardum Comitem de Legnio, quem Potestatem Mediolani Imperator instituerat, reciperent. Et iste fuit primus Potestas, qui umquam fuerit in Mediolano. Quo audito Mediolanenses turbati sunt, quia faciebat expressè contra pacta. Unde Nuncios Imperatoris turpiter ejecerunt, & invadentes Castrum de Trizio ipsum obtinuerunt, & Theutonicos omnes interfecerunt.

CAP. CLXXXIX.

De destructione Mediolani facta per Imperatorem Federicum Barbamrubeam.

ANno Domini 1162. exulante Alexandro Papa, sedente Uberto de Pirovano supradicto, Victore Antipapa existente, Imperator Castrum Cremense obsidere cœpit die XIII. Julii. Supervênit Imperatrix nomine Beatrix. Tamdem Castrum devincitur, & ad terram prosternitur VI. die Februarii. Sicque Imperator cum Imperatrice Papiam ivit, & reversus Laude Pontirolum invasit, totum Comitatum Mediolani devastavit, pontem de Corpelo super Abduam destruxit. Tunc Mediolanenses Castrum de Carchano invaserunt cum Carrocero; Imperator succurrit; pugna committitur; Mediolanenses Carrocerum cum Cruce aurea perdunt. Tamen resumtis viribus Imperatorem fugaverunt, & Carchanense Castrum combusserunt. Quos Imperator iterum aggreditur; Carrocerum in luto projicitur; boves Carroceri abducuntur; & exclamans Imperator dixit: *Ego vici*. Cui unus ex captivis de Mediolano respondit: *Imò certè superatus es*. Et statim collecta militia, quæ usque tunc latuerat, prosiliit. Fugit Imperator, cujus equum per pedem vitis detinuit, in tantum, quòd vix evasit, Papiam ivit. Spoliis Theutonicorum exercitus Mediolanensis oneratur. Cumani in quodam monte obsessi fumo

(**) *MS. Ambr.* quinquaginta millia.

mo ignis fatigantur, & captivantur. Item Mediolanenses Martesanos, & Seprienses acriùs devastant; Castellionum obsidetur; Crema reparatur; Varesium subjugatur, Castrum de Carchano funditus evertitur. Imperator autem Civitatem Mediolani usque ad Arcum triumphalem aggreditur, ubi per Mediolanenses de equo dejicitur. Qua de causa captivos de Mediolano abscissis naribus, & oculis erutis, ac manibus mutilatis in Civitatem Mediolani redire permisit. Revertitur etiam, & ipsam Civitatem per novem menses obsedit, quam cùm capere non potuisset, Dux Bohemiæ cum X. millibus virorum pugnatorum attendens, quòd innumerabilibus angariis Imperio erat obligatus, Imperatori ait: *Si vis me à servitiis Imperialibus absolvere, & ex Duce me Regem coronare, ego solus cum gente mea Arcum Romanum promitto*. Spondet Imperator. Tunc Dux Bohemiæ ex sua gente tres ordinavit acies, quarum prima pugnaret contra Arcum à mane usque ad Nonam, secunda à Nona usque ad noctem, tertia pugnaret per totam noctem, nec cessaret talis pugna, donec unus ex Bohemis superesset vivus. Et duravit talis pugna tribus diebus, & tribus noctibus continuis. Sicque Populus, qui per novem menses cum Imperatore pugnaverat, superveniente bello recentiori succubuit, & derelicto Arcu in Civitate se conclusit. Tunc Imperator in Ecclesia S. Ambrosii extra Civitatem Ducem Bohemiæ coronavit in Regem, & Civitatem Mediolani durissima obsidione vallavit. Et invalescente fame, quæ sola sufficit gyganteos etiam pugiles prosternere, intervenientibus precibus, quòd Civitas non destruatur, Mediolanenses se, & Civitatem liberè Imperatori tradiderunt, rogantes eumdem, quòd non intraret Civitatem cum tumultu. Unde ipse statim Laude perrexit, ubi Carrocerum, qui ipsum bis in campo expugnaverat, cum aliis insigniis Regalibus resignatis recepit. CCXC. electos Milites de Mediolano Papiam misit custodiendos. Imperator verò animo fluctuans, an Civitatem Mediolanensem destrueret, precibus omnium Italicorum, & maximè Martesanorum, & Sepriensium, mandavit quatenus Civitatem Mediolanenses, nullo impellente, omnibus bonis mobilibus per octo dies evacuarent. Unde versus:

Tunc fuerant Anni Domini centum, quoque mille,
Sexaginta duos simul addens aspice Lector.

& item:

Circulus annorum cum sexaginta duorum
Mille cum centum patet Mediolanum digamate victum.

Tunc Civitas evacuatur. O quantus luctus hominum! quanta præcipuè lamenta mulierum, & parvulorum! Evacuata Civitate

Exiit Aprilis bis quatuor ante Kalendis
De muris Urbis plebs tristis Mediolanensis.

CAP. CXC.

De destructione Civitatis Mediolani.

DUravit autem destructio Mediolani septem annis, & exierunt isto ordine. Nam Porta Ticinensis ivit ad S. Vincentium, Porta Romana ad S. Celsum, Porta Orientalis, & Porta Nova ad S. Dionysium, Porta Cumana ad S. Simplicianum, Porta Vercellina ad S. Victorem ad Corpus. Interim Martesani, & Seprienses, Civitatis destructione multo thesauro emta eisdem traditur comburenda. Totaque Lombardia tribus vicibus ipso anno sudavit in destructione muri altissimi, in cujus circuitu erant CCCX. turres grandi opere fabricatæ. Demum Populus Mediolanensis à Civitate elongatur, & in quatuor suburbia dividitur. Nam Porta Romana ivit Nosetam, Porta Ticinensis ivit Vigintinum. Porta Orientalis, & Porta Nova iverunt Lambrate, Porta Cumana ivit ad Carrariam, Porta Vercellina ivit ad S. Syrum ad Viperam. Ubertus autem Archiepiscopus Mediolanensis fugit, & in Benevento per Imperatorem exul fuit, ubi vitam suam finivit. Interea Imperator in Alamanniam vadit, Petrum de Cunio Mediolanensibus in Vicarium dedit, qui omnes modos extorquendi pecuniam invênit, cui subrogatur Federicus avarior. Isto tempore Deus suam addidit tribulatis tribulationem, quia XII. vicibus nix descendit, quæ omnes vites, & omnes fructus nucleares enervavit.

CAP. CXCI.

De Archiepiscopo Coloniensi, qui asportavit Corpora trium Magorum à Mediolano in Coloniam.

ANno Domini 1164. (*) Imperator de Alamannia in Italiam rediit, & Archiepiscopo Coloniensi Civitatem Mediolanensem recommendavit, qui XI. die Julii Corpora trium Magorum in Alamanniam de Campanili S. Georgii exportavit. Tunc Civitas Imperialis apud S. Columbanum erigitur, Turris triumphalis apud Nosetam construitur, in Modoëtia Palatium fabricatur, Castrum de Landriano reædificatur, & Papienses iterum Terdonam destruunt.

CAP. CXCII.

De gravaminibus, & exactionibus impositis Mediolanensibus.

ANno Domini 1165. quidam Marchualdus de Cublab super Mediolanenses instituitur, qui de quolibet bene nato tres solidos Imperiales exigebat, de quolibet jugo boum XII. Imperiales, de quolibet torculari XII. denarios. Tunc Corpora SS. Martyrum Naboris, & Felicis in Alamanniam exportantur. Tunc erant Officiales Imperatoris super gravaminibus Populi Mediolanensis, scilicet Jordanus de Scacabaroziis, Anselmus de Orto, Ariprandus de Judicibus, Henricus de Herbesiis, qui omnes suæ Civitatis proditores extiterunt. Hi librum tristitiæ composuerunt, in quo interdictum fuit omne genus venationis animalium, sive piscium, & de omni vendito, & emto, vel omni puero nato maxima exactio extorquebatur. Mortuo Marchualdo Henricus Comes de Disco Vicarius efficitur. Isto tempore iterum Lombardi destructionem ædificiorum reiterant; Broletum vetus sale seminatur; Papienses baculum pastoralem, qui erat in summitate turris Mediolanensis, & mortarium, & campanas exportaverunt: quæ omnia postmodum cum usuris reddiderunt. Tunc Papa Alexander in Italiam suum Legatum fecit, & finaliter de Cardinalibus Archiepiscopum Mediolanensem ordinavit. Hic fuit

(*) *MS. Ambr.* MCLXIII.

fuit primus Archiepiscopus datus per Papam. Silius Imperator Constantinopolitanus infinitum thesaurum Mediolanensibus misit pro reædificatione Civitatis. Isto tempore Federicus Imperator in Italiam vênit, Vicarios Theutonicos in qualibet Civitate posuit, qui spoliis intendentes totam Lombardiam contra Imperatorem provocaverunt. Imperator verò totam Italiam exactionibus dilaniavit, nullum Lombardum nisi torvo oculo aspexit, omnium Civitatum privilegia annullavit. Sola Papia in ejus oculis gratiosa fuit. Barisonem Ducem Arboreæ Sardiniæ Regem in Papiensium Civitate coronavit; & tunc Pisani Albiganam destruxerunt.

CAP. CXCIII.

De pugna inter Federicum, & Mediolanenses.

PRæter hæc Imperator destruxit segetes, vites, & arbores in circuitu Civitatis Mediolani per 15. milliaria, & Papiam rediit. Tunc Antipapa Victor vênit Papiam, ubi congregato Concilio prima die Maji excommunicavit Ubertum Archiepiscopum Mediolanensem, & Cives Mediolani, item Episcopos Placentinum, Brixiensem, Bononiensem, & Paduanum. Ex altera parte Alexander Papa, qui erat exul in Francia, misit unum Cardinalem Legatum nomine Johannem de Anagnia, qui veniens in Ecclesia Majori super pulpitum in præsentia Uberti Archiepiscopi Imperatorem excommunicavit, similiter Episcopos Mantuanum, Cremonensem, Laudensem, & Papiensem, quem perpetuò privavit usu Pallii, & ceteris honoribus. Imperator autem Papia exiens Rocham de Corva invasit, & igne cremavit. Deinde Castrum de Blandrate obsedit, & perveniens ad Cassinam Guazinæ de Aliate, ibidem cum Mediolanensibus conflixit, & 80. milites cepit. Et currens simul cum Mediolanensibus, ut sic cum ipsis Civitatem ingrederetur, equus ejus perfoditur, & ipse fuit turpiter vulneratus. Iterum autem vineas, & arbores, & agros igne ferroque consumpsit, & Papiam rediit. In Ripalta Sicca milites posuit, similiter & in S. Gervasio juxta Ticinum, ut custodirent die ac nocte, ne de Brixia, vel Placentia victualia Mediolanum venirent. Et sic tota hyeme cum Imperatrice in Laude stetit, totis viribus prohibens ne granum, vel sal ad Civitatem portaretur. Et facta est tanta fames in Mediolano, quòd in sextario salis dabant solidos 12. monetæ novæ, & in sextario frumenti solidos duos.

CAP. CXCIV.

De octo Consulibus Mediolanensibus missis Imperatori.

ANno Domini 1162. de mense Martii Cives Mediolanenses, qui Anno præterito, imò jam per duos annos nihil de terris suis receperant, nec granum, nec vinum, nec sal aliquo modo recuperare poterant, considerantes quòd Imperator, qui erat in Laude, omnino iterum devastare eos comminabatur, & quia jurasset quòd numquam in capite portaret coronam, nisi primò de Civitate Mediolani triumpharet, miserunt Consules Civitatis, qui erant octo, ad Imperatorem pacem postulantes sub certis pactis. Nomina verò Consulum erant ista: Otto Vicecomes, Amizio de Porta Romana, Anselmus de Mandello, Gotofredus Maynerius, Cassina Osa, Anselmus de Orto, Ariprandus de Judicibus, & Arichus de Bollate. Quibus Imperator ait, quòd absque pacto volebat Civitatis Dominium. Redeunt Consules, Imperatoris responsionem recitant in Palatio. Et hoc fuit 8. die Martii. Tunc Imperator misit sex Legatos, qui à sex portis Mediolanensium fidelitatem reciperent.

CAP. CXCV.

Quòd Imperator Federicus fecit Episcopum Leodiensem Archiepiscopum Mediolanensem.

HIs itaque expletis Imperator cum Imperatrice, & toto exercitu ivit Papiam, ubi in Festo Paschæ coronatus cum Imperatrice in signum gaudii de subjectione Mediolani cibum sumsit. Tunc fecit destrui murum Civitatis Brixiensis, & omnes turres, & fossatum jussit explanari. Insuper recepit sex mille libras denariorum veterum Mediolani, & omnia Castra Episcopatus Brixiensis comminuit, & hoc fuit die 15. Aprilis, & die 12. Maji destruxit muros Civitatis Placentiæ, omnes turres, & fossatum explanavit, & omnia Castra Episcopatus Placentiæ comminuit. Insuper sex mille marchas argenti extorsit. Murus tamen Civitatis infra erat grossus, & plus quàm 100. turribus redimitus, quo in Italia nullus quasi pulchrior visus est, ex quo tunc destrui non potuit. Campanile Ecclesiæ Majoris miræ altitudinis post paucos dies Imperator deprimi jussit, in cujus casu magna pars Ecclesiæ Majoris corruit. Bononiam subjugavit, totam Romandiolam suppeditavit. Omnes Civitates Italiæ, Castra, & Villæ subjiciuntur jugo Imperiali in hac æstate, excepta Arce Guardæ, quæ est juxta Veronam. Imperator iterum in Lombardiam rediit, Archiepiscopum Mediolanensem apud Beneventum perpetuo exilio damnavit, ubi & vitam finivit, Beruzum Episcopum Leodiensem Mediolanensem Archiepiscopum fecit, qui apud Brisenzonum cum Victore Antipapa Consilium congregavit, ubi fuit Rex Franciæ, qui Papæ Alexandro favebat, ubi fuit diu discussum, quis eorum esset verus Papa. Ipse autem Victor vênit Cremonam totus confusus, & vituperatus, & Imperator cum Imperatrice ivit in Alemaniam.

CAP. CXCVI.

De morte Victoris Antipapæ.

ANno Domini 1163. Rodulphus Theutonicus, qui præerat monetæ Imperiali, incœpit apud Nosetam quamdam maximam Turrim triumphalem pro gubernando thesauro Imperatoris, ad honorem cujus in Modoëtia fit Palatium maximum. Tunc Imperator iterum rediit in Italiam cum Imperatrice, & intrans Laude ibidem reperit suum Antipapam Victorem cum suis Cardinalibus in magna miseria constitutum. Qui vadens Lucam diem clausit extremum excommunicatus, & maledictus turpissima morte suis sceleribus finem dedit.

CAP.

CAP. CXCVII.

De Guidone Paschali de Cremona facto Antipapa.

ANno Domini 1164. Imperator in Papia existens Castrum S. Columbani cum magno Suburbio erigi jussit, electionem factam de Guidone Paschali de Cremona contra Alexandrum Papam confirmavit, & in Alamanniam ivit. Tunc Veneti, Paduani, Vicentini, totaque Marchia Trivisana propter gravamina Vicarii Imperatoris rebellare contra Imperatorem cœperunt, & favere visi sunt Alexandro Papæ. B Et tunc omnes Civitates Lombardiæ contra Imperatorem propter ejus malos Vicarios conspirare cœperunt. Redit Imperator in Lombardiam, & transiens per Veronensium terras turpiter fuit exclusus; Laude pervênit, ubi convocato Concilio Barones despexit.

CAP. CXCVIII.

De reædificatione Civitatis Mediolani, & quòd B. Galdinus Cardinalis Tituli S. Sabinæ factus fuit Archiepiscopus Mediolanensis.

ANno Domini 1166. B. Galdinus factus fuit C Archiepiscopus Mediolanensis, qui erat Tituli S. Sabinæ Episcopus Cardinalis. Anno verò sequenti Imperator ivit Romam, ubi Alexander Papa plenariè dominabatur, & inveniens Guidonem Paschalem Cremonensem Antipapam in Civitate Viterbii, ipsum in Romam introduxit, Ecclesiam B. Virginis Mariæ, & Ecclesiam B. Petri Apostoli igne combussit, Alexandrum Papam fugavit. Sed statim justo Dei judicio ejus exercitus disenteriæ morbo corruit, & coactus in Tusciam rediit vacuus consilio, & auxilio Dei derelictus. Interea Lombardi Civitatem Mediolanensem reædificaverunt, & quinta die Maji conjuraverunt in odium Imperatoris pro reædificanda Civitate Mediolanensi D Cremonenses, Mantuani, Pergamenses, Brixienses, Novarienses, Vercellenses, Cumani, illi de Belforth, Seprienses, & Mediolanenses.

CAP. CXCIX.

De reversione Federici Imperatoris in Lombardiam.

ANno Domini 1167. Mediolanenses congregatis exercitibus suis per terram, & aquam Civitatem Laudensem obsederunt, & perpetuam fidelitatem jurare coëgerunt. Castrum Tritii fortissimum obtinuerunt. Quo audito Imperator in Lombardiam rediens terras Mediolanensium, E & Placentinorum devastavit, & per totam hyemem in Monferrato, & in Ast commoratus privatim in Alamanniam rediit.

CAP. CC.

Qualiter Imperator Federicus in habitu privato rediit in Alamanniam.

ANno Domini 1167. imperante Federico, sedente Paschali Antipapa, exulante Beato Galdino de la Sala Archiepiscopo, Civitate Mediolani divisa in quatuor suburbia, Imperator audita morte Octaviani Antipapæ Romam A properavit, Paschalem Hæreticum in Sede Romana inthronizavit, Ecclesiam Beati Petri prophanavit, ac combussit. Totus ejus exercitus morbo disenteriæ corruit, & sic tota Italia contra eum erigitur. Ex quo Imperator timens in Alamanniam in habitu privato fûgit, ubi multis annis secundùm Sycardum moram fecit.

CAP. CCI.

Quòd omnes Civitates Lombardiæ præstiterunt auxilium in reædificatione Mediolani, exceptâ Papiâ.

ANno Domini 1167. imperante Federico, sedente in Roma Paschali Antipapa, exulante B. Galdino Archiepiscopo, omnes Civitates Lombardiæ, & tota Lombardia insimul dixerunt: *Veh nobis: Jam Imperator, qui erat nobis multùm humilis, modò nos non aspicit, nos gravat, nos servos reputat, & ecce tota Lombardia Theutonicorum spoliis exponitur. Veh, veh, veh, cecidit corona Italiæ, superbia Lombardorum corruit. Eamus & gloriam nostram, scilicet Civitatem Mediolanensem erigamus, & Theutonicorum jugum de collo excutiamus.* Ante omnia ergo facti sunt 12. Consules, scilicet Lismas de Lampugnano cum sociis. Et quia Nobiles de Mediolano erant dispersi per diversas Terras Lombardiæ, ordinatum fuit, quòd unus Miles Cremonensis more fatuorum discurreret, & pueros vocaret cum tuba ex cortice facta, & quotiescumque aliquem Civem Mediolanensem in aliqua Terra inveniret, in aure sibi diceret: *Tali die eris in Mediolanensibus partibus.* Sic itaque fecit per omnes Civitates Italiæ diu noctuque discurrens. Die ergo ordinato omnes Cives convenerunt, & omnes Civitates Lombardiæ auxilium præstiterunt, exceptâ Papiâ. Primò itaque fossatum foderunt. Erat autem annus 1167. unde versus:

Bis quinquaginta duos cum septem bisque triginta
Cum mille prostratum fuit Mediolanum gaudendo levatum.

Sub Ascendente astro Leonis quinto die Maji Cives Mediolanenses intraverunt Mediolanum, & habitâ mensurâ duorum pedum magni hominis ipsam cubitum appellaverunt. Circa cujus Civitatis fundamentum fossatum designaverunt, latitudo cujus habet 41. cubitos, exterior autem frons fossati altissimo & spisso muro murata est usque ad terræ superficiem, ibique aquæ viventes scaturiunt optimis piscibus abundantes. Est ergo distantia Portæ ad Portam oppositam tria millia cubitorum cum tertia unius cubiti. Similiter quælibet Porta Civitatis à Broleto novo per 510. cubitos distat, & aliquid plus. Super frontem Civitatis 16. Portæ marmoreæ, quarum sex sunt duplices altissimis turribus hinc inde vallatæ, quas Imperator Constantinopolitanus propriis sumtibus erexit, sed non complevit, audiens se supra unam Portam Civitatis in vili marmore, & turpi effigie figuratum. Qua de causa Civitas supra terragium altissimis muris cingi destitit, quod facere proposuerat. Sed Beatus Galdinus Mediolanensis Archiepiscopus Palatium Archiepiscopale à fundamentis erexit. Sed & Dominæ de Mediolano contribuentes; & omnia sua jocalia vendentes Ecclesiam Majorem in honorem B. Virginis Mariæ reædificaverunt. Duæ verò turres erant in Mediolano sua altitudine omnia ædificia Lombardiæ superantes, scilicet turris, quæ modò dicitur Campanile B. Mariæ. Hæc

Hæc erat turris Archiepiscopatus in summitate habens unum baculum Pastoralem in signum dominii Archiepiscopi. Alia turris erat Campanile S. Georgii. Tunc Civitas Mediolanensis quasi nihil de sua strage sentiens arma clamitat, bellicosos parat equos, deperditas Terras recuperat, alienas fertilitates, & nobilitates subjicit quasi Hydra serpens, quæ perdito uno capite alia septem capita recipit. Et sic Civitas Mediolani, quæ priùs territorio trium milliariorum extra Civitatem contenta fuerat, longè latèque alas suas expandit. Nam Ducatus Burgariæ, Marchionatus Martesanæ, Comitatus Seprii, & Comitatus Turigiæ, & Parabiagi, & Comitatus Leuci, qui omnes quasi domestici inimici Terram istam semper invaserunt, ac sæpiùs fame & gladio percusserunt, facti sunt subjecti, & servi perpetui Civitatis Mediolani. Insula Fulcheria olim semper rebellis collum jugo submittit. Civitas Angleriæ, & Civitas Brianziæ in nostra Oppida rediguntur, quia Imperatori adhæserant. Privatur suis juribus pars Capitaneorum, & Vassallorum jam tribus vicibus per Populum expulsa, quæ totis viribus Civitatem istam infestaverat. Civitatis Mediolanensis facti sunt novi habitatores. Nulli parentelæ licitum fuit dicere deinceps se habere sanguinis judicium super Vassallum, unde Vassalli se Valvassores esse confinxerunt. Sola Domus Vicecomitum hanc nobilitatem retinuit, & Vassallos habere potuit propter fidelitatem, quam habuit ad Civitatem Mediolanensem. Ah felix destructio, quæ tantam potentiam, tantum robur nobis peperit.

CAP. CCII.

De destructione Civitatis Blandrate.

ANno Domini 11'8. Imperante Federico, sedente Paschali Antipapa, sedente & B. Galdino Archiepiscopo Cives Mediolanenses attendentes quòd Civitas de Blandrate inter alias pejus fecerat Civitati Mediolani, ipsam primò aggressi sunt, quam dira obsidione circumdederunt, & obtentam in quatuor suburbia diviserunt, sicut & ipsi Civitatem Mediolani in quatuor suburbia dividi procuraverunt. Illa verò Civitas de cetero numquam reædificata fuit, & per annos VII. quibus Imperator in Alamannia stetit, Cives Mediolanenses diversas vindictas fecerunt, recentis injuriæ non immemores. Præter hæc Mediolanenses Terdonam in odium Papiensium, & Imperatoris habitari præceperunt; sed & Cremonenses noviter facti amici Mediolanensium propter timorem Imperatoris suam Civitatem muro cingunt. His auditis Imperator fremuit. Sed ante hæc anno suprascripto B. Galdinus de la Sala Nobilis Civis Mediolanensis Sanctæ Sabinæ Episcopus Cardinalis, factus Archiepiscopus Mediolanensis, ac super totam Italiam Legatus auctoritate Alexandri Summi Pontificis Mediolanum ingreditur. Hic coëgit ex parte Alexandri Papæ Laudenses recipere in suum Episcopum Albertinum Præpositum de Ripalta-sicca. Anno Domini 1171. Portæ & Turres Portæ Romanæ, quæ modò cernuntur cœptæ fuerunt.

CAP. CCIII.

De reditu Federici Imperatoris in Italiam.

ANno Domini 1174. sedente Paschali Antipapa, sedente & B. Galdino Archiepiscopo, Imperator in Alamannia existens, & audiens quòd Mediolanenses duplicia hostibus redderent, congregato exercitu octo millium militum Theutonicorum quinta vice introivit Italiam. Quarto die Octubris Sengiam destruxit, Ast obsedit, & expugnavit; Alexandriam palearem aggreditur, sed non invasit, nec quicquam utilitatis in horrea reportavit, imò vix de manu Mediolanensium ibidem vivus evasit.

CAP. CCIV.

De concordia facta inter Federicum Imperatorem, & Mediolanenses.

ANno Domini 1175. sedentibus, ut supra, Imperator ab obsidione Alexandriæ cum verecundia recedens intravit Castrum de Cestegio, ubi Mediolanenses cum Carrocero ipsi obviam venerunt. Die Sabbati Sancti Bronum combusserunt, S. Martinum in Strata destruxerunt, & die Sancto Paschatis circa Vesperas juxta exercitum Imperatoris castrametati sunt. Tunc Yzolinus de Romano pater Yzilini, & Anselmus de Doaria pater Bosii quamdam pacem inter Imperatorem, & Mediolanenses fecerunt sub tali pacto, videlicet quòd Mediolanenses tributa Imperialia solverent, & Imperator de cetero Terras Mediolanensium non invaderet.

CAP. CCV.

De mirabili pugna, & victoria Mediolanensium contra Imperatorem.

ANno Domini 1176. sedente Anselmo Antipapa, sedente etiam B. Galdino Archiepiscopo, Imperator Federicus vir pestilens pacta pacis nullo modo voluit servare; juraverat enim quòd si Civitas Mediolanensis tributa Imperialia solveret, Terras eorum numquam invaderet. Contra ergo suum sacramentum veniens, Civitatem Mediolani iterum destruere omnino disposuit. Unde de Papia exiens cum mirabili multitudine Theutonicorum pervênit ad Burgum de Carate. Quo audito, Cives Mediolanenses ipsum despexerunt, quem in campo pluries humiliaverunt. Et tunc Civitas Mediolanensis victricia signa innovavit. Præstantur equi, clypei mensurantur, augetur numerus militum, galeæ & loricæ producuntur; Carrocerum apparatu superbo educitur; lanceæ, gladii, sagittæ acuuntur. Exierunt autem hoc ordine, nam Porta Romana militavit sub vexillo rubeo, Porta Ticinensis sub vexillo albo, Porta Cumana sub vexillo tabulato ex albo & rubeo, Porta Vercellina sub vexillo balzano superiùs rubeo, & inferiùs albo, Porta Nova sub vexillo, in quo est unus Leo tabulatus albo, & nigro colore, Porta Orientalis sub vexillo, in quo est Leo totus niger. Hæ enim Portæ omnes sub vexillo albo, in quo est Vipera oculis humanis horribilis, circulis anulosa, hominem rubeum extensis brachiis in ore tenens, militaverunt. Hanc nobilis Otto Vicecomes & Miles, in duello quodam Sarraceno superato de ejus ma-

manibus abstulit. Ob cujus victoriæ memoriam æternam exercitus Mediolanensis numquam sua castra figit, nisi priùs Viperam istam in alta arbore collocatam conspexerit. Igitur cùm exercitus Mediolanensis Imperatorem in facie videre potuit, clamor attollitur, fremunt arma, ictus gladiorum terram tremere faciunt, pugna in longum protrahitur, Imperator, secundùm Jacobum, fugatur turpiter, Civitas Mediolanensis spoliis Theutonicorum repletur. Et hoc fuit, quod vidit Presbyter Leo anno MCLXXVI. die tertio ante Kal. Junii in Festo Sanctorum Martyrum Martyrii, Sisinii, & Alexandri. Tunc enim de altari istorum Sanctorum tres columbas vidit evolare, & super perticam Carroceri se appodiaverunt. Et tunc commissâ pugnâ Imperator prosternitur, & Festum istorum Martyrum perpetuò solemne statuitur. Unde clamat Sycardus: *O rota fortunæ, quæ quondam humiliavit Mediolanenses, & nunc exaltavit; imò Dominus, qui pauperes fecit Mediolanenses, & modò ditavit, superbum deponens de sede.*

CAP. CCVI.

Qualiter Federicus Imperator fuit reconciliatus à Papa.

ANno Domini 1176. sedente Anselmo Antipapa in Roma, sedente & B. Galdino Archiepiscopo, Alexander verus Papa, qui fuerat exul à Roma annis XVIII. propter Federicum Imperatorem, audiens quòd Cives Mediolanenses Imperatorem ubique superassent, gavisus est valde. Unde de Regno Franciæ pervênit Venetias. Inde verò Civibus Mediolani scripsit, quòd erat paratus potiùs mortem sustinere, quàm Mediolanenses derelinquere, exhortans eos quòd contra Imperatorem fortiter dimicarent, quia paratus erat dare omne auxilium, & omnem gratiam facere. Quo audito Imperator multùm timuit, & cogitavit ire Venetias ad pedes Papæ, & misericordiam postulare. Hoc autem fecit Imperator considerans, quòd quatuor Antipapas contra Alexandrum in Papia ordinasset, ipsumque Alexandrum Papam XVIII. annis in exilio detinuisset; considerans etiam Civitatem Mediolanensem florere, quæ jam tertia vice ipsum in campo prostraverat. Igitur Imperator pervênit Venetias, ubi Papa Concilium celebrat, & ante ipsum veniam petiit, quam post sex menses impetravit sub tali pacto, scilicet quòd cum Civitate Mediolanensi habebit treguam per annos X., & quòd in remissionem excessuum, quos contra Papam, & contra Civitatem Mediolani fecerat, iret ultra mare. Quæ omnia Imperator juravit facere. His taliter pactis Imperator Alexandrum in Sede Romana collocavit, ubi Imperator coronam deposuit, & prosternens se super terram, Papa super guttur Imperatoris pedem sinistrum fixit, & elevato altero pede ad alteram partem prosiliit dicens: *Super aspidem*, & *Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem*. Cui Imperator: *Non tibi, sed Petro.* Et Papa: *Non dignitati, sed Federico.* Tunc Papa coronam Imperii eidem restituit cum pede, ac ipsum Christianissimum promulgavit, qui vadens in Alemanniam ibi per quinque annos fuit. Isto intermedio tempore, durante tregua cum Imperatore, Mediolanenses nullam novitatem facere voluerunt. Interim Alexander Papa moritur, & quidam nomine Lucius in Summum Pontificem ordinatur. Hic cum Federico Barbarubea optimè se habuit in tantum, quòd procuravit cum Electoribus Alamanniæ, ut Henricus de Scoph filius Federici eligeretur in Regem Alamanniæ, & sic factum est. Quod multum gratum fuit Imperatori.

CAP. CCVII.

De pactis factis inter Federicum Imperatorem & Mediolanenses.

ANno Domini 1183. pro pacis constantia inter alia ista fuerunt pacta. Primò quòd Mediolanenses Imperatorem recognoscerent esse Dominum suum, & omni anno Imperator debeat offerre quatuor viros sufficientes, ex quibus magis gratum possint eligere in suum Potestatem; & Communitas singulis annis daret pro tributo Imperatori trecentas libras monetæ usualis. Et tunc Imperator subjecit Communitati Mediolani Seprium, quod usque Cerrum extenditur, & totam Martesanam.

CAP. CCVIII.

De nuptiis, & coronatione Henrici filii Imperatoris Federici.

ANno Domini 1184. Hic Henricus uxorem de Alamannia duxit, & in Civitate Mediolanensi Imperator Federicus cum filio suo Henrico cum gaudio magno intravit, ubi per Algisium de Pirovano Archiepiscopum Henricus in præsentia Imperatoris coronatus fuit, & in Brolio S. Ambrosii nuptias Imperiales fecit. Postea per Papiam, & Veronam transiens Romam perrexit ad Papam Lucium, deinde rediit Mediolanum.

CAP. CCIX.

De certis pactis factis inter Imperatorem Federicum, & Mediolanenses.

ANno Domini præcedenti, scilicet 1183. imperante Federico, regnante Henrico filio ejus in Alamannia, sedente Beato Galdino Archiepiscopo, durante tregua inter Imperatorem, & Mediolanenses, Henricus Rex Alamanniæ recogitans quanta mala Civitati Mediolani intulerat pater suus, & quòd nisi concordarent, numquam Imperii Coronam in Mediolano obtinere posset. suggessit Imperatori patri suo, quòd omnino cum Mediolanensibus concordaret: quod Imperatori multum placuit. Unde Imperator, & Henricus venerunt ad Civitatem Constantiam in confinibus Alamanniæ, & Italiæ positam, ubi & Legati Mediolanensium applicuerunt. Henricus autem apud patrem procurabat, quòd quicquid à Mediolanensibus postularetur, eis concederetur. Et facta fuit Pax maxima, quæ nunc usque dicitur Pax de Constantia. Ista fuerunt pacta, scilicet quòd Cives Mediolani recognoscerent Imperatorem esse Dominum suum, & tributa Imperialia solverent, & Imperatorem reciperent in Civitate Mediolani, quotiescumque vellet intrare. Promittunt Mediolanenses, & Imperator jurat, quòd numquam Civitatem Mediolani, nec Terras, nec Castra ejus in aliquo perturbaret; Nobiles in Comitatu Mediolani habitantes Potestati Civitatis subjiceret; contra omnem Civitatem eis inimicam hostiliter properaret; & omnem gratiam, omniaque privilegia eis grata concederet. Placent pacta utrique

que parti; pax firmatur; insuper Liga magna conficitur. Et quia Henricus apud Imperatorem fideliter in servitium Mediolanensium laboraverat, semper in oculis Mediolanensium gratus fuit. Hic Henricus uxorem in Alamannia accepit, sed non duxit in Alamanniam.

CAP. CCX.

De Coronatione Henrici filii Federici in Mediolano.

ANno Domini 1184. sedente Algisio de Pirovano Archiepiscopo, Federicus Imperator intravit Civitatem Mediolani, ubi cum mirabili gaudio receptus est. Et post pauca Henricus filius ejus vênit, & per Algisium Archiepiscopum in Ecclesia S. Ambrosii coronatus fuit. Tunc Henricus uxorem duxit, in Brolio S. Ambrosii nuptias Imperiales celebravit in præsentia Imperatoris, & innumerabilium Baronum. Quia verò Imperator, & Henricus ejus filius erant facti protectores Mediolanensium, Cremonenses invidia moti nuptiis supradictis interesse contemserunt. Ex quo Imperator, & Rex conturbati in odium Cremonensium mandant, quòd Castrum de Crema reædificaretur, quod ipse Imperator ad preces Cremonensium funditus everterat. Quo ædificato Imperator jussit, quòd de cetero Frixones Cremonenses dicerentur. Ex hoc Cremonenses nimis indignati paraverunt magnum exercitum in Imperatoris contemtum, ut Castrum Cremense dirueretur. Quod audiens Federicus Imperator, cum Carrocero Mediolanensi Cremonam invasit, Sonzinum igne, & ferro vastavit, Castrum Manfredi funditus evertit, & finaliter ad preces Sycardi Cremonensis Episcopi ipsos Cremonenses in suam gratiam recepit, & sic Imperator Mediolanum rediit. Eodem anno mortua prima nuru Imperatoris, Guillielmus Rex Siciliæ sororem suam Constantiam ipsi Henrico in uxorem tradidit, & nuptias Imperiales in Mediolano fecit. Quæ Imperatori Federico 40. equos (*) oneratos auro, & argento, xamitis, & variis palliis coopertos præsentavit. Pacificatâ autem totâ Italiâ Imperator Federicus Imperium Henrico filio suo reliquit, filiam suam Marchioni Montisferrati dedit, & in Alamanniam rediit.

CAP. CCXI.

De pactis factis inter Federicum Imperatorem, & Mediolanenses.

ANno Domini 1185. Cives Mediolanenses miserunt Legatos ad Imperatorem Federicum, quorum nomina sunt hæc: Pinamons de Vicomercato, Heriprandus de Nigris Judex, Adobaldus Bultrafus, Ugo de Camerario, Rogerius Vicecomes, Arnaldus de Mayrola, Willelmus de Osa, Ardericus Judex de Imbonate, Otto Cenderarius, Alierius Bonvicinus. Hi juraverunt ex parte Communitatis Mediolani, & Consulum, & Credentiæ, quòd ipsum juvarent, & illustrem filium ejus Henricum Romanorum Regem ad recuperandum omnia jura Imperii in Lombardia, & Romandiola, & Marchia, & specialiter Terram quondam Comitissæ Mateldis, & dare Imperatori omni anno in Kal. Martii 300. libras Imperialium, & quòd Consules, & Credentia jurabunt, & omnes Cives à 18. supra usque ad 70. annos juvabunt Imperium, (**) & dabunt consilium bona fide. Tunc Rodulphus Camerarius Imperatoris, & Henrici filii ejus, juravit quòd Imperator juvaret totis viribus Mediolanenses contra omnes Civitates Romandiolæ, & Lombardiæ, & donavit omnia Regalia, quæ habebat in Archiepiscopatu Mediolanensi, in Comitatibus Seprii, Martesanæ, & Burgariæ, Leuci, vel etiam aliis locis ultra Abduam, quæ Mediolanensibus concesserunt Cremonenses. Est autem Comitatus Seprii à Lacu Majori, sicut pergit flumen Ticini usque ad Padrianum, à Padriano usque Cerrum de Parabiago, à Parabiago usque Caronum, à Carono usque ad flumen Sevexi, à Sevexo usque ad flumen Tressæ, & sic Tressa refluit in prædicto Lacu Majori, excipiendo omnia beneficia antiqua concessa Ecclesiis, vel unicuique alteri personæ; & quòd faceret reædificare Cremam ad terminum, quem Consules Mediolanenses constituerint consilio Credentiæ suæ. Datum tertio Id. Februar. anno Regni ejus 34., Imperii verò 31., & aurea Bulla communivit.

CAP. CCXII.

De Terris ultra Abduam concessis per Imperatorem Mediolanensibus.

ANno Domini 1186. Imperator Federicus in destructionem Castri Manfredi in territorio Cremonensium concessit Civitati Mediolani Potestati, & Consulibus ex mera Imperiali liberalitate Rivoltam, Casirate, Agiarellum, Pandinum, Mixanum, Verate, Calvenzanum, Arsagum, Paradinum, Trivilium, Comazanum, Gardellam, Doveram, Ronchadellam, Pradam, Vidalengum, Pagazanum, Caravazium, Potenzo, Bregnanum, & omnia alia loca posita inter Abduam, & Lolium, & tenentur Communitati Mediolani in fodris, coltis, & in munitionibus, aliisque rationibus omnibus. Datum 5. Id. Junii. Anno Regni ejus 34. Imperii verò 31., & aurea Bulla communivit.

CAP. CCXIII.

Quòd Oddo, sive Otto Imperator recommendat Legatum suum Mediolanensibus.

ODdo, sive Otto Imperator Potestati, & Consulibus Civitatis Mediolani mittit, quòd Civitatem Mediolani super omnes Civitates Imperii exaltare intendit, & honorare, & omnia jura, consuetudines, & omnem libertatem invi labiliter conservare, & recommendat Volfrangum Patriarcham Aquilegiensem suum Legatum in tota Italia Civibus Mediolanensibus, & aurea Bulla communivit.

CAP. CCXIV.

De Confirmatione omnium privilegiorum facta Mediolanensibus per Imperatorem.

HEnricus Sextus Anno Domini 1211. 14. Kal. April. Anno Dominii, sive Regni sui tertio, omnia Privilegia, & jura, libertates, concessiones, & gratias, ac bonas consuetudines à Dominis Romanorum Imperatoribus ac Regibus nostris prædecessoribus concessa ex liberalitate Regia ratificavit, & approbavit, & suo sigillo communivit.

CAP.

(*) MS. Ambr. CL. equos.

(**) MS. Ambr. juvabunt ipsum.

CAP. CCXV.

De Concessione facta Mediolanensibus, quòd possint eligere Potestatem.

ANno Domini 1185., qui fuit annus à prima constructione Mediolani 3152. sub Dominio Henrici Imperatoris, sedente Uberto de Cribellis Archiepiscopo, sublato omni Dominio Ducum, concessit Imperator Civitati Mediolani, ut singulis annis Rectorem eligeret forensem, qui diceretur Potestas, qui ipso facto esset Comes. Et quia jus sanguinis, quod erat Imperii, isti Rectori concessit, Potestatem vocari voluit, quasi habens potestatem Imperatoris in hac parte.

CAP. CCXVI.

De destructione Vilianæ facta per Imperatorem.

HIs itaque ordinatis, Henricus Imperator Congregato immenso exercitu, contra Comitem Sabaudiæ suas direxit acies. Castrum de Viliana, quod est super Taurinum, valida obsidione vallavit, quod finaliter obtinuit, atque destruxit. Istud factum multùm Mediolanensibus placuit, dum recordarentur, quòd Comites de Sabaudia in destructione Civitatis Mediolani multùm ferventes fuissent.

CAP. CCXVII.

De primo Potestate per Mediolanenses electo.

ANno Domini 1186. sub Dominio Federici, & Henrici Imperatorum, sedente Uberto de Cribellis Archiepiscopo Mediolanensi, Cives Mediolanenses, habito diligenti consilio, volentes uti privilegio Imperatoris, videlicet quòd possent eligere Potestatem, qui regeret Civitatem loco Vicarii Imperatoris, elegerunt in Potestatem Ubertum de Vicecomitibus Placentinum, qui ipso facto fuit Comes auctoritate Sacri Imperii. Isto tempore Ubertus de Cribellis Archiepiscopus Mediolanensis factus est Papa Romanus, qui dictus est Urbanus Tertius. Hic Pulpitum Ecclesiæ Majoris ex rubeo marmore construxit, ipsamque Ecclesiam marmoreis imaginibus, Leonculis, & Griphonibus multùm ornavit, Henricum Regem Alamanniæ & Italiæ in Imperatorem coronavit. Qui Imperator statim in Campania multas Civitates, & nationes destruxit, & rediens Mediolanensibus concessit, quòd ista Civitas singulis annis Rectorem sibi eligere posset. Ex tunc cessavit auctoritas Archiepiscopi in faciendo Vicecomites, quia Potestas Mediolanensis est Comes ipso facto, & habet immediatè ab Imperatore jus sanguinis, non ab Archiepiscopo.

CAP. CCXVIII.

De Ticinello, sive Navigio incœpto à Mediolanensibus.

ANno Domini 1188. Ubertus supradictus factus est Potestas Mediolani primus. Isto tempore Ticinellum incœptum fuit. Ubertus de Cribellis factus est Papa. Imperator Henricus apud Burgum Concilium convocavit die 10. Aprilis, & Mediolanenses in Valle de Tarii combusserunt Marchionis Murnelis, (*) scilicet Carbonariam, Zeladam, & Fastigium. Et Obizo Marchio Estensis, & Civitas Achon (**) per Saracenos capitur.

CAP. CCXIX.

De prima Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1187. sedente Uberto de Cribellis Archiepiscopo Mediolanensi, facta est prima Consularia in Mediolano, & militia Mediolanensium equitavit Placentiam. Et fuerunt tonitrua, coruscationes, fulgura, & grandines ovis anserum grossiores. Fuit etiam pestilentia major quàm ulla meminerit ætas. Corvi insuper carbones ignitos per aëra portabant, & domos comburebant. Terra Sancta perditur, & Guillelmus Marchio Montisferrati per Saladinum in Damasco incarceratur.

CAP. CCXX.

De secunda Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1188. sedente Milone Archiepiscopo Mediolanensi, facta est secunda Consularia in Civitate Mediolani Milo fit Archiepiscopus Mediolanensis. Castrum Leonis incipitur. Castrum novum per Placentinos comburitur; Imperator Federicus Barbarubea per nuncios mittit Saladino, quòd Terram Sanctam deserat.

CAP. CCXXI.

De tertia Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1189. sedente Milo Archiepiscopo Mediolanensi, facta fuit tertia Consularia. Isto anno Castrum novum Parmense erigitur. Placentini devincunt Parmenses. Gulielmus Rex Apuliæ moritur, cujus Regnum ad sororem ejus Constantiam Imperatricem devolvitur. Quæ ipso anno Federicum ultimum suum depositum peperit. Imperator Federicus Barbarubea Saladinum in Iconio obsedit, Ducem Philadelphiæ prostravit, Turchilimanos difficillimo bello fatigavit, & in fluvio Rabeffi septimo die Julii submersus fuit.

CAP. CCXXII.

De quarta Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1190. facta fuit quarta Consularia in Mediolano. Crema secundùm Sycardum per Imperatorem Cremonensibus datur. Infortunium, quod dicitur *Mal mort*, Cremonensibus accidit, dum quingenti Cremonenses, & MC. Pergamenses, insequentibus eos Mediolanensibus, in Lolio flumine submersi sunt, dicentes: *Melius est submergi, quàm mori*. Plus etiam quàm mille super terram mortui jacuerunt. Equi Cremonensium, & Carrocerum, currusque innumerabiles in Civitate Mediolanensi devenerunt. Plusquam DCCC. incarceraverunt, quos de mandato Henrici Imperatoris postea dimiserunt. Isto anno Rex Franciæ, & Rex Angliæ, mortuo Federico Imperatore, Achonem recuperant, Ascalonam destruunt. In-

(*) *MS.Amb.* Marchionis Murnelis Terras, scilicet &c.

(**) *MS. Ambr.* Achori.

Insula Cypri subjugatur, naves Saladini serpentibus plenas in mortem Christianorum submergunt. Tartari de sub monte Tartaro, quod est in India, exeunt, vicinas nationes opprimunt.

CAP. CCXXIII.

De tribus Dominiis in Civitate Mediolani.

EX his locis manifestè colligitur, quòd eodem tempore in Civitate Mediolani erant tria dominia, scilicet Archiepiscopi, Potestatis, & Consulum. Unde ad intellectum omnium, quæ priùs dicta sunt, & dicendorum, est sciendum, quòd ista tria dominia erant dispertita. Nam Archiepiscopus habebat Jurisdictionem sanguinis ab Imperatore, & jus faciendi, & commutandi monetam, & Telonium Communitatis, quod positum erat super stratas maëstras in introitu Civitatis, & exitu. Et si ultra ista tria aliud attentasset, Populus ipsum de Civitate expellebat. Potestas ab Archiepiscopo recipiebat jus sanguinis quantum ad exequutionem, & erat Comes ipso facto, & portabat ante se gladium, cùm progrederetur, evaginatum, sicut dicit Apostolus. Consules ex toto regebant Civitatem. Sub Consulibus erat unus Officialis dictus Judex Communitatis, vel Advocatus. Ejus jurisdictio erat super injurias, & damna, & percussiones absque sanguine. Qui nihil faciebat absque Consulum consilio, & consensu. Consules verò sic eligebantur. Quia enim Civitas de novo fuerat reædificata, Nobiles fuerant suis nobilitatibus privati, & Populus obtinuit in electionem Consulum unum magnum jus, quia ex Artistis eligebantur usque ad centum. Isti verò eligebant non de Populo, nec de seipsis, duodecim ex Nobilioribus Civibus de Mediolano, qui erant illo anno Consules, & totaliter Domini Civitatis, & jurabant servare Statuta Communitatis, omni privata affectione postposita. Unde infra dicitur, quòd Anno Domini 1203. Credentia elegit ex Civibus Nobilibus tres Potestates, idest Consules summam potestatem habentes. In processu verò temporis electio Consulum devoluta est totaliter ad Nobiles. Consules enim præsentis anni, qui semper erant ex Nobilibus, eligebant ex Nobilibus Consules futuri anni; & tunc contra Populum facta sunt Statuta iniquissima, sicut supra legitur in Historia Lanzonis de Curte. Et de isto modo eligendi Consules habetur infra in Anno Domini 1205., quia Lantermus de Landriano elegit Consules, & in 1202. Anselmus de Tersago Consules elegit; & quia Societas Galiardorum, quæ erat quædam congeries Nobilium juvenum, quæ facta est in odium Credentiæ, elegit Potestates, sive Consules. Finaliter Consules sic fiebant, quia ex omni parentela Nobilium eligebatur unus, & fuerunt in universo C., vel CC. Ex his verò eligebantur XII., qui regebant Civitatem anno uno. Cùm autem rexissent omnes, finito numero redibat ad primos, & sic erant perpetui, justi, & optimi. Dicti verò sunt Consules de Credentia, quasi digni credulitate, & fide. Interdum quinque erant tantummodo Consules, excluso Potestate, sicut fuit antiquitus. Tunc per Archiepiscopum auctoritate Imperiali dabatur unus Vicecomes, qui dicebatur Vicecomes Archiepiscopi, vel Communitatis, cujus erat judicium sanguinis. Iste erat Potestas. Alii fiebant ad annum, alii ad vitam. A principio sic fiebant Consules per portas, videlicet quòd ex qualibet porta eligebatur unus, & sic erant sex, qui interdum dicti sunt Capitanei portarum, idest Consules electi ex portis, non quòd quilibet in sua dominaretur porta. Dicit etiam Papias, quòd homo constitutus in Consulari dignitate dicebatur Ordinarius. Item fuit alia differentia, quia ex Consulibus eligebantur duo, qui conservabant introitus Civitatis, & jurabant ad Sancta Dei Evangelia de pecunia Mediolanensi nihil dare, nisi propter utilitatem Communitatis, & isti dicti sunt Thesaurarii. Postea ex Consulibus eligebantur duo alii, qui dicti sunt Camerarii, & istorum Officium fuit de expensis providere pro forensibus circa Communia, vel ad quæ Communitas obligabatur ex debito. In istis Consulibus erant duo (*) Proconsules, idest Primores, vel Prælati, quorum officium erat in instantibus negotiis providere, vel ad Ambassiatas respondere.

(*) *MS. Ambr.* duodecim.

CAP. CCXXIV.

De secundo Potestate Mediolani.

ANno Domini 1191. Emanuel de Concesa fuit secundus Potestas Mediolani, qui post sex menses depositus, per alios sex menses iterum Consules creantur. Isto anno, die VII. Julii Mediolanenses super Terras Pergamensium castrametati sunt. Romanum destruunt, & Curtem novam expugnant, totum Episcopatum igne & ferro consumunt. Eodem anno Ricardus Comes Pictaviensis, qui factus est Rex Hierusalem, Henrico nepoti suo Regnum tradidit, & rediens in Franciam, fortuna maris impellente, ad manus Henrici Imperatoris devênit, quem CC. marchis argenti sua gens redemit.

CAP. CCXXV.

De tertio Potestate Mediolani.

ANno Domini 1192. Bonapax Faba Brixiensis fuit tertius Potestas Mediolani. Eodem anno Cremonenses cum Carrocero, Papienses, Pergamenses, Cumani, & Laudenses venerunt ad Laude-vetus ultimo die Maji. Quo audito Mediolanenses Laude-vetus aggrediuntur, fossatum explanant, 40. (**) milites de Cremonensibus capiunt, totum ferè Populum supradictarum quinque Civitatum in carceribus Mediolanensibus captivant. Plus quàm CCC. in Abduam se projecerunt. Jam Carrocerum Cremonensium secunda vice per Mediolanenses abducitur. Cavenagum, & Zevenigum igne ferroque vastantur. XLIV. milites de Laude, & CC. pedites in Mediolano includuntur. Eodem anno Trusardus Vicarius Imperatoris Henrici pacem inter Lombardos fecit. Cremonenses de carceribus Mediolanensium extraxit. Tamen Parmenses, nec Marchio Muroellus in illa pace esse voluerunt. Isto anno Imperator Henricus in Alamannia existens Federicum filium suum nondum quatuor annorum in Regem Alamanniæ eligi fecit.

CAP.

(**) *MS. Ambr.* CL. milites.

CAP. CCXXVI.

De quinta Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1193. facta fuit in Mediolano quinta Consularia. Henricus Imperator cum Constantia Imperatrice, & Federico parvulo Rege Alamanniæ Mediolanum intravit, & transiens per Papiam, & Placentiam usque Januam ivit.

CAP. CCXXVII.

De sexta Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1194. facta fuit sexta Consularia in Mediolano. Tunc Imperator Henricus de Janua transivit in Apuliam, quam subjugavit, Siciliam obtinuit, Regni Siculi coronam accepit, Neapolim expugnavit. Reginam Margheritam cum filio suo Tancredo incarceravit; Regem Epyradarum humiliavit; omnes suos rebelles durissimè oppressit; Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos crudeliter trucidavit; omnes thesauros Siciliæ in Alamanniam deportavit; tamdem per Cœlestinum Papam Tertium excommunicatus fuit.

CAP. CCXXVIII.

De septima Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1195. facta fuit in Mediolano septima Consularia. Eodem anno Innocentius Tertius factus est Papa. Et Saladinus Imperatori Græcorum Lignum veræ Crucis transmisit, quæ suum portitorem tam per mare, quàm per aridam detulit, quæ postea Januam delata est.

CAP. CCXXIX.

De octava Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1196. facta fuit in Mediolano octava Consularia. Ubertus de Terzago factus est Mediolanensis Archiepiscopus. Imperator Henricus de Alemannia exiens vênit Veronam, & per Placentiam transiens ivit in Siciliam, ubi Federicum filium suum nondum octo annorum in Regem Siciliæ coronavit; & post pauca ipse Imperator ibidem viam universæ carnis ingressus in Messina Civitate tumulatus est; & regnavit Federicus ultimus filius ejus pro eo. Tunc ad petitionem Philippi Regis Franciæ quidam filius Federici Barbæ-rubeæ nomine Philippus factus fuit Rex Alamanniæ contra Federicum ultimum filium fratris sui. Eodem anno ad preces Cremonensium, ne Castrum-Leonis fundaretur, nostri Mediolanenses idem Castrum-Leonis fundaverunt, Cremonam diris vulneribus cruciaverunt, eorumque Carrocerum jam tertia vice habuerunt, quo etiam tempore Abbas Johacim claruit.

CAP. CCXXX.

De nona Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1197. facta fuit in Mediolano nona Consularia. Philippus Prandebonus, sive de Lampugnano factus fuit Archiepiscopus Mediolanensis. Isto tempore die XV. Julii Mediolanenses cum Carrocero steterunt XV. diebus super terras Pergamensium, totum Episcopatum destruxerunt, innumerabilia loca, & Villas expugnaverunt: Eodem anno Drudus Marcellinus factus fuit Potestas Januensis, qui omnes turres Januensium ad mensuram LXXX. pedum detruncari fecit.

CAP. CCXXXI.

De decima Consularia facta in Mediolano, & de divisionibus.

ANno Domini 1198. facta fuit in Mediolano decima Consularia, quam elegit Vicecomes Communitatis. Et ipso anno Credentia Sancti Ambrosii facta fuit. Isto tempore cùm Civitas ab antiquo esset divisa inter partem Nobilium ex una parte, & parte Populi ex alia, iterum in duas partes dividitur; nam artistæ, ut macellarii, fornarii, & alii mensurales in unum congregati fecerunt quamdam Societatem, quam vocaverunt Credentiam S. Ambrosii, & portabant in armis suis quamdam balzanam rubeo & albo colore in longum partitam, & fecerunt sibi domum Communitatis cum turri, quam emerunt ab illis de Botaziis. quæ usque hodie dicitur Turris Credentiæ, faciebantque ibi quædam judicia, & dabatur eis certa pars proventuum Communitatis; & factus est caput istius Societatis Drudus Marcellinus, qui erat tunc Potestas Januæ. (*) Alia verò pars Populi ditioris, & nobilioris, ut Mercatorum, & aliorum pinguium, retinuit regimen Consulum, & eis favebat totis viribus. Pars Nobilium, sequelâ Populi jam subtractâ, fuit viribus debilitata quamplurimùm. Illi de Mota fecerunt Anzianum unum, scilicet Raynerium Cottam, & sic fuerunt partes in Civitate Mediolani.

CAP. CCXXXII.

De quarto Potestate Mediolani.

ANno Domini 1199. Joannes Rusca de Cumis fuit quartus Potestas Mediolani. Isto anno die 12. Octubris Mediolanenses cum Carrocero Cornu ceperunt, ac Turrim de Domigono. Quo audito Cremonenses ad Castrum novum, quod est in faucibus Abduæ venerunt. Pugna committitur, quæ duravit à Tertia usque ad Vesperas. Sed Castrum novum per Mediolanenses capitur, Isto anno B. Dominicus Ordinem Prædicatorum fundavit, cui Ordini B. Virgo Maria Habitum donavit.

CAP. CCXXXIII.

De quinto Potestate Mediolani.

ANno Domini 1200. Gozius de Gambara Brixiensis fuit quintus Potestas Mediolani. Et tunc quarto die Maji Mediolanenses cum Carrocero Turrim de Besate ceperunt, centum Papienses abduxerunt. Eodem anno tertio die Junii Mediolanenses cum Carrocero intraverunt Episcopatum Pergamensem; Colonium, & Risum destruxerunt; Sonzinum igne & ferro per circuitum consumserunt, quod tunc non habuerunt. Eodem anno quarto die Septembris Medio-

(*) *MS. Ambr. addit:* qui fuit vir magni cordis, & magnæ probitatis.

diolanenses cum Carrocero intrant Lomellinam, Mortariam, & alia 25. Castra munitissima expugnant. Guillelmus de Pusterla fit Potestas Placentinus.

CAP. CCXXXIV.

De tribus Potestatibus factis in Mediolano.

ANno Domini 1201. Albertus de Mandello, Raynerius Cotta, Drudus Marcellinus facti sunt Potestates Mediolani. Isto anno Mediolanenses cum Carrocero intrant Lomellinam; quarto die Junii Castrum de Vigevano jam tertia vice expugnant; 1200. Papienses capiunt; Pontem de Vigevano construunt. Ipso anno de mense Augusti Papienses in manibus Philippi Archiepiscopi juraverunt perpetuò obedire mandatis Civitatis Mediolani. Isto tempore mortuo Emanuele Imperatore, qui pro reædificatione Mediolani infinitum thesaurum consumserat, Yscarius filius ejus imperavit pro eo. Hic filium suum parvulum, qui dicebatur Alexius, secum imperare fecit; filiam suam cum Regno Salonich Raynerio quintogenito Conradi Marchionis Montisferrati tradidit. Sed quidam Tyrannus Alexius nomine Yscarium Imperatorem supradictum cum filio suo incarceravit, & Imperium arripuit. Tamdem nutu Dei Alexius parvus de carcere fugit, & in Alamanniam ad Philipum Regem Alamanniæ filium Federici Barbærubeæ consanguineum suum ivit, ab eo petens auxilium. Tunc Alexius parvulus de mandato Philippi Regis cum Comite Flandriæ, & Comite Blesenzoni, & Bonifacio Marchione Montisferrati, & Duce Venetiarum cum infinito exercitu Zaram Venetis infestam destruxit; Durantium eidem Alexio homagium fecit; Constantinopolim fracto muro, ubi desuper erat Angelus depictus, accepit, & in Ecclesia S. Sophiæ de mense Julii coronatus fuit. Alexius verò antiquior capitur, qui cum uxore, & filiis in Monteferrato incarceratur. Tunc Alexius Imperator subjugatâ totâ Thraciâ moritur; & Italici Alexium Muzurfluum Imperatorem fecerunt, qui Latinis ingratus existens per Latinos Imperio privatur; & imperavit Yscarius. Qui similiter Latinis ingratus per Latinos ipso anno deponitur, & Balduinus Comes Flandriæ Imperator efficitur. Qui obsidens Andrinopolim ibidem occiditur. Et imperavit Henricus frater ejus pro eo. Ex quo turbatus Bonifacius Marchio Montisferrati ad fratrem suum Raynerium Regem Salonich ivit, ubi post mortem ipsius Raynerii Rex effectus fuit. Qui moriens Guillielmo suo primogenito tradidit Marchionatum Montisferrati, Demetrio verò suo filio minori dedit Regnum Salonich. Mortuo verò ibidem Demetrio sinè herede, illud Regnum ad Marchiones Montisferrati rediit, quod Gullielmus Marchio cum filia sua, quam violavit, tradidit Andronico Imperatori Constantinopolitano de qua natus est Theodorus Marchio Montisferrati.

CAP. CCXXXV.

De undecima Consularia facta in Mediolano.

ANno Domini 1202. facta est in Mediolano undecima Consularia, quam elegit Anselmus de Terzago. Eodem anno facta fuit Societas Galiardorum in Mediolano; & tunc Mediolanenses cum Carrocero, & Papiensibus, qui nuper juraverunt fidelitatem Mediolanensibus, intraverunt territorium Pergamensium. Eodem tempore Crux Sanctæ Helenæ, quam ipsa Constantino filio suo in Constantinopoli miserat, per Ducem Venetiarum Venetias mittebatur, sed casu Januenses ipsam deprædati sunt, & in Ecclesia S. Laurentii collocaverunt.

CAP. CCXXXVI.

De pluribus Potestatibus factis in Mediolano.

ANno Domini 1203. Saccus de Saccis Laudensis fuit nonus Potestas Mediolani. Quo deposito Credentia elegit tres Potestates usque ad finem anni, scilicet Tanzinum de Mandello, Dominicum de Burris, & Manfredum de Osa. Isto tempore Pons Reginæ juxta Morimundum per Mediolanenses construitur.

CAP. CCXXXVII.

De pluribus Potestatibus factis in Mediolano.

ANno Domini 1204. Societas Galiardorum fecit tres Potestates, scilicet Guilielmum de Pusterla, Danisium de Crivellis, & Oldevardum de Campitio. Isto anno Crema tota igne crematur.

CAP. CCXXXVIII.

De duodecima, & ultima Consularia facta in Civitate Mediolani.

ANno Domini 1205. facta fuit in Mediolano duodecima & ultima Consularia, quam elegit Lantelmus de Landriano. Isto anno Societas Galiardorum extra Civitatem pugnavit cum Populo sinè gladio, & completâ pugnâ domum redierunt.

CAP. CCXXXIX.

De XVI. Potestate facto in Civitate Mediolani.

ANno Domini 1206. Ubertus Vicecomes de Placentia fuit XVI. Potestas Mediolani. Isto anno B. Franciscus Ordinem Fratrum Minorum fundavit.

CAP. CCXL.

De XVII. Potestate facto in Mediolano, & de Beatrice sorore Marchionis Estensis tradita in uxorem Galeaz Vicecomiti Primogenito Domini Matthæi.

ANno Domini 1207. Vicecomes de Vicecomitibus Placentinus fuit XVII. Potestas Mediolani. Isto anno magnificus Princeps Azo Marchio Estensis dominium Veronæ perpetuò adeptus est. Qui moriens Aldevrandinum, & Azinum reliquit heredes. Hic Aldevrandinus Marchio Azinum fratrem suum sub usuris Florentiæ impignoravit in servitium Ecclesiæ. Comites de Cellana, & totam Marchiam Anconitanam subjugavit; sed moriens unam filiam, quæ dicta est Beatrix, dimisit, quam Andreas Rex Ungariæ duxit, de qua Stephanum genuit. Stephanus autem genuit Andream Regem Ungariæ. Qui si bene consideretur, erit in quarto gra-

gradu cum Azone Marchione Estensi, qui filiam Karoli Secundi Regis Siciliæ duxit. Hic Azo sororem suam Beatricem magnifico militi Galeaz Matthæi Vicecomitis Primogenito dedit in uxorem, de qua natus est Azinus Vicecomes. Isto eodem anno 1207. Ubertus de Pirovano Cardinalis Romanus factus est Archiepiscopus Mediolanensis.

CAP. CCXLI.

De XVIII. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1208. sedente Uberto de Pirovano Lambertinus Bonarelus de Bononia fuit XVIII. Potestas Mediolani. Isto anno Patriarcha Aquilegiensis Domini Papæ Legatus de mense Julii intravit Mediolanum, & misit ad Philippum Regem Alamanniæ filium quondam Federici Barbæ-rubeæ, qui jam XI. annis regnaverat, ex parte Innocentii Tertii Papæ, quòd in Italiam intraret, & coronam Imperii reciperet. Interim Landegravius ipsum Philippum infirmum in lecto occîdit, & Otto Saxoniæ Dux Imperium obtinuit, ad quem Legati Mediolanensium usque in Coloniam iverunt, rogantes eum, quòd Coronam Mediolanensem quàm citiùs posset acciperet. Isto tempore Mediolanenses Pontem-Vicum de manibus Cremonensium abstulerunt; CCCC. milites Cremonenses ceperunt, & Castrum illud Brixiensibus tradiderunt. Quomodo autem istud Castrum Cremonenses habuerint, dicendum est. Nam per multos annos ante Mediolanenses (*) de Brixia per populum expulsi cum Cremonensibus fœderati sunt; Sed isto anno scilicet 1208. milites Brixiam redierunt, & infra paucos dies exeuntes Pontem-Vicum intraverunt, & Cremonensibus dederunt. Tunc ad Azonem Marchionem Estensem supradictum, qui in Verona, & Ferraria perpetuus erat Dominus, mittunt, quatenus in auxilium ipsorum veniret contra Brixienses. Qui statim territorium Brixiensium invasit; sed statim à Mediolanensibus inde fugatur. Et tunc Pontem-Vicum Mediolanenses, captis CCCC. militibus de Cremonensibus, recuperaverunt, & Brixiensibus tradiderunt.

CAP. CCXLII.

De XIX. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1209. Albericus (**) de Fontana Placentinus fuit XIX. Potestas Mediolanensis. Isto anno Otto Rex Alamanniæ intravit Mediolanum, cui occurrit Populus, totusque Clerus, Dominarum choreæ cantantium, & innumerabiles pueri similibus vestibus induti, cum ramis arborum cantantes, & festivas laudes peragentes, quæ puerorum societas Imperatori summè placuit. Tandem Coronam accepit; omnia privilegia petita concessit; pro sua coronatione nec unum parvum denarium recipere voluit; Cives Mediolanenses miro modo dilexit; Guillielmo de Pusterla Civitatem Astensem in Feudum donavit; per Mediolanenses usque Romam deducitur cum mirabili gloria. Tamdem die XIV. Augusti in Mediolano per Ubertum de Pirovano Archiepiscopum Mediolanensem coronatus fuit, & X. die Octubris per Papam Innocentium Tertium in Roma Imperii diadema suscepit. Interea Patriarcha Aquilegiensis Imperatoris Ottonis Legatus milites Brixienses in suam reposuit Civitatem. Cui Legato sacramentum fidelitatis præstiterunt, primò Mediolanenses, secundò Papienses, tertiò Placentini, quartò Cremonenses.

CAP. CCXLIII.

De XX. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1210. Ubertus de Placentia fuit XX. Potestas Mediolani. Eodem anno, scilicet quinto die Aprilis Otto Imperator de Tuscia, & Romandiola exiens intravit Bononiam, & veniens Parmam ibi Concilium congregavit. Ubi licèt à Mediolanensibus, & ipsorum parte quod vellet obtineret; attamen neque Azo Marchio Estensis supradictus cum Veronensibus, & Ferrariensibus subditis suis, nec Cremonenses, nec Papienses Imperatori obedire voluerunt. Sed Otto Imperator cum auxilio Mediolanensium die XIII. Julii Montem-Flesconum cepit, Tusciam expugnavit, totam Apuliam superavit. Interim per Papam Innocentium Tertium excommunicatus; Sed rediens in Lombardiam apud Laude Concilium celebrat, Azonem Marchionem Estensem cum omnibus suis fautoribus de toto Imperio exbannivit, & intrans Mediolanum ibidem 15. diebus stetit, contra Regem Francorum mirabiliter triumphavit.

CAP. CCXLIV.

De XXI. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1211. Guillielmus de Lando Placentinus fuit 21. Potestas Mediolanensis. Eodem anno Girardus de Sesa factus est Archiepiscopus Mediolanensis, qui infra mensem moritur. Cui successit Henricus de Septara, qui Terram Sanctam visitavit, captioni Hierusalem interfuit, corpora trium Magorum recuperare studuit. Isto anno Papa Innocentius Tertius Rogerium Federicum Siciliæ Regem jam 22. annorum Romam advocavit, cui Imperium promisit, & in Alamanniam contra Ottonem Imperatorem direxit. Qui primo die Maji Januam intravit, ubi Azo Marchio Estensis, & Petrus Transversarius, Comes S. Bonifacii, & Marchio Montisferrati ad ipsum accedentes per Montem-Ferratum Ast, deinde Papiam perduxerunt, volentes ipsum in Cremonam associare. Sed Mediolanenses cum Carrocero ad Lambri transitum venerunt, omnibus modis contradicentes ne transiret. Occultè tamen transivit, & Cremonam ivit. Ex quo plusquam 200. milites de Papia per Mediolanenses capti sunt.

CAP. CCXLV.

De X. Potestatibus factis in Mediolano.

ANno Domini 1212. facti sunt in Mediolano X. Potestates, quorum Sapiens erat Paganus de Bussero. Eodem anno Rogerius Federicus Rex Siciliæ Cremona exiens ivit Mantuam, deinde Veronam, postea in Alamanniam.

CAP.

(*) *MS. Ambr.* milites.

(**) *MS. Ambr.* Albertus.

CAP. CCXLVI.

De IV. Potestatibus factis in Mediolano.

ANno Domini 1213. facti sunt in Mediolano 4. Potestates, scilicet Otto de Mandello, Manfredus de Busnate, Ardicus Marcellinus, & Busardus Inchoardus: Isto anno Mediolanenses cum suo Carrocero fugaverunt Cremonenses de quodam suo fortalitio, quod fecerant juxta Serrium; innumerabiles de populo Cremonensium, volentes fructus devastare, capti sunt à Mediolanensibus. Insuper ipsi Mediolanenses cum captivis de Cremona. & spoliis, equis, curribus, & tentoriis recedentes suum Carrocerum paucis Placentinis recommendaverunt. Videntes autem Cremonenses Carrocerum Mediolanensium ferè derelictum, & ipsos Mediolanenses propter Festum Pentecostis Cremam ivisse, ipsum Carrocerum invaserunt. Placentini autem, qui ipsum custodiebant, videntes se deficere, Carrocerum in lutum impingerunt, & recesserunt. Cremonenses autem illud Cremonam deduxerunt, quòd eis ad nullam laudem cessit; nam mille milites perdiderant, & populum infinitum, tria etiam Carrocera per Mediolanenses impugnata sunt hostiliter, ut supra dictum est. Eodem anno Mediolanenses cum Carrocero Lomellinam intraverunt: 12. die Junii Mortariam destruxerunt, Gambalonum, Lomelum, & omnes illas Contratas bestiis, & spoliis infinitis deprædati sunt. Similiter Castrum Vicherium capitur.

CAP. CCXLVII.

De XXXVI. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1214. Ubertus de Vialta Placentinus fuit XXXVI. Potestas Mediolanensis. Eodem anno quinta die Septembris Mediolanenses volentes suum Carrocerum de manu Cremonensium vendicare, Zonevoltam equitaverunt, ubi à Mediolanensibus Cremonenses in campo prostrati sunt, nec fuit umquam in populo Cremonensi secundùm Sycardum facta tam enormis jactura. Et Carrocerum ipsorum jam quarta vice per Mediolanenses captum est. Isto anno Sycardus Episcopus Cremonensis, qui Mitrale, & Chronicam pulcherrimam composuit, in Domino moritur. Eodem anno Mediolanenses cum suo Carrocero intrant Lomellinam, & expugnant Vilesium, Bremedum, Cozum, Candidam, Santiranam, & Villamnovam.

CAP. CCXLVIII.

De XXXVII. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1215. Brunasius Porca Novariensis fuit XXXVII. Potestas Mediolanensis. Eodem anno quarto die Februarii mille milites de Mediolanensibus Placentiam iverunt, & Castrum Parpanisii obsederunt, & exustum funditus everterunt; Rovorscaliam etiam devastaverunt. Eodem tempore Mediolanenses cum Carrocero Bardonesiam intraverunt; Bosnatum, quod erat muro & turribus munitum, similiter Castrum-nigrum destruxerunt; Rovorscale, quod erat podio, muro, fossato, & altissimis turribus vallatum, funditus everterunt. Post paucos verò dies intraverunt Lomellinam, & Garlascum violenter expugnaverunt, CCC.

A Papienses, boves innumerabiles, aliamque infinitam prædam abduxerunt. Interim Thomaxinus Comes Sabaudiæ cum Mediolanensibus ligam fecit, & cum mille militibus magnificè ornatis in auxilium Mediolanensium personaliter venit. Tunc Mediolanenses obsidere cœperunt Casale S. Evasii, & in primo incursu de muro plusquam CD. brachia dejecerunt. In secundo verò incursu Casalenses cum corrigiis ad collum Mediolanensibus se reddiderunt, & carceribus Mediolanensium mancipantur, & Casale funditus evertitur ad preces Vercellensium die XX. Augusti. Eodem mense Mediolanenses in servitium Thomasini supradicti intraverunt terram Marchionis Pimasii, Castra & Villas innu- B merabiles destruxerunt: quapropter ille Marchio, prout potuit, concordavit. Isto Anno de mense Novembris Papa Innocentius Tertius in Roma Concilium Prælatorum convocavit, & Mediolanenses citavit, rogans eos quatenus Ottonem Imperatorem deserant, & Rogerio Federico Regi Siciliæ adhæreant, ac certas Civitates vicinas sibi amicabiliter juvent. Cui Mediolanenses totique Concilio pulchra verba responderunt. Isto anno Padus congelatus est per duos menses, tantumque frigus fuit, quòd panis nec fructus poterant incidi. Guidotus Crasselus factus est Potestas Placentinus.

C CAP. CCXLIX.

De XXXVIII. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini MCCXVI. Jacobus Malcorrigia Placentinus fuit XXXVIII. Potestas Mediolanensis. Isto Anno de mense Maji duo Cardinales ex parte Domini Papæ Mediolanum venerunt, dicentes Mediolanensibus, quòd Rogerio Federico Regi Siciliæ pararent auxilium contra Ottonem Imperatorem. Quod quia facere noluerunt, Civitas interdicto supponitur Unde Mediolanenses turbati cum Carrocero Padum transierunt, Castrum Syrmachi fortissimum expugnaverunt. Die VII. Julii Ca- D strum Golferentii subjugaverunt; Montem Calvum, Turrim de Languarda, ac totam contratam devicerunt, ac igne & ferro consumserunt. Vallem Serisparsi, Vallem Versæ, Castrum Nigrum jam reædificatum, Castrum Montis Autonis, Castrum Vigoboni, & usque ad Portum periculosum totum destruxerunt. Brone, Castrum Montalini, Stratelam combusserunt, Castrum de Porta Albera à fundamentis eradicaverunt; Arenam obsederunt, sed non habuerunt: unde domum redierunt. Eodem anno de mense Julii iterum totam Lomelinam expoliant, & destruunt. Eodem etiam anno die XVI. Julii Innocentius Tertius apud Perusium moritur, & E Honorius Tertius subrogatur, qui Petrum Comitem Antisidiorensem coronavit in Imperatorem Constantinopolitanum.

CAP. CCL.

De XXXIX. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini MCCXVII. Andalus de Andalo Bononiensis fuit XXXIX. Potestas Mediolanensis. Isto anno Honorius Tertius Ordinem Fratrum Prædicatorum confirmavit, & Henricus de Septara Archiepiscopus Mediolanensis Fratribus Prædicatoribus Ecclesiam S. Eustorgii XXX. die Martii concessit. Iste Archiepiscopus cum Pelagio Legato Domini Papæ in Hierusalem ad Johannem Regem pervênit;

& tunc fuit capta Damiata, & post duos annos perdita. Isto anno Mediolanenses cum Carrocero suo per Cremam transeuntes pervenerunt Ruminengum, quod expugnaverunt; Episcopum Cremonensem in campo, & innumerabiles Cremonenses ceperunt, & in Mediolano incarceraverunt, Carrocerum ipsorum jam quinta vice habuerunt, & Zonevoltam obtinuerunt; usque ad tria milliaria in circuitu Civitatis ceperunt. Quibus Potestas Cremonensis misit ut recederent, aut belli fortunam expectarent. Attamen de Civitate egredi non sunt ausi. Finaliter ipsi Mediolanenses versùs domum redeuntes, duo suburbia Sonzini, ac molendina destruxerunt; Villam Florani, & Garinani depopulati sunt, & venientes prope Curtem-novam, Villam de Corno, & de Corneto consumserunt. Eodem anno Mediolanenses XIII. die Octubris super Terras Parmensium equitaverunt; Montem-salus, & Græcum expugnaverunt; Rudilianì locum, & Varani, Petram-Cornam, multasque alias Villas combusserunt; Papienses perpetuò obedire Mediolanensibus jam tertia vice juraverunt.

CAP. CCLI.

De XL. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini MCCXVIII. Amizo Saccus Laudensis fuit XL. Potestas Mediolanensis. Eodem Anno de mense Maji Otto Imperator amicus Mediolanensium moritur, & Rogerius Federicus Rex Siciliæ inimicus Mediolanensium Imperator efficitur. Hic duxit in uxorem Beatricem filiam Regis Arragonum, de qua genuit Henricum, qui fuit Rex Alamanniæ, quem Pater ejus postea mori fecit. Postea duxit in uxorem Isabellam filiam Johannis Regis Hierusalem, & illud Regnum in dotem habuit, de qua genuit Karulum, qui sinè prole decessit, & Conradum Regem Alamanniæ, Siciliæ, & Hierusalem, qui genuit Conradum Regem Hierusalem, & Siciliæ, qui moriens sinè prole illa Regna Imperio donavit.

CAP. CCLII.

De XLI. Potestate Mediolani.

ANno Domini MCCXIX. Lotorengus de Martinengo Brixiensis fuit XLI. Potestas Mediolanensis. Tunc Mediolanenses cum suo Carrocero, & Carrocero Placentinorum Padum transeuntes inter Pontem Mirum, & Fontanam castrametati sunt. Postea in Psalmuris, & in Prato de Rege Pascha Pentecostes celebraverunt, & VI. die Junii Castrum de S. Cruce cum Domigono consumserunt. Item XVII. die Julii Mediolanenses obsederunt Cremonenses, Parmenses, Mutinenses, & Regianos in loco quodam invictissimo, qui dicitur Gibellis, ubi pugnantes à Nona usque ad sero ipsam munitionem capere non potuerunt; sed ex utraque parte multi perierunt. Sequenti verò die Mediolanenses Castrum de Busseto munitum optimè, Turrim de Roagia, Castrum de Rivo Sanguinario, Casale Barbatum, Cogamatum, & alia XXX. Loca Cremonensium ceperunt. Tamen precibus Ambasiatorum de Bononia, qui ad pacem faciendam venerant, de Terris Cremonensium recesserunt. Isto tempore Placentini monetam, quæ dicitur Quartaroli, cudi fecerunt. Laudenses portam de Puteo Sulberto, & portam de Strata-levata cœperunt. In Civitate Vercellarum Ecclesia S. Andreæ fundatur. Pax de Leuco facta est. Eodem tempore Parmenses primò, postea Cremonenses juraverunt in manibus Cardinalis Legati Papæ Honorii Tertii pacificari cum hostibus suis. Hoc ipsum postea Mediolanenses fecerunt.

CAP. CCLIII.

De XLII. Potestate Mediolani.

ANno Domini MCCXX. Amizo Varentanus de Laude fuit XLII. Potestas Mediolanensis. Ordo Fratrum Prædicatorum primum Capitulum Generale in Bononia fecit. Pars Militum de Placentia exivit, & sequenti anno redivit. Et Otto de Mandello concorditer Potestas Placentinus factus fuit. Eodem Anno quinto die Septembris Rogerius Federicus Rex Siciliæ electus Imperator Italiam intrans à Mediolanensibus Coronam petiit, quam Avus ejus Federicus Barbarubea, & pater ejus Henricus quondam in S. Ambrosio receperat, quod Mediolanenses rotundo ore denegaverunt. Tunc Imperator Rogerius Federicus dissimulans Romam ivit, & in Festo S. Cæciliæ ab Honorio Papa Tertio Imperii diadema suscepit. Postea intrans Siciliam Sarracenos de Monte fugavit, suos rebelles interfecit, totum illud Regnum subjugavit, Henricum primogenitum suum in Regem Alamanniæ eligi, & coronari fecit.

CAP. CCLIV.

De XLIII. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1221. Amizo Saccus Laudensis fuit 43. Potestas Mediolanensis. Isto anno Henricus de Septara Archiepiscopus Mediolanensis Ecclesiam Claravallis consecravit, statimque cum parte Capitaneorum, & Vavassorum de Mediolano expellitur, & bannitur, qui in Castro Canturii se munivit. Isto anno apud Bononiam B. Dominicus moritur, quem Ugolinus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & Legatus sepelivit, postea factus Papa ipsum canonizavit.

CAP. CCLV.

De XLIV. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1222. Lanfrancus de Musco (*) Pergamensis fuit 44. Potestas Mediolanensis. Isto anno stella Cometa apparuit, Luna Eclipsim patitur, diluvium inundavit, vites, uvasque, & domos absorbuit, terra mugitus dedit horribiles, Templa subvertuntur, campanæ à terræ motu concussæ sonabant, flumina versùs suos fontes recurrunt. Et ecce Cives Mediolanenses in partes oppositas divisi duo capita sibi faciunt. Nam partis Capitaneorum, & Vavassorum, qui de Civitate exierant, caput fuit Otto de Mandello; caput verò Populi fuit Ardigetus Marcellinus. Et ecce territorium Mediolanense, quod numquam aliquis Italicus intrare ausus fuerat, modò à suo Populo devastari cœpit. Nam per Populum Mediolanensem, Carugum, Glucianum, Pirovanum, Barzanore, Ve-

(*) *MS. Ambr.* de Musso.

Veranum, Merganum destruitur. Henricus verò de Septara Archiepiscopus Mediolanensis cum parte Nobilium occurrit; pugna indicitur, sed in campo pax perficitur. Isto tempore Comitatus Tholosanus Coronæ Franciæ adjungitur.

CAP. CCLVI.

De 45. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1223. Pax de Manervio Brixiensis fuit 45. Potestas Mediolanensis.

CAP. CCLVII.

De 46. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1224. Aventinus de Cixate Mantuanus fuit 46. Potestas Mediolanensis. Isto anno Azo Marchio Estensis cum Rizardo Comite S. Bonifacii, & Veronensibus, & Mantuanis, Salinguerram in Ferraria obsidebant. Sed Salinguerra vir astutus Rizardum Comitem de S. Bonifacio, ut intraret securè Ferrariam, misit, cum eo colloquium habiturus. Sed intrans capitur, & sic Azo Marchio Estensis de obsidione recessit.

CAP. CCLVIII.

De 47. Potestate confirmato in Mediolano.

ANno Domini 1225. supradictus Aventinus in regimine Civitatis refirmatur. Eodem anno, jam capto Rizardo supradicto, Yzilinus primò dominium Veronæ obtinuit. Isto anno simul pacificantur Populares, & Nobiles.

CAP. CCLIX.

De 48. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1226. Guazia Ruschonus de Cumis fuit 48. Potestas Mediolanensis. Isto anno secundo die Martii Pruvius Incovardus fit Potestas Placentinus, cui successit Guido de Landriano. Eodem anno Honorius Papa Tertius mittit per Legatum Cardinalem Mediolanensibus, & Civitatibus Lombardiæ, ut Romam vadant, & octavo die Decembris inter ipsos, & Imperatorem Rogerium Federicum pax fit. Et tunc quæstio oritur, quia Episcopus Cremonensis dicebat se esse exemtum; credebat enim Henricum de Septara Archiepiscopum Mediolanensem, quia exul erat, in expensis deficere. Sed magnanimus Henricus de Septara equum suum calceis argenteis ornavit, quo Episcopus Cremonensis territus Cremonam rediit. Isto anno Imperator Rogerius Federicus in manibus Domini Papæ Honorii Tertii juravit ire ultra mare in subsidium Terræ Sanctæ, & veniens Ravennam in Cremona Concilium congregavit, ubi Mediolanenses sibi pacificare voluit; sed ipsi nullum bonum responsum dabant, sed sæpius improperabant eidem, quòd Avus suus Federicus Barbarubea Civitatem Mediolanensem proditoriè dissipasset. Videns autem Imperator se nihil posse in Italia prosperari propter inimicos suos, qui in Mediolano erant, Veronam rediit, Yzilinum de Romano Dominum Veronæ dilexit, Azonem Marchionem Estensem, & Mediolanenses semper odivit.

CAP. CCLX.

De 49. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1227. Lanfrancus de Ponte Caroli Brixiensis fuit 49. Potestas Mediolanensis. Eodem anno Honorius Tertius moritur, & Gregorius Nonus constituitur. Hic Imperatori Rogerio Federico mandat, quatenus Verona egrediens ultra mare vadat; sed ipse exercitum infinitum Anglorum, Francorum, Theutonicorum, Italicorum, & Ispanorum (*) congregans, in Siciliam duxit, quorum auxilio totum Regnum Apuliæ subjugavit, juraque Ecclesiæ enervavit. Unde Gregorius Papa Nonus die Jovis Sancto ipsum excommunicavit, nisi mandata adimpleret. Ipse verò cum 50. galeis armatis mare transivit suum exercitum in Siciliam dimittens, qui possessiones, & jura Ecclesiæ totis viribus dilaniavit.

CAP. CCLXI.

De 50. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1228 Aliprandus Faba Brixiensis fuit quinquagesimus Potestas Mediolanensis. Usque ad ista tempora Potestates Civitatis morabantur in Palatio, quod erat juxta Broletum vetus, & Notarii stabant in latere Ecclesiæ, & Judices ibidem suum habebant Collegium. Tunc cogitaverunt Rectores Civitatis Broletum in medio Civitatis ponere, ubi nunc est, & emerunt illam turrim, quæ est in medio Broleti, & domos circumstantes, ab illis, qui dicebantur Faroli, reliqua verò pars erat Monasterii Lantasii, ubi nunc est Capella Domini Potestatis. Eodem anno Gregorius Nonus de mense Junii audivit, quòd Imperator Rogerius Federicus in Syriam advenisset, & cum Soldano pepigisset, quòd sibi Regnum, quod erat uxoris suæ dos, pacificè dimitteret, & quòd de Ægypto se non intromitteret, quod & factum est. Unde Papa multùm indignatus tum ratione istius pacti, tum quia gens ejus in Sicilia Ecclesiæ jura perturbaret, ipsum tamquam hæreticum excommunicavit, & Guithifredum Ecclesiæ Romanæ Cardinalem in Lombardiam misit pro subsidio contra Imperatorem. Tunc Mediolanenses valde gavisi centum milites sub Uberto de Bussero in auxilium Papæ, & Placentini 30. miserunt. Tunc Ubertus Saporitus erat Potestas Placentinus, & Civitas Bobii juravit homagium Civitati Placentiæ.

CAP. CCLXII.

De 51. & 52. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1229. Bonacursus de la Porta Brixiensis per tres menses fit 51. Potestas Mediolani. Postea usque in finem anni Bartholomæus de Carbonibus Bononiensis fuit 52. Potestas Mediolani. Isto anno 40. milites de Mediolano in servitium Bononiensium obsederunt Castrum de S. Cæsario in territorio Mutinensi, quod finaliter capitur. Interim audiens Imperator Federicus, quòd Papa cum Mediolanensibus Apuliam intrasset, in Italiam revertitur, & cum Ecclesia pacificatur.

CAP.

(*) *MS. Ambr.* Isaurorum.

CAP. CCLXIII.

De LIII. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1230. Ubertus Sardus Placentinus fit 53. Potestas Mediolani. Isto anno Henricus de Septara Archiepiscopus Mediolanensis moritur, cujus obitus totam Italiam conturbavit. Isto etiam anno 700. milites de Mediolano, & 60. de Placentia 9. die Junii Castrum de Bimbaruzio, quod est in Monte Ferrato obsederunt, & superaverunt. Tunc Marchio Montisferrati facere voluntatem Mediolanensium juravit, & statim Mediolanenses Civitatem Astensem per duo milliaria à Civitate obsederunt, & cuncta igne ferroque destruxerunt, postea in Alexandriam se receperunt. Tunc exercitus Mediolanensium Ubertum de Ozeno virum illustrem sibi præfecit, & intrantes Comitatum Pedemontis Pizum de Cunio erexerunt, ubi Pedemontani de Saviliano, & de Sancto Dalmatio confugerunt, gravamina Marchionum, & Comitis Sabaudiæ sustinere non valentes. Tunc prædicti Principes Ubertum de Ozeno captum crudelissimè occiderunt. Isto tempore Yzilinus filius quondam Yzilini de Romano Domini Veronæ Comitem S. Bonifacii in Verona incarceravit; sed Azo Marchio Estensis Veronam obsedit, & prædictum Comitem de carcere liberavit. Gufredus de Pirovano fit Potestas Placentinus.

CAP. CCLXIV.

De LIV. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1231. Ubertus Strictus Placentinus fit 54. Potestas Mediolani. Isto anno Guilielmus de Rozolo fit Archiepiscopus Mediolanensis. Eodem anno 12. die Junii mille equites de Mediolano, & quatuor millia peditum, & 600. milites de Placentia, centum de Novaria, & totidem de Alexandria, mortis Uberti de Ozeno Capitanei sui non immemores, Terras Marchionis Montisferrati invaserunt; Gynasium obsederunt; navigium Marchionis Montisferrati, quod erat in Pado, ceperunt; pontem super Padum construxerunt, & Castrum de Buzallo expugnaverunt; Castrum de Castilliono, Castrum de Hestia, Castrum de Cyriale XVIII. die Augusti obtinuerunt, & XV. die Septembris Castrum de Cinasio difficillimo prœlio obtinuerunt, in quo conflictu Ardigetus Marcellinus sagitta perfoditur. Isto anno de mense Octubris tota Italia congregata fuit cum Bononiensibus, qui Ligam facientes, Summo Pontifici significant, quòd Imperator nullo modo cum exercitu in Lombardiam veniat; aliàs si sibi malè contigerit, habeat sibi. Interim duo Cardinales, scilicet Jacobus Prænestinus Episcopus, & Otto Tituli S. Nicolai in Carcere Tulliano venerunt Bononiam cum Lombardis de pace tractaturi, & statim Imperator vênit Ravennam. Ad quem cùm Cardinales accedere voluissent, ipse vadit Venetias, ut visitet S. Marcum. Et cùm Cardinales post ipsum Venetias pergerent, ipse Aquilegiam petit. Cardinales autem videntes se sic derideri, ad Papam redeunt. Audiens autem Imperator, quòd Henricus Rex Alamanniæ filius suus cum Mediolanensibus composuisset ad Domini Papæ procurationem, intravit Alamanniam, filium suum cepit, & in Siciliam incarceravit, ubi & mortuus fuit. Et tunc Imperator Conradum, quem sibi genuerat Isabella Regina Hierusalem, Regem Alamanniæ eligi, & coronari fecit.

CAP. CCLXV.

De LV. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1232. Petrus Ventus Januensis fuit LV. Potestas Mediolanensis.

CAP. CCLXVI.

De LVI. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1233. Oldradus Grossus Laudensis fuit LVI. Potestas Mediolanensis. Tunc Palatium Broleti novi erigitur, in cujus latere ipse Potestas in marmore super equum residens sculptus fuit: quod magnum vituperium fuit. Hic primò Hæreticos capere cœpit. Primus lapis in Ecclesia Fratrum Minorum ponitur. Tantumque gelu viguit, quòd à Venetiis usque Cremonam super faciem Padi mercationes ducebantur. Vinum in vegetibus congelabatur, vixque vinum inter carbones liquescebat. Nulla rota Molendini circumducebatur. Caristia subsequitur, mortalitas oritur, guerræ, & perturbationes incipiunt, ficulneæ, oliveta, nucleares arbores, & vineæ aruerunt, hominesque in lectis congelabantur.

CAP. CCLXVII.

De LVII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1234. Manfredus Comes de Curte-Nova fuit LVII. Potestas Mediolanensis. Isto anno Imperator Rogerius Federicus misit Cremonam unum Elephantem, Camelos, & Dromedarios ibi nutriendos, donec veniret. Quo audito Mediolanenses cum Carrocero intrant Terras Cremonensium, & apud Zonevoltam sua Castra fixerunt, ubi Cremonenses astiterunt; pugna committitur, Cremonenses more solito terga vertunt de mense Julii, ubi & Imperiales abduxerunt; sed illa animalia Imperatoris non habuerunt nostri Mediolanenses.

CAP. CCLXVIII.

De LVIII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1235. Albertus Saccus Laudensis fuit LVIII. Potestas Mediolanensis. Hic per Societatem Fortium, sive Galiardorum in Palatio capitur. Isto anno Beatrix filia Aldevrandini Marchionis Estensis, & Marchiæ Anconitanæ, traditur Andreæ Regi Ungariæ in uxorem, de qua natus est Stephanus, qui genuit Andream Regem Ungariæ, ut supradictum est. Eodem anno Cremonenses apud Riparolum ceperunt CC. milites de Brixia de mense Maji, sed Brixienses ceperunt CCC. milites de Cremonensibus.

CAP. CCLXIX.

De LIX. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1236. Obizo Marchio Malaspina fuit LIX. Potestas Mediolanensis. Isto anno Rogerius Federicus Imperator ad preces Yzilini junioris, & Veronensium intravit Ita-

Italiam, & in Veronam se recepit. Mantuam usque ad muros igne ferroque vastavit. Tamdem Brixiam aggreditur, & in Monte-Claro castrametatur; ac Mediolanenses inde fugans totum Episcopatum Brixiensem destruxit; tamen Margaream, & Mosum propter Potestates custodiis mandavit, & de mense Augusti Cremonam ivit. Ubi audiens quòd Azo Marchio Estensis Ripaltam, quæ est super fluvium Athisim juxta Veronam obsideret, personaliter succurrit; exercitum Marchionis per X. milliaria fugavit, & pergens Vincentiam, ipsam in Festo Omnium Sanctorum expugnavit, quam ferè ex toto consumsit, ubi Albericum fratrem Yzilini suum Vicarium fecit, & in Alamanniam rediit. Tunc Mantuani de mense Decembris Margaream recuperant, & innumerabiles Cremonenses incarcerant captivos.

CAP. CCLXX.

De LX. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1237. Petrus Comes de Zarra, & Tripolis, filius Ducis Venetiarum fuit LX. Potestas Mediolanensis. Isto anno Mediolanenses cum Carrocero intrant Lomelinam die tertio Junii; omnes pontes, Terras, & Villas destruunt, & XV. die Augusti Lomelum, & Garlascum expugnant; pontem novum Padi, quod est juxta Orium, ceperunt. Audiens Imperator Rogerius Federicus, quòd Mediolanenses mallearent alios Lombardos, de mense Augusti tertia vice intravit Italiam. Yzilinus Paduam, & Trivisium obtinuit. Ex quo Azo Marchio Estensis, & Comes S. Bonifacii Dominus Mantuæ cum Imperatore, & Yzilino juraverunt. Tunc Imperator super Brixiam militat, Montem-Clarum destruit, & in Ponte-Vico castra sua figit. Quod audientes Mediolanenses ad locum Minervi ex opposito Imperatoris cum suo Carrocero pervenerunt, ubi per tres menses Imperatori resistunt. Ad quos Imperator quia propter paludes accedere non poterat, Pontem-Vicum combussit, & transiens Lolium juxta Alphanum tamdem Sonzinum pervênit, & transitus, per quos oportebat Mediolanenses transire, custodiri jussit; & fecit præconizari, quòd exercitus ejus Cremonam iret; & ipse in quodam nemore latitavit juxta Curtem-novam. Mediolanenses verò, quorum consuetudo semper fuit inordinatè ad bella procedere, ac finè omni ordine ad propria remeare audito quòd Imperator Cremonam ivisset, turmatim, & finè ordine, & armis cantando domum redeunt, quos Imperator aggrediens manu armata percussit; Potestatem Mediolanensem cum D. militibus, & peditibus CC. cepit; ultra DC. equos habuit circa Festum S. Michaëlis quodam die Veneris. Tunc Imperator Carrocerum Mediolanense invasit, sed Henricus de Modoëtia Potestas Societatis Fortium viriliter illud defendit, & invadente pluvia, ipsa nocte prædictus Henricus propriis manibus Carrocerum, quod erat in luto permaximo infixum, in frusta concidit, arborem Carroceri cum Cruce, & Vexillo Mediolanum portavit. Mane autem facto dum Imperator Carrocerum invadere disponeret, videns quod factum erat, rotas, & asseres in unum conjunxit, & Romam misit, quod super columnas ad perpetuam rei memoriam erigi mandavit. O infelix Imperator, quòd tuam confusionem divulgas? Ubi est Imperialis dignitas Imperatorum Romanorum, qui suis inimicis per multa tempora ante bella prædicebant, & tu quasi latro in spelunca latuisti? Numquid prædixisti bella inimicis, quos inermes invasisti? Cogita quòd unam Societatem superare non potuisti. Carrocerum dilaniatum, derelictum, & in lutum projectum devicisti. Certè silere debuisti, ac præ verecundia stupescere. Sed attende quod tibi contingat in sequentibus annis. Tunc Mediolanenses per Terras Pergamensium proditorum suorum transire volentes per Paganum de la Turre, quem Jacobus filius magni Martini genuerat, per Vallem Sasnam Terram suam secretò deducuntur, qui pecuniarum summas magnas Populo Mediolanensi expoliato præstitit, & multa eis servitia fecit, ex quo domus Turrianorum Populi amorem habere cœpit. Sed Mediolanenses statim resumtis viribus, Imperatori, qui erat in Cremona, miserunt dicentes: *Nos non sicut tu, sed publicè, ad te venimus quæcumque sunt in facie Urbis Cremonensis in tui despectum extirpare*. Quod & factum est. Quo pacto Imperator, quia non potuit Cremonam, nec se à tanto opprobrio liberare, Laude festinavit. Quod Mediolanenses audientes ad Laude-Vetus castrametati sunt, ac per tres menses ne Laude ingrederetur restiterunt. Tamen finaliter intravit, partem Anengagorum dilexit, multos de parte Sumariparum incarcerandos in Apuliam misit, Castrum Imperiale super portam, quæ vocatur Cremonensis, erexit. Tunc Papienses pontem Ticini invadentes fugantur, vulnerantur, & à Mediolanensibus capiuntur.

CAP. CCLXXI.

De LXI. & LXII. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini MCCXXXVIII. Gavazarinus Ruscha, & Petrus de Azariis sive de Vitalnis facti sunt LXI., & LXII. Potestates Mediolani. Tunc Imperator à Laude Papiam perrexit, ubi tota Lombardia à Sengia inferiùs eidem occurrit. Sola Civitas Mediolani rebellis fuit, quæ tamen pacem cum Imperatore facere voluit; sed Imperator renuit. Unde statim Brixiam obsedit per tres menses & octo dies. Durante verò obsidione Mediolanenses cum Carrocero super Civitatem Papiensem euntes in tantum ipsam oppresserunt, quòd in paucis diebus perpetuam fidelitatem Mediolanensibus juraverunt; Ex quo Imperator indignatus ad Civitatem Veronensem convolavit. Quo audito Mediolanenses recentis injuriæ Pergamensis Civitatis non immemores, cum Carrocero, advocatis Papiensibus, intrantes territorium Pergamense omnia illorum bona expoliaverunt, Castra subverterunt. Sed & Superi suam maledictionem illis proditoribus Pergamensibus dederunt; nam grandines ovis anserum similes omnia terræ nascentia, aves, ramos arborum, & armenta pecorum percusserunt.

CAP. CCLXXII.

De LXIII. Potestate Mediolani.

ANno Domini MCCXXXIX. Raymundus de Ugonibus Brixiensis fuit LXIII. Potestas Mediolanensis. Isto anno Abdua in Lambro ponitur, & Imperator à tota Marchia Trivisana fidelitatis juramentum exegit. In Paduana Civitate à principio Quadragesimæ usque ad tres dies

dies post Pascha moram traxit. De mense Junii cœlo sereno Sol eclipsatus fuit. Tunc Imperator disposuit Civitatem Mediolanensem subjugare; similiter Papam, & Cardinales cogitavit totaliter exterminare. Quod Papa perpendens in Festo Olivarum admonitione præmissa ipsum Imperatorem in Civitate Paduana existentem publicè excommunicavit, & Gregorium de Monte-Lungo Sacri Palatii Notarium, virum constantem, & strenuum, Legatum in Italiam fecit; Jacobum Prænestinum Episcopum, & Cardinalem ultra montes misit, qui per totam Franciam, Hispaniam, Angliam, Arragoniam, & Navarram, Crucem, & omnium peccatorum tam à pœna, quàm à culpa remissionem prædicari contra Imperatorem fecit: ex quo in Italia multi contra Imperatorem se erexerunt. Nam Vercellinus de Camerico, & Albericus frater Yzilini in Trivisio Imperatori contradicunt. Azo Marchio Estensis arcem Estensem de manu Yzilini recuperat; Bronem, Fererum (a), Calahonem obtinuit; Yzilino, & Civitati Paduanæ gravissima bella intulit. Imperator verò ex alia parte Civitati Bononiæ multa mala fecit; nam Plumatium, & Crevacor Castra Bononiensium funditus evertit, & intrans territorium Mediolanense XII. die Septembris Melegnianum, Landrianum, Basilicam Petri, & alias Villas numero XIX. destruxit. Tamdem ad Plebem de Locate pervênit, in cujus exercitu fuit Henricus filius ejus Rex Sardiniæ, Theutonici plusquam quinque millia, Apuli, Tusci, Siculi, & Saraceni de Lucera. Tunc habito consilio in Civitate Mediolanensi quod essent facturi, coram Gregorio de Monte-Lungo Legato Domini Papæ hoc proposuerunt, quod melius esset, an Imperatori obviare, vel in Civitate se defendere. Surrexitque Probus Inchoardus, & dixit: *Tutius est Civitatem custodire, quàm bellorum fortunæ corpora nostra exponere, maximè quia Imperator non potest durare, nec victualia recipere sufficiet*. Cui Legatus: *Non secundùm tuum nomen locutus es, sed secundùm tuum cognomen; Incboardus enim verè es, non Probus*. Tunc inclytus vir Otto de Mandello ait: *Non est natura virorum Urbis Mediolanensis in muris se recludere, sed defensio gentis nostræ semper fuit in dextris ejus; nihil enim contra hostes tutius audacia*. Surgunt Populares, & dicunt: *Redeat virtus nostrorum majorum in corda nostra, scindantur dilecta pignora filiorum nostrorum, hìc in oculis nostris longæva senectus annorum ululet, hìc defleant uxores, & clamitent in auribus nostris, ut sic inclytæ Urbis nostræ libertas conservetur. Ista namque mala sunt in manibus Imperatoris, unde melius est nobis mori in bello, quàm gentis nostræ, & filiorum nostrorum videre interitum*. Confirmato itaque consilio Legatus Domini Papæ Clericos, & Religiosos militare coëgit, & adversùs Imperatorem Civitas Mediolanensis suas dirigit acies. Imperator verò maximè timet. Tunc unus ex proscriptis Militibus, qui cum Imperatore aderat, Turrim illorum de Stampis conscendere cœpit, & videt illos de Gallarate cum Seprierisibus advenire, quorum pulchritudinem Imperator admirans ait: *Verè nobilis est Civitas tua, quæ tales populos habet*. Cui proscriptus miles: *Hi sunt solummodo Seprienses*. Statimque illi de Canturio, & de Vicomercato cum Martisianis veniunt. Et dixit proscriptus miles: *Hæc est Martesana*. Cui Imperator: *O quanta est Martesana ista*. Et ecce Burgaria, sive Bazana subsequitur, Gera Abduæ adjungitur. Stupet Imperator. Tamdem Carrocerum scarleto vestitum cum Cruce aurea, & Vexillo mirabili adducitur; insignia nitent; comitiva Capitaneorum, & Vavassorum adest. Et dixit Imperator: *Gladius Mediolanensium sessorem equi nostri num destruet, ac ipsum totius Orbis dominum?* Respondit miles ille proscriptus: *Arma Mediolanensium totius Orbis sunt malleus*. Tunc Mediolanenses longè ab Imperatore per unam leucam clamare cœperunt: *ad mortem ad mortem*. Et ecce quædam Societas Sarracenorum apparuit, quibus Ottobelus de Mariano (b) de genere gygantum, major omni viro ab humeris supra, cum electis juvenibus de Bazana occurrit. Pugna committitur; fossata ex Saracenis implentur; multi captivi, & equi in nostrum exercitum deducti sunt. Tunc Imperator exercitum suum juxta Cassinas Scanasii posuit, & sequenti die Cremonenses cum Carrocero applicuerunt, qui dicere potuerunt: Plusquam 20. vicibus Carrocerum Mediolanensium super terras nostras intravit, & modò nostrum Carrocerum super terras Mediolanensium prima vice intrare didicit. Isto die quidam Theutonicus duellum petens versùs nostrum exercitum currere cœpit, cui Fantonus massarius (c) occurrit, atque Theutonicum usque ad tentorium Imperatoris fugavit. Cui Imperator: *O bone juvenis, unde tibi tædium vitæ est? Qua de causa belli discrimen subire voluisti? An coactus?* Cui Fantonus: *Imo certè mihi hoc de gratia concessum est, plusquam mille hoc postulantibus*. Cui Imperator: *Jam omnes vos captivos meos reputo*. Respondit Fantonus: *Dulcedo, & amor patriæ, ac libertatis cupido, nos contra te facient esse victores*. Hunc vestitum cum pulchro equo Imperator ad nostrum remisit exercitum. Ipsa verò nocte Mediolanenses cum quibusdam gulsis diruptis exercitum Imperatoris natare per arva coëgerunt, ipseque Imperator usque ad lumbare madidatus est. Dixitque Imperator: *Credo quòd Mediolanenses in sinu fontes aquarum portent*. Et habito consilio militum proscriptorum, quod esset facturus, versùs Langiarelam venit, & inter Bessate, & Cassorate sua castra fixit. At Mediolanenses in facie Imperatoris in illa nocte fossatum incredibilis magnitudinis subfoderunt, & Ticinellum in Ticinum magnum posuerunt. Hoc fossatum Scodengarda communitur; Ostia, & portæ, ac trabes tectorum undique adducuntur, & omnibus Theutonicis, ac Papiensibus transitus denegatur. Et post quinque dies Cumani de nostro exercitu fugerunt occultè. Quod videntes Mediolanenses habito consilio ipsa nocte relictis tentoriis fugam simulantes in quodam nemore se absconderunt. Facto verò mane Theutonici, transacto fossato nostro, cum Cremonensibus, & Papiensibus Mediolanenses insequuntur. Cùm autem transissent multi Otto de Mandello licentiat omnes, ut properè ad pugnam accedant. Quorum primus fuit Passibanus Platus, qui gallum aureum de galea Theutonici dejecit. Fugiunt Theutonici, submerguntur, dum fossatum transire volunt. Ibi cecidit flos militiæ Papiensis, superbia Cremonensis corruit. Quo audito Imperator expavit, & dixit: *In fuga Mediolanensium non est speran-*

(a) *MS. Ambr.* Baonem, Tererum.
(b) *MS. Ambr.* Mayrano.

(c) *MS. Ambr.* Massazius.

vandum; nunc credebamus eos esse divisos; invenimus ipsos adversos. Præcepitque quòd fossatum aquis penitus evacuaretur. Sed Guillielmus Tencha de Castelleto, & Ardigus Marrus cum illis de Corbeta, & de Mazenta, & de ripa Ticini prohibuerunt. Interim Guillelmus Comes S. Severini, Thebaldus de Larmascha Normandus, Petrus de Vineis, promissâ eis summâ magnâ pecuniæ per Mediolanenses, ordinare cœperunt, qualiter tumultum facerent in exercitu Imperatoris. Et postea ut ordinatum erat Mediolanenses Imperatorem sub suo tentorio caperent. Quod minimè Imperatorem latuit, unde Imperator misit Mediolanensibus dicens: *Vado in Apuliam facere de meis proditoribus ultionem, ad vos citò reversurus.* Tunc Mediolanenses cum gloria, & triumpho ad propria redierunt.

CAP. CCLXXIII.

De LXIV. Potestate facto in Mediolano.

ANno Domini 1240. Conradus de Concesa Brixiensis fuit LXIV. Potestas Mediolani. Isto anno Populus Mediolanensis non immemor servitiorum, quæ Paganus de la Turre Mediolanensibus ad Curtem-novam fecerat, ipsum in Potestatem advocavit.

CAP. CCLXXIV.

De LXV. Potestate Mediolani, qui fuit Paganus de la Turre, & de origine illorum de la Turre.

QUia verò illi de la Turre maximum Dominium in Civitate Mediolani habuerunt, & de ipsis hic primò facta est mentio, eorum genus describamus, partim ut invenimus in scriptis, partim ut ab antiquis audivimus, quæ si vera sunt pro veris habeantur; hoc enim certum est quoniam omnes ex Adam nati sumus naturâ pares, licèt corporis, vel animi virtus aliquos fecerit nobiliores. Fertur enim quòd de stirpe Regum Franciæ quidam vir illustris descendit, qui accepta uxore de Burgundia herede illius magnæ dignitatis, quæ usque nunc dicitur de la Turre, super dotem vadens, dictus est Dominus de la Turre. Ex isto viro illustri duo gemelli fratres descenderunt, qui perpetrato quodam magno maleficio proscripti sunt, & transactis Alpibus Lombardiam ingressi sunt. Tunc temporis in Vallesasna quidam Comes nomine Tatius dominabatur, cui erant duæ filiæ nubiles, quas istis duobus fratribus gemellis tradidit in uxores. Mortuo verò Tatio hi licèt essent Comites ratione uxorum, nomen tamen suum scilicet de la Turre semper retinuerunt. Per multas autem intermedias generationes hic Paganus descendit, qui primus inter Turrianos Civitatem Mediolanensem obtinuit, & Vexillum cum Leone semper portavit. Turrianis itaque in Vallesasna stantibus, rupta de Curte-nova facta fuit, ut supra dictum est. Tunc Paganus de la Turre vir illustris Populares de Mediolano exspoliatos per Pergamenses recollegit, vulneratos fovit, omnia eis necessaria ministravit, in pecuniis subvênit, errantibus securum conductum dedit, propter quæ beneficia quasi Deus laudabatur. Quadam namque vice dum Populus Mediolanensis per Nobiles diversis gravaminibus opprimeretur, Populus in loco ejus deputato, qui Credentia dicitur, convênit, & habito consilio unus sic ait: *O vos qui astatis Populares, audite verba mea. Ecce jam transacti sunt plus quàm CC. anni quòd statuerunt Nobiles, quòd quicumque Nobilis interficeret Popularem, non solveret nisi libras VII. tertiolorum, & XII. denarios, ex quo innumerabiles de Populo corruerunt. Multa gravamina nobis imponunt, & Nobiles in suis Castris residentes Communitati Mediolani non respondent, & sic Populus portat totum pondus in expensis, & quotidie interficiunt Populares sicut canes. Unde consulendo vos rogo ut nobis de aliquo bono capite provideamus, qui sit noster Dominus, & à Nobilium jugo nos liberet.* Sic ergo deliberato Consilio Paganum de la Turre Martini gygantei filium cum fratre suo Jacobo advocaverunt, ut Populi Mediolanensis ipse Paganus Potestas efficeretur: quod ipse libenter acceptavit. Et intrans Mediolanum cum universa prole, & consanguineis factus est LXV. Potestas Mediolani. Eratque ei ab antiquo secundùm dignitatem Comitatus de Vallesasna, in quo heredes fuerant, Vexillum Leonum, quod usque hodie domus Francisci de la Turre portat. Hic Paganus anno uno completo moritur, & in Claravalle tumulatur. Tempore istius Pagani primum adventarium institutum fuit. Hermanus autem primogenitus filius dicti Pagani cùm in Civitate Mediolani cum omni sua parentela moraretur, non immemor suæ antiquæ nobilitatis, scilicet quòd de Domo Regali Franciæ descendisset, arma Regis Francorum, scilicet Lilium aureum in campo azurro in modum Turris, quod gariffora dicitur, pro suo Vexillo habuit. Alii verò Turriani arma Turrianorum, qui in Burgundia habentur, scilicet Turrim rubeam in campo albo portabant. Unde illi Turriani, qui usque hodie in Burgundia habitant, dicunt se consanguineos Turrianorum, qui in Mediolano fuerunt. Verum est quòd illi Turriani de Burgundia ratione maternæ hereditatis Turriani dicti sunt. Cùm autem Populus Domum Turrianorum in caput suum erexisset ex altera parte Nobiles Leonem Archiepiscopum Mediolanensem suum elegerunt Dominum. De isto Leone, quòd multa magna bella peregit, ejus genus videamus. Quidam vir nomine Guillielmus de Perego genuit filium, qui cùm adhuc in utero matris haberetur, mater somniavit, quòd pariebat filium, qui brachii proprii sanguine multos portabat, quorum corda confortabantur. Hic natus nominatus est Leo, qui ingressus Ordinem Fratrum Minorum factus est vir magni consilii, magnæ austeritatis, & mirabilis opinionis. Interveniente ergo turbatione Clericorum de Archiepiscopo Mediolanensi eligendo, pariter omnes committunt Fratri Leoni, ut de Archiepiscopo provideret. Qui accepta auctoritate se ipsum elegit, & confirmatus mutatus est in virum alterum. Tandem factus caput Nobilium multas turbationes in Civitate Mediolani procuravit; & cùm videret Nobiles de aliquo timere dicebat: *Minuite brachium meum sanguine, & meum sanguinem bibite, & eritis viri cordati;* & sæpiùs somnium maternum recitabat. Tunc cùm Leo Archiepiscopus Mediolanensis cum parte Nobilium ex una parte, & Paganus de la Turre cum Populo ex altera in multis sibi contradicerent, & turbatio in Civitate commoveretur, factum est ut si Populus contra aliquam Civitatem pugnaret, Nobiles domi remanebant Populum despicientes, & è contrario si Nobiles ad pugnam militabant, Populus domi stabat; & sic tota Civitas

vitas concussa multas jacturas sustinuit diversis temporibus, quia juxta Salvatoris nostri vocem Lucæ XI. *Omne Regnum in se divisum desolabitur, & domus super domum cadet*. Isto tempore Cives Mediolanenses recordati illius magnæ proditionis, quam fecerant Cumani, quando reliquerunt eos in campo, ut supra dictum est, collecto maximo exercitu usque ad portas Civitatis Cumanæ castrametati sunt, omnia usque ad muros Civitatis igne ferroque vastaverunt, Castrum de Lucino funditus everterunt. Hisdem temporibus Papa Gregorius Nonus contra Ferrarienses mandavit Gregorio Legato supradicto, ut Mediolanenses invitaret. Tunc dati sunt ei CCC. milites Mediolanenses, qui Ferrariam subjugaverunt, multo tamen certamine. Salinguerra Dominus Civitatis Ferrariensis captus Venetiis incarceratur, statimque Paulus Traversarius Dominus Civitatis moritur. Quo audito Federicus ultimus exiens Apulia intravit Lombardiam, qui obsessam Civitatem Ravennatem in paucis diebus obtinuit. Demum Faventiam post obsidionem octo mensium obtinuit, & expugnavit, quod multùm Legato Papæ, & Mediolanensibus displicuit.

CAP. CCLXXV.

De LXVI. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1241. Philippus Vicedominus Placentinus fuit LXVI. Potestas Mediolani. Eodem anno fuit bellum de Genestis XII. die Maji, ubi Mediolanensis militia sinè Populo pugnavit cum militia, & Populo Papiensi. Et licèt Papienses primò fuissent abrupti, tamen quia militia Mediolanensis per turmas divisa spolia diversa equorum, armorum, & militum de Papia hinc inde distrahebat, Papienses collecto exercitu campum recuperaverunt, & multos milites de nostris ceperunt, inter quos captus fuit nobilis juvenis Federicus de Salvaticis, qui propter libertatem habendam Papiensibus revelavit, quòd Mediolanensis Populus properè adveniret. Quo audito puer dimittitur, & Papienses fugiunt, quos Mediolanenses usque ad portas Urbis Papiæ sunt persecuti. Tunc ex Mediolanensibus in Papiam ducti sunt. Probus Inchoardus, Minziatus de Lampugnano, Gazeta de Garenzano, fortissimus Anselmus de Terziago, & Manfredus de Pusterla, qui postea relaxati sunt, dimissis aliquibus Papiensibus, qui in nostris carceribus erant. Finaliter inter ambas Civitates pax conficitur, quarum guerra XXII. duraverat, adeò quòd territorium intermedium magìs sylva ferarum videbatur, quàm agricultura. Isto anno Imperator duos Cardinales in mari cepit, ac Prælatos multos, quos incarceravit. Post pauca Gregorius Papa Nonus moritur, & Cœlestinus natione Mediolanensis, scilicet de Castiliono, in Papam subrogatur, qui XVIII. die Pontificatus sui moritur.

CAP. CCLXXVI.

De LXVII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1242. Lucas Grimaldus de Janua fuit LXVII. Potestas Mediolani. Eodem anno Mediolanenses ultra Cumas Mendrisium ceperunt, & destruxerunt; Bilnizonam obtinuerunt; multa alia loca everterunt. Isto anno Innocentius Quartus Januensis ex illis de Flischo fit Papa, qui ordinavit quòd Cardinales uterentur capello rubeo; Ordini Prædicatorum multa privilegia concessit; eidem Ordini primum Cardinalem dedit. Imperator verò audiens, quòd melior amicus, quem haberet in Curia, & magìs de parte Imperiali, esset factus Papa, exteriùs quidem gaudium ostendit, sed illa nocte magna suspiria dedit dicens: *Perdidi bonum amicum, quia nullus Papa potest esse Gibelinus*.

CAP. CCLXXVII.

De LXVIII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1243. Catelanus de Carbonibus Bononiensis fuit LXVIII. Potestas Mediolani. Isto anno Receptum de Melegnano factum fuit. Marchio Montisferrati, Vercellenses, & Novarienses facti sunt amici Mediolanensium. Isto etiam anno Henricus Sardiniæ Rex, ac Imperatoris filius Terras Mediolanensium invasit, cui Mediolanenses apud Melegnanum viriliter occurrerunt, atque de Sayrano, ubi Castra sua fixerat, expulerunt. Eodem tempore Mantuani Castrum Hostiliæ in Ripa Padi ceperunt. Galvaneus Lanzia Marchio, ac Imperatoris Vicarius Castrum S. Bonifacii destruxit. Yzilinus homines interficere cœpit.

CAP. CCLXXVIII.

De LXIX. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1244. Ubertus Magajola Placentinus fuit LXIX. Potestas Mediolani. Isto anno caristia intolerabilis fuit, & mortalitas tanta, quòd frater in fratris morte non plorabat. In tantum urnæ, tumuli, & Cæmeteria Ecclesiarum cadaveribus plena erant, quòd in campis sepeliebantur. Castrum de Rodobio XIII. die Julii per Populum Mediolanensem destruitur. Castrum de Cogozio reædificatur. Eodem anno cùm Papa Innocentius Quartus jam per duos annos continuos Imperatorem voluisset pacificare cum Ecclesia, videns quòd ab Ecclesia Castra, Possessiones, & Villas arriperet, ac totis viribus Ecclesiasticas personas dilaniaret, occultè Januam cum sex Cardinalibus VII. die Julii intravit, & ultimo die Augusti alii septem Cardinales Mediolanum venerunt, & Januam ad Papam perrexerunt. Tunc Papa de mense Novembris vênit in Ast, & transiens per Montem-ferratum in Sabaudiam ivit. Comiti Sabaudiæ neptem suam tradidit, cui Castrum de Ripolis dedit; & ille Comes, qui erat priùs Imperatoris Vicarius, factus est hostis maximus. Tamdem Papa in Lugduno se recepit, ubi & Concilium convocavit, & personaliter citavit Imperatorem; sed comparere contemsit.

CAP. CCLXXIX.

De LXX. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1245. Ubertus de Villantia Placentinus fuit LXX. Potestas Mediolani. Isto anno primo die Augusti Papa Innocentius Quartus de consensu totius Generalis Concilii Rogerium Federicum Imperio privavit in hæc verba: *Volentes Divinam sententiam nostræ præponere sententiæ, denunciamus Rogerium Federicum à Deo excommunicatum, & ab omni honore Imperii, & Regni Siculi depositum. Nos ergo dictæ sententiæ nostram sententiam* adden-

addentes excommunicamus ipsum Rogerium Federicum, & ipsum de omni honore Imperii pariter, & Regni deponimus. Hanc sententiam Imperator apud Taurinum primò audivit, ubi ipse cum Marchione Montis-ferrati, & Comite Sabaudiæ Ligam juravit. Et audito quòd Federicus filius Regis Castellæ de carceribus Papiæ evaserat, & Mediolanum fugerat, triginta Apulos, qui ipsum custodiebant, exbannivit, postea Papiam ivit, deinde Cremonam, postea Parmam perrexit. Ubi invênit quòd Henricus filius suus Rex Sardiniæ Bernardum Rubeum de Parma expulerat, ac ipsius domos subverterat. Similiter & ipsum Bernardum de Regio fugaverat, quod sibi multum placuit, maximè quia ille Bernardus Innocentio Papæ proximus erat. Iterum Imperator depositus Papiam rediit, & intrans Terras Mediolanensium Morimundum destruxit XI. die Octubris, & apud Abiate castra sua fixit in ripa Ticinelli. Contra quem Mediolanenses ex altera parte castrametati sunt & ibidem sinè pugna XXI. diebus steterunt. Die verò primo Novembris Imperator ivit Busaloram, ibique Mediolanenses ex altera parte fluminis castra sua fixerunt, nec ipsum transire permiserunt. Tunc Imperator Casternum ivit die XIII. Novembris, & ibidem Turrim illorum de Cottis destruxit, & sua castra in illo loco fixit, ubi statim Mediolanenses occurrunt. Videns autem Imperator depositus se omnino deficere, Regi Henrico filio suo præcepit, ut juxta Cassanum Abduam citò transiret. Quod cùm faceret Porta Orientalis, & Porta Cumana juxta Gorgonzolam occurrunt, ubi Henricus Rex per Pancram de Buzano, de equo dejicitur, & ibidem incarceratur. Quem tamen sub certis pactis Simon de Locarno caput prædictarum duarum portarum, dimisit. Tunc Imperator depositus circa finem Novembris Castrum de Casterno linquens, Papiam ivit, & de cetero super Terras nostras numquam redire ausus est; sed apud Grossetum hyemavit, quem Principes ejus proditoriè occidere voluerunt, quo viso in Apuliam ivit.

CAP. CCLXXX.

De LXXI. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1246. Henricus Advocatus Vercellensis fuit LXXI. Potestas Mediolanensis. Isto tempore ad procurationem Papæ Comes Antegramus, qui Philippum Regem Alamanniæ filium quondam Federici Barbæ-rubeæ dolo occiderat, fit Rex Alamanniæ, qui Conradum filium Imperatoris depositi debellavit. Eodem Anno in Kalendis Maji floccavit, & Yzilinus illos de Lendenaria occidit.

CAP. CCLXXXI.

De LXXII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1247. ad procurationem Gregorii de Monte-longo Conradus de Concesa fuit LXXII. Potestas Mediolanensis. Isto anno Antegramus Alamanniæ Rex moritur, ex quo Ecclesia quamplurimum turbatur; Imperator verò depositus multùm gaudet. Unde Apulia exiens in Italiam vênit, apud Taurinum se recepit, ubi filiam suam Jacobo Marchioni de Carreto in uxorem dedit; & statim Regi

A Henrico filio suo præcepit, quòd Quintianum Castrum Brixiense obsideret. Qua obsidione durante, Girardus de Corrigio cum parte Ecclesiæ Parmam hostiliter intravit. Quo audito Rex Henricus Parmam aggreditur; sed idem turpiter fuit fugatus quinta die Julii. Hæc audiens Gregorius de Monte-longo cum DC. militibus Mediolanensibus Parmam ingreditur. Et statim Imperator depositus Parmam obsidet, & in faciem Urbis Parmensis Civitatem construit, quam Victoriam appellat. Tunc Guillelmus de Sorexina, & Otto Marcellinus cum mille militibus Mediolanensibus, quorum quilibet tres, aut quatuor equos habebat, Parmam ingressi, per VII. menses Imperatori dira
B prœlia moverunt.

CAP. CCLXXXII.

De LXXIII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1248. Bonifacius de Salis Brixiensis fuit LXXIII. Potestas Mediolanensis. Isto Anno de mense Februarii mille milites Mediolanenses, quos Imperator depositus in Parmam obsederat, Civitate egressi Imperatorem depositum fugaverunt, Civitatem Victoriam expugnaverunt, infinitum thesaurum rapuerunt, & Carrocerum Cremonensium quinta vice obtinuerunt, MD. milites Imperatoris
C captivaverunt, plus quàm duo millia occiderunt, & cum gaudio Mediolanum redierunt.

CAP. CCLXXXIII.

De LXXIV. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1249. Supramons de Lupis Pergamensis fuit LXXIV. Potestas Mediolanensis. Isto Anno XVI. die Maji Castrum de Arona, quod erat Guidonis Canis per Mediolanenses capitur. Yzilinus arcem Estensem destruxit. Rex Henricus in Bononia incarceratur, & Guillielmus Comes Yrlandæ in Regem Ala-
D manniæ coronatur, & ipso Anno per Frixones occiditur. Isto etiam Anno B. Ludovicus Rex Francorum petiit à Papa, ut fieret passagium ultramarinum. Quod quum fuit ordinatum, ipse Ludovicus caput exercitus Christianorum factus est. Cui adjuncti sunt Barones multi, inter quos fuit Martinus de la Turre, corpore gyganteus, vir illustris, armis edoctus, Valsasnæ Comes, qui quum contra Sarracenos ultra mare pugnaret pro Fide Christi, capitur, & trucidatur, sicque Christi Martyr efficitur. Reliquit verò post se duos filios, scilicet Paganum, & Jacobum, à quibus magna Domus Turrianorum descendit. Iste Martinus habuit fratrem, qui dictus est Raymundus, Clericus dives, & præbendatus.
E Damiata etiam per Ludovicum prædictum capitur.

CAP. CCLXXXIV.

De LXXV. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1250 Jacobus Rubeus Parmensis fuit LXXV. Potestas Mediolani. Isto Anno die 7. (*) Maji Castrum de Leuco per Mediolanenses subjugatur. Imperator depositus in Apulia moritur, & Matthæus Vicecomes in Lombardia nascitur. Eodem etiam anno quum

(*) *MS. Amb.* die VI.

A quum Mediolanenses Civitati Parmensi quater mille modios bladi mitterent, & Placentini bladum retinuissent, turbatio orta est. Tunc etiam per Mediolanenses in Episcopatu Laudensi destruitur Castrum de Zuidi, Castrum de Brignate, & Castrum de Ficilaga. Sed quum æstus esset permagnus, multi Mediolanenses siti, & calore perierunt; unde iste exercitus dictus fuit *exercitus de la Caldana*.

CAP. CCLXXXV.

De LXXVI. & LXXVII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1251. Johannes aliàs Girodelus de Riva Mantuanus fuit LXXVI. Potestas B Mediolani. Hic fecit destrui domos circa Broletum novum; Palatia per circuitum Broleti erexit, & XIV. die Junii suburbium de Caravazio, quod Civitati Mediolanensi rebellaverat, destruxit. Isto anno eodem die supradictus Potestas cum Ambasciatoribus Mediolani ad petitionem Innocentii Quarti Papæ ivit Januam, ubi & mortuus fuit. Cujus scutum ad S. Ambrosium delatum fuit, & flevit eum omnis Populus, quia numquam in regimine aliquis similis ejus inventus est. Tunc Innocentius Quartus Papa VII. die Julii Mediolanum vênit cum tribus Cardinalibus, & in S. Ambrosio est hospitatus. Cui honorificè occurrit florida juventus Civitatis Mediolani, & quilibet mitram gerebat in C qua Papa depictus erat. Ultra hoc plusquam 200000. (*) ipsi obviaverunt; & tunc ipse Papa dedit huic Civitati Potestatem Girardum de Rangonibus Mutinensem, qui fuit LXXVII. Potestas Mediolani. Postea Papa Civitatem Laudensem interdixit, sed pars Avergangorum Yzilinum, & Boxium de Doaria, qui in Civitate Cremonensi dominabantur, in sui auxilium in Civitate Laudense recepit. Castrum Imperatoris armatur; sed tunc ad petitionem Suzii de Vistarino Mediolanenses cum suo Carrocero, & Trabuco die VIII. Augusti per aliam portam sunt ingressi. Die noctuque pugnatur, & petunt Cremonenses à Mediolanensibus dicentes: *Si vos vultis vestram partem Civitatis Laudensis destruere, nos & nostram partem destruemus*. D Quibus Mediolanenses responderunt: *Civitas Mediolanensis numquam tale scelus commisit*. Finaliter Yzilinus, & Boxius de Civitate Laudensi fugantur per Mediolanenses, & Suzius de Vistarino per X. annos in dominio reformatur, & Castrum Imperatoris destruitur. Eodem Anno de mense Aprilis perpetua pax inter Mediolanenses, & Papienses facta fuit. Raynaldus filius Azonis Marchionis Estensis in Apuliam jam dudum incarceratus ibidem moritur. Tunc Papa de Mediolano exiens Perusium perrexit, Apuliam sibi subjicere studuit. Quo audito Conradus Rex Hierusalem, & Siciliæ filius quondam Imperatoris depositi, Alamannia exiens Veronam in- E travit, ubi per Yzilinum summo cum honore recipitur, & navigans intravit Apuliam, quam totaliter obtinuit. Insulam Siciliæ habuit, & infra duos annos moritur.

(*) *MS. Amb.* duo millia.

CAP. CCLXXXVI.

De LXXVIII. LXXIX. LXXX. & LXXXI. Potestatibus factis in Civitate Mediolani.

ANno Domini 1252. sedente Fratre Leone de Perego Archiepiscopo, Petrus Advocatus de Cumis fuit LXXXVIII. Potestas Mediolanensis. Isto anno XXIX. die Aprilis B. Petrus Martyr de Ordine Fratrum Prædicatorum ab Hæreticis occiditur. Cujus homicida dum in custodia Potestatis per decem dies fuisset, evasit. Unde turbati Nobiles, Populares, parvi, & magni de Mediolano, Potestatem, ac totam ejus familiam ceperunt, & tota nocte custodierunt. Eorum Palatium exspoliatur, & sequenti die ipse Potestas cum tribus suis militibus, & Judicibus ejus Archiepiscopo præsentatur. Cui vix vita donata fuit. Et remansit Civitas sinè Potestate X. diebus. Tamdem Ambasciatores de Placentia, Brixia, & Papia duos Potestates, scilicet Ubertum de Runco-veteri, qui rexit Nobiles, & Conradum de Concesio Brixiensem, qui rexit Populum, fecerunt. Qui rexerunt usque ad adventum electi Potestatis. Et Ubertus de Cazainimicis de Ursis Bononiensis decima die Maji fuit LXXXI. Potestas Mediolanensis. Isto anno XX. die Septembris prima columna Pontis de Viglevano figitur. Gregorius de Monte-lungo Patriarcha Aquilejensis efficitur. Eodem etiam anno nobilis Ambasciata de Mediolano Perusium ad Papam Innocentium Quartum ivit, quæ Canonizationem Beati Petri Martyris Ordinis Fratrum Prædicatorum impetravit.

CAP. CCLXXXVII.

De LXXXII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1253. sedente Fratre Leone de Perego Archiepiscopo, Manfredus Marchio Lanzia fuit LXXXII. Potestas Mediolani per tres continuos annos. Isto anno decima die Maji Mediolanenses cum Carrocero transierunt pontem de Viglevano, & capientes Terram de Gambolò tria campanilia funditus everterunt, & omnia destruxerunt. Postea Mortariam tam longa obsidione cingunt, quòd sub tentoriis, & papilionibus hirundines nidificarunt. Tamdem Turris de Buschalia, quæ erat super fossatum de Mortaria cum omnibus custodibus capitur, ubi Baronus de Burris, & plures alii Mediolanenses capti in Mortaria in cippis positi sunt. Sed sequenti die Mortaria capitur, & Baronus cum aliis liberatur. Tunc Mediolanenses multas domos destruxerunt, fossatum Castri explanaverunt, Campanile S. Crucis, cujus murus erat grossus per tria brachia cum spana, funditus everterunt. Similiter Turris, & Campanile S. Albini, quod erat extra Mortariam, capitur, in quo erant urnæ Amelii, & Amici. Interim Castrum de Mortaria diversis machinis concutitur. Succurrunt Papienses; pugna indicitur, quam Papienses non recipiunt; pacem petunt, & pax datur.

CAP.

CAP. CCLXXXVIII.

De LXXXIII. Potestate confirmato in Mediolano.

ANno Domini 1254. sedente Fratre Leone de Perego Archiepiscopo, supradictus Manfredus Marchio Lanzia in regimine refirmatur. Qui Gignestrum de Pontecarali Brixiensem suum constituit Vicarium. Isto anno in Civitate Mediolani quædam magna pestilentia incœpit, quæ numquam finem habuit, quia Cives Mediolani quemdam Benum de Gonzanis Bononiensem, virum pestiferum advocaverunt, cui data fuit potestas taleas, pedagia, & datia imponendi. Hic omnes modos extorquendi pecunias adinvênit; Populum specialiter aggravare studuit, cujus tyrannia per quatuor annos duravit. Postea factus Potestas Mediolani turpiter terminavit, ut infra dicetur. Isto anno primus lapis in Ecclesia S. Marci ponitur. Eodem anno Conradus Rex Hierusalem, & Siciliæ moritur. Qui Conradum filium suum parvulum utriusque Regni heredem instituit, & Manfredo fratri suo Principi Tarentino Regni custodiam dimisit. Quo audito, Papa Innocentius Quartus à Perusio in Apuliam vadit; totum Regnum obtinuit; ab omnibus Principibus, & præcipuè à Manfredo fidelitatis juramentum recepit. Eodem anno decima die Decembris Innocentius Quartus in Neapoli moritur, & Alexander Quartus subrogatur. Hic de Neapoli per Manfredum prædictum in Campaniam fugatur. Quo facto, ipse Manfredus diadema Regni suscepit; exercitum Papæ apud Foziam magna virtute prostravit; totam Tusciam, Florentiam, & Marchiam Anconitanam subegit, & per quatuor annos Ecclesiam Romanam magnis plagis conturbavit. Isto anno Populus Mediolanensis cum parte Nobilium pugnavit.

CAP. CCLXXXIX.

De LXXXIV. Potestate confirmato Mediolani.

ANno Domini 1255. supradictus Manfredus Lanzia in regimine refirmatur. Qui Philippum de Asinellis suum Vicarium instituit. Tamdem hic Manfredus, qui tribus annis Potestas fuerat, licentiatur.

CAP. CCXC.

De LXXXV., LXXXVI. LXXXVII, & LXXXVIII. Potestatibus factis Mediolani.

ANno Domini 1256. sedente Fratre Leone de Perego Archiepiscopo Mediolanensi, Emanuel de Madiis Brixiensis fuit LXXXV. Potestas Mediolani. Isto tempore cessante Imperatoris guerra, quum Civitas Mediolani summa pace gauderet, ecce ambitio Dominii Civitatis multorum corda angustiare cœpit. Ex una parte Leo Archiepiscopus cum Capitaneis, & Vavassoribus Paulum de Sorixina instituerunt Potestatem, & caput Nobilium contra Populum, & illos de Credentia. Ex altera parte Populus instituit suum Potestatem Martinum de la Turre; & sic jurgia in Populo contra Nobiles concitata sunt. Interim Martinus de la Turre Senator Romanus efficitur, ex quo totus Populus timuit; tamen ad Populi preces

A renunciavit. Tunc Emanuel Potestas prædictus Senator Romanus efficitur in malum suum, quia per Populum Romanum mactatus fuit. Civitate itaque Mediolani Potestate carente, Populus contra Nobiles, & Nobiles contra Populum de faciendo Potestate certabant, totaque Civitas erat in armis. Tamdem concorditer factum est, ut quatuor committeretur, qui de Potestate providerent, scilicet Abbati de Claravalle Guardiano Minorum, Priori S. Eustorgii, & Bertramo Zothori. Qui elegerunt Henricum Saccum Laudensem in Potestatem Mediolani, & hic fuit LXXXVIII. Potestas. Isto Anno Yzilinus expulit partem Ecclesiæ de B Brixia, & statim Legatus Papæ cepit Paduam, & Yzilinum ejecit. Unde Yzilinus XII. millia Paduanorum interfecit; tamen Paduam in æternum recuperare non potuit. Et tunc Legatus Papæ contra Yzilinum Crucem prædicavit, & eum Hæreticum promulgavit.

CAP. CCXCI.

De LXXXIX. & XC. Potestatibus factis in Civitate Mediolani.

ANno Domini 1257. sedente Fratre Leone de Perego Archiepiscopo Mediolanensi, Benus de Gozanis Bononiensis, qui supra Officialis exactionum, taliarum, & debitorum ex- C titerat, fuit LXXXIX. Potestas Mediolanensis. Eodem anno turbatio magna in Civitate Mediolanensi oritur, & causa fuit hæc. Nam à tempore Lanzonis de la Curte, usque ad ista tempora fuerunt plusquam CC. anni, & per totum illud tempus duraverat illud Statutum iniquum, scilicet quòd si Nobilis interficiebat Popularem, soluta condemnatione librarum VII. terciolorum, & denariorum XII. salvus esset. Ex quo multi de Populo interficiebantur; imò quod est plus, si Popularis requirebat debitum, à Nobili occidebatur. Item si Popularis habuisset filiam, aut uxorem, Nobiles ipsum interficiebant, aut auferebant possessiones, & jura, & sic ditati sunt Nobiles ultra modum D de bonis Popularium. Accidit verò, quòd quidam Guillielmus de Salvo Portæ Vercellinæ Popularis deberet habere à quodam Nobili, qui dictus est Guillielmus de Landriano, magnam summam pecuniæ. Quam quum peteret, ipsum dolosè ad cœnam invitavit; sed heu cœnâ finitâ ipsum cum securi mactavit in Villa dicta Marnate de Seprio juxta Oronam, & in Cassina de paleis abscondit. Sed non latuit Populares, qui hoc audito ad Villam vadunt, & invento funere domum ejus destruxerunt, & portantes corpus ad Civitatem, per omnes plateas detulerunt, clamantes: *Veh, veh, o scelus inauditum! Sic interficiunt homines sua jura requirentes!* Et concurrit omnis Populus ad arma, E & Leonem Archiepiscopum cum Nobilibus expellunt. Et sic illud iniquum Statutum destructum fuit. Tunc Leo Archiepiscopus, & Paulus de Sorixina Potestas Nobilium intraverunt Castrum Seprii. Quo audito Cumani dant magnum auxilium Archiepiscopo, & Nobilibus, quorum auxilio Archiepiscopus intravit Varexium. Sed Populus Mediolani cum consilio Martini de la Turre ipsos insequitur. Multæ pugnæ committuntur; tamdem pax Papæ, & Cardinalibus committitur; & sic Archiepiscopus cum Nobilibus rediit. Multi tamen de Nobilibus remanserunt, & per diversas Civitates ad confinia missi sunt. Martinus verò de la Tur-

Turre quamdam sororem Pauli de Sorexina Potestatis Nobilium in uxorem duxit, & sic pars Populi totaliter invaluit, Nobilibus quampluri-mùm debilitatis. Tunc Populus non immemor injuriarum Beni de Gozanis, qui taleis, & exactionibus ipsos per quatuor annos angariaverat, & nunc existens Potestas multa servitute oppresserat, ipsum in Syndicatu condemnaverunt in XII. millia librarum. Quas dum solvere non posset, ipsum turpiter mactaverunt, & in fossato Civitatis quasi canem per pedes traxerunt. Et statim Nobiles, & Populares elegerunt in Potestatem Anselmum Saccum Laudensem, & iste fuit XC. Potestas Mediolanensis. Isto tempore Navigium de Gazano fuit incœptum. Eodem Anno Rex Castellæ, & Ricardus Comes Cornubiæ frater Regis Angliæ electi Imperatores in magna discordia fuerunt. Sed Ricardus fuit in Alamanniam confirmatus. Qui veniens Romam, ut à Papa benediceretur, per Comitem Montis-fortis occiditur. Iste Comes in Rocha de Leuco publicè pœnituit.

CAP. CCXCII.

De XCI. & XCII. Potestatibus factis in Mediolano.

ANno Domini 1258. Philippus Vicedominus, & Ricardus de Fontana Placentini facti sunt Potestates Mediolani. Eodem Anno in Festo Sancti Petri Apostoli, Capitanei, & Vavassores, qui redierant, jam sexta vice exeuntes per Canturium in Civitatem Cumanam intraverunt in servitium Ruschonorum. Sed Vitani auxilio Populi Mediolanensis prævaluerunt; & Capellus Azarius de Vitanis Potestas Cumanus efficitur. Isto Anno pars Ecclesiæ in Brixiam rediit, & Papienses, & Placentini dominium Uberti de Pelavisino refutaverunt. Sed post pauca Yzilinus, & Boxius de Dovaria Civitatem Brixiæ expugnaverunt, ubi communiter effecti sunt Domini. Sed Yzilinus consortii impatiens Ubertum ejecit, & sic inter eos discordia oritur, quæ numquam finem habuit. Tamdem Ubertus Pelavisinus partem Populi Mediolanensis accepit, & Yzilinus partem Nobilium tenuit, promittens ipsos in domum reducere.

CAP. CCXCIII.

De XCIII. & XCIV. Potestatibus factis in Mediolano.

ANno Domini 1259. exulante Leone Archiepiscopo Mediolani, Thedericus de Galotessio de Cæsena fuit XCIII. Potestas Mediolani, & rexit usque ad medium annum. Postea usque ad finem anni Advocatus de Cumis fuit XCIV. Potestas. Isto Anno XXIX. die Martii Martinus de la Turre in Ecclesia S. Teglæ juravit Anzianariam, & Dominium Credentiæ, & Paraticorum contra voluntatem multorum de Mediolano. Iste Martinus de sorore Pauli de Sorixina, quam in uxorem duxerat, numquam filium genuit. Cui, si quando de occisione alicujus sui inimici tractaretur, dicebat: *Nolo aliquem hominem destruere, quia numquam scivi aliquem hominem generare.* Et istud fuit primum dominium magni Martini de la Turre. Quo facto ipse Martinus exivit. Et statim Azolinus Marcellinus puer sapientissimus junctis sibi parentelis de Mota juravit Anzianariam, & Dominium Credentiæ, & Paraticorum

A in eadem Ecclesia. Et facta est turbatio maxima in Civitate. Et sic pars Populi divisa est in duas partes; nam tota Civitas sub armis alii Martinum sequebantur, alii Azolinum. Ipse tamen Azolinus gladio perfossus occubuit; & sic Martinus in suo dominio prævaluit. XXIII. die Aprilis Populi Anzianus, & Dominus dictus fuit. Nobiles ergo Civitatis timentes dominium Turrianorum nimis augeri, habito diligenti consilio elegerunt in suum caput, & Dominum Guillielmum de Sorixina contra Populum, & Turrianos. Quibus adjunctæ sunt parentelæ de Mota, & fuerunt plus quàm quingenti in magnis equis, exceptis aliis, qui pedites armati incedebant; & fuit pars Nobilis valde fortis.

B Sed adveniens Philippus Archiepiscopus Ravennas Papæ Legatus in Civitatem Mediolanensem, ambo Capita in confinia misit. Post pauca verò Martinus de la Turre ad S. Dionysium vênit; amicos suos privatim citari fecit, & ipsos arma parare rogavit. Quo facto, fractis confiniis manu armata Mediolanum ingreditur, & Baldum de Ghiringhellis aggreditur. Quo expugnato quilibet timuit, & omnis armatura siluit; & VIII. die Septembris Guillielmus de Sorixina, & ejus filius banniuntur. Qui vadens Veronam Yzilino de Romano, domino multarum Civitatum, dominium Mediolani promisit. Quod ille libenter accipiens DCCC. milites in Brixia congregavit, &

C tamquam perfidus, & subdolus, cui erant mille artes, milleque modi, simulavit se velle Ubertum Marchionem Pelavisinum, & Boxium de Doaria in Cremona obsidere. Unde in campo juxta Urceos castra sua fixit. Ex quo Cremonenses contra ipsum venerunt usque Sonzinum. Tunc Martinus de la Turre cum Carrocero Mediolanensium in auxilium Cremonensium usque Pioltelum ivit. Sed ipsa nocte Yzilinus serpens astutissimus per pontem Parazoli transiens quasi aquila ad Terras Mediolanensium cursivo gradu convolavit, juxta Cassanum transiens. Unde Frater Stephanardus plorans Civitatis Mediolanensis discordiam, sic ait:

Ambitio cladem Populi quæsita potestas,

D *Quam quoque civili plures petiere tumultu.*
Vix etenim patitur consors consortis honores.
Hinc Urbs concutitur, hinc bellis acta tabescit,
Dantur & adversis ducibus confinia. Jussis
Contemtis repetit Populi sed mœnia Prætor
Festinus, vicosque capit. Non obviat ullus:
Arma silent: Sibimet Cremonam fœdere junxit.

Nam Martinus de la Turre fecit ligam cum Uberto Marchione Pelavisino Hæretico Cremonæ Domino, qui erat hostis Ecclesiæ, & Tyrannus pessimus. Sed odivit Yzilinum, & sine aliqua contradictione post paucos dies factus est Dominus Civitatis Mediolani, ut infra dicetur.

E

CAP. CCXCIV.

De Victoria Martini de la Turre habita de Yzilino de Romano.

ANno Domini MCCLIX. suprascriptus Yzilinus Abduam juxta Cassanum transivit, & statim Vaprium obtinuit. Cui tota pars Capitaneorum, & Vavassorum cum immenso gaudio occurrit. Tunc Pergamenses illud factum Martino de la Turre apud Pioltelum ipsa nocte significaverunt. Qui statim cum Carrocero Mediolanum rediit, & sic ipsum Yzilinum prævênit, ac Populum Mediolanensem corroboravit. Vi-

Videns autem Yzilinus suas insidias denudatas, Burgum de Modoëtia invasit, sed non obtinuit. Castrum de Tritio capere non potuit, cujus burgum igne consumsit. Tamdem necessitate compulsus Vicomercatum venit. Tunc Ubertus Pelavisinus, & Boxius de Doaria, audito de tam subito convolatu Yzilini super Mediolanum, ipsum statim secuti sunt, & in transitu Abduæ, unde transierat, castrametati sunt, ne posset sinè conflictu ille coluber tortuosus Brixiam redire. Interim Martinus de la Turre cum Carrocero, & Populus Mediolanensis XVIII. Septembris intravit Modoëtiam, & victualia Yzilino subtrahit. Tunc conturbantur Brixienses, robustos Veronæ obtinuit tremor, obriguerunt omnes milites Yzilini tam Theutonici, quàm Latini. Ille ergo hispidus Draco confractus corde est, videns se undique circumventum, atque victualium caristia coarctatum. Quum verò redire cogitat, dum Abduam transit, per Mediolanenses sagittis percussus, & per Azonem Marchionem Estensem, Ubertum Marchionem Pelavesinum, & Boxium de Doaria, Brixienfibus ipsum prodentibus, capitur. Quo viso terra scindi videbatur à vocibus clamantium Populorum, à strepitu garrientium equorum, & à clangore jubilantium instrumentorum. Omnes quidem turmatim currebant ad diabolicum monstrum, & Satanæ spectaculum intuendum. Unde Frater Stephanardus:

Militiæ Verona favet, Dominusque vocatur
Ipsius, ad litem civilem milite septus
Metropolis qui invasit agros. Concussa pavore
Corda tremunt Ligurum. Vires, animumque resumunt,
Et cives acies ut norunt esse paratas,
Fulgentemque armis celeri succurrere gressu
Cremonam, arma petunt; egressi bella minantur;
Metropoli sed terga dedit Verona sequenti.
Spem, duce percusso, solam posuere salutis.
Haud equidem dudum est certatum, Principe capto.

CAP. CCXCV.

De crudelitate Yzilini de Romano, & de ejus morte.

NAm Albericus de Romano de Marchia Anconitana, qui semper Hæreticus fuit, genuit quemdam Yzilinum. Hic Yzilinus genuit hunc Yzilinum supradictum, & Albericum, & Giramontem. Iste Yzilinus dum adhuc juvenis esset miles, semper contra hostes acer fuit, amicis dulcis, in promisso stabilis, in verbis mansuetus, in consiliis providus, in omni negotio egregius videbatur. Qui postquam in Tridento, Padua, Verona, Brixia, Vicentia, & Trivisio Dominus factus est, mutatus est in virum alterum. Nam in loquendo fuit terribilis, in incessu superbus, solo aspectu homines terrebat, latrones odio habuit, & prædones, quorum officium optimè supplebat, omnes indifferenter exspoliando pariter, & mactando. Unde crudelitate sua cunctas Tyrannorum sævitias superabat. Totus fuit Hæreticus, pacis inimicus, qua de caussa per Papam Innocentium Quartum tamquam Hæreticus condemnatus fuit. Sexcentos viros in tormentis occidit, Ecclesias spoliavit, præbendas uti Papa largiebatur, omnem generosam parentelam extirpavit, Reverendos Prælatos, Medicos, Judices, & Mercatores odio habuit; parvulos oculis privabat, genitalibus orbabat, in carcere includebat, quibus urina propria suavis potus erat; nec stare, nec sedere præ multitudine quis poterat. Matronæ nobiles, speciosæ virgines fame, peste, injuriis, in carceribus tabescebant. Voces horribiles, mugitus terribiles, palmarum percussiones in illis infernalibus ergastulis erant, lapidesque plorare cogebantur. In diebus illis cessavit prædicatio, confessio obmutuit, Fidei devotio extincta fuit; solus Yzilinus sanctus, & justus acclamabatur. Hic Giramontem fratrem suum, & socerum suum, & filios sororum carceris squallore ferè extinxit. Largus effusor munerum extitit, in mulieres inhonestus fuit, & omnis illiciti matrimonii procurator. Hunc ergo perniciosum, & Diabolicum virum quarto die exeunte mense Septembris in Festo SS. Cosmæ, & Damiani per victoriosissimos Mediolanenses interfectum legimus. Tunc facta est salus in manu Martini Turriani, qui percussit Yzilinum, & abstulit opprobrium à Christianis. Hic Yzilinus sinè Confessione, & sinè Ecclesiastica sepultura apud Sonzinum tumulatur. Tunc Guido de la Turre nascitur, & pars Nobilium de Mediolano, visa morte Yzilini, Laude cum furore à Summaripis recepti sunt. Isto anno Martinus de la Turre jam factus Credentiæ Populi Dominus, quæ nihil aliud erat quàm congeries artistarum, factus fuit Dominus Civitatis Laudensis. Et ingressus dominium Laudæ, omnes Nobiles de Mediolano proscriptos milites, quos ibi invênit ad confinia positos, expelli procuravit, & sic totaliter Laudæ Dominus fuit, pro quo multùm magnificatus est in Populo Mediolanensi. Tunc Nobiles de Mediolano Paulum de Sorexina cognatum Martini de la Turre suum caput instituerunt, credentes propter ipsum cum Martino concordari. Sed Martinus ejus animum emollivit, adeò quòd contra Turrianos agere noluit. Quo comperto, milites proscripti in Legniano ipsum captivatum privaverunt, & Jordanum de Lucino caput Ruschonorum in Cumis suum Dominum fecerunt; pro quo turbatus Paulus cum Turrianis concordavit. Sed Martinus de la Turre videns in Mediolani Civitate multos Nobiles contra ipsum insurgere odio, vel invidia commotos, timore conductus Ubertum Pelavesinum Dominum Cremonæ Hæreticum, & hostem Ecclesiæ advocavit sub stipendiis ad Civitatis Mediolanensis defensionem, statuens ei pro stipendio singulis annis libras mille, pollicitus sub tali pacto, quòd istud salarium non duraret nisi per quinque annos. Ubertus verò gaudens cum famulatu decenti Civitatem Mediolanensem ingressus est, quem Turriani cum magno festo receperunt. Et quum Civitatis gloriam vidit, statim despexit Turrianos, dominium Credentiæ magno Martino collatum ad nihilum redegit, & totis viribus dominium Civitatis Laudensis ad se reducere studuit: quod tamen perficere non potuit.

CAP. CCXCVI.

De XCV. & XCVI. Potestatibus factis in Civitate Mediolani.

ANno Domini 1260. sub dominio Martini de la Turre, sub militari stipendio Uberti de Pelavesino, Patritius Brixiensis fuit XCV. Potestas Mediolani per menses VI. Et usque in finem anni Guandaleo de Doaria fuit XCVI. Potestas. Isto Anno propter mortem Yzilini de Ro-

Romano Scuriati infiniti apparuerunt per totam Lombardiam. Sed volentibus venire Mediolanum, per Turrianos sexcentæ furcæ parantur. Quo viso retrocesserunt.

CAP. CCXCVII.

De XCVII. Potestate facto in Civitate Mediolani.

ANno Domini 1261. dominante Martino de la Turre, militante Uberto Pelavesino, Guillielmus Pelavesinus fuit XCVII. Potestas Mediolani. Isto tempore Octavianus Cardinalis Romanus de Ultra-monte, ubi fuerat Legatus, rediens, per Mediolanum transivit, & in Monasterio S. Ambrosii hospitatus fuit. Qui videns carbunculum pretiosum, qui in ipsa Ecclesia habetur, ipsum habere concupivit amore, vel pretio. Quod quum Canonici omnino facere respuerent, ille cominationes mirabiles adjunxit. Et tunc Canonici Martino de la Turre conqueruntur, qui nimis molestè portavit. Et ascendens equum armatum cum omnibus amicis in platea S. Ambrosii clangentibus tubis se posuit. Octavianus autem ut audivit, miratus interrogavit, quidnam hoc esset? Cui Turriani responderunt: *audivimus, quòd recedere vultis, & nolumus quòd sinè decenti comitiva, & nobili abeatis; nec nunquam de ista platea recedemus, nisi extra Civitatem associaverimus vos*. Intelligens ergo Cardinalis se contemtum, de Turrianis cupiens facere ultionem, aliquem de parte Nobilium exaltare proposuit, qui Turrianis stimulus foret. Et tunc advocavit Ottonem Vicecomitem Canonicum de Dexio, quem secum Romam duxit, & finaliter in Archiepiscopum Mediolanensem promoveri procuravit. Ut autem ad Historiam redeamus, isto tempore scilicet anno MCCLXI. pars Nobilium, & proscriptorum militum de Mediolano cum Pergamensibus contra Populum, qui in Civitate prævaluerat, confœderati sunt, & ligam juraverunt, & in Pergamo sunt recepti. Qui simul cum Pergamensibus Abduam transeuntes, locum, qui dicitur Licurti, igne ferroque vastaverunt. Propter quod Populus Mediolanensis totis viribus; ad destruendam Civitatem Pergamensem, mirabilem exercitum congregat. Quo audito, Pergamenses concordiam quærunt, quæ non conceditur, nisi illis de Licurti omnia damna restituantur, & pars Nobilium de Pergamo expellatur, quæ omnia completa fuerunt. Licentiatis itaque Nobilibus, statim ipsi Nobiles Briantiam intraverunt, & Castrum de Tabiago obtinuerunt; ex quo tota Civitas Mediolani concutitur. Tunc Martinus de la Turre, congregato exercitu valido, Castrum de Tabiago obsedit; quibus quum in Castro aqua deficeret, Martino se reddiderunt. Quos pro hominibus mortuis recepit, & Mediolanum catenatos perduxit, omnesque diris carceribus mancipavit die XIX. Julii. Eodem tempore Paliabolus Imperium Constantinopolitanum obtinuit.

CAP. CCXCVIII.

De XCVIII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1262. exulante Leone de Perego Archiepiscopo Mediolanensi, sub dominio Martini de la Turre sub stipendiato Uberto Pelavesino, Ubertinus Pelavesinus fuit XCVIII. Potestas Mediolani. Eodem anno 11. die Julii pars Nobilium, quæ erat in Comitatu Mediolani, usque Parmam, Mantuam, & Regium dispersa est. Erant autem Nobiles, qui equos ascendebant, ferè quingenti, exceptis aliis, qui equos tenere non poterant; unde erat pars Nobilium nimis fortis in personis, & in divitiis. Isto anno Hospitale novum incipitur; Fossatum de Gallarate, & de Brippio explanatur. Tunc Stephanus filius Regis Ungariæ, quem Beatrix Marchionissa Estensis genuerat, filiam Pauli Traversarii Domini Ravennatis in uxorem duxit, de qua infinitum thesaurum recepit.

CAP. CCXCIX.

De XCIX. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1263. exulante Leone de Perego Archiepiscopo Mediolanensi, sub dominio Martini de la Turre, submilitante Uberto suprascripto, Zavatarius de Strata Papiensis fuit XCIX. Potestas Mediolanensis. Hic campanam Zavatariam de suo nomine appellavit. Isto tempore Leo de Perego Archiepiscopus Mediolanensis in Legniano moritur, & ibidem viliter tumulatur. Tunc in discordia duo in Archiepiscopos Mediolanenses eliguntur, scilicet Raymondus de la Turre frater Martini Domini Mediolani, & Ubertus sive Franciscus de Septara. Sed Urbanus Papa electione cassata Ottonem Vicecomitem, procurante Octaviano Cardinali, dedit in Archiepiscopum Mediolanensem. Ex quo turbatus Martinus de la Turre Dominus Mediolani, eo quòd frater ejus non esset datus in Archiepiscopum Mediolanensem, invasit Castra, & Terras Ecclesiæ: propter quod Civitas Mediolanensis Ecclesiastico supponitur Interdicto. Unde frater Stephanardus ait:

Interea Divo quum sedes alma vacaret
Metropolis natu clarus suscepit honorem
Otho, flamineum quem prætulit Aula duobus
Electis. Præceps hac laxis fertur habenis
Ira potens Urbis Prætoris, & occupat agros
Protinus Ecclesiæ. Fit vis, mensuraque juris
Præsuleum pro fratre suo, culmenque negatum
Quærit, sed votis obstat constantia Patrum.

Isto tempore Ecclesia totis viribus fovebat Ottonem Archiepiscopum, & Vicecomites, & partem Nobilium, & odivit Turrianos. Unde Papa confirmato, & consecrato Ottone Archiepiscopo in Roma, præcepit ut Mediolanum veniret. Et veniens intravit Castrum Aronæ junctis sibi Nobilibus de Mediolano die primo Aprilis. Quo audito Turriani arma parant, convocant amicos. Ubertus Pelavesinus Turrianis conjunctus Ottoni dura movet prœlia, & obsidione forti vallat Castrum. Intrinsecus pugnat aurum, extrinsecus pacta fiunt. Otto Archiepiscopus Romam rediit, & Rocha de Arona evertitur die V. Maji. Post pauca Rocha de Angleria, & Rocha de Brebia destruuntur per Turrianos. Eodem Anno VIII. die Septembris dum Martinus de la Turre vir magni consilii, & magnæ bonitatis, graviter infirmaretur, Philippus frater ejus fit perpetuus Dominus Civitatis Mediolani. Post paucos dies Martinus moritur, & in Claravalle tumulatur XVIII. die Decembris. Iste Philippus duxit uxorem ex illis de Niguarda, de qua genuit unam filiam, quam postea duxit Guillielmus de Pusterla. Item duxit aliam ex illis de Birago, de qua genuit filium, qui

dictus

dictus est Salvinus. Isto etiam anno Philippus iste fit Dominus Civitatis Cumarum pro parte Vitanorum. Sed pars Rusconorum fecit Conradum de Venosta. Finaliter Philippus prævaluit. Isto Anno Obizo filius Raynaldi Marchionis Estensis fit Dominus Ferrariæ.

CAP. CCC.

De centesimo Potestate Mediolani.

ANno Domini 1264. sub dominio Philippi de la Turre, stipendiato Uberto Pelavesino favente, exulante Ottone Vicecomite Archiepiscopo Mediolanensi, Terra interdicta existente, Ubertus Peregrinus fit centesimus Potestas Mediolani. Isto tempore, finito numero quinque annorum stipendii Uberti Pelavesini, per Philippum de la Turre licentiatur. Eodem anno Nobiles, & proscripti milites de Mediolano considerantes, quòd Yzilinus occubuisset, & quòd Turriani Ubertum Pelavesinum licentiassent, eidem Uberto Hæretico, & hosti Ecclesiæ amici facti sunt. Quod Papam non latuit, sed dissimulavit; nec propter hoc amicitiam Ottonis Vicecomitis Archiepiscopi Mediolanensis dimittere voluit. Eodem tempore quum Manfredus Rex Siciliæ Ecclesias dilaniaret, Papa misit ad Karulum Comitem Provinciæ, qui erat filius S. Ludovici Regis Francorum, quòd auxilium præstaret Ecclesiæ contra Manfredum, quem si expugnare posset Regnum sibi Siciliæ Ecclesia conferret usque in quartam generationem. Quo audito Karulus exercitum militum Francorum, & Provincialium congregans per Mediolanum transivit, quem Turriani honorificè susceperunt, eique colligati sunt in odium Uberti Pelavesini. Tunc Karulus Civitati Mediolani dedit in Rectorem sive Potestatem quemdam nobilem, Militem qui dicebatur Emberra de Balso de provincia Provinciæ, qui rexit Civitatem pluribus annis. Eodem Anno Ubertus Pelavesinus omnes mercatores de Mediolano in Pado capi fecit in odium Turrianorum. Isto tempore Philippus de la Turre Dominus Civitatis Mediolani, favente Karulo Primo Siciliæ Rege, auxilium Philippi Comitis Montis-fortis petiit, de cujus adventu facta est lætitia magna in Civitate Mediolani. Isto Anno Philippus de la Turre Castrum de Tellio in Valle Tellina supra Cumas per LXXX. milliaria destruxit, & Castrum de Robialio Episcopatus Novariensis funditus evertit. Eodem etiam Anno die XIII. Decembris Philippus de la Turre fit Dominus Civitatis Pergamensis, & post paucos dies Simon de Locarno in quadam capia sub scalis Palatii Communis Mediolani includitur. Tunc Philippus prædictus Castrum Coni, quod erat in confiniis Civitatis Pergamensis contra Boxium de Doaria cepit, & destruxit; Novariæ, & Laudæ dominia obtinuit; guerram durissimam Uberto Pelavesino, & Boxio de Doaria, similiter Placentinis, & Cremonensibus intulit.

CAP. CCCI.

De CII. Potestate confirmato Mediolani.

ANno Domini 1265 sub dominio Philippi de la Turre, favente ei Karulo Rege Siciliæ, exulante Ottone Vicecomite Archiepiscopo Mediolani, Terra existente interdicta, supradictus Emberra in regimine refirmatur. Isto Anno Brixienses Ubertum Pelavesinum de sua Civitate ejecerunt, & Philippum Dominum Mediolani, Cumarum, Laudæ, Novariæ, & Pergami in suum Dominum elegerunt. Qui quum equitare deberet, subita morte præventus expiravit, & in Claravalle tumulatur. Cujus consanguineus nomine Napus Dominus perpetuus Mediolani, & Populi efficitur. Qui XV. die Decembris Parazolum cepit, & omnia dominia Philippi tam in Civitatibus, quàm in Castris habuit. Eodem Anno IX. die Februarii Manfredus Rex Siciliæ occiditur, & Karulus Comes Provinciæ ibidem Rex efficitur, qui totam Tusciam exceptis Pisis obtinuit.

CAP. CCCII.

De V. Potestatibus factis in uno anno Mediolani.

ANno Domini 1266. sub dominio Napi de la Turre, favente ei Karulo Primo Rege Siciliæ, exulante Ottone Vicecomite Archiepiscopo Mediolanensi, supradictus Napus dominium Civitatis Brixiæ, quod sibi collatum fuerat, libenter dividebat cum Francisco fratre suo, cui dominium totius Seprii tradidit, & Paganinum Potestatem Vercellarum instituit. Tunc Milites proscripti de Mediolano in curru fœni latitantes armati ipsum Paganinum ad terram dolo prostraverunt, quem gladiis per guttur, & latera crudeliter interfecerunt. Ex quo Turriani valde turbati ejus corpus Mediolanum delatum cum totius Civitatis ploratu ad S. Dionysium tumulaverunt. Tunc Emberra Potestas Mediolani cum aliquibus Turrianis, & majoribus de Populo de vindicta tractare cœpit, & filios, fratres quoque illorum, qui Paganinum inermem dolo interfecerant, plaustris impositos numero LIV. interfecit, exceptis duobus. Hoc ergo factum Napo, & majoribus Civitatis valde displicuit; unde ipse Napus cum Accursio Cutica, & pluribus aliis de Civitate recedens, dicebat cum lacrymis: *Sanguis istorum erit in capitibus filiorum meorum*. Reversus tamen ad Civitatem iratus Emberram de Mediolano expulit, quia istius facinoris caussa fuerat. Quo expulso, Philippus qui dominabatur in quatuor Civitatibus Lombardiæ, volens omnibus satisfacere, quatuor Potestates, scilicet Federicum de la Crota Pergamensem, Anselmum Lavezarium Cumanum, Tibaldum Voltam Novariensem, & Antonium de Vestarino Laudensem fecit usque ad tres menses; & usque ad finem anni Guidotus de Rodobio Vercellensis fuit centesimus tertius Potestas Mediolani. Unde Frater Stephanardus ait:

Curribus imponunt eductos carcere demum
Innocuos, luctus plenam vectantur ad urbem.
Victa jacet pietas: statuunt ferale sepulcrum.
Funera quinque quidem decies, & quatuor una
Occubuere, truci primatum cæsa furore.
Attamen inducti populo cessere tribuni,
Ne tribuat tanto sceleri præsentia robur.

Isto tempore Franciscus de la Turre cum mirabili apparatu militum ivit in Apuliam ad Karulum Primum Regem Siciliæ, de cujus manu factus est Miles accinctus, & Comes de Benasi, & quamdiu vixit, Comitem appellari se voluit. Qui rediens Mediolanum Curiam mirabilem tenuit, & multos Nobiles de Lombardia militari baltheo accinxit. Isto anno numeratæ sunt in Mediolano XIX. millia familiarum, quibus datus est unus homo cum dimidio pro armis, & fuit summa XXVIII. millia virorum cum quingen-

gentis. Tunc Napus statuit, quòd omnia columbaria in Comitatu Mediolanensi destruerentur; qui primus sua destruxit, dicens, quòd essent quasi latronum speluncæ.

CAP. CCCIII.

De CVII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1267. sub dominio Napi de la Turre, favente ei Karulo Primo Siciliæ Rege, exulante Ottone Archiepiscopo Mediolanensi, Beltramus Græcus Pergamensis fuit CVII. Potestas Mediolani. Isto tempore quum Civitas Mediolani ad petitionem Ottonis Archiepiscopi Ecclesiastico subjaceret interdicto, Turriani Nobiles Ambassiatores Romam mittunt ad Papam Clementem Quartum, qui Turrianos odivit, & Ottonem dilexit. Isti Ambassiatores ad Papam ingredi non valentes, ad Karulum Primum Regem Siciliæ perrexerunt, qui eos honorificè suscepit, & aliquos Principes ad Papam misit, quorum interventu ad Papam intraverunt. Et convocato Consistorio in præsentia Ottonis Archiepiscopi Mediolanensis Legatus Karuli præsente Legato Turrianorum in conspectu Clementis Papæ sic exorsus est: *O Mundi Sol Clemens, & vos Reverendi Cardinales considerare debetis, quia Turriani Karulo Primo Regi Siciliæ pecuniam dederunt, transitum per Civitatem Mediolani, & magnum auxilium præbuerunt, quod servitium numquam de corde Papæ deberet excidere. Quia si Turriani contradixissent Karulo, numquam Papa, nec Karulus Apuliam eripuissent de manu Regis Manfredi. Item mirum est auditu, quòd Nobiles exbanniti de Mediolano conjuncti, & ligati fuerunt cum Yzilino Hæretico, & hoste Ecclesiæ, & Turriani sunt cum Karulo filio Ecclesiæ. Cur dederitis Ottonem Vicecomitem in Archiepiscopum Mediolanensem potiùs, quàm Raymondum de la Turre, qui fuerat electus? Unde ex parte Regis Karuli vos rogo, quòd Otto privetur, quod Regi Karulo summè gratum erit.* His dictis sedit. Tunc Ambassiator Turrianorum surgens ait: *O Papa, cui astra favent, Terra veretur, pauca loquar, sed vera dicam. Civitas Mediolani, quæ ab ipso principio Mundi clara fuit, & nominata, semper adhæsit Ecclesiæ, pro cujus amore multas sustinuit strages, & corporales labores, & Karulo nuper dedit gratum transitum. Sed Milites proscripti de Mediolano fecerunt Ligam cum Yzilino de Romano, qui fuit crudelior Nerone, & hostis Ecclesiæ, & ipsum ferè in Civitatem Mediolani introduxerunt, & ultra hoc Uberto Pelavesino se colligaverunt, postquam ipsum de Mediolano expulimus, in magnam injuriam Ecclesiæ. Postquam iste Legatus Turrianorum parti Nobilium detraxit, cœpit Ottonem Archiepiscopum diffamare in multis. Primò quia manu armata invaserat Comitatum Mediolani, & intraverat Aronam, quam Mediolanenses tenebant tamquam Terram suam. Secundò imputabat Archiepiscopo, quòd non erat Successor Ambrosii in quantum destruebat Comitatum Mediolani, sed Successor Vicecomitum, qui semper destruxerant Civitatem Mediolani. Tertiò ei maculam infidelitatis objecit, dicens, quòd pater ejus fuerat Hæreticus, & mater Hæretica, & soror ejus data fuisset in uxorem Comiti de Curtenova Hæretico, & hosti Ecclesiæ. Quia ergo iste est talis, non debuit fieri Archiepiscopus, nec ad ipsius petitionem Civitas Mediolanensis* A *Ecclesiastico debuit supponi Interdicto.* His dictis & ipse sedit. Tunc Otto Archiepiscopus Mediolanensis surgens, se dulciter excusavit dicens: *O Clemens Papa, & vos Reverendi Cardinales, qui estis luminaria Mundi, fautores justitiæ, frena errantium hominum, & Orbis regula recta, audite exulis Ottonis Archiepiscopi excusationes contra illa, quæ mihi heic objecta sunt. Ego quidem de Civitate Mediolani natus sum, quam tantum diligo, quòd libenter permitterem caput mihi abscindi, ut omnes Cives essent in pace. Domus Vicecomitum portat magnum onus in expensis Civitatis; nec umquam offendi Civitatem Mediolani, nisi in hoc, si offensa dici debet, quòd recepi Archi-* B *episcopatum mihi à Curia Romana collatum. Nec intravi Castrum de Arona ut prædo, sed missus per Papam intravi Comitatum Mediolani petens jura mea. Item majores mei non fuerunt Hæretici, nam mater mea quando fuit mortua, sicut ipsa ordinaverat, fuit sepulta in loco religioso, ideoque non fuit Hæretica. De Fide recta patris ego sum paratus probare; nec soror mea tradita fuit errori, sed nobilitati.* Unde Frater Stephanardus sic ait:

Alter in extinctos Cives hæc prœlia tamdem
Movit delator, Fidei quos tramite lapsos
Asserit. Est testis, quæ matrem condidit urna,
Quod postrema suæ conclusit tempora vitæ
Relligio. Sed ego testis pro patre fideli.
C *Non fuit errori quondam germana scelesto*
Tradita, sed generi claro sine labe favoris.

Postquam Otto Archiepiscopus Mediolanensis se excusavit coram Papa de his, quæ per Legatum Karuli Regis, & per Legatum Turrianorum sibi fuerant objecta, incœpit accusare Turrianos de multis. Primò quia quàm citò factus fuit Archiepiscopus, Turriani invaserant Castra, & Terras Ecclesiæ, propter quod Civitas Mediolani fuerat per Papam interdicta. Secundò quia voluerant ipsum interficere, quando intraverat Aronam missus à Papa. Tertiò de crudeli regimine Civitatis Mediolani, quæ gravamina Frater Stephanardus in hæc verba dicit:

D *Ecclesiæ spoliantur opes, exactio crebra*
Nempe gravat Clerum, libertas debita cessit.
Afflixere pedes Clericorum pondera ferri.
Publica res premitur, communia commoda vertunt
In proprios usus, Clerique invaditur arvum.
Concives vellens caret obice sæva voluntas;
Ædificant turres alienis sumtibus altas,
Diripiunt & opes plebejo robore fulti;
Lucra volunt soli, reliquis at damna refundunt;
Consortes renuunt, soli dominantur, honores
Usurpant soli; veteres bacchantur in urbis
Fautores; alios cogunt exire paternis
Ædibus, ac alios recludunt carcere tetro.

Postquam Otto Archiepiscopus loquendo fecerat finem, unus Legatus proscriptorum Militum, qui fuerat in curribus trucidatorum, sed fugiens E evaserat, narravit illud crudele excidium, & numerum occisorum, & quomodo ipse solus cum alio evaserat, & quòd illud scelus erat in magna verecundia Karuli Regis, cujus Vicarius Emberra tunc Civitatem Mediolani regebat. Unde Frater Stephanardus ait:

Non parvam maculam Siculæ invexere Coronæ,
Quæ nota est cunctis, & vix delebilis ullo
Tempore, dum titulus Regalis foverit illos.

His auditis, Papa contremuit, Cardinales obstupuerunt. Tunc ait Papa: *Tibi Nuncio Turrianorum loquor, quòd quando terra carebit germine, quando stella carebit lumine, quando mare carebit piscibus, quando aër carebit vento, &*

& flamma calore, tunc sententias latas contra Turrianos revocabo, nisi ipsi jurent facere quidquid Curia Romana jubebit. Unde Frater Stephanardus ait:

Quem priùs æthereum gladium vibraverat Orbis
Claviger in Cives sontes, patriæque rebelles,
Non revocat; subeant Aulæ nisi lora potentis.
Gramine quum tellus, & sidus luce carebit,
Pisce salum, ventis aër seu flamma calore,
Summus apex Divum tunc non curabit honorem
Justitiæ, nec fautor erit, sed jura negabit.

Postquam Clemens Papa cessavit loqui, Legatus Turrianorum metu contremuit, & timens potentiam Papæ, & comminationes, juravit facere quidquid mandaret. Et Legatus Regis Karuli Apuliam petiit, similiter Legatus Turrianorum ad Civitatem Mediolani quàm citiùs convolavit. Et statim ad petitionem Ottonis Archiepiscopi Mediolanensis Clemens Quartus Papa unum Cardinalem suum instituit Legatum, qui Mediolanum veniret, & Ottonem Archiepiscopum in sua sede collocaret, & Civitatis Interdictum relaxaret. Eodem anno Guillielmus Marchio Montisferrati duxit in uxorem filiam Ferrandi Regis Hispaniæ.

CAP. CCCIV.

De CVIII. Potestate Mediolani

ANno Domini 1268. sub dominio Napi de la Turre, favente ei Karulo Primo Rege Siciliæ, exulante Ottone Archiepiscopo, Civitate interdicta existente, Conradus Lavizarius Cumanus fuit CVIII. Potesta Mediolani. Eodem anno Legatus Papæ Mediolanum venit die XIII. Novembris, quem Turriani cum mirabili honore susceperunt. Qui convocato Concilio generali, Prælatorum, & Principum Lombardiæ, mandata Papæ aperuit, & si Turriani volunt obedire, Interdictum relaxare promittit. Quo audito tota Civitas plena gaudio est, divinum Officium cupiens audire. Tunc Legatus ante omnia petit, ut tota Civitas juret per publicas plateas fidelitatem Ecclesiæ Romanæ, nullo discrepante. De quo Frater Stephanardus ait.

Nec mora: quos sequitur solio Legatus ab almo
Ad Ligures missus, domuit quos nulla potestas,
Non fortuna potens, & inexpugnabile fatum,
Non vis, colla sacris vinclet qui si juga loris,
Ambrosii celeri petiit qui mœnia gressu.
Consilium generale vocat, mandataque pandit
Præsulis ætherei.

Facto itaque homagio Ecclesiæ Romanæ exprimit mandata Summi Pontificis. Primò quòd recognoscerent Ottonem Vicecomitem esse verum Archiepiscopum Mediolanensem, & ipsi tamquam vero Patri dignos exhibebunt honores. Secundò quòd ipsum recipient in Civitatem Mediolanensem, & ipsi restituent omnia sua jura, & Castra, & possessiones Ecclesiæ. Tertiò quòd de cetero nulla fiet in Clero exactio, nec proscribetur alius Clericus, & damna illata restituentur, & nulla injuria fiet alicui Ecclesiasticæ personæ. Cautionem verò, quam petiit, indilatè obtinuit. Unde frater Stephanardus ait:

En ego jam fidens vobis mandata refundo
Præsulis eximii: video vos namque paternis
Obsequiis promtos, patrem cognoscere vestrum
Ottonem. Jubet hoc fas & jus. Alta potestas
Hoc quoque decrevit; ne sit fugitivus in orbe
Ulterius, statuere Patres. Ad sceptra redibit
Collatæ Sedis; vos hinc parebitis illi.
Vos hinc subjecti dignos reddetis honores,
Prædia reddetis, concessaque jura tenebit
Præsul, & in Clerum proscriptio facta linetur.
Restituentur opes raptæ, fraudabitur ære
Nemo suo. Non hinc Christos injuria lædet.

Quum autem Turriani, & universaliter omnes Cives jurassent per plateas fidelitatem Ecclesiæ Romanæ, & dedissent cautionem sufficientem, Legatus relaxavit Interdictum, & excommunicatos absolvit, & petiit, quòd juramentum compleretur opere. Et statim positus est in possessione Terrarum Ecclesiæ, & omnia completa fuerunt ad suum beneplacitum. His itaque feliciter peractis, Legatus Romam rediit, & Ottonem Archiepiscopum ut Mediolanum securus vadat admonuit. Interim Clemens Quartus Papa moritur, & vacavit Sedes tribus annis. Quo audito Turriani gavisi sunt, & quicquid Ecclesiæ promiserant irritaverunt, & de facto Curiæ decreta parum curaverunt. Isto tempore Napus de la Turre Viglevanum violenter expugnavit, & perpetuam servitutem jurare fecit Civitati Mediolani. Ubertus Pelavesinus de dominio Civitatis Cremonensis expellitur, procurantibus Turrianis in odium proscriptorum Militum, quorum caput erat. Pars Imperii de Florentia expellitur. Pisani in mari superaverunt Januenses, & XXVII. galêas ceperunt. Isto tempore Conradinus filius quondam Conradi Regis Siciliæ, audita morte Manfredi patrui sui, & quòd Regnum Siciliæ per Papam datum fuisset Karulo Comiti Provinciæ, ira, & furia repletus, collecto Teutonicorum exercitu copioso, de Alemannia exiens per Tridentum intravit Italiam, & per Comitatum Mediolani transiens à Turrianis non est impeditus, eo quòd Ecclesiam persequebatur. Hic Conradinus apud Pisas Marescalcum Regis Karuli prostravit, Romam obtinuit, finaliter per Regem Karulum prostratus decapitatur.

CAP. CCCV.

De CIX. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1269. sub dominio Napi de la Turre, Johannes de Advocatis Vercellensis fuit centesimus nonus Potestas Mediolani. Isto anno Napus de la Turre suprascriptus, qui erat Dominus Civitatis Laudensis Laudæ equitans, ab illis de Vistarino insultatur, de equo dejicitur, & viliter tractatus ad palatium Laudæ reducitur. Tamdem Mediolanum rediit confusione, & verecundia plenus. Et licèt esset magnus in jure, & vir totius prudentiæ, in isto tamen facto patientiam non habuit, sed totis viribus cogitavit, quomodo posset de Laudensibus vindictam sumere. Et congregato exercitu copioso Civitatem Laudensem hostiliter invasit, & in Festo S. Margaritæ violenter expugnavit. Suzinum de Vistarino captum in Mediolano incarceravit; duos filios ipsius dura morte peremit; totam Civitatem gravi servitute oppressit; duo Castra fortissima ibidem erexit; illos de Fisilaga dilexit, ac honoribus cumulavit. Isto tempore Nobiles de Mediolano, audita morte Papæ, perdita omni spe sua, Scarzinum Burrum virum magnificum, & divitem nimis, suum fecerunt Capitaneum. Hic genuit unam filiam, quam duxit in uxorem magnus Matthæus Vicecomes, quæ genuit quinque filios, & totidem fœminas. Nomina verò filiorum sunt hæc: Galeaz primogenitus, secundus Marcus, tertius Johannes, qui fuit Ordinarius, & Archiepiscopus Mediolanensis, quartus Luchinus, quintus Ste-

Stephanus, qui genuit tres filios, scilicet Matthæum, Galeaz, & Barnabovem.

CAP. CCCVI.

De CX. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1270. sub dominio Napi de la Turre, Johannes Palestrelus Placentinus fuit CX. Potestas Mediolani. Eodem anno Scarzinus de Burris cum Guillielmo Marchione Montisferrati genero Ferrandi Regis Hispaniæ, tractavit quod dominium Mediolani posset dari dicto Ferrando Regi. Et habito decenti comitatu ipse Scarzinus Burrus ivit in Hispaniam, dominium Civitatis Mediolani, prout potuit, ipsi Regi contulit, quod Rex libenter acceptavit, & ipsum Scarzinum Burrum Militem accinctum fecit, & milites DCCC. in Lombardiam misit, quibus Guillielmum generum suum Capitaneum dedit. Isti milites Hispani in Civitatem Papiensem, & Novariensem sparsi totum Comitatum Mediolani igne, & ferro consumserunt. Contra istos Napus de la Turre suorum militum dirigens acies in brevi exterminavit, & in Hispaniam confusi redierunt. Ex tunc Turriani semper odio habuerunt Guillielmum Marchionem Montisferrati, & cœperunt proscriptos Milites validiùs insequi, & posuerunt eos in majori miseria quàm umquam fuissent.

CAP. CCCVII.

De CXI. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1271. sub dominio Napi de la Turre, Robertus de Regio fuit CXI. Potestas Mediolani. Isto tempore Cumani, qui fuerant sub servitute Turrianorum annos decem, ipsorum dominium spreverunt, & Accursium Cuticam Napi Vicarium in Cumis captum incarceraverunt, donec loco ejus Simon de Locarno, qui fuerat in quadam capia intrusus sub scalis Palatii Communis Mediolani per annos IX. dimittitur; & tunc Accursius Cutica Mediolanum rediit. Isto tempore illi de Castilliono germani Francisci de la Turre parti Nobilium adhæserunt, similiter & illi de Birago. Quo viso Napus intrans Seprium cum exercitu valido Castrum de Castilliono captum à fundamentis evertit, domos, villasque circumstantes igne, ferroque vastavit. Eodem anno Gregorius X. natione Placentinus fit Papa Romanus, quum vacasset Sedes Romana tribus annis. Ad quem Otto Vicecomes Archiepiscopus accedens postulavit ut ipsum in sua Sede collocaret, quod & facere promisit. Isto anno Edoardus Rex Angliæ intravit Mediolanum.

CAP. CCCVIII.

De CXII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1272. sub dominio Napi de la Turre, Vicecomes de Vicecomitibus Placentinus fuit CXII. Potestas Mediolani. Tunc isti Turriani non cessabant destruere illos de Castilliono tam in personis, quàm in amicis. Sed Simon de Locarno vir bellicosus, & fortis, auxilium sibi præstantibus Cumanis, & Nobilibus de Mediolano, duram guerram Turrianis intulit pluribus annis.

CAP. CCCIX.

De CXIII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1273. sub dominio Napi de la Turre, favente ei Karulo Primo Siciliæ Rege, exulante Ottone Archiepiscopo Mediolanensi, Bonifacius de Carreto Marchio fuit CXIII. Potestas Mediolani. Isto anno Gregorius X. Papa celebraturus in Lugduno Concilium, de Roma cum tota Curia Lombardiam intrans, Ottonem Archiepiscopum secum duxit. Tamdem Papa Mediolanum intravit, & ad petitionem Turrianorum Raymondum Episcopum Cumanum fratrem Napi fecit Patriarcham Aquilejensem; Ottonem verò Vicecomitem Archiepiscopum Mediolanensem in Placentia stare mandavit, quousque de Concilio rediret, promittens eum tunc infallibiliter in suam Sedem collocare. Recedit Papa, & Turriani datis magnis pecuniis ipsum Ottonem interfici procuraverunt; sed non potuerunt, quia ad Concilium properavit. Attendendá est heic magna verecundia Papæ, qui ipsum Ottonem sua promissione frustravit. Unde Frater Stephanardus ait:

Agmine Lugdunum sacro properante penatum
Dum foret Antistes summus, comitansq; caterva
Urbe Placentina, sententia promitur atrox;
Metropolis statuunt Cives, ut præmia dentur
Plurima, lethali si vulnere decidat exul
Archipater, propriam præsumens visere Sedem.
Dedecus hoc aulæ est, grandisque injuria deni
Gregorii, tantum facinus qui sidere clauso
Dissimulat, legi metuens obsistere sævæ.

CAP. CCCX.

De CXIV. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1274. sub dominio Napi de la Turre, Guillielmus de Quinto Vercellensis fuit CXIV. Potestas Mediolani. Isto tempore Gregorius Decimus Papa rediens de Concilio, & intrans Lombardiam, Ottonis Archiepiscopi Mediolanensis comitivam sprevit, & ut in Bugella commoraretur, ordinavit. Quo audito Otto Bugellam ivit exul, & tristis ab omnibus derelictus. Unde Frater Stephanardus ait:

Acta ubi Divorum Patrum celebrata fuerunt.
In reditu celeri sequitur quem Præsul; at ille
Ipsius renuit comitatum; stare Bugellæ
Elegit profugus, Seprii se fudit in arva.

Eodem Anno Rudulphus de Asborg Comes eligitur in Imperatorem, ad quem Napus de la Turre misit solemnes Legatos, dominium Civitatis offerens eidem. Quod Imperator libenter audivit, & Napum fecit Imperii Vicarium Generalem, dans ei Theutonicorum multitudinem in defensionem, quibus postea præfuit Cassonus Napi filius, melior Miles Mundi, atque formosior. Eodem Anno B. Ludovicus Rex Francorum, Edoardus Rex Angliæ, Karulus Primus Rex Siciliæ, Thebalus Rex Navariæ cum ducentis millibus virorum armatorum contra Saracenos mare transierunt.

CAP. CCCXI.

De CXV. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1275. sub dominio Napi de la Turre, favente ei Rudulpho Imperatore,

re, exulante Ottone Archiepiſcopo, Veneticus Cazainimicus Bononienſis fuit CXV. Poteſtas Mediolani. Iſto tempore Nobiles de Mediolano undique derelicti, afflictique taleis, neſcientes quid facerent, iverunt Papiam, & Gothfredum de Languſcho Comitem ſibi Capitaneum præfecerunt, promittentes ei dominium Civitatis Mediolani. Quo audito gaviſus eſt valde, & de Papia elegit milites. Et veniens in Territorium Mediolanenſe, primò intravit Aronam, & Angleriam obtinuit. Et illi de Vallibus, & Montibus dominio Turrianorum ſatiati, conſociati ſunt proſcriptis Militibus. Et tunc Otto Vicecomes Archiepiſcopus Mediolanenſis Caſtrum Seprii obtinuit. His compertis, Napus Dominus Civitatis Mediolani ſuos Theutonicos ſub Caſſoni filii ſui vexillo collocatos arma parare juſſit. Qui Angleriam primò ſunt aggreſſi. Gothfredus verò Comes ad flumen nomine Guaſſara pervênit, ſuccurrens obſeſſis in Angleria. Theutonici verò obviant Gothfredo ex altera parte fluminis. Tunc Comes Gothfredus de Languſcho caput Nobilium, Theutonicum haſta percuſſum occîdit, ſed pedes equi ipſius in limo fixi ſunt, & ipſum captivum reddiderunt. Qui cum aliis XXIV., inter quos Tibaldus Vicecomes pater magni Matthæi, nepoſque Ottonis Archiepiſcopi, Gallarate perducti, gladio Turrianorum capitis ſententiam pertulerunt. Demum illi, qui remanſerant, alii in Papiam, alii in Novariam ſe receperunt. Otto verò Vercellas perrexit. Turriani autem cum magno triumpho Mediolanum redierunt. Sed propter mortem Comitis Gothfredi tanta orta eſt diſcordia inter Comites de Languſcho, & Turrianos, quòd ſi lapides clamaſſent: pax fiat; illa pax impoſſibilis videbatur. Unde Frater Srephanardus ait:

Hinc Comes arma petens, Gothfredus nomine, clara
Ortus progenie, cuneo vallatus, & enſe
Exule, Dux equitis natali limine pulſi
Robore magnanimo Caſtro conſedit Aronæ.
Plebs montana favet, parent & mœnia lati
Angleriæ vicina laci, munitur & arcis
Præſidium, Ligures hanc quam tenuere coloni.
Metropolis properat ſonipes phaleratus, & armis
Contectus miles. Pariter vexilla Quiritis
Germani pretio conducti ad bella feruntur.
Theutonicus miles, ſeries diſtincta phalangas
Ordinat, umbones flavent, galeæque relucent,
Expanſæ fulgent Aquilæ, ſonipeſque furorem
Efflat, belligeroque tubæ ſpiramine clangunt,
Armorumque fragor ſemotis funditur oris.
At Comes adverſos cuneos ferit, atque laboris
Belligeri patiens ſuſtentat pondera belli
Sævi, non hoſti parcit, ſtragemque minatur.
Virtus tuta viri laxis audacter habenis
Obliquaque haſta medios prorumpit in hoſtes.
Pars defenſa manu ſeceſſit in abdita Diva,
Poſtmodo Novaria quæ ſe collegit in Urbe.
Pars jacet in truncos, pars triſti fune ligatur,
Quos ſubduxit atrox capitis ſententia luci.

Peracta itaque rupta, decapitatoque inter alios Tibaldo Vicecomite Ottonis Archiepiſcopi nepote, totius fortitudinis, & valoris viro, cum magno fletu ait Otto Archiepiſcopus: *Utinam Archiepiſcopatum perdidiſſem pro vita nepotis mei.* Hic Tibaldus duxerat in uxorem nobilem fœminam de Pirovano, de qua genuerat magnum Matthæum Vicecomitem, & Ubertum. Tamdem Otto Archiepiſcopus de Bugella exiens vênit Vercellas. Ad quem tota pars Nobilium perrexit, rogans eum, quatenus Nobilium caput, & Dominus eſſe placeret, reducentes ei ad memoriam mortem Comitis Gothfredi de Languſcho, & mortem Tibaldi ſupradicti nepotis ſui, nec non mortes aliorum in Gallarate interfectorum, & deſiderium Militum proſcriptorum, & quòd in pluribus bellis interfecti fuerant ferè ducenti ex Nobilibus. Ad hæc Otto Archiepiſcopus piè, & diſtrictè reſpondit dicens: *Opus Archiepiſcopi eſt parcere, non vindicare: exopto pacem, & proſcriptos ad proprias domos reducere. Volo omnium veſtrum eſſe Capitaneus, & ductor, dummodo deponatis iram contra inimicos, & divinum auxilium invocetis.* Tunc Otto Archiepiſcopus de Vercellis vênit Novariam, convocat amicos, jubet arma parari, & intrans Seprium, Caſtrum Seprii obtinuit. Quo audito Napus Dominus Civitatis Mediolani timuit, & Caſſonum filium ſuum cum Theutonicis contra Archiepiſcopum pugnaturum deſtinavit. Et multi de Lombardia Turrianis præſtiterunt auxilium, ſicuti ex dictis Fratris Stephanardi patet.

Arma movent, & amica vocant ſuffragia Cives.
Hinc Cremona venit; ſuccurrit Lauda repente;
Ad prædam doctos equites dat Crema. Quiritis
Aſſiſtit mucro Germani Civibus audax,
Conductus pretio. Papia miles ab Urbe
Pulſus in auxilium celer atque expertus in armis.
Metropolis phalerata acies non defuit illis.

Quum ergo Caſſonus filius Napi de la Turre munitus exercitu permaximo Ottonem Archiepiſcopum in Caſtro Seprii conaretur obſidere, Milites proſcripti exeuntes longo tempore pugnaverunt, & Otto prævaluit. Et dum Turriani gladiis proſcriptorum Militum perfoderentur, Otto obſtitit, nolens quòd ſanguis Civium Mediolanenſium, quos ſuos reputabat fratres, & filios, ſpargeretur. Sequenti die iterum Turriani invaleſcunt, Militibus ſupervenientibus in eorum auxilium, & ſic totus exercitus Archiepiſcopi diſpergitur per montes, aut ſilvas, aut ab hoſtibus capitur. Expugnatis itaque proſcriptis Militibus, Otto Archiepiſcopus ad Civitatem Cumanam confugit, petens ingredi cum ſuis amicis. Sed Cumani ipſum Ottonem cum Nobilibus ibidem exſpoliatis abjecerunt. Tunc Otto Archiepiſcopus totus triſtis, & deſolatus versùs Alpes Cottias equitans, pervênit ad Caſtrum, quod dicitur Zurvigum. Poſt aliquot verò dies vênit Canobium, ſed portæ contra ipſum clauduntur. Otto autem Archiepiſcopus rogat ſaltem duobus diebus ibi commorari, quod vix obtinuit. Quum autem intraſſet privatim convocat aliquos de Canobio; montes eis promittit, & maria; & ſic eos ad ſuum beneplacitum inclinavit. Hoc pacto parat naves in Lacu Majori, amicos convocat, & per Lacum de nocte invaſit Caſtrum Angleriæ, quod & obtinuit. Tunc Simon de Locarno Capitaneus navium efficitur. Otto Archiepiſcopus quamdam navim conſcendit, & primum per aquam Caſtrum Aronæ obſedit. Succurrit Guillielmus Marchio Montisferrati cum Papienſibus, & Novarienſibus, & Militibus proſcriptis, & fuit exercitus fortis, & magnus valde. Obſederunt etiam Caſtrum Aronæ per terram. Tunc Caſſonus de la Turre cum ſuis Theutonicis, & omni Populo Mediolanenſi cito gradu ſuccurrit. Guillielmus Marchio Montisferrati timore concuſſus fugit Novariam in ſui magnam verecundiam. Exſpoliatur univerſus Ottonis Archiepiſcopi exercitus, ſparguntur naves, fugit Simon

mon de Locarno Cumas, tentans si auxilium Cumanorum iterum posset habere contra Turrianos. Otto verò Archiepiscopus, qui aliquo infortunio non movebatur, Novariam perrexit. Proscriptos Milites ad se convocat, exhortans omnes, quòd non timeant. Interim Simon de Locarno ad procurationem Ottonis Archiepiscopi in Civitate Cumana quamdam magnam discordiam procuravit, quorum aliqui volebant juvare Ottonem, aliqui Turrianos; sed Episcopus Cumanus favebat Ottoni Archiepiscopo. Committuntur bella, die noctuque pugnatur; pars Turrianorum succubuit, & se munivit in Palatio Communitatis; sed inde per partem Ottonis ejicitur, & amici ejus totaliter dominantur. Tunc Simon de Locarno gaudio magno repletus misit Novariam ad Ottonem Archiepiscopum, ut Cumas properaret. Qui collecto copioso militum exercitu Cumas est ingressus. Et tunc rota fortunæ inclinato axe cœpit revolvi, quia de cetero semper Otto Archiepiscopus prævaluit, & Turriani prosternuntur. Eodem anno pars Lambertinorum de Bononia expellitur, & B. Thomas de Aquino migravit ad Dominum. Eodem anno Innocentius Quartus de Ordine Prædicatorum fit Papa Romanus.

CAP. CCCXII.

De CXVI. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1276. sub dominio Napi de la Turre, favente ei Rudulpho Imperatore, exulante Ottone Vicecomite Archiepiscopo Mediolanensi, Thedisius de Sancto Vitali Parmensis fuit CXVI. Potestas Mediolani. Isto tempore Otto Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis in Civitate Cumana residens Ricardum Comitem de Lomello fecit Capitaneum Nobilium, qui statim Cumas vênit cum universa militia Papiensium, & Novariensium, & universo Populo Cumano. Et tunc Otto præcepit Comiti Ricardo, ut Montes, & Riperiam aggrederetur. Et statim Clavate, & Leucum, & Castra in circuitu obtinuit. Sed timor mirabilis concussit corda Turrianorum, & Napus misit Cassonum filium suum cum D. militibus Theutonicis Canturium, ut Ottoni Archiepiscopo prohiberet, ne per Comitatum Mediolani transiret.

CAP. CCCXIII.

De CXVII. & CXVIII. Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1277. sub dominio Napi de la Turre, favente ei Rudulpho Imperatore, exulante Ottone Vicecomite Archiepiscopo Mediolanensi, Pontius Amatus de Cremona, & Oldeprandinus Tangentinus Brixiensis simul fuerunt CXVII. & CXVIII. Potestates Mediolani. Isto tempore Otto Archiepiscopus, ipsum præcedente Ricardo Comite, subsequente eum omni potentia Cumanorum, Papiensium, Novariensium, & proscriptorum Militum, Cumis exiens, per Comitatum Mediolani liberè equitabat, inimicis pacem dabat, amicos promissionibus animabat, & finaliter pervênit ad Burgum de Dexio. Quo audito, Turriani adhuc plus timuerunt, miseruntque unum de Potestatibus, scilicet Pontium de Amatis de Cremona, versùs Dexium cum maximo exercitu militum, & peditum. Interim supervenit Napus de la Turre, & Franciscus de la Turre, qui erat secundus Dominus Civitatis. Pugna committitur tam fortis, qualem nulla meminit ætas. Pontius Potestas Mediolani primò pugnans, statim de equo prostratus moritur; deinde Franciscus gladio in ventre merso perfoditur; Napus ad terram dejectus jacebat in luto. Tunc Otto Vicecomes compassione perfusus, totus sinè armis ad ipsum Napum accedens, ne interficeretur, prohibuit. Et videns ipsum tam miserabiliter in luto jacentem infremuit, & fundens super ipsum lacrymas, amicabiliter etiam ipsum alloquutus est consolans eum. Supervenit autem Comes Ricardus de Lomello, qui ultionem Gothfredi Comitis de Langusco facere cupiens prohibetur per Ottonem Archiepiscopum. Itaque genus Turrianorum cecidit in Festo Sanctæ Agnetis Anno suprascripto. Hanc victoriam Frater Stephanardus cecinit. His itaque peractis bellis, subpeditatis, interfectisque Turrianis, Cives de Mediolano portas Civitatis clauserunt, & stantes sub armis quid facerent ignorabant. Multi verò videbant libenter Ottonem Archiepiscopum intrare Civitatem, specialiter alter Potestas, qui remanserat pro custodia Civitatis. Dum hæc in Civitate agerentur, Cassonus de la Turre, qui erat in Burgo Canturii, cum D. militibus Theutonicis, qui in bello non interfuerant, audita captione Napi patris sui, equitavit versùs Mediolanum, Ottone Archiepiscopo adhuc in Desio residente. Contra quem quum portæ clausæ fuissent, quasi Leo sinè pavore ipsas securibus dejiciens violenter intravit. Et veniens ad Broletum novum, ac totum Populum armatum inveniens, pia voce, & lacrymosis oculis alloquutus est Populum dicens: *quòd sui Majores sustinuerant Populum contra Nobiles per annos ferè XXII. quibus dominium obtinuerant sinè ullo intervallo, rogans quòd arma caperent pro liberatione Napi patris sui, & aliorum de la Turre*, addens, *quòd erat paratus ire Dexium contra Ottonem Archiepiscopum*. Sed quum nullus responderet, tristis fugit, ac Laude perrexit. Cui ingressus denegatur, sed in Suburbio una nocte pernoctavit. Mane verò turpiter per Laudenses licentiatus Cremonam vênit, & iterum à Cremonensibus licentiatus Parmam petit, ubi receptus est. Tunc Cives Mediolanenses, repudiato Cassono, habitoque diligenti consilio, deliberaverunt Ottonem Archiepiscopum cum Nobilibus ad Civitatem Mediolanensem reducere. Et missi sunt super hoc solemnes Ambassiatores, quos Otto Archiepiscopus gratanter recipiens, multas Deo reddidit gratias. Tunc dantur in manibus Cumanorum sex de majoribus Turrianorum, scilicet Napus, & Muscha filius ejus, Guido, Herech, Lombardus, & Carneva, & alii duo, qui omnes in Castro de Baradelo incarcerati, quasi canes tractati sunt. Nam Napus per scopides corrosus obiit, & nudus per pedes tractus sub quadam ficu tumulatur. Mortui sunt etiam ibi Lombardus, & Carneva. Quando verò Otto Archiepiscopus debuit intrare Civitatem Mediolani, de qua exul fuerat existens Archiepiscopus Annis ferè XVIII., convocatis Nobilibus, qui similiter exules fuerant, sic eos alloquutus est dicens: *Ista victoria non est nostra, sed est Dei beneficium. Nullus nudet ensem, nullus spoliet pauperem, nec divitem, nullus recordetur injuriarum, aut vulnerum. Non enim decet Archiepiscopum ad suam Sedem reverti cum gaudio, & alios plorare exspoliatos, vel vulneribus rubricatos. Sed omnes cantantes, & laudes Deo referentes intremus Civitatem no-*

nostram. Tunc omnes una voce clamaverunt dicentes: *Faciemus quod hortaris*. Otto ergo viso quòd quilibet volebat inimicis parcere, & à Deo hanc victoriam recognoscere, ait: *Omnes ergo ad Civitatem Mediolanensem cum benedictione eamus*. Cui venienti omnes Religiosi per turmas suas, totusque Clerus cum canticis obviavit, Civesque cum parvulis acclamabant dicentes: *Pax pax*. Ingressus itaque Otto Archiepiscopus Civitatem Mediolani primò visitavit Ecclesiam B. Ambrosii, & factus est Dominus in temporalibus, & spiritualibus. Ordinatum quoque est, quòd Festum S. Agnetis fiat, quia illo die victoria fuit. Atque heic finiunt versus Fratris Stephanardi. Quia verò multi Populares Ottoni Archiepiscopo adhæserunt, ipsos fecit Cataneos, ut illos de Mirabilibus, qui dicuntur Rubei, & aliquos de Marcellinis, & de Castano. Et quia Vicecomites maxima dominia obtinuerunt, heic eorum genus altiùs describemus. Quæ autem scribo, partim audivi, partim in scriptis inveni. Inter alios Nobiles de Mediolano ipsi Vicecomites semper fuerunt valde Nobiles, & antiqui. Prima Nobilitas eis data fuit, quia facti fuerunt Capitanei in Plebe de Marliano, & habuerunt Vassallos, & concesserunt Feuda diversis parentelis. In processu temporis quidam magnus Comes mortuus est sinè herede, quibus Vicecomitibus prædicti Comitatus jus collatum est, non dignitas. Unde non sunt dicti Comites, sed Vicecomites, idest gerentes vices Comitis. Quidam verò voluerunt dicere, quòd iste Comitatus habuit jus stateræ. Secunda Nobilitas fuit, quòd exercitus Communitatis Mediolanensis non audebat figere tentoria, nisi priùs Vexillum vipereum arbori esset infixum. Quamvis autem iste Comitatus fuerit eis collatus, & ista Regalia ad ipsos pervenerit, tamen certum est, quòd Vicecomites habuerunt istas Nobilitates ab antiquo tempore passagii facti per Mediolanenses. Quidam enim Otto Vicecomes tempore passagii transivit habens familiam multam, & primus Civitatem Sanctam Hierusalem intravit; ex quo videtur quòd Vicecomites ab antiquo fuerunt insignes. Invenitur etiam, quòd quidam nomine Eriprandus de Vicecomitibus, de Regali prosapia ortus, Miles millenarius mirabiles victorias fecit contra Conradum Imperatorem. Tamen Otto Archiepiscopus mirabilia fecit, ejusque successores mirabiliora, ut infra dicetur.

CAP. CCCXIV.

De CXIX. & CXX. Potestatibus Mediolani.

POstquam Otto Archiepiscopus Mediolanum est ingressus, expulsis Turrianis, duobus Potestatibus prædictis cassatis, Ricardus de Langusco Comes, qui fuerat caput Nobilium, fit CXIX. Potestas Mediolani, die vigesima secunda Januarii. Tunc Otto Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis, Dominus in temporalibus, & spiritualibus, nulli suo hosti malum pro malo reddidit, inimicos mortales defendit, omnia bona opera fecit, ex quo uti Deus ab omnibus colebatur. Tunc statuit, quòd nullus Potestas regeret, nisi per menses sex. Ideo circa Festum B. Petri Apostoli Albertus de Fontana Placentinus fuit centesimus vigesimus Potestas Mediolani usque ad finem anni. In diversis Civitatibus hic Otto istos pro amicis habuit, videlicet in Civitate Cumana Advocatos, in Brixia Mazonos, in Laude Anergagos, in Cremona Marchiones Cavalcaboves, Amatos autem semper odivit.

CAP. CCCXV.

De CXXI. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1278. sub dominio Ottonis Vicecomitis Archiepiscopi Mediolanensis Albertus de Fontana Placentinus prædictus fuit iterum Potestas Mediolani. Isto Anno Otto Archiepiscopus tres magnas guerras incœpit. Prima fuit, quia Castrum de Montorfano, quod Turriani armaverant, obsideri præcepit. Secunda fuit, quòd Turrianos, qui erant in Cremona, expelli procuravit: quod bene obtinuit. Tertia fuit, quòd illos de Anergago, & illos de Vistarino in Castro de Bergato posuit die VIII. Maji, dans eis auxilium, ut Civitati Laudensi guerram facerent totis viribus. Quo audito Laudenses conturbati, Cassonum de la Turre, qui in Parma erat, petunt, ut eis succurrat. Qui statim cum suis Theutonicis advênit. Item miserunt ad Raymondum de la Turre fratrem Napi Patriarcham Aquilegiensem, ut Laude properaret. Qui cum CC. militibus Furlanis Laude intravit die vigesimaprima Julii. Tunc Cassonus præficitur Theutonicis militibus, & Furlanis, & multis aliis militibus proscriptis de Mediolano. Hic Cassonus primò invasit Castrum de Bergano, expulsisque Vistarinis, & Anergagis, Castrum expugnavit. Et transiens flumen Lambri Melegnianum obtinuit; Landrianum subjugavit; à Tritio usque ad Plebem de Inzino totum incendiis, & rapinis consumsit; Trivilium, & Caravazium obedire coëgit; Cremam quasi in cinerem redegit; Civitatem Papiensem tanto bello fatigavit, quòd vix portas Civitatis exire non audebant; totam Insulam Fulcheriam, exceptâ Rivoltâ, subpeditavit; nullus de Civitate Mediolani contra istius Cassoni potentiam se erigere ausus est. Sola portarum Civitatis clausura spes Ottonis fuit. Fuit etiam iste Cassonus tanti cordis, quòd veniens in suburbium portæ Ticinensis in porta Fratrum S. Eustorgii hastam fregit, de quodam furno panes extraxit, nec umquam à retroactis temporibus aliqua guerra nostræ Civitati tam terribilis, fuit, sicut ista, quam Cassonus intulit. Hic Cassonus Castrum de Brugniano ultra Pergamum obtinuit, cujus Castri obsidione durante, Otto Archiepiscopus aliquantulum respiravit, & in Castro de Cassano se recipiens per Cassonum insultatur, & fugatur. Obtinuitque Cassonus Castrum decima die Augusti. Invasit & Vaprium, quem sibi parere fecit. Otto ergo Archiepiscopus videns se undique à gladiis Turrianorum superari, cogitavit Guillielmum Marchionem Montisferrati ad dominium Civitatis Mediolanensis advocare, usque ad quinque annos, statuens ei omni anno decem millia librarum pro salario suo, confidens in ipso, quòd ei ab antiquo fidelis fuerat. Hæc omnia acceptavit libenter Marchio, & congregatis de diversis Civitatibus quingentis militibus, Civitatem Mediolani est ingressus. Cui quum Cives occurrerent cum mirabili lætitia, Guillielmus de Pusterla in quodam loco sub cadente equo fractis cervicibus expiravit, ex quo magnus dolor subsequitur.

CAP.

CAP. CCCXVI.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1279. sub dominio Ottonis, Guillielmo Marchione sub stipendiis militante, Antonius Comes de Ceradano fuit CXXII. Potestas Mediolani per sex menses. Postea usque ad finem anni Loterius Ruscha fuit CXXIII. Potestas Mediolani per alios sex menses. Isto tempore Otto Archiepiscopus cum Marchione Guillielmo Castrum de Tritio invasit, & debellavit. Postea Castrum de Vaprio obsedit; sed Raymondo de la Turre Patriarcha Aquilegiense succurrente non obtinuit. Tamdem fit tregua inter Ottonem, & Raymondum, quæ promulgata fuit Januæ. Ordinatum fuit etiam, quòd Castrum de Vaprio traderetur in custodiam Conradi de Castilliono, & mercatorum de Mediolano. Postea fit quædam pax in manibus Guillielmi Marchionis sub istis pactis, videlicet quòd injuriæ factæ inter Vicecomites, & Turrianos, & omnia damna relaxentur; incarcerati ex utraque parte dimittantur; & quòd omnia bona, quæ fuerant Turrianorum, eis reddantur; Castra, & Fortalitiæ, quas Turriani devicerant in Comitatu Mediolani, per personas communes custodirentur. His itaque ordinatis, Guillielmus Marchio dolosè agens, nullum pactum servavit, Trizium evertit, totam Insulam Fulcheriam de manibus Turrianorum abstulit. Conqueruntur Turriani de non servatis pactis; Marchio respondet: *Sufficiat vobis mea promissio; alium quæratis qui servet promissiones*. Sicque Turrianis omne robur abstulit. Hic Marchio volens habere Castrum de Ozino, & plura alia Castra, magnum convivium ordinavit, in quo Conradum de Castilliono, & Ubertum de Ozino in mensa ordinavit trucidare. Quo comperto Conradus de Castilliono ad Turrianos in Laude fugit. Ubertus de Ozino Castrum suum de Ozino communivit, & Gothfredum de la Turre Militem fortissimum advocavit. Qui cum quingentis militibus Castrum intrans Civitati Mediolanensi dura prœlia movit; ultra quingentos milites Mediolanenses in Laude incarceravit; Potestatem Papiæ cum suo exercitu juxta Albayrate prostravit. Videns autem Otto Turrianos vires magnas reassumere, ordinavit cum Guillielmo Marchione, ut quingentos pedites de Monteferrato advocaret, quorum auxilio ipse Marchio Castrum de Ozino gravi obsidione vallatum obtinuit, & destruxit.

CAP. CCCXVII.

De tribus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1280. sub dominio Ottonis, Marchione Guillielmo sub stipendiis militante, Gabrius de Tresseno Laudensis fuit CXXIV. Potestas Mediolani per sex menses. Postea usque ad finem anni Johannes de Lucino, & Thomas Advocatus Cumani fuerunt insimul CXXV. & CXXVI. Potestates Mediolani per alios sex menses. Eodem anno Comes de Casate Archidiaconus Ecclesiæ Mediolanensis fit Cardinalis Romanus.

CAP. CCCXVIII.

De tribus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1281. sub dominio Ottonis, militante Guillielmo Marchione, Thomas supradictus in Potestatem CXXVII. Mediolani confirmatur per sex menses; postea usque ad finem anni Federicus Novariensis Comes de Squatio, & Ubertus de Becharia Papiensis insimul fuerunt CXXVIII. & CXXIX. Potestates Mediolani. Isto anno Guillielmus Marchio cogitans, qualiter posset totum genus Turrianorum delere, in Hispaniam ivit ad Ferrandum Regem Hispaniæ socerum suum, postulans ab eo auxilium, quasi sperans totius Lombardiæ dominium obtinere. Acceptis itaque militibus quingentis, Mediolanum vênit, & congregans de pluribus Civitatibus exercitum magnum, cum magnifico apparatu Mediolanensium Laude vetus expugnavit; & pergens versùs Civitatem Laudensem, non obstante quòd Turriani ibidem essent, ipsam Civitatem obsedit, vexillum Civitatis Laudensis obtinuit, & Mediolanum misit; sicque de cetero Turrianis fortuna contraria fuit. Eodem anno Cassonus cum Theutonicis, Furlanis, Laudensibus, & aliis Militibus proscriptis Castrum de Vaprio invasit, & obtinuit; cui Vicecomitum potentia occurrit, & ordinatis aciebus juxta puteum de Vaprio pugna mirabilis committitur. Succumbit Cassonus, & capite privatur; plus quàm DCCC milites in Mediolano captivantur, plus quàm D. in campo occiduntur. Peracta autem est victoria ista, sive rupta Cassoni de la Turre anno isto in Festo S. Dionysii. Tunc Raymundus de la Turre Patriarcha Aquilegiensis ad suam Sedem rediit.

CAP. CCCXIX.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1282. sub dominio Ottonis, Guillielmo Marchione militante, Rosinus Gothuarinus de Ast fuit CXXX. Potestas Mediolani per dimidium anni. Isto anno Laudenses videntes, quòd Domus Turrianorum totaliter esset exterminata, timore concussi venerunt Mediolanum, misericordiam postulantes, & juraverunt pacem Ottoni Archiepiscopo super Palatium. Tunc Guillielmus Marchio Montisferrati in mirabilem superbiam elevabatur, sibi omnes prædictas victorias attribuens, & cogitabat sicut perdiderat Turrianos, ita & Vicecomites perdere, ut ipse solus esset Dominus, qui usque nunc fuerat stipendiarius; & obtinuit quòd facere posset Vicarium, & Potestatem Mediolani quem vellet, ex quo Johannem de Podio Taurinensem suum fecit Vicarium, & Potestatem Mediolani CXXXI. Ideo nunc Dominus fuit. Tunc Otto turbatus fuit, sed dissimulare cogitavit usque ad tempus. Tamdem Marchio contra Ottonem illos de Sorexina exaltare cœpit, & Ottoni Archiepiscopo, & Vicecomitibus præponere Bosium de Doaria ipsis odiosum, quem in Soncino posuit, quod multum Vicecomitibus displicuit. Timens autem tamquam vir ultra modum astutus, ne iste Guillielmus Marchio prævaleret, privatim Guidonem de Castilliono in suum filium accepit, & quatuor parentelas promissionibus magnis ad se traxit, scilicet illos de Mandello, de Pusterla, de Carchano, & de Modoëtia; & facta est liga maxima, & conjurave-

xaverunt omnes Marchionem tamquam proditorem de Civitate Mediolani expellere.

CAP. CCCXX.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1283. sub dominio Ottonis, & Marchionis, supradictus Johannes de Podio Marchionis Vicarius in Potestatem Mediolani CXXXII. confirmatur per alium annum. Tunc Guillielmus Marchio domum revertitur. Quo viso Otto Vicecomes Archiepiscopus, opportunitate temporis perventa, totus armatus destrarium ascendit, amicos convocat, & vadens ad Palatium in Festo S. Johannis Evangelistæ, Johannem de Podio de Palatio dejecit, ac è Civitate exire coëgit. Et tunc misit ad Guillielmum Marchionem, quòd non esset ita audax, quòd Mediolanum rediret; & sic facti sunt inimici perpetui. Eodem anno Jacobus de Somariva Laudensis fit Potestas Mediolani centesimus trigesimus tertius. Isto tempore Januenses superaverunt Venetos in mari turpiter. Guido de la Turre de Castro Baradeli privatim evasit.

CAP. CCCXXI.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1284. sub dominio Ottonis Archiepiscopi, Balduinus de Ugonibus Brixiensis fit CXXXIV. Potestas Mediolani per sex menses, & usque ad finem anni Guillielmus Rubeus Parmensis fuit CXXXV. Potestas per alios sex menses. Isto tempore videns se Otto privatum auxilio Guillielmi Marchionis, qui multas comminationes Vicecomitibus faciebat, habito diligenti consilio, misit ad Rodulfum Regem Alamanniæ, qui semper Turrianos foverat, & dilexerat, solennes Ambasciatores, petens cum eo ligam, quod & libenter audivit. Et misit ipsi Archiepiscopo centum milites Theutonicos, & quinquaginta balistarios cum balistis de cornu. Isto anno Cumani Leucum, & Ginate invaserunt; sed Otto contra Civitatem Cumanam tres Vicarios fecit, scilicet magnum Matthæum Vicecomitem, Guidonem de Castilliono, & Thomam de Orrigonibus. Qui contra Cumanos suas dirigentes acies, eos de Terris prædictis expulerunt, milites captivos Mediolanum adducentes. Tamdem Otto duos ex ipsis cassavit, & solus magnus Matthæus Vicecomes in Vicariatu remansit; & hoc fuit primum dominium, quod habuit. Isto anno Karulus Primus Rex Siciliæ moritur.

CAP. CCCXXII.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1285. sub dominio Ottonis, favente ei Rodulfo Imperatore, Albertinus Confanonerius Brixiensis fuit CXXXVI. Potestas Mediolani per sex menses; & usque ad finem anni Boëtius de Lavelongo fuit CXXXVII. Potestas Mediolani. Isto tempore Guillielmus Marchio Montisferrati Civitatem Terdonensem obtinuit, cujus Episcopum securi mactari fecit: ex quo Otto timuit, & illos de Sorexina ipsius Marchionis amicos sibi pacificavit. Isto tempore Cumani turbati contra Ottonem propter jacturam, quam sustinuerant, Turrianos advocant; Musca de la Turre de carceribus liberatur; Castrum Seprii Turriani capiunt; timore concutitur Otto.

CAP. CCCXXIII.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1286. sub dominio Ottonis, favente ei Rodulfo Imperatore, Ugolinus Rubeus Parmensis fuit CXXXVIII. Potestas Mediolani. Isto tempore Turriani, qui erant in Cumis, cum Rusconibus magnas parentelas fecerunt, ex quo multa damna in Comitatu Mediolani sequuntur. Otto verò ipsos inde expellere cogitat, unde multas promissiones facit Rusconibus. Consentit Loterius Rusca; & sic Turriani licentiantur de Civitate Cumana, & propter hanc proditionem Petrus Rusca fit CXXXIX. Potestas Mediolani. Tunc facta fuit quædam pax, ut scilicet Turriani sua bona possiderent. Tamen ad confinia mittuntur in Civitatem Ravennæ; sed ipsis in nullo pacta servantur; unde in Aquilegiam ad Raymundum Patriarcham perrexerunt, ibique fuerunt pluribus annis. Eodem anno Obizo Marchio Estensis fit Dominus Mutinæ; Maginardus verò obtinuit Faventiam, & Forlivium subjugavit.

CAP. CCCXXIV.

De CXL. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1287. sub dominio Ottonis, favente ei Rodulfo Imperatore, Rufinianus de Becharia Papiensis fit CXL. Potestas Mediolani. Isto tempore Otto Archiepiscopus cogitabat, qualiter genus suum posset exaltare, & aliorum Nobilium. Et ordinavit inter nobiles parentelas de Mediolano quatuor exaltare. Unde fecit quatuor Capitaneos, ut quilibet regeret per sex menses. Primus fuit magnus Matthæus Vicecomes; secundus fuit Henricus de Modoëtia; tertius fuit Otto de Mandello; quartus fuit Gotus de Pusterla. Sed tamdem solus magnus Matthæus Vicecomes in Capitaneatu remansit per quinque annos, qui ideo dictus est Magnus, quia fuit potentissimus in divitiis, & dignitatibus, sicut infra patebit. Isto tempore Petrus Grassus factus est Cardinalis Romanus.

CAP. CCCXXV.

De virtutibus magni Matthæi de Vicecomitibus.

ILla namque die, qua prædictus Matthæus natus est in Terra, quæ dicitur Yvorio, omnes boves, equi, & cetera animalia fractis capistris de stabulis exeuntes, & per plateas discurrentes, terribiles mugitus dabant. Quo viso Tibaldus pater ejus dixit: *Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit*. Unde toto tempore pueritiæ suæ Brugia dictus fuit. Factus autem magnus duxit in uxorem filiam Scazini de Burris, de qua magnam prolem habuit, & specialiter quinque filios masculos, quorum nomina sunt hæc. Primogenitus Galeaz, secundus Marcus, tertius Johannes, qui fuit Archiepiscopus Mediolani, quartus Luchinus, quintus Stephanus. Quum autem prædictus magnus Matthæus dominium Civitatis Mediolani obtinuisset, in ipso suo primo regimine nimis virtuosè se habuit; fuit enim tantæ castitatis, & honestatis, quòd tota ejus Curia ex religiosis viris composi-

posita videbatur. Missas devotissimè audiebat, propriis manibus Sacerdotem vestiebat, in omni Quadragesima suos domicellos, & ceteram familiam confiteri faciebat; aliter ipsos graviter puniebat. Nobiles de Mediolano libenter audiebat, quorum consilio non contradicebat; bona Communitatis conservabat, sibi nihil retinebat. Nullius umquam sanguinem effudit; dominia Burgorum, & Villarum inter Nobiles dividebat; omni tamen anno istorum dominia permutabat; tamdem omnes Nobiles provocabat in amorem sui. Fuit etiam fortissimus corpore, & multum agilis; ferratam magni destrarii manibus lacerabat, & multa alia commendabilia faciebat. Itaque Matthæo dominium obtinente, Ottone verò sedente, prædictus Rufinianus in Potestaria refirmatur per alios sex menses prædicti anni MCCLXXXVII. Isto tempore illi de Castilliono munierant Castrum Seprii, & Communitati rebellabant, quos Matthæus expulit, & Mediolanum gloriosè rediit.

CAP. CCCXXVI.

De magnificentia, & mirabilibus Civitatis Mediolani.

ANno Domini 1288. sub dominio Matthæi Vicecomitis, sedente Ottone, favente ei Rodulfo Imperatore, ipse Matthæus Vicecomes fit CXLI. Potestas Mediolani per sex menses, & post eum Jacobus de Jacobis Perusinus fuit CXLII. Potestas Mediolani per alios sex menses. Eodem anno quidam nomine Bonvesinus de Ripa Frater Tertii Ordinis Chronicam de magnalibus Civitatis Mediolani composuit, cujus tenor talis est. Accepit enim lignum longitudinis duorum pedum magni viri, quòd cubitum nominavit, cum quo murum exteriorem Civitatis propria manu mensuravit, & multa alia mensuravit in hæc verba: „ Murus Civitatis Mediolanensis „ exterior habet in circuitu cubitos XXM. & „ LI. ex hoc sic arguitur: Si circumferentia „ habet cubitos XXM. & LI. ergo diameter „ Civitatis erit trium millium cubitorum cum „ tertia minus cubiti, & per consequens semi- „ diameter Civitatis habet VM. & X. cubitos. „ Fossa tamen Civitatis habet in altitudine „ XXX. & aliquid plus. Portæ Civitatis cum „ Pusterlis sunt numero XVI. muratæ, & mar- „ moreæ, licèt sint incompletæ. Portæ fami- „ liares intra Civitatem sunt numeratæ XIIIM. „ in quibus habitabant homines pro armis apti „ plus quàm XLM. masculi, & fœminæ, par- „ vi, & magni sunt CCM. Plateæ Nobilium, „ in quibus habitant, & confabulantur, quæ „ dicuntur Coperta, sunt numero LX. Putei „ scaturientes aquam clarissimam sunt VIM. „ Furni decoquentes panem sunt IVM. Taber- „ næ vinum suavissimum propinantes sunt mille. „ Becharii sunt CD. & interficiunt communi- „ ter omni die boves grossos LXX. sed quan- „ titas castronorum, & agnorum, gallinarum, „ & animalium silvestrium est tanta, quòd nul- „ lus potuit computare. Modii farinæ, qui om- „ ni die consumuntur, sunt numero MCC. „ Piscatores sunt CCCLXXXV. qui vendunt „ omni die communiter VII. modios cancro- „ rum, & piscium grossorum summas IV., & „ piscium minutorum sextaria IV. Inter Nobi- „ les de Mediolano, qui habitant Civitatem „ Mediolani, & Comitatum, sunt inventa ista „ magnalia, quæ vix credi possent, videlicet „ Astures nobiles, & ad rapinam edocti inventi „ sunt numero centum, Falcones plus quàm „ ducenti; accipitres verò inventæ sunt innu- „ merabiles. Et si quis consideret quot galli- „ nas, & aves silvestres comedunt aves rapa- „ ces omni die, dico quòd homines in Civitate „ Yporegiensi non comedunt tantas carnes re- „ centes omni die. Canes numerati decem vi- „ cibus in sola Civitate sunt VIM. CM. XLIX. „ qui faciunt sex legiones, & qui plus consu- „ munt de pane omni die, quam tota Civitas „ Laudensis. Numerus militum Civitatis cum „ Comitatu sinè stipendio, est VIIIM. nume- „ rus verò peditum, qui sunt apti ad pugnam, „ sunt plus quàm CCXLM. qui si essent unani- „ mes, possent totam Saracenorum potentiam „ conculcare. Summa expensarum in his, quæ „ pertinent ad cibum, & quæ portantur in uno „ anno ad Civitatem, est talis. Cumis Ligno- „ rum LM. Currus fœni CCM. Currus Vini „ VIM. Salis sextarii VIM. D. Rotæ molendi- „ norum sunt tria millia, & habent inter equos, „ & mulos, & asinos continuè ad Civitatem „ Mediolanensem farinam portantes, plus quàm „ VIM. Verè Civitas Cremonensis non posset „ facere tot equos.

CAP. CCCXXVII.

De numero artificum, Beneficiorum, Ecclesiarum Civitatis Mediolani.

NUnc dicatur aliquid de artificibus, qui numerati sunt in Civitate Mediolanensi. Nam inventi sunt Judices, sive Jurisperiti, qui continuè audiunt causas in Collegio CC. Notarii, qui scribunt sententias datas per Judices, CCCC. Notarii Imperiales DC. Medici sunt CC. Magistri Scholarum, qui pueros instruunt, LXXX. Scriptores Librorum L. Fabri loricarum principales, exceptis discipulis, sunt C. Ferrarii equorum, & boum sunt LXXX. Fabri sonaliorum principales, exceptis discipulis, sunt XXX. Hospitia magna pro forensibus sunt CL. & plus. Nunc verò de magnalibus spiritualium dicam aliquid. Est enim in Civitate ista Conventus Fratrum Prædicatorum, in quo sunt communiter Fratres CXL. In Conventu Minorum C. Sunt etiam Religiosi omnium statuum, ut Heremitæ, Carmelitæ, Servi S. Mariæ, & multarum aliarum Religionum. Et numerati sunt in Civitate, & Comitatu inter Religiosos, & Religiosas plus quàm XM. Et sunt inventa inter Præbendas, & Beneficia, vel locationes plus quàm XIXM. Ex hoc ergo manifestè convincitur, quòd tertia pars proventuum Civitatis est Religiosorum. Quod ut clarè pateat, in singulari aliquid videatur. In hac præclarissima Civitate sunt Abbates, quorum aliquis est Archiepiscopo Mediolanensi ditior. Abbatiæ nigræ sunt numero VI. Abbatiæ albæ, vel crisei coloris sunt numero .... Ecclesiæ Canonicales habentes Præpositum cum Canonicis sunt LXX. quæ sunt valde nobiles. Et Ecclesiæ Canonicales Humiliatorum habentes Præpositum, & Fratres ditissimos sunt ..... Hospitalia pro infirmis sunt XI. in quibus est aliquod Hospitale Archiepiscopo Mediolanensi ditius. Ecclesiæ B. Mariæ Virginis sunt XXXVI. Ecclesiæ in universo sunt CC. Campanæ plures CC. & Campanilia CXX. In Comitatu sunt Abbates nigri, & Abbatissæ nigræ ... Abbatiæ crisei coloris & albi, ac si essent Curiæ Regales XXI. Domus S. Augustini LX. Domus Humiliatorum CCXX. Hospitalia pro infirmis XI. Non ergo

te

te moveat, quòd in Civitate Mediolani, & in Comitatu sunt plus quàm XIXM. inter Præbendas, Beneficia, & locationes, ut dixi. Sunt etiam in Comitatu quædam maximæ nobilitates, quas natura contulit magìs quàm industria. Flumina clara abundantia piscibus plus quàm LX. Rivuli clarissimi, & frigidi sinè numero sunt. Lacus vivi pleni omni genere piscium XVIII. Canalia, ac rotarum molandi decursus innumerabiles sunt. Inventa sunt etiam in Comitatu Suburbia, sive Burgi numero LX. ad instar Civitatum, Castra habentia Villas sibi adhærentes CL. Villæ exemtæ VI. Cassinæ præ multitudine numerari non potuerunt. Heic diligens Lector adverte, quòd status Civitatis Mediolanensis cum suo Comitatu talis erat Anno Domini MCCLXXXVIII., qui si postea sit augmentatus, vel diminutus, non est præsentis operis declarare.

CAP. CCCXXVIII.

De CXLIII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1289. sub dominio Matthæi Vicecomitis, sedente Ottone, favente eis Rodulfo Imperatore, Ubertus de Becharia Papiensis fuit CXLIII. Potestas Mediolani. Isto anno Guillielmus Marchio Montisferrati, qui dominabatur Vercellis, Terdonæ, & Alexandriæ, factus est Dominus Papiæ. Qui recordatus quomodo fuerat per Ottonem de Mediolano expulsus, cogitabat Matthæum Vicecomitem dominio Civitatis Mediolani privare. Timet Matthæus maximè propter dominium Papiæ, quod habuerat.

CAP. CCCXXIX.

De duobus Potestatibus factis Mediolani.

ANno Domini 1290 sub dominio Matthæi Vicecomitis, sedente Othone, favente eis Rodulfo Imperatore, Balduinus de Ugonibus Brixiensis fuit CXLIV. Potestas Mediolani per sex menses, postea usque ad finem anni Bernardus de Polenta Ravennensis fuit CXLV. Potestas per alios sex menses: Isto anno Guillielmus Marchio Montisferrati, quod contra Matthæum cogitaverat studuit adimplere. Nam congregato forti exercitu de Papia versùs Morimondum equitavit, ut Mediolanum veniret. Cui Mediolanenses cum Populo occurrentes, ipsum usque Papiam fugaverunt. Tunc nova sibi advenerunt, quòd Civitas Alexandriæ ad procurationem Matthæi Vicecomitis rebellaret, & statim intrans Alexandriam ipsa nocte somniavit quòd in terra jacebat, & innumerabiles asini super eum rugiebant. Mane facto Populus Alexandrinus in ipsum irruit cum clamore magno, & captum in quadam capia quasi ursum incluserunt, ubi miserabiliter vitam finivit. Tunc Matthæus dominium Vercellarum obtinuit. Guillielmus de Petra expellitur de Papia. Obizo Marchio Estensis fit Dominus Regii.

CAP. CCCXXX.

De duobus Potestatibus factis Mediolani.

ANno Domini 1291. sub dominio Matthæi Vicecomitis, sedente Ottone, favente eis Rodulfo Imperatore, Ubertus de Alexandria fuit CXLVI. Potestas Mediolani per sex menses, postea usque ad finem anni Nicholinus Merlanus fuit CXLVII. Potestas. Isto tempore Rodulfus Imperator moritur, & Arnulfus Rex Bohemiæ Imperator efficitur. Tunc Matthæus Vicecomes missis in Alamanniam nunciis factus est Vicarius Imperatoris in Civitate Mediolani, & Comitatu. Unde non plus dictus est Capitaneus, sed communi vocabulo dictus est Vicarius. Tunc cœpit Aquilam in vexillo portare.

CAP. CCCXXXI.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1292. sub dominio Matthæi Vicecomitis Vicarii Arnulfi Imperatoris, sedente Ottone, Antonius de Galuziis Bononiensis fuit CXLVIII. Potestas Mediolani per sex menses; postea usque ad finem anni Rolandus Scotus Placentinus fuit CXLIX. Potestas per alios sex menses. Isto anno Matthæus Vicecomes primò cœpit in divitiis dilatari; nam fit Cumarum Dominus. Et audita morte Guillielmi Marchionis Montisferrati, & quòd Johannes filius ejus nondum esset annorum XV. cogitavit omnino illos Marchiones exterminare. Et congregans exercitum validum, & currus plus quàm sexcentos, equitavit Trinum, quæ erat prima Terra Marchionis, & Villam statim obtinuit; Castrum verò, quod erat, fortissimum, difficillimo prœlio superavit. Quod factum omnes Castellanos Montisferrati exterruit, adeò quòd desperarent de vita. Ulteriùs verò cum suo exercitu progressus cepit Pontem Scuræ, postea Montem Calvum, ubi quemdam nomine Pergaminum suum fecit Vicarium, & tunc factus est Capitaneus Montisferrati, statutumque fuit ei salarium trium millium librarum Astensium, sicque cum magna gloria Mediolanum rediit. Eodem anno Petrus Grassus Cardinalis moritur; & tunc fuit ordinatum, quòd mulieres funera non sequerentur. Isto anno Otto Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis in Claravalle moritur, qui Mediolanum portatus in Ecclesia majori honorificè tumulatur anno Pontificatus sui XXIX. computatis annis XIV. quibus exul fuerat. Hic inter alia bona, quæ fecit, de suo patrimonio ordinavit tres Præbendas, unam pro Capella S. Agnetis, aliam pro uno Lectore, qui in Ecclesia Majori Theologiam legat, tertiam pro uno Medico Cyrurgiæ, qui pauperes gratis curet. Isto tempore quidam magnus ignis Palatium Communitatis, in quo Matthæus habitabat, combussit. Unde emtis ab illis de la Flamma pluribus magnis domibus, à tergo Palatium reædificatur.

CAP. CCCXXXII.

De CL. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1293. sub dominio Matthæi Arnulfi Imperatoris Vicarii, Sede Archiepiscopali vacante, Amigetus de Martinengo Brixiensis fuit CL. Potestas Mediolani. Isto tempore Albertus Dux Austriæ Arnulfum Imperatorem occidit, per cujus mortem Matthæi Vicariatus expiravit. Isto etiam tempore Matthæus Vicecomes fit Dominus Novariæ, ubi Galeaz filium suum Potestatem fecit.

CAP. CCCXXXIII.

De duobus Poteſtatatibus Mediolani.

ANno Domini 1294. ſub dominio Matthæi Vicecomitis, Rufino Lucano Archiepiſcopo Mediolani ſedente. vacante Imperio, Matthæus de Madiis Brixienſis fit CLI. Poteſtas Mediolani per ſex menſes, & uſque ad finem anni Zanazius Salimbene Placentinus, fuit CLII. Poteſtas Mediolani. Iſto tempore Matthæus Vicecomes Cremonam, & Laudem multis anguſtiis angariabat, volens amicos ſuos in illis Civitatibus exaltare. Tunc iſtæ duæ Civitates ad invicem colligantur contra Matthæum, & mittunt pro Turrianis, qui auxilio Raymondi de la Turre Patriarchæ Aquilegienſis venerunt Laude. Ex tunc multi Nobiles de Mediolano contra Matthæum Vicecomitem conjuraverunt.

CAP. CCCXXXIV.

De Franzino de Carchano, & aliis.

ANno 1295. ſub dominio Matthæi Vicecomitis, vacante Imperio, ſedente Rufino Archiepiſcopo Mediolanenſi, Amigetus Tangetinus Brixienſis fit CLIII. Poteſtas Mediolani. Iſto tempore Franzinus de Carchano, & illi de Bregniano, & illi de Caſtilliono euntes Laude, Turrianis confœderati ſunt. Tunc Turriani cum Laudenſibus, & Cremonenſibus, & amicorum multitudine obſederunt Caſtillionum, contra quos Matthæus Vicecomes cum potenti militia equitans, ipſos fugavit. Eodem anno Rufinus Lucanus Archiepiſcopus Mediolanenſis morte præventus numquam ad Sedem ſuam venire potuit.

CAP. CCCXXXV.

Quòd Matthæus Turrianos extra Cremonam, & Laude licentiari procuravit.

ANno Domini 1296. ſub dominio Matthæi Vicecomitis, vacante Imperio, vacante etiam Sede Archiepiſcopali Mediolanenſi, Anatius Salimbene Placentinus fuit centumquinquagintaquatuor Poteſtas Mediolani. Eodem anno Matthæus Vicecomes Turrianos de Cremona, & Laude licentiari procuravit. Iſto tempore Suardi expulſi ſunt de Pergamo. Burgum de Leuco Matthæus Vicecomes citra Abduam transferri procuravit. Franciſcus Parmenſis fit Archiepiſcopus Mediolanenſis. Obizo Marchio Eſtenſis Ferrariæ, Mutinæ, & Regii Dominus moritur, cui Azo ejus primogenitus ſucceſſit in omnibus dominiis.

CAP. CCCXXXVI.

De Matthæo Vicecomite Vicario Alberti Imperatoris.

ANno Domini 1297. ſub dominio Matthæi Vicecomitis, vacante Imperio, ſedente Franciſco Archiepiſcopo Mediolanenſi, Conradus de Gambara Brixienſis fuit CLV. Poteſtas Mediolani per ſex menſes, poſtea uſque ad finem anni Folzerinus de Calboyl de Romandiola fuit CLVI. Poteſtas Mediolani per alios ſex menſes. Iſto anno Albertus Dux Auſtriæ fit Imperator, qui Matthæum Vicecomitem fecit Vicarium in Mediolano. Eodem anno Frater Nicolaus Triviſinus Magiſter Ordinis Prædicatorum vadens Romam accipere capellum Cardinalatus, à Matthæo Vicecomite honorificè recipitur in Civitate Mediolani. Quod Papa effectus bene recognovit.

CAP. CCCXXXVII.

De Matthæo repudiato ab amicis.

ANno Domini 1298. ſub dominio Matthæi Vicecomitis, Imperatoris Vicarii, ſedente Franciſco Archiepiſcopo, Thomaſius Ramponus Bononienſis fit CLVII. Poteſtas Mediolani. Iſto tempore Matthæus Vicecomes, retento ſibi Vicariatus nomine, Galeaz filium ſuum primogenitum inſtituit Capitaneum Populi, & ſic dum ſe Dominum magnum conſpiceret, ſubitò ab omnibus amicis Gibilinis, & Guelfis repudiatur. Erat enim Vicarius Imperatoris in Mediolano, Capitaneus Montisferrati, Dominus generalis in Cumis, Vercellis, & Novaria. Et ecce quàm citò Johannes Marchio Montisferrati contra eum inſurrexit, & tributa conſueta denegavit. Vercellenſes, Novarienſes, & Cumani ipſum dereliquerunt, & quod pejus eſt, Johanni Marchioni in ipſius odium adhæſerunt. Hic Johannes ad pontem Ticini pervenit, volens dominium Mediolani obtinere; ſed ipſum Galeaz Capitaneus Populi Mediolanenſis in manu forti cum verecundia in Montemferratum redire coëgit. Eodem anno Raymondus de la Turre Patriarcha Aquilegienſis moritur.

CAP. CCCXXXVIII.

De Azone Marchione Eſtenſi, ejus diſcordia, & pace cum Matthæo.

ANno Domini 1299. ſub dominio Matthæi Vicecomitis Vicario Alberti Imperatoris, ſedente Franciſco Archiepiſcopo Mediolanenſi, Galeaz Capitaneo Populi conſtituto, Biſacha de Ricardis Laudenſis fit CLVIII Poteſtas Mediolani per ſex menſes, & uſque in finem anni Federicus de Summariva Laudenſis fit CLIX. Poteſtas per alios ſex menſes. Iſto tempore Matthæus Vicecomes, credens ſe Marchionem Montisferrati ſuperaſſe, Azonem Marchionem Eſtenſem adversùm ſe conſpirare perſenſit. Nam quum Marchio Eſtenſis eſſet Dominus Ferrariæ, Mutinæ, & Regii, ad procurationem Cremonenſium congregato permaximo exercitu Cremonam veniens, factus eſt filius Civitatis Cremonenſis in odium Matthæi Vicecomitis. Et ingreſſus Comitatum Mediolani versùs Caſſanum ſuper Abduam, adjuncto ſibi Henrico de Modoëtia cum Pergamenſibus, credidit Mediolani dominium obtinere. Sed magnanimus Matthæus ipſum cum verecundia expulit, & in Ferrariam redire coëgit. Fuerunt qui dicerent, quòd ſi Matthæus Vicecomes, & Azo Marchio Eſtenſis concordarentur, tota Lombardia eis obediret. Et factum eſt, ut Azo Marchio ſororem ſuam nomine Beatricem Galeaz Vicecomiti traderet in uxorem. Tunc Azo maximum apparatum fecit, & Matthæus ex altera parte Galeaz filio ſuo procuravit. Qui Ferrariam vadens ibi uxorem deſponſavit, & de manu Azonis militari cingulo eſt accinctus. Iſta Beatrix dum Mediolanum ingrederetur, tanta fuit ſolemnitas, quòd numquam dici poſſet. Sed quia ego Frater Gualvaneus de la Flamma ſcribens præſens eram, nam

nam in Ordine Prædicatorum eram habens unum annum cum dimidio, quod oculis vidi fideliter enarrabo.

A

CAP. CCCXXXIX.

De Matthæo portas Papiæ comburente.

ANno Domini 1300. sub dominio Matthæi Vicecomitis Vicarii Alberti Imperatoris, sedente Francisco Archiepiscopo Mediolanensi Galeaz Capitaneo Populi constituto, Guelfus de Flodonibus Placentinus fit CLX. Potestas Mediolani. Isto anno magnus Matthæus combussit portas Papiæ. Galeaz violenter obtinuit Pergamum. Karolus Comes Valesii transivit per Mediolanum.

B

CAP. CCCXL.

De Petro Vicecomite incarcerato.

ANno Domini 1301. sub dominio Matthæi, Guidozelus de Guidozelis de Pistorio fuit CLXI. Potestas Mediolani per sex menses, & usque in finem anni Bernardus de Polenta de Ravenna fuit CLXII. Potestas Mediolani per alios sex menses. Isto tempore Petrus Vicecomes capitur per Matthæum Vicecomitem, quia Conradus Rusca gener ejus erat Dominus Cumarum.

C

CAP. CCCXLI.

De Matthæo, qui dominium Mediolani deposuit.

ANno Domini 1302. tempore Turrianorum, sedente Francisco Archiepiscopo Mediolanensi, Bonifacius Lupus de Parma fuit CLXIII. Potestas Mediolani. Eodem anno XIV. Junii Matthæus Vicecomes dominium Mediolani deposuit; conspiraverant enim contra eum Petrus Vicecomes, & Conradus Rusca gener ejus Cumarum Dominus, Albertus Scotus Placentiæ Dominus, Philipponus Comes de Languscho Dominus Papiæ, Symon de Advocatis in Vercellis, Guillielmus de Brusatis major in Novaria. Item pars Nobilium de Mediolano, quorum omnium caput erat Albertus Scotus, in cujus manibus Matthæus renunciavit dominium, facta quadam pace. Sed turpiter fuit delusus. Tres filii Matthæi in Conventu S. Eustorgii diu conservati sunt. Eodem anno die XX. Junii Bernardus Scotus Placentinus fuit CLXIV. Potestas Mediolani.

D

CAP. CCCXLII.

De Matthæo obsidente Cumas.

ANno Domini 1303. tempore Turrianorum, sedente Francisco Archiepiscopo Mediolanensi, Antonius de Ficilaga Laudensis fuit CLXV. Potestas Mediolani per sex menses, & usque ad finem anni Pinus de Vernaziis Cremonensis fuit CLXVI. Potestas per alios sex menses. Isto anno Azo Vicecomes in Ferraria nascitur. Turriani mirabiles parentelas contrahunt in Civitate Mediolani. Matthæus Vicecomes obsedit Cumas de mense Junii.

E

CAP. CCCXLIII.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1304. cathedrato Papa Benedicto in Roma, sedente Francisco Archiepiscopo Mediolanensi, Joselinus de Palestro Vercellensis fuit CLXVII. Potestas Mediolani per sex menses, & usque ad finem anni Federicus de Ponzonibus Cremonensis fuit CLXVIII. Potestas per alios sex menses. Neapoleo Cardinalis Legatus efficitur.

CAP. CCCXLIV.

De Matthæo contra Mediolanum.

ANno Domini 1305. tempore Turrianorum, sedente Francisco Archiepiscopo Mediolanensi, Federicus Parmensis fit CLXIX. Potestas Mediolani per sex menses; postea usque ad finem anni Comes Ricardinus de Languscho fuit CLXX. Potestas. Isto tempore Matthæus Vicecomes contra Mediolanum maximum congregavit exercitum; de cetero privatam vitam duxit cum filiis. Galeaz Vicecomes exul fit Potestas in Trivisio pluribus annis. Clemens Quintus fit Papa. Crux contra Dulcinum congregatur. Muscha de la Turre moritur.

CAP. CCCXLV.

De Legato Papæ misso in Lombardiam.

ANno Domini 1306. tempore Turrianorum, cathedrato Clemente Papa in Burdigalis, sedente Francisco Archiepiscopo Mediolanensi, Franciscus de Advocatis Vercellensis fuit CLXXI. Potestas Mediolani per sex menses; postea usque ad finem anni Guido de Robertis de Regio fuit CLXXII. Potestas. Neapoleo Cardinalis fit Legatus in Lombardia. Isto tempore Guido de la Turre fit Dominus Civitatis Mediolanensis.

CAP. CCCXLVI.

De morte Francisci Archiepiscopi.

ANno Domini 1307. sub dominio Guidonis de la Turre, cathedrato Clemente in Vienna, sedente Francisco Archiepiscopo Mediolanensi, Girardinus de Robertis de Regio fit CLXXIII. Potestas Mediolani per sex menses; postea usque ad finem anni Jacobus Marchio Cavalcabos Cremonensis fit CLXXIV. Potestas. Eodem anno Franciscus Archiepiscopus moritur, & Castonus de la Turre in Archiepiscopum eligitur, quem Neapoleo Cardinalis, & Legatus confirmavit. Ad Arnaldum Pelagrua Cardinalem Legatum ivit Castonus usque Bononiam. Isto tempore Guido unus ex Dalphinis filius Petri de la Turre nuper ex matris successione factus Dalfinus, qui se dominii Turrianorum propinquum asserebat, venit Mediolanum sub stipendiis Guidonis de la Turre. Isto tempore contra Ferrarienses Crux prædicatur, Arnaldo Pelagrua Cardinali Legato existente.

CAP. CCCXLVII.

De Henrico de Lucimborg Imperatore electo.

ANno Domini 1308. sub dominio Guidonis de la Turre, cathedrato Clemente, sedente Castono de la Turre Archiepiscopo Mediolanensi, Arnaldo Pelagrua Cardinali Legato in Bononia, Matthæo Vicecomite exulante. Manfredus de Palio fuit CLXXV. Potestas Mediolani. Isto anno Henricus Comes de Lucimborg eligitur in Imperatorem, & in Aquisgrani Corona argentea coronatur. Qui pro confirmatione Episcopum de Cruara, Comitem Sabaudiæ, Dalfinum de Vienna, & Guidonem filium Comitis Flandriæ Legatos Avinionem ad Clementem Papam mittit. Auditis itaque eorum petitionibus Papa Henrico concessit introitum Italiæ, dans quatuor Cardinales, qui ipsum coronare deberent in Roma. Quo audito Imperator gavisus misit Legatos per Italicas Civitates suum nunciantes felicem adventum. Cujus causa Episcopus Constantiæ ad Guidonem de la Turre Mediolanum veniens in Palatio Communitatis sic est alloquutus dicens: Principes Alamanniæ elegerunt in Imperatorem illustrem Principem Henricum de Lucimborg, quem Papa confirmavit. Postulat ergo ipse Imperator, quòd sicut in Alamannia Corona argentea coronatus est, ita in Mediolano coronetur per Archiepiscopum Mediolanensem Corona ferrea. Istud autem significat, quòd sicut ferrum cetera domat metalla, ita per Italorum, præcipuè Mediolanensium, auxilium, & armorum claram potentiam, Imperator potest cunctas barbaras nationes subjicere. Surgens ergo Bonifacius de Fara Juris peritus respondit dicens: Negotia quàm maxima sunt; magnam deliberationem expectant; ideo suo vobis respondebitur in tempore. Tunc pro responsione facienda convocatis Comite Philippono Domino Papiæ, Antonio de Ficilaga Domino Laudæ, Guillielmo Cavalcabove Domino Cremonensi, Symone de Advocatis Domino Vercellensi, Comes Philipponus sic ait: Ego sum satelles Imperatoris, & Domus mea per ipsum multis gratiis, & dignitatibus est dotata. Absit à me, quòd Imperatori sim rebellis. Alii verò omnes contradicebant. Unde Guido de la Turre magni cordis per Palatium fremens discurrebat dicens: Existimo Deum nobis iratum esse. Tamdem sine alia determinatione Frater Albertus de Curtebela, & Frater Otto de Porta Cumana Ordinis Prædicatorum electi ad Imperatorem mittuntur. Hi sic commendaverunt statum Civitatis Mediolani, quòd in Curia Imperatoris nullus dicebatur amicus Imperatoris nisi Guido de la Turre, & Comes Philipponus. Eodem tempore Matthæus Vicecomes exul, & pauper quærebat, si inveniret aliquem amicum, quem mitteret ad Imperatorem, & nullum in tota Italia invenit, nisi Franciscum de Garbagnate, qui exul erat, & in Padua in Scholis pauperem vitam ducens. Hic venditis libris pro expensis faciendis in Alamanniam ivit ad Imperatorem, commendans Matthæum Vicecomitem quantum potuit. Interim Guido de la Turre capit Castonum de la Turre Archiepiscopum Mediolanensem, & Paganinum de la Turre, qui fuit Senator Romanus, & Edovardum, & Muschinum fratres ejus, quos in Castro Angleriæ in arcto carcere clausit. Tamen Archiepiscopum dimisit reddito Castro Tritii, quod Reginaldus frater ejus occupaverat. Ista divisio fuit destructio Turrianorum; nam Castonus de la Turre cum suis complicibus Imperatoris adventum procuravit totis viribus in odium Guidonis de la Turre; sed tamen per duos annos Imperator stetit in Alamannia. Propter captionem Archiepiscopi Civitas Mediolani interdicta fuit per Arnaldum Pelagruam Cardinalem Legatum in Bononia.

CAP. CCCXLVIII.

De Sala Palatii erecta.

ANno Domini 1309. sub dominio Guidonis de la Turre, exulante Castono de la Turre Archiepiscopo Mediolanensi, Civitate Mediolani existente interdicta, Matthæo Vicecomite exulante, Franciscus de Gisleriis Bononiensis fuit CLXXVI. Potestas Mediolani. Isto tempore Guido de la Turre fecit fieri salam, quæ est in dextera Palatii Communitatis juxta Palatium nuncupatorum XII. Item Castrum de Montorfano reædificavit.

DAP. CCCXLIX.

De Imperatore, qui Ast pervenit.

ANno Domini 1310. sub dominio Guidonis de la Turre, cathedrato Clemente Papa, sedente Castono de la Turre Archiepiscopo Mediolanensi, exulante Matthæo Vicecomite, Civitate Mediolani existente interdicta, Bragadanus de S. Nazario Papiensis fuit CLXXVII. Potestas Mediolani per sex menses, postea usque ad finem anni Recupadus de Rivola Pergamensis fuit CLXXVIII. Potestas Mediolani per alios sex menses. Isto anno Imperator transactis Alpibus cum magno apparatu pervenit Ast circa Festum S. Michaëlis. Cui primò occurrit Tibaldus Brusatus de Brixia exul, Philipponus Comes de Languscho Dominus Papiæ, Antonius de Ficilaga Dominus Laude, promittentes ei personas, pecunias, & suas Civitates, quos Imperator benignè suscepit. Quo audito, Guido de la Turre infremuit dicens: Philipponus, & Antonius sunt proditores, in quibus nihil certi vel tutæ fidei inveniri umquam potuit. Sed Matthæus Vicecomes, qui in Brixiensibus privatam vitam ducebat audito Imperatoris adventu, uno contentus socio pervenit in Ast cum omnibus Gibilinis Italiæ. Et ingressus ante Imperatorem, deposito caputio, rejectaque post tergum clamyde currit ante pedes Imperatoris, & ait: O Domine, pater exulum Gibelinorum advenisti & reconciliator. Et amplexatus Imperatoris pedes, dans oscula cum lacrymis, se, & suos recommendavit, acceptaque Imperatoris benedictione surrexit. Videns autem Comitem Philipponum Imperatori astantem, brachiis estensis in ejus amplexus irruit; sed vertit terga Comes. Volens & Antonium de Ficilaga amplexari, ab eo repulsus multas audivit injurias. Imperator verò videns dixit: Jam inter vos dimidia pax facta est. Ex tunc Imperator Matthæum reputavit virum prudentem, illos verò satis viles judicavit. His visis Philipponus, & Antonius ad mortem doluerunt, quòd ivissent in Ast ad Imperatorem, reputantes se fatuos, eo quòd consiliis Guidonis non acquievissent, qui noluit umquam quòd Imperator intraret Italiam. Tunc Matthæus Vicecomes instare cœpit, ut ad Civitatem Mediolanensem convolaret Imperator, & tantum fecit, quòd Imperator

rator Novariam vênit, & transito Ticino intravit Comitatum Mediolani. Cui omnes Gibilini occurrunt, & pervenienti ad Civitatem Mediolani Guido de la Turre cum vexillo in altum extenso obvius fuit, & descendens de equo Imperatoris pedem est osculatus. Intrat ergo Civitatem Imperator Henricus, sequentibus eum omnibus exulibus, ut Castonus de la Turre, Matthæus Vicecomes, & alii quàm plures. Intravit autem Civitatem Mediolani Imperator Anno Domini MCCCX. die Mercurii XXIII. Decembris.

CAP. CCCL.

De Coronatione Imperatoris.

ANno Domini 1311. sub dominio Henrici Imperatoris, sedente Castono Archiepiscopo Mediolanensi, Civitate integrata, Imperator in die Epiphaniæ in Ecclesia S. Ambrosii fuit coronatus per Castonum Archiepiscopum super totam Italiam, Normandiam, & Saxoniam. Et ista Corona fuit Ferrea. Imperatrix autem Coronâ aureâ coronata fuit, & sic soluto crine ad suum Palatium reversa est. Interfuerunt autem isti coronationi Archiepiscopi, & Episcopi numero XXVII. (*), Ambasiatores de Roma, & de Janua, totaque Lombardia juraverunt fidelitatem Imperatori, excepta Civitate Albensi, & Alexandria, quæ erant sub dominio Regis Roberti. Brixia etiam obedivit. Factique sunt in ista coronatione per Imperatorem Milites accincti LXXX. inter quos fuerunt Matthæus Vicecomes, & Guillielmus de Pusterla; alios verò fecit Capitaneos. Post hæc Imperator fecit suum Vicarium quemdam Johannem de Calzea Gallicum, qui licèt esset Nobilis, tamen nullius valoris homo fuit. Quapropter ab officio removetur, & Nicolaus de Bonsignoribus Senensis vir pestilens, arrogans, & magnæ fatuitatis datur in Vicarium. Hic convocato concilio Nobilium de Mediolano, sciscitatus est quid donaturi essent Imperatori pro coronatione. Guillielmus de Pusterla dixit quinquaginta millia florenorum. Matthæus Vicecomes dixit: *congruum est ut & Imperatrici dentur decem millia Florenorum*. Guido de la Turre obtulit ut centum millia Florenorum darentur Imperatori, quod & factum fuit. Tunc Imperator pro tertia coronatione vadens Romam proposuit ex Nobilibus de Mediolano centum ducere pro sua comitiva usque Romam, inter quos erant Matthæus Vicecomes, & Galeaz filius ejus, Guido de la Turre, & Franciscus filius ejus. Quo audito, Franciscus, & Galeaz extra portam Ticinensem in pratis occultè colloquium habuerunt, deditis invicem dextris, & osculis. Indignatusque est contra ipsos Imperator. Post pauca tumultus fit in Civitate; Turriani in sua contrata parant equos militares; Theutonici veniunt; pugna committitur; Turriani occiduntur, & expoliantur. Franciscus in Montorfanum fugit; Guido de la Turre abit; Matthæus Vicecomes adhæret Imperatori, quod nec sibi profuit. Nam quidam ex Nobilibus invidia moti tantum institerunt Imperatori, quòd Matthæus ad confinia mittitur in Ast, & Galeaz Trivisium, quos tamen post paucos dies revocavit. Fama verò volat, quòd Guido de la Turre fugit cum tota sua Domo, & statim Civitas Laudensis rebellat Imperatori cum Cremona, & Brixia. Tunc Imperator præcepit Civitatem Laudensem obsideri; sed Antonius de Ficilaga claves Civitatis Imperatori detulit. Imperator Laude ingreditur. Peracto ergo Festo Paschæ Cremonam aggreditur. Occurrunt Cremonenses cum corrigiis ad collum misericordiam postulantes, quos Imperator diversis carceribus custodiri mandavit; turres, & mœnia diruit, & versùs Brixiam equitans ipsam dura obsidione vallavit à mense Aprilis usque ad mensem Novembris. In hac obsidione capitur Tibaldus Brusatus, quem Imperator de exule civem fecerat, qui Imperatori omnes proditiones procuraverat. Hic in rota ponitur, & in frusta concisus, & in machinam positus in urbem projicitur. Tandem Civitas capitur, murus diruitur, Imperio subjugatur. Tunc Papiam perrexit, quam pacificans ibidem Philippum de Sabaudia, qui se Principem Achayæ falsò titulabat, suum Vicarium dimisit, similiter super Vercellas, & Novariam. Hic contra Imperatorem tamquam proditor omnia mala ordinavit; nam propter ejus auxilium Comes Philipponus Manfredum de Becharia cepit. Guillielmus Cavalcabos contra Cremonenses prœlia multa movit; Civitatem ingreditur; Jacobus de Rodevascho (**) interficitur; Galeaz Vicecomes, qui in urbis expeditionem venerat in servitium Imperatoris expellitur; sicque Guillielmus in loco Imperatoris dominatur; & Passarinus de la Turre ibidem Potestas efficitur. His auditis, Imperator, qui in Civitate Januensi residebat, de mense Decembris Comitem Guarnerium genere Theutonicum militem strenuum suum generalem Vicarium in Lombardia instituit, qui rebelles Imperii domaret armis, & suæ faceret parêre majestati. Hic primùm Civitatem Laudensem ingreditur, ubi convocatis omnium Civitatum Nobilibus, scire voluit, quomodo posset Lombardia perdomari. Fuit autem ibi determinatum, quòd Matthæus Vicecomes hoc solus facere poterat. Item concessit Fratri Ysnardo Ordinis Prædicatorum, qui erat Patriarcha Antiochenus, quòd posset Vicarios ponere. Eodem anno Imperator fecit Henricum de Flandria Merescalcum suum Dominum perpetuum Civitatis Laudensis, qui Bassanum de Vistarinis ibidem suum instituit Vicarium generalem. Item fecit Simonem Philippi de Pistorio Dominum in Crema. Item aliquos Mediolanenses fecit Cataneos, Feuda concessit, & Imperiali bulla communivit. Igitur dum Imperator in Civitate Januensi resideret, Guillielmus Cavalcabos, qui in Cremona dominabatur, Sonzinum obtinuit. Contra quem Cresonus Crivellus cum magno Mediolanensium exercitu, & Guarnerio Comite equitavit. Obtinent Sonzinum; Guillielmum Marchionem Comes Guarnerius prostravit; & pergens Vercellas, Philippum de Sabaudia Imperii Vicarium, sed Imperatoris proditorem, expulit. Eodem anno Imperatrix moritur in Janua in Festo S. Luciæ. Et Matthæus Vicecomes, qui quondam duorum Imperatorum Vicarius fuerat, iterum Vicarius generalis in Civitate Mediolani efficitur.

CAP. CCCLI.

De Imperatoris itinere Pisas.

ANno Domini 1312. sub dominio Imperatoris, sedente Castono de la Turre, exulantibus Turrianis, Ziliolus de Alegris Cremonensis

(*) *MS. A.* XXIX.

(**) *MS. A.* Radenasco.

mensis fuit CLXXX. Potestas Mediolani per sex menses, & usque ad finem anni Azo Marchio Malaspina fuit CLXXXI. Potestas. Isto tempore Imperator Janua exiens de mense Februarii pervênit Pisas, & vadens Romam die Dominico ante Festum Pentecostes per Fratrem Nicolaum Ordinis Predicatorum Cardinalem Hostiensem coronatur cum mirabili solemnitate, & magna gloria. Deinde Florentiam obsedit; sed parum profuit. Et tunc veniens Pisas contra Regem Robertum sententiam capitalem tulit; Fratrem Ysnardum Ordinis Prædicatorum fecit Vicarium Generalem; ubique posuit Vicarium nisi in Mediolano; & posuit Galeaz Vicecomitem Vicarium in Placentia. Mulus de Corpelo Cremonam violenter obtinuit.

CAP. CCCLII.

De morte Henrici Imperatoris.

ANno Domini 1313. sub dominio Matthæi Vicecomitis, imperante Henrico, exulante Castono de la Turre Archiepiscopo Mediolanensi, Zanasius Salimbene Placentinus fuit CLXXXII. Potestas Mediolani. Isto tempore Galeaz Vicecomes, qui erat Dominus Placentiæ, Comitem Philipponum de Langusco Dominum Papiæ cepit, qui in Mediolano multis annis incarceratus finaliter moritur. Isto anno Henricus Imperator moritur. Tunc Clemens Papa V., ad quem vacante Imperio de jure pertinet administratio Regni Italici, Robertum Regem Siciliæ fecit Sacri Imperii Vicarium in Italia, donec alius Imperator haberetur. Ex quo prædictus Rex Robertus misit N. Senescalcum suum Papiam, qui intravit Comitatum Mediolani, & pervênit Legnianum cum Francisco de la Turre, & aliis Turrianis, credens omnino Civitatem Mediolanensem posse subjugari. Et quum stetisset in Comitatu pluribus diebus, rediit Papiam frustratus spe sua. Papienses autem domum istius Senescalchi invaserunt, & exspoliatum, ac contumeliis affectum abjecerunt. Qui rediens, & Regi Roberto malitias, & proditiones Papiensium narrans: ait Rex: *Ego disposueram propriis expensis omni tempore CC. milites in Civitate Papiensi tenere; sed propter eorum proditiones meis servitiis ipsos carere volo.*

CAP. CCCLIII.

De Guidone de la Turre fugato.

ANno Domini 1314. sub dominio Matthæi Vicecomitis, vacante Imperio, exulante Castono de la Turre Archiepiscopo Mediolanensi, Guido Pigiolus Januensis fuit CLXXXIII. Potestas Mediolani per sex menses, & usque ad finem anni Spinelus Malaspina fuit CLXXXIV. Potestas. Isto tempore Guido de la Turre unus ex Dalphinis, qui quondam sub stipendiis Guidonis de la Turre militaverat, ejusque consanguineum se dicebat, in servitium Turrianorum pervênit Papiam. Contra quem Galeaz Vicecomes Placentiæ Dominus exercitum congregat; sed ille Terdonam fugit. Insequitur eum Galeaz, & super portas Civitatis Terdonensis bellum petiit. Cui ille: *Pugnare non licet, quia hodie est Festum Decollationis S. Johannis Baptistæ.* Et sic in terram suam rediit.

CAP. CCCLIV.

De strage Guelforum.

ANno Domini 1315. sub dominio Matthæi Vicecomitis, vacante Imperio, Jacobus de Yseo Brixiensis fit CLXXXV. Potestas Mediolani per sex menses, & usque ad finem anni Servadeus Parmensis fit CLXXXVI. Potestas. Isto tempore nobilis Miles Ludovicus Vicecomes Matthæi consanguineus germanus in Civitate Pergamensi erat Vicarius generalis, audiensque quòd pars Guelforum contra ipsum arma pararet, in arma ruens ut leo, omni timore postposito, mirabilem inimicis intulit stragem. Ex altera verò parte Matthæus Vicecomes volens Papiensibus viam præcludere, ne Comitatum Mediolani insultarent, in loco, ubi flumen Scrivia miscetur Pado, Castrum erexit, quod Gibelinum vocavit. Attamen Padus ipsum diruit, sed de novo reædificatur. Hæc audiens Ugo de Balso nobilis Princeps de Provincia, Regis Roberti in Pedemonte Vicarius, doluit, & congregato exercitu Vercellensium, Papiensium, Astensium, Alexandrinorum, & Turrianorum, conatus est per terram, & per aquam impedire Castri Gibelini reædificationem. Tunc Matthæus Vicecomes, qui Terdonæ dominabatur, succurrentibus Mediolanensibus, & Comite Guarnerio, illam Guelforum aciem prostravit. Zunfredus de la Turre interficitur, qui Pagani Patriarchæ Aquilegiensis frater fuit. Edovardus de la Turre frater Muschæ capitur, & quasi LXXX. nobilissimi viri partis Guelforum captivantur. Et ista fuit secunda jactura, quam sustinuit pars Guelforum post mortem Imperatoris. Isto anno Johannes XXII. Papa creatur, qui publicari fecit Septimum Decretalium, in quo continentur tria notabilia contra Imperatores Alamanniæ, scilicet quòd Imperator est Feudatarius Ecclesiæ, qui in sua coronatione jurat Papæ Sacramentum fidelitatis. Item quòd vacante Imperio, administratio temporalis Italici Regni pertinet ad Papam. Item quòd Regnum Siciliæ est extra Imperium. Isto anno VII. mensis Octobris Papia capitur; Regiasorium manibus Mediolanensium ad terram, prosternitur; jurant Cives Matthæo Vicecomiti perpetuum homagium. Luchinus ibidem per patrem Dominus ordinatur; Castrum erigitur; Episcopus Terram ingreditur; Ricardinus interficitur; Simon de la Turre fugit; duo ejus fratres parvi, qui in domo Fratrum Minorum latitabant, capiuntur, scilicet Amoratus, & Guidetus. Duo Legati Mediolanum mittuntur, unus de Ordine Prædicatorum, alter de Ordine Minorum, postulantes, ut Comes Philipponus, & Antonius de Ficilaga in carceribus Mediolanensium detenti relaxarentur, Turrianis sua bona restituerentur; sed vacui recedunt. Luchinus, & Stephanus fratres filii Matthæi Vicecomitis ducunt uxores. Illa die Castonus de la Turre fit Patriarcha Aquilegiensis, quapropter Johannes Vicecomes filius Matthæi Archiepiscopum Mediolanensem eligitur, sed non datur; imò Frater Aycardus per Papam datur in Archiepiscopum. De quo turbati Vicecomites, ipsum ad Sedem suam intrare prohibuerunt, & ista fuit tertia jactura, quam sustinuit pars Guelphorum post mortem Imperatoris.

CAP.

CAP. CCCLV.

De Matthæo excommunicato.

ANno Domini 1316. sub dominio Matthæi Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, Jacopinus de Cornazano Parmensis fuit CLXXXVII. Potestas Mediolani per sex menses, & usque in finem anni Bonifacius de Alice Alexandrinus fuit CLXXXVIII. Potestas. Isto tempore lobia marmorea in Broleto erigitur. Civitas Mediolanensis Ecclesiastico supponitur Interdicto. Matthæus Vicecomes excommunicatur.

CAP. CCCLVI.

De Palatio ædificato à Matthæo.

ANno Domini 1317. sub dominio Matthæi Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, Gualterinus de Curte Papiensis fuit CLXXXIX. Potestas Mediolani per sex menses, & usque ad finem anni Azorinus Marchio Malaspina fuit CLXXXX. Potestas. Tunc Matthæus Vicecomes postposito nomine Vicarii fit Dominus generalis, & tunc fecit Palatium, in quo nunc uxores Dominorum Civitatis stant. Isto tempore Ugutio Faxola Dominus in Luca, & Pisis fecit conflictum in Monte Cathino, & ista fuit quarta magna jactura Guelforum post mortem Imperatoris.

CAP. CCCLVII.

De obsidione Januæ.

ANno Domini 1318. sub dominio Matthæi Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi cum Turrianis, Anricus Marchio de Pitriolis fuit CXCI. Potestas Mediolani. Isto tempore Marcus Vicecomes filius Matthæi cum valido exercitu Mediolanensium, adjunctis sibi illis de Auria, & Spinolis obsedit Civitatem Januæ de mense Aprilis, & commisso prœlio fortissimo cepit Burgum maris, quod dicitur Basagnium. Quo viso intrinseci de Janua Guelfi mittunt in Apuliam ad Robertum Regem Siciliæ, ut veniens dominium Civitatis acciperet. Qui statim navigio vênit die XXI. Julii, & dominium Civitatis Januæ habuit. Tunc Marcus Vicecomes Bisagnium deseruit, & conscendit Montem Paldum, ubi se muniens ipsum Regem inter muros Civitatis inclusit octo mensibus. Videns autem Rex se obsessum, verecundia, & confusione plenus misit Franciscum de la Turre ad Canem Dominum Veronæ, promittens sibi dominium omnium terrarum, quæ sunt inter Veronam, & Padum, & quòd faceret in Aquilegia Patriarcham quem vellet, si Matthæi Vicecomitis ligam frangeret, sibique & parti Guelfæ faveret, quod nullo modo facere voluit. Tunc Matthæus Vicecomes, congregatis undique amicis in Sonzino, convocat concilium, in quo Canis de la Scala fit partis Gibelinæ Capitaneus generalis, assignans ei mille florenos omni mense pro persona sua tantùm, dans ei mille milites stipendiatos ad expensas partis Gibelinæ. Rex verò Robertus in miserabili obsidione tabescens, Januenses extrinsecos cogitavit ad se trahere; sed non potuit. Marco autem mittit, quòd de obsidione recedat; aliàs Civitatis portas invaderet. Cui Marcus: *Non laboretis ire Mediolanum ad pugnam: ecce in muris Januæ pugnaturus sum.*

CAP. CCCLVIII.

De obsidione Januæ soluta.

ANno Domini 1319. sub dominio Matthæi Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi cum Turrianis, Bonifacius de Curiago Parmensis fuit CXCII. Potestas Mediolani. Isto tempore elapsis octo mensibus obsidionis Januensis, Marcus ab hostibus compulsus de obsidione recedens, Terdonam vênit. Gibelini per totam Lombardiam timent. Tunc Matthæus Vicecomes duos Legatos ad Federicum Regem Siciliæ Roberti cognatum, & ad Imperatorem Constantinopolitanum mittit, ut contra Robertum parent exercitum. Fit liga istorum. Tunc Robertus Rex Avinionem ad Papam perrexit, impetratisque duobus Legatis, ipsos in Lombardiam contra Gibilinos mittit. Matthæus verò iterum Civitatem Januensem obsidet cum exercitu valido. Marcus fit Capitaneus, qui Burgum Civitatis obtinuit, obseditque per terram, & in mari. Interim Rex Robertus Civitati Mediolanensi parat insidias, ut sic de obsidione Civitatis Januensis Marcum amoveat. Unde mittit Ugonem de Balso, & Simonem Marescalchum suum, & Simonem de la Turre Guidonis filium cum D. militibus, qui Padum transeuntes Lomellum occupant, & finaliter Bregolium obtinuerunt. Sed dum propter lignorum inopiam ad nemus cum militibus, & curribus tenderent, Luchinus Vicecomes dominus Papiæ Matthæi filius commisso prœlio ipsum Ugonem ad terram prostratum interficit. Simon de la Turre in Bregolium fugit; Beltramelus nepos ipsius Ugonis capitur, & in Mediolano incarceratur. Ista fuit quinta jactura, quam habuerunt Guelfi post mortem Imperatoris.

CAP. CCCLIX.

De diversis machinamentis Roberti.

ANno Domini 1320. sub dominio Matthæi Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi cum Turrianis, Civitate existente interdicta, Paulus de Ardigeriis Parmensis fuit CXCIII. Potestas Mediolani. Eodem tempore Rex Robertus totis viribus conatus est Matthæum, ejusque sequaces destruere, & Turrianos sublimare. Ex quo Philippum Comitem de Valesio, qui postea fuit Rex Francorum ex sorore sua natum, Vercellas mittit, quam totaliter obtinuit, excepto Castro Tizonorum. Erant autem cum ipso Roberto Atrabatensis, & Bernardus de Mercolio cum D. militibus Gallicis, & D. Catelanis Postea Bernardus de Pojeto Tituli S. Marcelli Cardinalis contra Matthæum Vicecomitem vênit in Ast Legatus super Italiam. Hic ex parte Summi Pontificis tria petebat. Primò quòd Matthæus renunciaret dominio Civitatis Mediolani; secundò quòd Mediolanenses recognoscerent in suum Dominum Regem Robertum; tertiò quòd Turriani in Mediolano reciperentur: quod audire Cives horruerunt. Tunc Galeaz Placentiæ Dominus cum Mediolanensium exercitu Philippum supradictum extra Vercellas fugavit, ac sine bello ad Gallicas partes redire coëgit. Johannes Papa se delusum

lusum videns, ad Henricum Ducem Austriæ nuncios mittit, ut contra Matthæum arma paret. Qui cum D. militibus Italiam intrans, nihil dignum memoria fecit. At Matthæus Castrum Advocatorum in Vercellis obsidet; tamdem obtinet; Episcopum Civitatis capit; dominium Civitatis apprehendit; Simon de Advocatis cum pluribus aliis in Mediolano incarcerantur. Interim à Papa Johanne contra Matthæum quidam miles Catelanus nomine Raymondus de Cardono cum 500. (*) equitibus mittitur. Hic Valentiam venit; obtinet Pontem-Curonum; Terras ultra Padum sibi parêre fecit; Vercellas aggreditur; sed Stephanus Matthæi filius ibidem Dominus viriliter resistit.

CAP. CCCLX.

De CXCIV. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1321. sub dominio Matthæi Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi cum Turrianis, Civitate existente interdicta, Jacobinus de Yseo Brixiensis fuit CXCIV. Potestas Mediolani. Isto tempore Raymondus suprascriptus Burgum de Basigniana intravit, contra quem Stephanus Vicecomes, & Jacobinus Mediolani Potestas cum Mediolanensium exercitu suas dirigunt acies, ut succurrant Castro, quod adhuc amici Matthæi munitum custodiebant; sed nihil profuit, quia in Raymondi dominationem devenerat. Tunc Matthæus Girardum de Spinolis Januensem fecit sui exercitus Capitaneum generalem. Qui cum exercitu Mediolanensium versùs Viglevanum equitans, ubi erat Raymondus, ab ipso bellum petit. Renuit Raymondus. Contra Matthæum Crux prædicatur. Isto tempore Beltrandus Cardinalis Legatus fecit citari aliquos Religiosos, quos Matthæi sentiebat amicos, ut Abbates Sanctorum Ambrosii, Simpliciani, Dionysii Celsi, Vincentii, & Victoris. Quos omnes Matthæus vocans, ait illis: *Dicite Legato, quòd semper fui obediens Ecclesiæ, & esse volo; pacem desidero.* Venientes autem Abbates in Ast, verba retulerunt Legato. Propter quod valde gavisus est, & cogitavit mittere nuncios, & scire si verba ista sic se haberent.

CAP. CCCLXI.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1322. sub dominio Matthæi Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, Civitate existente interdicta, Lanfranchus de Cabalaziis Novariensis fuit CXCV. Potestas Mediolani. Isto tempore Legatus misit Mediolanum Episcopum Parmensem, ut sciret, si Matthæus vellet Papæ mandatis obedire. Hic Episcopus propter excommunicationes latas noluit Civitatem ingredi, sed in Monasterio S. Simpliciani hospitatus fuit, ad quem Matthæus reverenter accessit. Cui Episcopus: *Vos estis magnus Dominus in Lombardia, & istius dominii origo fluxit ab Ecclesia Romana. Unde consulo, quòd Ecclesiæ obediatis, & eritis absolutus vos, & Civitas summam pacem habebit.* Hæc quum Cives audivissent, omnes consenserunt, excepto Francisco de Garbagnate. Hunc Legatus tamquam

(*) *MS. Ambr.* cum mille equitibus.

A Hæreticum, & Crucesignatum citat. Quòd ut audivit, ferè mentem perdidit, nec umquam bonus Gibelinus fuit. Rege autem Roberto dicente, quòd Civitates Alexandriæ, Terdonæ, Papiæ, Vercellarum, & Novariæ suæ de jure essent, & quòd Matthæus Vicecomes eas injustè occuparet, ipsas recuperare cogitavit. Contra quem Marcus Vicecomes die VI. Julii properavit. Odinantur acies, diu dimicatur; prævalet Marcus; Regis vexillum diripitur; innumerabiles gladiis, aut Pado interemti sunt; fugit Raymondus Valentiam; & Marcus cum mirabili gloria Alexandriam equitavit. Post pauca Legatus Matthæum citat cum filiis, ut in Valentia coram se compareant. Excusat se Matthæus dicens, quòd sibi, & filiis timeat mortem; tamen per Syndicum Communitatis comparuit, qui dictus est Ambrosius de Albayrate. Tamdem Matthæus elegit XII. Ambasciatores nobiles, scilicet Guillielmum de Pusterla, Muzium de Modoëtia, Guillielmum de Casate, milites; Item Franzinum Vicecomitem, Andream de Orto, Franciscum de Garbagnate, Stephanum de Vicomercato, Jurisperitos; Item Rizardum de Pirovano, Ottorinum Burrum, Zucham Crivellum, Imblavadum de Mandello, & Belinum de Petrasancta. Hi omnes in Festo S. Petri Martyris venerunt Alexandriam; sed Franzinus Vicecomes timens sibi retrocessit; alii XI. pervenerunt Valentiam, quibus Legatus per unum milliare pacificè obviam vênit; erant autem cum eo VI. Abbates supranominati. Altera die Legatus ab istis Ambasciatoribus petit primò, quòd Matthæus Vicecomes deponat dominium Civitatis Mediolani; item quòd Turriani Mediolanum redeant; item quòd Comes Philipponus, Antonius de Ficilaga, Simon de Advocatis, Amoratus & Guidetus fratres Simonis de la Turre, & illi de Puteo Alexandrini relaxentur, & tunc tota Civitas in pace permanebit. Quibus omnibus Matthæus respondit, quòd dominium Civitatis Mediolani non erat suum, sed erat Imperii, quia Imperator Henricus sibi illud dederat; & quòd captivi supradicti non erant sui, sed diversarum Civitatum Lombardiæ. Ambasciatores iterum redeunt ad Legatum, responsionem Matthæi facientes, quam Legatus non acceptavit. Tamdem Raymondus de Cardono Rocham Basignianæ obtinuit, quam victualibus replet. Postea obsidet Alexandriam, & fugato inde Marco ipsam obtinuit; & Passarinus de la Turre ibidem, & in Terdona Regis Roberti Vicarius efficitur. Isto anno Galeaz Matthæi primogenitus Dominus Placentiæ, audiens, quòd in Civitate Mediolani essent rumores, & strepitus maximi propter Legati timorem, & maledictiones, quas fulminare non cessabat, vênit Mediolanum, relinquens in Placentia loco sui filium suum Azonem adhuc parvulum, & applicuit Mediolanum die XXIII. Maji. Postea verò die XXVI. Junii pater ejus Matthæus moritur, & Galeaz fit Dominus generalis die XXVIII. ejusdem mensis, & die VIII. Octubris Vergusius de Lando Placentiam obtinuit nomine Legati, in qua Galeaz dominatus fuerat sex annis. Sequenti mense Guillielmus de Pusterla, Ludovicus Vicecomes, Guillielmus de Casate, Simon Crivellus, Muzius de Modoëtia, Stephanus de Vicomercato, Franciscus de Garbagnate, Imblavadus de Mandello, Rizardus de Pirovano, Catelanus de Gluxiano, & Ambrosius de Habiate, omnes con-

concordaverunt cum Amuanth Deunch, & Rogerio de Arpensi Contestabilibus generè Theutonicis, ut Galeaz dominio Civitatis Mediolani privaretur, & Johanni de la Turre traderetur, qui Mediolanum venerat, ut pacem faceret. Consensit Legatus prædicto tractatui. Facto itaque tumultu, bella insurgunt. Soldati Theutonici Galeaz ipsum derelinquunt, & non valens sustinere pondera belli, Laude fugit cum fratribus, & nepotibus suis die VIII. Novembris, ubi honorificè per Vistarinos fuit receptus. Ipso die Johannes de la Turre Civitatis Dominus per unum annum efficitur, & ipsomet die Ravizia de Rusconibus fit CXCVI. Potestas Mediolani. Post duos verò dies Tegniacha de Paravisino, & Strazia de Paravisino, Guizinus Cavazia, & Obizo de Bernadigio cum CC. militibus, & aliis viris armatis circa decem millia intraverunt Modoëtiam cum intentione introducendi Turrianos. Quibus auditis, supradicti Nobiles de Mediolano, qui Civitatis fastigia gubernabant, turbati corde, Franciscum de Rusconibus Capitaneum Civitatis Cumanæ convocantes, Burgum de Modoëtia invadunt, & obtinent die XVII. Novembris, fuitque tota Terra spoliis Mediolanensium, & suorum stipendiariorum exposita. Isto etiam anno die XVIII. Novembris Ludovicus Vicecomes cum prædictis Nobilibus timentes, ne pisces, quos insequebantur, in retia Turrianorum devenirent, corde compuncti ipsum Galeaz cum fratribus suis ad Civitatem Mediolani revocant, ut essent fratres, & concives, & non Domini. Redierunt autem die X. Decembris; sed multi ex prædictis Nobilibus recesserunt turbati, quòd redierant. Fuit autem ipse Galeaz in Civitate Mediolani satìs humilis per IV. menses; tamdem dominium obtinuit.

CAP. CCCLXII.

De toto Clero expulso è Civitate Mediolani.

ANno Domini 1323. sub dominio Galeaz Vicecomitis exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, Civitate existente interdicta, totus Clerus expellitur de mense Februarii, & Suardinus de Suardis fit Capitaneus Populi. Isto anno Guillielmus de Pusterla intravit Caravazium, & cum eo Guillielmus de Casate, Simon Crivellus, Rizardus de Pirovano, Franciscus de Garbagnate, Ambrosius de Habiate, Vergusius de Lando, Castonus Legati nepos, cum militibus multis insultantes Comitatum Mediolani, ac instantes, quomodo possent Abduam transire. Quibus Marcus occurrit, totis viribus prohibens, ne transeant. Tamen ipso nesciente transvadant die XXV. Februarii. Obstat Marcus; pugna committitur; fugit Marcus Mediolanum; Simon Crivellus occiditur, sepeliturque in Ecclesia S. Eustorgii. Similiter Franciscus de Garbagnate ibidem confoditur, sepultus Modoëtiæ in Ecclesia S. Johannis Baptistæ. Item die XXV. Februarii exercitus Ecclesiæ obtinuit Trizium, Burgum de Vicomercato, & finaliter Modoëtiam. Quibus adjuncti sunt illi de Bernadegio, de Paravisino, de Castelliono, de Littis, omnesque prædicti Nobiles; tamdem Turriani veniunt. Quibus attentis, Nobiles ad invicem dixerunt: *Nos pugnamus, & Turriani erunt Domini nostri; melius est nobis mori cum Vicecomitibus*. Et recedentes iverunt Legnianum, ubi cum Johanne Ordinario, Luchino milite, Marco, Stephano, & Ludovico Vicecomitibus Mediolanum perrexerunt, fueruntque Turrianis contrarii toto posse. Post pauca Raymondus de Cardono Vicarius Ecclesiæ veniens Modoëtiam, per plura milliaria cum magno gaudio Modoëtienses obvios habuit. Erant autem cum eo Guelfi infrapositarum Civitatum, scilicet Florentiæ, Bononiæ, Regii, Parmæ, Brixiæ, Cremæ, Papiæ, Novariæ, Pergami, Vercellarum, Laudæ, Cumarum, Cremonæ, Januæ, Terdonæ, & Alexandriæ. Item Paganus de la Turre Patriarcha Aquilegiensis, Frater Aycardus Archiepiscopus Mediolanensis, & Episcopus Vercellarum. Item Franciscus de la Turre cum Simone fratre suo, & Rumachoza, Casoncinus, Carnevarius, & Raymondus, omnes de la Turre. Item illi de Castilliono, de Bernadegio, de Paravesino, de Littis, de Caymis, & ferè medietas Civitatis Mediolanensis, & Comitatus, tam Guelforum, quàm Gibelinorum. Tunc Galeaz Vicecomes undique se derelictum videns, fecit fieri fossata circa suburbia Civitatis, pontes levatorios, cum sarazineschis; fecit etiam fieri supra portas propugnacula, & plures pusterlas claudi jussit. At Raymondus de Cardono cum potentissimo exercitu veniens Mediolanum, intravit suburbium portæ Cumanæ, interficiens quos invenire potuit, & rapinas magnas exercens. Quod etiam factum fuit in suburbio Portæ Tonsæ, de Monte-forti, Portæ Ticinensis, & Vercellinæ. Hoc autem fuit XX. Junii. Et die XXII. ejusdem mensis Castonus de Lomagra Legati nepos intravit domum Humiliatorum Sancti Spiritus, quam fortificavit, fueruntque cum eo D. milites. Hos Galeaz potenter in loco isto pluries aggreditur. Sed Raymondus ex altera parte cum Simone, & Johanne de la Turre ipsum Galeaz in Civitatem se reducere compulerunt. Tunc Raymondus fieri fecit unum gatum volens pontadum Portæ Cumanæ comburere; succurrit Galeaz; pugna committitur; vulnerantur multi; tamdem gatus cum ponte comburitur. At Galeaz cum Bertoldo, & cum magno exercitu extra Portam Vereellinam stratas occupavit, ne victualia inimicis portarentur. Altiùs invaluit foetor; gravat extrinsecos intensus calor, & omnes infirmantur. Modoëtiam revertitur Raymondus cum magna verecundia, quos omnes Galeaz, & Bertoldus XV. Julii gravi obsidione concludunt.

CAP. CCCLXIII.

De CXCVII. Potestate Mediolani.

ANno Domini 1325. sub dominio Galeaz Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi cum Clero, Civitate existente interdicta, Vescontelus de Binascho Papiensis fuit CXCVII. Potestas Mediolani. Isto tempore durante obsidione de Modoëtia, fuit rupta de Vaprio. Modoëtiæ obsidio duravit. Tamdem circa Festum S. Michaëlis capitur.

CAP. CCCLXIV.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1326. sub dominio Galeaz Vicecomitis, vacante Imperio, exulante Fratre Aycardo, Civitate existente interdicta, Becharius de Becharia Papiensis fuit CXCVIII. Potestas

testas Mediolani per sex menses, & usque ad finem anni Gozzera de Bonacursis de Monte Mellono fuit CXCIX. Potestas.

CAP. CCCLXV.

De adventu Ludovici Bavari.

ANno Domini 1327. sub dominio Galeaz, vacante Imperio, exulante Fratre Aycardo cum Clero, Civitate existente interdicta, Ludovicus Bavariæ, quem Johannes Papa omni Regno omnique jure Imperiali privaverat, per Galeaz, & alios Vicecomites vocatus intrat Lombardiam in odium Johannis Papæ, & Legati contemtum; & venit Pergamum parvo contentus famulatu, quem Galeaz equis ornavit, & armis. Deinde Cumas perrexit obviam Margharitæ Reginæ, quæ per Alpes Cumanas veniebat, & dominium obtinuit Cumarum. Postea Mediolanum cum Regina die Dominico XVII. Maji ingreditur. Venit & Canis de la Scala cum D. militibus. Recipitur autem Ludovicus à Secularibus, & baldachinum more Imperatorum super caput portatur; sicque ad Palatium Communitatis adducitur. Hic petiit Corona Ferrea coronari. Quia verò Frater Aycardus Archiepiscopus Mediolanensis, ad quem coronatio Imperatoris de jure pertinebat, exulabat, per .... quondam Episcopum Aretinum in Festo Pentecostes sequenti, quæ fuit die ultimo Maji, Corona Ferrea coronatur in Regem totius Italiæ, Normandiæ, & Saxoniæ. Regina verò Corona Aurea coronata fuit. Sicque Episcopus depositus Imperatorem depositum injustè perunxit. Fueruntque donati ei pro coronatione sua L. M. florenorum auri. Juravit autem ei Galeaz homagium, tamquam vero Imperatori; juravit etiam Theodorus Marchio Montisferrati, & Francischinus Rusca Dominus Cumarum, Cazinus Torniellus Dominus Novariæ, & quasi omnes Gibelini Lombardiæ. Postea die .... Junii Imperator fecit Dominum Galeaz Vicecomitem suum Vicarium in Mediolano. Canis verò de la Scala dominium Civitatis Mediolani ambiens, quod ei Nobiles promittebant, Marcum contra fratres suos instigabat dolosè. Interim Galeaz vir nimis cordatus, & magnæ prudentiæ, Ludovicum quem non tamquam Imperatorem, sed uti stipendiarium vocaverat, solo nomine voluit imperare. Quod advertens Ludovicus, suggestione aliquorum Nobilium de Mediolano, ipsum Galeaz, & Azonem filium ejus, Johannem, & Luchinum fratres ejus in Festo S. Margharitæ, quæ fuit die V. Julii, cepit, & in Castro Modoëtiæ inclusit. Eodem die quum isti quatuor vincti extra portam Orientalem ducerentur, Stephanus eorum frater extra portam Ticinensem mortuus efferebatur ad S. Eustorgium, ubi in Capella B. Thomæ de Aquino cum matre, & sorore honorificè tumulatur. Solus Marcus eorum frater evasit liber, eo quòd Ludovico semper fidelis extitisset, suosque fratres multoties accusasset. Tunc sequenti, idest VI. die Julii ipse Ludovicus fecit Guillielmum de Monte-forti Vicarium suum generalem in tota Lombardia, & specialiter in Mediolano. Postea die Mercurii V. Augusti horâ vesperarum ipse Imperator recessit de Civitate Mediolani, & ivit ad hospitandum ad Bianchetam in pratis Domini Andreæ de Orto, nec voluit esse in domo, sed stare ad aërem. Post pauca Johannes Ecclesiæ Mediolanensis Ordinarius, Luchinus, & Azo relaxantur; Galeaz autem retinetur. Tunc Civitatem Mediolani in odium Galeaz cœperunt regere Franzinus Vicecomes Jurisperitus, Otto Burrus, Ramengus de Casate, & Belinus de Petrasancta. Eodem anno Chozius de Guidechuson Theutonicus fit CCI. Potestas Mediolani. Isto etiam anno Canturium muro cingitur.

CAP. CCCLXVI.

De Coronatione Ludovici de Bavaria in Roma.

ANno Domini 1328. Ludovicus de Alamania, congregans Theutonicos, tamdem vadit Romam, ubi sicut potuit, Imperii Coronam accepit die XVII. Januarii. Isto die Galeaz dimittitur. Tunc Ludovicus, allegatis multis caussis parvi valoris, Johannem Papam XXII. in Avinione existentem excommunicatum, hæreticum, & depositum promulgavit, & quemdam Fratrem Petrum Ordinis Minorum Antipapam instituit, qui dictus est Nicolaus. Hic Cardinales multos fecit, & schismata in Ecclesia, & scandala multa nimis. Hic dedit in Archiepiscopum Mediolanensem quemdam Marsilium Paduanum, multosque Episcopos in aliis Civitatibus fecit. Tunc quælibet Civitas habuit duos Episcopos. Hanc confusionem in Ecclesia Dei fecit Ludovicus invasor Imperii. Christus autem Sponsus Ecclesiæ, etsi ipsam Petri Apostoli naviculam ad tempus fluctuare concedat, submergi numquam permisit; unde ipsum Ludovicum Bavariæ cum suo Antipapa de Roma turpiter ejici fecit die V. Augusti, & die VI. Galeaz moritur in Luca. Ludovicus autem in tota Tuscia non inveniens, qui ipsum reciperet, per arva, & silvas vagari visus est. Tamdem devênit Pisas cum Antipapa, & Cardinalibus suis. Ad quem Johannes Vicecomes, & Azo quondam Galeaz filius cum Marco perrexerunt, & intervenientibus amicis, & florenorum data summa permaxima, ipse Johannes Vicecomes à Nicolao Antipapa factus est Cardinalis tituli S. Eustachii, & in Lombardia Legatus. Azo autem Vicecomes per Ludovicum fit in Civitate Mediolani Vicarius generalis. Marcus ibi remansit, & vix evasit de manu Bavari; tamdem cum gratia Legati Mediolanum rediit. Quamvis autem Johannes capellum de manibus Nicolai, & Azo de manibus Bavari Vicariatum accepisset, hoc tamen nullius efficaciæ esse sciebant. Sed hoc fecerunt, ut ad Civitatem Mediolani facultatem revertendi acciperent, & ipsam eriperent de manibus Theutonicorum. Et, ut Papa Johannes in processu temporis asseruit, licèt exercitus Ecclesiæ Romanæ rebellarent, tamen corde ab Ecclesia Romana non discrepabant. Nam Johannes Cardinalatum, & Azo Vicariatum sprevit; quod factum Papæ, ejusque Legato multùm placuit.

CAP. CCCLXVII.

De regressu Bavari Mediolanum.

ANno Domini 1329. sub dominio Azonis Vicecomitis exulante Fratre Aycardo cum Clero, Civitate existente interdicta, Guzardinus Lanza Pergamensis fit CCII. Potestas Mediolani. Isto tempore Ludovicus Bavariæ audiens se delusum esse ab Azone Vicecomite, Lombardiam intravit, volens Mediolanum venire, & pervenit Melegnianum die V. Maji, & inde transivit Modoëtiam cum Regina Margharita. Tunc Luchinus Vicecomes cum exer-

exercitu valido versùs Melegnianum equitat, credens eum ibi esse; sed quia Modoëtiam iverat, & Castrum intraverat, quod semper fecerat custodiri, Luchinus Burgum obsedit, & die XII. Maji relaxavit Franzinum Vicecomitem, Ottonem Burrum, & Paganum de Casate, quos in Binasco carceratos tenuerat. Quum autem stetisset in obsidione Modoëtiæ usque ad diem XXI. Maji, postea recessit. Sed Ludovicus die XI. Junii usque ad Pontem de Archeto, & inde ad Monasterium S. Victoris ad Corpus pervenit, & cœpit obsidere Civitatem. Fuerunt autem cum eo Dux Carinthiæ, Canis de la Scala, & Spineta Marchio Malaspina. Post paucos dies videns Ludovicus nihil in obsidione proficere, deficientibus expensis, receptis XIIM. florenorum, de obsidione recessit, & Castrum Modoëtiæ dereliquit, & licentiatus ab Azone ivit Papiam cum Bassiano Crivello, & Ramengo de Casate. Duces autem, qui cum illo erant, versùs Veronam equitaverunt. Isto tempore Marcus venit à Roxate Mediolanum die XV. Augusti, & die V. Septembris moritur. Tunc Luchinus, & Lodrisius duxerunt uxores.

CAP. CCCLXVIII.

De duobus Potestatibus factis Mediolani.

ANno Domini 1330. sub dominio Azonis Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, Civitate existente interdicta, Antolinus de Surdis Placentinus fuit CCIII. Potestas Mediolani. Isto tempore Azo Vicecomes mittit Ambasciatores Avinionem ad Papam, excusans se de multis sibi, suisque majoribus falsò impositis, & quomodo contra Ludovicum Ecclesiæ hostem pugnasset, & quod erat paratus obedire Ecclesiæ. Ex quibus Papa motus fecit illum suum Vicarium usque ad annum, & per illum interdictum suspendit, & Azo Clerum revocavit die . . . . Februarii. Isto anno die XVI. Aprilis Ugolinus de Lucino fuit CCIV. Potestas Mediolani. Azo duxit uxorem primo die Octubris. Civitas muro cingitur. Antipapa vadit Avinionem. Ludovicus de Bavaria per Ambasciatores promittit Ecclesiæ parêre.

CAP. CCCLXIX.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1331. sub dominio Azonis Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, Ugolinus de Lucino suprascriptus fit CCV. Potestas Mediolani. Isto tempore quum Ducatus Carinthiæ, & Comitatus Tiroli ad filium Johannis Regis Bohemiæ ratione dotis devolverentur, & ipse Johannes illas Terras intrasset, requirens ab incolis homagium, Civitas Brixiæ à Mastino opprimebatur in tantum, quòd LXX. Castra perdiderat, & Civitas in muris fatigabatur. Tunc Brixienses ipsum Regem petunt, facientes homagium sibi, suisque successoribus usque in quartam generationem. Qui veniens, Terram, & Castra de manibus Mastini eripuit, & Civitatem in summa pace posuit; quapropter ab universo Populo adorabatur. Quumque ejus fama diffunderetur, quòd esset Rex pacificus, omnique Justitia plenus omnes Civitates Gibilinæ factionis memores beneficiorum, quæ pater

A ejus Imperator Henricus quondam fecerat, fecerunt eum Dominum suum. Vocatus est ergo Dominus Pergami, Cumarum, & Papiæ. Ad quem etiam Azo Vicecomes vadens dominium Civitatis Mediolani eidem contulit. Tamdem in concilio Communitatis fit in Mediolano Dominus generalis die VIII. Februarii, & Azoni Vicariatum dedit. Factus est etiam Dominus in Novaria, Vercellis, Cremona, Parma, Regio, Mutina, & Luca, in quibus fecit Vicarios. Ludovicus verò Sabaudiæ, soecr Azonis Vicecomitis, fit Vicarius generalis. Ista autem prosperitas Johannis Regis Johanni Papæ multum displicuit. Eodem anno sub dominio Johannis Regis Lanfrancus Cabalazius Novariensis fuit CCVI.
B Potestas Mediolani. Isto tempore Azo Vicecomes volens cum Johanne Papa pacem habere, Vercellinum Vicecomitem ad ipsum cum nobili Comitatu mittit. Hic à Johanne Papa honorificè receptus fuit. Hic cum tanta prudentia, & pulchris rationibus Papam placavit, quod ab eo quicquid petiit pro Azone ut Domino Civitatis, pro se, & pro aliis, totum obtinuit. Primùm quod impetravit, fuit quòd Papa per patentes literas habuit excusatum Azonem, quòd à Bavaro dominium Civitatis accepisset, & ipsum esse verum Imperatorem recognovisset, unde ipsum Vicarium fecit in Mediolano. Item obtinuit, quòd Johannes Vicecomes daretur in Episco-
C pum Novariensem, literas absolutionis innumerabilium maledictionum, quas Papa contra Mediolanum fecerat, impetravit; de manu Papæ cingulum accepit militare, & literas absolutionis à pœna, & à culpa pro se, suaque uxore obtinuit. Isto tempore Johannes Papa in quemdam errorem incidit, contra quem Ordo Prædicatorum insurrexit.

CAP. CCCLXX.

De duobus Potestatibus Mediolani.

ANno Domini 1332. sub dominio Azonis Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, Lanfrancus Tenconus Novariensis fuit CCVII. Potestas Mediola-
D ni per sex menses, & usque ad finem anni Zenotus de Flisco Januensis fuit CCVIII. Potestas. Isto tempore Johannes Rex Bohemiæ filiam suam tradidit primogenito Philippi Regis Franciæ, cujus filiam pro Karulo filio suo accepit. Quum autem propter hoc ultra montes longam moram traheret, Brixienses, qui primò ipsi fidelitatem juraverant, primò fidelitatem frangunt, & Mastino de la Scala sese tradunt. Azo Vicecomes Pergamum capit die XXVII. Septembris. Johannes Vicecomes Episcopus Novariensis ipsius Civitatis dominium de manibus Cazini Tornielli extorsit de mense Maji; Terram pacificavit; nulli molestiam intulit; jura Ecclesiæ, & Castra
E instauravit. Videns autem Johannes Papa, quòd Episcopus Novariensis in factis Ecclesiæ strenuè se haberet, contulit ei administrationem Episcopatus Mediolanensis, datis Fratri Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi singulis annis MD. florenis. Et tunc prædictus Johannes fecit fieri Palatium, per quod poterat iri à domo Archiepiscopali ad domum Domini Civitatis. Item ex adverso istius Palatii fecit fieri unam magnam salam, quæ quadratam reddebat Archiepiscopalem Curiam, & mirabiliter ornavit totam illam Domum, sive Curiam. Vercellæ, & Viglevanum subjiciuntur.

CAP. CCCLXXI.

De duobus Poteſtatibus Mediolani.

ANno Domini 1333. ſub dominio Azonis Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiſcopo Mediolanenſi, Ariginus de Rivola Pergamenſis fuit CCIX. Poteſtas Mediolani. Iſto tempore Johannes Rex Bohemiæ, audito quòd illi de la Scala in Brixia, & Vicecomites in Mediolano, Pergamo, & Novaria ſua jura violarent, cum Franchis, & Theutonicis multis intravit Lombardiam. Et veniens Valentiam, demum Terras Papienſium aggreditur X. die Martii. Invento autem quòd Azo Vicecomes Civitatem Papienſem, excepto Caſtro, communiviſſet, Caſtrum intrat; turpiter impugnatus exiit, & invaleſcente fame de obſidione receſſit, & in territorio Mediolanenſi plures Terras igne ferroque vaſtavit, nam nullus obſtabat. Et vadens per Epiſcopatum Civitatis Pergamenſis, quæ Azonis dominio ſubdebatur, non invenit ubi requieſceret pes ejus; & finaliter vadit in Alamanniam. Tunc Miranus de Becharia Papienſis fit CCX. Poteſtas Mediolani die X. Auguſti. Eodem anno Beltrandus Cardinalis Legatus totis viribus cogitavit Civitatem Ferrarienſem de manibus Marchionis Eſtenſis eripere, quam de jure dicebat ad Eccleſiam pertinere. Unde mirabilem obſidionem parat per terram, & per aquam. Succurrit Azo Vicecomes ipſorum Marchionum conſanguineus; & miſit Pinalam de Aliprandis in armis ſtrenuum cum DC. militibus, qui violenter, & contra impetum obſidentium Terram jam deficientem intravit, & commiſſis diverſis prœliis exercitum Legati exterminavit die XIII. Aprilis; pons Padi corruit, & Raymondus de Valle, Comes de Arminiach, Maleteſta de Maleteſtis, & multi alii capiuntur. Die XXVI. Novembris Azo Vicecomes capi fecit Johannem de Graſſis de Canturio, Ramengum de Caſate, Ottorium Burrum, Ludovicum Crivellum, & Belinum de Petraſancta, quos omnes in Caſtro Modoëtiæ incarceravit. Eodem anno die XVII. Septembris Beltrandus Cardinalis Legatus in Bononia ſuper totam Italiam, expulſus Avinionem confuſus revertitur, & inter alia injurias, quas à Vicecomitibus receperat, narravit. Turbatus Papa diſponit excommunicationes, & maledictiones fulminare, exercitum renovare, & Vicecomites extirpare, ex quo aliqui Lombardi gaviſi ſunt. Tunc Ludovicus Vicecomes Mediolano egreſſus cum Franchino Ruſca Domino Cumarum, & Cazino Torniello multa tractavit.

CAP. CCCLXXII.

De duobus Poteſtatibus Mediolani.

ANno Domini 1334. ſub dominio Azonis Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiſcopo Mediolanenſi, Milanus de Becharia Papienſis fit CCXI. Poteſtas Mediolani. Eodem anno die X. Decembris Johannes Papa moritur, & Benedictus XII. in Papatu ſubrogatur. Item die XXI. Decembris Urſus de Venetiis fuit CCXII. Poteſtas Mediolani. Azo Vicecomes, emtis domibus illorum de Pagnanis, ampliavit domum, ſive Curiam ſuam.

CAP. CCCLXXIII.

De CCIX. Poteſtate Mediolani.

ANno Domini 1335. ſub dominio Azonis Vicecomitis, exulante Fratre Aycardo Archiepiſcopo Mediolanenſi, Urſus de Venetiis refirmatur in CCXIII. Poteſtatem Mediolani. Iſto tempore Azo Vicecomes videns Eccleſiam in Placentia dominari, cogitavit ipſam ſibi acquirere; Et mittens Cazagum de Cazagis cum CCC. militibus Placentiam, omnes Officiales Eccleſiæ cum parte illorum, qui dicuntur Bardeli, inde fugavit, & Franceſchinum de Scotis ibidem Dominum fecit die XXV. Julii. Iſto

B etiam tempore Frater Benedictus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Cumanus, qui fuerat exul annis VII., collecto exercitu valido Vitanorum, & Ruſconorum, totum Epiſcopatum Cumanum ſubjugavit. Et veniens versùs Civitatem, cunctis proſperè cedentibus, Franchinum Ruſcam Dominum Civitatis nimio timore perterruit. Qui nec reſpirare valens, nec alicunde ſubſidium expectans, ſe, & fratres ſuos, & Civitatem Azoni Vicecomiti recommendavit. Tunc Azo miſſo exercitu dominium Civitatis obtinuit; Epiſcopum, & partem Vitanorum ad propria reduxit; Civitatem in maxima pace poſuit; Leucum, & Riperiam recuperavit, duo Caſtra

C in Cumis erexit; Canturium jam dudum rebellem ſuppoſuit. Eodem anno Azo Vicecomes attendens, quòd majores ſui dominium Civitatis Laudenſis obtinere non potuiſſent, illam dura obſidione vallavit per terram, & aquam. Multa ibi prœlia peracta ſunt; finaliter ipſam violenter obtinuit, & Petrum Temeloldum ipſius Civitatis Dominum in Mediolano incarceravit die ultimo Auguſti; Epiſcopum Civitatis dudum exulem ad Sedem reduxit; Civitatem in multa pace poſuit. Caſtrum fortiſſimum erexit. Cremenſes etiam Azoni ſubjiciuntur; ibique Caſtrum ædificatur. Caravazium, Terra de Urceis, & Terra S. Domini in ejus dominationem deveniunt.

D

CAP. CCCLXXIV.

De obſidione Placentiæ.

ANno Domini 1336. de menſe Aprilis Dominus Azo, collecto magno exercitu cum Placentinis extrinſecis, Placentiam per VII. menſes obſedit, & de menſe Decembris prædictus Franciſcus non valens reſiſtere propter defectum victualium, Civitatem Azoni tradidit XV. Decembris. Sequenti verò die Azo intrat Civitatem, Cives concordat, & omnes extrinſecos ad propria reducit.

E

CAP. CCCLXXV.

De guerra de Parabiago.

ANno Domini 1337. fuit bellum de Parabiago inter Dominum Lodriſium Vicecomitem, qui cum magno exercitu, auxilioque Domini Maſtini de la Scala Azonem dominio privare conabatur. Factus eſt autem Capitaneus Azonis Luchinus Vicecomes. Sed confecto prœlio facta eſt ex utraque parte magna ſtrages occiſorum, obtinuitque Luchinus. Et Lodriſius in S. Columbano in cappia ferrea recluditur uſque ad dominium Domini Johannis Vicecomitis, ut infra dicetur. Mortuus eſt ibi Dominus Johannes de Fliſcho

Flischo Januensis miles probissimus, qui in auxilium Domini Azonis venerat, cujus sororem Luchinus duxerat in uxorem. Plures Nobiles militari cingulo accinguntur, inter quos fuit Dominus Lanzarotus de Angosolis, Dondatius Malvicini de Fontana Placentinus. Eodem anno de mense Aprilis Azo Vicecomes cum valido exercitu Cremonam aggreditur; timent Cremonenses; pacta quærunt; scilicet quòd nisi Rex Bohemiæ versùs dimidium mensis Julii succurrat, se absque pugna subjicient. Revertitur Azo Mediolanum, & Luchinus exercitui præficitur, qui Parmam devastat, Regium, & Mutinam ferro, & plagis humiliat. Johanne autem Rege Bohemiæ non subveniente, Cremona pervenit in Azonis dominium die XV. Julii. Sed infelix Cremona, quæ semper Mediolanum impugnasti; tamen tibi Vicecomites tribus vicibus jugum servitutis imposuerunt. Nam primò Matthæus, secundò Galeaz, tertiò Azo te in suam redegerunt servitutem. Eodem anno Beatrix mater Azonis migravit ad Dominum die primo Septembris. Eodem etiam anno, sedente, & in Sede reconciliato Fratre Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, Azo Vicecomes de mense Augusti decessit; cujus dominium devenit in Reverendum Patrem Dominum Johannem Vicecomitem tunc Episcopum Novariensem, & Dominum Luchinum ejus fratrem. Qui Luchinus quoadusque vixit, communi omnium judicio via regia subditos rexit. Eodem anno die septima Julii Dominus Thadæus de Pepulis, expulso Brandalesio de Gozadinis de Civitate Bononiæ, ipsius Civitatis dominium sub nomine protectionis in pleno Bononiensi Concilio accepit. Postea ab Ecclesia Romana sub nomine Vicariatus recognovit. Quo mortuo, filii ejus Jacobus, & Johannes usque ad annum 1350. dominium retinuerunt. Sed anno prædicto die XXIII. Octubris Dominus Galeaz Vicecomes dominium dictæ Civitatis nomine Domini Johannis patrui sui cepit. Qui Dominus Johannes post multos processus per Clementem Papam VI. factus Archiepiscopus Mediolanensis, dictæ Bononiensis Civitatis dominium ab Ecclesia Romana recognovit. Tamdem prædictus Dominus Johannes Vicecomes Mediolanensis Archiepiscopus, & Dominus moritur Anno Domini 1354. die 5. Octubris, ejusque dominium dividitur inter Dominos Matthæum, Barnabovem, & Galeaz ipsius nepotes. Civitas verò Bononiensis vênit in partem Domino Matthæo, quam Dominus Johannes de Vicecomitibus de Olegio, qui ipsam nomine Domini Matthæi regebat, de manibus ejus abstulit. Mortuus est autem Dominus Matthæus MCCCLV. die XXVIII. Septembris. Mortuus autem erat Dominus Luchinus frater Domini Johannis Archiepiscopi Mediolanensis MCCCXLIX. die XXV. Januarii.

CAP. CCCLXXVI.

De Coronatione Karuli Imperatoris.

ANno Domini 1355. sedente Roberto Vicecomite Archiepiscopo Mediolanensi, Karulus Rex Romanorum in Festo Epiphaniæ in Ecclesia B. Ambrosii per ipsum Robertum coronatur.

CAP. CCCLXXVII.

De captione Vicarii Imperatoris.

ANno Domini 1356. Dominus Galeaz Vicecomes perdidit Civitates Astensem, Albensem, & Novariensem opere Johannis Marchionis Montisferrati. Tunc Liga Bononiensium, Ferrariensium, & Mantuanorum, cui præerat quidam Episcopus Theutonicus Vicarius Imperialis cum Comite Lando, intravit Comitatum Mediolani. Tamdem per Dominos Bernabovem, & Galeaz die XIV. Novembris in conflictu suprascriptus Episcopus capitur cum D. militibus; alii autem aut mortui, aut fugati sunt.

CAP. CCCLXXVIII.

De pace Ligæ facta cum Vicecomitibus.

ANno Domini 1358. die 8. Junii publicata fuit pax suprascriptæ Ligæ per nuncium Imperialem in Ecclesia B. Ambrosii, in qua Dominus Galeaz recuperavit Novariam, & Albam, & Ast, & Burgum-forte, quod tenebatur per Dominum Barnabovem.

CAP. CCCLXXIX.

Qualiter Dominus Galeaz obtinuit Papiam.

ANno Domini 1359. die 15. Novembris, sedente Roberto Vicecomite Archiepiscopo Mediolanensi, Dominus Galeaz Papiam obtinuit, de manibus Johannis Marchionis Montisferrati ipsam arripiens.

CAP. CCCLXXX.

Qualiter Dominus Barnabos obsedit Bononiam.

ANno Domini 1360. sedente Roberto Vicecomite Archiepiscopo Mediolanensi, quum Dominus Barnabos per IX menses Bononiam obsedisset, & bastitas duas fecisset, Castrum-francum, Crevachor, Saravalle, & plura alia loca cepisset, ad petitionem Episcopi Portuensis in Lombardia Legati IV. M. Ungarorum in servitium eidem applicuerunt. Tamdem exercitus Domini Barnabovis recessit, & bastitæ in brevi destruuntur.

CAP. CCCLXXXI.

De fuga exercitus Domini Barnabovis.

ANno Domini 1361. sedente Roberto Vicecomite Archiepiscopo Mediolanensi, Dominus Barnabos de mense Aprilis versùs Bononiam equitavit, & intrans Castrum-francum, quod suo nomine tenebatur, Villam Plumatii ejusdem districtus infra mensem subjugavit. Sed de mense Junii Populus Bononiensis Dominum Johannem de Bixozero Capitaneum Domini Barnabovis bastitas facientem circa Civitatem aggreditur. Moriuntur multi hinc inde, & prædictus Dominus Johannes capitur. Die VIII. Augusti Robertus Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis in Legniano moritur. Isto etiam anno ad instigationem Johannis Marchionis Montisferrati Ultramontani numero X. M. Terras Domini Galeaz invadunt, & Cavallorum apud Vercellas capiunt.

CAP.

CAP. CCCLXXXII.

De diversis guerris.

ANno Domini 1362. creato Domino Guillielmo in Archiepiscopum Mediolanensem, suprascripta gens in territorio Vercellarum Castrum Lares obtinuit. Item habuit in territorio Terdonensi Castrum-novum de mense Martii. Isto etiam anno Paduani, Veronenses, & Marchio Estensis contra Dominum Ugolinum de Gonzaga Dominum Mantuæ suum dirigunt exercitum, contra quos Dominus Barnabos gentem suam apud Crevacorum districtus Bononiensis direxit. Nihil tamen fecerunt, salvo quòd unam bastitam apud Mutinam erexerunt. Isto etiam anno de mense Junii Sala territorii Papiensis, & Viqueria Domino Galeaz rebellaverunt, & Marchioni Montisferrati se dederunt. Item de mense Julii Terra Gavardi, Castrum Riberiæ inter Mutinam, & Regium à dominio Domini Barnabovis se subtraxerunt. Item suprascripto mense Canis Dominus Veronæ cum Guelfis de Brixia Brixiam obsedit, & rustici Pontis-Vici se à dominio Domini Barnabovis absentant præter Rocham, quæ semper Domino Barnabovi adhæsit. Ex quo Dominus Barnabos die V. Augusti cum Comite Lando, & gente sua non sinè magno periculo transacto flumine Lolii circa auroram Rocham prædicti Pontis-Vici intravit, & adversarios aggrediens debellavit, & cepit, sicque recuperavit Pontem-Vicum. Item de mense Septembris suprascripta gens ultramontana Castrum-novum Terdonensem Domino Galeaz reddiderunt, seque pacificantes cum ipso retrocesserunt.

CAP. CCCLXXXIII.

De captione Comitis Landi.

ANno Domini 1358. in Epiphania Domini suprascripta gens ultramontana transiens Ticinum, vênit super Comitatum Mediolani; & castrametati Mazentæ, Castanum, & Nervianum, & multos homines circa DCCC. ceperunt. Isto etiam anno die XIII. Aprilis suprascripta gens capit Comitem Landum Capitaneum Domini Galeaz, & CC. qui cum ipso erant, capti sunt. Ipse Comes vulneribus affectus occubuit.

CAP. CCCLXXXIV.

De illo, qui voluit interficere Dominum Galeaz.

ANno Domini 1369. quidam Bertolinus de Sistis Papiensis in Festo S. Barnabæ cum cutelo evaginato Dominum Galeaz equo insidentem in campis Papiensibus clam in femore percussit; sed obstante cingulo, quo cinctus erat, aliqualem plagam, sed non mortalem fecit. Capitur, torquetur variis suppliciis, finaliter membratim divisus in portis Papiæ suspenditur.

CAP. CCCLXXXV.

De acquisitione Valentiæ.

ANno Domini 1370. die X. Julii Dominus Galeaz Terram Valentiæ acquisivit, quam Marchio Montisferrati dudum tenuerat.

CAP. CCCLXXXVI.

De acquisitione Terræ de Casate.

ANno Domini 1381. (*) die XII. Novembris Dominus Galeaz obtinuit Terram de Casale S. Evasii, quam Marchio Montisferrati pluribus annis occupaverat.

(*) *MS. A.* MCCCLXXI.

FINIS.



PTOLOMÆI
LUCENSIS
ORDINIS PRÆDICATORUM
EPISCOPI postea TORCELLANI
HISTORIA ECCLESIASTICA
A Nativitate Christi usque ad Annum circiter MCCCXII.

NUNC PRIMUM EDITA

E DUOBUS MStis CODICIBUS

AMBROSIANO ET PATAVINO.

ACCEDUNT

Diversa duorum Continuatorum additamenta ex iisdem Codicibus depromta.

IN PTOLOMAEI LUCENSIS ANNALES ECCLESIASTICOS

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

EDiturus Historiam Ecclesiasticam *Ptolomaei Lucensis* ex Ordine Praedicatorum Episcopi Torcellani, pauca praefabor de Auctore, cujus alioqui gesta in multa nocte jacent, quippe hoc onere me levavit in Epistola ad me data Clarifs. Vir Joseph Antonius Saxius Ambrosianae Bibliothecae Praefectus. Id ergo tantummodo addam, me per literas rogasse doctissimum Virum P. Johannem Dominicum Agnanum Ordinis Praedic. Sacrae Theologiae Magistrum, & conterraneum meum, ut si quid ultra de rebus gestis illustris hujus Viri in illius patria posset rescíri, is mihi pro antiqua sua erga me benevolentia describendum curaret. Quae paucula de eo reperta sunt, nunc Lector accipiat. In Bibliotheca Coenobii Lucensis Sancti Romani Ordin. Praedic. vetus Chronicon adservatur, ubi haec leguntur; *Frater Ptolomaeus de Fiadonibus Lucensis, Prior fuit in hoc Conventu Anno* 1288. *quem etiam invenio Priorem Anno* 1297. *An autem continuis annis fuerit Prior (quod accidere potuit juxta Constitutionum nostrarum ordinem) an alio interposito iterum electus fuerit, ambiguum est. Tempore hujus celebratum fuit Anno* 1288. *in Conventu hoc Capitulum Provinciale & Generale*. Infra in eodem Chronico, ubi de filiis ejusdem Monasterii agitur, haec alia adduntur: *Frater Ptolomaeus de Fiadonibus Lucensis, fuit Prior in hoc Conventu bis, ut supra diximus; & Prior Florentinus in Conventu Sanctae Mariae Novellae* 1301. 1302. *Et secundo Anno Definitor fuit Capituli generalis Bononiae sub Magistro Bernardo Vascone. Et Anno priore unus fuerat ex electoribus Magistri Ordinis Coloniae. Factus est autem Praedicator generalis* 1288. *in Conventu Lucano. Fuit autem Definitor Capituli Provincialis* 1300. *in Urbe Veteri; &* 1303. *Spoleti. Hic unus fuit ex exsequutoribus testamenti Comitissae Capuanae de Donoratico, quae uxor fuerat Comitis Ugolini Pisani, & multa nobis legavit*. Familia Fiadonum inter nobiles Lucenses jam ab Anno 1200. numerabatur. Ptolomaeus vero, ut in alio MSto habetur, natus dicitur Anno 1236. quod ubi statuamus, necesse est, ut is ad extremam senectutem pervenerit, nam circiter Annum 1327. e vivis excessisse creditur. Et profecto non serius natum excogitare licet, quum, uti infra videbimus, saepe confessionem audierit Sancti Thomae Aquinatis, qui Anno 1274. finem vivendi fecit. Denique in altero MSto ejusdem Coenobii Lucensis Sancti Romani haec verba occurrunt. *Anno Domini* 1288. *praeclarissimus Pater Divi Thomae Aquinatis, Sanctae Matris Ecclesiae Doctoris Angelici nuncupati, Discipulus, Vitarum Pontificum Romanorum, nostraeque Civitatis Historiarum ab Anno Domini Millesimo Sexagesimo usque ad Annum* 1300. *Scriptor, Frater Ptolomaeus de Fiadonibus Lucensis, Conventus hujus filius fuit*. Pauca illic addita omitto, quippe nihil aliud, quam quod supra vidimus, Lectori exhibent. Subit autem mirari, quei Patres Praedicatores Sancti Romani ne unum quidem verbum fecerint de Torcellana Cathedra Ptolomaeo nostro collata. Hoc ejus decus ignorasse illi videntur, quum tamen certissimum sit, Ptolomaeum, qui Vitas Romanorum Pontificum literis consignavit, hoc est praesentem *Ecclesiasticam Historiam*, Lucensibus minime ignotam, eumdem fuisse, qui & Lucenses Annales scripsit, & Ecclesiae Torcellanae praefuit.

Ceterum longe ante tempora nostra clarum fuit inter Eruditos Ptolomaei nostri nomen, quandoquidem ipsum laudarunt, atque ex ejus Libris manu exaratis profecere in Italia Blondus, Platina, Raphaël Volaterranus, atque Odoricus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis; immo & in Germania Paulus Langius & Cuspinianus, atque in Gallia Spondanus, Baluzius & alii. Honorificam quoque mentionem de illo fecerunt, eumque Historicis Ecclesiasticis addidere Vossius, Oudinus, Caveus, sive illius Continuator Warthonus, Natalis Alexander, & Dupinius; ac omnium novissime & accuratissime de illo ejusque Libris differuit Cl. V. Jacobus Quetif Ord. Praed. Tom. I. de Scriptoribus Ordinis sui. Neque praeter-

termittendus Ughellius in Catalogo Episcoporum Torcellanorum. Sed potissimum ea legenda, quæ ad supplendam ac emendandam ipsius Ughellii narrationem habentur in Italia Sacra Venetae editionis. Haec indicasse tantum sufficiat, ut in ejus Libris dignoscendis utilius insistamus. Duo dumtaxat illius Opera erudita novimus; nempe breves *Annales* ad Historiam profanam spectantes, atque ab Anno 1060 usque ad Annum 1303. deductos, de quibus mihi suo loco erit sermo. Tum *Historiam Ecclesiasticam*, quam nunc e tenebris eductam publici juris facere institui. Deceptus vero fuit Dupinius in sua Bibliotheca Ecclesiastica tradens, debere nos triplex Opus Ptolomaeo Lucensi, quem etiam mendose *Episcopum Toricelli* pro Torcelli appellat: hoc est *Annales* breves, tum *Chronicon Romanorum Pontificum atque Imperatorum*, & demum *Historiam Ecclesiasticam*. Nihil aliud & Chronicon hocce Romanorum Pontificum, quam Historia ipsa Ecclesiastica, hactenus luce carens, & nunc evulganda. Adservatur illa in Codice MSto Vaticanae Bibliothecae. Eamdem quoque manu exaratam Bibliotheca Christianissimi Regis ostendit, uti & Collegium Fuxense apud Tholosates. Testes praeterea habeo Jacobum Philippum Thomasinum in Indice Bibliothecae Patavinae, & Mabillonium pag. 27. Itiner. Italic. Patavii quoque MStum Codicem ejusdem Historiae Ecclesiasticae haberi in Bibliotheca Capituli Canonicorum Urbis illius. Sunt & alibi ejus exempla. Verum ego ad hanc editionem instruendam usus sum scripto Codice, quem Ambrosiana Mediolanensis Bibliotheca in suis pluteis servat, mihique lubentissime contulit supra laudatus eruditissimus Saxius eidem Praefectus. Attamen quod minime dissimulandum est, Ambrosianus Codex ex altero parum diligenter conscripto ante centum annos expressus, ita Amanuensium incuria compositus erat, ut paene de suscipienda illius editione desperarem. Romam itaque exemplum misi, ut ope celeberrimae Vaticanae Bibliothecae, quae reliquis Europaeis tum copia tum antiquitate Codicum antecellit, purgatior haec Historia evaderet. Et quidem optima voluntate, summaque etiam humanitate vota mea illic excepta fuere; sed nequaquam is, quem sperabam, effectus est subsequutus. Quum enim amici bene animati in Codicem incidissent, Ambrosiano nihilo castigatiorem, animadvertentes se inutilem operam in collatione lusuros, a coepto destitere. Quare ad Patavinum Codicem in Bibliotheca insignis Capituli Canonicorum illius Urbis adservatum, & ante annos trecentos exaratum, me tamdem converti, literis datis ad ornatissimum virum & amicum probatissimum, Adamum Pivatum, sacrae Theologiae Doctorem, & inter Pastores Patavinae Ecclesiae, tum doctrina, tum candore animi, aliisque virtutibus nulli secundum; ut impetrato eodem Codice, illius beneficio detergeret quaecumque posset sphalmata e Ptolomaei Historia. Impiger ille pro more, rara etiam erga me benivolentia ejus animo ad commune bonum proclivi calcaria addente, ab Illustrissimo Canonico & Comite Trojano Borromaeo, eidem Bibliothecae Praefecto, in quo cum generis nobilitate singularis humanitas certat, Codicem petiit; & acceptum, nulli labori parcens, continuo cum Ambrosiano exemplo contulit eo successu, ut hujus Historiae non improbandam editionem literariae Reipublicae polliceri jam queam: quod certe sine ejus subsidio minime praestitissem. Codex ille ex iis est, quos Jacobus Zenus celebratissimus Episcopus Patavinus (cujus mihi sermo recurret, ubi Vitam Caroli Zeni ab eo scriptam publici juris faciam) ante annos trecentos in usum suum pararat. Illius vero successor Cardinalis Foscarus ad eorumdem Canonicorum Bibliothecam transferendum curavit. Et haec quidem molitus sum, ut quantum fieri posset Ptolomaei Historiam minime puderet in publicum prodire. Si quid aeruginis reliquum illic erit, hoc, ut spero, benevolus Lector facile excusabit.

Exorsus est Ptolomaeus Historiam suam a Nativitate Christi pro more Seculorum rudium; atque is justiore titulo, quam alii, tantum sibi itineris proposuit, quod Historiam Ecclesiae sibi scribendam sumsisset, quam sua nativitate, uberiusque sua salutifera morte ac resurrectione Christus fundavit. Verum ne mihi quaeso irascatur Ptolomaeus noster, si panem ego panem appello, si gerras gerras. Grande aliquid fortassis ille sibi visus est procudisse in contexendis his Libris; immo ejus conatui sua laus neganda non fuit inter suae aetatis homines, ut ut doctos, certe in eruditione antiqua aut hospites aut infantes. Sed nostro Seculo, quo surrexisse Artes ac Literarum studia ad tantam felicitatem & copiam videmus, quam grandem ille mercibus suis fortunam polliceri jam possit, hercle non intelligo. Habemus Historiam Ecclesiasticam ab egregiis Scriptoribus, praesertim ab Eminentissimo Baronio & Pagio, pertractatam, summa eruditione, limato judicio, tersa oratione. Quis amabo Ptolomaeum in tanta affluentia optimorum Librorum, qui nobis praesto sunt, audire nunc velit?

velit? Immo quis eum, paene dixi, non fastidiat, inspectisque primis paginis legere ultra sustineat? Non pudet dicere: Si Secula ei propiora excipias, nihil novi in reliqua parte Operis, quae tamen tot folia implet, nobis occurrit. Parum est: in ea fabulas, anachronismos, aliosque errores, & quidem frequentes offendas. Saltem laudasset Auctores nobis ignotos atque deperditos. At ille nos monet, sibi ad contexendam Historiam adfuisse *Eusebium Caesariensem*, *Damasum Papam*, hoc est Romanorum Pontificum Vitas Anastasio tributas, *Hieronymum Ruffinum*, *Augustinum*, *Josephum Hebraeum*, *Isidorum Hispalensem*, *Gennadium*, *Decretum Gratiani*. Hactenus Auctores triti, & in omnium manibus positi. Praeterea se adhibuisse tradit *Historiam Tripartitam*, vulgatam nempe, quam e Sozomeno, Socrate, ac Theodoreto Cassiodorus (sive ut Vir Cl. Marchio Scipio Maffaeus scribendum contendit, Cassiodorius) excerpsit: tum *Orosium*, *Paulum Diaconum Cardinalem*, *& Suppletorem Historiarum Eutropii*, *& alium Paulum in Historia Langobardorum*: quasi non unus idemque Paulus Diaconus fuerit, qui *Miscellam* Historiam Tom. I. Rer. Italicar. editam auxerit, & qui *Langobardicam* Historiam conscripsit. Cardinalitia vero dignitate Paulum Diaconum numquam effulsisse, exploratum est. *Admonius Monachus* a Ptolomaeo nostro memoratus, non alius est ab Aimoino Floriacensi, cujus Historia non semel typis est tradita. Laudat is etiam *Eginardum* in Vita Caroli Magni, *Vincentium Belluacensem*, *& Martinum Polonum*, quorum scripta evulgata per manus eruditae gentis vagantur. Addit *Sicardum Episcopum Cremonensem*, cujus Chronicon edidi Tomo VII. Collectionis hujus. Tum *Ricardum Monachum Cluniacensem*, cujus Historiam evulgabo. *Gesta* quoque *Thuscorum*, *Langobardorum*, *& Germanorum*, e quibus multa jam Lector accepit. Denique *Godefridum Viterbiensem Cancellarium Friderici I.* cujus Opera jam edita rursus ego intuli in eumdem Tomum VII.

Ergo nullum Scriptorem nobis ignotum adhibuit Ptolomaeus praeter unum, quem *Archiepiscopum Cusentinum* appellat. Vitas autem Romanorum Pontificum ab eo tradit conscriptas, ipsumque memorat nullo medio post *Martinum Polonum*. Atque id profecto non sine animadversione dimittendum. Carolus enim Vitschius in Biblioth. Scriptor. Cisterc. post Possevinum auctor est, *Martinum*, Auctorem Chronici, *Martiniani* vulgo appellati, Cisterciensium Ordini fuisse adscriptum, simulque *Cusentinum Archiepiscopum*. Eum fere omnes *Polonum*, & in Ordine Praedicatorum militasse tradunt. Sed Raphaël Volaterranus, Mireus, & Caveus, eidem patriam assignant Carsulam in Umbria sitam. Jacobus vero Philippus Bergomensis in Scotia natum, & Cisterciensis Ordinis alumnum nobis exhibet. Dluglossus in Historia Polonica, Bzovius in Annalib. Ecclesiast. & plerique alii non Cusentinum in Italia, sed Gnesnensem in Polonia Archiepiscopum fuisse illum contendunt. Denique Ughellius inter Cusentinos Episcopos Martinum Polonum refert; sed postea dubius haeret, num eidem tribuenda sit Martiniana Historia. In tanta Scriptorum discordia aliquid certe auctoritati Ptolomaei nostri deferendum est, qui Martinum, *Polonum* utique ex patria vocat, eumque *Ordini Praedicatorum* adscribit. Ceterum fuerit-ne ille Gnesnensis, an Cusentinus Archiepiscopus, silet Historicus noster. Mihi suspicio oborta est, Ptolomaeum ipsum ansam dedisse inserendi Martini Poloni inter Cusentinos Praesules. Ita enim in Epistola dedicatoria inter jam memoratos Scriptores recensetur *Frater Martinus Polonus Ord. Fratrum Praedicatorum*, *Archiepiscopus Cusentinus*, *Sicardus* &c. Qui sine commate haec legat, facile Martinum ipsum accipiat tamquam Cusentinum Antistitem; & praesertim, quod nullo nomine idem Archiepiscopus donetur. Verum *Martinus & Cusentinus* procul dubio distinguendi sunt, quum Ptolomaeus ipse ambos ubique distinguat, eorumque Chronica uti diversa laudet. Immo Lib. V. Cap. I. *Archiepiscopum Cusentinum* memorans subdit: *cujus nomen ignotum*. Ergo non idem fuerit Cusentinus Praesul, ac Martinus Polonus. Sed qui Ptolomaei textum sine commate legerunt, hallucinati sunt, putantes illic exhiberi Martinum Polonum Episcopatu Cusentino auctum, eumque modo una, modo altera appellatione subinde a Ptolomaeo fuisse memoratum; non aliter quam si quis *Ostiensem* in Chronico, & *Leonem Marsicanum* testes adhibeat, quum tamen unum tantummodo virum ea nomina indicent. Accedit, quod Cusentinus, uti ex Ptolomaeo constat, ad tempora usque Martini Poloni suum Chronicon deduxit; istius vero Chronici illud ipsum argumentum fuit, atque Martiniani, videlicet breves Romanorum Pontificum, atque Augustorum Vitae, in Clementem IV. desinentes, ita ut haec ipsa persuasionem auxerint, eumdem cum Martino Polono fuisse Cusentinum. Sed haec facile evanescunt, ubi praeter ea, quae nunc innuebam, animadvertamus, sat prodere Ptolomaeum ipsum, Chro-

Chronicon Cusentini longe fusius fuisse quam Martinianum, ideoque ab eo plane diversum. Teste autem Odorico Raynaldo in Annal. Ecclesiastic. ad Annum 1277. num. XIX. Regesta Pontificia evincunt, Martinum quemdam Ord. Praedicator. a Nicolao III. Pontifice circiter Annum 1278. aut 1279. Gnesnensi Archiepiscopatui fuisse praefectum. Desiderantur autem perspicua monumenta ad ostendendum, temporibus iis floruisse Martinum quempiam, ejusdem Ordinis, Cusentinae Ecclesiae Antistitem. Sed haec satis superque ad quaestionem, quam ex hactenus dictis sublatam aut diremtam fuisse mihi persuadeo.

Itaque ut ad Ptolomaeum nostrum regrediamur, inquiat heic aliquis; ille saltem nobis servavit, quae *Cusentini* Chronicon jam deperditum complectebatur. Non abnuo. Verum quid ex ejusdem Cusentini labore quaeso speres, quum Auctor ille iisdem paene diebus floruerit, quibus Historicus noster? In Historia veterum Seculorum ne illum quidem consulere cautus literarum amator velit: alioquin operam apud ineptum doctorem per ea tempora perdet. Quare semper illud recurrit, quod antea differebam, nempe nihil causae fuisse, cur quae in Historia Ecclesiastica Ptolomaei Annum Christianae Aerae Millesimum praecedunt, essent evulganda. Et sane in animo meo firmissime jamdiu insederat, ea in edendo Ptolomaeo sine ulla misericordia praecidere, aut summum decem prioribus Libris abjectis, ab undecimo tantum editionem exordiri, quod ibi Cap. XXII. aliqua de *Sancto Isidoro Hispalensi*, & *Missa Mozarabum* is tradat, quae quidem parum vulgata nonnullis videri possint, quamquam minime nova sint, neque prorsus ignota. Plus enim, fateor, quam Ptolomaei, miseret me Lectoris, quem inutili merce gravare, eique chartas tradere numquam legendas, mihi quodammodo religioni duco. In Praefatione quoque Tomi I. Collectionis hujus idem statueram, meamque fidem paene obligaram. Attamen Ptolomaei Historiam contra consilium pristinum, en integram Lectori propino. Cur propositi tenax non fuerim, brevibus accipe. Tot amicorum Mediolanensium, aliorumque precibus, opinione, ac veluti arietibus concussus sum, ut victas tamdem dare manus fuerim coactus. Scilicet ii, afferentes etiam concordem sententiam Eruditorum summi subsellii, & non unius gentis, instabant, ut nihil ex nondum editis Historiis celarem aut demerem. Etenim haec mihi ingerebant: Si MStum Codicem Historiae nondum evulgatae, qualiscumque sit, nos caro emeremus, cur tu decurtare, ejusque partem nobis eripere in animum induxisti? Conspicere volumus & ipsos rudium Seculorum errores, fabulas, anachronismos. Majorum nostrorum deliramenta ipsa noscere nostra interest, spectantque ad Critices atque Eruditionis incrementum sive complementum. Nullus autem adeo deploratae fortunae est veterum Historicorum Liber, cujus esse aliquis usus homini erudito, atque utilitas non possit. Cetera non persequor, unum dicturus, me diu repugnantem, mutato tamdem consilio, in eorum potius desiderium quam rationes atque sententiam concessisse. Erunt, ni fallor, qui secus cupiant & judicent. Verum ad pedes suos jam provolutum Ptolomaeum ipsum sibi fingant, rogantemque, ne hisce Libris plenae lucis acquisitae beneficium invideant, neve mihi irascantur, aliorum quidem vota sequuto, sed ab eis diversa sentienti. Num veniam bono ac erudito homini, & religioso Episcopo, parum officiose negabunt?

Ceterum quod attinet ad tempora Ptolomaeo propiora, nullus puto erit, apud quem in pretio futurum non sit, quicquid ille scriptum reliquit; tum quod scriptor fuerit judicii, diligentiae, ac eruditionis minime vulgaris, tum etiam quod in Aula Pontificia, atque inter doctissimos viros diu se se exercuerit. Sed illa in primis magni facienda sunt, quae de Sancti Thomae Aquinatis Vita ac Libris fuse adnotavit. Ut enim ille scribit Lib. 23. Cap. 8. *eum ego probavi inter homines, quos umquam novi, suam saepe confessionem audivi, & cum ipso multo tempore conversatus sum familiari ministerio, ac ipsius auditor fui*. Proinde in Processu Vitae ejusdem Sancti Thomae Anno 1319. Neapoli instituto atque edito a Clarissimis PP. Henschenio & Papebrochio in Act. Sanctor. To. I. Martii, p.706. nil mirum, si Ptolomaei nostri testificatio in honore fuerit. Interrogatus enim Frater Guillelmus de Tocco, ille nempe, qui ipsius Aquinatis postea Vitam contexit, *dixit, se frequenter audivisse a Domino Thomatio de Sancto Severino, Comite Marsici, dicti. Fratris Thomae nepote, & a Fratre Tholomaeo, Episcopo Torcellanensi, qui est in Curia cum Domino Sabinensi, qui fuit Studens Fratris Thomae, & multa de ejus Sanctitate scripsit &c.* Qui heic dicitur *Episcopus Sabinensis*, quocum Ptolomaeus noster Avenione versabatur, idem est atque *Guillelmus* ille *de Bajona Cardinalis Sanctae Caeciliae* (& quidem *Guillelmus* sive *Guillermus Petri de Godino* fuit verum ejus nomen) cui Ptolomaeus hanc ipsam Historiam dicavit. Hic enim doctissimus Cardinalis Ordinis Praedicatorum Anno 1317.
ad

ad Episcopatum Sabinensem translatus (non autem Arnaldus de Auxio, ut Ciacconio visum est) Historicum nostrum carissimum habuit. Quod certe in laudem ipsius Ptolomaei vergit, quum admirabili ingenio, doctrina, ac prudentia, in sacro Cardinalium Collegio Sabinensis ille Episcopus inter primos effulserit. Neque pluribus agam, ut postremam Historiae hujus partem Lectori commendem. Quod si in antiqua Historia eumdem non magni facio, non id ejus ingenio atque eruditioni tribuendum, sed temporum conditioni, quibus neque Critices studium, neque innumera aderant subsidia, quibus aetas nostra abundat. Meditabatur autem ille novam *Historiam Tripartitam*; cujus primam partem designasse videtur hanc ipsam *Romanorum Pontificum* Historiam. Secunda pars complexura erat Historiam *Imperatorum*; tertia vero *Sanctorum*. Ejusmodi consilium ex hoc eodem Opere elucet; verum nescio an ei obstiterint aut graviora negotia, aut Episcopale munus, ne promissa impleret; aut si implevit, ubinam gentium nunc ipsa lateat.

Illud interea nobis animadvertendum, nempe incertum esse adhuc, quousque revera suam Historiam produxerit Ptolomaeus. Codices scripti mirum quantopere ambiguam rem faciant. Post Annum 1312. atque ante 1317. eam ipso obtulisse videtur Guillelmo Cardinali supra laudato: disertis verbis in Codice MSto Patavino post vitam Clementis V. adnotatur: *Et hucusque scripsit Historiam suam Dominus Frater Thomas Tholomaeus de Luca Ord. Praedic. & non ulterius. Quae autem sequuntur, ex aliis fide dignis Historiae scriptoribus &c. collecta sunt*. Ergo usque ad annum 1313. Ptolomaeus suam continuavit Historiam. Quod autem Ptolomaeo nostro nomen fuerit Thomas, quasi Ptolomaeus iti cognomentum sit accipiendum; id quidem cum reliquis rerum monumentis pugnat, quibus acquiescendum puto. At plerique Codices ultra annum 1313. procedunt, immo ultra ipsius Ptolomaei Vitam, quae abrupta creditur circiter Annum 1327. Nimirum ejus Historiae possessores, prout tempora exigebant, res gestas identidem adjiciebant. Hinc varia additamenta emersere ad unam eamdemque Historiam. Ambrosianus Codex sua perducit usque ad Annum 1336. Ultra procedit, ac sub omnino diversa narratione, Patavini Codicis Appendix. Meminerit autem Lector, Clarifs. Virum Stephanum Baluzium inter Vitas Paparum Avenionensium nonnullas evulgasse *ex Appendice Ptolomaei Lucensis*. Contuli editionem illius cum Codice Ambrosiano & Appendice Patavina. *Clementis V.* Vita a Baluzio edita, *Auctore*, ut is censet, *Ptolomaeo Lucensi Ord. Praedicator.*, prorsus dissidet ab altera, quam praefert Codex Ambrosianus, ita ut suspicandi locus sit, neutram Ptolomaeo esse tribuendam, ipsumque substitisse in Benedicto XI. aut in Bonifacio VIII. Vita *Johannis XXII.* apud Baluzium eadem est, atque scripta in Ambrosiano Codice. Vita *Benedicti XII.* ab eodem Baluzio edita totidem verbis legitur in Appendice Codicis Patavini. Praeterea *Clementis VI.* Vita inter Baluzianas evulgata, non alia est, quàm quae nunc iterum dabitur ex Codice Patavino. Idem est de Vita *Innocentii VI.* At alia extat in eodem Codice Vita *Urbani V.* diversa ab ea, quam Baluzius produxit. Contra tum apud eumdem Baluzium, tum in praelaudato Codice Patavino, una eademque Vita *Gregorii XI.* habetur. Nullum vero Lectorem pigebit, omnia haec rursus me curante accipere, & praesertim si emendatiora proferam. Exempli causa in Vita Benedicti XII. si Baluziana editione utimur, Pontifex ille *constituit Dominum Luchinum de Vicecomitibus in Vicarium pro Ecclesia, tamquam Romano Imperio vacante* &c. *Item Marchionem Ferrariensem in Mutina, Constantiam atque Argentinam*. Estensibus Principibus erit, qui gratuletur, quod Germanicis Urbibus Constantiae atque Argentinae, Anno 1334. fuerint dominati. Sed apage ejusmodi ludibria. In Patavino Codice, qui mihi ad haec edenda praesto fuit, apertissime legitur: *Item Marchionem Ferrariensem in Mutinam, Comaclum, atque Argentam*. Alia praetereo. Sed minime praeteribo, Krantzium, Langium, & praecipue Jacobum Mejerum Lib. XI. Annal. Flandric. Ptolomaeum testem adhibere, atque ad hanc ipsam Historiam appellare, ut evincant, Henricum VII. Augustum a religioso viro instituti Dominicani e vivis ereptum, ministrato ei pane Eucharistico, quem is veneno ante infecerat. Jam obsoleta ac protrita est haec fabula sive calumnia, quam innumeri ad ravim usque repetierunt. Alii vero enixe ac jure confutarunt. Sed Lector monendus, haec quidem in Historia, quam nunc publici juris facio, scripta legi, minime vero Ptolomaeum auctorem habere. Additamenta sunt (idque ibi adnotatum est, uti & Raynaldus in Annalib. Ecclesiast. antea animadvertit) nescio cujus hominis, antiqui certe, non tamen Ptolomaei, qui adeo tam vecors, suique oblitus nunquam fuisset, ut quod crimen non Praedicatores tantum, sed tot alii Scriptores synchroni confictum, ac falso objectum ostenderunt, ipse in Ordinem suum tanta confidentia converteret. Proinde non assequor, cur Spondanus

in

in Annal. Ecclesiastic. ad Annum 1313. ut Praedicatores ab accusatione hujusmodi liberet, scribat: *Nihil de eo veneno habet Continuator Ptolomaei Lucensis, qui prope aderat*. Sed alium ab Ambrosiano Codice Spondanus adhibuerit. Ridendum vero se praebet Sandius in Notis ad Vossium de Historic. Latin. num. 194. hanc e Ptolomaeo calumniam refricans, & Mejerum extollens. Is enim, ut hoc facinus confirmet, commemorat Henrici III. Regis Franciae interfectorem Monachum Dominicanum; tum exspatiatur in alia id genus scelera, sive vera, sive somniata. Homini erudito dissimulanda non erant, quae tot alii Scriptores contra sentientes hac de re prodiderunt, & ipse Johannes Bohemiae Rex, Henrici VII. filius suis Literis hac de re editis falsum confictumque prodidit. Easdem Literas Anno 1346. datas, habes evulgatas a Leibnitio Tom. I. pag. 188. Codicis Juris Gentium. Sed utcumque res se se habuerit, certe Ptolomaeus noster heic in scenam invitus minime trahendus erat. Nihil vero exempla paucula aliorum temporum, etiamsi certa statuas, conferre possunt ad nobis persuadendum diversum facinus, nempe e veneno in sacra Hostia oblato Henricum VII. periisse. Verùm haec satis sunto. Accipiat demum Lector, quae ad me Clarissimus Saxius conscripsit, ad Ptolomaeum melius dignoscendum apprime opportuna.

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

COLLEGIO AC BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS

S. P. D.

„ ROgas me, vir præstantissime, ut aliqua ad Te rescribam de manuscripta „ Ptolomæi Lucensis Ecclesiastica historia, quam ex Ambrosiana Biblio„ theca recèns eductam celeberrimo Rerum Italicarum Operi inserere me„ ditaris. Lubens desiderium tuum impleo, Teque in primis monitum velim, „ non adeò antiquum hunc Codicem esse, sed eo tantummodo tempore exscrip„ tum, quo Cardinalis Archiepiscopus Federicus Borromæus, Parens noster, ador„ nandæ à se conditæ Bibliothecæ regios penè sumptus impendens, literariam un„ dique supellectilem è reconditis urbium exterarum scriniis eruendam curabat. „ Hinc etiam factum est, ut sive id vitium fuerit implexi characteris in primævo „ exemplari, sive oscitantia vel imperitia scriptoris, inspersa passim occurrant „ menda inconditæ obscuritatis, cui extricandæ, redigendæque ad sanæ lectionis „ nitorem satis fore solicitudinem tuam meamque sperare vix audeo. Ptolomæi „ nomen & ipse præsefert, quod, ut optime nosti, corruptum est; scriptor enim „ iste verè *Bartolomæus* appellabatur, sed per syncopen frequenti usu ab Italis usur„ patam *Tolomæus* primùm, dein *Ptolomæus* vulgato etiam in præsens nomine cœ„ pit nuncupari, ut testis est *Jacobus Quetif* in suo *de scriptoribus Ordinis Prædicato„ rum* primo volumine, ubi erroris notat plures minoris indaginis scriptores, qui „ hanc nominis diversitatem in manuscriptis nacti, diversos auctores, quin etiam „ geminos Torcellanos Episcopos confixere. Quæ fuerint illius vitæ optimè actæ „ gesta, quive literarii ejusdem fœtus non vacat recensere, cùm abundè peti „ possint ex Chronicis Illustrissimi æquè ac Sanctissimi Prædicatorum Ordinis, „ cujus ipse alumnus fuit, inde ad Torcellanæ Ecclesiæ regimen anno MCCC„ XVIII. à Johanne XXII. summa cum laude promotus. Præterea qui de Scrip„ toribus, præcipuè Ecclesiasticis, ex instituto disserunt, nihil inexcussum reli„ quere, quo nobile aliquod ornamentum tanti viri memoriæ posset accedere. „ Hæc autem amplissimæ eruditioni tuæ singillatim objicere non tam inanem „ laborem, quàm injuriosum putassem. Sisto itaque calamum in hac unicè di„ scutienda Historia, cujus te conscium fieri pro humanitate ac modestia tua „ poscis. Dicata est eadem ab Auctore ipso *Reverendissimo in Christo Patri Domi„ no Guillelmo de Bajona Tit. S. Ceciliæ Presbytero Cardinali*, idque præclaro argu„ mento est, non ante annum MCCCXII. editum in lucem hoc opus, cùm eo „ tantùm anno Guillelmus Petrus de Godino Bajonensis è Sacra Prædicatorum „ familia, ac Pontificii Palatii Magisterio ad summam eam dignitatem à Cle„ mente V. assumptus fuerit; Quandoquidem autem nihil ibi memoratur de

Episco-

„ Episcopatu Sabinensi, quo munere donatus est Guillelmus à Johanne XXII. „ anno MCCCXVII. quin immo in fronte Epistolæ nuncupatoriæ post verba „ superiùs relata manuscriptum nostrum hæc addat: *postmodum Sabinensi Episcopo*, „ constare arbitror absolutam oblatamque Mecænati suo hanc Historiam inter- „ medio eo tempore, quod duodecimus ac decimus septimus ejusdem seculi „ annus amplectitur. Hoc autem peculiari adnotatione dignum censui; oppor- „ tunum siquidem esse crediderim dirimendæ controversiæ, quæ ab eruditis agi- „ tatur, num videlicet universam hanc Historiam usque ad calcem elaboraverit „ Ptolomæus, ut inferiùs attingam. Vigintiquatuor libris absolvitur, frontique „ inscriptum hunc titulum gerit: *Ptholomæus de Lucca. De Chronica Pontificum*, „ *Sacrorum Doctorum, ac Principum*, citra tamen mentem Auctoris, qui opus hoc „ suum alio nomine compellandum statuit; In Epistola siquidem memorata ad „ Guillelmum hæc habet: *huic autem libro titulum convenientem judicavi dari, Eccle-* „ *siasticam videlicet historiam novam*. Stylus operis valde incultus est, ut ætas illa „ ferebat, pluresque admixtas habet fabellas, quæ à majoribus confictæ ac ve- „ luti per manus traditæ Ptolomæi ævo jam invaluerant, quemadmodum est „ Johannæ Papissæ commentum, Sylvestri II. initum cum Dæmone execrabile „ commercium, pluraque alia ejusdem furfuris deliramenta, ut proinde neces- „ sarium duxerim adjectis alicubi animadversionibus nimiam optimi cæteroquin „ viri credulitatem emendare. Nihilominus quanti facienda sit hæc Historia „ satis superque docet auctoritas insignium Scriptorum, Platinæ, Raynaldi, & „ aliorum, quos numerat Vossius, quique in suis contexendis annalibus ad Pto- „ lomæi Lucensis scripta provocavere: Nec immeritò, ut arbitror; Nam præ- „ terquamquod ab Ughello in Episcopis Torcellanis vocatur, *Vir divinis, huma-* „ *nisque literis nobiliter eruditus*, ex ipsomet discimus nulli eum labori pepercisse, „ ut codices omnes tum veteres, tum suo tempori æquales evolveret, quorum „ etiam catalogum suæ ad Guillelmum Epistolæ inseruit; Chronica item „ quamplura, è quibus Historiam suam concinnavit, toto opere memorat: De- „ mum testis ipse est libro V. & VI. peregrinationes in longè positas provin- „ cias, Gallias præcipuè, ab eo non semel susceptas ad exploranda Archiva il- „ larum regionum. Præfectum illum fuisse Bibliothecæ Vaticanæ Ughellus alii- „ que tradunt, sicuti etiam à Confessionibus Johannis XXII. qua in re licèt „ validiora fundamenta desideret memoratus Quetif, certum tamen ait huic „ Pontifici acceptissimum extitisse, Torcellana Infula eidem collata gratiam „ testante.

„ Alterum hujus Historiæ emolumentum est, memoria nonnullorum operum „ quæ Ptolomæum Lucensem auctorem habent, *Tripartitæ* nempe *Historiæ*, „ quam tribus voluminibus constare tradit Laurentius Pignorius, quamvis in „ præsens dubium sit an perierit, cùm à nemine indicetur ubi nam gentium „ lateat; idque fortasse in caussa fuit, ut Tomasinus in Bibliotheca sua Pata- „ vina eandem prorsus Ptolomæo abjudicaverit, cùm non aliam tripartitam „ Historiam novisset, quàm conditam ab Aurelio Cassiodoro. Editam porrò à „ Ptolomæo nullus dubitaverit, cùm ad eam cap. 1. ac pluribi in decursu „ hujusce Historiæ Lectorem amandet. De *Catalogo Imperatorum*, atque altero „ *Regum Franciæ*, nondum tamen, cùm hæc scriberet, in lucem producto, sæ- „ pissimè injicit mentionem, fidemque suam vadem præbet eosdem absolvendi; „ sed an verè iisdem ultimam apposuerit manum Scriptores omnes fugit. Ex- „ cerpta enim quæ Andreas Du-Chesne vulgavit tomo V. Historiæ Franco- „ rum, sicuti & quæ in Hispania illustrata sub Ptolomæi Lucensis nomine le- „ guntur, diversum minimè opus esse ab hac Historia Ecclesiastica, quamvis „ variato alicubi stylo, & coacervatis aliorum narrationibus, ævum quoque „ Ptolomæi longè superantibus, diligentissimè advertit laudatus Quetif. Cæte- „ rùm non admodum obviam fuisse præterita ætate hanc Historiam ex eo „ conjicere licet, quòd Bollandiani Patres ad septimum Martii diem, quo ce- „ lebris est memoria S. Thomæ Aquinatis, non aliud Ptolomæi opus ab ipsis „ præ manibus habitum, quàm ejus Annales Lugduni editos, dilucidè osten- „ dunt in Commentario prævio num. 1. ubi inter cæteros synchronos Scripto- „ res, qui de S. Aquinate Doctore agunt, Ptolomæum recensentes, ejusdem „ Ecclesiasticam Historiam prorsus intactam prætereunt; cùm tamen vastam „ & solidam messem insignium Thomæ gestorum ad illustrandam ejusdem vi- „ tam suppeditare potuisset hic codex, nisi hoc ipsis beneficium illius raritas „ eripuisset. Præcipuè cùm Ptolomæus præsens fuerit iis, quæ narrat, Audi- „ tor primùm tanti Præceptoris, dein Contubernalis atque itinerum comes,

postre-

" postremò ad excipiendas sacras ejusdem Confessiones frequenter accitus; Id
" enim ipse met testatur libro XXII. cap. VIII. nobis non leve argumentum re-
" linquens, quanta ille eximiæ integritatis opinione floruerit, cui familiariter
" adeò Angelicus Doctor delicatiorem sui partem, Conscientiam videlicet suam,
" credebat. Quapropter etiam hoc titulo, Vir Clarissime, non mediocrem gra-
" tiam te initurum existima apud doctissimos sacræ Historiæ illustratores, quòd
" eisdem domesticum nunc reddas publicis typis difficilem antea, ac nonnisi in
" alienis scriniis invisendum literarium hunc Ptolomæi laborem. Sed jam ad
" institutum meum redeo.
" Exemplar Ambrosianum ex iis est, quæ ad annum MCCCXXXVI. (me-
" morato etiam obiter anno XLII.) Historiam hanc deducunt; Inde verò plu-
" ribus Scriptoribus fucus obvênit, ut crederent, Ptolomæum ad illam usque
" ætatem vitam perduxisse, verumque ejusdem fœtum esse quidquid usque ad
" calcem describitur. Oudinus primùm errori larvam detraxit, dein Jacobus
" Quetif productis antiquissimis codicibus Navarræo, gemino Colbertino, aliis-
" que, constanter asserit, Ecclesiasticam Ptolomæi Historiam non ultra annum
" MCCXCIV. progredi, & quidquid longiùs excurrit additamentum esse calami
" alieni. Certè, ut superiùs innuebam, codex quoque noster eliminandæ primæ
" opinioni non modicè inservit, cùm ante obtentum anno MCCCXVII. à Guil-
" lelmo Episcopatum Sabinensem expletum hoc opus, ac eidem dicatum enun-
" ciet. Conciliare quidem id studet Oudinus, innuens potuisse Ptolomæum Torcel-
" lensi Insula sponte deposita, curisque abdicatis, calamo iterum manum appo-
" nere, & Historiæ suæ jam editæ supplementa contexere; sed cujus ponderis sit
" fluxa hæc conjectura, quam nullo veterum Scriptorum testimonio fultam an-
" tiqui codices à Quetifo allati prorsus evertunt, apud te Vir Doctissime judi-
" cium esto, qui etiam decernere poteris qua fide excipi debeat Clementis V. vi-
" ta sub nomine Ptolomæi Lucensis à Balutio vulgata Tomo I. Paparum Ave-
" nionensium; Eam enim laciniam esse huic Historiæ assutam ab Anonymo con-
" tinuatore minimè à vero absonum est opinari. Difficilius est annum statuere
" quo decesserit Ptolomæus, cùm alii protrahant, alii citra modum ejusdem vi-
" tæ tempus decurtent. Rem confecisse videtur qui additamenta attexuit Ughel-
" lo novæ editionis Venetæ in Episcopis Torcellanis; E tabulariis siquidem Urbis
" illius colligit Ptolomæum nonnisi circa annum MCCCXXVII. fato concessisse,
" cùm illius nomen documentis appositum usque ad annum vigesimum quintum,
" anno verò vigesimo octavo institutus à Johanne XXII. reperiatur alter Episco-
" pus Torcellanus Bartholomæus de Piscialis. Quæ verò adducit Ughellus de suf-
" fecto in ea Sede Fr. Ægidio de Gallutiis anno MCCCXXII., ut inde evincat
" superiore saltem anno vita functum Ptolomæum, apertissimi erroris ibidem in
" notis damnantur. Quo circa emendandus quoque est in hac re Jacobus Quetif,
" qui in assignando Ptolomæi obitu Ughello subscripsit.
" Hæc sunt de quibus ad Te scribere in præsens habeo. Tu si sententiam
" meam aliqua in re non probas, obsequium saltem amoremque meum erga te
" summum benignè excipias. Vale.

EPI-

EPISTOLA (*),

QUAM AUCTOR DIRIGIT

DOMNO GUILHELMO DE BAJONA

Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali, postmodum Sabinensi Episcopo.

Reverendo in Christo Patri Domno Guilhelmo de Bajona tituli Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali, Frater Ptholomæus de Luca Ordinis Fratrum Prædicatorum ejus devotus subditus & fidelis cum omni sui recommendatione ad obsequiosam in omnibus voluntatem.

QUia, ut tradit Beatus Augustinus de vera religione, Historialis sermo Ecclesiæ multùm facit ad Christianum cultum, quoniam per ipsum quilibet dirigitur in agendis, roboratur & consolidatur in tolerandis, tamquam per quemdam practicum operis ac magnæ bonitatis; unde & ille Magister omnis virtuosæ operationis, cujus acta & gesta quasi speculum sunt nobis prævia ad ipsa sæpiùs consideranda, nos docet, cùm dicit: *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Rursumque præcepto mandatur divino: *Vide*, inquit, *ut facias juxta exemplare, quod tibi in Monte monstratum est*. Habet etiam & aliud virtuosæ vitæ remedium, quia per tales scripturas sublevatur animus à segnitiis atque actibus stomachosis, propter quod in libro Hester, de illo magno Principe Assuero refertur, quòd cùm quadam nocte sollicitudine sui regiminis pressus fortè nocturnas & importunas vigilias pertraxisset, ad hujus desidiæ seu molestiæ sublevamen, historias & annalia Principum jussit afferri. His rationibus motus, huic præsenti Operi juxta modulum meæ parvitatis conatum adhibui ad scribendum præfata, vestræque Paternitati curavi transmittere, cujus me correctioni & examinationi committo, tamquam doctori & professori sacræ paginæ in Schola Parisiensi, & ejusdem Ordinis Prædicatorum, ac sicut Lectori Sacri Palatii quondam in Romana Curia constituto. Verùm quia inter Historiarum scriptores magna sæpiùs controversia reperitur, quantum potui illis adhæsi, quos credidi ampliùs ad veritatem accedere, & quod magìs communiter tradiderunt Auctores. Huic autem Libro titulum convenientem judicavi dari, *Ecclesiasticam* videlicet *Historiam novam*, quia secundùm formam Eusebii Cæsariensis Episcopi est tradita, vel *de Illustribus Viris* potuit dici. Sed primus magìs conveniens, quia materia Codicis omnes viros, quasi Ecclesiasticos comprehendit à Domino nostro Jesu Christo usque ad tempora ista. Ceterum quia ista materia cùm de historiis agitur, magìs est Theologica, quàm Juridica, ut sæpiùs est probatum, quod ipsa substantia Libri nobis insinuat, inde magìs, congruum videtur scriptori allegare jura grosso modo, sed vero, ut pateat per nomen, quod dicitur Theologis, ad quos magìs Historia pertinet, qui ut in multis sunt Juris ignari: Ut verò fides præbeatur Auctori, quicquid quasi

(*) Titulus hic deest in Codice Patavino. Est autem „ Historiæ Ecclesiasticæ Novæ editæ a Fratre Ptholo-„ mæo de Luca Ordinis Fratrum Prædicatorum. Liber Primus feliciter incipit.

quasi in hoc libro traditur præter declarationes scriptorum, totum per authenticos viros probatur, quos nos hìc introducimus, videlicet Eusebium Cæsariensem Episcopum, Damasum Papam, Hieronymum Doctorem præclarum, Beatum Augustinum de Civitate Dei, & Josephum in libro de antiquitatibus Judæorum, Ysidorum in suis historiis, & de Illustribus Viris, Gennadium de eisdem, & persæpe capitula Decretorum, more Theologico solito allegata, ut intelligant qui legunt, quia ipsa introducimus solùm ad Historias verificandas & declarandas, non ad causas sive quæstiones definiendas, quæ majorem in allegando subtilitatem requirunt. Sunt etiam & alii Auctores Historiæ hìc introducti, ut est Orosius in libro contra Paganos, Paulus Diaconus Cardinalis & Suppletor Hi[illegible] rum Eutropii, alius Paulus in Historia Langobardorum & ipse [illegible] Lombardus, Admonius Monachus in gestis Francorum, Eginardus Phi[illegible] losophus in gestis Caroli Magni & filii sui Ludovici, Frater Vincentius Beluacensis, Frater Martinus Polonus Ordinis Fratrum Prædicatorum; Archiepiscopus Cusentinus; Sicardus Episcopus Cremonensis; Ricardus Monachus Cluniacensis, gesta Thuscorum, Longobardorum & Germanorum, ac Gotifredus Viterbiensis Cancellarius Frederici Primi. Porrò quia opus est satìs diffusum, ad promtiorem ipsius habendam notitiam, oportet ipsum per Libros distinguere, qui sunt XXIV. & per Capitula & Libros secundùm ipsius diversas materias & mutationes status Ecclesiæ. Sed & numerum Pontificum ad confusionem vitandam propter multitudinem opportunum est assignare. Quia verò incipimus à Summo Pontifice Christo nostras Historias hìc tradere, ut memoratus Eusebius fecit, necessarium est ipsius excellentiam ostendere sermone divinitus inspirato, sive prophetico quod in primo capitulo declaratur. Valeat vestra dominatio simulque paternitas per tempora longiora.

EXPLICIT EPISTOLA.

PTO-



Ligavit eum per annos mille Apoc. 20.

PTOLOMÆI LUCENSIS HISTORIA ECCLESIASTICA.

Incipit (*) Chronica Summorum Pontificum, & Sacrorum Doctorum, ac Principum concurrentium cum eis sub brevitate, edita à Fratre Ptholomæo de Luca Ordinis Fratrum Prædicatorum. Incipit Liber Primus Ecclesiasticæ Historiæ novæ. Prologus in Ecclesiastica Historia nova: intus ostenditur excellentia Pontificatus Christi & sui dominii ex Prophetis Jacob.

CAPITULUM PRIMUM.

N*On auferetur Sceptrum de Juda, nec Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*; Genesis penultimo. Prophetica demonstrat auctoritas in Jacob Patriarcha, quantum dominium Israelitici populi viguit, in quo dignitas principatus sequentis, hoc est Domini nostri Jesu Christi nobis ostenditur, quantum ad duo in propositis verbis. Primò quantum ad terminum sive spatium præfati dominii, quod nobis tradit dicta prophetia Jacob, cùm dicit *non auferetur* &c. Secundò quantum ad principium & processum secundi Imperii, videlicet Domini nostri Jesu Christi tum subjungit: *& ipse erit expectatio gentium*. In primo autem dominio dignitatem accipimus propter continuationem temporis usque ad Christum, quia de Juda natus est Christus, ut dicit Apostolus ad Hebræos, in quo apparet singularis prærogativa, nulli umquam dominio competens, quòd tanto tempore continuatus est stipes, sive per tribum Regalem, sive Sacerdotalem, quæ admixta fuit cum Juda per tribum, ut patet de genere Mathatiæ, de quo descendit Aristobolus & Hircanus, in quibus terminatum est Regnum & Sacerdotium, ut jam apparebit. Unde in duas partes totum spatium temporis dividitur: à Rege David, qui fuit de Tribu Juda, & cui facta est repromissio de eo, qui mittendus erat, hoc est de Christo. Prima pars continet Reges, qui fuerunt viginti duo, sicut patet ex Libro Regum & ex primo & secundo Paralipom., quod fuit spatium quadringentorum & vigintiquatuor annorum vel circa, si velis computare tempora Regum in dictis libris, prout in ipsorum apparet catalogo. Et quantum ad hoc dicit auctoritas: *non auferetur sceptrum de Juda*. In sceptro intelligitur Regale dominium, ut patet in Historiis. Secunda pars continet Duces, videlicet à Salatiel usque ad Christum, qui fuit filius Jeconiæ Regis, hoc est Joachim, sub quo facta est transmigratio in Babyloniam, ut Beatus Hieronymus dicit super Matthæum. Isti igitur Principes,

(*) In Codice Patavino desunt, quæ hic scripta sunt. Est autem. *Prologus. Cap. I.*

cipes, qui descenderunt de genere Regio, sive de stirpe David, ut Salatiel, Zorobabel, & sic de singulis. ut habetur in genealogia Christi, & Beatus Matthæus tradidit, non vocabantur Reges, sed Duces, juxta prophetiam Jacob. Unde hic in auctoritate subditur *& Dux de femore ejus*, quod incœpit à Salatiel, qui fuit primus Dux in Judaico populo jam in Babylonia captivato, & usque ad Christum fluxerunt ferè sexcenti anni, in quibus temporibus semper fuerunt Duces & non Reges, exceptis tribus, qui fuerunt circa tempora Domini, quorum primus fuit Aristobolus, qui filius fuit Joannis Hircani, & iste fuit Rex & Sacerdos. Secundus autem similiter fuit Rex & Sacerdos dictus Alexander. Et hæc habentur ex Josepho in Libro de antiquitate Hebræorum, quamvis Beatus Augustinus XVIII. de Civitate Dei hoc idem de Aristobolo dicat, imò, quasi totum refert ad Christum. Iste habuit duos filios, Hircanum videlicet, & Aristobolum; & quia Hircanus primogenitus erat, inde factus est Rex & Sacerdos. Sed ex dissensione istorum ad invicem, ex mandato Principum Romanorum Hircanus privatus est Regno, & traditum est Herodi alienigenæ, manente Hircano in dignitate Sacerdotali. Sed processu temporis, mortuo Hircano, subintraverunt alienigenæ Sacerdotes, ut Anna & Caipha: & sic in adventu Christi in Mundum utraque dignitas expiravit, Regalis & Sacerdotalis, in Judaico populo. Patet igitur dignitas Christi, principatum referendo ad suos antecessores à David Rege usque ad Christum. Et hoc multum facit ad nobilitatem Principis suorum progenitorum antiquitas, ut Philosophus tradit in sua Rethorica. Non solùm autem dignitas Domini nostri attenditur respectu sui principii, hoc est Regum Juda, tam diuturni, & sequentium Ducum, sed ex effectu futuro, & magnifico; quod ostenditur in ultima clausula auctoritatis præmissæ, cùm subjungitur: *& ipse erit expectatio gentium*; in qua quidem clausula consideratur dignitas sui principatus quantum ad duo, in quibus omnem principatum videtur transcendere; primò quantum ad generalitatem, & ideo dicit: *& ipse erit expectatio gentium*, hoc est multitudini gentium, quos ad se convertet per fidem. Et in hoc transcendit dominium Christi omne dominium, quia non est aliquis angulus Mundi, ubi Christus non adoretur: quod non contingit de aliquo principatu sive Romano, quia non habuerunt in India, nisi fortè confinia ejus, ut patet in primo Machabæorum; etiam hoc tradit Orosius; & tamen ibi prædicavit B. Thomas Apostolus, & convertit ad fidem, & Beatus Bartholomæus in partibus diversis, item Beati Apostoli Simon & Judas. Item non habuerunt Æthiopiam, quæ maxima est provincia, nisi partes Libiæ, quæ sunt principium Æthiopiæ, propter difficultatem accessus ejus, ut liquet in primo Libro Historiæ Tripartitæ; & tamen ibi prædicavit Beatus Matthæus, & adduxit ad Christum. Si autem agamus de Alexandro, qui fuit ante adventum Christi per 327. annos, ut tradit Orosius, habuit principatum solum Orientalem sed non Occidentalem. De hac autem generalitate dominii Christi prænuntiatum fuit per Malachiam Prophetam. *Ab ortu*, inquit, *Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco santificatur & offertur oblatio munda nomini meo*. Item dominium Christi transcendit omne dominium, quantum ad diuturnitatem, quod dicitur in ea-

A dem clausula, cùm dicitur, quòd ipse erit *expectatio gentium*, hoc est, quamdiu Mundus durabit & gentes erunt, quia semper Angelus Gabriel Virgini Mariæ de eo, qui mittendus erat, hoc est de Christo Domino nostro, qui est filius ejus, denuntiat, quòd *Regni ejus non erit finis*. Quantum etiam ad diuturnitatem & perpetuitatem Propheta Daniel prædixit in visione secunda Nabucdonosor, quia post quatuor Monarchias, Assyriorum scilicet, Medorum, Persarum, Macedonum, & Romanorum, subjungitur quinta ibidem, quam ad Dominum nostrum Jesum Christum referimus, ut Beatus Hieronymus ibidem exponit, de qua inter alia mirifica, quæ de ipsa narrat prophetica B Historia, sic ait: quòd in diebus Regnorum illorum, hoc est post illas quatuor Monarchias jam dictas, *suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur*. Et attendendum, quòd nullum dominium hic invenitur quantum ad decursum temporis jam peracti, quicquid sit de futuro, ut jam dicetur; & est dictum tantum durasse quantum dominium Christi. Duo enim Regna dicit Beatus Augustinus de Civitate Dei XVIII. in principio libri Regnis ceteris anteferri, cetera verò velut appendices, hoc est dependentia ex prædictis ostendit. Unum fuit Assyriorum, aliud Romanum, seu Romanorum; nullum tamen illorum C tantum duravit, quia Regnum Assyriorum se extendit per mille CCXLII. annos, ut tradit idem Doctor IV. Libro de Civitate Dei. Regnum autem Romanum si ab Urbe condita volumus accipere usque ad ortum Domini duravit VCCLII. annos, ut tradit Orosius. Quod si velis extendere usque ad Constantinum, qui cessit Imperio, quod fuit tempus CCCXXX. annorum, adhuc non pertinget ad tempora Domini nostri. Patet igitur, quòd Regnum Christi & Pontificium transcendit in dignitate & nobilitate omne dominium quodcumque fuerit ab initio sæculi usque modò tribus jam dictis causis & rationibus, tum ex sui principii diuturnitate vel dignitate, tum ex sui Regni D perpetuitate, tum ex sui dominii universalitate. Et ideo congruum videtur de isto dominio aliquid tradere secundùm res gestas ab ortu nostri Redemtoris usque ad tempora ista; tunc enim ab Angelo dictum est: *annuntio vobis gaudium magnum quia natus est vobis hodie Salvator Mundi*. Primò enim denuntiatum est suæ Sanctissimæ Matri per Angelum Gabrielem, quòd *daret ei Dominus Sedem David patris ejus, & regnaret in domo Jacob in æternum*. Tunc etiam septima ætas incipit, quæ tempus plenitudinis gratiæ ab Apostolo (propter quod, & inde ætas septima) appellatur. Sed quia duplex est dominium Christi, scilicet spirituale, & temporale sicut duplex gladius in Luca describitur: *Domine*, E inquiunt Apostoli, *ecce gladii duo hic*. Spiritualis propriè Ecclesiæ convenit, sicut Doctores, Decretorum dicunt, ut patet dist. XCVI. cap. *cùm ad verum*, in cujus argumentum Dominus prohibuit Petro gladio materiali percutere. Sed temporalis, seu materialis Principibus est concessus, ut patet per eundem Doctorem in IV. V. & XVIII. de Civitate Dei pro conservatione suæ provinciæ; sicut etiam dicit Apostolus ad Romanos, quòd *Princeps non sine causa gladium portat; Dei enim minister est & vindex in iram ei, qui male fecit*. Item iste gladius, sive temporale dominium eis est datum pro defensione injuriarum Ecclesiæ, ut capitula

in Decretorum dist. XXIII. quæst. V. cap. *Princeps*, & cap. *Administratores*. Istud etiam temporale dominium ex spirituali dependet, sicut corpus ex anima, & sicut lux Lunæ ex luce Solis, ut patet extra de major. , & obedient. cap. *Solitæ*. Item & dependentia istius dominii à spirituali patet dist. XCVI. cap. *duo sunt*. Item extra de Judic. cap. *novit*. Hoc autem, roboratur ex sententia Domini nostri, quando dixit Matthæi XXVI. *Converte gladium in locum suum*, ubi, Innocent. IV. notat in suo Apologetico contra Federicum, quòd non dixit *habeto*, sed *converte*, ad designandum, quòd Ecclesia quando voluerit dicto gladio possit uti: quod est sententia Augustini, contra Faustum, ubi dicta verba pertractat. Quia igitur spirituale dominium præeminet, de ipso priùs videtur agendum secundùm ordinem summorum Pontificum, describendo ipsorum acta & gesta usque ad tempora ista, tempus quantum erit occurrent, subscribendo Auctores, qui gesta ipsorum Pontificum tradidere, & post hæc de gestis Imperatorum, comite vita, ac Domino concedente incipiendo à primo dominante, per quem *omnia facta sunt*, qui Patris est Verbum, ut det verbum fructuosè & gratiosè scribendi, qui est benedictus in sæcula sæculorum Amen.

EXPLICIT PROLOGUS.

Incipit processus in Ecclesiastica Historia nova.

CAP. II.

De primo Pontifice & Domino Nostro Jesu Christo, & ejus excellentia, quantum ad sui ortum.

PRimus igitur Pontifex summus in fide Christiana Christus Dominus est, quem Apostolus ad Hebræos frequentius sic appellat. Quod nomen sibi propriè convenit ratione suæ perfectissimæ sanctitatis. Unde & Sanctum Sanctorum Propheta Daniel denuntiat secundùm translationem LXX. *Cùm venerit inquit*, *Sanctus Sanctorum*, *cessabit*, unctio scilicet vestra. Hujus gesta tota series Evangelica gloriosè describit. Prophetatus figuratur, prænuntiatus à tota Scriptura, sive Canone veteris Testamenti, cujus actus & gesta si omnes scriberentur, ut dicit Beatus Joannes Evangelista ibidem, non arbitratur Mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros. Quod exponit Beatus Augustinus, non quantum ad locum, sed quantum ad capacitatem legentium. In quo quidem & omnia dicta & facta fuisse videntur supra virtutem naturæ, exceptis iis, quæ sponte assumsit, ut nostræ conformis esset naturæ. Primò quidem sua conceptio ex duplici parte miraculosa est ex parte agentis ad generationem, quia non ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum est caro. Quod quidem in Virgine natum est de Spiritu Sancto, fuit miraculosum, quia ipsis claustris pudoris integris permanentibus, intacta *nesciens virum verbo concepit filium*; nec corrupto sanguine disposuit materiam ad conceptum, sed purissimis sanguinibus ejus, ut tradit Damasc. in 3. Hujus autem conceptionis medius est Gabriel, qui Virginem instruit & confortat in tam arduis & mirificis actibus, quorum est in virginibus præcipuè generare stuporem. Instructa igitur ab Angelo parat se ad obedientiam, & simul dicendo: *Ecce ancilla Domini* Deum concepit & hominem pariter instantaneè: quod in aliis mulieribus contingit per temporum successionem & motum. Quod quidem accidit vere VIII. Kalendas Aprilis. Miraculosus igitur conceptus, miraculosus ejus gestus in utero novem mensibus in nulla gravata passione prægnantium. Anno igitur ab Urbe condita DCCLII. ut scribit Orosius Lib. VII. contra Paganos, & Anno XLII. Imperii Cæsaris Augusti, Dominus Noster Jesus Christus nascitur. Et hoc idem scribit Eusebius in Ecclesiastica Historia Lib. primo. Effluxerunt autem anni à creatione Mundi usque ad Domini Nostri Jesu Christi Nativitatem, ut idem Orosius tradit, quinque millia CXCIX. Et hoc idem scribit Paulus Diaconus Cardinalis suppletor Historiarum Eutropii. Hoc idem Sicardus refert in suis Chronicis, qui fuit Episcopus Cremonensis. A Diluvio verò III. millia annorum minus XLIII. Ab Abraam autem II. millia & XV. anni.

CAP. III.

Qualiter ortus ejus fuit miraculosus.

ORtus autem miraculosus & gloriosus apparet ex parte Matris, quia sine dolore eum peperit, & quia in partu nihil passa, ut scribit Beatus Joannes ad Elvidium. *Statim surgit à partu, pannisque involvit puerum*; ut Beatus Lucas dicit. Item miraculosus ex parte cœlestis mysterii, quia Angeli Pastoribus ejus ortum denuntiarunt in æthere, de nativitate ipsius gloriam in altissimis cantantes. Natura etiam terrestris quædam agit singularia ultra suæ virtutis cursum. Primum, quòd refert Historia Scholastica, quia eo die quo natus est Christus, templum Pacis in Urbe corruit, ædificatum per Romulum: quod sic dicebatur, ut Historiæ referunt, quia in ipso Romulus jam primus Rex in dicta Civitate in præfato templo immunitatem malefactoribus dedit. Et quia locus erat munitissimus & fortis, de firmitate ejus quærentibus, respondit præfatus Rex: ruinam pati, dum Virgo pareret: & factum fuit in ortu Domini. Hoc autem à semetipso non dixit, sed sicut Cayphas commemorata prædixit. Ipsa etiam die taberna Emeritoria oleum emisit quasi rivum (*) usque in Tiberim, sic dicta quia milites antiquati ibidem quiescerent, quibus jam tanquam sui laboris meritò providebatur de fisco. Et quia tantam ostenderunt Romani circa milites legionis antiquos meritos pie-

(*) *Cod. Pat.* quasi vinum.

pietatem, ostendit Deus in ortu Domini virtutem sui effectus in ipsa taberna. Et sicut nascebatur ille, qui unctus erat oleo misericordiæ & fluentis gratiæ, hoc significaret prædicta domus. Refert etiam prædicta Historia, & hoc idem Orosius in sexto libro contra Paganos, quòd eadem die, qua natus est Dominus, præcepit Cæsar Augustus, ne quis ipsum Dominum vocaret. Et tamen ipso die, ut tradit Beatus Lucas, mandavit universum describi Orbem in argumentum subditionis & servitutis fiendæ Domino nostro Jesu Christo, cujus vices Cæsar Augustus gerebat in terris. Eodem etiam anno totus Mundus magna pace florebat, ut tradit Orosius. Devicto enim Antonio solus tunc assumsit Imperium Augustus tantæque fuit circumspectionis & sapientiæ, ut totus Orbis eidem deferret: quod non sinè magna Dei providentia videtur tunc fuisse factum; quia tunc ille natus erat, qui pacem missurus erat inter Deum & Mundum; quod antea per multa tempora fuerat prophetatum. *Orietur*, inquit Propheta, *in diebus ejus justitia, & abundantia pacis*. De hac pace diffusiùs dicetur, cùm de catalogo Imperatorum dicetur. Sed hæc circa ortum Domini mirabilia relata sufficiant.

CAP. IV.

De processu Domini nostri in Mundum & quàm sanctissimus & perfectissimus fuit.

NUnc igitur ad gesta progressus ejus in Mundum procedendum. Primò quidem quia octavo die legi Circumcisionis se subjecit ad ipsius imitandum exemplum, qui legem non venerat solvere, sed adimplere; in hoc ostendens ipsam legem fuisse bonam, & à vero Deo nobis fuisse exhibitam: quod Manichæi negant; & ut nobis documentum daret, ut nullus contemnat quantumcumque Sanctus sub legibus manere; quia bonarum mentium est ibi culpa agnoscere ubi culpa non reperitur. Tertio decimo verò die sui ortus adoratur à Magis, qui ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum?* Quod quidem attestatur ejus dominio jam inchoato & quod suum dominium extendi debebat non solùm apud Judæos, sed etiam ad ceteras nationes. Sed qui fuerunt isti Magi, & unde venerunt, in XII. Lib. Historiæ nostræ Tripartitæ est requirendum. Sed in XL. die à sua nativitate à sua Matre purificanda secundùm legem Moysi, licèt non indigeret, Dominus noster Jesus Christus in templo est præsentatus, & à Sancto Simeone in ulnis receptus, quem ipse tamquam justus, & timoratus Divina influentia illustratus, primò ipsum velut suum auctorem confitetur, & Salvatorem, & de futuris ejus eventibus etiam multa prædicit, ut scribit Beatus Lucas. Sed & Anna Profetissa eodem spiritu plena similiter agit.

CAP. V.

De fuga Domini in Ægyptum, & quo tempore, & quanto tempore fuit, & de mirabilibus, quæ ibi acciderunt ex suo adventu in Ægyptum.

IIs habitis sequitur post quadraginta dies Historia de fuga Domini in Ægyptum, ut refert Beatus Matthæus. Celebratis enim solemnitatibus Purificationis Beatæ Mariæ, filiique

A sui Sanctissimi præsentatione, jure primogenituræ secundùm Legem Divinam scribit Beatus Lucas, quia reversi sunt in Galilæam in Civitatem suam Nazareth. Sed post hoc, ut in Historia Beati Matthæi liquidum est, Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: *Surge, accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, donec dicam tibi; futurum est enim, ut Herodes, quærat puerum ad perdendum eum*. Tunc enim vacare non potuit, ut Scholastica Historia tradit ex Josepho, quia graviter accusatus à filiis, coactus est proficisci Romam Herodes. Sed post annum rediens, necem puerorum attentat. Consurgens igitur Joseph accepit puerum, & matrem ejus, & in
B Ægyptum profectus est, ubi VII. annis moram contraxit, quia scribit Beatus Matthæus, quod erat ibi, hoc est in Ægypto, usque ad obitum Herodis. Et quia Historiæ tradunt, ut in nostra Tripartita liquet, quòd anno XXX. Regni Herodis Christus natus est, & anno XXXVI. Regni ejus Herodes mortuus est; anno verò primo Regni Archelai Dominus noster cum matre ejus & Joseph inde rediit, hoc est de Ægypto: inde concluditur, quòd Dominus noster in tota sua infantili ætate in Ægypto fuit, hoc est annis septem: quod glossa super Matthæum apertè dicit. Quid autem in Ægypto fecerit, audiamus. Refert enim Beatus Hieronymus super Isaiam in suo commentario, quòd in ingressu
C Domini in Ægyptum omnia Idola ceciderunt de loco suo juxta illud vaticinium Prophetæ commemorati: *Ecce Dominus ascendit super nubem levem* (quam ad Beatam Virginem applicat Doctor ibidem) *& movebuntur simulacra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabescet in medio ejus*. Scribitur enim in Scholastica Historia, quòd sicut in Ægypto non fuit domus, quæ suum mortuum non ploraret, tempore quo egressus est Israeliticus populus ab ipsis: ita ingrediente Domino in Ægyptum, non fuit templum, in quo Idolum non corruerit. Mortuo autem Herode, anno videlicet XLIX. Cæsaris Augusti, & Anno Domini octavo, licèt non expleto, rediit Dominus de Ægypto. Sed
D audiens in Judæa regnare Archelaum filium Herodis, ut scribit Beatus Matthæus, secessit in partes Galileæ, quæ non pertinebat ad ipsum.

CAP. VI.

Qualiter in duodecimo anno inventus in Templo inter Doctores audiens & interrogans, admirationem de se ipso facit.

POst hæc autem duodecimo anno ætatis ejus, hoc est Anno Imperii Cæsaris Augusti LIV. refert Beatus Lucas virtuosa opera Domini nostri Jesu Christi, quia cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus parentibus Hierosolymam secundùm consuetudinem diei Festi, &
E ipse Dominus cum eis ascendit. Cùm autem redirent, remansit puer Jesus in Hierusalem, & non cognoverunt parentes ejus. Redeuntes autem invenerunt eum in Templo inter Doctores audientem, & interrogantem: qui sunt actus juvenis virtuosi. Postquam verò quasi querula voce & paterna à parentibus objurgatur, filiali responsione rationabiliter data rediit cum eis in Nazareth, *& erat subditus illis*. Ipse verò, ut scribit idem Evangelista, *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia Dei erat in illo*. Per quod accipimus omnem illam infantilem ætatem gratiosam fuisse, ac virtutibus plenam. Et ideo de

de ipsa necessarium non fuit, quòd Evangelistæ ampliùs traderent, solùm illa referentes de ipso, quæ ad nostram adaptantur salutem.

CAP. VII.

De Baptismo Christi, in quo tempore recepit.

ANno igitur XXX. vitæ ejus, ut communis habet opinio fundata super Chrysostomum Homiliâ decimâ super Matthæum, Dominus noster Baptismum recepit à Beato Joanne Baptista, jam mortuo Cæsare Augusto, qui imperavit cum Christo XV. annos. Cui successit Tiberius, & XV. anno Imperii ejus baptizatus est Christus, Annis à creatione Mundi V. millibus CCXXIX. & ab Urbe condita DCCLXXII. In cujus baptismo manifestata fuit tota Trinitas pleniter (ut Glossa dicit Bedæ super Matthæum) quia Pater in voce, Spiritus Sanctus in columba, Filius in humanitate. Unde trahimus argumentum, quare Dominus post suam Resurrectionem mandavit, Baptismum fieri in nomine Trinitatis. Ab hoc ergo tempore tamquam in ætate perfecta suam incipit manifestare virtutem, suamque divulgare doctrinam; sicque percrescebat vita virtutibus plena in tota Judæa, & apud finitimas nationes, ut tota series Evangelica tradit, ut quasi Deus putaretur. Unde *omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes*. Et inde Josephus, qui tempore Titi & Vespasiani captivatus erat cum populo Judæorum, & ipse videns quod fuit per XLVI. annos post Passionem Domini nostri, testimonium dat in decimo septimo Lib. Antiquitatum Hebræorum, & Eusebius Cæsariensis in Ecclesiastica Historia Libro primo refert.

CAP. VIII.

Testimonium Josephi de Christo Domino nostro.

FUit, inquit, *tempore Tiberii Cæsaris Jesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est: erat enim mirabilium operum effector, Doctorque hominum eorum, qui libenter audiunt ea, quæ vera sunt. Et multos quidem Judæorum, & multos ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum virorum nostræ gentis cùm Pilatus in cruce agendum esse decrevisset, non deseruerunt ii, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit autem eis tertia die iterum vivus, secundùm quod divinitus inspirati Prophetæ vel hæc, vel alia de eo innumera miracula prædixerunt. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseverat & genus*. In quibus quidem verbis sub compendio nobis progressus Domini in Mundum dictus Historiarum scriptor describit, quem series Evangelica declarat. Sed hoc in Catalogo Summorum Pontificum sufficiat fore traditum, quod in aliis operibus sufficientissimè declaratur. Unum tamen non est in hoc opere ommittendum, quia præsentis catalogi est materia: quòd sicut scribit Beatus Augustinus XVII. de Civitate Dei, Christus Dominus noster fuit Rex, & Sacerdos; quia in ipso floruit universale dominium, tam spirituale quàm temporale. Unde ipse dicit in Matthæi Evang. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra*: quod ad humanitatem oportet referre, ut exponit Beatus Hieronymus super dictum locum. Et quia in ipso fuit Christianitatis initium, ipsum decuit istius status & Regni instituere leges, & Sacramenta tradere, quæ nulli auctoritati umquam licet, vel licuit immutare. Quia ut tradit Apostolus in prima Epist. ad Corinth. *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, ut sunt Sacramenta & Articuli Fidei, qui in Christo Jesu fundantur: ad quæ nullius puri hominis se extendit auctoritas. Quam potestatem sibi Dominus reservavit, quæ à Theologis potestas excellentiæ nuncupatur: propter quod ipse Apostolus in eadem Epistola de prædictis sic dicit: *Ego*, inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis*; quasi non præsumens de ipsis aliquid immutare.

CAP. IX.

De tempore quo passus est Dominus & sub quibus Principibus.

PAssus est igitur Dominus anno Tiberii XVIII. cum dimidio ut tradit Beda de temporibus, procurante Pontio Pilato Judæam, & Anno Domini XXXIII. & tanto ampliùs quantum est ab octavo Cal. Januarii usque ad octavum Cal. Aprilis: qua die Dominus passus est, & eadem die Dominus noster de Virgine conceptus, & eadem per Angelum Gabrielem annunciatus, ut Scholastica Historia tradit. Et hæc de Domino nostro, & de primo Summo Pontifice novi Testamenti in tantum dicta sufficiant, quia exemplar est & fuit ac imago totius Divinæ bonitatis, ut in libro Sapientiæ scribitur.

CAP. X.

De secundo Pontifice qui fuit Petrus, ubi ostenditur præeminentia ejus per Christum concessa, quam Doctores multum amplificant.

POst passionem autem Domini Beatus Petrus à Bethsaida Civitate Galileæ natus, speciali prærogativa Domini, primatum obtinet. Nulli enim Apostolorum tanta auctoritas invenitur fuisse concessa super gregem Domini, quia bis in Matth. & præcipuè in confessione, quam facit de Domino per paternam revelationem, dixit ei Dominus; *Beatus es Simon Bariona quia caro, & sanguis non revelavit tibi*: scilicet subditur: *& dico tibi, quia tu es Petrus* &c. Ubi quatuor ponuntur pertinentia ad dignitatem suæ præeminentiæ, & regiminis super gregem Domini, quæ aliis Apostolis non concessit. Unum est nominis impositi magnitudo, unde dicit: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus* &c. Petrus enim à petra, quæ est Christus, originem trahit, ut sacri Doctores exponunt, videlicet Hilarius & Augustinus, in quo & Petri insinuatur potentia ex ipsa nominis participatione cum Christo; & hoc idem planè traditur dist. XXI. in Decreto in fine. Secundum autem est Domini fortitudo, & hoc significat clausula, quæ sequitur: *& portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Portæ enim inferi dicuntur omnes Tyrani, omnes Scismatici, omnes rebelles Ecclesiæ, quibus semper invalescit non obediendo, nec deferendo eidem (tales enim meritò portæ inferi appellantur, quia ad ipsos omnes scelerati concurrunt) sed ultimò non prævalent, sed secundùm merita sua reportant mercedem, ut manifestè apparet, in progenie

A nie aliquorum Principum circa tempora nostra, quia omnes defecerunt vel mala morte interierunt; ut liquidum erit cùm de catalogo Imperatorum agetur. Tertium autem patet ex dominii amplitudine, quia ceteri Apostoli determinatas habuerunt regiones, ut liquet ex ipsorum gestis, quia Beatus Matthæus in Æthiopia, Beatus Andreas in Achaja, Beatus Joannes Evangelista in minori Asia, in una parte Indiæ Thomas, in alia Bartholomæus, & sic de singulis. Unde & Episcopi, qui vices gerunt Apostolorum, ut patet dist. XXI. cap. *in novo*, suas habent distinctas Diœceses; sed Beatus Petrus in Oriente, & in Antiochia, Sedem suam constituit in Semptemtrione, ut in Ponto, Galacia, & Bithinia, quibus tamquam filiis per ipsum B conversis suam direxit epistolam. Item in Meridie, ut in Ægypto, quam per Marcum suum discipulum suo Evangelio illustravit; item in Occidente, ut Roma, sicut infra dicetur. Et quod ibidem Sedem elegit, mysterio non caruit, sicut Augustinus dicit, ut velut Domini Urbis totum gubernabant Orbem, sic Beatus Petrus generali Pontificio universorum Christi fidelium potiretur. Item in loco Sedem elegit, ubi antiquorum Imperatorum more Sacerdotium Imperio sive temporali dominio præeminebant, sicut Maximus Valerius refert in primo Libro, ubi agit de cultu divino & religione. *Omnia*, inquit, *post religionem, & Sacerdotalem reverentiam ponenda semper Civitas nostra* C *duxit. Etiam in aliquibus Summæ Majestatis conspici voluit decus. Quare non dubitaverunt Sacris Imperia deservire, ita existimantia profuturam Rempublicam, si divinæ potentiæ bene & constanter famulata fuisset.* Hanc autem amplitudinem ostendit Dominus, cùm subdit. *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum*; & non dixit: *clavem*, sed *claves*, ad ostendendam suam amplitudinem potestatis.

Ad hanc rationem tangit Decretum allegatum XXI. dist. V. in Decretis in fine. Quartam autem clausulam Dominus subjungit de Petro, in qua suam eminentiam tradit, & ostendit cùm dicit: *& quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cœlis, &* D *quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cœlis.* In qua ostenditur plenitudo eminentiæ. Quamvis enim Dominus ceteris Apostolis cum Petro suam tradiderit potestatem ligandi & absolvendi: eidem tamen bis singulariter dedit; per quod habemus ipsius præeminentiæ plenitudinem, primò his sicut nunc in præsentiarum est dictum.

CAP. XI.

Qualiter post primam commissionem apparet commissio secunda.

SEcundò verò eidem singulariter curam sui E gregis commisit, cùm sibi tertio dixit: *Simon Joannis diligis me plus his?* & suo habito consensu, *Domine*, inquit, *tu scis, quia amo te*. Postea subjungit Dominus: *Pasce oves meas*. Unde apud magnos Juristas, & Theologiæ Doctores est opinio, quòd in loco isto præcipuè facta est per Dominum Beato Petro commissio sui gregis. Post Ascensionem ergo Domini quando jam se subtraxit à conspectu Apostolorum tunc Beatus Petrus in Pontificatu succedit; sed moderatè utitur in principio propter novitatem. Unde dux verbi efficitur inter Apostolos in omni actu ipsorum solemni, sicut patet ante adventum Spiritus Sancti in electione Matthiæ. Post adventum autem Spiritus Sancti contra Judæos factus est sæpiùs prolocutor, ut ibidem liquet, & major factor miraculorum in argumentum excellentioris potestatis inter Apostolos. Unde & Princeps Apostolorum appellatur.

CAP. XII.

Qualiter post quintum annum à passione Domini Petrus Antiochiam ivit contra Simonem, ibique sedit annis septem.

HIc post quintum annum, ut Martinus Polonus in sua Chronica refert, quòd ex Hieronymo haberi potest de Illustribus Viris; secundùm autem opinionem Bedæ dicemus post septem, ut infra patebit: ex certa causa, hoc est propter maleficia Simonis Magi, qui suis maleficis artibus populum subvertebat, veniens Antiochiam erroribus dicti Simonis maculatam, ad viam veritatis reduxit. Ibique ad majorem veritatem signis & virtutibus contestando, in Pontificali sede exstitit annis VII. ut Damasus tradit, & alii similium Chronicarum Scriptores. Scribit etiam Martinus in suis Chronicis, quòd antequam veniret Antiochiam, primam Missam celebravit, dicendo solummodo *Pater noster*: quod intelligas cum forma consecrationis. Tradunt autem aliquæ Historiæ, quòd celebraverit in calice ligneo, sumentes argumentum ex causa Decreti de consecratione dist. I. Capite *Vasa*: ubi dicitur, quòd quondam Sacerdotes, hoc est antiqui patres, non aureis, sed ligneis calicibus utebantur. Hoc tempore imperat Gajus Gallicula nepos Tiberii, & fuit quartus à Julio, & fuit pessimus Princeps. Ab inde parum imperat, in suo palatio occisus.

CAP. XIII.

Qualiter Beatus Petrus vadit Romam contra Simonem Magum, ubi priùs verbum Dei prædicat; ad prædicationem populi sua prædicatio redigebatur in scriptis per Marcum; & de discipulis, quos Beatus Petrus misit in Galliam & Italiam.

POst hæc autem Beatus Petrus audiens Simonem Magum suis præstigiis Romam deludere, ut quasi Deus coleretur, sicut in Ecclesiastica Historia traditur ab Eusebio Lib. secundo, Romam se transfert. In illis tamen VII. annis, quibus Antiochiæ sedit, ut scribit Hieronymus de Illustribus Viris, prædicavit dispersis ex circumcisione fidelibus, qui erant in Ponto, Galacia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, quibus postea de Roma primam eisdem direxit Epistolam. Anno igitur à Nativitate Domini XLV. & ab Urbe condita DCCXCVII. secundo anno Claudii, qui fuit quintus à Julio, Romam veniens contra Simonem Magum, primus in Urbe verbum vitæ prædicat, suique Evangelii clavibus, comite suo Marco, januam Regni Cœlestis aperuit, sicut dicta Ecclesiastica Historia narrat. Cùmque sua prædicatio Romanis placeret, Beatus Petrus ad universorum instantiam verbum Dei frequentat; exhortanturque Beatum Marcum discipulum ejus, ut quod Apostolus prædicabat, ad suæ doctrinæ commemorationem in scripta redigeret. Et hoc dicit præ-

fata Historia Ecclesiastica, Evangelium B. Marci, quod interdum Beato Petro adscribitur ex causa jamdicta, sed propter Scripturam Beato Marco. Multi autem discipuli de LXXII. secuti sunt eum de quibus aliquos misit in Galliam, videlicet Martialem qui Lemovicis floruit; Frontonum, qui Petragore claret; item Saturninum, qui in partibus Tholosanis suam virtutem ostendit. Alios verò misit Beatus Petrus in Italiam: Apollinarem Ravennam, quæ tunc temporis præter Urbem inter Civitates Italiæ major erat, alium autem, videlicet Syrum, misit Papiam, quorum quilibet in sua Civitate claruit, ut ex gestis ipsorum habetur. Tertium autem misit in Tusciam, qui amplians Evangelium Lucæ, ipsis ad fidem conversis, ipsorum Episcopus factus est, cui nomen Paulinus.

CAP. XIV.

Qualiter Beatus Marcus missus est in Ægyptum ab Apostolo Petro, ibique martyrio coronatur; & de Beato Barnaba quomodo coronatur in Cypro.

POst hæc scripto Evangelio, & probato per Beatum Petrum, mittitur Marcus in Ægyptum in Alexandriam; ibique prædicans verbum Evangelii, ibidem est Episcopus constitutus, ut Ecclesiastica Historia Lib. II. dicit, tamdem ibidem martyrio coronatur octavo Neronis anno (ut Hieronymus scribit in præfato libro) qui fuit VI. à Julio. Tradunt etiam aliquæ Historiæ, quòd ante secundam reversionem in Ægyptum Beatus Marcus missus fuit Aquilegiam à Beato Petro, ibidemque Evangelium scripsit, quamvis ante scripserit in Urbe Romana, ut jam dictum est. Sed & de Beato Barnaba patet quòd fuerit martyrio coronatus ante mortem Petri & Pauli ad longa tempora; hoc enim apertè patet ex actibus Apostolorum. *Facta est autem dissensio inter Paulum & Barnabam* ratione Joannis, ut patet Act. XV. Tunc Barnabas vadit in Cyprum, unde originem traxerat, & apud Salamynam Cypri suscipit martyrium, & sic quasi ducem ad suum collegerunt exercitum, & ipsi ultro sunt secuti. Sedit autem Petrus in Cathedra Romana XXV. annis, ut B. Hieronymus & Damasus in prædictis libris scribunt, sicque à passione Domini, usque ad mortem Apostoli fluxerunt anni XXXVII. XIV. Neronis anno à Nativitate Domini septuagesimo.

CAP. XV.

Quando Beatus Paulus venit Romam, quo tempore & quantum fuerit ibidem cum Beato Petro. De Seneca quo tempore floruit.

IBi attende, quia Beatus Petrus præcessit Beatum Paulum in suo adventu Romam per XIV. annos, & ultra. Scribit enim Hieronymus de illustribus Viris, quòd XXV. Anno à Passione Domini Paulus venit Romam, appellatione interposita pro se ipso, contra Judæos sicut ex textu Actuum Apostolor. liquet, ubi etiam glossa, quæ videtur esse Bedæ tradit, quòd in partibus Occidentis, hoc ipsum prædicare impetravit à Nerone, ipso nondum firmato in suo Imperio, fuitque dimissus per X. annos. Ultimò verò à Nerone detentus cum Petro, hoc est XIV. Imperii sui anno, licèt non completo, simul ambo eadem die, ut Hieronymus dicit ubi supra, martyrio coronantur, & sic patet, quòd dicti Apostoli parum fuerunt simul in Urbe. Sed iterum considerandum, quòd Seneca per illa tempora florebat origine Cordubensis Socratis Stoici discipulus, & patruus Lucani Poetæ, ut scribit Beatus Hieronymus de Illustrib. Viris. *Hunc*, ut dicit idem Doctor, *in Catalogo Sanctorum non ponerem, nisi illæ Epistolæ ipsum vocassent Sanctum, quæ sunt Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam*; Hunc tradit idem Doctor ante biennium ab Apostolorum martyrio à Nerone interfectum fuisse.

CAP. XVI.

Qualiter Beatus Petrus instituit Adventum & Quadragesimam, & quomodo sumsit Linum, & Cletum in suos adjutores.

TRadunt autem Historiæ, ut Martinus, & Cusentinus in suis Chronicis referunt, quòd Beatus Petrus priùs instituit ante Pascha Quadragesimale jejunium, & ante Natale tres hebdomadas, & quartam imperfectam; Quæ duo tempora mandavit solemniter celebrari & observari in commemorationem primi, & secundi ejus Adventus. Referunt etiam Damasus & Hieronymus ubi supra, quòd eo tempore Romæ scripsit duas Epistolas; primam, quam transmisit gentibus superiùs memoratis; aliam, quæ subtiliori stilo videtur fuisse composita, & ideo aliqui dubitaverunt, ut dicit Hieronymus, ubi supra, fuisse suam. Attribuunt etiam Damasus & Hieronymus eidem ubi supra Evangelium secundùm Marcum. Hic etiam Apostolus, ut Damasus refert, & alii Chronicarum Scriptores, ordinavit duos Episcopos, videlicet Linum & Cletum sibi coadjutores ad ministerium Sacerdotale populo exhibendum. Beatus autem Petrus orationi & prædicationi vacabat. Hic in Urbe cum Simone Mago longam concertationem habuit. Ultimò verò mala morte Simon interemtus defecit. Modum autem mortis ejus Linus Papa describit. Scribit etiam idem Damasus ad Hieronymum, quòd ante mortem suum Beatum Clementem sibi successorem reliquit. Quomodo autem hoc fuerit, infra dicetur.

CAP. XVII.

De Martyrio Apostolorum, quo anno Neronis à passione Domini passi sunt.

SIc post hanc dispositionem, & mortem Simonis Magi, quam Beati Petri meritis attribuebant Romani Principes, jussu Neronis ultimo Imperii ejus anno cum Beato Paulo Martyrio coronatur, post Passionem Domini anno XXXVII. ut dictum est supra. Beda tamen dicit super Actus Apostolorum, anno XXXIX. fundans se super verbis Apostoli ad Galat. sed teneamus nos cum Hieronymo. Hic est sepultus via Aurelia non longè à templo Apollinis juxta palatium Neronianum in Vaticano. Hic fecit, ut dicit idem Damasus, in tribus ordinationibus Episcopos tres, & Diaconos septem, & Presbyteros decem.

CAP. XVIII.

Quomodo Petrus & Paulus fuerunt ultimi in passione, quantum ad discipulos Domini, præter Joannem & Philippum. Cetera de gestis Sanctorum duorum Apostolorum.

A

CEterùm de gestis istorum duorum Apostolorum satis copiosè traditur, quos intendimus in XIII. Libro Historiæ nostræ Tripartitæ copiosiùs declarare. Et quòd præter duos Apostolos omnes sunt Martyrio coronati infra terminum vitæ Petri, & Pauli, quod fuit spatium XXVII. annorum à passione Domini. Et primò quidem de Jacobo majori patet Actor. XII. quia sub Claudio Imperatore passus, ut liquet in secundo Libro Ecclesiasticæ Historiæ. Præcessit autem Stephanus omnes in Martyrio, quia eodem anno Ascensionis Domini, videlicet III. Nonas Augusti lapidatus est, ut Historiæ tradunt; unde & in Martyribus primatum tenet. Eodem anno, Paulus conversus est. De Jacobo minori patet etiam, quia est passus sub Nerone, ut scribit Hieronymus de Illustrib. Viris. Ceteri verò Apostoli dispersi sunt ad diversas nationes, post quæ Beatus Petrus Cathedram ascendit in Antiochia. Unde scripto Evangelio per Beatum Matthæum, Andreas ipsum assumens vadit in Achajam, ibique Crucem prædicans, Crucem subiit, ut sua Acta dicunt: quod fuit XL. anno à Nativitate Domini ut Marcus scribit. Inde Beatus Matthæus vadit in Æthiopiam, ibique post pauca tempora Martyrium suscepit lancea perforatus ex mandato Regis, ut sua referunt gesta. Post hunc Thomas ex mandato Domini in Indiam inferiorem ivit, ubi Fidem prædicando cùm simulacrum Solis destruxisset, Sacerdotes Idolorum lanceis perfossum occiderunt, ut sua Historia narrat. Post ipsos Bartholomæus aliam partem Indiæ, & similiter Simon & Judas, & isti similiter Martyrio coronantur infra tempus dictorum Apostolorum. Unde de

B

B. Bartholomæo scribitur, quòd habebat vestem & sandalia XXVII. annorum, fortè ab eo tempore, quo Spiritum Sanctum recepit, quo & officium prædicationis assumsit, & sic fuit infra. Restat de Matthia qui, ut in suis gestis continetur, mandato Pontificis à Judæis est lapidatus. Post mortem Jacobi Minoris soli duo migraverunt morte propria, & inter mortuos ascenderunt, videlicet Philippus, & Joannes, sicut suis locis infra dicetur. Et hæc patent in principio Lib. III. Ecclesiasticæ Historiæ pro majori parte.

Explicit Liber primus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER II.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Lino Primo, & in Pontificatu quid fecit: circa quod moventur quæstiones & solvuntur.

ANno à Domini Nativitate LXXI. & ab Urbe condita DCCCXXIV. Linus Primus in Cathedra Petri sedit annis XI. mensibus tribus, & diebus tredecim. Hic natione Italicus ex regione Tusciæ, & ex Patre Herculano. Circa Linum autem & Cletum quæstio movetur, quòd non fuerunt Summi Pontifices propter ea, quæ de Clemente dicta sunt supra. Tradunt enim Chronicorum Scriptores, omnes quasi, sed præcipuè Damasus ad Hieronymum, quòd Beatus Petrus ipso vivente ipsum instituit pro successore, ut ipsemet refert in Epistola, quam Jacobo Hierosolymorum direxit Episcopo. Sed post mortem Beati Petri, Clemens considerans posteris periculosum exemplum, renuntiat, & ordinat eligere primò Linum, postea Cletum. Hoc scribunt in Chronicis Summorum Pontificum Martinus Polonus, & Cusentinus. Hoc etiam affirmant Uguccio & Joannes super capitulo Decreti 8. quæst. 1 cap. *Si Petrus*. Hoc idem dicere videtur B. Hieronymus de Illustrib. Viris, ubi dicit, quòd quartus à Beato Petro ponitur in catalogo Summorum Pontificum; & hoc idem omnes Historiæ ponunt. Hic ex mandato Beati Petri constituit, quòd nulla mulier nisi velato capite intraret Ecclesiam.

CAP. II.

De iis, quæ egit dictus Pontifex, & de Imperatoribus, qui fuerunt tempore suo, quot fuerunt boni.

HIc fecit ordinationes duas, Episcopos XII. Presbyteros XVIII. Is gesta & certamina Beati Petri contra Simonem Magum per ordinem conscripsit, & qualiter Simon Magus volans per aëra, orationibus Beati Petri de aëre præcipitatus est, & mortuus. Et attendendum hic, quòd tres Imperatores concurrerunt cum Lino, qui nullam inveniuntur contra Christianum cultum, exercuisse sævitiam, videlicet Galba, Vespasianus, & Titus, quorum primus fuit VII. à Julio Imperatore, secundus fuit VIII., tertius IX. Sed quia respublica istud nomen detestabatur, inde inferiores officiales insequebantur Christianos, sicut iste Saturninus Consul. Unde refert Historia, quia hinc Beatus Pontifex tum Dæmones effugaret, mortuos suscitaret, & multa mirabilia faceret. Saturninus Consul, cujus filiam à Dæmone liberaverat, ipsum captivans & extimans hoc artibus magicis fieri, ipsum pœnis afflictum decollari mandavit. Sepultus est in Vaticano juxta Sanctum Petrum (*) sub die X. Kal. Decembris; & licèt corpus ejus fuerit solemniter tumulatum, Gregorius tamen Episcopus Ostiensis corpus suum transferri fecit ex devotione apud Ostia Tiberina; ibique quiescit in Ecclesia Sancti Laurentii in reverentia & honore.

(*) *Cod. Patav.* die IX. mensis Octobr. *Tom. XI.*

CAP. III.

De Philone Philosopho ex Hebræis, qui hujus Pontificis tempore floruit.

FLoruit autem hujus Pontificis tempore quidam Philosophus, ex Hebræis trahens originem, nomine Philo; non ille, qui scripsit Librum Sapientiæ, sed alius major eloquio, & sapientia clarior, qui tempore Claudii Romam vadens frequens alloquium habuit cum Beato Petro, ut Ecclesiastica Historia tradit, captusque ipsius sermonibus adhæsit eidem; & post hæc Librum scripsit de vita Christiana, in quo Fidem Christi multum commendat, plenam virtutibus & actibus bonis, de quo longus est sermo, ut patet ex Libro secundo Ecclesiasticæ Historiæ, & per Hieronymum de Illustribus Viris, quia multa scripsit.

CAP. IV.

De Josepho magno Historiographo quòd hujus tempore fuit, & qualia fecit.

EOdem tempore floruit Josephus filius Mathatiæ ex Hierosolymis Sacerdos, & à Vespasiano captus, cum Tito filio ejus relictus est. Hic Romam veniens Libros Judaicæ captivitatis VII. Imperatoribus obtulit, qui & Bibliothecæ publicæ traditi sunt, & ob ingenii gloriam statuam Romæ meruit. Tempore etiam Lini Hierusalem capta est, & destructa à Vespasiano & Tito, de quo diffusius tractabitur, cùm de dictis Imperatoribus agetur. Hæc Hieronymus ubi supra. Scribit autem de Domino Jesu Christo in hunc modum, referens tempora Octaviani & Tiberii Cæsaris. *Fuit*, inquit, *in diebus illis Jesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere*. (Hæc est relatio Hieronymi in dicto loco) *erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tam de Judæis, quàm de gentibus sui habuit sectatores, & credebatur esse Christus; cùmque invidia Judæorum Principum crucifigi eum Pilatus decrevisset, nihilominus qui primum dilexerunt, apud eum perseveraverunt. Apparuit autem eis vivens tertia die, multa hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo prophetantibus. Et usque hodie Christianorum nomen & genus perseverat*. Idem refertur primo Libro Ecclesiasticæ Historiæ, ut dictum est supra.

CAP.

CAP. V.

De Cleto Primo & IV. Pontifice à Christo, cujus tempore Beatus Lucas migravit, de quo aliqua hìc mirabilia, sive notabilia dicuntur.

ANno à Nativitate Domini octuagesimo tertio & mensibus aliquot, & ab Urbe condita DCCCLXXXV.(*) Cletus primus super Cathedra Petri sedit, natione Romanus de vico Patricio. Hunc Clemens ordinavit, similiter elegit in Summum Pontificem; quem fideles tunc sequebantur, tum ex magna sui probitate & exemplo vitæ, quia Papatui renuntiaverat, tum quia sanctitate & nobilitate præpollebat in Urbe. Hujus etiam tempore, videlicet Cleti, Beatus Lucas cursum suum complevit LXXXIV. anno existens, ut ex verbis Hieronymi habere possumus de Illustr. Viris. Ubi etiam refert, quòd Evangelium scripsit viventibus Apostolis, magis audita scribens, quàm visa. Fuit autem natione Antiochenus, arte Medicus, Apostolorum discipulus, & totius peregrinationis Pauli comes individuus usque ad Urbem Romam. Unde, ut idem auctor dicit in commemorato Libro, Actus Apostolorum ibidem scripsit. Inde post mortem Apostolorum rediens in Asiam minorem in Bithynia moritur, plenus Spiritu Sancto. Et attende hìc, quia sic fuit Apostolo Paulo conjunctus, quod licèt ab aliis Apostolis didicerit multa, idem tamen Evangelium Lucæ suum Evangelium vocat, ut Hieronymus ibidem dicit, quorumdam in hoc referens opinionem. Tradit etiam de ipso, quòd fuerit tertius in scribendo; primò enim scripsit Beatus Matthæus & Hæbraicè; secundò Marcus; & tertiò Lucas.

CAP. VI.

Agitur hìc de duobus Apostolis, qui supervixerunt Petrum & Paulum, videlicet Joanne & Philippo.

HUjus etiam Papæ tempore adhuc supervivebant duo Apostoli, qui sua morte migrarunt, ut patet in III. Lib. Ecclesiasticæ Historiæ, & ex ipsorum gestis. Et primò quidem de Philippo referunt Historiæ, quòd viginti annis prædicavit in superiori Scythia, ipsamque ad Fidem conversam ordinavit in Divino cultu, constituens Episcopos ibidem, prout dictæ expediebat regioni. Inde veniens in Asiam in Civitatem Hieropolitanam, ibidem multo tempore cum filiabus quievit, & tamdem tempore istius Pontificis migravit ad Dominum. Sed & de Beato Joanne patet, quia sub Domitiano Principe in Pathmos Insulam relegatur; Sed ipso interfecto rediit Ephesum: quod totum tempore istius Pontificis accidit. Nerva autem Imperator, qui Domitiano successit, omnia revocavit, quæ ille impius Domitianus fecerat, sed parum vixit. Scripsit autem Joannes ultimus suum Evangelium, ut Hieronymus dicit in dicto libro, adversùs Cerinthum Hebionitam, quæ quidem secta asserit Christum non fuisse ante Beatam Mariam: propter quam causam compulsus est de ejus divinitate plura conscribere, ut Hieronymus dicit in eodem Libro. Alii autem Evangelistæ plus scripserunt de humanitate, de hiis Hebionitis habetur XXIV. quæst. ult.

(*) *In Cod. Patav.* DCCCXXXVI.

CAP. VII.

De martyrio Cleti Papæ, quo sub Principe passus est, ubi probatur, ipsum verum fuisse Pontificem.

HIc Cletus, ut Damasus scribit, XXV. Presbyteros ordinavit in Urbe Roma. Cusentinus verò dicit vigintiquinque Titulos. Sedit autem annis XI., & vacavit Ecclesia dies XX. Passus est autem tempore Domitiani Principis fratris Titi, qui fuit à Julio X. Imperator, sub quo & Beatus Joannes Evangelista in ferventis olei dolio missus est, à quo Beatus Cletus, est martyrio coronatus, & sepultus juxta sepulcrum Beati Petri in Vaticano VI. Kalend. Maji. Per quod manifestè apparet, istos fuisse veros Summos Pontifices secundùm ordinationem Clementis, qui ex sua probitate fideles fovebat in fide, & attendendo etiam ad annorum cursum quinque Imperatorum, qui concurrunt cum eis. Apparet etiam, istos duos Linum & Cletum fuisse Summos Pontifices, secundùm modum superiùs traditum de eorum electione ex sanctissima provisione & favore Clementis; quia si ad catalogum Imperatorum recurras, sub quibus isti duo Pontifices martyrium passi sunt, & iterum si attendimus ad numerum annorum, in quibus rexerunt Ecclesiam, necessariò cogimur ponere, ipsos fuisse veros & legitimos Summos Pontifices; & non tantùm coadjutores. Utrumque igitur fuit, quia & coadjutores Petri in vita; sed post mortem Petri renuntiante Clemente procuravit istos eligi successivè in Summos Pontifices propter majorem experientiam ex officiis ejusdem in vita Beati collatis per ipsum.

CAP. VIII.

Quo tempore migravit ad Dominum Beatus Joannes, & sub quo Principe moritur, & quanti temporis erat dum moritur.

ET attende hìc, quia, ut Hieronymus dicit de Illustribus Viris, Beatus Joannes in principio Imperii Trajani migravit ad Dominum, ut ipse dicit ibidem, LXVIII. annis post Passionem Domini. Quando autem Dominus noster passus est, Beatus Joannes XXXI. erat annorum, & sic secundùm hoc quando obiit erat XCIX. annorum, unde salvatur verbum Hieronymi ibidem, quod vita pretiosi Evangelistæ, usque ad tempora se extendit Trajani. Sed si volumus calculare numerum annorum Pontificum à Passione Domini, oportet necessariò dicere, quòd Beatus Joannes migravit VII. anno Pontificatus Clementis, & sic in primo anno Imperii Trajani migravit Beatus Joannes, ut patet inspicienti annos Apostolorum, quibus supervixerunt Domino, & annos Lini & Cleti, quibus secundùm Damasum sedisse dicuntur.

CAP.

CAP. IX.

De Clemente Primo, & V. Pontifice, quis fuit, & qualiter Beatus Petrus ipso vivente suum instituit successorem; ipse tamen cessit.

ANno Domini XCIV. & ab Urbe condita DCCCLXVI. Clemens Primus in Cathedra Petri sedit. Sedit annis novem, & mensibus tribus diebus X. (*) & Martyrio coronatur Trajani Imperatoris III. anno, ut Damasus ad Hieronymum scribit in lib. superiùs allegato, quem describit natione Romanum de Cœlio Monte, ex nobili prosapia, & patre Faustino. De hoc autem Pontifice magna feruntur, quæ partim sunt tacta superiùs, partim sunt modò dicenda. Primò quidem de sua progenie Liber, qui *Itinerarium* appellatur *Clementis*, per ordinem tradidit. Secundò quantum ad officium, sic ipse in Epistola quam Jacobo Hierosolymorum transmisit Episcopo, de se ipso refert. *Simon*, inquit, *Petrus tempore, quo finem vitæ sibi imminere præsensit, in conventu Fratrum positus, apprehensa manu mea. Sic dixit: Fratres, hunc Clementem Episcopum Urbis sic ordino; qui mihi ab initio usque ad finem in omnibus comes fuit. Cùmque ego procidens ad pedes ejus, honorem Cathedræ declinarem, respondit Simon: Tu peccati periculum timens fugis Cathedram; certus esto, quia ampliùs peccas, quia populum Dei velut in fluctibus ambulantem, cui potes subvenire, subterfugis, tui tantummodo considerationem habens, & non quod fidei, & Dei gregi expedit, providens.* Tradit autem Decretum ex gestis Beati Petri unum documentum dist. X. cap I. In institutione Clementis quòd subditi non communicarent ei, cui Papa non communicaret, sed tanquam hostem vitarent, & evertere se ab eo deberent, cui ipsum adversum senserint. Et attende, quia ista sunt verba Beati Petri populum alloquentis Romanum, prædicto Clemente jam ordinato in Summum Pontificem, in quo casu intendebat Beatus Petrus, ut grex sive populus suum haberet recommendatum Pastorem in perturbationibus pro illo tempore laborantem. Et quamvis tunc Clemens ordinationi Simonis contradicere ausus non fuerit propter reverentiam tanti Pastoris, nihilominus tamen ex dicta jam causa post mortem ejus renuntiavit; & quia magnæ erat auctoritatis inter fideles, ordinavit fieri electionem de Lino & Cleto, ut supra est tactum.

CAP. X.

De Epistolis, quas Clemens scripsit ad diversas personas & regiones, & aliis partibus.

HIc Clemens aliam scripsit Epistolam eidem Jacobo, ubi ipsum instruit de ministerio Sacramentorum, de qua speciale capitulum ponitur in decreto de consecrat. dist. II. cap. *Tribus*, & cap. *Sacerdotum*. Sed attende hîc, quòd hoc esse non potuit in secundo Pontificatu, quia non tantum vixit Beatus Jacobus, ut supra patet. Sed vel fuit in primo, vel in altero statu, quàm in Papatu, sicut primò in Ecclesia existens semper magnæ fuit auctoritatis. Hic etiam, ut scribit Paulus Apostolus ad Philippenses, coadjutor fuit ejusdem in Evangelio. *Rogo*, inquit, *te germane compar, adiuva illos, qui mecum laboraverant in Evangelio cum Clemente & ceteris coadjutoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*. Per quod habemus, quòd Clemens fuit de antiquis discipulis Apostolorum, ut supra est etiam tactum. Statim enim ut Petrus Romam venit secundo anno Imperii Claudii, hoc est XII. anno à Passione Domini, & XXV. ante Passionem Apostoli, Clemens, eidem adhæsit, sicque factus est ejus adjutor præcipuus: propter quod tradunt Hieronymus de Illustribus Viris, & Eusebius Cæsariensis in III. Lib. Ecclesiasticæ Historiæ, quòd Clemens multas scripsit Epistolas ad diversos de informatione Christianæ Religionis, sed præcipuè unam Corynthiis transmisit valde mirabilem, quam ex persona Romanæ Ecclesiæ dictavit, cùm dissensio apud Corynthios fuisset exorta, quam Epistolam Ægysippus multum commendat. Multa etiam alia opuscula fertur scripsisse non minima, ut idem Eusebius scripsit in eodem libro.

CAP. XI.

De exilio Clementis & martyrio ejus, sub quo Principe passus, ac miraculis ipsius.

IN Cathedra igitur in Urbe sedens sua, doctrina, & elegantia morum, religione, & miraculorum operatione populum trahebat ad fidem Christi. Concitati igitur Sacrorum Pontifices, inter quos Comes Publius Torquinus, contra Beatum Clementem seditionem provocavit, factaque relatione Trajano, per Mamertinum Præfectum ad insulam quamdam Græciæ deportatur, ubi duo millia Christianorum ad secanda marmora damnatorum invenit, quos in Domino confortans eisdem subvenit de aqua, quam de VI. milliaribus apportabant. Unde Beatus Clemens facta oratione circumspiciens supra monticulum, quemdam vidit agnum stantem, de sub cujus pede dextro fons emanavit, diffusæque aquæ sparguntur de singulari fonte. Qua divina virtute visa multi conversi sunt ad fidem. Propter quam causam ibidem nomen Christi publicè prædicatur, ac Ecclesiæ fabricantur. Ex quo facto cùm Trajano hæc intimata fuissent, quemdam Ducem ad illam transmisit Insulam, qui solum Clementem ligata anchora ad collum ejus præcepit in mari submergi. Cùm autem Christiani orarent Dominum, ut corpus sui Martyris demonstraret, statim mare per tria milliaria recedit à littore, ingressique locum Christiani invenerunt in modum templi marmorei habitaculum, & ibi in archa saxea corpus Beati Clementis, & Anchoram juxta ipsum. Tradunt autem Historiæ, & gesta ejus, quòd illud miraculum longo perseveravit tempore in mari Pontico, juxta Civitatem, quæ appellatur Cersona, ut in die natalis ejus mare sic retrocederet per omnes octavas ejus. Sed propter malitiam inhabitantium cessavit miraculum. Unde tempore Adriani Papæ Primi translatum est corpus ejus, & in honore ipsius ædificata est Ecclesia, ejusdemque titulo annotata. Martinus autem Polonus in gestis Summorum Pontificum scribit, quòd hoc accidit tempore Nicolai Primi, quod fuit spatium plusquam DCC. annorum de quo infra dice-

(*) Cod. Patav. dicbus V.

dicetur. Et hæc de Clemente Primo dicta sufficiant.

CAP. XII.

De Cleopha secundo Episcopo Hierosolymorum, sub quo Principe moritur, & tempore istius, & de tertia persecutione Christianorum.

UNum tamen attendendum est, quòd hujus Pontificis tempore Simon Cleopha secundus Episcopus Hierosolimitanus à Passione Domini Martyrio coronatur, de consanguinitate Domini. Quamvis enim tunc Hierusalem esset destructa sub Vespasiano & Tito, nihilominus tamen fideles ejusdem loci Pontificem habebant istum Cleopham, qui CXX. annum, ut Ecclesiastica Historia narrat, sub Trajano moritur. Hic tertiam Christianis intulit persecutionem. Duo autem præcesserant, videlicet Nero & Domitianus crudelissimi Tyranni, qui alia intentione movebantur ad persequendum Christianos, de quibus in Catalogo Imperatorum agetur. Sed iste alia intentione, quia sicut vir zelans rempublicam, movebatur contra Christianum cultum, existimans statim reipublicæ nocere posse in dominio, ad quod erat totus ipsorum conatus. Sed postquam informatus fuit per Plinium Oratorem, ut Eusebius refert tertio Lib. Ecclesiasticæ Historiæ. asserentem, dictos viros homines esse virtutis, à persecutione destitit, quantum ipsum decuit secundùm politicum statum, sicut jam apparebit infra.

CAP. XIII.

Replicatur hic quæstio, & ostenditur Linum & Cletum veros fuisse Pontifices.

VErùm etiam non omittendum est contra illos, qui dicunt, Linum & Cletum Summos non fuisse Pontifices, nec Clementem renuntiasse Papatui, quia majores historiæ Scriptores, ut Eusebius Cæsariensis in III. Libro, Hieronymus de Illustribus viris, ac Damasus de gestis Summorum Pontificum ad Hieronymum, apertè dicunt ipsum fuisse martyrizatum tempore Trajani Imperatoris, & tertio anno sui Imperii fuisse martyrio coronatum. Si ergo attendis ad tempora Imperatorum, qui concurrerunt cum Lino, & Cleto, & Clemente, invenies ipsum esse verum, quia post mortem Neronis, cujus ultimo tempore est Beatus Petrus martyrizatus, successit Galba, qui imperavit menses septem; post ipsum (a) Vespasianus, qui imperavit annis novem, *mensibus XI.* post ipsum Titus filius ejus annis duobus, & inde Domitianus annis XV. deinde Nerva Ann. I. & mens. IV., si adjungas tres annos de Imperio Trajani, licèt tertius non fuerit completus, reperies cum istis tempora dictorum Pontificum concordare, & ideo necesse est dicere, Linum & Cletum veros fuisse Pontifices, sicut dictum est supra. Hæc igitur de Clemente dicta sufficiant, & ad alium procedendum.

CAP. XIV.

De Anacleto Primo, & VI. Pontifice, & sub quo Principe patitur. Movetur etiam quæstio circa ipsum & solvitur. Et de constitutionibus, quas fecit.

ANno Domini CIII. & anno III. Trajani Imperatoris, qui fuit duodecimus à Julio Imp. & ab Urbe condita DCCCLV. Anacletus Primus natione Græcus patria Atheniensis patre Antiocho, sedit annis IX. mensibus II. & cessavit Episcopatus dies XIII. Hic, ut Damasus scribit, memoriam Beati Petri construxit, & composuit alia loca, ubi Episcopi traderentur sepulturæ. Passus est autem tempore Imperii Trajani, ac sepultus juxta corpus Beati Petri III. Idus Julii. Hic constituit, ut Clericus neque comam nutriret neque barbam, sicut habes distinct. XXIII. Cap. *Prohibent*. De hoc etiam Pontifice quidam dicunt. ut Eusebius in III. libro Ecclesiasticæ Historiæ, quòd fuerit Cletus. Sed Damasus in suis Chronicis, quas direxit Beato Hieronymo, contradicit, quia ponit omnino alium, & sic etiam aliæ communiter historiæ, quæ de gestis Summorum Pontificum aliquid scribunt. Cujus veritatis duo sunt argumenta; unum est, quia de diversis Provinciis traxerunt originem, eo quòd unus fuit Græcus & Atheniensis; alius autem fuit Romanus, ut supra est manifestum. Secundum autem argumentum est, quia ipse passus est sub Trajano, Cletus autem sub Domitiano. Et quod Damasus dicit de Domitiano Consule, sub quo passus est Anacletus, non fuit Imperator, sed Consul. Hoc etiam probari potest per numerum annorum quibus in sede fuit, quia (b) XII. anno Trajani Imperatoris martyrio coronatur, & propterea in cap. *Provinciæ* dist. XCIX. ubi Provincias dividit, Clementem suum antecessorem vocat. Hic constituit, ut non minus quàm à tribus Episcopis ordinaretur Episcopus: quod habes dist LXXV. cap. (c) ordinis, item dist. LXVI. cap. *porrò*, ubi Anacletus ponit exemplum, qualiter Jacobus minor factus fuit Episcopus Hierosolymitanus per Petrum, Jacobum, & Johannem; item ordinationes Clericorum semper palàm fieri deberent.

CAP. XV.

Qualiter consecratione peracta omnes statuit communicare, & quis statuit. Item judicatum est per eum, primatum Petri omnibus aliis præferendum.

HIc præcepit omnibus fidelibus, ut peracta consecratione omnes communicarent, qui nolunt carere divinis liminibus, sicut habes de consecratione dist. II. Cap. (d) *Peracta*. Hic etiam asserit, Beatum Petrum super Apostolos primatum habuisse, ipsumque Principem Apostolorum fuisse, sicut habes dist. XXI. cap. *in novo*. Tradit autem quædam Chronica Summorum Pontificum, ipsum constituisse in Urbe VII. Diaconos Cardinales, ut Gottifredus Viterbiensis scripsit, qui fuit Cancellarius Frederici Primi dicti Barbarossa. Sed istud non est commune.

(a) *In Cod. Patav.* Nota marginalis est sinè signo: *Et licèt in medio fuerint Impp. Otho & Vitellius, qui propter brevitatem temporis & invasionem non computantur inter Imperatores.*

(b) *In Cod. Patav.* quia IV. Anno.
(c) *In Cod. Patav.* Ordinationes.
(d) *Cod. Patav.* in margine; *Habeo Calixtum in libro meo.*

ne. Beato tamen Silvestro hoc historia reservat, ut infra videbitur. Multas etiam alias constitutiones fecit, quas Decreta ponunt; sed ista ad præsens sufficiant.

CAP. XVI.

De Ignatio Episcopo Antiocheno qualia passus fuit tempore istius Pontificis.

HUjus Anacleti tempore, VIII. videlicet anno sui Pontificatus, ut jam videbitur, fuit Ignatius III. à Beato Petro Antiochiæ Episcopus, ut patet in Ecclesiastica Historia Lib. III. & per Hieronymum Lib. de Illustribus viris. Hic jam damnatus per Trajanum Imperatorem, eo quòd contra istud nomen ardentissimus esset, supponens ipsum in derogationem Reipublicæ fore. Et quia Ignatius ferventissimus fuit in fide Christi, seque Trajano opposuit, occurrens eidem redeunti de Oriente cum triumpho non modico, damnatus per ipsum, Romam vinctus transmittitur à bestiis devorandus, sed ipse in nullo perterritus, dum de Antiochia Romam veniret, omnes Ecclesias confortabat, & multas Epistolas destinat ad diversas regiones & Civitates, confortans ipsos in fide; sed unam direxit Romam, ut dictæ historiæ tradunt, in qua ipsos rogat, ut non frangantur de sua damnatione, quia ad bestias exponendus erat: quod erat summum ludibrium. Diffundit autem sermonem Ecclesiastica Historia, & idem Doctor Hieronymus de ipso circa ardorem martyrii, pro nomine Jesu Christi, ubi inter alia scribens diversis Ecclesiis sic dicit: *Ignes, cruces, bestiæ, dispersiones ossium, discerptiones membrorum, ac totius corporis supplicia in me unum conflentur, dummodo Jesum Christum merear adipisci.* Et multa similia scribuntur de ipso, quòd cùm cor ejus minutatim divisum fuisset, nomen Christi in singulis particulis literis aureis inventum est. Hic igitur, ut scribit Hieronymus, ubi supra XI. anno Imperii Trajani martyrio coronatur, & XII. Anacleti, ut jam dictum est.

CAP. XVII.

De Evaristo Primo & VII. Pontifice, qualia fecit, & sub quo Principe coronatus est.

ANno Domini CXII. & ab Urbe condita DCCCLXIV. Imperii Trajani XIII. Evaristus Primus super Cathedra Petri sedit, natione Græcus, & ex patre Judæo nomine Juda, ut Damasus scribit. Sedit autem annis X. mensibus VII. diebus XII. & cessavit diebus XVIII. Hic primò, ut Damasus dicit, & omnes quasi Chronicarum Scriptores, qui de Summis Pontificibus aliquid tradunt, titulos in Urbe divisit Presbyteris, & VII. Diaconos constituit, qui custodirent Episcopum Romanum prædicantem propter stilum veritatis. Hoc Damasus. Aliæ autem historiæ tradunt, propter stilum erroris, qui Episcopo Romano posset imponi à calumniatoribus, & sic confirmaretur & verbo detraheretur divino. Per quæ habes hìc, quòd antiqua fuit institutio & consuetudo, quòd Papa, quando celebrat aut prædicat, majorem habet comitivam. Sed quòd tunc isti vocarentur Cardinales, adhuc ex Chronicis non habemus. Hanc autem consuetudinem Canon Decreti ad omnes extendit Episcopos, quam ordinati nem attribuit Evaristo Canon Decreti dist. XCIII. cap. *Diaconi*. De hoc Evaristo etiam Historia Ecclesiastica Eusebii mentionem facit Lib. VIII. Hic constituit, ut à plebe non accusetur Episcopus: quam constitutionem habes II. quæst. VII. cap. *non est*, & cap. *sunt nonnulli*. Hic quatuor fecit ordinationes in quibus ordinavit Presbyteros XVII. Diaconos IX. Episcopos XV. Hic Martyrio coronatur ultimo anno Trajani Principis. Alii dicunt, & meliùs quòd sub Adriano quia si sedit X. annis, hoc oportet dicere, ut aspicienti patet. Sepultus est autem Romæ in Vaticano juxta corpus Beati Petri. Et attende hìc devotionem Pontificum, quia omnes pro reverentia tanti Pastoris desiderabant juxta ipsum sua corpora tumulari.

CAP. XVIII.

De Doctoribus, qui istius temporibus Pontificis floruerunt, & passi sunt, videlicet Quadrati, & Papiæ.

HUjus Pontificis tempore floruerunt Doctores aliqui Græci, qui sub Adriano Principe martyrio coronati sunt, qui XII. Imperator fuit à Julio. Unus fuit Quadratus Apostolorum discipulus, & Athemensis Episcopus, de quo & Lib. III. Ecclesiasticæ Historiæ jam dictæ, & Hieronymus de Illustribus Viris mentionem faciunt, & Eusebius quidam, qui in Prophetica gratia cum filiabus Philippi celeberrimus fuisse perhibetur, quæ multo tempore vixerunt, ut dicta narrat Historia. Hieronymus verò scribit, quòd cùm mandato Principis vexarentur credentes, ab hostibus fidei iste Quadratus librum porrexit pro nostra Religione à se compositum, plenum rationis & fidei, & Apostolicæ doctrinæ; ut habes in principio IV. Libri Ecclesiasticæ Historiæ. Unde eis in facie resistens martyrium subiit. Alius autem fuit, qui prædicto tempore floruit vocatus Papias auditor Joannis Evangelistæ, & Polycarpi condiscipulus, qui ut iidem Doctores dicunt ubi supra, Episcopus Hieropolitanus in Asia fuit, & scripsit V. volumina de explanatione sermonum Domini, quos tradiderunt Evangelistæ. Quæ explanatio multum commendatur ab ipsis, eo quòd, ut ibidem habetur, à verbis Evangelistarum non discessit. Multi alii fuerunt, ut Aristides Atheniensis Philosophus eloquentissimus, & sub habitu Christi discipulus, ac Quadrato contemporaneus, ut infra dicetur. Quod autem Hieronymus de ipso sentit, in libro de Illustrib. Viris scribit, scilicet quòd tantæ fuit sapientiæ, quòd Apologeticum fecit pro Fide Christiana, tradiditque Adriano Imperatori. Qui usque ad tempora Hieronymi liber erat famosus. Ad præsens sufficiant quæ pro tempore istius Pontificis nunc sunt dicta.

CAP. XIX.

De Alexandro Primo & VIII. Pontifice, qualiter passus est, & à quo, & quæ fecit.

ANno Domini CXXIII. sub Adriano Imperatore, anno ab Urbe condita DCCCLXXV. Alexander Primus Sedem Petri obtinet. Hic natione Romanus à Patre Alexandro de Regione Capitis Tauri, sedit annis VIII. ut Damasus scribit, mensibus V. diebus II. Hic constituit, ut idem Damasus dicit, aquam aspersionis cum sale benedici, & in habitaculis ho-

hominum aspergi: de quo habes completiùs & diffusiùs de dicto Pontifice de Consecratione distinct. III. cap. *Aquam*. Hic sub Adriano Imperatore missus est in carcerem cum duobus Presbyteris Eventio, & Theodoro. Ob memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi addidit ad Canonem Missæ: *qui pridie quàm pateretur*, usque ibi: *hoc est Corpus meum*. Et hæc scribunt in suis Chronicis Martinus & Cusentinus, & quædam alia Chronica, quæ multùm Damasum imitatur. Tradunt etiam ii duo jam dicti, quòd dictus Alexander constituit aquam poni in vino consecrando in Sanguinem: & hoc etiam in Decreto ponitur de Consecratione dist. II. cap. I. Et in multis aliis capitulis hoc idem habetur. De hoc etiam Pontifice Alexandro scribitur sic dixisse de hoc Sacrificio Eucharistiæ, ut dicitur ibidem: *quòd nihil in Sacrificiis majus esse potest, quàm Corpus & Sanguinem Christi, nec ulla oblatio hac potior est; sed hæc omnes præcellit, & ideo purâ conscientiâ Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda*. Tradunt etiam aliquæ Historiæ de ipso, quòd cùm in primitiva Ecclesia conficeretur de fermentato, pro vitanda hæresi Hebionitarum, qui volebant observantias legales simul cum lege nova concurrere, ipse Alexander primò resumsit de azymo confici. Et attendendum est, quòd paulatim per Summos Pontifices Missa deducta est ad complementum, usque ad tempora Beati Gregorii, qui totaliter consummavit. Post hæc autem multis multa Alexander cum supradictis Presbyteris pœnis affectus, sub Adriano Principe martyrio coronatur, sepultus in via Numentana, ubi & decollatus est, ut Damasus refert, V. Nonas Maji. Tradit autem memorata Historia Ecclesf. Libro IV. ipsum assumsisse Pontificatum IV. anno Adriani Imperatoris.

CAP. XX.

Qualiter tempore istius Pontificis translatum est Pontificium Hierosolimitanum à Judæis in Græcos.

Tempore igitur istius Pontificis circa finem multa innovata sunt. Primò quædam circa Pontifices Hierosolimitanos, ut ex dicta Historia Ecclesiastica patet. Quia post secundum excidium de Judæis factum per Ælium Adrianum Imperatorem, reædificata Civitate Hierusalem per ipsum, mandavit inde omnes Judæos excludi; & ideo cessavit ex eis ulterius Pontificium, qui fuerunt XIV. successivè, ut in dicta Historia liquet, à tempore scilicet Apostolorum ut à Jacobo primo, & ab inde ex Gentibus fidelibus assumuntur, quorum primus fuit Marcus, & ab inde Græco more primum in Orientali Ecclesia Christianorum mysteria celebrata sunt; quæ priùs solùm Hæbraicè celebrabantur. Crescente autem Ecclesia ex Gentibus, suscitavit Deus Leviathan eidem; turbationes videlicet per hæreses varias ipsam vexando. Sed præcipuè sectatorum Menandri, ut in dicta Historia traditur: contra quos se opposuit egregius Doctor Agrippa cognomento Pastoris, ut scribit Hieronymus de Illustribus Viris, ac XXIV. volumina in Evangelium Basilicis cujusdam in dictam Hæresim consentanei, audacter eliminat; suâque scripturâ ostendit dicta volumina esse integraliter fallacia, ut in IV. libro scribitur Historiæ memoratæ. Isto etiam tempore tradunt Historiæ, Sanctam Seraphiam Antiochenam genere Romæ fuisse, quæ recepta à Beata Sabina sub Adriano Principe delata, quòd Christiana esset, martyrio coronatur. Cujus ossa colligens Beata Sabina, quæ ad suam prædicationem conversa fuerat, accusata simili martyrio patitur.

CAP. XXI.

De Sixto Primo & IX. Pontifice, quid circa Missam fecit, & incidenter agitur de omnibus aliis Pontificibus quid circa Missam fecerunt.

Anno Domini CXXXII. Sixtus Primus in Cathedra Petri sedit, natione Romanus de regione viæ latæ, & ex patre Lividio, anno ab Urbe condita DCCCLXXXIV. & anno XII. Adriani Imperatoris. Hic constituit, ut dicit Damasus, quòd quando Episcopus, vel Clericus vocatur à Sede Apostolica, in suo reditu literas testimoniales secum debet deferre. Hic etiam constituit, ut *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* cantaretur in Missa, in sacra videlicet actione, ut idem Damasus refert, & omnes quoque Chronicorum Scriptores. Et quia hìc de Missa agitur, congruum videtur ipsam hìc explanare, quia diversi Pontifices aliquam addiderunt partem, ut Historiæ referunt. Primam igitur Missam celebravit Beatus Petrus cum solo *Pater noster*, & forma consecrationis, ut dictum est supra. Ab inde Beatus Jacobus Episcopus Hierosolymitanus, & frater Domini, multa tradidit, & Basilius, qui fuit post ipsum, ut patet de Consecratione dist. I. cap. *Jacobus*. Hoc etiam habes, sive de hac materia dist. XII. cap. *Ecclesiarum*. Nunc igitur ponamus per ordinem, ut Historiæ referunt. Quia Introitum Missæ instituit Cœlestinus. Ante enim à lectione inchoabatur, sicut in Vigiliis modò fit. Gregorius autem Papa dictus Dialogus instituit *Kyrie eleison*, quæ novem esse voluit. *Gloria* autem *in excelsis* constituit Thelesphorus. *Collectas* autem instituit Gelasius Primus: sed *Epistolam*, & *Evangelium* Beatus Hieronymus ordinavit in quodam libro, qui Quæstiones appellatur, sicut vocabatur ille, cui intitulabatur, ut ipse idem Hieronymus scribit ad Constantinum Episcopum. *Alleluya* autem ab Ecclesia Hierosolymitana traxit originem. *Credo* autem à Concilio Nicæno, quod & Marcus Papa prosecutus est, ut infra patet; Quantum autem ad locum, ubi Sacrificium debeat fieri, ordinavit Silvester, quia in Sindone, ut dictum est supra. Quantum autem ad *Præfationes* ordinavit Gelasius Papa Primus, qui constituit IX. *Præfationes* in Missa, quamvis hodie sunt XI. De memoria autem in Missa facienda sive pro mortuis, sive pro vivis Pelagius statuit. *Te igitur clementissime*, & *communicantes* Syricius Papa. Leo verò Primus. *Hanc igitur* addidit, & *Sanctum Sacrificium & immaculatam Hostiam*. Alexander autem Primus *qui pridie* addidit. Item *Offertorium*, & *incensum*, Leo Papa III. *Agnus Dei* Sergius Papa instituit. Sed *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, Sixtus ut hìc. Hic etiam instituit, ut tradunt Martinus, & Cusentinus, ut corporale non fieret de serico, sed de lino purissimo, & non tincto. Sed Decretum de Consecrat. dist. I. contradicit, quia attribuit Beato Silvestro, ut infra etiam patebit; & hoc habetur cap. *Concilio*.

CAP.

CAP. XXII.

De quibusdam Doctoribus, quos Sixtus misit in Galliam, qui postea redeuntes Romam martyrio coronantur; & de statutis eorum.

HUjus etiam temporibus dum sæviente ubique persecutione Christianorum paucissimi invenirentur, qui auderent asserere se Christianos esse, propter metum, Christianis in Gallia poscentibus, ut ipsis aliquem virum dirigeret, qui pæne jam extinctam reaccenderet fidem: misit Peregrinum Episcopum natione Romanum, ipsi plures alios associando. Qui Peregrinus multis ad fidem conversis ultimò martyrio coronatur, sepultus juxta tumbam Beati Petri in Vaticano. Decollatus autem fuit in via Appia foris portam in loco, ubi apparuit Dominus Petro, & dixit *Domine quò vadis*, uno milliario ab Urbe Romam VI. Nonas Maji, ut Damasus scribit. Hic etiam constituit, ut dicit Martinus, & Cusentinus, ut vestes sacræ, & quæcunque Mysteria Sacramentorum, nisi ministris Deo dicatis tractarentur. Et hoc habetur de Consecrat. dist. I. cap. *In Sancta*. Sedit autem annis X. mensibus III. diebus XXI. Hic fecit ordinationes tres, Presbiteros XI. Diaconos IV. & Episcopos per diversa loca IV. De hoc Pontifice Historia Ecclesiastica Libro IV. mentionem facit. Cujus tempore, hoc est circa finem sui Imperii anno XVIII Adrianus, qui imperavit annis XXI. (a) prostratis Judæis, in ipsorum confusionem Christianos libertati tradidit, sicut patet per Orosium Libro VII. contra Paganos. Et hoc idem Ecclesiastica prædicta Historia narrat.

CAP. XXIII.

Qualiter duo Philosophi & viri Catholici, videlicet Quadratus & Aristides mitigaverunt sævitiam Adriani contra Christianos, & de Aquila secundo Interprete.

PLus tamen dicit Orosius de isto Principe, quia instructus per Quadratum Apostolorum discipulum, & Aristidem Atheniensem omni sapientia plenum, de quibus dictum est supra, ac ipsorum libris de Christiana Religione compositis, præcepit per Epistolam ad Amicum Fundanum Proconsulem in Asia, ut nemini liceret Christianos sinè objectu criminis aut probatione damnare. Nihilominus tamen in Urbe Roma tanta erat suspicio perdendi dominium in Senatu, quod istud nomen (b) suscipere non poterant; & inde publicè prædicantes occidebantur. Sed notà hic, quemadmodum Ecclesia Græcorum à magnis Viris fuit fundata, sicut apparet ex verbis Hieronymi ubi supra. Item Ecclesiastica Historia præfata refert Libro IV. quòd morum honestas & sapientia, quæ vigebat in antiquis Christi fidelibus Orientis, trahebat ad fidem Christi nationes. Floruit etiam isto tempore *Aquila* Orator genere Ponticus, secundus interpres legis Mosaycæ post LXX. ut in suis Chronicis scribit Ysidorus.

CAP. XXIV.

De Thelesphoro Primo & Pontifice X. & suis constitutionibus circa jejunium & Missam de nocte in Natali.

ANno Domini CXLIII. Thelesphorus Primus in Sede Petri ponitur anno ab Urbe condita (c) DCCCLXXXI. & sub Antonino Pio Imperatore. Hic, ut Damasus scripsit natione Græcus ex Anachoritis, sedit annis XI. mensibus tribus, diebus (d) XXII. De hoc Ecclesiastica Historia Eusebii Lib. IV. mentionem facit, quòd sub Antonino Pio Pontificatum assumserit, anno I. Imperii ejus, qui fuit XIV. Imperator à Julio. Hic constituit, ut VII. hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur: quod habes dist. IV. cap. *Statuimus*. Quod si tu objicias de Quadragesima instituta à Beato Petro, ut supra est scriptum, hoc declarat sequens capitulum, non esse omnino idem, quia ipsa Quadragesima hebdomadas solùm continet VI. Quinquagesima autem VII., quos dies dictus Pontifex in dicto Capitulo solùm ad Clericos restringit, in sortem domini vocatos. Quia sicut discreta debet esse vita Clericorum à Laicorum conversatione; ita & in jejunio debet fieri discretio. Item hic instituit, ut tantùm in Nativitate Domini nocte celebrarentur Missæ tres ut dictus (e) Joannes de Illustribus Viris scribit; omni verò alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumat celebrare Missam, qua hora Dominus noster ascendit Crucem: quod intelligas, quantum ad linguas Judæorum: quod habes de Consecrat. dist. I. cap. *Nocte*. Hic etiam instituit, ut ante Sacrificium, ut idem Damasus dicit, Hymnus Angelicus cantaretur, videlicet *Gloria in excelsis Deo*: quod intelligas solùm quantum persecutus est Angelus; reliquum verò attribuitur Hilario & Ambrosio, ut infra patet cap. *de Hymnis*, ubi multa dicuntur circa hæc pertinentia.

CAP. XXV.

Quòd Thelesphorus instituit III. Missas Natalis Domini cantari, & contra ibidem à Doctoribus assignatur de martyrio ejus, & sub quo Principe.

TRadunt autem duo Chronicorum Summorum Pontificum Scriptores, quia Thelesphorus in Natali Domini tres constituit Missas celebrari: unam in media nocte, quia tunc natus est Dominus, hoc est in eadem hora. Alia Missa celebratur in aurora, quia tunc pannis ipsum involvit, vel quia tunc Pastores viderunt eum; tertia Missa celebratur die lucescente, quia jam veritas nobis illuxit, & plenitudo temporis advênit, hoc est lucis, & veritatis. Alii autem, ut Theologi & Glossa super dictum capitulum, aliam causam ponunt, quia istæ tres Missæ (f) signant statum Mundi, secundùm tria tempora videlicet ante legem, in lege, & post legem quæ quidem distinguuntur secundùm gradum lucis, & claritatis, quæ majori indigent declaratione. Sed ista ad præsens sufficiant. Hic tempore Antonini Imperatoris martyrio

(a) *In Cod. Pat.* Persecutus Judæos.
(b) *In Cod. Pat.* substinere.
(c) *In Cod. Pat.* DCCCLXXXV.

(d) *In Cod. Pat.* diebus XXIII.
(e) *In Cod. Pat.* Damasus ad Hieronymum.
(f) *In Cod. Pat.* significant triplicem statum Mundi.

tyrio coronatur, & sepultus est in Vaticano juxta tumbam Beati Petri III. Nonas Maji. Hic, ut Damasus dicit, fecit, ordinationes IV. per mensem Decembris Presbyteros XII. Diaconos IX. & cessavit Episcopatus diebus VII.

CAP. XXVI.

De Justino Philosopho & vero Catholico, quem Hieronymus & Orosius multum commendant; de Libro, quem scripsit ad Antoninum Pium; & de martyrio ejus sub quo Principe.

HUjus Pontificis tempore floruit & sub Antonino Pio, Justinus Philosophus, ut omnes quasi Historiæ ponunt. Hic, ut scribit Hieronymus de Illustribus Viris, sub habitu Philosophorum incedens, oriundus de Neapoli Urbe Palæstinæ pro Religione Christiana scribendo plurimum laboravit. Scripsit siquidem Librum contra Gentes, in quo etiam ignominiam non erubescit Crucis Christi, quem Antonino Pio tradidit ac filiis. Item scripsit alium Librum de natura Dæmonum, contra quos fortissimè disputavit. Item scripsit Librum de Anima. Item Dialogum contra Judæos, sed & contra Marcionem hæreticum, cujus hæresis tunc pullulabat. Ultimò ab ipsis hæreticis accusatus coram Senatu, quòd Christianus esset, martyrio coronatur. Et quamvis à Senatu fuerit occisus, scribit tamen Orosius ubi supra, quòd ex Libro, quem Antonino Pio de Christiana Religione dedit, ipsum fecit Christianis benignum. Tradunt autem Historiæ, quòd hic Justinus fuit discipulus Pompeji Trogi, ejusque abbreviator in Historia Romana. Floruit etiam isto tempore, ut Isidorus dicit in sua Chronica, Photinus Lugdunensi, Episcopus, qui prope jam nonagenarius fuit martyrio coronatus, vir maximæ constantiæ & doctrinæ, cui successit Irenæus, ut Hieronymus scribit ubi supra, & de quo infra dicetur.

CAP. XXVII.

De Igino Primo & Pontifice XI. qui multas constitutiones fecit. De martyrio ejus, & à quo Principe.

ANno Domini CLX. (*) & ab Urbe condita DCCCCVI. Iginus Primus natione Græcus ex Patre Philosopho de Athenis, ut Damasus scribit, sedit annis X. mensibus III diebus VIII. De hoc Summo Pontifice Liber IV. Ecclesiasticæ Historiæ jam dictæ mentionem facit; cujus tempore scribit, Valentinum Valentianæ Hæresis auctorem fuisse, & in Urbe multis impietatibus forbuisse: cujus errorem habes XXIV. quæst.ult Hic Clerum composuit, & gradum distribuit. Hic constituit, ut Ecclesiæ consacrari sinè Missa non debeant. Item de augumento Ecclesiæ, vel de diminutione ejus in providentia Episcopi dicit esse, ut patet de Consecrat. dist. I. cap. *Omnes*. Item hic instituit, quòd ligna, vel quæcumque materia Ecclesiæ consecratæ ad usum Laicorum converti non possint, sed ad aliam Ecclesiam vel aliter ad profectum Monasteriorum, sicut patet cap. *Ligna*. Hic etiam constituit, ut unus esset patrinus & matrina in Baptismo, Confirmatione, & Cathechismo, ut scribit Martinus, & Cusentinus. Item scribit Martinus, quòd unam scripsit Epistolam de Trino Deo & uno, & de Filii Incarnatione plenam Fidem Catholicam continentem; Item statuit secundùm dictum Martinum, quòd nullus Metropolitanus audiat causam Episcopi suæ Provinciæ, nec eum condemnet, nisi in conspectu aliorum Episcoporum Provincialium suorum fuerit ventilata; sed hanc constitutionem videtur Canon Pelagio Papæ attribuere, ut infra videbitur. Passus est autem tempore Marci Antonini Veri, ut Damasus scribit qui fuit XV. Imperator à Julio; & sepultus est in Vaticano juxta sepulcrum Beati Petri III. Nonas Aprilis. Hic autem, ut scribit Damasus, fecit ordinationes tres per menses Decembris, Presbyteros XV. Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca VI.

(*) In Cod. Pat. CLXIV.

CAP. XXVIII.

De Polycarpo discipulo Beati Joannis Evangelistæ, quia floruit tempore istius Pontificis, & sub Marco Antonino martyrium patitur.

HUjus Pontificis tempore floruerunt in Græcia tres Doctores solemnes. Unus fuit Polycarpus Joannis Apostoli discipulus, & ab eo fuerat Episcopus ordinatus, ac post Apostolum totius Asiæ Princeps fuit.ut scribit Hieronymus ubi supra. Hic veniens Romam, cùm plurimos credentium de hæresi Marcionis, & Valentini invenisset infectos, ipsos ad viam veritatis reduxit. Narrat autem idem Doctor de ipso ubi supra, quòd cùm esset Romæ, obvium habuit Marcionem, qui dixit ei: *cognoscis nos?* Qui respondit: *cognosco primogenitum Diaboli*. Tandem in Smyrnam rediens concitatus contra ipsum populus ex suggestione Pontificum Idolorum in amphitheatro igni traditus moritur sub Marco Antonino quarta persecutione per ipsum Christianis illata. De hoc autem Doctore & Martyre Liber IV. Ecclesiasticæ Historiæ memoratæ longum facit sermonem; & quod longo tempore vixit, quia octuaginta sex annis.

CAP. XXIX.

De Melitone Asiano Episcopo Sardensi, & de Theophilo Antiocheno Episcopo, qui floruerunt tempore istius Pontificis.

FUit autem & alius Doctor tempore istius Pontificis Melito Asianus Episcopus Sardensis, Frontoni Oratoris discipulus, qui Librum Imperatori Marco Antonino Pio tradidit de dogmate Christiano. Scripsit autem plura volumina: de Paschate Lib. II. De vita Prophetarum Lib. I. De die Dominico Lib. I. Lib. I. de Fide Lib I. de Anima & Corpore, & multa alia quæ Hieronymus refert de Illustrib. Viris; cujus etiam opera Tertullianus multùm commendat. Alter autem Doctor fuit Theophilus Antiochenæ Ecclesiæ sextus Episcopus, qui similiter Libros composuit contra Marcionistas, ut Hieronymus dicit ubi supra; & contra hæresim Hermogenis Librum unum scripsit, & alios tractatus ad ædificationem Ecclesiæ, & Commentarios super Evangelia & super Librum Salomonis: per quæ quidem apparet, qualiter viguit apud Græcos Doctrina Christianæ Religionis.

IN-

INCIPIT LIBER III.

CAPITULUM PRIMUM.

De Pio Primo & Pontifice XII. qualiter per revelationem Angeli constituit Pascha Sanctum in die Dominico celebrari.

ANno Domini CLXIV. & ab Urbe condita DCCCCXVI. Pius Primus in Sede Petri ponitur: natione Italicus ex Patre Rufino, ut Damasus scribit. Et attende hìc quòd aliquæ Historiæ videntur anteponere Anicetum Papam, sed communiter Pius præponitur, & sic Ecclesiastica Historia etiam tradit Libro IV. Damasus tamen præmittit Anicetum, quod videtur magis cum Hieronymo concordare in Libro de Illustrib. Viris; & ipse annorum numerus Summorum Pontificum concordat, supposito quòd Polycarpus ad tempora Aniceti, ut Hieronymus videtur dicere in Libro ubi supra, pervenerit. Hic autem fuit de Civitate Aquilegia, cujus etiam tempore fuit Hermes, qui Librum scripsit, ut refert Damasus, in quo mandatum Angelicum continetur in forma Pastoris, quòd Sanctum Pascha celebraretur in die Dominico. Hoc autem dictus Papa in quadam sua Epistola autenticavit, & roboravit, quam per Orbem direxit. Titulus tamen Gratiani dicit, quòd in primo suo Decretalium Libro, ut patet de Consecrat. dist. III. cap. *Nosse*. Hic etiam constituit, hæreticum Judæum, de hæresi Judæorum venientem, ut scribit Damasus, suscipi & baptizari debere. Hujus tempore fuit Polycarpus, ut scribit Martinus Polonus, quem Episcopum Ephesinum asserit institutum; qui Romam veniens multos ab hæretica pravitate revocavit. Sed aliæ Historiæ contradicunt, quòd non fuerit tempore Pii Papæ, sed aut Igini, aut Aniceti; & tunc oportebit dicere, quòd Anicetus Pium præcesserat. Quod autem dicit, ipsum Episcopum fuisse Ephesinum, Hieronymus, & Ecclesiastica Historia Eusebii contradicunt; imò Smyrnæ fuit per Apostolum constitutus. Sive igitur sub Pontificatu Igini, sive Aniceti, sive Pii, sua Historia digna est narratione.

CAP. II.

De tempore istius Pontificis. Tunc fuerunt illæ duæ Virgines Potentiana & Praxedis; & de quadam constitutione, quam fecit contra negligenter tractantes Corpus Domini.

HUjus etiam tempore fuerunt illæ duæ Sanctissimæ Virgines Potentiana & Praxedis. Hic, ut Damasus scribit, fecit ordinationes V. & fecit Presbyteros XIX. Diaconos XXI. & Episcopos per diversa loca XII. sedit autem annis XI. mensibus IV. diebus XXI. & cessavit Episcopatus dies XIV. Hic etiam certam pœnam statuit contra committentes negligentiam (*) contra Sanguinem Christi: quod habes de Consecr. dist. II. Cap. *Si per negligentiam*, ubi traditur modus pœnitendi; quia si stillaverit in terram, pœnitere debet XL. diebus; si super altare, tribus diebus; si super linteum, IV.

(*) *In Cod. Pat.* In Sacramento Altaris. *Tom. XI.*

A diebus; si ad aliud linteum IX. diebus. Semper tamen ubicumque stillet, si lambi potest lambatur; quod si fieri non potest, aut lavetur, aut radatur, & istud aut comburatur, aut in Sacrario reponatur.

CAP. III.

De Martyrio hujus Pontificis, & sub quo Principe passus est. De Hireneo Archiepiscopo Lugdunense quia ejusdem tempore floruit.

HIc martyrio coronatur sub Marco Antonino, sepultusque est juxta corpus Beati Petri in Vaticano IV. Idus Julii. Hujus tempore
B etiam floruit Hireneus Archiepiscopus Lugdunensis, qui & Fotino successit. Hic ut scribit Hieronymus de Illustribus viris, discipulus fuit Polycarpi, de quo dictum est supra. Hic, ut idem dicit ubi supra, scripsit quinque libros contra hæreses temporibus suis ferventes. Item contra Gentes volumen breve. Item de disciplina Christiana, & multa alia volumina, quæ dictus Doctor nominat in dicto libro. Istum eundem Doctorem Historia Ecclesiastica libro V. multum de doctrina commendat, & diffusum sermonem pertrahit. Claruit autem tempore Aurelii Commodi, ut Hieronymus dicit ubi supra & sub eodem subiit martyrium apud
C Lugdunum. Hic attende, quia si Anicetus præcedit Pium in ordine Summorum Pontificum, tunc erit quod hìc scribimus verum. Sin autem reducimus ad Anicetum, quia alterum istorum martyrio coronatum fuisse sub Aurelio Commodo oportet, eo quòd numerus annorum istorum Pontificum excedit, videlicet Igini, Pii, & Aniceti numerum annorum.

CAP. IV.

De Juliano Episcopo Alexandrino, & Pantheno Philosopho, & de Scholis Alexandrinis.

D EOdem tempore, hoc est primo anno Imperii Aurelii Commodi apud Alexandriam Julianus sacerdotium suscepit, sub cujus regimine cùm Scholæ Ecclesiæ & Doctoris officium obtineret Panthenus, ut Ecclesiastica Historia Eusebii refert libro V. in dicta Schola viri eruditissimi ac sapientia probati florebant. Sed hic primatum tenens Stoicorum sectam sapiens ad Christianum adaptabat cultum; de hoc sic scribit Hieronymus ubi supra, quòd tantæ fuerit famæ in doctrina, quòd de India venerunt Legati ad Demetrium Alexandrinum Episcopum petentes ipsum pro sua instructione. Profectus igitur profectum fidei non modicum fecit. Sed
E inveniens ibi Evangelium secundùm Matthæum, quòd ibidem prædicaverat beatus Bartholomæus, in suo reditu secum tulit. Et attende hìc primò, quòd Hieronymus dicit ubi supra, quòd dictæ Scholæ incœperunt à beato Marco, & usque ad tempora istius Philosophi duraverunt, & ultra. Secundum quod attendendum est hìc, de tempore; quia aliqui ponunt sub Aurelio Commodo, alii verò sub Severo Caracalla. Sed melius primum. CAP.

CAP. V.

De Aniceto Primo & XIII. Pontifice, & constitutionibus quas fecit.

ANno Domini (a) CLXXII. & ab Urbe condita DCCCCXXVIII. Anicetus Primus natione Syrus ex patre Johanne de Vico Amisia, ut Damasus scribit, sedit annis IX. mensibus III. diebus III. Et attendendum est, quòd Gratianus istum Papam in titulis vocat Anicium. Ecclesiasticæ autem Historiæ vocant Anicetum. Hic constituit, ut Clericus comam non nutriret secundùm præceptum Apostolorum, nec etiam barbam, & ut habeat coronam in modum spiritualem. Et hoc habes XXVIII. (b) cap. *Prohibitæ*. Hic constituit, ut Episcopus consecrari non debeat, nisi ad minus tribus Episcopis præsentibus: quod & Nicæna Synodus statuit, ut ex Ecclesiastica Historia Eusebii patet. Unde & sequenti tempore Summi Pontifices hoc confirmaverunt in suis decretis, sicut infra patebit. Si autem Metropolitanus esset consecrandus, omnes provinciales interesse debent. Hoc habes dist. LXVI. c. *Archiepiscopus*, & c. *Porrò*. Item statuit, ut si aliquis Episcopus habet causam contra suum Archiepiscopum, non esse deferendum, sed ad Primatem esse recurrendum, aut ad Sedem Apostolicam, quod & dicta Synodus & sequentia jura sive aliorum Conciliorum, sive Summorum Pontificum postea confirmaverunt. Hic etiam constituit, ut nulli Archiepiscopi, nisi ex speciali titulo, Primates vocentur, & ii possent Patriarchæ vocari; ceteri verò Archiepiscopi nominentur: hoc habes dist. XCIX. Cap. *Nulli*. Hic sub Marco Antonino martyrio coronatur, vel sub Aurelio Commodo fratre ejus, ut supra patet. Sepultus via Appia in Cimiterio Calixti XII. Kalendas Maji. Hic ut refert Damasus, fecit ordinationes quinque, Presbyteros XVII. Diaconos IV. & Episcopos per diversa loca IX.

CAP. VI.

De Egisippo sacro Doctore qualiter sub isto Pontifice claruit.

HUjus tempore floruit Egesippus, quem Historia Ecclesiastica præfata multum commendat, & quem hoc tempore fuisse commemorat libro IV. (c) & eodem tempore dicit fuisse Dionysium Corinthiensem Episcopum. De primo sic scribit Hieronymus de Illustribus viris: *Egesippus vicinus Apostolorum, ipse etiam omnes à passione Domini, & usque ad suam ætatem Ecclesiasticorum actuum texens historias varias ad utilitatem legentium hinc inde congregans V. Libros composuit sermone simplici, ut quorum vitam spectabatur, dicendi quoque exprimeret scriptura*. Scribit autem de se ipso, venisse Romam ad Anicetum quòd XII. post Petrum Episcopus Urbis fuit, ibidemque perseverasse usque post mortem ejus. Multa ex se etiam scribit. Scripsit contra Idola gentium, disputans quomodo primùm error ille crevisset. Sed & de Dionysio Corinthiensi Episcopo multa traduntur digna memoria. Sed ipsa relinquamus ad sequentem Pontificem. Circa ista tempora Ecclesiastica Eusebii Historia lib. IV. mul-

A tas computavit hæreses, quæ pullularunt per Christianos falsos; quæ congregatæ in unum per Isidorum in XXIV. Causa ponuntur Decreti quæstione ultima.

CAP. VII.

De Sothere Primo & XIV. Pontifice, & constitutionibus ejus.

ANno Domini CLXXXVI. (d) & ab Urbe condita DCCCCXXXVII. Sother Primus in Cathedra Petri sedit natione Campanus ex patre Concordio, ut Damasus scribit. Sedit annis IX. mensibus III. diebus XXI. Hic constituit,
B quòd nulla Monacha pallas sacratas tangeret, nec incensum poneret in Ecclesia, ut Damasus scribit. Quam ordinationem habes XXIII. dist. cap. *Sacratas*, & c. *vasa* ex eodem Pontifice, & ex Epistola, quam direxit universis Episcopis Italiæ. De hoc etiam Pontifice Ecclesiastica Historia prædicta mentionem facit, & quod hoc tempore fuerit. Hic etiam constituit, ut legitima non habeatur uxor, ut Martinus, & Cusentinus scribunt, nisi per Sacerdotem fuerit benedicta, & à parentibus solemniter tradita, & à paranymphis custodita, cavens multis periculis, quæ solent contingere in matrimoniis. Istud autem statutum habetur XXX. quæstione V. cap. I. Verum est, quòd dicto cap. Gratianus videtur
C ascribere Evaristo Papæ, de quo dictum est supra; sed potest esse quòd titulus sit corruptus, sicut & multi alii scriptorum vitio. Hic fecit ordinationes IV. per mensem Decembris Presbyteros VIII. Diaconos IX. Episcopos per diversa loca XI.

CAP. VIII.

De martyrio ipsius, & sub quo Principe. De Dionysio Episcopo Corynthiense, & Theodotione Interprete.

HIc martyrio coronatur sub Commodo Imperatore, qui fuit XV. Imperator à Julio;
D sepultusque est via Appia in Cimiterio Calixti X. Kalendas Martii, & cessavit Episcopatus diebus XXI. ut Damasus scribit. Hujus tempore floruerunt Dionysius Episcopus Corynthiensis, de quo & Ecclesiastica Historia jam dicta libro IV. longum facit sermonem; & quod multos edidit libros contra hæreses, & ad instructionem fidelium scripsit etiam Epistolas ad diversas nationes, unam ad Lacedæmonios de fide Catholica, in qua de pace & unanimitate florentissimè docet; aliam scripsit ad Nicomedienses contra hæresim Marcionistarum, quatuor, scripsit ad Cretenses, in qua admonet Episcopum Primotinum, ne gravia onera suis imponat. Scripsit etiam ad Romanos, ad Sotherem videlicet Pa-
E pam, de quo & nunc agitur, in qua instituta Romana confitetur se libenter amplecti velle: quam Epistolam dicit dicta historia, quòd Sother gratulanter suscepit, & advenientes fratres cum Epistola caritativè pertractavit. Multa alia gratiosè scripsit, ut dicta historia refert, & Hieronymus de Illustribus viris. Hoc etiam tempore Theodotion tertius Interpres, ut Isidorus scribit, clarus habetur. Eodem tempore Catafrigarum hæresis per Montanum exoritur. Multi etiam doctores Græci tunc floruerunt Episcopi in

(a) *In Cod. Patav.* Ann. Dom. CLXXVI.
(b) *In Cod. Patav.* XXIII. dist.

(c) *In Cod. Patav.* libro III.
(d) *Cod. Patav.* Anno Dom. CLXXXV.

in diversis partibus ejusdem gentis, de quibus Eusebius & Hieronymus mentionem faciunt, & quos multum commendant.

CAP. IX.

De Eleutherio Primo & XV. Pontifice, & conversione Regni Britanniæ per ipsum, ac divisione Terræ per Episcopatus.

ANno Domini CXCIV. & ab Urbe condita DCCCCXLVI. Eleutherius Primus natione Græcus, & Damasus scribit, ex patre Habundo de regione Nicopolis in Cathedra Petri sedit. Hic accepit Epistolam à Rege Britanniæ, ut fidem Christi susciperet ipse & populus suus; Tunc, ut scribit Martinus Polonus, duos religiosos viros misit in Britanniam, videlicet Fugatium & Damianum, qui Regem prædictum baptizaverunt, & populum. Erant autem tunc in Britannia XXVIII. Pontifices idolorum, quos Flamines appellabant, inter quos tres Archiflamines erant. Sed dicti Sancti de mandato Papæ prædicti, ubi erant Flamines, instituerunt Episcopos, ubi Archiflamines, Archiepiscopos, secundùm ordinationes Beati Petri, ut Clemens refert & habetur dist. LXXX. cap. *In illis*, ubi omnia genera Prælatorum distinguuntur. Et ubi primos Flamines invenerunt, quos Protoflamines appellabant, ipsi Patriarchas appellarunt. Ubi autem simpliciter Flamines, ipsi Episcopos nominarunt. Et attende hìc, quòd ab eo tempore, ut patet ex Historia Britonum, status Britanniæ multum est immutatus per adventum Saxonum, qui dictam Insulam, expulsis Britonibus, popularunt. Unde tunc temporis tres erant Archiepiscopatus eorum, quia Minonensis, qui est in finibus Galliæ, tunc erat Archiepiscopus, ubi Sanctus David fertur fuisse Archiepiscopus; modò autem est Episcopatus post eorum conversionem ad fidem. Quorum Apostolus fuit Augustinus, quem Beatus Gregorius illuc transmisit. Item attende, quòd tunc temporis erant in Britannia XXVIII. Episcopatus, modò sunt XXX. quia XX. in Anglia, X. verò in Scotia, quæ tertia pars est Britanniæ.

CAP. X.

Movetur hìc quæstio de tribus Archiepiscopis, & solvitur. Item resumitur de Hirenco Archiepiscopo Lugdunense, qui apud Græcos magnæ fuit opinionis.

ET attende hìc, quia Ecclesiastica Historia prædicta lib. V. gesta Hirenei Archiepiscopi Lugdunensis extendit usque ad tempora Eleutherii; quod esse potuit, quia multo tempore vixit. Sed verum est, quòd sub Aurelio Commodo martyrium adeptus est, ut omnes quasi historiæ tradunt. Quicquid autem sit de tempore, de doctrina tamen dicta Historia lib. V. eum summè commendat. Multum autem doctrinæ Græcorum adhæsit, qui tunc temporis maximè florebant, ut patet ex præfata Historia Eusebii quasi per totum, & ex Hieronymo in libro de Illustribus Viris. De Latinis pauci adhuc florebant Doctores (excepto Clemente Papa, qui fuit Romæ) usque ad Constantinum Imperatorem; post quem floruit Hilarius, Augustinus, Hieronymus, & Ambrosius, ac Epiphanius, & multi alii, sicut infra patebit.

CAP. XI.

De Constitutionibus ejus, quas fecit, & martyrio, quod suscepit, & sub quo Principe.

HIc etiam quod Apostoli firmaverunt & ipse constituit, ut nulla esca usualis recusaretur à Christianis, quas Deus creavit, ad percipiendum fidelibus. Hic etiam statuit, sicut Martinus refert, ut nullus à suo gradu dejiceretur, nisi priùs accusatus convinceretur, exemplo Domini, qui etiam Judam nondum convictum sustinuit, & quicquid inter Apostolos interim egit, pro dignitate ministerii ratum mansit. Prohibuit etiam, ut absente eo, cujus causa ventilatur, sententia nullatenus proferatur. Quam sententiam postea sequentia Canonica jura confirmaverunt, & Damasus Papa ratificavit ex eodem statuto, quod habes XI. quæstione III. cap. *eorum*. Sedit autem, ut idem Damasus scribit, annis XV. mensibus VI. diebus V. & cessavit Episcopatus diebus VI. Hic martyrio coronatus, sepultus est juxta tumbam Beati Petri in Vaticano VII. Kalendas Junii. Hic autem, ut scribit Damasus, fecit ordinationes III. per mensem Decembris, Presbyteros duodecim, Diaconos octo, Episcopos per diversa loca XV. Ubi considerandum, cum quanta difficultate ordinabantur Ministri Ecclesiæ. Potuit tamen esse propter raritatem fidelium.

CAP. XII.

Quomodo tempore Commodi Aurelii proficiebat Ecclesia, & postea est perturbata, & de martyrio Apollonii Philosophi, & de alio Apollonio viro doctissimo.

HUjus Pontificis tempore, Commodo Aurelio Romani Imperii apicem tenente, ut scribitur in Ecclesiastica Historia Libro V. pax Ecclesiis propagabatur per omnem terram, & sermo Domini ex omni genere hominum ad agnitionem & pietatem Dei summi animas congregabat. Sed & in Urbe Roma multis & Illustribus Viris, & prædivitibus cum conjugibus ac liberis & propinquis, atque omni pariter familia sociantur ad fidem. Sed malignus spiritus fidelibus statim scandalum suscitat, ut dicta Historia narrat de quodam Apollonio, qui in fide nostra, & prophetiæ eruditionibus illustris erat, per Senatum martyrium subiit. Quis autem fuerit iste Apollonius, declarat Hieronymus in Libro de Illustribus Viris. Quia Romanæ Urbis Senator sub Commodo Principe à servo proditus, quòd esset Christianus. Huic ergo imperato, quòd fidei suæ rationem redderet, insigne volumen composuit, quod in Senatu legit. Sed zelo Reipublicæ inflammatus Senatus, de dominio Christiano, ipsum nomen ejus substinere non poterat; & ideo capite detruncatur. Fuit autem & alius Apollonius vir ditissimus, qui eodem tempore fuit, ut Hieronymus tradit ubi supra, qui multa scripsit contra Montanum & Cataphrygas, & multa de ipso alia digna laude referunt Historiæ, quæ omittenda sunt ad præsens. Et hæc dicta sufficiant.

CAP.

CAP. XIII.

De Victore Primo & XVI. Pontifice, & de constitutionibus ejus, quas fecit de Paschate.

ANno Domini CCX. & ab Urbe condita DCCCCLXII. Victor Primus natione Afer ex patre Felice, sedit annis X. mensibus II. diebus VI. & cessavit Episcopatus diebus V. Hic constituit, ut Sanctum Pascha die Dominica tantùm celebraretur, ut Damasus scribit. Quam ordinationem dicit factam per suos antecessores, ut patet supra de Pio Primo Papa. Hanc autem constitutionem habes de Consecrat. dist. III. cap. *Celebritatem*. Hic, ut Damasus scribit, constituit, necessitate urgente, fide præambula, posse quemlibet baptizare sive in aqua maris, sive in quacunque aqua, sive in fluminibus, sive in fluctibus. Et attende, quia ista constitutio potiùs est declaratio, quàm institutio; quia solus Christus instituit. Hic etiam instituit, ut à XIV. Luna usque ad XXI. possit assumi Pascha nostrum in die Dominico, quia tantus, vel circa est saltus Lunæ, & postea reditus. Hoc autem statutum ideo factum est, quia aliqui faciebant Pascha cum Judæis, hoc est sub eadem lunatione, ut Cusentinus scribit.

CAP. XIV.

Qualiter congregato Concilio in Palæstina, ubi Victor interfuit, ibidem hoc est confirmatum ad tollendam controversiam inter fideles.

MArtinus tamen dicit, quòd propter istam causam congregatum Concilium fuit in Palæstina, ubi & Victor interfuit, & Narcissus Patriarcha, & Theophilus Cæsariensis Episcopus. Et hoc etiam habetur in Historia Ecclesiastica Eusebii Libro V. & hoc idem Isidorus scribit in sua Chronica. Fit etiam ibidem mentio de Hireneo Lugdunensi Episcopo, qui multum videbatur favere Asianis Episcopis, quantum ad Pascha; quem tamquam Doctorem multum authenticum sæpiùs Historia prædicta commemorat. Scribit autem dictus Hieronymus de isto Pontifice ~~in Libro~~ de Illustribus Viris, quòd librum fecerit ad Pascha inveniendum, in quo instruit fideles ad inveniendum Pascha, & quorumdam circa hoc elidit errores. Et attende hìc, quia Hieronymus dicit, ipsum XIII. Pontificem; & hoc idem titulus Gratiani. Sed hoc est verum secundùm relationem Ecclesiasticæ Historiæ Eusebii, quæ incipit à Petro, & Anacletum dicit esse eundem cum Cleto.

CAP. XV.

Qualiter controversiam habuerunt Asiani propter imitationem Beati Joannis Apostoli, cujus dicta observabant. Sed de hoc reprehenduntur.

ET attende etiam, quia, ut scribit idem Doctor ibidem, quidam Episcopus Ephesinus dictus Policrates literas mordaces eidem direxit super Festo Paschatis, allegans hoc Beatum Joannem observasse, & Philippum Apostolos, qui ambo in Asia moriuntur, ut dicta Historia narrat. Et attende etiam, quia omnes Episcopos, de quibus agitur in isto capitulo, dicit Ecclesiastica Historia jam dicta, illustres fuisse Doctores. Sed hoc non obstante constitutionem fecit, & in Concilio supradicto est diffinitum: quòd sequenti Dominica post XIV. Lunam celebraretur, ne judaizare viderentur. Hoc autem postea confirmatum fuit in Concilio Nicæno, & in Concilio Antiocheno, ut in dictis liquet Conciliis, quod postea Computistæ prosecuti sunt, ut Hieronymus, Beda, & Dionysius Abbas in Urbe Romana dicunt. Hic sub Severo Principe coronatur; sepultusque est apud sepulcrum Petri in Vaticano, cujus Festum agitur V. Kalendas Augusti. Hic, ut Damasus scribit, fecit ordinationes II. circa mensem Decembris, Presbyteros IV. Diaconos III. & per diversa loca Episcopos XII. Hoc autem signanter Damasus scribit, quia propter raritatem populi non tantùm intendebat ad promotionem Cleri. Hoc etiam tempore floruerunt præter jam dictos Episcopos Serapion Antiochenus Episcopus, & Batillus Corinthiensis Episcopus, quos Hieronymus ubi supra multum de doctrina commendat.

CAP. XVI.

De Zephyrino Primo & XVII. Pontifice, & constitutionibus, & præcipuè circa vasa Consecrationis.

ANno Domini CCXXI. & ab Urbe condita DCCCCLXXIII. Zephyrinus Primus natione Romanus ex patre Abundio, sedit annis IX. (a) mensibus VII. diebus X. Hic constituit, ut Damasus scribit, quòd in præsentia omnium Clericorum & fidelium Laycorum sive Clericus, sive Levita ordinaretur sive Sacerdos. Hoc habes dist. LXX. cap. *Neminem*. Quod quidem firmatum fuit per Concilium Chalcedonense, ut in dicto patet cap. Hic constituit, ut in vase vitreo fieret consecratio Sanguinis Domini, & non in ligneo, sicut antiquitùs, ut Damasus scribit (b). Sed processu temporis postea prohibitum ut nec in ligneo propter sui porositatem, nec in vitreo propter fragilitatem, nec in cupro aut auricalco, quia fœtorem causant & rubiginem generant; Sed aut ex auro, aut argento, aut metallo stanneo, ut patet ex Concilio Triburiensi, & Remensi, & hoc habetur de Consecrat. dist. I. cap. *Vasa* & cap. *Ut calix*. Toleratum tamen fuit antiquitus de ligno, vel vitro, sive propter impotentiam vel propter exemplum. Amodo verò multiplicato Christiano cultu ad majorem divinam reverentiam de magis pretiosis metallis est constitutum.

CAP. XVII.

De constitutione, quam fecit circa Communionem in Pascha; & de quibusdam aliis, quas fecit.

HIc etiam constituit, ut in publico in die Festo Sanctæ Paschæ omnes Christiani à duodecimo anno supra communicarent: quod postea

(a) *In Cod. Pat.* Mensibus VI.
(b) *In Cod. Pat.* & Martinus, & Cusentinus, & hoc habes de Consecrat. dist. I. cap. *Vasa*.

postea Innocentius III. non solùm ad communionem, sed etiam ad pœnitentiam, sive confessionem peccatorum extendit, ut extra de pœniten. & remission. cap. *Omnis*. Hic etiam statuit, ut Patriarcha, sive Primas, seu Metropolitanus contra accusatum Episcopum sententiam non proferant, nisi priùs fuerit saltem auctoritate Apostolica fulcitus, ut Martinus scribit. Circa quam constitutionem processu temporis jura magìs declararunt per successores ejus Summos Pontifices; in quibus Metropolitani possunt & alii superiores contra suffraganeos, & in quibus non. Hic etiam constituit, ut Damasus dicit, quòd cùm Episcopus celebrat, semper habeat astantes Sacerdotes, & hoc idem Evaristus instituit, sed magìs in universali ut supra patet. Hunc Zephyrinum dicit Ecclesiastica Historia Eusebii Libro V. ipsum in Pontificem assumtum nono Principatus Severi anno.

CAP. XVIII.

Qualiter is ut supra commendat multum Doctores, qui floruerunt hujus Pontificatus tempore.

HUjus tempore isti floruerunt Doctores Græci, quos Ecclesiastica Historia præfata Libro V. videlicet Heraclitus, quem Hieronymus ubi supra sub Severi Imperio commentarios in Apostolum composuisse ait. Item Maximus, de quo idem Doctor, & in eodem loco tradit, quòd sub eodem Principe insigne Carmen scripsit, ac quæstionem ventilavit: *Unde malum*, & quæ materia à Deo sit facta. Item hoc eodem tempore, & sub eodem Principe floruit Candidus, de quo idem Doctor, & ubi supra, refert quòd in Hexamerone pulcherrimos tractatus edidit. Item floruit Appion, qui super Opera VI. dierum similiter multos tractatus fecit, ut idem Doctor dicit. Item Sextus, qui de Resurrectione Domini magnum composuit Librum. Hos omnes Ecclesiastica Historia jam dicta vocat viros Ecclesiasticos, & stilo illustres.

CAP. XIX.

De Leonide Patre Origenis, qui martyrium passus est, & de paupertate ejus cum VI. fratribus suis quomodo sustentabantur per unam divitem matronam. De Symmacho quarto Interprete.

HUjus etiam tempore Pater Origenis Leonides nomine martyrio coronatur sub Severo, qui fuit XVII. Imperator à Julio. Tunc Origenes XIII. (*) annos natus relictus est cum VI. fratribus & matre. Et quia bona patris confiscata fuerant, pauper cum matre, & fratribus relictus est. Sed una matrona nobilis & ditissima totam familiam sustentabat ob gratiam Origenis, cujus vita & doctrina multum clarebat. De hoc in VI. Libro Ecclesiasticæ Historiæ Eusebii multum diffusè traditur, sicut in sequenti dicetur Capitulo. Hoc etiam tempore Symmachus quartus Interpres habetur. Hunc Zephyrinum Capitulum supra allegatum dicit XVI. Pontificem; nos autem XVII. quia incipimus à Christo. Hic fecit tres ordinationes per mensem Decembris, ut Damasus scribit, Presbyteros XIV. Diaconos VII. & Episcopos per diversa loca XIII. Hic passus est sub tempore Antonii & Alexandri. Et attende hìc, quia duo fuerunt Imperatores, videlicet Antoninus Caracallus, & Marcus, quorum primus fuit XVIII. secundus XIX. Imperator. Et fuerunt tempore hujus Pontificis alii duo de quibus agitur hìc, sub quibus Zephyrinus patitur, videlicet Antoninus, & fuit XX. Imperator. Secundus Alexander, qui fuit XXI. Hic passus est tempore Antonini, & Alexandri, & sepultus est in Cemeterio Calixti VII. Kal. Septembr. & cessavit Episcopatus dies VI.

(*) *In Cod. Patav.* XVII.

CAP. XX.

De Calixto Primo & XVIII. Pontifice, & de constitutionibus ejus, & de jejunio.

ANno Domini CCXXXI. ab Urbe condita DCCCCLXXXIII. Calixtus Primus natione Romanus ex Patre Domitio, ut tradit Damasus, de regione Urbis Ravennæ, sedit annis V. mensibus II. diebus IX. Hic, ut Damasus scribit, constituit ter in anno jejunari die Sabbati, ratione frumenti, vini, & olei: hoc est in IV. mense, VII & X. assumendo principium anni, ut moris est Hebræorum. Sed postea scribens dictus Calixtus Benedicto Episcopo, istud jejunium magìs extendit: *Jejunium*, inquit, *quod ter in anno apud nos celebrari didicisti, convenientiùs nunc per quatuor Tempora fieri decrevimus, ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus jejunium*. Et hoc habes LXXVI dist. Cap. *Jejunium*. Quis autem fuerit, qui tempus determinavit, infra dicetur. Hic, ut scribit Martinus, ædificavit Sanctam Mariam Transtiberim. Sed non est credendum de ista, quæ modò est, quia adhuc Christianitas erat occulta.

CAP. XXI.

Qualiter Cimiterium fecit ad sepeliendum Martyres, & de multis constitutionibus, & de passione ipsius.

HIc fecit Cimiterium solemne ad sepeliendum Martyres, & quod adhuc hodie Cimiterium Calixti vocatur, ubi infinita multitudo Martyrum est sepulta. Utrum autem ante Pontificatum, aut post, Historiæ non referunt (nec est vis facienda) in quo & ipse post mortem suam ibidem sepultus est. Hic etiam constituit, ut Cusentinus scribit, ut in accusatione Presbyterorum infames & inimici nullo titulo recipiantur. Hanc autem materiam dictus Calixtus ad illos infames restringit, qui consanguinitatem polluunt contrahendo, sicut habes III. quæst. IV. cap. *Consanguineorum*. Item statuit, ut in eadem agitur causa & quæstione, quòd suspecti in accusatione vel testificatione, recipi non debent. Item quòd consanguinei accusatoris adversùs extraneos testificari non possunt cap. *Accusatores*. Item hic, quia sapit hæresim Novatianorum, de qua infra dicetur: scilicet esse hæreticos diffinivit, qui asserant, Sacerdotem post lapsum pœnitentem ad pristinum honorem redire non posse. Hic, ut Damasus scribit, fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros VII. Diaconos IV. & Episcopos per di-

diversa loca IX. Passus est autem sub Alexandro Imperatore pridie Idus Octobris.

CAP. XXII.

De Philosophis & Doctoribus, qui hujus Pontificatus tempore floruerunt, videlicet Clemente, & Origene.

HUjus tempore scilicet Calixti, duo Doctores claruerunt in parte orientali; unus vocatus est Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, ut Hieronymus de Illustribus Viris tradit, Panteni Philosophi de quo dictum est supra, auditor. Post ipsius autem obitum Alexandrinæ Ecclesiæ scholam tenuit. Feruntur autem ejus insignia volumina, plenaque eruditionis & eloquentiæ, tam de scripturis divinis, quàm seculari literaturæ fulgore plena, ut patet ubi supra per Doctorem præfatum, & per Ecclesiasticam Historiam Eusebii eodem Libro. Secundus Doctor fuit Origenes, quem Ecclesiastica Historia præfata multum commendat de vita & doctrina, qui concurrit cum multis Pontificibus, videlicet Zephyrino, Calixto, & Urbano, eo quòd multo tempore vixit, hoc est à Severo usque ad Volusianum, ut tradit Hieronymus ubi supra, hoc est LXIX. annis. Incœpit autem florere à XVII. anno, quia tunc mortuus est Pater ejus, & in XVIII. ad Libros componendos aggreditur, ut Ecclesiastica Historia tradit, & ut Hieronymus ubi supra, disputationes contra Hæreticos assumit. Fuit autem in Alexandria in schola Panteni, de quo dictum est supra, cujus auditor Clemens fuit, & iste Origenes Clementis. Quanta autem & qualia scripsit volumina, Hieronymus dicit, quòd ad VI. millia Librorum se extendunt. Refert & idem Hieronymus ubi supra, quòd de immortali ingenio ejus non est tacendum: quia Dialecticam, Geometriam, Arithmeticam, Grammaticam, Rethoricam omniumque Philosophorum scripturas (*) ita didicit, ut studiosos quosque secularium literarum sectatores haberet, concursusque ad eum mirum in modum fieret, quos propterea ille recipiebat, ut sub occasione secularis literaturæ in Fide Christi instrueret.

CAP. XXIII.

De perfectissima vita Origenis, & studiosa, & in quibus à Doctoribus reprehenditur, & de Tertulliano.

IN abstinentia autem cibi & potus, in austeritate vestium, qualis fuerit VI. Liber Ecclesiasticæ Historiæ jamdictæ refert: quòd vinum rarò bibebat, nisi ubi necessitas eum cogeret propter stomachi debilitatem. Quid plura? Tota vita sua ac doctrina videbatur Deo consecrata fuisse. Tradit autem Historia memorata quòd se ipsum castravit. Quæ autem fuerit causa, ibi quæras. Tradunt autem Historiæ, quòd circa componendos Libros se dedit. Præter alios scriptores septem pueros, & septem puellas habebat, qui ex ejus ore diversorum Librorum materias conscripserunt. Quicquid autem sit de ipsius doctrina profundissima, quemdam tamen Librum fecit, qui Periarchon vocatur, in quo à nostris Doctoribus Hieronymo, & Augustino, ut patet XI. de Civitate Dei, reprehenditur, quos Ecclesia imitatur, ut patet dist. XV. ex decreto Gelasii. Nihilominus tamen Pamphilus Martyr Doctor Græcus, & Eusebius Cæsariensis in dicto Libro eum multum excusant, & summè commendant, necnon & Rufinus Patriarcha Aquilegiensis. Eodem tempore fuit Tertullianus sub Severo, & Caracallo. Hoc potuit esse verum; sed supervixit ei, ut supra patet. Qui Presbyter non in partibus Orientis, sed Carthaginensis natione, læsus à Clericis Romanæ Ecclesiæ, adhæsit Montano, suisque erroribus; multaque scripsit contra Romanam Ecclesiam in ipsius injuriam. Hunc autem Hieronymus dicit de Illustribus Viris, acris & vehementis ingenii fuisse, cui Beatus Cyprianus multum in Homelia deferebat.

(*) *In Cod. Patav.* omnesque Philosophorum sectas.

CAP. XXIV.

De Urbano Primo & XIX. Pontifice, de quo quæstio movetur & solvitur. Cujus tempore fuit Beata Cæcilia, & de martyrio ipsius sub quo Principe.

ANno Domini CCXXXVI. & ab Urbe condita DCCCCLXXXVIII. Urbanus Primus in Cathedra Petri sedit. Hic natione Romanus ex patre Pontiano sedit annis VIII. mensibus XI. diebus XII. Circa istum Urbanum error videtur esse in Chronicis, ex vitio Scriptorum, qui tradunt ipsum fuisse tempore Diocletiani: quod est omnino falsum, quia Diocletianus fuit postea ad XL annos. Unde ubi dicitur Dioclitianus, debet dici Maximinus, qui fuit circa tempora Alexandri Imperatoris, sub quo & Calixtus est martyrio coronatus, & post ipsum quasi immediatè Maximinus fuit; sub quo & Almatius Præfectus Rempublicam gubernavit. Nec fuit ille Maximianus collega Diocletiani, sed primus, qui fuit XXII. Imperator à Julio, qui, ut dicit Richardus Cluniacensis, sextus à Nerone Christianos prosequitur. Hic autem Urbanus qualia fecit circa Beatam Cæciliam, & maritum, Tiburtium videlicet, & Valerianum cognatum, gesta Beatæ Cæciliæ referunt. Hic, ut Damasus scribit, occasione Beatæ Cæciliæ multos ad Fidem Christi convertit. Hic, ut Martinus scribit, genere nobilis ab infantia Christianus, virtute abstinentiæ & castitatis ornatus est; ac persecutione adhuc sæviente successit Calixto Papæ; qui dignitatis officium virtutum studiis adornans, multoties proscribitur ab Urbe; Sed à fidelibus clam revocatus, dum prædicationi, & baptismo fidelium intendit, capitur ab Almachio; & post carceris squallorem decollatur, sepultus in Cimiterio Prætaxati via Appia VIII. Kalendas Junii, & cessavit Episcopatus diebus VIII.

CAP. XXV.

Quomodo constitutionem fecit de vasis ad consecrandum, & statuit Ecclesiam habere possessionem & reditus.

HIc etiam Urbanus præcepit vasa Altaris aurea, argentea, vel saltem stagnea haberi in Ecclesia, ut Cusentinus scribit. De hoc habes de Consecr. dist. I. cap. *Vasa*, circa medium. Item statuit, Ecclesiam recipere prædia, & reditus, ac vivere in communi, ut idem Cusen-

sentinus dicit, & hoc idem habes VII. quæst. I. cap. *Videntes*. Hic etiam distinxit tempora jejuniorum quatuor Temporum, quæ priùs per Concilium Maguntinum magìs confusè fuerant tradita, ut patet dist. LXXVI. cap. *Statuimus*, & cap. *Constituimus*. Fecit autem ordinationes V. per mensem Decembris, Presbyteros IX. Diaconos V. Episcopos per diversa loca VIII. Attendendum autem hìc, quòd Ecclesiastica Historia Eusebii lib. VI. quantum ad annos Calixti, & Urbani non discordat à communibus Historiis, sed quantum ad Zephyrinum, multum. Quia dicit, ipsum sedisse XVIII. annis, & Damasus cum ipso concordat. Omnes autem aliæ Historiæ ponunt, quod novem. Sed hujus veritatis ratificatio haberi potest ex numero annorum Principum, qui concurrerunt cum eis; & ille numerus, qui respondet Imperatoribus, erit verus: aliàs vitio Scriptorum attribuetur. Tradit autem Ecclesiastica Historia Eusebii Libro eodem, quòd Zephyrinus moritur primo anno Antonini ultimi, qui fuit ab Augusto XX. Et sic oportet ad numerum annorum Pontificum hos annos adaptare. Origenes autem floruit sub VI. Pontificibus, Zephyrino, Calixto, Urbano, Pontiano, Anthero, & Fabiano; quia Doctor fuit LII. annis, ut per Hieronymum est manifestum. Sed quia ipse multos fecit Doctores, oportet nos hìc aliquos sub Urbano ponere.

CAP. XXVI.

Quòd isto tempore multi floruerunt discipuli Origenis, circa quorum tempora Origenes magna fecit.

HOc enim tempore unus fuit Hippolytus, qui infinitos libros conscripsit, ut patet per Hieronymum de Illustribus viris. Secundus fuit Berillus Arabs Episcopus Ostiensis, qui cùm aliquanto tempore gloriosè rexisset Ecclesiam, ad extremum lapsus in hæresim, ut Hieronymus scribit de ipso ubi supra, Christum ante Incarnationem negat: quæ est hæresis Hebionitarum. Hic ab Origene correptus est; unde postea multa opuscula scripsit de Fide Catholica, sed præcipuè quasdam Epistolas scripsit, in quibus gratias reddit Origeni, quia per ipsum est ad viam veritatis reductus, ut tradit idem Doctor ubi supra. Et attende de ipso Origene, quòd Ecclesiastica Historia tradit Libro VI. quòd magnum conatum ad hæreticos confutandum adhibuit: propter quam causam multa passus est ab eis. Ipse etiam Porphyrius, depravator Scripturarum sacrarum, multas falsitates imposuit eidem, & in vita, & in doctrina, ut in dicto libro habetur, sicut & de aliis Hæreticis esse potuit. Refert etiam supradicta Historia, quòd quemdam nobilem nomine Ambrosium genere, & literis multum clarum, ab hæresi Valentini retraxit, & ad lucem veritatis reduxit ipsum Origenes, validissimis argumentis.

CAP. XXVII.

De Pontiano Primo & XX. Pontifice. De martyrio ipsius, & sub quo Principe, & de quibusdam nobilibus.

ANno Domini CCXLV. & ab Urbe condita DCCCCXCVII. Pontianus Primus natione Romanus, ex patre Calphurnio, sedit annis VI. mensibus II. juxta Ecclesiasticam Historiam. Fuit autem temporibus Alexandri, ut dicit Damasus. Sed non videtur propter illa, quæ infra dicuntur. Quia Urbanus martyrium suscepit tempore Gordiani Principis, qui tertius fuit ab Alexandro. Sed nec de Gordiano videtur, aut de Maximino: & hoc etiam patet per Ecclesiasticam Historiam Eusebii lib. VII. quæ ante tempora Gordiani Principis dicit Pontianum in Sede Petri constitutum fuisse. Scribit autem Damasus de ipso, quòd ad instantiam Pontificum Idolorum, de Roma ad Insulam Sardiniæ cum Hippolyto Presbytero deportatus est, ubi multa passus est tormenta, & persecutiones innumeras, & ibidem mandato Principis memorati coronatur martyrio. Tempore verò Fabiani Papæ, corpus ipsius transportatur Romam per mare cum Solemnitate totius Cleri, ac in Cimiterio Calixti via Appia sepelitur; Et attende hìc, quia Damasus in suis Chronicis & gestis Summorum Pontificum præmittit (*) Antherum. Sed secundùm Eusebium libro VI. Ecclesiasticæ Historiæ Pontiano succedit Antherus. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros V. Diaconos V. & Episcopos per diversa loca VII. Et attende hìc, quòd istud Damasus in suis Chronicis continuè replicat; quia hoc importabat in primitiva Ecclesia magnam Solemnitatem. Item hìc considerandum, quòd à Beato Petro usque ad tempora ista, immo usque ad tempora Beati Silvestri, omnes fuerunt martyres, unde verificatur sententia Apostoli juxta expositionem Beati Gregorii: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; quia primi erant ad subeundum martyrium.

CAP. XXVIII.

De quibusdam Doctoribus, qui isto tempore floruerunt in Græcia. Qualiter Origenes dimissa Alexandria venit Cæsaream, & de reverentia ad ipsum.

TEmpore hujus Pontificis, hoc est X. anno Imperii Alexandri, ut tradit Ecclesiastica Historia lib. VI. Origenes de Alexandria profugus factus venit Cæsaream, ac Heraclium, ex discipulis suis per baptismum scholarem reliquit; qui, mortuo Demetrio Alexandrino Episcopo, XLIII. annis Episcopatu illo ministrato, eidem succedit in dicto Episcopatu. Hoc etiam tempore fuit in Cæsarea Firmilianus inter Episcopos magìs clarus. Hic tantum venerationis erga Origenem, scientiæ & doctrinæ gratia habebat, ut indesinenter eum restringeret secum esse. Hoc idem faciebat Alexander, qui Narcisso in Episcopatu jam CXVI. annorum successit, quia totus ardebat in doctrina Origenis.

CAP.

(*) *In margine Codic. Patav. nota scripta* „ Hoc cum „ reverentia non est verum; nam in libro „ meo à Damaso præponitur Pontianus.

CAP. XXIX.

De matre Alexandri Imperatoris, quia fuit discipula Origenis, & de Ulpiano Legista, & de multis aliis Doctoribus, qui fuerunt Auditores Origenis.

REfert autem Orosius Libro VII. contra Paganos, quòd Alexander Imperator matrem habuit, quæ dicta est Mammea, quæ Christianissima & discipula Origenis fuit. Cujus etiam tempore fuit Ulpianus, ut idem Orosius scribit, qui summus Doctor fuit legum; Sed quia militaris in quodam exercitu existens dux, apud Maguntiam, interfectus est. Eodem tempore fuit Typhon Origenis auditor, de quo tradit Hieronymus de Illustribus Viris, quòd vir eruditissimus fuit in Scripturis sacris, sicut ipsius opuscula manifestant. Multi etiam alii floruerunt Episcopi in Asia, multique Origenis discipuli circa ista tempora. Sed hæc sufficiant in hoc opere. Unum tamen accipiendum est, quòd Orientalis Ecclesia fuit antiquitus multum decorata Doctoribus sacris.

CAP. XXX.

De Anthero Primo & XXI. Pontifice, & de constitutionibus, quas fecit, & martyrio ipsius movetur quæstio, & solvitur.

ANno Domini CCLI. & ab Urbe condita MIII. Antheros Primus supra cathedram Petri sedit. Hic scribens omnibus Episcopis, ut Cusentinus, & Gratianus scribunt, constitutionem fecit, quòd Episcopus, considerata utilitate & necessitate, posset ad Episcopatum alium se transferre, sed non propria voluntate, sive auctoritate. Quam constitutionem habes, & satis diffusè VII. Quæst. I. cap. *Mutationes*. Et multi alii Summi Pontifices hoc idem roboraverunt successores ejus, ut in eadem causa, & quæstione per totum. Hic etiam statuit, ut Damasus scribit, gesta Martyrum per Notarios scribi, & in Ecclesia recondi, ad majorem fidei firmitatem. Motivum autem ejus fuit, ut idem Auctor dicit, propter quemdam Magnum Presbyterum, qui martyrio coronatus est, exemplo dignum. Sedit autem annis XI. ut idem Damasus dicit, mense I. diebus XII. Attende hìc quòd Ecclesiastica Historia præfata Libro VI. dicit, quòd solùm per mensem sedit: quam Martinus sequitur. Omnes autem aliæ Historiæ cum Damaso concordant. Hic fecit unam ordinationem, Episcopum unum. Tamdem martyrio coronatur sub Gordiano, qui XXIII. fuit Imperator à Julio; & in Cimiterio Calixti via Appia sepelitur.

CAP. XXXI.

Agitur hìc de Historia undecim millium Virginum, & Cyriaco. Sed probatur contrarium: quod magìs infra declaratur.

HOc autem tempore tradunt aliquæ Chronicæ, ut Martinus Polonus, & aliquæ aliæ, fuisse Cyriacum Papam, qui propter devotionem undecim millium Virginum cessit Papatui, & secutus est eas usque in Coloniam, ibique passus est martyrium cum eis. Quem secuti sunt aliqui Cardinales, & Episcopi, inter quos Tollinus Episcopus Lucanus, ut scribit Jacobus de Varagine Archiepiscopus Januensis. Et omnes cum dictis Virginibus martyrium susceperunt à Rege Hunnorum. Et quia dictus Papa tantam dimisit dignitatem, ut sequeretur puellas, eidem imponunt, quia non ex devotione, sed magìs Virginum oblectatione. Et ideo noluerunt Cardinales ipsum ponere in catalogo Summorum Pontificum. Cui successit Antherus; Sed hæc Historia non videtur hìc cadere propter multa, quæ traduntur in Legenda undecim millium Virginum, ut dictus Jacobus dicit; quia adhuc Cardinales non erant nec Regnum Constantinopoli (*). Unde oportet dicere, quòd hoc fuerit post tempora Beati Silvestri, & hoc verius est; & propterea Historia Ecclesiastica jam dicta Libro VI. facit mentionem de Anthero, qualiter Pontiano successit, nulla de Cyriaco mentione facta.

CAP. XXXII.

De Doctoribus, qui istius Pontificis tempore floruerunt in Græcia, & commendatione Origenis circa quædam opera, & de Minutio Doctore.

HUjus tempore floruit Africanus, quam Ecclesiastica Historia multum commendat, qui Epistolam transmisit Origeni super Historia Susannæ, quòd ficta videatur, & aliena à scriptura prophetica. Cui Origenes egregiè respondit, asserens non esse acquiescendum commentis & fraudibus Judeæorum, sed solùm esse tenendum quod LXX. Interpretes transtulissent. Multa etiam opuscula eidem attribuit dicta Historia, quæ scribere non est necesse. Hujus etiam tempore Heraclos de quo dictum est supra, Scholas regens in Alexandria in Philosophia Christiano cultu, assumtus est in Episcopum Alexandriæ, & succedens Demetrio, Scholas tradidit Dionysio, qui ex discipulis erat Origenis. Origenes autem apud Cæsaream manebat, qui tantum concursum habebat virorum approbatorum in vita & doctrina, quòd vix erat locus ei in diversorio ad legendum. Eodem tempore floruit Minutius Felix Romæ insignis, ut Hieronymus ubi supra scribit. Scripsit dialogum Christiani, & Ethnici disputantis. Hujus autem est liber de fato & contra Mathematicos. Per idem tempus tradit dicta Historia de Origene, quòd XXX. commentariorum libros in partem aliquam Isaiæ edidit & XXV. in Ezechielem. V. verò super Cantica; alios verò ulteriùs consummavit.

(*) *In Cod. Pat.* nec Constantinopolis.

Explicit Liber Tertius Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER IV.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Fabiano Primo & XXII. Pontifice; & de constitutionibus ejus, & martyrio ejus, & sub quo Principe.

ANno Domini CCLXII. & ab Urbe condita MXIV. Fabianus Primus in Cathedra Petri sedit, natione Romanus ex patre Fabio. Sedit annis XIII. mense I. diebus XI. ut Damasus scribit. Fuit autem sub tempore Gordiani & Philippi, usque ad Decium, ut idem Damasus dicit. Hic ut idem Auctor refert, augmentavit Scriptores gestorum martyrum, quia divisit regiones per VII. Diaconos, & fecit VII. Subdiaconos qui VII. Notariis imminerent, qui gesta Martyrum in integrum scriberent. Et multam fabricam per Cimiteria fieri præcepit ad Martyres tumulandos Hic constituit, ut Martinus, & Cusentinus scribunt, quòd omni anno in cœna Domini Chrysma conficeretur, & vetus in Ecclesia cremaretur. Et graviter reprehendit, qui contrarium faceret, scribens omnibus Orientalibus Episcopis, & Prælatis, & aliis. Et hoc habes de Consecrat. dist. III. cap. *Literas*. Hic martyrio coronatur tempore Decii Imperatoris persecutione VII. contra Christianos. Sepelitur in Cymiterio Calixti via Appia XIV. Kalendas Februarii, ut Damasus scribit.

CAP. II.

De modo ipsius miraculoso, & hæresi sub ipso orta, dicta Novatiana, & Concilio LX. Episcoporum damnata.

HIc, ut Martinus scribit, casu, dum cum suis amicis de quodam loco reverteretur, & de futura Papæ electione populus loqueretur, affuit & iste cum eis, expectans exitum rei. Et subitò candida columba visa est, quæ super caput ejus descendit dicens: *Tu Romæ Episcopus ordinaberis*. Qui divinitus electus est. Post laudabilem vitam duxit usque ad passionem. Hæc autem relatio magis diffusè habetur ab Eusebio Lib. VI. Ecclesiasticæ Historiæ. Hic fecit ordinationes V. Presbyteros VII. Diaconos VII. & Episcopos per diversa loca XXI., ut Damasus scribit. Hujus tempore exorta est hæresis Novatiana à quodam Presbytero Urbis Romæ genere Afro, & discipulo Cypriani, ut in Ecclesiastica Historia Eusebii habetur Libro VI. Et hoc accidisse Martinus scribit tempore Fabiani. Historia tamen jam dicta videtur sentire, quòd tempore Cornelii, contra cujus electionem se opposuit, & schisma in Ecclesia generavit: qui dicebat, post peccatum veniam denegari. Propter quam causam celebratum est Concilium Romæ LX. Episcoporum, & totaliter hæresis exstirpatur. Ibidemque statutum est, ut lapsis misericorditer venia permittatur, dummodo ad veram pœnitentiam revertantur.

CAP. III.

De conversione Imperatoris Philippi ad Fidem, & de hiis quæ egit Pontifex contra ipsum, & de quibusdam actibus virtuosis Origenis.

HUjus autem tempore Philippus Imperator ad Fidem convertitur, qui fuit XXIV. Imperator à Julio. Refert autem opinio de ipso, & hoc etiam Historia Ecclesiastica tradit Libro VI. cap. XXIV. quòd Imperatori Philippo Primo inter Principes Christianos volenti interesse vigiliis *Paschæ*, & *communioni*, Fabianus eidem prohibuit, donec sua peccata confessus est. Circa tempora istius Pontificis Fabiani Ecclesiastica Historia prædicta refert Origenis quosdam laudabiles actus. Primò igitur ætatis suæ anno LX, in magna parte suis consummatis libris, jam ad communicationem suorum commentariorum intendit. Et eo tempore Epistolas transmisit ad Imperatorem Philippum, qui primus fuit inter Imperatores Christianus & ad Severam uxorem ejus, absque ullo fuco adulationis, sed quæ ad morum pertinent ornatum. Item eodem tempore scripsit Fabiano Episcopo Urbis Romæ & ad alios quamplurimos Ecclesiasticos Principes (*) de Fide Catholica sua: de quo evidentiùs in Lib. VI. apologiæ suæ. In ipso volumine comprehendit Eusebius, quam contra querulos scribit Pamphilus Martyr cum ipso ad sinceritatem fidei Origenis.

CAP. IV.

Qualiter se Origenes opposuit cuidam Celso Hæretico & Epicureo, & de Concilio celebrato.

EOdem tempore, ut ex eadem Historia patet, adversùs Celsum Epicureum Philosophum, qui contra Origenem notanter scripserat, VIII. voluminibus respondit. Tum etiam contra quosdam hæreticos se opposuit, qui asserebant animam simul cum corpore perire; sed in die Judicii simul cum corpore resurgere. Propter quam causam magnum congregatur Concilium Episcoporum, in quo rogatur Origenes interesse, & sermonem facere. Cùmque coram omnium Sacerdotum Concilio disputaret, tam magnifica fuit ejus sermocinatio, ut omnes eos, quos novæ opinionis involverat error, ad Fidem rectam, & sensum Catholicum revocaverit, ut dicta Historia refert,

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* Ecclesiasticarum rerum Principes.

CAP. V.

Qualiter Origenes se opposuit cuidam hæresi de novo exortæ: propter quod & multa passus est. De Alexandro Hierosolymorum Episcopo.

OPposuit etiam se eodem tempore cuidam alii hæresi de novo exortæ: propter quæ, ut eadem Historia scribit, multa passus est tempore Decii, qui fuit XXVI. à Julio Imperator, & Fabiani Papæ; injuriâque eidem varia pœnarum genera sunt inflicta, pro eo quòd in doctrina Fidei, & veritatis serventissimus (a) habebatur. Eodem tempore Alexander Hierosolymorum Episcopus sub eodem Principe cum Fabiano patitur. Quis autem fuerit iste Alexander, Hieronymus scribit de Illustribus Viris, quia primò fuit Episcopus Cappadociæ, & cum desiderio locorum sanctorum Hierosolymam pergeret, Narcisus jam senex Ecclesiam eamdem gubernans, ex revelatione habita istum dignum tali Episcopatu abrenunciavit, & præfatus Alexander Episcopatum suscepit. Hic in fine cujusdam Epistolæ scribens . . . . . super pace Ecclesiæ sic ait: *Salutat vos Narcisus, qui ante me hìc tenuit Episcopalem locum, & nunc mecum eumdem orationibus regit, annos natus circiter XCVI.* (b), *& vos mecum precatur, ut unum idemque sapiatis.* Scripsit etiam ad Antiochenos. Item pro Origene circa Demetrium, & multa alia scripsit, sicut magnus Doctor & grandis auctoritatis.

CAP. VI.

De Cornelio Primo & XXIII. Pontifice, & de constitutionibus ejus, de martyrio ejus, & sub quo Principe.

ANno Domini CCLXXV. & ab Urbe condita MXXVII. (c) Cornelius Primus in Cathedram Petri ascendit, natione Romanus ex Patre Constantino. Sedit annis III. & mensibus II. diebus X. ut Damasus scribit: Hic constituit, ut Sacerdotes, si vellent, pro certa causa jurare possent, ut scribit Martinus, & Cusentinus. Et hoc habes II. quæst. V. cap. *Sacramenta*, ubi multæ constitutiones referuntur ejusdem Pontificis quantum ad prædicta. Hic Cornelius per Decium Imperatorem Centumcellis exilio relegatur. Huic Pontifici scribit Cyprianus Carthaginensis Episcopus contra discipulum suum Novatum, quia Episcopus à Decio, sive suis ministris, pro Fide Christi positus erat in carcere, & tamdem martyrio coronatur. Hieronymus autem de Illustribus Viris dicit VIII. fuisse Epistolas, quas Cornelio Cyprianus direxit, orthodoxa Fide plenas, & contra discipulum Novatum.

CAP. VII.

Qualiter huic Cornelio scribit Dionysius Alexandrinus contra Novatum; & de iis, quæ fecit circa corpora Apostolorum.

HUic etiam Cornelio Dionysius Alexandrinus Episcopus gloriosissimus Doctor, & Martyr, contra errorem Novati scribit elidens fortissimis rationibus dictum errorem, ut Ecclesiastica Historia Eusebii tradit. Quis autem iste fuerit Novatus, supra est dictum in gestis Fabiani. Hic Pontifex, ut Damasus dicit, ad petitionem Lucinæ Virginis nobilissimæ Romanæ, capita Apostolorum noctu levari fecit de Catacumbis, & caput Beati Pauli dicta matrona reponi præcepit in prædio suo via Ostiensi, juxta locum ubi decollatus est. Caput autem B. Petri in Vaticano reponi jussit dictus Pontifex, inter Corpora Sanctorum in Templo Apollinis, & in Monte Aureo, & prope Neronianum palatium, ubi crucifixus fuit, & etiam nunc quiescit; ac ibi Constantinus postea Ecclesiam honorificentissimam fabricavit.

CAP. VIII.

Ponitur hìc caussa, quare hic Pontifex est passus, quia ex Epistolis, quas recepit à Beato Cypriano delatas. Movetur & quæstio super quibusdam, & solvitur.

HIc Pontifex cùm à Beato Cypriano recepisset Epistolam, sive Librum, ut Ecclesiastica Historia tradit Libro VI. in quo errorem sui discipuli reprobat, & de Fide Christiana multa docet; quia ex eadem causa incarceratus erat, tunc Decius provocatus, Cornelium revocat ab exilio Centum-cellis, ut Chronica Damasi tradit, eumque sibi præsentari jubet ante Templum Palladis, quem sic aggreditur: *sic*, inquit, *dissipuisti, ut nec Deos consideres, nec præcepta Principum, nec nostras minas timeas, ut contra Rempublicam literas accipias, & aliis dirigas?* Cui Cornelius respondit: *Ego de gloria Domini mei literas recepi, & direxi, non contra Rempublicam, sed ad peccatorum animas redimendas.* Tunc iracundia motus Decius jussit os ejus plumbatis cædi, ipsumque jussit deduci ad templum Martis, quem si adorare nollet, capite truncari mandabat. Tunc Sanctus Cornelius videns sibi mortem imminere, ut Damasus scribit, omnia quæ erant Ecclesiæ, Stephano Archidiacono suo tradidit, quæ quidem fortè (d) receperat à Philippo Imperatore, primò inter Principes Christianos, & inde ad coronam martyrii lætus vadens decollatus est. Tunc Lucina matrona Martyris Corpus ipsius, noctu asportari fecit, & in prædio suo sepeliri jussit. Et attende, quia alius Decius est iste à primo, de quo nunc immediatè dictum est, ut dicit, (e) qui hoc asserit. Quod apparet ex hoc, quia Decius primus imperavit solùm tribus annis, nec completis, secundùm aliquos; & sub isto Fabianus suscepit martyrium. Cornelius autem sedit III. annis & mensibus II. diebus X. Et ideo dicit Heinardus, quòd Gallus, qui Decio successit, fuit binomius, & vocatus est Decius; sub quo Cornelius passus est. Hic fecit ordinationes II. per mensem Decembris, Presbyteros IV. Diaconos VII. & Episcopos per diversa loca septem, ut Damasus scribit.

CAP.

(a) *In Cod. Patav.* firmissimus.
(b) *In Cod. Patav.* CXVI.
(c) *In Cod. Patav.* MXXXVII.
(d) *In Cod. Patav.* quidquid fortè.
(e) *In Cod. Patav.* Cossipiensis, allegans Helinandum.

CAP. IX.

De fine Origenis, circa quem diversæ opiniones fuerunt.

HUjus tempore, scilicet Galli dicti Decii, Origenes LXX. anno non completo moritur apud Tyrum, ut Ecclesiastica Historia tradit Eusebii Lib. VI. & Hieronymus de Illustribus Viris. Sed de fine tanti Doctoris dicendum est, licèt tantum supra sit tactum, quòd Augustinus ipsum reprehendit. Hieronymus tamen in epistola ad Desiderium, & epistola ad Pammachium & Oceanum, & Gelasius Papa ubi supra, illa opuscula Origenis non recepit, quæ Hieronymus reprehendit. Sed isti tres Doctores illum excusant, Pamphilus Martyr, & Eusebius Cæsariensis Episcopus, ut patet in Ecclesiastica Historia Libri: item Ruffinus Aquilegiensis Patriarcha. Haymo autem sic scribit de ipso: *Origenes Leonidis Martyris filius voluntate quidem martyr, sed à martyrio impeditus, magnam à Deo gratiam scientiæ consequitur, potens in Grammatica, & ceteris omnibus literis, & omni Philosophica eruditione; sed maximè in doctrina divinorum voluminum potentissimus illius temporis, & famosissimus indagator; unde plurimum admirari non sufficio, quòd vir tam illustris apertè obvians impiæ hæresi, devolutus sit in immanissimam hæresim & errorem: quod videlicet Seraphim Spiritum Sanctum dixit, exponendo Isaiam Prophetam; & in alio loco de pœnitentia Diaboli scripsit, & de absolutione reproborum post mille annos, & de multis aliis, quæ Orthodoxæ Fidei adversantur. Et cùm castissimæ & abstinentissimæ vitæ fuerit propter Christum, tamque præclaræ doctrinæ, & tam puri sermonis, & lucidi: ego sanè de eo salva fide Patrum dico, quòd vel hæc omnino non scripsit, sed ab hæreticis ob præclarum nomen ejus obfuscandum malignè conscripta sunt, & confiсta, & nomine suo post titulata; vel si scripsit, non statuit ex sententia, sed disseruit ex opinione.* Habuit autem duos maximos detractores, & impostores, ut in Ecclesiastica Historia Eusebii patet, videlicet Prophyrium, & Demetrium Episcopum. Eodem tempore floruit Cyprianus Episcopus Carthaginensis, & Dionysius Episcopus Alexandrinus. Sed quia processerunt in vita, ad alios Pontifices reservamus.

CAP. X.

De Lucio Primo & XXIV. Pontifice, cujus Festum est IV. Nonas Martii, circa quem movetur quæstio & solvitur de martyrio ipsius.

ANno Domini CCLXXVIII. & ab Urbe condita MXXX. Lucius Primus natione Romanus ex Patre Porphyrio in Cathedra Petri succedit Cornelio. Sedit autem annis III. mensibus III. diebus V. ut Damasus scribit. Ecclesiastica autem Historia nunc dicta lib. VII. dicit VIII. menses; & tunc magis est clarum de Principibus, sub quibus passus est. Sed Damasus & aliæ Historiæ ponunt annis III. & mensibus III. & sic sub Volusiano solùm passus est exilium, & sub Valeriano martyrium. Hic constituit, ut in omni loco Episcopum non deſererent duo Presbyteri & III. Diaconi, ut scri-

A bit Damasus, & Martinus, & Cusentinus; & in omni loco sequantur ipsum in testimonium ipsius. Et ista constitutio habetur de Consecr. dist. I. cap. *Jubemus*: quæ constitutio multum clara est, & laudabilis omni probo viro. Fuit autem tempore Galli Imperatoris, & filii ejus Volusiani. Hic non computatur in numero Imperatorum secundùm Orosium sed sub.... ponitur, quorum tempore primò passus est exilium, postea divina gratia & virtute rediit ad propriam Ecclesiam; & ab inde, ut Damasus scribit, per Valerianum Imperatorem capite truncatur, sepultus in cymiterio Calixti. Sed attende hìc, quòd in aliquibus Chronicis invenitur, ipsum fuisse oriundum de Luca ex patre Lucino. Sed B major pars Chronicorum Scriptorum Summorum Pontificum asseruerunt, ipsum fuisse Romanum. De hoc ergo Lucio Primo Ecclesiastica Historia jamdicta in dicto Libro mentionem facit, qualiter successit Cornelio.

CAP. XI.

Qualiter movetur hìc quæstio de origine hujus Pontificis, & solvitur: de Thesauro Ecclesiæ, quem Lucius Stephano Archidiacono Romanæ Ecclesiæ dimisit.

C HIc, ut Damasus tradit, potestatem dedit omnium bonorum Ecclesiæ, vadens ad martyrium, Stephano Archidiacono suo, eidemque commisit. Et attende, quia ista bona fuerunt thesauri Philippi Imperatoris, sicut dictum est supra; & de quo fit mentio in gestis Beati Laurentii, qui concurrit cum Sixto Papa, qui statim sequitur; Ubi etiam nota, quòd ex Chronicis Damasi habemus, quòd alius Archidiaconus fuit in Ecclesia Romana, quàm Beatus Laurentius, qui etiam ipsum præcessit: videlicet Stephanus, qui postea Lucio in Papatu successit. Hic Lucius fecit ordinationes II., ut Damasus scribit, per mensem Decembris, Presbyteros IV. Diaconos IV. Episcopos per diversa loca VII. Et quia tunc omnes Summi Pontifices sacros ordines conferebant, inde habebant Archidiaconos quorum officium est præcipuè ordinandos Episcopo presentare, & alia D ministeria agere coram Episcopo, sive in Ecclesia super omnes officiales ejusdem. Multa etiam alia faciebant, ut patet in gestis Beati Laurentii, quia gerebant officium Cancellarii, & Camerarii, in dispensando Thesaurum Ecclesiæ, & similia quæ ad præsens sunt postponenda.

CAP. XII.

E *De Cypriano Martyre & Doctore, qui floruit hujus Pontificis tempore, uti & Dionysius Episcopus Alexandrinus, & quidam alii.*

HUjus tempore floruit & passus est Cyprianus Afer. De hoc sic scribit Hieronymus de Illustribus viris: *Cyprianus primùm docuit gloriosè Rethoricam: exinde ad persuasionem Cæcilii Presbyteri, Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus cœpit erogare, & non post multum temporis electus est in Presbyterum. Deinde Episcopus Carthaginensis est constitutus. Hujus ingenii superfluum est indicem texere, cùm Sole clariora sint opera ejus. Passus est autem sub Valeriano Principe* per-

persecutione (*) VIII. Refert etiam, quòd quidam discipulus ejus, cui nomen Pontius Diaconus, usque ad diem passionis ejus cum ipso exilium sustinens, egregium volumen doctrinæ, vitæ, & passionis ejus fidelibus dereliquit. Ecclesiastica Historia jam dicta tradit lib. VII. Cornelium Papam eadem declarasse per epistolam super falsa opinione Ecclesiæ Africanæ de hæreticis rebaptizandis, si ad fidem rectam ipsos redire contingat; quod & Cyprianus assensisse videtur, & quod pravitate abjecta, & confessione rectè dogmatis, per solam manus impositionem purgentur. Et hoc idem tota Orientalis Ecclesia confirmavit, ut patet per epistolam Dionysii, qui etiam isto tempore floruit, qui Alexandrinus Episcopus fuit, de quo magna & gloriosa feruntur in vita, & in doctrina, ut ex dicta Historia liquet, & infra patebit, cùm agetur de Stephano Papa ipsius successore.

CAP. XIII.

De Stephano I. & XXV. Pontifice, & constitutionibus suis. De thesauro, quem Sixto dimisit, & de martyrio ejus.

Anno Domini CCLXXXII., & ab Urbe condita MXXXIV. Stephanus Primus natione Romanus ex patre Jobio, & Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ, in cathedra Petri sedit annis IV. mensibus III. diebus XV. ut Damasus dicit. Hic constitutionem fecit de vestibus Sacris ne quis uti debeat ad aliquem alium usum, nisi ad cultum divinum; ne à Deo puniatur, sicut Balthassar Rex Babyloniæ de vasis Domini, quia ipsa pertractavit irreverenter: ut patet Danielis V. Quam quidem constitutionem habes de Consecr. dist. I. cap. *Vestimenta*, ubi Sanctus Pontifex gratiosè persuadet, & caritativè præcipit hoc observandum. Hic, ut sua gesta referunt, cùm multos Gentilium ad fidem convertisset, verbo & exemplo exhortans, & multa corpora sanctorum Martyrum sepeliri fecisset, à Valeriano & Galieno filio ejus, qui tunc temporis Imperatores erant in Urbe XXVII. à Julio, summo studio perquiritur, suique sequaces. Inventis igitur aliquibus de Clericis suis usque ad decem, statim decollati sunt. Sequenti die Stephanus Papa comprehenditur, & ad templum Martis deducitur; Sed ejus oratione templum corruit. Stupefactus populus ad diversas partes effugit. Ipse verò ad Cymiterium Sanctæ Lucinæ perrexit. Quod audiens Valerianus, milites plures ad ipsum capiendum transmisit, ut sua referunt gesta. Qui venientes ipsum Missam celebrantem invenerunt, ibique cum multis Clericis martyrium subiit; sed ante passionem suam bona Ecclesiæ, sive thesaurum sibi commissum, per suos antecessores, Sixto reliquit, per suum successorem dispensanda, & gubernanda. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros IV. Diaconos IV. & Episcopos per diversa loca VII. ut Damasus scribit. Ubi attendendum, quanta erat antiquitus humilitas Summorum Pontificum, ut non dedignarentur ordines cuicumque, dummodo digno, conferre. Truncatus itaque capite cum suis, in Cymiterio Calixti in via Appia cum eisdem sepelitur IV. Nonas Augusti. Scribit autem Cusentinus, quòd passus est inter Missarum solemnia, cum XII. Presbyteris, VII. Diaconis, & Clericis XVI. Aliæ Historiæ dicunt, quòd celebratâ Missâ in cathedra sua decollatus est.

(*) In Cod. Patav. IX.

CAP. XIV.

De sententia, quam tulit contra rebaptizantes hæreticos conversos, & de multis Doctoribus Græcis, qui floruerunt tempore suo.

Hic Pontifex, ut Ecclesiastica Historia Eusebii tradit lib. VI. similiter sententiam tulit cum Cornelio de non rebaptizando, quam supra quæras. Ad quem Pontificem Dionysius Alexandrinus Episcopus de quo habes superiùs, multa, & sæpiùs scripta direxit, de multis Ecclesiasticis differens causis, in quibus inter cetera etiam hic judicat, seu scribit: *Quòd omnes Ecclesiæ abjecta Novati præsumtione, pacem inter se servent invicem*. Et inter alia sic dicit, loquens Stephano Papæ: *Scito, frater, omnes Ecclesias in Oriente, quæ priùs conturbabantur, inde ad concordiam rediisse plenam, & omnes sibi unanimiter cohærere gaudentes*. Et nominat Episcopos singularium Ecclesiarum, Demetrianum apud Antiochiam, Theotiscum apud Cæsaream, Bausabonem in Hierosolymis: post Alexandrum, apud Tyrum Marinum, apud Laudiciam Heliodorum, apud Cappadociam verò Firmilianum, quos famosos ostendit dicta Historia ubi supra. Quod intelligitur quantum ad ordinationem Romanæ Ecclesiæ de non rebaptizando, & de aliis, quæ ad cultum fidei intersunt, sicut Dionysius ostendit, scribens ad successorem suum Sixtum; ad quem scribit de baptismate, commemorans quæ quidem præcessor suus scribens ad Firmilianum, & Helenum, ceterosque illarum partium Episcopos statuerit, nec communicandum iis, qui rebaptizant propter excellentiam Sacramenti. Isto etiam tempore floruit Malchion disertissimus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, quippe qui, ut Hieronymus dicit de Illustribus viris, Rethoricam ferventissimè docuerat adversùs Paulum Samosatenum. Hic sub Aurelio Principe patitur & florere dicitur.

CAP. XV.

De Sixto Secundo & XXVI. Pontifice, qualiter patitur & quòd fuerunt multi Decii, & de magna hujus temporis persecutione.

Anno Domini CCLXXXVI. & ab Urbe condita MXXXVIII. Sixtus Secundus, Stephano Primo in Pontificatu succedit. Hic natione Græcus de Athenis oriundus, & ex Philosopho, ut Damasus scribit, factus est discipulus Christi; inde propter morum elegantiam in Summum Pontificem assumitur. Sedit annis duobus, mensibus XI. diebus VI. & martyrio coronatur sub Valeriano & Decio Imperatoribus. Attende hìc, quòd tres fuerunt Decii, & de duobus dictum est supra; tertius vocatus est Gallienus, unde fuit binomius, ut scribit Cusentinus; & sub hoc passus est Sixtus, & Beatus Laurentius. Martinus autem dicit, quòd iste Decius non fuit Imperator, sed à Valeriano & Gallieno factus quasi ipsorum collateralis, cui omnia ardua & principalia negotia committebant, unde & Cæsar vocatur. Hoc etiam tepmore maxima fuit persecutio in Ecclesia, ut Da-

Damasus scribit, & fuit VIII. à Nerone persecutio. Et attende hìc, quòd interdum Summi Pontifices assumebantur ex laico, sicut accidit de Sixto, qui Philosophus erat Atheniensis, ut Damasus scribit. Considerandum etiam est, hìc, quia etiam Ecclesiastica Historia multum ab aliis Historiis discordare videtur, quantum ad numerum annorum, quibus Sixtus sedit; quia dicit XI., alii autem omnes, ut Damasus, Martinus, Cusentinus, multique alii non extendunt, nisi ad III. sed fortè vitium est Scriptoris.

CAP. XVI.

De Methodio Martyre, qui hujus Pontificis tempore floruit; & de Beato Sixto quomodo ivit in Hispaniam ducens secum Laurentium & Vicentium.

HUjus tempore floruit Methodius Olympi Liciæ, & postea Tyri Episcopus, ut scribit Hieronymus de Illustribus Viris. Hic nitidi compositique sermonis adversùs Porphyrium confecit Libros. De resurrectione verò opus egregium contra Origenem, & adversùs eumdem de Pythonissa; in Genesim quoque & Cantica Canticorum commentarios. Ad extremum sub Decio & Valeriano in Chalcedonia coronatus est martyrio. De hoc Martyre tradit Comestor in Scholastica Historia, quòd existens in carcere multas habuit revelationes de Mundi creatione, & diluvio, & de generatione Adæ. Tradunt autem Historiæ, ut Joannes Beleth, quòd Beatus Sixtus vadens in Hispaniam duos juvenes consobrinos apud Oscham repe iens in fide Christi nutritos, videlicet Vincentium, & Laurentium, Romam rediens secum duxit. Sed processu temporis Vincentius in Hispaniam rediit, Laurentio cum Beato Sixto remanente, ut sua gesta referunt; quem considerans optimorum morum, suum Archidiaconum fecit, cui thesaurum traditum sibi à Stephano commisit, & omnia alia, quæ ad dictum officium pertinebant: de quo dictum est supra.

CAP. XVII.

De causa passionis Beati Sixti, & Beati Laurentii, de thesauro distributo per ipsos, & quis fuit.

IIs habitis accusatus Sixtus, quòd Christum prædicaret contra Imperatoris statuta coram Decio præsentatur. Cùmque ex suo mandato duceretur ad templum Martis, ut aut ipsum adoraret, aut capite plecteretur, ut gesta ejus referunt, cùm sacrificare nollet, in custodia Mamertini traditur. Eo autem eunte, Beatus Laurentius post eum clamat dicens: *Quò*, inquit, *progrederis sinè filio pater? quò Sacerdos sancte sinè ministro properas?* Cui Sixtus inquit: *Non ego te desero, fili, neque derelinquo, sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina; post triduum me sequeris Sacerdotem Levita. Interim autem thesaurum Ecclesiæ accipe, & quibus tibi videtur divide.* Hunc enim thesaurum accepit Sixtus de bonis Philippi senioris & junioris, hoc est patris & filii Imperatorum, quos Decius proditor iniquus occiderat, qui ambo fuerunt fidelissimi Christiani. Et nota, quòd Sixtus non habuit à Philippis, sive patre, sive filio, quia jam mortui erant, antequam Sixtus præficeretur, sed à suo prædecessore Stephano ut jam dictum est. Ista

A enim Summi Pontifices reservabant pro necessitatibus fidelium, & præcipuè pauperum: quod & B. Laurentius fecit. Cùm igitur iteratò Beatus Sixtus duceretur ad templum Martis, ut ibi sacrificaret, Beatus Laurentius post eum clamabat dicens: *Noli*, inquit, *me derelinquere, Pater sancte, quia thesauros tuos jam expandi, quos tradidisti mihi*. Audiens autem Præfectus nominari thesaurum, Laurentium tenuit; Sixtum verò, cùm sacrificare nollet, decollari mandavit. Decollati sunt autem cum ipso VII. Diaconi, ut Damasus scribit, videlicet Felicissimus, Agapitus, Januarius, Magnus, Vincentius, Stephanus, & Claudius. Sepultus est autem in Cimiterio Calixti, ut Damasus dicit.

B Post tertium verò diem passus est Beatus Laurentius, ut idem Auctor scribit, videlicet IV. Idus Augusti. Fecit autem ordinationes duas, Presbyteros IV. Diaconos VII. Episcopos per diversa loca II.

CAP. XVIII.

De quadam constitutione, quam dictus Pontifex fecit de hæresi Sabelliana, quæ istius tempore orta est, contra quam Dionysius Alexandrinus scripsit.

SCribit autem Martinus, quòd iste constituit, quòd consecratio Corporis Christi semper

C fieret super Altare, quod ante non fiebat. Hujus tempore orta est hæresis Sabellii, ut tradit Ecclesiastica Historia Lib. VI. super qua hæresi Dionysius Alexandrinus Episcopus scribit eidem Pontifici de conditione ejus. Unde in dicta Historia scribitur, ipsum dixisse: *Quid*, inquit, *dicam de ea doctrina, quæ apud Ptolemaydam nuper orta est, plena blasphemiis in Deum Patrem, & Dominum nostrum Jesum Christum; negans, verè esse eum filium Patris, nec primogenitum omnis creaturæ, simul & Spiritum Sanctum in persona destinctum à Patre*. De hoc habes XXIV. quæst. ultima. Quam materiam Dionysius fortissimè reprobat, ac rationibus efficacibus elidit, rursus scribens

D ad Philomonem & Dionysium Presbyteros Urbis Romæ.

CAP. XIX.

De Dionysio Primo & XXVII. Pontifice, & quibusdam ordinibus suis, cui alter Dionysius Alexandrinus scribit contra errorem Novati.

ANno Domini CCXC. & ab Urbe condita MXLI. Dionysius Primus in Cathedra Petri sedit ex Mona ho, cujus tamen generationem, ut Damasus scribit, habere seu reperire non potuit. Sedit autem annis VI. mensi-

E bus III. diebus VIII. Hic, ut Damasus dicit, Ecclesias divisit, & Cimiteria in Urbe Romana propter pœnitentes & baptisma, Parochias etiam, & Diœceses constituit, ut unusquisque sit suis terminis contentus, & alienos non invadat. Sic habes XIII quæst. I. cap. *Ecclesias*. Hic, ut idem Auctor scribit, fecit ordinationes duas, Presbyteros VII. Diaconos VII. Episcopos per diversa loca VIII. Huic Dionysio alter Dionysius Episcopus Alexandrinus, ut scribit Hieronymus de Illustribus Viris, duas direxit Epistolas contra errorem Novati Afri, & Romanæ Urbis Presbyteri. Et hoc idem refert Eusebius in Ecclesiastica Historia Lib. VI.

CAP.

CAP. XX.

Quòd hujus tempore orta est hæresis Samosatena propter quam contra aggregatum est Concilium Antiochiæ.

HUjus autem tempore exorta est hæresis Pauli Samosateni, Urbis Antiochenæ Episcopi, qui Christum purum hominem dogmatizabat: propter quam causam congregatum est Concilium Antiochiæ contra ipsum, ubi convenerunt Episcopi Græciæ, inter quos dicta Historia excellentiores nominat, videlicet Firmilianum Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, Helenum Episcopum Sardensem, Ireneum Hierosolymorum Episcopum, & multos alios viros excellentes tam Presbyteros, quàm Diaconos, ad prædictam Urbem, causâ præfati compescendi, immo delendi hujus impii dogmatis errorem. Interfuit etiam dicto Concilio Gregorius Neocæsariensis Episcopus, & tamdem Martyr pro Fide Christi effectus; cujus vitam & doctrinam multum dicta Historia commendat; quia potens fuit opera & sermone, ut ibidem scribitur. Convenientes igitur non statim proruperunt in sententiam propter subterfugia Pauli, ut infra patebit, in fine Historiæ hujus Pontificis. Sed tamdem dictam hæresim damnaverunt, ubi etiam interfuit Maximus, qui fuit Episcopus Ostiensis Vir magnæ prudentiæ, & eloquentiæ, & magnus zelator Fidei orthodoxæ. Quòd quidem totum refertur in Ecclesiastica Historia Libro VI. ubi circa ista longus protrahitur sermo, & fructuosus. Rogatus est autem Dionysius præfatus venire ad Concilium, sed propter senectutem impeditus per exempla se præsentem reddidit; in qua suæ fidei & venerationis erga Dominum nostrum Jesum Christum dogma transmisit. Interim Dionysius apud Alexandriam in pace quiescit anno XII. Imperii Gallieni, qui fuit Valeriani filius, & XXVIII. à Julio; XVII. annis Sacerdotio functus est.

CAP. XXI.

De migratione Dionysii ad Dominum, & de Concilio secundo celebrato contra Paulum Samosatenum.

HIc, ut tradit Hieronymus de Illustribus viris, sub Heracla Episcopo Alexandrino ibidem scholam Presbyter tenuit, & Origenis insignissimus fuit auditor. Multa & fructuosa ad diversos scripsit, sed præcipuè ad Sixtum Papam, & ad Dionysium successorem. Hic passus est sub Gallieno filio Valeriani, ut Damasus scribit; sepultusque est in Cimiterio Calixti via Appia VII. Kalendas Januarii; & cessavit Episcopatus diebus VI. Huic succedit Felix, ut ex Ecclesiastica Historia Eusebii habetur ubi supra, & Damasus scribit. Hujus etiam tempore circa finem celebratum fuit secundum Concilium apud Antiochiam contra dictum Paulum Samosatenum post mortem Dionysii; quia in primo sub quadam dissimulatione transivit, ut patet ex dicta Historia. Et tunc apertè damnatur, & Episcopatu privatur. Hanc autem sententiam latam contra Paulum universi de Synodo per totam Urbem transmittunt; sed præcipuè Dionysio Romanæ Urbis Episcopo, & Maximo Alexandrino; qualiter ipsum tanquam hæreticum, suamque opinionem impiam esse, ac plenam blasphemiis diffiniunt. Attendendum autem hìc de annis, quibus Dionysius sedit, quia Historiæ non bene concordant; eo quòd Ecclesiastica Historia scribit, quòd VIII. annis, aliæ quòd VI., aliæ quòd V., Damasus verò quòd III. & mensibus tribus, & hoc idem dicit Martinus. Et ideo tenendum est medium, ut supra est scriptum; & præcipuè quia tempora Principum magis concordant.

CAP. XXII.

De Felice Primo & XXVIII. Pontifice, & de constitutionibus suis, de martyrio ipsius, & sub quo Principe.

ANno Domini CCXCVI. & ab Urbe condita MXLVIII. Felix primus Dionysio succedit in Cathedra Petri, ut Damasus scribit. Hic natione Romanus ex patre Constantino de regione Capitis-tauri, sedit annis II (*) mensibus X. & cessavit Episcopatus diebus VI. Hic constituit, supra memoriam, sive supra sepulcra martyrum Missas celebrari, ut Damasus scribit, & alii Chronicorum scriptores. Sed attendendum hìc, quòd quantum ad annos istius Pontificis & subsequentis, discordat multum Damasus ab Ecclesiastica Historia Eusebii. Sed teneamus nos cum Damaso; quia sic faciunt alii scriptores gestorum Summorum Pontificum. Hic autem Felix statuit, quòd sicut aliis quàm Sacerdotibus Deo sacratis non licet Missas celebrare, ita non licet in locis, non Deo sacratis per Episcopum, similiter Missam cantare, nisi in casu necessitatis: quod habes de Consecr. dist. I. cap. *Sicut non*. Hic etiam constituit Solemnitates dedicationum Ecclesiarum singulis annis celebrari. Item si nesciatur de Ecclesia, an consecrata fuerit, neque per scripturam, neque per testes, mandat Felix ipsam consecrandam esse, quia non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum. Hoc habes de Consecr. dist. I. cap. *Solemnitates*. Hic fecit Basilicam in via Aurelia, ubi & sepultus est milliario secundo, III. Kal. Junii, ut Damasus scribit. Hic fecit duas ordinationes per mensem Decembris, Presbyteros IX. Diaconos VI. Episcopos per diversa loca V. ut Damasus dicit. Martyrio verò coronatur tempore Claudii II. & Aureliani Imperatorum.

CAP. XXIII.

Qualiter tempore istius Pontificis hæresis est orta in Græcia, & qualiter factum est de quibusdam Doctoribus hujus temporis.

HUjus autem tempore orta est hæresis Manichæorum à quodam Manes persona dicta, quem vita & moribus præfata etiam Ecclesiastica Historia asserit barbarum fuisse. Hic autem sicut Christus quædam præsumsit facere, ut prædicta Historia refert; quia elegit sibi duodecim, quos ad similitudinem Christi ad prædicandum mittebat; multaque rudia sed plena impietatibus faciebat. Quædam etiam indicibilia refert Augustinus de ipsis, per quæ meritò est ipsorum secta reprobanda, cujus secta multùm Mundum corrupit, & adhuc hodie perseverat.

(*) *In Cod. Patav.* Annis III.

verat, quam habes XXIII. quæst. ultima. Et hujus tempore floruit Melchion disertissimus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter. Hic, ut scribit Hieronymus de Illustribus Viris in eadem Urbe ferventissimè docebat Rethoricam, & adversus Paulum Samosatenum, de quo dictum est supra, excipientibus Notariis, multa efficacissimè disputavit; qui Dialogus usque hodie extat. Sed & alia grandis Epistola ex prima Synodo ab eo scripta ad Dionysium, & ad Maximum Romanæ & Alexandrinæ Urbium Episcopos dirigitur. Floruit autem sub Claudio & Aureliano, quorum primus fuit (a) XXX. Imperator, secundus XXXI. Eodem tempore floruit Archelaus Episcopus Mesopotamiæ, qui, ut scribit Hieronymus ubi supra, librum composuit disputationis suæ adversus Manichæum exeuntem de Perside. Claruit autem sub Imperatore Probo, qui Aureliano successit.

CAP. XXIV.

De Euthyciano Primo & XXIX. Pontifice, & de constitutionibus ejus. De notabilibus ipsius, & Historiis, & de martyrio ipsius, & sub quo Principe.

ANno Domini CCXCIX. & ab Urbe condita MLI. Euthycianus Primus in Cathedra Petri sedit natione Tuscus ex patre Marino de Civitate Lunensi. Sedit annis VIII. mensibus X. diebus V. ut Damasus scribit, & aliæ communiter Historiæ. Sed Historia Ecclesiastica Eusebii lib. VII. multùm discordat, quia dicit solùm X. menses sedisse. Item Felicem dicit V. annis sedisse. Sed hoc fortè potuit contingere scriptorum vitio, quod faciliter in numeris contingit. Hic constituit fruges de vineis & prædiis tantùm super altari benedici per Sacerdotem. Hic etiam Pontifex, ut scribit Damasus, per diversa loca CCCXLII. Martyres propria manu sepelivit. Hic etiam constitutionem fecit, ut quicumque Fidelium aliquem Martyrem sepelire vellet, sinè Dalmatica aut collobio purpurato, non attemptaret aliqua ratione; Voluit etiam, quòd ista notificari sibi deberent. Et attende, quia antiquitus in favorem Fidei primò fuit de Martyribus provisum ad reverentiam exhibendam, & divinum cultum; unde etiam in Canone Missæ de nullo agitur, nisi de Martyre. Hic fecit, ut Damasus scribit, ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros IX. Diaconos V. Episcopos per diversa loca IX. Martyrio coronatur sub Aureliano Principe. Et attende hìc, quia iste Aurelianus, ut Ecclesiastica Historia Eusebii refert, aliquo tempore favorabilis fuit Christianæ religioni; Sed quorumdam depravatus proposito, literas direxit contra Christianum cultum: propter quam causam percussit eum Deus, unde morte præventus occidit, ut ostenderet Deus, quia non cùm * voluerit cruciamur, sed cùm probaverit ipse corrumpimur, ut eadem Historia Ecclesiastica tradit. Passus igitur martyrium in Cimiterio Calixti viâ Appiâ sepelitur, ut Damasus scribit, VIII. Kalendas Augusti; & cessavit Episcopatus diebus VIII.

(a) *In Cod. Pat.* XXIX. Imperator, secundus XXX.
(b) *In Cod. Pat.* Hic etiam Eunuchus à nativitate fuit. Ex quo &c.

CAP. XXV.

Qui Doctores istius Pontificatus tempore floruerunt, & fuerunt magni viri, sed præcipuè Dorotheus.

HUjus tempore floruit Dorotheus, ut Ecclesiastica Historia Eusebii lib. VII. tradit. Hic vir eruditissimus & in scripturis divinis multùm intentus, qui pro multa diligentia linguam Hebraicam didicit; in Græca verò nutritus: (b) Eunuchus autem fuit. Ex quo Aurelianus Imperator in admiratione ipsum habuit, unde & honorem ei contulit purpuræ, Præposituræque. Hujus etiam Eusebius, qui hoc scribit de ipso, cùm in Ecclesia scripturas exponeret, in pueritia auditor fuit. Hoc etiam tempore floruit Anatolius, ut eadem Historia tradit; & ut scribit Hieronymus ubi supra, Laodociæ Syriæ Episcopus sub Probo & Gajo Imperatoribus, miræ doctrinæ vir in Arithmetica, Geometria, Astrologia, Grammatica, Rhetorica, & Dialectica. Cujus ingenii magnitudinem de voluminibus, quæ scripsit, possumus intelligere. Multi etiam Episcopi in partibus Orientis referuntur in sacris claruisse scripturis, vita, & moribus approbati tempore istius Pontificis, ut tradit Historia, & Beatus Hieronymus scribit.

CAP. XXVI.

De Gajo Primo & XXX. Pontifice, de quo movetur quæstio & solvitur. Et de constitutione, quam fecit.

ANno Domini CCCVIII. & ab Urbe condita MLIX. Gajus I. natione Dalmata ex patre Gajo in Cathedra Petri sedit. Hic fertur de genere Imperatoris Diocletiani fuisse, & ejus tempore, ut Damasus scribit. Sedit autem annis XI. mensibus IV. diebus IX. & cessavit Episcopatus diebus XI. Et attende hìc, quia de isto Pontifice discordat Ecclesiastica Historia Eusebii lib. VII. à Damaso quantum ad numerum annorum, & ab aliis communibus Historiis, quia omnes dicunt de XI. annis; sed illa Ecclesiastica Historia scribit XV. & ultra. Ad quæ respondeas, ut supra. Et quia isti duo Pontifices Euthycianus & Gajus diu fuerunt in Sede, inde est quòd cum multis Imperatoribus incurrerunt, à Gallieno usque ad Diocletianum, quia modicum vixerunt in Imperio, ut in catalogo Imperatorum est manifestum. Qui fuerunt quatuor, qui non imperaverunt (c) ultra octo annos, videlicet Tacitus, qui sexto mense sui Imperii occisus est, ut scribit Orosius; item Florianus, qui III. menses imperavit; item Probus, qui VI. annis; item Carus, qui fuit Imperator cum filiis, II. annis, ut idem Orosius. Et inde Gajus sub Diocletiano coronatur, qui fuit XXXVI. à Julio sive XXXV. Hic Pontifex gradum Ordinum tradidit, ut Damasus scribit, ad quos Clerici ascenderent secundùm dignitatem; ut primò esset Ostiarius, postea Lector, deinde Exorcista, postea Acholytus, deinde Subdiaconus, ulteriùs Diaconus, deinceps Presbyter; & sic ultimò ad Episcopatum ascendat. Quam quidem constitutionem habes dist. LXXVII. cap. *Illud nos*. Hic etiam regiones dividit VII. Dia-

(c) *In Cod. Patav.* ultra IX. annos.

Diaconis ad gesta Martyrum scribenda, ut Fabianus fecit.

CAP. XXVII.

De persecutione Ecclesiæ tempore istius Pontificis, & de martyrio ipsius, & sub quo Principe.

HUjus tempore, ut Martinus scribit, & Damasus, & Ecclesiastica Historia memorata, persecutio magna fuit in Ecclesia, qualis non fuit à tempore primitivæ Ecclesiæ, propter quam causam coactus est Gajus separare se à communi consortio, & abscondit se in antris, cryptis, & cavernis. Ultimò tamen detentus à Diocletiano martyrio coronatur, & in Cimiterio Calixti viâ Appiâ sepelitur. Quo tempore, licèt non eodem anno, dicuntur passæ Beata Lucia, & Beata Agatha, & Beata Agnes; sed ista ultimò. Hic Pontifex constituit, ut nemo Episcopum vel alios Clericos, ut Martinus scribit, apud Judices Seculares audeat accusare; & quòd nec Paganus, nec Hæreticus possit accusare Christianum, vel vocem infamationis inferre; & hoc habes II. quæst. VII. cap. *Pagani.* Scribit autem Damasus, quòd post annos XI. cum Gamino fratre suo, & cum filiabus ejusdem mulier nomine Susanna speciosissima valde martyrio coronatur. Hic, ut Damasus dicit, fecit ordinationes IV. per mensem Decembris, Presbyteros XXV. Diaconos VIII. & Episcopos per diversa loca quinque.

CAP. XXVIII.

De Doctoribus, qui fuerunt hujus tempore Pontificis, sed specialiter de Pamphilo.

TEmpore hujus Pontificis floruerunt multi Episcopi in Græciæ partibus & Orientis, inter quos Pamphilus Martyr, de quo sic scribit Eusebius in Ecclesiastica Historia lib. VII. quòd fuerit *vir per omnia prudentissimus, vita, eruditione, & moribus adornatus. Hic etiam Ecclesiæ Cæsareæ Palestinæ Presbyter subrogatus, quis nescit, & quantus, & unde oriundus? quoniam non est indignum transcurrere omnem ejus vitam & institutionem, quæ à puero, & quanta in persecutionibus per diversas confessiones pertulerit, quosque agones desudaverit; & qualiter coronam martyrii adeptus sit, proprio comprehendemus opusculo.* De hoc igitur quàm mirabilis fuerit, illa lectio doceat. De hoc etiam Pamphilo lib. VI. dicit Eusebius, loquens de excusatione Origenis contra æmulos ejus: *Multa*, inquit Eusebius, *ad nos pervenerunt gesta, & dicta Origenis, quæ clara sunt & magnifica, literis ipsius, vel relatione majorum comparata; quæ tamen agnosci possunt ex iis, quæ scripta sunt à Sancto Pamphilo Martyre, Apologiam pro ipso unà mecum contra querulos conscribente.* De hoc etiam sic Hieronymus scribit de Illustribus viris: *Pamphilus*, inquit, *Presbyter Eusebii Cæsariensis Notarius tanto Bibliothecæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quæ usque hodie in Cæsariense Bibliotheca habentur. Sed & in XII. Prophetas XXV. volumina Origenisque reperi, quæ tanto amplector & servo gaudio, ut Cræsi divitias habere me credam. Scripsit autem, antequam Eusebius scriberet, Apologeticum pro Origene; & passus est Cæsarea Palestinæ.*

CAP. XXIX.

De Marcellino Primo & XXXI. Pontifice, & persecutione Ecclesiæ per illa tempora; & qualiter ipse idolatravit; & qualiter ipse pœnituit in Concilio.

ANno Domini CCCXVIII. & ab Urbe condita MLXX. Marcellinus Primus in Cathedra Petri sedit, natione Romanus, & ex Patre Projecto, sedit annis VII. mensibus III. diebus XXV. (*) ut Damasus dicit. Fuit autem tempore Diocletiani, & Maximiani; quo tempore, ut Damasus scribit, tanta fuit persecutio in Ecclesia, ut infra triginta dies XVII. millia (**) hominum promiscui sexus coronarentur. Pro qua re & ipse Marcellinus ad sacrificandum ducitur, & Idolo Jovis incensum posuit. Post paucos verò dies pœnitentia ductus, congregato Concilio numeroso Episcoporum, ut XXI. dist. patet cap. *Nunc autem*, coram eisdem suum cognovit delictum, & ipsorum se judicio supposuit. Sed Concilium recusavit. Et in cap. clausulæ ponuntur de ista renuntiatione; & est relatio Nicolai Papæ ad Michaëlem Imperatorem. *Ore*, inquit, *tuo judica causam tuam, non autem judicio nostro*. Et iterum: *noli audiri in judicio nostro, sed collige in sinu tuo causam tuam*. Et iterum: *Ex ore*, inquiunt, *tuo justificaberis, & ex ore tuo condemnaberis*; Refert autem Martinus, istud Concilium celebratum fuisse in Campania, ubi interfuerunt CLXXX. Episcopi. Quod intelligendum videtur, quòd illi Episcopi vivebant in humilitate & paupertate & etiam Ecclesia tunc incipiebat proficere, ut Ecclesiastica Historia Eusebii refert Lib. VII. Itaque Episcopatus multùm sunt multiplicati circa partes Romæ, tum propter Græcos, ut non prævalerent, tum propter hæreses, quæ jam cœperant pullulare. Et adhuc hodie dicti Episcopatus perseverant in eodem statu humilitatis & paupertatis. Cùm ergo in Concilio, ut Martinus scribit, facta confessione sui delicti, suorum se exponeret judicio deponendum; responderunt: *Absit*, inquiunt, *ut Summus Pontifex ab alio judicetur. Negasti tu, negavit & Petrus; & quis Apostolorum ausus fuit eum judicare? sed egressus foris flevit amare.*

CAP. XXX.

Qualiter judicavit se ipsum deponendum, & de martyrio ejus, & sub quo Principe, & qualiter mansit insepultus.

TUnc Marcellinus profusis lacrymis dixit: *Ob scelus idolatriæ judico me deponendum. Anathematizo autem quicunque corpus meum tradiderit sepulturæ.* Sicque pergens ad Diocletianum, & profitens se Christianum, cum gaudio nimio capitalem recepit sententiam. Et cùm corpus ejus per XXX. dies jacuisset inhumatum, nocte apparuit in visione Beatus Petrus Marcello, qui in Papatu successerat, dicens: *Marcelle*, inquit, *dormis?* cui cùm dixisset: *Quis es, Domine?* Respondit: *Ego sum Princeps Apostolorum. Et quare corpus meum inhuma-*

(*) *In Cod. Patav.* mensib. II. diebus XV.

(**) *In Cod. Patav.* XVIII. millia.

matum non sepelis? Dans ei intelligere hoc dictum de corpore Marcellini. Et addidit: *Numquam*, inquit, *legisti, quia omnis, qui se humiliat, exaltabitur? Denique multùm se humiliavit, qui se indignum sepultura judicavit. Vade ergo, & sepeli eum juxta me, ut quos justificavit gratia, non dividat sepultura.*

CAP. XXXI.

Movetur hìc quæstio de vacatione, quæ magna ponitur, & respondetur; & quia non fuerit tanta, ostenditur ratione.

SEd advertendum est hìc, quia Damasus videtur dicere, & omnes Chronicorum Scriptores, quia post mortem Marcellini vacavit Ecclesia septem annis (a): quod quidem non videtur verum. Primò quia ipse Damasus scribit, dum Marcellinus iret ad Martyrium, occurrit ei Marcellus successor suus, quem Marcellinus conjuravit, ut observaret Diocletiani sententiam de non sepeliendo corpus ejus usque ad XXX. dies. Sepelire autem corpora Sanctorum Martyrum pertinebat ad Summum Pontificem; & ideo non videtur, quòd fuerit tanta vacantia; quia Marcellus aut jam erat factus, quia iste se ipsum deposuerat renuntiando Papatui; aut erat in propinquo ut fieret. Ratio secunda, quæ movet est considerando tempora ipsius Diocletiani, quibus imperavit, quæ fuerant XXX. annis. Historia autem tradit, quòd isti tres Pontifices, videlicet Gajus, Marcellinus, & Marcellus martyrium passi sunt sub prædicto Principe, & sederunt Pontifices: quod fuit spatium XXIV. ferè annorum. Si addas VII. annos vacationis, tunc erunt XXXI. quod esse non potest. Et ideo oportet salvare, ut dicatur Episcopatus vacasse VII. annis propter sævissimam persecutionem tunc temporis; quia refert Ecclesiastica Historia Eusebii Lib. VII. & VIII. quòd per totum Orbem desæviit. Quin potiùs quærebantur Libri Christianorum, & comburebantur. Et quia Christiani convenire non poterant, inde dicitur Episcopatus vacare quantum ad effectum, quia nullum actum Pontificalem agebant circa tempora ista, quamvis in omnibus partibus magna fuerit persecutio in Christianos, qualis non fuerit à tempore Apostolorum, ut dicta Historia narrat. De qua quia omne genus hominum tangit, qui tunc susceperunt martyrium, ideo reservandum est ad Imperatorum catalogum. Sed nunc solùm agendum de Ecclesiæ Doctoribus, & Martyribus qui cum præsentibus Pontificibus concurrerunt.

CAP. XXXII.

De quodam Doctore, qui singularis erat virtutis, & floruit tempore istius Pontificis.

FUit igitur hoc tempore quidam Episcopus in Ægypto in Civitate Daphnis (b) nomine Phyleas; hic nobilitatem primò generis secundùm virtutem de cœlestibus trahebat, de terrenis verò quantùm ad seculum pertinet. Primus in Roma a Republica honoribus fuerat perfunctus, eruditione verò liberalium Artium, & omnibus, quæ ad animi virtutem pertinent, exercitiis præditus, à suæ ætatis primævo ple-

(a) *In Cod. Patav.* cum dimidio quod &c.
(b) *In Cod. Patav.* Daphnis, aliis Thinis, nomine Pileas.

A nissimè habuit, quæ prior est omnium secundùm Deum, Philosophiam, atque ita suscepit ut omnes, qui præcesserant, anteiret. Hic cùm plures haberet consanguineos viros nobiles in eadem Urbe, frequenter ad Præsidem ducebatur, ac suadebatur suis monitis acquiescere, tot, & tantis propinquis exhortantibus illum habere uxoris ac liberorum considerationem. Ille verò sic constans erat in animo, ac si saxo immobili unda illideretur. Garrientium dicta igitur parentum, & propinquorum contemnit; & cùm oculos in Cœlum tendens, animumque figens, flecti non posset à Fide Christi, quidam, cui nomen Philosomus, cùm videret Phyleam circumdatum lacrymis propinquorum, B & Præsidis calliditate fatigatum, ipsum incœpit confortare de agone Christiano quare capite ambo plectuntur. Ponit etiam dicta Historia multos alios Episcopos diversarum Provinciarum fuisse passos, de quibus longus esset sermo.

CAP. XXXIII.

De Marcello Primo, & XXXII. Pontifice, qualiter passus est, & sub quo Principe moritur.

ANno Domini (c) CCCXXIIII., & ab Urbe condita MLXXVII. Marcellus primus in Cathedra Petri sedit natione Romanus, & ex C patre Benedicto de Regione Via lata, sedit annis V. ut Damasus scribit, mensibus VII. diebus XXI. De hoc scribit Damasus, quòd fuerit tempore Maximiani, & Maxentii, Diocletiano nihilominus existente adhuc in sua virtute; quia Diocletianus istos promovit, ut Historiæ dicunt: unde isto tempore multiplicati sunt Imperatores, ut in infra magis apparebit tempore Constantii, & Constantini. Hic ergo Marcellus, ut Damasus scribit, rogavit quamdam matronam nomine Priscillam, & fecit cœmeterium in via Salaria; hoc enim proprium fuit matronis Romanis se ad pietatem exercere. Hic, ut Damasus dicit, XXV. titulos fecit & constituit in Urbe Romana quasi Diœceses; D tum propter baptisma, tum propter cœmeteria ad Martyres sepeliendos; tum propter pœnitentes, tum etiam propter conversos è Paganis. Martinus autem Polonus hos titulos Cardinalares vocat; sed de hoc infra, quum de Beato Sylvestro agetur, pleniùs declarabitur. Hic accusatus ad Diocletianum, quòd Ecclesiam Christianorum fecisset de domo Lucinæ, mandavit de dicta domo fieri stabulum animalium, & Beatum Marcellum deputavit catenis vinctum & amictum cilicio ad custodiendum animalia: dictamque Lucinam deportari mandavit, sive proscripsit, in qua angaria beato fine quievit. Et attende, quia aliquæ Historiæ E tradunt de Maximiano, aliæ de Maxentio, quòd fuerunt auctores persecutionis præfati Marcelli; sed totum esse potuit, quia isti cum Diocletiano concurrerunt. Referunt autem Historiæ, quòd Marcellus magnam habuit cum Maxentio altercationem; unde dist. XCVI. cap. *boni* dicitur, quòd eidem dixit, quòd boni Principis est Ecclesias contritas restaurare, ac reædificare, & Sacerdotes Dei honorare. Ordinavit autem per mensem Decembris Presbyteros XXVI. Diaconos III., Episcopos per di-

(c) *In Cod. Patav.* CCCXXVI. & ab Urbe condita MLXXVIII.

diversa loca XXI. Mortuus autem Marcellus, sepelitur à Beata Lucina in Cœmeterio *Priscillæ*, quod ipse fabricaverat in eodem prædio. Scribit autem Cusentinus, quòd processu temporis de dicto stabulo facta est Ecclesia Beato Marcello intitulata. Hic etiam Marcellus statuit, ut Concilium generale celebrari non posset sinè auctoritate Papæ: quod habes dist. XVII. cap. *Synodum*.

CAP. XXIV.

De tribus Doctoribus, qui floruerunt tempore istius Pontificis, Luciano, Arnobio Afro, & Lactantio.

HUjus Pontificis tempore floruit Lucianus vir disertissimus, ut Hieronymus de Illustribus Viris scribit, & Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter. Hic in *Scripturarum* studio laboravit, ut ejus volumina Luciana exemplaria nuncupentur. Feruntur & ejus de Fide libri II. & Epistolæ ad nonnullos. Passus est Nicomediæ ob confessionem nominis Christi sub persecutione Maximiani; sepultusque est Helonopoli Bithyniæ, ut scribit idem Doctor ubi supra. Eodem tempore floruit Arnobius Afer, qui apud Africam florentissimè Rhetoricam docuit. Scripsit adversùs gentes volumina, quæ adhuc exstant, ut idem Doctor tradit in Lib. eodem. Eodem tempore floruit & Firmianus, qui & Lactantius, Arnobii discipulus, cujus de medicinalibus versu compositi exstant Libri, Nicomediæ Rhetoricam docuit. Scripsit Librum I. de ira Dei; Institutionum divinarum adversùs gentes Libros VII. ad Sclepiadem Libros II. de persecutione; Librum I. ad Probum; Epistolarum libros IV. ad Severum Libros II. ad Demetrium auditorem suum Libros II. Epistolarum; de formatione hominis, & Opificio Dei Librum I. ut scribit idem Doctor ubi supra. Hic in extrema senectute magister Cæsaris Crispi filii Constantini fuit cum ipso in Gallia degens, qui postea à patre interfectus est. Et attende, quia post Diocletianum & Maximianum, qui quasi fuerunt contemporanei, successit Constantinus, qui, ut Orosius scribit Lib. VII. contra Paganos, fuit Princeps quietus, & sub eo cessavit persecutio Christianorum, sed sub Diocletiano, & Maximiano fuit sævissima. Unde Maximianus fuit XXXVI. Imperator, qui & cum Constantino imperavit, & fuit XXXVII.

CAP. XXXV.

De Eusebio Primo, & XXXII. Pontifice, & de constitutionibus suis, & de quibusdam aliis, quæ suo tempore acciderunt.

ANno Domini (*) CCCXXXI., & ab Urbe condita MLXXXIV. Eusebius Primus natione Græcus ex Laico, ut scribit Damasus, in Summum Pontificem assumitur. Ubi attende, quòd sæpiùs invenitur assumptus Papa à puro Laico, sicut hìc, & supra patet de Sixto Secundo, qui à statu philosophandi de Athenis Papa creatus est; & de Ambrosio, qui assumtus est in Archiepiscopum Mediolanensem, cùm tamen cathecumenus esset. Sedit autem annis VIII. Una Chronica dicit VI. annis. Sed Damasus II. & Martinus, & Cusentinus, & Gotfridus Viterbiensis, qui fuit Cancellarius Friderici Primi. Sedit igitur annis II. mensibus VI. diebus XXI. & cessavit Episcopatus diebus VII. Hic constituit, ut nullus Laicus suum Episcopum accusare possit, nisi à Fide exorbitaret: quod habes II. quæst. VII. cap. *Laicus*, & cap. *Oves*. Hujus tempore, ut Damasus dicit, & omnes communiter Historiæ, quæ de gestis Summorum Pontificum agunt, Sancta Crux inventa est Domini nostri Jesu Christi nonis Maji; & baptizatus est Judas, qui ipsam invenit, & Cyriacus vocatus. Sed contra hoc videtur, quia Historiæ tradunt, ipsam inventam tempore Helenæ matris Constantini. Sed ad hoc potest esse responsio, quòd isto tempore sit inventa, sed tunc solemnizata. Hic, ut Damasus scribit, Hæreticos, quos in Urbe Romana invenit, per manus impositionem reconciliavit secundùm ordinem Cornelii suprapositum, in quo prohibet baptizari contra morem Ecclesiæ Africanæ. Hic, ut idem Auctor dicit, fecit ordinationem unam per mensem Decembris, Presbyteros XIII. & Diaconos III. Episcopos per diversa loca XIV.

CAP. XXXVI.

De martyrio ipsius, & sub quo Principe, & quòd tempore istius multi fuerunt Imperatores; Et de Eusebio Episcopo Cæsariensi, qui circa ista tempora floruit.

HIc martyrio coronatur sub Maxentio, qui fuit XXXVIII. Imperator. Ubi nota, quòd non dixit sub Constantino, vel Constantio, quamvis Maxentius cum eis concurrerit, quia ambo fuerunt amatores religionis & omnis virtutis, ut jam dicetur. Sepultus autem est in Cœmeterio Calixti viâ Appiâ VI. Nonas Octobris. Et attende hìc, quòd Maxentius concurrit cum Maximiano, sed supervixit eidem usque ad tempora Constantini, ut infra patebit. Tradit autem Historia Ecclesiastica Eusebii Lib. VIII., quòd fuerit filius Maximiani, & hoc idem dicit Orosius Lib. VI. contra Paganos, & quòd Patre Diocletiano renuntiante Imperio, ipse Imperator constitutus est, qui postea à Constantino occisus est. Hoc tempore floruit Eusebius Cæsariensis Episcopus, sub Constantio videlicet & Constantino, ut scribit Hieronymus de Illustr. Viris; quorum primus fuit XXXIX. Imperator. Quorum etiam tempore non tantùm vexatio Ecclesiæ ferbuit, quia pii homines in suo Imperio, quantùm se extendit eorum Imperium, sive dominium. Tunc enim multi fuerunt Imperatores, inter quos Maxentius, qui contra Christianos multùm desæviit in regionibus, ubi Imperium gubernabat, sicut in Oriente, & Apulia, & Sicilia, ut Historia tradunt. Constantinus, & Constantius in Occidente, cujus tempore passa est in Ægypto Beata Catharina: & de hoc Eusebius, & Hieronymus scribunt ubi supra. Qui Eusebius fuit in Divinis Scripturis studiosissimus indagator, atque edidit infinita volumina librorum, de quibus mentionem facit idem Doctor, inter quos ponit Ecclesiasticam Historiam in IX. Libris; Chronicorum canonum omnimodam Historiam; contra Porphyrium, qui eodem tempore scribebat in Sicilia; Libros XXV. pro Origene, Libros VI. de vita Pamphili, Libros III. de Martyribus,

(*) *In Cod. Patav.* CCCXXXII.

bus, & alia opuscula multa. Hic ob amicitiam Pamphili ab eo cognomen sortitus est, ut idem Doctor dicit ubi supra. Scripsit etiam super CL. Psalmos eruditissimum commentarium.

CAP. XXXVII.

De Melchiade Primo, & XXXIII. Pontifice, & de constitutionibus ejus, & de martyrio ejus, & sub quo Principe.

ANno Domini (*) CCCXXXIV., & ab Urbe condita MLXXXVI. Eusebio succedit Melchiades Primus natione Afer. Sedit annis IV. mensibus VII. diebus VIII. Hic constituit, ut nullus temeritatis caussâ ad aliam Ecclesiam occasione sepulturæ se transferat juxta antiquorum temporum morem, nisi necessitas aliqua moveret, sive utilitas. Quæ & Canonica jura, instituta per subsequentes Patres magìs declarant, & hoc habes XIII. quæst. II., quia ibi satis clarè traditur, quasi per totum. Hic Pontifex constituit nec die Dominica, nec feria quinta jejunandum propter reverentiam Domini. Aliam autem caussam Damasus tradit, & etiam aliæ Historiæ, quia videlicet per hos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrabant. (De hoc habes decret. dist. III. cap. *Jejunium*. Verum est etiam, quòd Manichæi tale jejunium faciebant, ut XXX. dist. cap. si quis Presbyter;) Et quia Damasus dicit, quòd hujus tempore pullulaverat hæresis in Urbe Romana, inde etiam contra Mani hæos dictam constitutionem ordinavit. Unde refert idem Auctor, quòd eodem die suæ constitutionis magnam fecit oblationem, Deoque consecravit ad ostendendam Dominicæ diei solennitatem. Hic Beatus Pontifex tempore persecutionis Maximiani, adhuc Beato Sylvestro in sua juventute existente, cùm quidam Christianus de Oriente veniens nomine Timotheus, martyrio coronatus esset, cum Beato Sylvestro ipsum in cœmeterio Calixti sepelivit, ut in ejus gestis habetur. Tamdem & ipse Melchiades sub Maximiano patitur, & in eodem cœmeterio viâ Appiâ sepelitur.

(*) *In Cod. Pat.* CCCXXXV. & ab Urbe condita MLXXXVII.

Hic fecit, ut Damasus scribit, unam ordinationem per mensem Decembris Presbyteros VII. Diaconos V. Episcopos per diversa loca duodecim. Moritur (**) III. Idus Decembris, & cessat Episcopatus diebus XVI.

CAP. XXXVIII.

De quibusdam Doctoribus, qui istius Pontificatus tempore claruerunt, quorum unus fuit Gallicus, alter Hispanus; & de Paulo primo eremita.

HUjus tempore claruit Rethicius Eduorum Augustodunensis Episcopus, de quo scribit Hieronymus de Illustr. Viris, quòd celeberrimæ famæ fuit in Gallia. Leguntur autem commentaria sua primò in Cantica Canticorum, & magnum aliud volumen contra Novatianum. Eodem etiam tempore claruit Juvencus nobilissimus genere Hispanus Presbyter, de quo scribit idem Doctor ubi supra, quòd IV. Evangelia hexametris versibus pæne ad verbum transferens, IV. libros composuit; & nonnulla eodem metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia. His temporibus multi fuerunt Imperatores, qui imperabant cum Constantino, ut tradit Orosius lib. VI., videlicet Maxentius, Maximianus, Licinius, Galerius. Et attende, quòd isto tempore fuerunt V. Imperatores quibus supervixit Constantinus, qui omnes præter Constantinum persecutores Christianorum fuerunt. Hos verò omnes mandavit Constantinus occidi, vel occidit, sicut Maxentium, ut in Catalogo apparebit Imperatorum. Sed pro nunc sit hoc dictum; quia quamdiu dicti Imperatores vixerunt, vexata fuit Ecclesia: quod fuit tempore Melchiadis, & Timothei, de quo hìc agitur. Sed prædictis Imperatoribus occisis, & solo Constantino imperante, pax Ecclesiæ est restituta per multa tempora ante suam conversionem, ut Orosius scribit. Hujus etiam tempore Paulus primus eremita floruit, & sub Constantino jam Christiano CXX. annos natus moritur.

(**) *In Cod. Patav.* IV.

Explicit Liber Quartus Historiæ Ecclesiasticæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER V.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Sylvestro Primo, & XXXV. Pontifice, & de ipsius perfectionibus; & de visione, quam Constantinus habuit, & cura ejus à lepra.

ANno Domini CCCXXXIV. (*), & ab Urbe condita MXCI. Sylvester Primus in Cathedra Petri sedit Melchiadi succedens, natione Romanus, & ex Patre Ruffino, de quo grandis est sermo propter magna, & mirabilia, quæ suo tempore acciderunt, & quia sub eo totus status Ecclesiæ innovatus est. Sed quamvis sua gesta sint nota, fructuosiora, tamen accipienda sunt, & præcipuè quæ ad Pontificatum pertinent; cetera verò in suis gestis sunt requirenda, quæ maximæ fuerunt excellentiæ & virtutis. Assumtus igitur in Summum Pontificem, acclamante Clero, & populo Christiano, qui erant in Urbe Roma, quia erat virtutum exemplar, sua gesta tradunt, quòd adhuc persecutio sub Constantio, & Constantino filio ejus sæviebat in Christianos ex caussa superiùs dicta, quamdiu videlicet ambo Imperatores vixerunt, sed non per eos, ut omnes Historiæ tradunt. Propter quam caussam Beatus Sylvester cum suo Clero fugiens de Urbe, in Monte latuit prope Romam dicto Sorapte. Sed Constantino apparentibus Beato Petro, & Beato Paulo, propter merita pietatis, quam in pueros exercuit occidendos pro cura suæ lepræ, & quia numquam Christianos infestavit in suo Imperio, monitus est, ut pro Sylvestro mitteret, qui in præfato residebat loco: & hic ipsum à lepra curaret: quod & factum fuit, de quo diffusiùs agetur in Imperatorum catalogo, comite vita.

CAP. II.

De mirabilibus, quæ fecit Constantinus post curam ejus à lepra per Beatum Sylvestrum, & de mirabilibus Beati Sylvestri, quæ fecit.

POst curam igitur ægritudinis jam dictæ tam miraculosam, quam fecerat dictus Imperator, omnes Historiæ sunt plenæ, videlicet die post suum Baptismа, ut Can. dicit XCVI. dist. *Constantinus*, extractum de Capitulariis, sive gestis ejusdem Imperatoris. Et in eo cap. coronam, & omnia jura Imperialia tradidit Beato Sylvestro, sive cedit. Utrum autem debuerit, sive potuerit, gestis Imperatorum relinquamus, quum agetur de Constantino. Hoc etiam habetur ex suis actibus. qui sunt diffusi, & ostendunt in ipso quamdam supereminentem divinam virtutem, primò de mundatione à lepra Imperatoris prædicti; secundò autem de conversione Judæorum cum Helena matre Constantini ex suscitatione Tauri; tertiò verò ex occisione

A Draconis cum filo canabino: propter quam caussam infinita multitudo Romani populi ad Fidem Christi conversa est. Procedamus igitur ad ea, quæ Pontifex Beatus Sylvester, seu quæ acta sunt tempore sui Pontificatus. Primò siquidem Fides Christi publicè prædicatur, quatuor Ecclesiæ præcipuæ fabricantur per Constantinum ad petitionem Beati Sylvestri, quæ & Patriarchales vocantur. Prima fuit Lateranensis, quæ & Constantiniana vocatur, quia ibi sedes Constantini, quam voluit esse primam in toto Orbe terrarum, ut in cap. *Constantinus* habetur. Secunda fuit Ecclesia Beati Petri; tertia verò Beati Pauli; quarta autem Beati Laurentii, quas ornavit vestibus sacris & vasis; quorum B nomina hodie in majori parte non sunt in usu, sed maximi fuerunt pretii. Dotavit etiam prædiis, & campis, villis, castris, & regionibus tam ex Italia, quàm ex Græcia, quàm etiam ex Ægypto, Palæstina, sicut patet in gestis Beati Sylvestri, & dicitur dist. eadem cap. *Constantinus*.

CAP. III.

De aliis Ecclesiis à jam dictis, quas idem Constantinus ædificavit in Urbe; & de Constantia filia ejus, quæ petiit ad instantiam sui ædificari Ecclesiam Sanctæ Agnetis.

C ÆDificavit etiam in Urbe Ecclesiam Beatæ Agnetis ad instantiam filiæ suæ Constantiæ quæ ad sepulchrum præfatæ Virginis curata fuerat, ibique Monasterium est constructum, & dicta Constantia ibidem Deo dicatur, quod Monasterium similiter per Constantinum ornatur vestibus sacris, & vasis, & magnis possessionibus dotatur. Ædificatur etiam per dictum Imperatorem Ecclesia Beatorum Martyrum Marcellini & Petri in qua & sepulta est honorabiliter Helena mater sua, ut in dictis gestis habetur. Cui Ecclesiæ similiter Villas, Castra, & Insulas per multas partes contulit, auro & argento ornavit, vestibus sacris & vasis. Ædifi- D cavit etiam infra suum palatium Ecclesiam Sancti Salvatoris, quam similiter magnificè dotavit Villis, Castris, & possessionibus multis, vasis sacris, & vestibus, ac aliis ministralibus ad cultum divinum ordinatis, quæ communi vocabulo Hierusalem appellatur, & Sancta Sanctorum. Ubi & de ligno Crucis Domini bonam partem deposuit, auro & argento decoratam, ac lapidibus pretiosis ornatam, ubi consideranda est tanti Imperatoris devotio, & tam perfecta conversio.

CAP. IV.

Qualiter Constantinus, relicto Imperio Occidentali, in Orientem se transtulit; & de modo instituendi Cardinales.

E SEd post hic, relicto Imperio Occidentali Beato Sylvestro, in Orientem se transfert ad

(*) *In Cod. Pat.* CCCXXXIX.

ad quamdam Civitatem, quæ Byzantium vocabatur. Referunt etiam gesta ejusdem, & in cap. *Constantinus* habetur, quòd dictus Imperator pro reverentia Sedis Apostolicæ quibusdam viris diversi ordinis Reverendissimis Clericis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ servientibus illud culmen singularis potentiæ, & praecellentiæ habere sancivit, cujus amplissimus Senatus ejus gloria adornari videbatur; & multa alia verba ibidem multiplicat ad idem propositum ostendendum. Quod quidem fecit Constantinus ad petitionem Beati Sylvestri, sicut & Ecclesias fabricavit, & dote nobilitavit. Hos autem Clericos Cardinales dicimus priùs per titulos distinctos primò per Cletum ex mandato Apostoli Petri, ut supra patet; item tempore Anacleti; item tempore Dionysii; item tempore Marcelli. Sed tunc facta est distinctio in titulis, quantùm ad officium, videlicet prædicandi, Martyres sepeliendi, baptizandi, & pœnitentias dandi. Nunc verò constituuntur ad decorem Ecclesiæ, ut in eis succedant, in quibus fulgur refulgebat Imperialis dignitatis.

CAP. V.

Quo tempore instituti ad titulos vocati sunt Cardinales, & quot sunt in numero, & de Nicæna Synodo.

Et attende hìc, quia Martinus Polonus ponit numerum Cardinalium, quòd sint LII. videlicet VII. Episcopi, qui modò non sunt, nisi sex; & XXVIII. Presbyteri, & XVI. Diaconi. Secundùm verò assignationes titulorum factas primò per Cletum, postea per Anacletum, & abinde per Marcellum plures inveniuntur. Sed non est facienda vis, quia hoc est, & fuit in providentia Summi Pontificis. Quòd autem, Beatus Sylvester post instituerit Cardinales, seu nominaverit, habere potes II. quæst. IV. cap. *Præsul.* Primò enim appellabantur Presbyteri urbis Romanæ: quod patet ex Ecclesiastica Historia Eusebii, & supra patet de Novato, qui conatus est impedire Pontificatum, seu Papatum Cornelii. Et hoc de Cardinalibus dictum sufficiat. Nunc ad alia procedendum, quæ tempore Beati Sylvestri facta sunt. Primò quidem suo tempore, ut Damasus scribit de suo mandato, sive consensu prima Synodus in Bythinia in Civitate Nicæna celebrata est; ipse autem interesse non potuit propter negotia Fidei in urbe Roma, & sollicitudinem regiminis Imperialis, & Pontificatus, ubi interfuerunt CCCXVIII. Episcopi, præsente Constantino, toti Concilio providente.

CAP. VI.

Ad quid dictum Concilium fuerit congregatum, & quid ibi factum; & de honore exhibito Beato Sylvestro per dictum Concilium.

In hac autem Synodo Sancti Patres damnaverunt Arrium Photinum, & Sabellium, & ipsorum sequaces, ut dicit Damasus; sed propter Arrium, qui Presbyter fuit Alexandrinus, fuit principaliter Concilium congregatum, qui asserebat Christum puram creaturam, & minorem Patre; & ideo tunc per dictos Patres Symbolum fuit conflatum, & alta voce ibidem cantatum, quod majus vocatur, ut habetur in Historia Tripartita. Et hoc hodie nos imitamur in Dominicis diebus, & præcipuè Festivitatibus, sicut infra dicetur, quia in ipso declaratur Christus, quòd fuerit verus Deus, & verus homo, quod Arrius negabat. Unde inter alia verba ad majorem expressionem, & breviorem, ut Cassinensis tradit, Christum appellant, sive acclamant Homousion, hoc est ejusdem substantiæ cum Patre. De hoc Concilio habes dist. XVI. cap. *prima*, ubi verba ponuntur, quæ declaratione indigent. In hoc verò Concilio canones scripti sunt, qui habentur in X. libro Ecclesiasticæ Historiæ Ruffini. Ponuntur autem quædam verba in principio istius Concilii, quia sic illi CCCXVIII. Episcopi sanxerunt, omnia, quæ per eos actitata fuerant pertinentia ad corroborationem Catholicæ Fidei destinare Beato Sylvestro, suo judicio relinquenda; cùm tamen in illo Concilio non fuerit nisi unus Episcopus Latinus, videlicet Osius Episcopus Cordubonensis de Hispania, & duo Presbyteri urbis Romæ, videlicet Victor, & Vincentius, qui adhuc Cardinales non nominabantur. Sed postea in Concilio, quod Beatus Sylvester celebravit in urbe Romana CCXXVII. Episcoporum, cum consilio Augusti, videlicet Constantini, sunt nominati.

CAP. VII.

Qualiter Sylvester confirmat, quæ acta sunt in Concilio Nicæno; & de Constitutionibus, quas fecit, & præeminentia Sedis Romanæ.

In quo Concilio confirmat Papa quicquid per Nicænum Concilium est factum, & eosdem damnat hæreticos, sicut habetur in gestis ejusdem Papæ, & Damasus etiam scribit, ubi per Beatum Sylvestrum traditur forma accusationis Cardinalium; quia Cardinalis Episcopus, ut ipse definit in præfato Concilio, nonnisi cum LXXII. testibus damnari potest; Presbyter autem Cardinalis nisi per LXIII., Diaconus verò cum (*) XXVII. Et illud habes in cap. superiùs allegato II. quæst. IV. cap. *Præsul*. Hæc autem omnia facta sunt consilio Augusti, qui Præsulem Romanum cum suis Officialibus omnibus voluit anteferri, sicut patet in cap. *Constantinus*, ubi Sedem Romanam præfert quatuor aliis Sedibus Patriarchalibus, videlicet Alexandrinæ, Antiochenæ, Constantinopolitanæ, & Hierosolymitanæ, cunctisque aliis Prælulibus Mundi, seu Sacerdotibus.

CAP. VIII.

De multis Constitutionibus, quas fecit prædictus Pontifex, quæ sunt in corpore juris; de Conversione Romana ad Fidem ex miraculo Draconis.

Nunc igitur redeundum ad Constitutiones, quas fecit, prout Damasus refert. Hic enim constituit, ut nullus Laicus Clerico crimen aliquod inferre auderet: quod habes II. quæst. VII. cap. *Nullus*. Item constituit, quòd nullus Clericus ante Judicem accusatus caussam diceret, nisi in Ecclesia: quod habes XI. quæst. I. cap. *Testimonium*. Item constituit, ut Diaconus Dalmatica uteretur, & quodam panno, qui non est

(*) *In Cod. Patav.* XXV.

est in usu. Item constituit, ut Sacrificium Altaris non in serico, sed in Syndone fieret, quia in eo sepultus est Christus, sicut habes de Consecr. dist. I. cap. *Consulto*. Quædam etiam alia ordinavit, quæ hodie non tenentur. Hic fecit ordinationes VII. per mensem Decembris, Presbyteros XLIV. Diaconos XXXVI. Episcopos per diversa loca LXV. sedit autem annis XXIII. mensibus X. diebus XI., & cessat Episcopatus diebus XV. Hoc etiam tempore multæ gentes conversæ sunt ad Fidem Christi propter conversionem infinitam Romanorum ex miraculo Draconis, cujus flatu, ut Historiæ tradunt, homines subitò infecti, statim cadebant mortui, ad quem descendit, ut sua gesta referunt, cum suo Clero Beatus Sylvester per CL. gradus, ipsumque cum napta, & pice suffocavit; sicque ab Urbe pestilentia cessat.

CAP. IX.

De multis authenticis viris, qui floruerunt tempore isto, sed specialiter de Paphnucio.

HUjus Pontificis tempore fuerunt multi authentici viri, & præcipuè in partibus Orientalibus, sicut ex Nicæno Concilio est manifestum, quia in eodem dicuntur fuisse CCCXVIII. Episcopi, qui omnes fuerunt de parte Orientali respectu Romæ. Inter solos autem Latinos fuit Osius Hispanus Episcopus Cordubensis, & duo Apocrisarii Papæ Sylvestri, videlicet Victor, & Vincentius, ut patet in dicto Concilio, ut supra est dictum. Præsumendum est igitur, quòd inter Episcopos multi fuerunt viri virtutis. Sed inter alios Decretum duos nominat dist. XVI. Macharium videlicet Episcopum Hierosolymitanum, & Alexandrum Alexandrinum Episcopum, qui vices gesserunt Beati Sylvestri. Fit etiam mentio in Historia de quodam famosissimo viro, qui vocatus est Abbas Paphnucius, qui, ut habetur ex Historia Tripartita, & est in dist. XXXI. cap. *Nicæna*, cùm haberent Consilium, sive collatio in dicta Synodo de voto castitatis emittendo Diaconis, Presbyteris, & aliis Prælatis superioris eminentiæ, surgens in medio, contradixit; & quamvis nuptiarum ignarus, periculum tamen dicebat ex hoc Clero provenire; laudansque Synodus ipsius sententiam. unumquemque voluntate sua ad hoc, non necessitate, dimisit. Quis autem fuerit hic Paphnucius, habes ex X. libro Ecclesiasticæ Historiæ Ruffini, quia maximæ opinionis fuit coram Constantino Imperatore.

CAP. X.

Quo tempore Ecclesia Occidentalis obligavit se ad castitatem, & Orientalis non. De Beato Nicolao, & quodam alio Doctore, qui hoc tempore floruerunt.

QUamvis igitur per Paphnucium ordinatio Clericalis continentiæ tunc fuerit impedita, in sexta tamen Synodo in Constantinopoli celebrata fuit definitum, (*) quòd Ecclesia Orientalis non obligaretur, Occidentalis autem ad hoc se submisit, ut in eadem dist. cap. *quoniam*, & cap. sequ. Interfuit autem etiam dicto Concilio, ut Historiæ referunt, Beatus Nicolaus Episcopus Mirræ, ubi modò sunt Turchi. Floruit etiam isto tempore, ut tradit Gennadius de Illustr. Viris, vir quidam Jacobus cognomento sapiens, nobilis Persarum Episcopus, qui ex numero ipsorum fuit, qui in Nicæna Synodo Arrianam perversitatem Omousii appellatione damnarunt; quem etiam Beatus Hieronymus in libro Chronicarum multùm commendat. Ejus opuscula usque in XXV. libros se extendunt, de quo Gennadius scribit. Fuit etiam ex numero istius Concilii Spiridion Episcopus Cyprius, qui primò Pastor ovium scribitur, sed ex merito Sanctitatis & probitatis, in dicto libro Ecclesiasticæ Historiæ magna scribuntur de ipso. Item Athanasius, licèt tunc juvenis, & sub obedientia Alexandri jam dicti, cui postmodum in Episcopatu successit, & sub Constantio floruit, ut infra dicetur.

CAP. XI.

Resumitur hìc de Constantino, quia multo tempore imperavit; quibus temporibus, quæ dicta sunt, fecit; & de Beato Antonio, qui hoc tempore floruit.

SEd quia Constantinus multo tempore imperavit, quia XXXII. annis, ut tradit Orosius, jam Sylvester multo tempore sedit, ut supra patet. Unde videtur dicendum, quo tempore ista acciderint. Scribit autem Ricardus, quòd septimo sui Imperii anno Constantinus, occiso Maxentio, Maximiano, Galerio, Licinio, ac Maximo mortuis, Romam veniens, Imperium tam Orientale, quàm Occidentale liberè possedit ac pacificè. (**) *Anno verò X. Imperii sui baptizatus à Sylvestro, Fidem Christi suscepit.*) Anno verò Imperii ejus XX. & ipso in Constantinopoli translato cum suis, Sancta Nicæna Synodus celebratur. Et post Synodum sub eodem floruit Antonius Monachus, ut scribit Hieronymus de Illustr. Viris, cujus vitam idem Doctor tradit, ubi supra, & Athanasius luculentissimè scribit, & diffusiùs.

CAP. XII.

De Marco Primo, & XXXVI. Pontifice. De Constitutionibus ejus; & quo tempore Symbolum cantatur in Ecclesia.

ANno Domini CCCLXIII. & ab Urbe condita MCXV., ut scribit Damasus, Marcus Primus in Cathedra Petri sedit, ex Patre Prisco, natione Romanus. Sedit autem annis II. mensibus VIII. diebus X. Hic constituit, ut Damasus dicit, ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopos Urbis, pallio uteretur, & ab eodem Episcopus Urbis consecraretur. Huic Marco scripsit Athanasius Episcopus Alexandrinus, super Canonibus Nicæni Concilii, movens de eis quæstionem, ut habes dist. XVI. cap. *septuaginta*. Hic constituit, ut ii referunt, videlicet Gotfridus Viterbiensis Cancellarius Frederici Primi, & Cusentinus. quòd Symbolum Nicænum cantaretur in Ecclesia in Missis Dominicis diebus, & præcipuis Festis. Sed advertendum hìc, quòd Symbolum Nicænum solùm de-

(*) *In Cod. Patav.* quod etiam tales uxores retinere possent, Orientalis autem ad hoc se submisit, ut habes &c.

(**) *Parentesibus comprehensa verba desunt in Codic. Patavino.*

declaravit ea, quæ pertinent ad proprietates Domini nostri Jesu Christi. De proprietatibus autem Spiritus Sancti nihil immutatum est; nisi quantum dicit Symbolum Apostolorum; quod Symbolum fuit in magna auctoritate apud veteres Patres, & est etiam apud nos: unde & in argumentum solennitatis ejus, sculptum fuit Romæ in altari Beati Pauli.

CAP. XIII.

Qualiter Carthaginense Concilium voluit habere istud Symbolum, antequam aliquid definiret.

DIctum Symbolum etiam Concilium Carthaginense, ubi interfuit Beatus Augustinus, antequam aliquid attentaret, cum multa devotione suscepit, & confessi sunt illius Fidem tenere. Quod quidem Concilium multùm universale fuit post illa quatuor magna, cujus sunt hæc verba: *Credimus in Deum Patrem omnipotentem visibilium, & invisibilium factorem, & in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum, non factum, unius substantiæ cum Patre* (quod Græci dicunt homousion,) *per quem omnia facta sunt, sive quæ in Cœlo, sive quæ in Terra; & propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus homo factus est; passus est, & resurrexit tertia die, ascendit ad Cœlos; inde venturus est judicare vivos & mortuos; & in Spiritum Sanctum.* Eos autem, qui dicunt, erat aliquando, quando non erat; & priùs quàm nasceretur, non erat, & quia ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia, seu subsistentia dicunt esse; vel convertibilem Filium Dei, hos Ecclesia anathematizat Catholica. Sed in secunda Synodo, quæ in Constantinopoli fuit celebrata, declaratum (*) est de Spiritu Sancto tempore Damasi, ut infra dicetur.

CAP. XIV.

De iis, quæ fecit in Urbe Beatus Marcus; & de duobus Doctoribus, qui isto tempore floruerunt.

REdeundum igitur ad Beatum Marcum, cujus Festum agitur pridie Non. Octobris. Hic etiam fecit duas Basilicas, ut Damasus scribit, unam viâ Ardeatinâ, in qua quiescit; aliam intra Urbem, quam ad petitionem Beati Marci Constantinus dotavit; qui adhuc vivebat, ut idem Auctor refert. Hic fecit III. ordinationes per mensem Decembris, Presbyteros XXV. Diaconos VII. Episcopos per diversa loca XXVII., & eo mortuo, cessat Episcopatus diebus XX. Hujus Pontificis tempore jam incœperant florere duo Doctores Ecclesiæ, videlicet Athanasius, & Hilarius. Quorum primus Alexandro nominato superiùs succedit, de quo sic scribit Hieronymus de Illustr. Viris, quòd post mortem Constantini multas perpessus Arrianorum insidias, ad Constantium Galliarum Principem fugit, inde reversus cum literis, rursus post mortem illius fugatus, usque ad Joviniani Imperium latuit, à quo receptâ Ecclesiâ, sub Valente moritur. Et attende hìc, quòd Hieronymus breviter pertractat Historiam: sed suo loco, quum de Constantio agetur Imperatore, ibi diffusiùs tradetur, & de operibus ejus multimodis, quæ gessit, quantùm ad Scripturam Sacram.

(*) In Cod. Patav. facta est declaratio.

CAP. XV.

De Hilario secundo Doctore, & de ipsius operibus virtuosis; de libris, quos fecit; & de obitu Constantini.

SEcundus autem, qui isto tempore cœpit florere, fuit Hilarius Episcopus Pictaviensis, & de Provincia Aquitaniæ. Hic ex Synodo Bituricensi in Phrygiam relegatus, ut scribit Hieronymus ubi supra, XII. adversùs Arrianos conscribit libros, & alium librum de Synodis, quem ad Galliarum transmisit Episcopos; & in Psalmos commentaria omni virtute plena, primum videlicet, & secundum; & à I. usque ad LXIII., & à CVIII. usque ad extremum; in quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Multa etiam alia scripsit, quæ narrabuntur, quum agetur de persecutione in veros Catholicos Imperatoris Constantii. Sed hæc ad præsens dicta de ipso sufficiant; quia de istis Doctoribus adhuc agetur, qualiter processerunt in vita, prout ipsorum requiret materia, eo quòd eorum acta digna sunt memoria. Igitur Constantinus, sub quo ista scribuntur, LXVII. suæ vitæ anno apud Nicomediam, gloriosè Orientalibus, & Borealibus subactis regionibus, in pace, & vera pace quiescit, sicut omnes authenticæ Historiæ tradunt, & Summi Pontifices in decretis pro exemplo aliorum Principum talem ipsum affirmant; quamvis filii sui post mortem suam corrupti fuerint hæresi Arriana, ut jam dicetur, & in Catalogo Imperatorum tradetur expletiùs. Scribit autem Orosius, quòd ante mortem Constantini Stella comata apparuit excedentis magnitudinis, quæ diu duravit, & fulsit.

CAP. XVI.

De Julio Primo, & XXXVII. Pontifice, & de constitutionibus ejus: de hæresi Arriana quò prævaluit post mortem Constantini.

ANno Domini CCCLXV. mense VIII., & ab Urbe condita MCXVII. Julius Primus in Cathedra Petri sedit, natione Romanus ex Patre Rustico. Sedit autem annis XI. mensibus VIII. diebus II. (**) & cessat Episcopatus dies XV. Alii dicunt, quòd XV. annis sedit, sed plures concordant in XI., & præcipuè Damasus. Hic fecit duas constitutiones. Una, quòd nullus Clericus caussam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia; alia constitutio est, ut liceat unicuique oppresso ad Sedem Apostolicam provocare. Quas duas constitutiones habes II. quæst. VI. cap. *Ideo*, & cap. *Placuit*. Hujus tempore post mortem Constantini incœpit prævalere hæresis Arriana; quia Constantius, & Constantinus, filii Magni Constantini hanc hæresim fovebant. Propter quam causam, ut Damasus scribit, Julius Papa passus est exilium menses X. sed Martinus dicit multo plures. Post mortem autem Constantini, filii Constantini Magni, qui imperabat in Constantinopoli, & hæresi

(**) In Cod. Patav. mensib. II. dieb. VIII.

hæresi Arriana erat infectus, ut Ricardus dicit, rediit Julius ad sedem suam. Constantius autem, qui in Antiochia imperabat, audita morte Constantini fratris sui, statim iter arripuit versùs Constantinopolim, & utrumque occupavit dominium. Ad cujus declarationem dicti oportet attendere, quia isti tres filii Constantini Magni totum Imperium diviserunt, seu ipse Pater eis divisit, ut Historiæ communiter dicunt. Quia (a) Constantinus habuit Constantinopolim versùs Polum; Constantius autem ab Antiochia versùs Orientem; Constans verò partem Occidentalem, & Africam. Sed Constantius omnibus supervixit, & ideo plus vexavit Christianos (b).

CAP. XVII.

De persecutione Constantii in viros Christianos, & quibusdam dubiis.

TUnc enim, sicut plus corruptus hæresi Arriana incœpit desævire in veros Catholicos, de qua sævitia agetur infra. Sed in isto medio Julius Pontifex migravit ad Dominum, sepultus in Cœmeterio Calepodii. Sed advertendum, quòd Martinus Polonus scribit, Concilium celebratum Nicænum sub Julio, & hoc idem videtur docere Decretum XVI. dist. ubi introducitur Beda de temporibus; sed statim sub ungitur ex Gratiano quòd tempore Sylvestri. Et hoc idem supra est ostensum per Damasum; item per constitutionem Nicæni Concilii, quæ præmittitur Canonibus ejusdem, quæ sic dicit: *Statuit Sancta Synodus mittere ad Episcopum Sanctissimum Urbis Romæ Sylvestrum, quæ apud nos actitata sunt*, sicut supra est dictum. Unde simpliciter hoc dicere est falsum; quia inter Sylvestrum, & Julium, Marcus est. Posset tamen salvari, ut dictum Concilium fuerit coram Julio examinatum, & approbatum, quia post mortem Constantini Magni error Arrii nimis incœpit prævalere, & maximè faventibus Principibus, & filiis ejusdem Imperatoris: propter quam causam & Julius exilium passus est. Julius autem, ut scribit Damasus, fecit ordinationes tres per mensem Decembris; Presbyteros XVIII. Diaconos IV. Episcopos per diversa loca VIII. Hic Julius statuit, ut nullum Concilium vigorem haberet sinè auctoritate Papæ: quod habes dist. XVII. cap. *Regula*.

CAP. XVIII.

De Athanasio Alexandrino Episcopo, quid fecit, & qualia passus, & quales libros composuit.

HUjus Pontificis tempore post mortem Constantini Magni, filiis ipsius regnantibus, multi fuerunt Doctores. Primò quidam in Græcia Athanasius, qui jam famosissimus erat, & usque post mortem Constantis tertii filii Constantini, qui imperabat in parte Occidentali, qui Athanasium diligebat, in sua viguit sede. Sed ipso mortuo, cùm Constantius de eo gravibus criminibus informatus esset ab Arrianis, & ipse ad Imperatorem accedere pro Fidei Catholicæ defensione contra eosdem non posset, inde proscriptus, exilium patitur, ut patet per Ruffinum in X. Libro Ecclesiasticæ Historiæ. Quin potiùs ipso damnato, toto Orbe Terrarum per suos veredarios Constantius ipsum persequitur. Unde Historiæ tradunt, quòd post Concilium Nicænum à XVIII. annis, quibus ista contigerunt, confugiens ad Maximum Archiepiscopum Treverensem, ibidem in quadam cripta, quam lacum vocant, septem latuit annis, ubi & Symbolum composuit, sive *Quicumque vult*, cum Sanctis Presbyteris, & sacris Doctoribus sui temporis primò collatum: propter quod merito, quantùm ad hoc Symbolum dici potest . . . . Feruntur autem ejus adversùs gentes Libri II. contra Valentem, & Ursacium Presbyteros Arrianos Libri III. de Virginitate, & persecutione Arrianorum plurimi, de Psalmorum titulis; & Historia Antonii Monachi vitam continens; & multa alia volumina, quæ enumerare longum esset, ut idem Doctor dicit, ubi supra.

CAP. XIX.

De hæresi Donatistarum, & de quibusdam aliis Doctoribus, qui floruerunt tempore hujus Pontificatus.

EOdem tempore pullulat hæresis Donatistarum in Africa per quemdam Donatum, qui Episcopus erat Numidiæ Provinciæ, qui in omnibus quasi errabat cum Arrio, ut patet per cap. XXIV. ult. quæst. & per Hieronymum de Illustribus Viris; contra quem Beatus Augustinus multa scripsit, & multa ab eisdem Donatistis est passus. Fuit autem singularis error Donati, quia asserebat, Ecclesiam solam Africanam habere primatum: quod provenit ex una electione de Cæciliano facta, quæ fuit reprobata per Papam, qui tunc erat, sive per Marcum, sive per Julium, sive per Sylvestrum. Unde & in Africana Ecclesia exorta est magna turbatio, & . . . . Donatus Schisma concitavit, & adhæsit erroribus Arrii, qui tunc favorem habebat ab Imperatore Constantio. Hoc eodem tempore floruit Hylarion Sanctus, & Serapion, de quo scribit Hieronymus ubi supra, quòd fuit . . . . . . Episcopus, carusque Antonio Monacho, edidítque Librum contra Manichæum egregium, & de Psalmorum titulis, & ad diversos utiles Epistolas; & sub Constantio etiam in Confessione inclytus reperitur.

CAP. XX.

De Liberio Primo, & XXXVIII. Pontifice, qualiter mutatus est, quia de viro Catholico factus consentiens erroribus Constantii Imperatoris.

ANno Domini CCCLXXVI. & ab Urbe condita MCXXVIII. Liberius Primus in Cathedra Romana sedit. Hic natione Romanus ex patre Augusto, sedit annis (c) XVIII., ut aliquæ Historiæ dicunt, aliquæ tamen X., aliquæ

(a) *In Cod. Patav.* Quia Constantinus habuit Antiochiam versùs Orientem; Constantius Constantinopolim versùs Polum; Constans verò &c.

(b) *In Cod. Patav. additur*: Quorum primus fuit XLV. secundus XLVI. Post istos fuit Julianus, qui fuit XLVII. & parum imperavit, quia solùm duobus annis.

(c) *In Cod. Patav.* XVII.

quæ VII. Sed ista diversitas potest esse, quia qui ponunt XVII. computant totum tempus sui Episcopatus, in quo fuit verus Catholicus, & in quo errori Constantii favit XII. annis fuit verus Catholicus, de quibus tres fuit in exilio: quo tempore cum consensu ejus per Clerum Romanum factus est Felix II. In illis autem X. annis multas bonas constitutiones fecit, inter quas una habetur XXIV. quæst. I. ubi dicit, quòd qui contra pacem sunt Ecclesiæ, si dignitatem, vel cingulum militare habent, nudari debent; si privatim nobiles, spoliari debent bonis temporalibus, & ipsorum personæ proscribi; si autem sint ignobiles, primò debent verberari, & postea exilio relegari. Et attende, quia videtur loqui in casu hæresis (*) Et B inde defecit in zelo, quia ab inde gravatus exilio, per subornationem Ursacii, & Valentis, qui erant Presbyteri Arriani, & expulsi fuerant de toto Concilio per Felicem; venit Romam, ad Cœmeterium Beatæ Agnetis, rogavitque Constantiam filiam Constantini Magni, & sororem Constantii, ut pro ipso preces interponeret. Sed illa recusavit, sicut fidelissima Domino, & Deo dedicata noluit fratrem rogare, quem sciebat in fide corruptum. Constantius tamen ad suggestionem dictorum Presbyterorum Liberium revocat, qui & eidem communicat, ut Damasus scribit, non tamen rebaptizatur.

C

CAP. XXI.

Qualiter veniente Liberio de exilio Romam Felix Papa privatur Pontificatu, & Liberio restituitur, qui priùs cesserat; & de exilio quatuor Doctorum.

CUm ergo venisset Liberius Romam, congregato Concilio Arrianorum, Felix de Sede sua ejicitur, & Liberius restituitur; vixitque in hoc errore annis VIII. ut idem Damasus refert. Vixit autem usque ad tempora Juliani, in quo tempore sæviit magna persecutio in Ecclesia per Arrianos, dissimulante Liberio. Multi D enim tunc temporis Doctores Ecclesiæ exilio relegantur per Constantium, & favente Liberio, passi sunt, ut Athanasius Alexandrinus Episcopus, de quo dictum est supra, Hilarius Pictaviensis Episcopus, Dionysius Archiepiscopus Mediolanensis, & Eusebius Episcopus Vercellensis, & multi alii, sicut in X. libro Ecclesiasticæ Historiæ per Ruffinum patet, ubi & mentio fit de Liberio, & de suo Pontificatu. Scribit autem Damasus, quòd restituto Liberio in Papatu, Concilium congregatur apud Ariminum cum Arrianis, simul & cum Ursacio, & Valente; ibique tractant de sævitia contra veros Catholicos; sicque Romam veniunt, verosque Catholicos insequuntur, & inde multi martyrio coro- E nantur, ut Damasus scribit. Tradunt autem Historiæ aliquæ, quòd Doctoribus jam memoratis se absentantibus, sive proscriptis, procu-

A rantibus Ursacio, & Valente, qui magni erant in conspectu Constantii, duo concilia celebraverunt Arriani, unum in Seleucia, ubi interfuit Arrius, procurante Eusebio Nicomediense Episcopo Arriano, & magni Diaboli laqueo; secundum autem fuit apud Ariminum, de quo agitur hìc. Historia tamen Ruffini Ecclesiastica lib. X. post exilium Doctorum dictorum solùm de Ariminensi mentionem facit.

CAP. XXII.

De morte Arrii advocato ad Concilium Constantinopoli celebrandum per Arrianos; & de miraculo, quod accidit per Beatum Hilarium in Concilio Romano.

ET nota hìc, quòd Arrius mortuus fuit, vivente Alexandro, & nondum assumto in Episcopum Athanasio, ut dicta Historia tradit, & per merita dicti Alexandri, Alexandro renitente, ne Concilio congregando in Constantinopolim per Constantium Arrius interesset; sed dicto Eusebio prævalente per favorem Constantii, supervenit Arrius; sed antequam intraret, secessit ad secreta naturæ, ibique effudit intestina, & ibidem inventus est mortuus. Iis auditis, dissipatum est concilium impiorum: & sic Eusebius iniquus, & sui sequaces cum pudore recedunt. Scribitur autem ab aliquibus, & inveni ego in Archiviis dicti Beati Hilarii apud Pictavum, quòd Concilium Arrianorum fuit celebratum in Urbe Roma, favente Constantio Imperatore, qui à quibusdam suis familiaribus corruptus erat. Cùm audisset igitur istud Concilium celebrandum Sanctus Hilarius, supervenit ad locum. Tradit autem Historia præfata, quòd tunc erat unus Pontifex hæreticus, qui vocabatur Leo, qui audiens, Sanctum Hilarium venisse ad locum, mandavit, ut nullus de Concilio ei assurgeret. Intrans igitur locum Concilii Beatus Hilarius, nulloque assurgente, super nudam terram se locat dicens: *Domini est terra, & plenitudo ejus*. Tunc divino miraculo intumuit terra, ita ut Beatus Hilarius omnibus præemineret. Invehitur igitur Papa Leo, & aggreditur Beatum Hilarium: (**) *Tu es*, inquit, *gallus*, *sed non de gallina natus*. Cui respondit: *Non sum*, inquit, *gallus*, *sed de gallina natus*; *tu verò es Leo*, *sed non de Tribu Juda*. Surgens igitur Leo, & ad secreta vadens naturæ, dixit Beato Hilario: *Expecta*, inquit, *me*, *quia ego te placabo*. Respondit Hilarius: *Tu*, inquit, *ibis*, *sed non redibis*: quod & factum fuit; quia vadens ad secessum, ibidem effudit intestina, sicut magister suus Arrius, ut prædicta Ecclesiastica Historia tradit. Sicque dissipatum est Concilium impiorum.

CAP.

(*) *In Cod. Patav. additur*: Et attende, quòd videtur loqui in casu hæresis. Dicit enim B. Hieronymus de Viris Illustrib. quòd Lucifer Calaritanus cum Pancratio, & Hilario Romanæ Ecclesiæ Clericis ad Constantium Imperatorem à Liberio Episcopo Romano pro fide legatus missus est; qui à Constantio propter fidem relegatus contra eum librum scripsit, & ei legendum misit. Fortunatianus autem natione Afer Aquilegiensis Episcopus, qui commentarios in Evangelia scripsit, in hoc detestabilis habetur, quòd Liberium Romanæ Urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem sollicitavit, & fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit. Deinde Achaxius Cæsariensis in Palæstina Episcopus, qui eo quòd luscus esset μονόφθαλμος appellatus in tantum sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arrianum Episcopum constitueret. Et tamdem defecit in zelo &c.

(**) *In Cod. Patav. Tu verò*, respondit Hilarius, *es leo*, *sed non de tribu Juda*. Surgens &c.

CAP. XXIII.

Declaratur dictum de Historia Hilarii; de Liberio quanto tempore rexit Romanam Ecclesiam Arrianæ favens hæresi.

Sed attende hìc, quia nulla gesta Summorum Pontificum de isto Leone, quòd tempore Constantii fuerit, faciunt mentionem; sed potuit esse Liberius, qui VII. annis fuit Arrianus, ut Damasus scribit, & sic fuit binomius; vel fortè non fuit verus Papa, sed Antipapa creatus ab Arrianis, vivente vero Papa. Liberius igitur cum favore Constantii, & Juliani Apostatæ, tenuit Ecclesias Apostolorum annis VII. Arrianis favens, quamvis rebaptizatus non fuerit juxta morem Arrianorum. Propter quam caussam quamvis retroactis temporibus fuerit bonus homo, & multa bona fecerit in Ecclesia, propter favorem tamen, quem in extremis vitæ suæ annis Arrianis dedit, in Ecclesiis urbis Romæ, ubi depingitur catalogus Summorum Pontificum, non depingitur cum corona. Scribit autem Damasus, quòd in urbe Roma fecerit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros XIX. Diaconos V. Episcopos per diversa loca XVIII.

CAP. XXIV.

De Doctoribus, qui floruerunt tempore istius Pontificatus, sed specialiter de Victorino, Hilario, & de Donato.

Hujus Pontificis tempore floruit Victorinus Afer natione, qui sub Constantio Imperatore Rhetoricam docuit, & in extrema senectute Christi se tradens Fidei, scripsit adversùs Arrium libros more dialectico valde obscuros, qui nisi ab eruditis non intelliguntur. Scripsit & commentarios in Apostolum, quæ omnia tradit Hieronymus de ipso in libro de Illustribus Viris. Hujus etiam tempore adhuc vivebant illi duo Doctores Athanasius, & Hilarius, sed ambo in exilio per Constantium; cui supervixerunt ad multos annos, quia & ultra tempora Juliani, & Joviniani, ut tradit idem Doctor ubi supra. Sed de Hilario quid acciderit tempore ejus, dictum est supra. Unum tamen advertendum de eo quia etiam propter deceptiones in verbis, quas faciebant Arriani, ut Ecclesiastica Historia Ruffini refert lib. X., quia Arriani quum congregabantur, advocabant simplices Catholicos secum, & aliqua verba proponebant coram Catholicis eis, sicut quòd natus est de Virgine, quòd pro nobis passus est &c. quæ videbantur magis intelligibilia populo rudi, quodque vocetur Homousion, sicut Nicæna Synodus definivit: & inde Hilarius motus fuit ad scribendum librum de Synodis, ubi propria verba ponit Conciliorum Catholicorum; & sic docet vitare deceptiones Hæreticorum. Scripsit autem librum ad Constantium Imperatorem, quem adhuc in Constantinopoli moranti porrexerat, ut Hieronymus scribit ubi supra. Alius exstat, quem post mortem ejus scripsit. Scripsit etiam librum adversùs Valen-

A tem, & Ursacium; Historiam [illegible] nensis, & Antiocheni Concilii [illegible] & alia multa scripsit, quæ Doctor [illegible] refert ubi supra. Tradunt etiam [illegible] tempore floruit Donatus artis Grammaticæ scriptor, cujus auditor fuit Beatus Hieronymus, ut ipse idem Hieronymus scribit, & Romæ [illegible] habetur.

CAP. XXV.

De Felice II. & XXXIX. Pontifice, quid fecit, propter quæ martyrio coronatur, quia condemnavit Constantium, & de alia oppositione.

B Anno Domini CCCLXXXVIII., & ab Urbe condita MCXL. Felix II. in Cathedra Petri locatur per Liberium, & Clerum Romanum, ut Damasus scribit. Hic natione Romanus ex Patre Anastasio sedit annum I. menses IV dies II. Hic declaravit Constantium filium Constantini Magni esse hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi juxta Nicomediam in villa Aquilone, ut Damasus scribit (*) Aliæ Historiæ dicunt, postquam electus est, rediisse ad natale solum, ibique in pace quievisse, cùm tamen fuerit Diaconus Cardinalis, ut Historiæ referunt, quando assumtus fuit in Papam. Sed verius est, quòd est passus

C martyrium, tum quia se opposuit Constantio, ipsum tamquam hæreticum damnans, tum quia in ultimo Concilio Catholicorum duos Presbyteros Arrianos de dicto Concilio fecit expelli, Ursacium, & Valentem, qui magni laquei diaboli erant in conspectu Principis: unde isti incitaverunt seditionem contra Felicem. Qua de caussa & depositus de Papatu violenta manu, & cum multis aliis Clericis Catholicis martyrium est passus, (**) solenniterque sepultus in via Aurelia in Basilica, quam ipse ædificavit ibidem, XVII. Kal. Decembris, & cessat Episcopatus dies XXVIII. Hic fecit unam ordinationem per mensem Decembris, Presbyteros XXI., Diaconos V. Episcopos per diversa loca

D XIX.

CAP. XXVI.

Movit Auctor quæstionem de dicto Felice, & solvit. De Concilio per ipsum celebrato, & de quibusdam Doctoribus, qui suo tempore floruerunt.

Et attendendum, quia aliqui moveat quæstionem de isto Felice, quòd non debuerit poni in Catalogo Summorum Pontificum, quia suum tempus complicatur cum Liberio: unde in Ecclesiastica Historia Ruffini Lib. XI. Damasus post Liberium immediate ponitur. Sed

E rationabiliter ponitur & propter constantiam suæ fidei, propter quam & mortuus est, & propter merita vitæ. Hic unum Concilium celebravit XLVIII. Episcoporum, in quo & statuit, ut Episcopi ad generale Concilium veniant, aut per literas se excusent; quod statutum postea fuit revocatum in Concilio Carthaginensi, ut dist. 18. cap. *placuit*. Hoc tempore floruerunt quidam de Orientali Ecclesia. Unus

(*) *In Cod. Patav.* ob ejus declarationem martyrio coronatur, ut Damasus scribit. Aliæ &c.

(**) *In Cod. Patav. adnotatur*: Vide Epistolam Beati Hieronymi ad Damasum de isto Felice, qui videtur ipsum damnare, cujus verba hæc sunt.

Idcirco cavendum, & mente timendum, quoniam Felix, qui in Cathedram tuam ut Episcopus sedere voluit illico amputatus est. Ac sepultus in via Aurelia &c.

Unus fuit Basylius Anciranus Episcopus, qui multa scripsit contra Marcellum antecessorem suum, qui videbatur favere Sabellio, & multa alia volumina composuit, ut scribit Hieronymus ubi supra. Idem scribit, quòd eodem tempore Theodorus Heracleæ, & Thraciarum Episcopus floruit, elegantis aptique sermonis; & Historicæ intelligentiæ Libros edidit; & commentarios in Matthæum, & Joannem, & in Apostolum, & in Psalterium. Item circa eadem tempora floruit Eusebius Emissenus, ut idem Doctor refert, qui elegantis & Rhetorici ingenii innumerabiles, & qui ad plausum populi pertinent, confecit Libros, magisque Historiam sequutus, ab iis, qui declamare volunt, studiosissimè legitur. In quibus vel præcipui sunt adversùs Judæos, & Gentes, ac Novatianos, & ad Galatas Lib. X., & in Evangelia Homeliæ breves, sed plurimæ: & hæc omnia sub Constantio. Hic enim imperavit annis XXIV., ut Ecclesiastica Historia jam dicta tradit ubi supra, quia aliis duobus fratribus supervixit, & concurrit cum tribus Pontificibus, videlicet Julio, Liberio, & Felice.

CAP. XXVII.

De Acacio, quis fuerit, quales Libros composuit. De Didymo Alexandrino, quis fuerit, & qualem doctrinam posuerit, ac vitam duxerit.

HUjus etiam tempore floruit Acacius, de quo prædictus Doctor scribit ubi supra, quòd quia luscus erat, quodam nomine Græco ipsum nuncupabant, quod hoc sonabat. Fuit autem Cæsariensis Ecclesiæ Palæstinæ Episcopus, qui in Ecclesiastem XVIII. voluminibus elaboravit. In tantum autem sub Constantio floruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Episcopum constituerit, quamvis Damasus aliter dicat, ut supra patet. Circa ista etiam tempora fuit Didymus Alexandrinus, qui captus à parva ætate, & oculis orbatus, ut scribit Hieronymus & ob hoc literarum ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, ut Dialecticam, & Grammaticam, vel maximo nisu usque ad perfectum didicerit. Hic plurima volumina conscripsit, videlicet commentarios in Psalmos omnes, ut scribit idem Doctor; commentarios in Evangelium Matthæi, & Joannis, & de Dogmatibus contra Arrianos Libro II. de Spiritu Sancto Librum I. quem idem Doctor dicit transtulisse de Græco in Latinum; in Isaiam Tomos XVIII. in Oseæ scribens ad Hieronymum Lib. III. Longo enim tempore vixit, & extendit se vita ejus usque ad tempora memorati Doctoris, propter quod ipse Hieronymus rogavit eum de commentario faciendo supra Zachariam, & fecit Libros V. Fecit & commentarios super Job, & alia multa non sinè magna admiratione Divinæ illustrationis in ipso. Hujus Historiam Ruffinus Lib. XI. multò diffusiùs tradidit.

CAP. XXVIII.

De Effrem, quomodo isto tempore floruit. De Sanctis Patribus, qui isto tempore in Ægypto floruerunt.

HOc etiam tempore floruit Effrem Edissenæ Ecclesiæ Diaconus, qui, ut idem Doctor refert ubi supra, multa Syro sermone composuit, & ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis ejus dicta recitentur. Leguntur autem ejus volumina de Spiritu Sancto, quæ quidam Syriacâ linguâ transtulerunt, & acumen ingenii sui in translatione dicit Hieronymus cognovisse. Dicit autem ipsum decessisse sub Valente Principe. Per idem tempus, ut tradit Historia Ecclesiastica Libro prædicto XI. floruerunt in eremo Ægypti illi Sanctissimi Patres, quorum vitam, & gesta Hieronymus de Græco transtulit in Latinum, quæ & *Vitæ Patrum* sortiuntur nomen. Exstat & alius ipsarum Liber quem *Collationes Patrum* dicunt, & nominant, cujus collectionem, & translationem attribuunt Historiæ Cassiano; sed de iis longus est sermo, & ideo postponendus, quia operis natura non patitur.

Explicit Liber Quintus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER VI.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Damaso Primo, & XL. Pontifice, quem Hieronymus multùm commendat, & qualiter electus fuit in discordia, sed prævaluit.

A Nno Domini eodem, quo supra de Felice dictum est, quia sui anni cursus non computatur, eo quia infra annos Liberii continetur, Damasus Primus in Sede Petri constituitur, natione Hispanus, & ex patre Antonio. Sedit annis (*) XVII. mensibus II. diebus X. & cessat Episcopatus diebus XXXI. Ubi attende, quia usque ad Damasum Chronicæ Summorum Pontificum vigorem recipiunt, Damaso scribente. Ab inde aliorum Scriptorum, qui fuerunt multi, ut Sicardus Episcopus Cremonensis, Archiepiscopus Cusentinus, cujus nomen ignotum, Bonizo Episcopus Sutrinus, Frater Martinus Polonus, Frater Vincentius Belluacensis, Casinensis, & Gotfridus Viterbiensis, & multi alii post Eusebium, & Hieronymum. Nunc igitur prosequamur gesta Damasi, quia pulchra sunt. Primò Hieronymus de ipso in lib. de Illustribus Viris: *Damasus*, inquit, *Urbis Romæ Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque & brevia Opuscula heroico metro edidit, & prope octogenarius sub Theodosio Principe moritur*. Tradit autem Ruffinus in XI. libro Ecclesiasticæ Historiæ, quòd cum Damaso electus fuit quidam Diaconus ejusdem Ecclesiæ, quem nos Cardinalem accipimus, qui nomen habebat Ursinus, qui seditionem Damaso excitat, magnaque turbatio oritur. Sed quia major pars elegerat, & melior, Damasum, qui Presbyter Cardinalis erat, majorem favorem habens, prævaluit contra Ursinum; ut dicta Historia refert. Modum autem aliæ Historiæ tradunt, quia Ursinus ejectus est de Urbe, factusque Episcopus Neapolis urbis.

CAP. II.

Qualiter accusatus fuit de adulterio, & purgatus est, & accusatores graviter sunt puniti, & de iis, quæ fecit.

R Efert autem Gratianus de ipso II. quæst. VII. cap. *Nos*, item Hieronymus, quòd Damasus accusatus fuit à duobus Diaconis suis subditis de adulterio. Ipse verò, congregato Concilio XLII. Episcoporum, Chronica tamen dicit XLIV. purgavit se coram eis, & dictum Concilium damnavit eos, & de Ecclesia sunt ejecti. Hi autem vocabantur Concordius, & Calixtus. Utrum autem Cardinales essent, non specificatur, sed vocantur in Chronicis Diaconi urbis Romæ, ministri & subditi Papæ, qui eidem assistebant. Constat autem quòd modò tales sunt Cardinales. Pacificatâ igitur Ecclesiâ, & ipso purgato de crimine, quid fecerit, est videndum. Scribunt igitur gesta Summorum Pontificum, quæ Beato direxit Hieronymo, qui ei fuit contemporaneus, & familiaris amicus, quòd ad ejus instantiam & preces *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* instituit in fine Psalmorum cani, & ipsos Psalmos in Ecclesia die noctuque cantari, & ut Chori in duas partes divisi Psalmos alternatim cantarent. Quo etiam tempore Beatus Ambrosius post Hilarium Hymnos composuit, ut Martinus, & Cusentinus scribunt. Hic post suam purgationem, constitutionem fecit, quòd si aliquis aliquem accuset de crimine, & in probationibus deficiat, lege talionis puniatur, quam habes II. quæst. IV. cap. *Calumniator*.

CAP. III.

De translatione Hieronymi ab ipso authenticata, & sub quo Principe is assumtus; & de quibusdam Doctoribus Latinis.

H Ic translationem Hieronymi authenticat, cùm usque ad tempora illa Doctores translatione uterentur LXX. Interpretum, unde & Psalterium de Hebraico in Latinum bis transtulit, primo corrupto, quo quidem utitur Ecclesia Gallicana. Et ex rogatu Hieronymi Damasus sic disposuit Psalterio LXX. Romanæ Ecclesiæ remanente. Et attendendum hìc de isto Pontifice, quòd aliquæ Chronicæ asserunt ipsum assumtum sub Juliano Principe, quia Julianus concurrit cum Constantio, & postea imperavit, sive eo ipso mortuo, qui fuit XXXVIII. à Julio Imperatore. Quo tempore Hilarius ad propriam sedem rediit, & Athanasius ad suam, & sub Valente, & Valentiniano migraverunt ad Dominum, ut Hieronymus scribit ubi supra. Infra istud tempus Beatus Martinus floruit, qui de milite factus est Monachus, & instructus doctrina Beati Hilarii, sic in ea profecit, quòd ad apicem Turonensis Ecclesiæ divina illustratione ascendere meruit.

CAP. IV.

De Doctoribus Græcis, qui floruerunt sub ipso, Basilio, Gregorio Nicæno, & Gregorio Nazianzeno.

E Odem tempore sub Damaso floruit Basilius, cujus vitam sanctissimam fuisse Ruffinus in Ecclesiastica Historia lib. XI. profusè describit, quem Hieronymus ubi supra, fuisse dicit Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, quæ priùs Maxima vocabatur. Hic egregios contra Eunomium libros composuit. Quis autem fuerit Eunomius, habes X. lib. Ecclesiasticæ Historiæ prædictæ. Hic etiam Basilius fecit librum de Spiritu Sancto contra Macedonium. Fecit & in Hexameron Homelias VIII. ut Hieronymus dicit, & multos alios tractatus. Hujus frater junior fuit Gregorius Episcopus Emissenus. Aliqui autem vocant ipsum Nicænum, de quo etiam Hieronymus sic scri-

(*) In Cod. Patav. Annis XVIII.

scribit de Illustr. Viris: quòd *frater Basilii Cæsariensis ante paucos annos mihi & Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legit libros. Et alia multa scripsisse, & scribere dicitur.* Et inter alia scripsit librum de Anima, in quo totus videtur fuisse Platonicus. Floruit & eo tempore Gregorius Nazianzenus, qui, ut Ruffinus scribit XI. Lib. Ecclesiasticæ Historiæ, de eadem Patria natus, & ambo prosapia nobiles, eodem tempore ad scholas missi Athenas, ambo ad Rhetoricam edocendam assumti inde ulterius ad temporales assumti dignitates, quia Basilius in sua Diœcesi Episcopus electus est, Gregorius autem in Nazianzo. Scripsit autem multa, quæ Hieronymus refert ubi supra: *Gregorius*, inquit, *Nazianzenus Vir eloquentissimus Præceptor meus, à quo Scripturas explanare didici, ad XXX. millia versuum omnia opera sua composuit, ex quibus ista sunt, de morte fratris Cæsarii, laudes Machabæorum, Cypriani, Athanasii, & Maximi Philosophi. Liber hexametro versu virginitatis, & nuptiarum contra se disserentium; item adversùs Eunomium lib. II., de Spiritu Sancto lib. I. contra Julianum Imperatorem lib. I. Hic autem*, ut idem Doctor dicit, *se vivo, Episcopum in loco suo ordinans, ruri vitam Monachi exercuit. Decessitque ante hoc triennium sub Theodosio Seniore.*

CAP. V.

Declarantur hic Principes, cum quibus Damasus rexit Ecclesiam; de Concilio congregato Constantinopoli contra errorem Macedonii.

Hic etiam Pontifex Maximus Damasus sub tribus Imperatoribus veris Catholicis rexit Ecclesiam, videlicet Joviniano, Valentiniano, & Theodosio, quorum primus fuit XXXIX. secundus XL. tertius XLI. Imperator à Julio; de quorum quolibet magna & virtuosa dicuntur, sicut in suis locis apparebit. Et ideo liberè uti potuit Pontificis officio, & inde post expulsionem suorum æmulorum, de quibus dictum est supra, magna fecit, & sanctissimè vixit. In fine autem turbatio est exorta in Ecclesia, quia nova hæresis exorta de Spiritu Sancto tempore Damasi, & Theodosii Senioris, & Gratiani Imperatorum, ut patet dist. XVI. Hanc autem hæresim adinvenit Macedonius Constantinopolitanæ Urbis Episcopus trahens originem ab Ario, sicut habetur lib. X. Ecclesiasticæ Historiæ per Ruffinum, asseren Spiritum Sanctum non verum Deum, sed creaturam. Sed differens ab Arrio, qui dicebat Filium similem Patri, ut in dicta Historia continetur. Propter quam caussam in Constantinopoli fuit sancta Synodus celebrata CL. Episcoporum sub Damaso, & Theodosio Seniore supradicto, ubi fuit de Spiritu Sancto major facta expressio, quàm in Symbolo Nicæno, vel in Symbolo Apostolorum, sicut apparet in Symbolo, quod in Ecclesia cantatur in Solennitatibus, & in Dominico die: quod instituit Damasus dictus, cùm priùs à tempore Marci usque ad tempora Damasi Symbolum Nicæni Concilii cantaretur.

CAP. VI.

De Symbolo istius Concilii, in quo declarantur proprietates Spiritus Sancti, ut cantaretur in Dominicis diebus. Et de quibusdam aliis.

Et nota hìc etiam, quòd Symbolum istud Constantinopolitanum Symbolo Nicæno addidit in fine articulorum pertinentium ad humanitatem Christi, *cujus regni non erit finis*, & ab inde totum, quod in Symbolo Nicæno continebatur, remotum fuit per dictum Concilium, ut in ipsorum *Credo* patet, & subjungunt postea proprietates ejusdem: *& in Spiritum*, inquit, *sanctum Dominum vivificantem ex Patre, & Filio procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum, qui loquutus per sanctos Prophetas. Et unam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum, & expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi Amen.* Et nota, quòd in quodam Monasterio Galliæ Aquitaniæ inveni Symbolum istud sic: *in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem*; nec de Filio fiebat mentio. Sed durum videtur credere, quòd tempore tantorum Doctorum, de quibus hìc agitur, sic transisset. Ista igitur sic sunt posita per Concilium, postea per Damasum sunt mutata, quia pluraie conversum est in singulare, ut in dicto Symbolo, quod nunc cantamus, apparet. Hic instituit, ut scribit Cusentinus, in principio Missæ Confessionem fieri. Hic fabricavit duas Basilicas, unam juxta Theatrum Sancti Laurentii, aliam viâ Ardeatinâ, ubi requiescit cum matre, & germana ejus. Dedicavit & Catacumbas, ubi Corpora Apostolorum jacuerunt, ac versibus adornavit: quod similiter fecit de quibusdam Martyrum tumbis.

CAP. VII.

Qualiter damnavit omnia gesta Liberii; & de Beato Ambrosio, qui suo tempore floruit; de Libris, quos fecit, & excellenti vita ejus, & singulari assumtione.

Hic etiam damnavit omnia gesta Liberii, ut Cusentinus refert. De ipso etiam Historiæ tradunt, quòd fecerit in Ecclesia, quam fabricavit, titulum Cardinalatus, quam prædiis dotavit, calicibus, ornamentis, vasis sacris. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris in Urbe Roma, Presbyteros XXXII. Diaconos IX. Episcopos per diversa loca LXII. Cessat Episcopatus dies XXXI., & ipse sepultus in pace & gloria, quia cultum divinum in officio Ecclesiastico multùm amplificavit. Cui Beatus Hieronymus multa opuscula, ut Historiæ referunt transmisit tempore istius Pontificis Damasi, qui longo tempore sedit, & vixit, eo quòd prope octogenarius moritur. Circa ista tempora, hoc est tempore Gratiani Imperatoris, & Valentiniani junioris, Franci intraverunt Galliam, ibique regnaverunt secundùm Vincentium Belluacensem, quorum primus Priamus, qui regnavit annis V. secundus fuit Marcomirus filius ejus, qui regnavit annis XXXIII. Floruerunt etiam multi alii Doctores. Præter jam dictos unus fuit Ambrosius sub Valentiniano Primo, electus in Archiepiscopum Me-

Mediolanensem. Qui cùm esset Consularis Provinciæ Liguriæ fasces regens, adhuc Cathecumenus, per communem inspirationem à toto eligitur Populo, turbatione ejusdem in ipso sedata, ut in Ecclesiastica Historia lib. XI. traditur. Hic natione Romanus, & ex nobili prosapia ortus. Floruit autem sub Valentiniano jam dicto, qui ipsius electionem multùm acceptavit, quoniam in ejus præsentia fuit facta, cujus Historia diffusiùs habetur in Historia Tripartita, & in alia Historia memorata. Idem habes dist. LXIII. cap. *Valentinianus*, ubi Imperator ejus assumtionem audiens, sic ait: *Gratias tibi Domine, quoniam huic viro ego quidem commiseram corpora, tu autem animas; & meam sententiam ostendisti convenire tuæ justitiæ*. Cùmque Sanctus Ambrosius contristaretur de hoc, quod acciderat, confortavit eum Imperator dicens: *noli timere quia Deus, qui te elegit, tecum erit, & ego, tuus adjutor, & defensor, ut meum ordinem decet, tecum semper existens*. Assumtus igitur, quantæ sanctitatis, & qualis doctrinæ fuerit, sua referunt gesta; Multa autem opera, & volumina scripsit; inter quæ est liber unus de Paradiso; & de unica pœnitentia lib. II. de fuga seculi lib. I. de Trinitate ad Gratianum lib. V. de Spiritu Sancto lib. 3. de Incarnatione Christi lib. I. de cura Pastorali lib. I. de Ministris (*) lib. I. de Sacramentis lib. VI. de Officiis lib. III. de excessu Satyri fratris sui lib. II. de eligendo Pontifice lib. I. in Hexameron lib. VI. de Archa Noë lib. I. de Sancto Abraham lib. II. de Isaac lib. I. de bono mortis lib. I. de Jacob, & vita beata lib. II. de Sancto Joseph lib. I. de benedictionibus Patriarcharum lib. I. de eleemosina, & jejunio lib. I. de S. Thobia lib. III. super Psalmos XL. tractatus XI. super Beati immaculati lib. I. (**) super Lucam lib. 10. super XIV. Epistolas Pauli lib. XIV. de traditione Basilicæ Tractatus II. de obitu Theodosii tractatus I. de Symbolo ad Neophytos lib. I. de Viduis lib. I. de interpretationibus lib. IV. Epistolæ breves ad diversos LXXVII. sermones declamatorii LXXV. de Inventione Corporum Gervasii, & Protasii, & Passione Beatæ Agnetis, & Emerentianæ. Rexit autem Ecclesiam sub tribus clarissimis Principibus, Valentiniano, Gratiano, & Theodosio. Hic Gratianus fuit filius Valentiniani Primi, & imperavit cum Theodosio, & fuit XLII. Imperator à Julio.

CAP. VIII.

Qualiter Hieronymus sub ipso floruit, & de libris, quos fecit, & de Epiphanio, qui etiam suo tempore floruit, & libris ejus.

HOc etiam tempore floruit Hieronymus natus ex patre Eusebio ex oppido Stridonis, quod à Gothis fuit eversum. Hic de Illustr. Viris dicit se contemporaneum fuisse Beato Ambrosio; unde sic ipse de eo scribit ubi supra: *Ambrosius Mediolanensis Ecclesiæ Episcopus usque ad præsentem diem superstes est, de quo quia superest, judicium meum subtraham, ne in alterutram partem, aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas stimulum habeat*. Dicit autem de se ipso in lib. V. se ad XIV. annum Theodosii Principis ista scripsisse, videlicet Beati Pauli vitam primò Eremitæ, epistolarum ad diversos lib. I. ad Heliodorum exhortatoriam; altercationem Luciferiani, & Orthodoxi; in Hieremiam, & Ezechielem, homelias XXXVIII. Origenis, quas Hieronymus de Græco in Latinum transtulit; de Seraphin; de Susanna; de frugi, & luxuriosis filiis; de tribus quæstionibus legis veteris; homelias in Cantica Canticorum II., adversùs Helvidium de Virginitate Beatæ Mariæ perpetua; ad Eustochium de Virginitate servanda lib. I. epistolam consolatoriam de morte filiæ ad Paulam; in epistolam ad Galatas commentariorum lib. IV. in epistolam ad Ephesios commentariorum lib. I. in epistolam ad Titum commentariorum lib. I. in Ecclesiasten commentarium, Hebraicarum quæstionum in Genesin lib. I. de locis lib. I. de Spiritu Sancto Didymi, quem in Latinum transtulit, lib. I. in Lucam XXXIX. homelias; in Psalmos à X. usque ad XVI. tractatus sex; vitam Beati Hilarionis. Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit; vetus juxta Hebraicum transtulit; Epistolarum autem ad Paulum, & Eustochium, quia quotidie scribuntur, incertus est numerus. Scripsit præterea in Michæam explanationum lib. II. in Nahun lib. I. in Abacuc lib. II. in Sophoniam lib. I. in Aggæum lib. I. Multaque alia de opere Prophetarum, quæ tunc, quando ista retulit, præ manibus habebat, necdum completa erant; sed ego vidi completa super Prophetas majores, & minores. Eodem etiam tempore floruit Epiphanius. Hic, ut Hieronymus scribit ubi supra, *genere Cyprius, & Salaminæ Episcopus, scripsit contra omnes Hæreses libros, & multa alia, quæ eruditis profectum faciunt, simplicioribus verò ex frequentatione intellectum præbent. Superest usque hodie, & in extrema jam senectute varia edidit opera Scripturarum*.

CAP. IX.

De Syricio Primo & XLI. Pontifice, & de lege, quam dedit Manichæis, si convertantur ad Fidem.

ANno Domini CCCCIX. & ab Urbe condita MCLXI. Syricius Primus natione Romanus ex patre Tiburtio in Cathedra Petri sedit annis XV. mensibus XI. diebus XXV. De hoc Syricio mentionem facit Ecclesiastica Historia Ruffini lib. XI. quo temporis spatio fuerit, quia tempore Theodosii Senioris, & Valentiniani fratris ejus vixit. Hic constituit, ut Monachi, quos morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio Sancta commendat, possint ad sacros Ordines promoveri, ubi & gradum ponit suæ promotionis, ut primò minores Ordines, postea majores, & sic ad Episcopatum perveniant. Istud habes XVI. quæst. I. cap. *Monachos*. Item instituit de Ordinibus conferendis per temporis intervalla: quod hodie non tenetur; quod habes dist. LXXVII. cap. *Quicumque*. Et attende quia tunc temporis Monachi erant Laici, ut patet de Rustico Narbonensi discipulo Beati Hieronymi, de quo sunt II. cap. *ibidem*, cap. *sic vive*, & cap. *Si Clericatus*. Hic Manichæos invenit in urbe Roma, quos exilio damnavit, ut Martinus scribit; & constituit, ut non cum Fidelibus caperent communionem. Sed si quis de eadem secta conversus rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaret, nisi religionem intrarct,

(*) *Cod. Pat.* de Mysterio.

(**) *In Cod. Patav.* de S. Virgine lib. III. de vinea Naboth lib. I.

ret, in qua omnibus diebus vitæ suæ obnoxius teneretur, jejuniis & orationibus maceratus; & sic dispositus viaticum recipiat. Ubi considera, quia alia pœnitentia injungebatur credentibus hæreticorum, sive hæreticis, quam modò jure novo.

CAP. X.

De aliis Constitutionibus, quas fecit utiles Ecclesiæ. De quodam Concilio celebrato per ipsum in Constantinopoli; Item de alio Concilio.

Hic etiam constituit, ut nullus Presbyter consecrari possit, nisi per Episcopum consecratum. Item constituit, ut quisquis uxorem viduam, aut secundam uxorem duxerit, ab omni officio Ecclesiastico repellatur, Laico tamen sibi communione concessa: quod habes dist. LXXXIV. cap. *Quisquis*. Hic etiam constituit, hæreticum per manuum impositionem reconciliari coram cuncta Ecclesia. Hujus tempore scribit Martinus celebratam fuisse secundam Synodum in Constantinopoli, quam & ipse celebravit CCCL. videlicet Episcoporum. Sed istud aliæ Historiæ non ponunt, nec aliqua authentica scriptura, nec etiam Decretum, ubi agitur de aliis Conciliis dist. XVI. Hic fecit ordinationes quinque in Urbe Roma per mensem Decembris, Presbyteros XXXV. Diaconos XVI. Episcopos per diversa loca XXVI. Qui & sepultus est in cœmeterio Priscillæ viâ Salariâ; & cessat Episcopatus dies XX. Addidit autem in Missa Syricius, ut tradunt Historiæ, *Communicantes*, ut supra est dictum. Hic Pontifex cum Concilio Romano celebrato LXXX. Episcoporum scripsit Epistolam Concilio Carthaginensi exhortativam, Orthodoxæ Fidei plenam, tempore Honorii Imperatoris, sicut patet in libro Conciliorum cap. II.

CAP. XI.

De tribus Doctoribus Latinis, qui floruerunt isto tempore, sed specialiter de Augustino.

Hujus tempore Pontificis Syricii floruerunt multi Doctores tam Græci, quàm Latini. Primò quidem adhuc supervivebat Hieronymus, quia longo tempore vixit. Quia tradunt Historiæ, quòd sub Honorio, & Arcadio Imperatoribus annos LXXXXIX. natus, & Abbas in Monasterio Bethlemico moritur. Sed Ambrosius eodem tempore florens fuit in divino sermone; & ad ipsius prædicationem Beatus Augustinus in Mediolano regens in Rhetorica ex mandato Principis, ad Fidem convertitur, & ab ipso Baptismum suscepit, tunc existens annorum ferè XXX. Inde ad modicum tempus factus Episcopus, Concilio interfuit Carthaginensi, cui Concilio Syricius scripsit. Floruit igitur sub Arcadio, & Honorio Imperatoribus, & filiis Theodosii senioris, Hieronymo in senio existente, sed Augustino in flore juventutis. Hic Doctor quanta & qualia scripsit, satis est clarum, quia MXXX. libros scripsisse fertur. Sed qui vult scire libros suos, & magis authenticos, legat librum Retractationum primum, & secundum, ubi suorum librorum intentionem declarat. Multos autem alios libros fecit, qui non continentur ibidem; sed Epistolæ, & Sermones maximam continent multitudinem. Hæc autem solùm de ipso dicta sufficiant, quòd contra hæreticos fortissimus, ferventissimusque fuit; scripsit siquidem multùm contra Donatistas, contra Manichæos, contra Pelagianos: propter quod multa passus est ab eis.

CAP. XII.

Qualiter in isto capitulo describitur vita, & doctrina Beati Augustini per Ennodium.

Inter ipsum, & Beatum Hieronymum fuit aliqua controversia in opinionibus, semper tamen intra limites Fidei, & caritatis, sicut apparet in Epistolis, quas sibi ad invicem dirigunt, cujus sententiam hodie magis sequitur Schola Theologiæ, & Juris Canonici. Sed de hoc diffusiùs est sermo, & ideo prætermittendus. De ipso sic scribit Gennadius Massiliensis Episcopus in libro de Illustr. Viris: *Augustinus natione Afer, & Hipponensis Oppidi Episcopus, in eruditione divina & humana Orbi clarus, Fide integer, vita purus, scripsit quanta inveniri possunt*. Tradunt autem sua gesta, quòd per IX. annos errore Manichæorum detentus per merita matris, & ad prædicationem Beati Ambrosii ab illa hæresi purgatus, ab ipso baptizatur anno vitæ suæ quasi XXX. ut supra est dictum. Post triennium verò jejuniis, & orationibus vacans, Episcopatum assumit, licèt invitus, in quo octo annis fructuosè tempus deduxit. LXXVI. autem anno moritur XIII. Imperii anno Theodosii junioris, ut scribit Casinensis, anno CCCCL Domini, anno verò XI. Honorii Patris Theodosii. Et anno Domini CCCCXIX. Hieronymus diem clausit extremum. Et notandum hic, quòd tempore istorum Doctorum fuerunt omnes Imperatores fautores Fidei, & Ecclesiæ defensores, ideo prosperabantur in ipsorum Imperio, sicut in ipsorum Catalogo liquidum erit. Quod si aliquando errabant ad mandatum Ecclesiæ componebantur, ut patet de Theodosio, & Arcadio, ut habes dist. XCVI. cap. *Duo*.

CAP. XIII.

De Joanne Chrysostomo, qualiter isto tempore floruit, & quæ passus est propter unam prædicationem.

Eodem tempore floruit Joannes Chrysostomus, qui priùs fuit Episcopus Antiochenus, postea ad Constantinopolim ascendit. De hoc scribit Isidorus de Illustribus Viris, quòd multa Græco eloquio præclara opuscula scripsit, quibus Latini utuntur. Primò quidem libellos duos de lapsis, quos ad quemdam Theodorum direxit, exhortans eum de venia non desperare. Alium librum scripsit, cui titulus est, *Neminem posse lædi, nisi à se ipso*. Quemdam etiam alium librum scripsit, ad quamdam nobilem Matronam de conversatione vitæ, & institutione morum, ac compugnatione virtutum, & vitiorum. Est etiam alius liber apud Latinos, qui de compunctione cordis vocatur. Scripsit præterea super Matthæum Commentarium ipsum distinguendo per Homelias. Scripsit & alias Homelias ad Populum, quæ communiter reperiuntur in Ecclesiis Latinis. Tamdem XIII. sui Episcopatus anno, faventibus aliquibus Episcopis Græciæ, à suo Episcopatu repellitur, & in exilium per Arcadium in Ponto retruditur. Caussam autem Ricardus, & aliæ Hi-

Hiſtoriæ tradunt, quia prædicaverat contra Eudoxiam ipſius Uxorem, quia ſuam imaginem poſuerat in Eccleſia: quæ ſpecies idolatriæ videbatur. Propter quod Innocentius Primus Archadium excommunicavit, ut in dicto cap. *duo* patet. Quam excommunicationem Archadius patienter ſuſtinuit, & delictum correxit. Sic fecit Theodoſius contra Beatum Ambroſium, ut narrat Hiſtoria Tripartita. Hic Archadius, & Honorius fuerunt filii Theodoſii ſenioris, quorum primus fuit Imperator XLIII. ſecundus XLIV.

CAP. XIV.

De Ruffino Aquilegienſi Patriarcha, qualiter floruit iſtius Pontificis tempore, & quid ſcripſerit.

PEr idem tempus floruit Ruffinus Aquilejenſis Eccleſiæ Presbyter, qui nunc dicitur Patriarcha. De hoc ſcribit Gennadius de Illuſtribus Viris, quòd in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit; unde multa Græcorum Bibliothecæ Latinis tradidit, ut Baſilii Cæſarienſis Cappadociæ, Gregorii Nazianzeni, atque Euſebii Cæſarienſis Palæſtinæ. Proprio autem labore Symbolum expoſuit, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam ab ipſo tranſlatam cognovimus, addidit X. & XI. lib. Sed & obtrectatoribus ſuis nec communi ſtilo reſpondet; unde Caſinenſis refert, quòd Hieronymus, & Ruffinus Presbyteri, orta inter ſe tumultuoſitate pro quæſtionibus Scripturarum, libros invectivarum ſatìs quidem luculentos, ſed nimis mordaci ſermone ſibi invicem ſcripſerunt.

CAP. XV.

De Anaſtaſio Primo, & XLII. Pontifice; & de Conſtitutionibus ejus, ſed ſpecialiter de tranſmarinis.

ANno Domini CCCCXXII., & ab Urbe condita (*) MCLXXI. Anaſtaſius Primus natione Romanus ex patre Maximo, ſedit annis II. diebus XXV. Hic conſtituit, quòd cùm Evangelium Sanctum legitur, Sacerdotes non ſedeant, nec alii Clerici, & minùs Laici, ſed ſtent. Aliquæ Hiſtoriæ habent, quòd curvi ſtarent, & ita habetur VI. de Conſec. diſt. I. cap. *Apoſtolica*; ubi dictus Papa omnibus mandat, quòd ſint intenti cum reverentia ad Sanctum Evangelium audiendum. De curvitate autem hodie non ſervatur; ſed loco ejus diſcooperiuntur capita, & hoc faciunt tam Clerici, quàm Laici apud Latinos. Item conſtituit, ut nullus tranſmarinus recipiatur ad Clericatus honorem quemcumque, ſive in Ordinibus ſuſcipiendis, ſive in exequendo, ſive celebrando in ſuſceptis, niſi cum Chirographo V. Epiſcoporum ſuæ Provinciæ; & hoc habes diſt. XCVIII. cap. *Tranſmarinos*. Cauſſam autem Decretum non ponit, niſi propter malos eventus ex ignorantia perſonæ. Sed Hiſtoriæ magìs ſpecificant, propter Manichæos videlicet, qui tunc erant maximè corruptivi, & in partibus prædictis nimium pullulaverant. Hic fecit unam Baſilicam in Urbe Roma propè Scholam Mamertini. Et attende hìc, quòd antiqui Patres multùm ſtuduerunt ad fabricationem Eccleſiarum: quod præcipuè fuit in Urbe; unde plures ſunt ibi Eccleſiæ, quàm in aliqua Civitate Mundi. Traditur enim, quòd in Urbe ſunt plures quàm CCC. ubi divinum celebratur officium: quod multum eſſet pro Provincia. Hic conſtituit, quòd qui caret aliquo membro, Clericus fieri non poſſit. Quod qualiter intelligendum ſit, per ſequentes Pontifices, & Concilia magìs eſt declaratum, ut habes diſt. LV. quaſi per totam. Hic fecit duas ordinationes per menſem Decembris Presbyteros IX. Diaconos V. Epiſcopos XI. Ubi attende, quòd ſæpiùs replicatur iſte menſis Decembris ex certa cauſſa, quia iſtud tempus antiquitus ſpecialiter fuit deputatum ad Ordines recipiendos. Poſtmodum permiſſum eſt de quatuor Temporibus anni, ut infra apparebit. Hic ſepultus eſt in Cœmiterio ſuo ad Urſum pileatum V. Kalendas Maji; & ceſſat Epiſcopatus dies XXI.

CAP. XVI.

Reſumit authenticos Doctores nominatim jam nominatos ex certa cauſſa, & cum quibus Imperatoribus concurrerent.

ET attende, quòd à tempore Damaſi uſque ad Anaſtaſium optimi concurrerunt Imperatores, & cum eis ſolennes Doctores, ut aliàs dicetur in Catalogo Imperatorum; ut Jovinianus, Valentinianus, Theodoſius ſenior, Gratianus. Doctores autem fuerunt Beatus Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & inter Græcos Doctores Gregorius Nazianzenus, Baſilius, & Johannes Chriſoſtomus. Quantùm autem ad excellentiam vitæ, Beatus Antonius, & Martinus, & ſancti alii Patres, inclyti floruerunt pro eodem quaſi tempore, de quibus eſt ſermo diffuſus, & de quibus Ruffinus in XI. libro Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ mentionem facit; & de quibus Deus providit, quia tunc Eccleſia circa errorem Arrii, & circa errorem Manichæorum plurimùm vacillabat. De quibus omnibus Doctoribus loco ſuo eſt dictum, & ipſorum geſta ſub compendio ſunt relata. Ii enim Doctores, quia multo tempore vixerunt, cum multis Imperatoribus, & Pontificibus Summis concurrerunt. Quia Johannes cum quatuor Pontificibus ſibi invicem ſuccedentibus, & ſimiliter Ambroſius, Valentiniano, & Gratiano, Theodoſio ſeniore, & Arcadio. Auguſtinus etiam cum Theodoſio ſeniore, Arcadio, Honorio, & Theodoſio minore. Pontifices autem ſimiliter erant plures, ut patet intuenti.

CAP. XVII.

De Oroſio Hiſpano, qualis fuit, & quæ auctor ſcripſit.

SEd procedendum ad alios, qui iſto tempore concurrerunt. Primus quidem fuit Oroſius natione Hiſpanus, de quo ſic ſcribit Gennadius de Illuſtr. Viris: *Qui contra querulos Chriſtiani nominis librum ſcripſit, quia dicunt, defectum Romanæ Reipublicæ ex Chriſti doctrina proveniſſe. Contra quem errorem geſta Romanorum, & aliorum Principum deſcribit in libris VII. oſtendens à principio ſeculi accidiſſe plura mala mundo, quàm poſt Chriſti adventum.* Hic diſcipulus Auguſtini, ut Gennadius re-

(*) *In Cod. Patav.* MCLXXIV.

refert, pro discenda Animæ ratione ad Hierosolymam missus, reliquias Beati Stephani secum tulit in Africam nuper inventas, de quarum virtutibus Beatus Augustinus XXII. de Civitate Dei longum sermonem protrahit. Claruit autem tempore extremo Honorii Imperatoris.

CAP. XVIII.

De Maximo Episcopo Taurinensi, qui floruit isto tempore, & de libris, quos edidit.

Isto eodem tempore floruit Maximus Episcopus Taurinensis, de quo multa idem Gennadius scribit ubi supra, quòd in divinis Scripturis multùm intentus, & ad docendam plebem totus ardens fuit. Composuit in laudem Apostolorum & Johannis Baptistæ Tractatus, ac generalem in omnium laudem Martyrum homeliam. Sed & de capitulis Evangeliorum, & in Actibus Apostolorum multa sapienter exposuit. Fecit & II. de actibus Eusebii Vercellensis Episcopi & Confessoris tractatus; de Sancto Cypriano specialem tractatum; de Baptismi gratiâ librum edidit; de passione I. librum, de jejunio servorum Dei; in generali de jejunio in Quadragesima librum I., de Cruce Domini, & sepultura ejus librum I. de Resurrectione sermonem I., de Epiphania librum I. sive homeliam, (*) de Pascha, & Pentecoste multæ reperiuntur, & multæ aliæ de diversis causis. Moritur autem, & Honorio & Theodosio minore regnantibus, ut Gennadius scribit. Et attende, quia his temporibus incipiunt multiplicari Doctores apud Latinos, & apud Græcos deficere.

CAP. XIX.

De Innocentio Primo, & XLIII. Pontifice, cujus festum agitur IV. Idus Martii; de Constitutionibus, quas fecit contra diversas hæreses.

Anno Domini (**) CCCCXXII., & ab Urbe condita MCLXXVI. Innocentius Primus natione Albanensis ex patre Innocentio in Cathedra Petri sedit annis XI. mensibus II. diebus XX. Hic constituit Sabbato jejunium celebrari, quia tali die Dominus in sepulcro jacuit, & discipuli Domini jejunaverunt: quod habe de Consecr. dist. III. cap. *Sabbato*. Item Historiæ dicunt, quòd constituit de regulis Monachorum aliqua, quæ habes XVI. quæst. I. cap. *Monachus*. Item regulas tradidit de Judæis, & Paganis, ut Historia tradit, quas habes XXVIII. quæst. I. cap. *Numquam*. Hic constitutus in Urbe Episcopus, multos Cataphrygas invenit, ut aliquæ Historiæ dicunt, quos aut exilio relegavit, aut Monasterio inclusit. Item damnavit Pelagium, & Cœlestium, ad petitionem Concilii Africani, in quo interfuit Beatus Augustinus; quia non fuerunt ausi per se firmare, nisi priùs Sedem Apostolicam, ad quam pertinet, requirendo, ut patet ex epistolis Doctoris ejusdem, & ex ipsius Innocentii definitione, quam habes XXIV. quæst. I. ubi respondendo dicto Concilio sic dicit: *quòd quoties ratio Fidei ventilatur, semper est Sedes Apostolica requirenda*. Unde & ipsam requisierunt Episcopi, qui dicto interfuerunt Concilio, quos suos appellat Confratres, multùmque commendat.

CAP. XX.

Quis fuit Pelagius, & quos Complices habuit, & quis fuit error suus; & de aliis Constitutionibus, quas fecit.

Hic autem Pelagius fuit tempore Augustini, contra quem dictus Doctor multa scripsit; & fugiens de Africa, unde originem traxerat, vadit in Britanniam majorem, hoc est in Angliam, totamque Insulam suo corrumpit errore. Martinus autem dicit, ipsum de Britannia natum. Error autem ejus fuerat, quia asserebat, sola bona voluntate sinè Gratia posse consequi salutem, ut habes XXIV. quæst. ultima. Hic habuit duos complices Cœlestium, & Julianum, quos dictus Innocentius damnavit cum Pelagio; & contra hos etiam scripsit Beatus Augustinus. Hic Innocentius osculum pacis in Ecclesia instituit in Missa, ut patet de Consecrat. dist. II. cap. *Pacem*. Hic natum de Christiana instituit baptizari, quod damnabat Pelagius.

CAP. XXI.

Qualiter excommunicavit Arcadium, & caussam quare; qualiter ædificavit Ecclesiam Gervasii, & Protasii.

Hic, ut refert Martinus, excommunicavit Arcadium Imperatorem, quia consensit, quòd Sanctus Johannes Crysostomus à suo pelleretur Episcopatu Constantinopolitano per Eudoxiam uxorem suam, propter prædicationem, quam fecerat contra eam; eo quòd circa imaginem suæ speciei, quam erexerat, mulieres, & puellas ludere compellebat; Quod Crysostomus prædicabat idolatriæ esse vicinum: de quo dictum est supra. Hic ædificavit, ut Historiæ dicunt, Basilicam Sanctorum Gervasii, & Protasii, ex devotione illustrissimæ mulieris Vestinæ nomine, ad cujus instantiam eidem Ecclesiæ titulum dedit: non tamen est hodie Cardinalatus secundùm descriptionem Martini. Nihilominus ad instantiam prædictæ Dominæ, & preces, præfatam Ecclesiam magnificè dotavit vasis argenteis, quorum nomina sunt nobis ignota; item ornamentis, & prædiis, & villis, quas Domina prædicta Ecclesiæ contulit, ut Historiæ dicunt. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembris, Presbyteros XXX. Diaconos XII. Episcopos per diversa loca LVII. Qui & in pace quiescit sepultus ad Ursum pileatum V. Kal. Augusti; & cessat Episcopatus dies XXII.

CAP. XXII.

Qualiter ad petitionem dictæ Dominæ Vestinæ titulum dedit Beatæ Agnetis; & quòd hujus Pontificatus tempore floruit Episcopus, qui multos libros fecit, & de vita ipsius aliquid.

Hic etiam instituit, ut Historiæ dicunt, titulum Beatæ Agnetis ad instantiam prædictæ Dominæ. Utrum autem titulus fuerit Cardinalatus, Historiæ non specificant. Scribitur tamen,

(*) *In Cod. Pat.* De Kalend Januarii Sermonem I. *Tom. XI.*

(**) *In Cod. Patav.* Anno Dom. CCCCXXIV. & ab Urbe condita MCLXXVII.

tamen, quòd dictam Basilicam gloriosiùs adornavit. Circa ista temporis spatia fuit Paulinus Nolæ Campaniæ Episcopus, ut Gennadius scribit ubi supra. Quantæ autem fuerit sanctitatis, & humilitatis, refert Beatus Augustinus de Civitate Dei, & Beatus Gregorius in Dialogo. Nihilominus tamen multa scripsit ad ædificationem Fidelium, quædam versibus metricis, quædam autem sermone prosaico, inter quos libellos, quos direxit ad Imperatorem Theodosium super victoria Tyrannorum. Scripsit plures epistolas ad Severinum, & ad sororem suam; epistolas de contemtu Mundi, ut refert Gennadius ubi supra; & de diversis materiis diversos tractatus fecit. Præcipuus tamen liber est, quem de pœnitentia edidit, & de laude generaliter omnium Martyrum, quàm ornatissimè tradidit. Claruit autem tempore Honorii, & Valentiniani minoris, non solùm eruditione, & vitæ sanctitate, sed potentia & virtute adversùs Dæmones.

CAP. XXIII.

Quòd tempore hujus Pontificatus floruit Cassianus; de libris, quos fecit, & de collationibus Patrum, quas digessit, & de Græco in Latinum transtulit.

EOdem tempore floruit Cassianus, ut scribit idem Gennadius, sic de ipso tradens: quòd fuit natione Scytha, & Constantinopoli à Johanne Magno Episcopo Diaconus ordinatus, apud Massiliam Presbyter condidit duo Monasteria, unum virorum, aliud mulierum; quæ usque hodie exstant. Scripsit experientia magistrante, librato sermone res omnium Monachorum professioni necessarias, idest de habitu, & de canone orationum, atque Psalmorum modo, qui in Monasteriis Ægypti die noctuque tenetur, lib. III. Institutionum lib. I. De origine, qualitate, & remediis VIII. principalium vitiorum lib. VIII. singulos de singulis vitiis libros expediens. Digessit etiam Collationes cum Patribus Ægyptiis habitas, quæ per titulos distinguuntur, sicut ibidem liquet, & ipse Gennadius per ordinem tradidit. Ad extremum autem rogatus à Leone Archidiacono Romanæ Ecclesiæ, postea Urbis Romæ Episcopo, scripsit adversùs Nestorium de Incarnatione Verbi libros VII. Et tunc scribendi & legendi apud Massiliam finem fecit, Theodosio minore & Valentiniano regnantibus.

CAP. XXIV.

De Paschasino Siciliensi, & Vincentio Gallico Doctoribus, qui floruerunt isto tempore.

EOdem tempore floruit Paschasinus Siciliensis Episcopus. Edidit unam Paschalem Epistolam ad Leonem tunc Archidiaconum, & postea Pontificem, ubi declarat Instarnationis Mysteria. Vir magnæ opinionis, ut Historiæ referunt. Claruit autem, ut Gennadius dicit, sub Theodosio juniore Arcadii filio. Eodem tempore floruit Vincentius Gallus natione, apud Monasterium Lirinense Ecclesiæ Presbyter, ut idem Gennadius scribit, ubi supra. Hic vir in Scripturis Sanctis doctus, & notitia Ecclesiasticorum dogmatum sufficientissimè instructus, composuit, ad vitandum hæreticorum collegia, libros II. nitido & aperto sermone, Theodosio, & Valentiniano juniore regnantibus. Primus fuit filius Arcadii, & fuit XLV. secundus fuit gener ejusdem, & fuit XLVI. Imperator.

CAP. XXV.

De Zosimo Primo, & XLIV. Pontifice; de Constitutionibus, & de Concilio Carthaginensi.

ANno Domini CCCCXXXV. & ab Urbe condita MCLXXXVII. Zosimus Primus in Cathedra Petri sedit, natione Græcus ex patre Abrahamo, sedit anno uno, mensibus VIII. diebus XXV. & cessat Episcopatus diebus XI. Hic constituit cereum Sabbato Sancto benedici in Ecclesia, ut Martinus dicit, & Cusentinus, & alii Chronicorum Scriptores. Item constituit, ut Clerici non intrent tabernas, nec ipsas conducant ad vinum vendendum: quod postea renovatum fuit, & confirmatum in Synodo V. ut patet XLIV. dist. cap. *Nulli*. Hic etiam constituit, quòd servus non possit fieri Clericus, quia in solam sortem Domini electus, & sic videtur absolutus à servitute Domini sui. Hoc postea innovatum est in Concilio Toletano, quod habes dist. LIV. cap. *Quicumque*, & extra de servis non ordinandis cap. I. & II. ubi eadem ponuntur cap. *Toletana*. Hic etiam misit ad Concilium Carthaginense unum Episcopum, cui nomen Faustinus, & duos Presbyteros Urbis Romæ ad ostendendam auctoritatem Ecclesiæ Romanæ, & actitata per Concilium roborare, sicut patet in libro Conciliorum, ubi agitur de Concilio Carthaginensi. Hic multas Ecclesias fabricavit, & fecit statutum de quibusdam, quæ ad Diaconum pertinebant; quæ hodie non sunt in usu. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris Presbyteros X. Diaconos III. Episcopos per diversa loca VIII. Hic autem sepultus est juxta corpus Beati Laurentii viâ Tyburtinâ VII. Kalendas Januarii.

CAP. XXVI.

Hujus tempore floruit Beatus Alexius & Severianus Gabalensis Episcopus, qui in divinis eruditissimus fuit.

HUujus tempore floruit Alexius Nobilissimus Romanus, Eufemiani filius, qui primus in Palatio Imperatoris fuit; videlicet Honorii vel Arcadii, qui fuerunt filii Theodosii senioris. Hic instituit gradum Ordinum in Ecclesia, & tempus ad recipiendum distinxit, quod hodie per jura nova non observatur; quia magis tempora ad recipiendum abbreviant. De hoc habes dist. 77. cap. *In singulis*. Hic etiam in quadam Epistola, quam direxit Episcopo Salonitano, reprehendit quosdam ex Monachis, cujus tempore Laici erant, quod nimis aspirabant ad Ordines sacros, & præcipuè ad summum Sacerdotium, quod vocat Episcopatum, ad quem oportet cum multo examine ascendere per gradum. Circa ista tempora floruit Severianus Gabalensis Ecclesiæ Episcopus in Patriarchatu Antiocheno, de quo Doctore sic Gennadius de Illustribus Viris scribit: quòd in divinis Scripturis eruditus, in homeliis declamator admirabilis fuit; unde & frequenter ab Episcopo Joanne, & Imperatore Arcadio ad faciendum sermonem Constantinopolim vocabatur. Dicit autem Gennadius se legisse expositionem in Epistolam ad Galatas, & de Baptismo,

tismo, & de Epiphaniæ solennitate libellum gratissimum. Moritur sub Theodosio minore Arcadii filio.

CAP. XXVII.

De Petronio Bononiensi Episcopo, qui circa ista tempora floruit; & de Possidonio Africanæ Provinciæ Episcopo, & qualia ipse fecit.

EOdem tempore floruit Petronius Bononiensis Episcopus vir sanctissimæ vitæ, qui Monachorum studiis ab adolescentia exercitatus, scripsisse putatur vitas Patrum in Ægypto Monachorum, ut narrat Gennadius ubi supra, quas velut speculum aut normam vitæ suæ Monachi amplectuntur. Moritur Theodosio juniore, & Valentiniano regnantibus. Eodem tempore floruit Possidonius provinciæ Africanæ Episcopus, ut scribit Isidorus de Illustr. Viris. Hic stylo Rhetorico prosequutus est vitam Beati Augustini, cujus etiam operis subjecit judicium (*) scriptorum ejus, enumerans, quanta idem beatissimus Doctor scripsit, ubi plus quàm quadringentorum librorum volumina supputantur; homeliarum verò, & epistolarum, quæstionumque infinitus est numerus, ut pæne possit vix quispiam articulis suis aliena tanta scribere, quanta ille proprio labore composuit. Scripsit etiam hic Possidonius epistolas de diversis, eleganti, & ornato sermone compositas.

CAP. XXVIII.

De Primasio Africano Episcopo, quanta scripsit, & circa hæc tempora floruit; de Proba, & Eudoxia, quæ Virgilii, & Homeri, versibus Historiam texuerunt.

EOdem tempore floruit Primasius Africanus Episcopus. De hoc sic scribit idem Doctor, ubi supra: quòd sermone scholastico composuit libros III. de hæresibus directos ad Fortunatum Episcopum, explicans, in eis quod olim Sanctissimus Augustinus in lib. hæresum imperfectum, morte superveniente, reliquerat: in primo ostendens, quid hæreticum faciat, in secundo & tertio dirigens, quid hæreticum demonstret. Eodem tempore fuit Proba uxor Adelphii Consulis, fœmina inter viros Ecclesiasticos idcirco posita, ut tradit Isidorus de Illustr. Viris, quia super laudem Christi conversa est, componens centonem de Christo Virgilianis coaptatum versibus; cujus quidem non miramur studium; sed laudamus ingenium. Sed attende hic, quia videtur magis antiquum esse propter hoc, quia Hieronymus refert istam Historiam, ut patet in Epistola ad Paulinum; sed non est facienda vis, quia modicum tempus est. Tradunt autem Historiæ, quòd duæ fuerunt fœminæ, quæ istos versus adaptaverunt ad Christum, quia Homero-centonas fecit Eudoxia uxor Theodosii junioris; Virgilio-centonas fecit Proba jam dicta, unde ambæ quasi in eodem tempore concurrerunt.

(*) *Melius fortasse* indicem.

A

CAP. XXIX.

De Bonifacio Primo, & XLV. Pontifice, & de Eulalio, qui cùm eo fuit electus, sed Bonifacius prævaluit, & in Papatu remansit.

ANno Domini CCCCXXXVII. & ab Urbe condita MCLXXXIX. Bonifacius Primus in Summum Pontificem assumitur, natione Romanus ex patre Jocundo. Hic, ut Historiæ referunt, una die eligitur cum Eulalio Presbytero Urbis Romæ; unde Bonifacius ordinatur in Basilica Sancti Petri, Eulalius in Basilica Constantiniana. Orta igitur dissensione in Urbe ex
B
tali electione, tamdem prævalet Bonifacius, ex favore Honorii Imperatoris, & uxoris ejus Placidiæ, favente etiam Bonifacio jure electionis, quia à majori & saniori parte erat electus. Unde Eulalius de Urbe ejicitur, & factus est Episcopus Nepesinus, ut aliquæ Historiæ dicunt; alii etiam dicunt, quòd in Campaniam expellitur, ibique peregrinatur toto tempore Bonifacii. Sed post mortem Bonifacii per Clerum, & Populum revocatur Eulalius de Campania; sed ipse redire noluit; & sic ipse in Campania moritur. Potuit autem esse, quòd inde erat oriundus, aut eam elegerat propter suam amœnitatem; & nihilominus aut erat
C
Episcopus Nepesinus, aut de alio fuit provisus. Decretum autem dist. XCVI. cap. *Bene quidem*, circa finem dicit ipsum Syracusanum Episcopum fuisse; & multo tempore vixit.

CAP. XXX.

De Constitutionibus, quas fecit, & qualiter Concilium Carthaginense eidem scribit, & modus ponitur.

HIc Bonifacius constituit, quòd nulla Monacha sacras pallas contegeret, aut lavaret, vel incensum poneret, quod supra dictum est de Sothere Pontifice. Item quòd servus non
D
possit fieri Clericus, vel obnoxius Curiæ. De hoc supra vide de Zosimo Papa. Huic Bonifacio Papæ scripsit Concilium Africanum CCXIX. Episcoporum qui sic scribunt per Faustinum Episcopum, Philippum & Asellum Presbyteros Urbis Romanæ, qui dicto Concilio interfuerunt ex mandato Zosimi sui Prædecessoris: *Domino Beatissimo, & honorabili Fratri Bonifacio, Valentinus primæ sedis Provinciæ Numidiæ, & ceteri Episcopi, qui Concilio sunt præsentes &c.* In qua epistola regratiantur eidem, & se in ejusdem exponunt judicio, sicut Nicæna Synodus. Dictus autem Bonifacius eisdem per epistolam respondit, quam etiam & dictum Concilium amplexatum est. Hic oratorium fe-
E
cit in cœmeterio Sanctæ Felicitatis, quod multis donariis ornavit, videlicet calicibus aureis, & argenteis, prædiisque, & in eodem loco sepultus est. Hic fecit unam ordinationem per mensem Decembris, Presbyteros XIII. Diaconos III. Episcopos per diversa loca XXXVI. sedit autem annis III. mensibus VIII. diebus XIII. (**), & cessat Episcopatus diebus IX. Circa ista tempora tertius Rex Francorum fuit Pharamundus. Sed advertendum secundùm Aimoinum Monachum, qui scripsit gesta Francorum, hic fuit primus Rex. Primi autem duo non fuerunt

(**) *In Cod. Patav.* diebus IX.

runt Reges, sed Duces, sed secundùm Vicentium fuit III. Hic autem regnavit annis XI. & sub Theodosio juniore Arcadii Imperatoris filio.

A

CAP. XXXI.

De multis Doctoribus, & Sanctis Viris, qui istius Pontificatus tempore floruerunt, & libris, quos scripserunt.

EOdem tempore scribit Casinensis floruisse duos Doctores in Gallia; Johannes Cassianus, & Maximus, (*) sed in quo floruerunt, nihil dicit. Scribit etiam de duobus aliis Episcopis, qui isto tempore floruerunt, videlicet *Aurelius Andegavensis*, & *Amanus Aurelianensis*: quod intelligo de istis quantùm ad vitæ sanctitatem. Eo tempore floruit etiam Eutropius Augustini Discipulus. Hic à Gennadio Presbyter fuisse dicitur, qui Historiam Romanam à condita Urbe usque ad tempora sua luculento sermone digessit. Multa etiam alia scripsit, sed præcipuè refert Gennadius de quibusdam epistolis, quas in modum libellorum duabus sororibus ancillis Christi, quæ ob devotionem pudicitiæ, & amore religionis exheredatæ fuerant à parentibus, consolatorias direxit, eleganti & aperto sermone, non solùm ratione, sed etiam testimoniis Scripturarum munitas. Eo etiam tempore floruerunt in Græcia duo Episcopi, Juvenalis, videlicet Episcopus Constantinopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus, de quibus agetur, quum de sequenti Pontifice agetur.

B

C

(*) *In Cod. Pat.* & Maximinus.

CAP. XXXII.

De Cyrillo Episcopo Alexandrino, qualia scripsit, sed specialiter contra Nestorium, & quis ille Nestorius sit.

DE Cyrillo autem scribit Gennadius ubi supra, quòd edidit variarum rerum tractatus multos; Homelias etiam composuit plurimas, quæ ad declamandum à Græciæ Episcopis memoriæ commendantur. Scripsit etiam contra Judæos de Synagogæ defectu; de fide adversus hæreticos, & privata quadam intentione contra Nestorium, in quibus omnia sua occulta panduntur, & prodita confutantur, sicut infra dicetur. Hic Nestorius in quibusdam subtilibus voluminibus voluit in suo impio errore populum seducere. Scribit enim idem Gennadius de ipso ubi supra, quòd cùm esset Episcopus Antiochiæ, ac insignis eo tempore declamator haberetur, composuit diversarum rerum infinitos quasi tractatus; in quibus jam subtili nequitia infudit venena; postque à sua eloquentia, & abstinentia commendatus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Pontificatu est donatus ...... congregatis LXXII. divinæ Scripturæ testimoniis ad suam defendendam perfidiam: propter quod quilibet Episcopus se muniebat ad eumdem elidendum errorem. Unde Gennadius ubi supra dicit, quòd Atticus Constantinopolitanus Episcopus præsentiens suam infectionem, quæ adhuc latitabat, scripsit ad Reginas Arcadii Imperatoris filias de fide, & virginitate librum valde egregium, in quo præveniens Nestorii dogma, impugnat, quia suus fuerat prædecessor.

Explicit Liber Sextus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER VII.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Cœlestino Primo, & XLVI. Pontifice, & quid statuit circa introitum Missæ.

ANno Domini CCCCXLI. & ab Urbe condita MCXCIII. Cœlestinus Primus in Cathedra Petri sedit, natione Campanus, & ex patre Prisco. Sedit autem annis VIII. mense I. diebus IX. Hic instituit, ut Psalmi cantarentur in principio Missæ, quod nos Introitum Missæ nuncupamus. Sed circa hoc diversitas invenitur; omnes tamen concordant, quòd Psalmi cantarentur in Missa, sed diversificant primò, quia duæ Chronicæ, quæ continuantur cum Chronica Damasi, tradunt, quòd Cœlestinus instituit CL. Psalmos cantari ante Missæ Sacrificium antiphonatos. Cusentinus dicit, quòd instituit Psalmos antiphonari, & cantari ante canonem. Primò enim solùm legebatur Epistola, & Evangelium, nullo Psalmo, vel cantu præmisso, sicut & facimus modò de Prophetiis in vigiliis solennium festivitatum. Sed ex hoc instituto facti sunt Introitus Missarum cum suis versiculis secundùm exigentiam temporis. Insuper & Gradualia, & Offertoria, sicut Martinus dicit, addidit. Etiam Martinus, & Casinensis scribunt, quòd ipse instituit ante confessionem. *Judica me, Deus, & discerne &c.* præponi.

CAP. II.

Quòd hæc habuerunt initium à Domino nostro; De tertia Synodo celebrata tempore istius Pontificis circa Nestorium.

HHoc autem initium habuit à Salvatore nostro, & Apostolis suis de Psalmis canendis, sicut patet de Consecrat. dist. I. De hymnis, etiam qui in Missa cantantur: de quo habes XCII. dist. cap. *In Sancta*. Hujus tempore celebrata est Synodus Ephesina CC. Episcoporum tempore Theodosii junioris, Juvenalis Episcopi Constantinopolitani, ac Cyrilli Episcopi Alexandrini; ubi damnatus est Nestorius Constantinopolitanus Episcopus, qui negabat Beatam Virginem Mariam esse veram Matrem Filii Dei. Et hoc contingebat, quia asserebat in Christo duas filiationes, duas personas, & duo supposita. Propter hoc Sancti Patres illius Concilii anathematizaverunt XIII. Capitula, in quibus consistebant blasphemiæ ejus; de quibus fit mentio in dist. 16. cap. *Tertia Synodus*. Et quia sunt utilia Capitula ad sciendum, fructuosum judicavi hìc ponere.

CAP. III.

Ponuntur hìc Canones, in quibus erravit Nestorius, quos Sancta Synodus anathematizat, & primò ponuntur sex Canones.

PRimus autem Canon est. *Qui purum hominem ex Maria Virgine natum asserit, ut* A *aliam personam carnis faciat, & aliam Deitatis, nec unum Christum in carne sentit cum Verbo Dei, sed separatum atque sejunctum alterum Filium hominis prædicat: anathema sit.* Secundus Canon. *Si quis non confitetur, Deum esse Emmanuel veraciter, & propterea Dei Genitricem Sanctam Virginem (peperit enim, secundùm carnem factum Dei Verbum, secundùm quod scriptum est: Verbum caro factum est) anathema sit.* Tertius Canon. *Si quis non confitetur carni secundùm substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eumdem videlicet simul Deum, factum & hominem: anathema sit.* Quartus Canon est: B *Si quis personis duabus, vel substantiis, eas voces, quæ in Apostolicis Scripturis & Evangelicis sunt, dividit; vel quæ de Christo dicuntur à Sanctis, vel ab ipso, & aliquas quidem ex iis velut homini asserat convenire, qui præterea Dei Verbum specialiter dicitur: anathema sit.* Quintus Canon est: *Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem, sola eas connexione conjungens, quæ est secundùm dignitatem, vel etiam secundùm auctoritatem, seu potestatem, ac non potiùs convenientia, quæ est naturalis, anathema sit.* Sextus Canon est: *Si quis audeat dicere Christum Theophoron idest Deum fortem; ac non potiùs Deum esse veraciter, dixerit tamquam filium per naturam, secundùm quod Verbum caro factum est,* C *& communicavit carni, & sanguinis, ut nos, anathema sit.*

CAP. IV.

Ponuntur ulteriùs ultimi canones, quos similiter Sancta Synodus anathematizat, & damnat.

SEptimus Canon. *Si quis Dei esse, vel Domini Christum, Patris Dei Verbum dixerit, & non magìs eumdem ipsum confitetur Deum, & hominem, propterea quod Verbum caro factum est, ut Scriptura testatur, anathema sit.* Octavus Canon: D *Si quis audeat dicere assumtum hominem coadorandum Deo Verbo, & glorificandum, & connuncupandum Deum, tamquam alterum alteri sicut cum altero (nam Cum syllaba supradicta hæc cogit intelligi) ac non potiùs una supplicatione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* Nonus Canon: *Si quis velut hominem Jesum operante Dei Verbo dicit; & unigenito gloriam tamquam alteri præter ipsum existenti tribuit, anathema sit.* Decimus Canon: *Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit à Spritu Sancto, & tamquam aliena virtute, per eum usus fuerit, & ab eo receperit efficaciam contra immundos Spiritus,* E *& posse coram hominibus divina perficere, ac non potiùs fatetur proprium ejus Spiritum esse, per quem divina explevit signa, anathema est.* Undecimus Canon: *Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum Divina Scriptura commemorat. Obtulit*

lit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo Patri. Si quis ergo dicit, Pontificem & Apostolum nostrum factum esse, & juxta nos hominem, sed velut alterum præter ipsum specialiter ex muliere; aut qui dicit, quod pro se obtulit se ipsum oblationem, & non potiùs pro nobis solis; non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit: anathema sit. Duodecimus Canon; *Si quis non confitetur Domini carnem vivificantem esse, & propriam ipsius, sed velut alterius præter ipsum conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habitationem, ac non potiùs vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi vivificare valentis, anathema sit.* Tertius decimus Canon: *Si quis non confitetur Verbum Dei passum in carne, & crucifixum in carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundùm quod vita est, & Deus, anathema sit.* Ex iis igitur Canonibus concluditur, quòd Dominus Noster Jesus Christus verus fuerit Filius Dei, & quòd Beata Virgo Maria vera fuit Mater Dei: quæ impius negabat Nestorius: propter quam caussam depositus est ab officio, & tamquam hæreticus est damnatus. Et advertendum etiam, quòd in XVI. dist. ponuntur XV. Canones; hìc autem non sunt nisi XIII. caussa potest esse, vel defectus Scriptoris, vel fortè quia duo capita hìc ponuntur in uno.

CAP. V.

Refert hìc Auctor reverentiam, quam exhibuit Theodosius junior huic Synodo, & multa alia dicuntur.

ATtendendum hìc etiam, quòd Theodosius huic Concilio non interfuit, sed misit quemdam Principem nomine Candidianus, cui mandavit, quòd de Ecclesiasticis dogmatibus Sanctorum Episcoporum non se ingereret, sicut habes dist. XCVI. cap. *Satis*. De hoc etiam Cœlestino scribit Gennadius in libro de Illustr. Viris, quòd Decretum Synodi prædictæ adversùs Nestorium describens, volumina ad Orientis & Occidentis Ecclesias direxit, confirmans duabus in Christo naturis manentibus, unam Filii Dei credendam personam: quod negabat Nestorius. Contra Nestorium scripsit Cyrillus unam epistolam, ubi de fide Verbi Incarnati suam fecit confessionem, quæ in Ephesino Concilio lecta fuit & approbata, in qua fit mentio de Nicæno Concilio, & per ipsum contra Nestorium suam fundat intentionem. Hic Cœlestinus dedicavit Basilicam Juliæ, quæ Constantiana alio nomine vocabatur, ipsamque magnis dotavit bonis. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembris, Presbyteros XXII Diaconos XII. Episcopos per diversa loca XXXXVI. sepultusque est in cœmeterio Priscillæ viâ Salariâ VII. Idus Aprilis; & cessavit Episcopatus diebus XX.

CAP. VI.

De Sixto Tertio, & XXXXVII. Pontifice; qualiter accusatus fuit de crimine, & quomodo se purgavit.

ANno Domini (*) CCCCL., & ab Urbe condita MCCI. Sixtus III. natione Romanus ex patre Sixto sedit annis VIII. diebus XIX. Hic de regione Cœlii Montis constituit, ut nullus Clericus in Parochia alterius ordinari præsumat. Hic accusatus est de crimine per quemdam, cui nomen Bassus. Utrum autem iste Bassus fuerit Clericus, vel Laicus, Historiæ non faciunt mentionem; sed referunt, quòd cùm multùm infestaretur Sixtus, hoc audiens Valentinianus Imperator, & gener Theodosii junioris, auctoritate Sixti Papæ congregavit Concilium LVII. Episcoporum, & coram eis, ac præsente Imperatore, de dicto crimine se purgavit; sicque Bassus confusus est, & meritò per Imperatorem præfatum, & matrem suam Placidam, ex sententia Concilii proscriptione damnatur. Hanc autem relationem fecit dictus Papa quibusdam Episcopis, qui de hoc ipsum requisierunt, ostendens eisdem, quòd hæc purgatio non fuit necessaria, sed ad tollendam suspicionem, & pro aliorum exemplo: quam relationem habes II. quæst. V. cap. *mandastis*.

CAP. VII.

De perfectione vitæ ipsius, & de bonis, quæ fecit, & præcipuè circa fabricas Ecclesiæ.

TRadunt autem quædam Historiæ, & Cusentinus, & alii quamdam perfectionem in isto Pontifice, quòd cùm Bassus parum supervixerit post suam damnationem, ejus corpus Beatus Sixtus conditum aromatibus propriis manibus sepelivit. Refert etiam Gennadius de ipso, quòd contra Nestorium Epistolas per Orbem direxit, ipsum reprehendens, etiam per Scripturam. Hic Sanctus Pontifex fecit Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, quæ ab antiquis Liberii cognomen accepit juxta macellum Libiæ, quæ Sancta Maria ad præsepe Domini nuncupatur, quam dotavit calicibus, & aliis ornamentis; unum etiam altare argenteum ibidem tradidit, prædia, & vineta contulit, & multis aliis ornamentis decoravit. Multas alias Basilicas construxit in ipsa Urbe, ipsasque dotavit, & auro, & argento decoravit. Multa pauperibus erogavit. Hic autem sepultus est via Tyburtina in crypta juxta sepulcrum Sancti Laurentii; & cessavit Episcopatus diebus XXII. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembris, Presbyteros XXVIII. Diaconos XII. Episcopos per diversa loca LII.

CAP. VIII.

De septem dormientibus, qui fuerunt, & qualiter apparuerunt, & qualiter sunt mortui.

EOdem tempore fuit illud mirabile VII. Dormientium, qui fratres erant, & tempore Decii Imperatoris quamdam intraverunt *Cryptam*, fugientes à facie Decii; sed ex mandato Decii obturatum est os speluncæ. Ii autem cùm in oratione per elevationem mentis obdormissent. Sic steterunt usque ad tempora Theodosii junioris, de quo in præsentiarum est actum. Domini autem virtute est factum, ut tempore hoc evigilarent; apparueruntque coram prædicto Principe, & fidelium multitudine, factaque relatione de fide resurrectionis, coram eisdem obdormierunt in Christo. Fuit autem spa-

(*) *In Cod. Patav.* CCCCXLIX.

ſpatium temporis à Decio uſque ad Theodoſium CC. annorum. Circa iſta tempora quartus Rex Francorum ſecundùm Vincentium, & ſecundùm Ammonium Cloduis filius Pharamundi regnat. Regnavit autem XVIII. annis.

CAP. IX.

De Doctoribus, qui iſto tempore floruerunt, & qualia fecerint.

ISto etiam tempore floruerunt tres Doctores, unus fuit Philippus, de quo ſcribit Gennadius ubi ſupra, quòd fuit diſcipulus, & optimus auditor Hieronymi. Hic ſcripſit in Job eleganti ſermone, & luculento; hic etiam ſcripſit epiſtolas multas, ſed præcipuè ad paupertatis & doloris tolerantiam exhortatorias. Moritur tempore Martiani Principis. Circa eadem tempora floruit Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, de quo idem Doctor ubi ſupra ſic narrat: quòd multa ſubtili ſermone digeſſerit, ſed præcipuè de contemtu Mundi, & ſecularis Philoſophiæ. Diſſeruit etiam ad perſonam filiorum Saloni & Verani poſtea Epiſcoporum obſcura quoque ſanctarum Scripturarum capitula. Sed & Sancti Caſſiani quædam opuſcula deſcripſit tam Eccleſiaſticis, quàm Monaſticis ſtudiis neceſſaria. Moritur Valentiniano & Martiano regnanti bus.

CAP. X.

De virtuoſis operibus, & doctrina Hilarii Epiſcopi Arelatenſis.

EOdem tempore floruit Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, de quo ſic idem Doctor ſcribit ubi ſupra: quòd in Scripturis ſanctis doctus fuit, paupertatis amator, & erga inopum proviſionem non ſolùm mentis pietate, ſed corporis labore ſollicitus; nam pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas homo genere clarus, & longè aliter educatus, exercuit; ſed nec in ſpiritualibus neglexit, nam in dicendo ſpecialem gratiam habuit. Ingenio verò immortali multa edidit, quæ eruditæ animæ, & fidelis linguæ indicia ſunt. Moritur Valentiniano & Martiano regnantibus.

Explicit Liber Septimus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ novæ.

INCIPIT LIBER VIII.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Leone Primo, & XXXXVIII. Pontifice, & quantæ fuit doctrinæ, & de hæresi Euthycetis, & motivo etiam ipsius.

ANno Domini CCCCLVIII. & ab Urbe condita (*) MCCX. Leo Primus in Cathedra Petri sedit, natione Tuscus ex patre Quinciano, sedit annis XXI. mense I. diebus XXVIII. Hic multas regulas Ecclesiasticas tradidit, unde unam epistolam direxit Martiano Imperatori, ut Historiæ tradunt, & suæ conjugi Pulcheriæ, omnem fidem exponens; & misit ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum epistolas VIII. ut Martinus scribit, inter quas scripsit unam adversùs Euthycetem Abbatem Constantinopolitanum de Incarnatione Verbi, & contra ejus blasphemias. Hic etiam Euthyces volens vitare errorem Nestorii, qui ponebat naturas distinctas, ex quo cogebatur ponere non esse verè unam personam, posuit esse naturam divinam cum humana unum factum, quemadmodum contingit in uno composito. Addit etiam Gennadius de Illustr. Viris, quòd Leo in dicta epistola dicit motivum Euthycetis fuisse ad faciendum schisma sui erroris propter ambitionem Episcopatus, sicut & Novatus, ut supra patet. Attribuit etiam eidem, quòd Euthyces asserebat in suo errore carnem Christi cœlestem, & non de Virgine, ut per hoc ostenderet possibilitatem dictæ compositionis cum Divinitate.

CAP. II.

Qualiter ex mandato Leonis Martianus Imperator congregavit Concilium apud Chalcedoniam contra dictum Euthycetem.

PRopter quod tempore Leonis Primi, & ex suo mandato, Martianus Imperator Concilium congregat DCXIX. Episcoporum, ut patet dist XV. §. *quarto*; inter quos majores Anatholius Episcopus Constantinopolitanus, & Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus, ut patet in dicto Decreto, & in principio ejusdem Concilii. Unde memoratus Princeps dicto interfuit Concilio pro favore fidei: propter quod ipso congregato, accessit piissimus & fidelissimus Imperator, & cum piissima, & Christianissima Augusta conjuge ejus, dicta Pulcheria, nec non & Magistratibus, ac nobilissimo Senatu ad venerabilem Synodum, & inter alia sic proponit: *Nos aliter disputare, quàm Apostolica habet Ecclesia, & instituta CCCXVIII. Episcoporum, & eidem convenientia, non audemus, sicut etiam Sancti Leonis Papæ, qui etiam urbis Romæ Sedem Apostolicam gubernat missa ad sanctæ memoriæ Flavianum Episcopum Constantinopolitanum plurima scripta testantur. Remotis itaque studiis, ablatis patrociniis, & cessante avaritia, cunctis veritas innotescat.* Et postea subdit: *Nos enim ad Fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo Religiosissimi Principis Constantini, interesse volumus Synodo, ne ulterius populi pravis persuasionibus perturbentur*: quod habes dist. LXXXXVI. cap. *nos*. Hic Martianus fuit filius Theodosii junioris, & fuit XLVII. Imperator, qui imperavit cum Valentiniano fratre suo, qui fuit XLVIII.

CAP. III.

Quòd dictus Pontifex non interfuit Concilio; qualiter multa scripsit de honestate vitæ ejus; & miraculum, quod accidit circa populum.

ET attendendum, quòd hic Pontifex sanctus huic Concilio non interfuit, ut patet in gestis dicti Concilii, sed quidam Episcopus nomine Paschasinus fuit ibidem Vicarius ejus, Bonifacius autem Presbyter Ecclesiæ Romanæ, & Lucentius Romanus erant Apocrisarii, qui omnes subscripserunt statutis actitatis in dicto Concilio. Hic Pontifex scripsit epistolas decretales LXX. ad populum sermones LXXIX. ut scribit Casinensis, luculentissimo sermone & sententioso: propter quod Sermologus dictus est. Hic addidit ad Missam *Sanctum Sacrificium, & immaculatam Hostiam*, ut scribunt Martinus & Cusentinus. Propter suam nimiam honestatem semel recipiens mulieris osculum manus in Missa secundùm consuetudinem regionis, exarsit multùm in concupiscentiam ejus: propter quam caussam sibi manum amputavit, & in detestationem projecit. Cùm verò populus simul cum admiratione turbaretur, quòd sanctus Pontifex more solito non celebraret, impetravit à Beata Virgine, ad quam specialem habebat devotionem, restitutionem manus.

CAP. IV.

Qualiter mitigavit iram Totilæ, & eidem cessit, de Italia recedens. Idem accidit de alio quodam Principe.

HIc etiam Leo, ut Martinus refert, propter merita suæ sanctitatis furorem Totilæ mitigavit Regis Vandalorum. Cùm enim veniens de Pannonia totam Italiam devastaret, sed præcipuè Lombardiam, Aquilegiam, videlicet, Marchiam Tervisinam, Veronam, Brixiam, Mediolanum, & sic de singulis; & hoc ferro, & igne: descendit Leo Papa ad ipsum, quem invenit circa fluenta Padi; quem videns Totila, cum reverentia eidem occurrit, barbaricam feritatem deponens. Admirati Principes ejus, dixit se in visione quemdam sibi apparuisse, mortemque sibi minantem, nisi precibus Pontificis acquiesceret; unde statim de Italia exiens, iterum

(*) In Cod. Patav. MCCXX.

um Pannoniam rediit. Istum Regem, quem Martinus vocat Totilam, Casinensis, qui historiam eamdem refert, Attilam appellat & melius. Item narrat Martinus de ipso, quòd cùm quidam Princeps Africæ nomine Gensericus venisset cum magna multitudine per mare Romam fugerentque ipsius feritatem Romani, impetravit ab eo, ut direptis aliquibus spoliis rediret in Africam, parcens igni, & ferro: quod & factum fuit. Circa ista tempora fuit Meroveus V. Rex Francorum, sed tertius secundùm Ammonium; regnavit autem annis X.

CAP. V.

Qualiter confirmavit Synodum Chalcedonensem ad requisitionem Martiani Principis cum CL. Episcopis; de Prospero, quomodo floruit tempore istius Pontificis.

HIc, ut Chronica, quæ continuatur cum Damaso refert, post Synodum consummatam superiùs memoratam, Martiano Imperatore ipsum requirente, cum CL. Episcopis dictæ Synodi, qui ferè loco aliorum remanserant, de doctrina fidei, simulque Nicænæ, quæ in Synodo Chalcedonensi actitata erant, Beatus Pontifex exposuit, & direxit ad Anatholium, & Sanctam Synodum confirmavit. Hic fecit ordinationes IV. per mensem Decembris, Presbyteros XXXI. Diaconos XXXI. & Episcopos per diversa loca CLXXXV. Hic sepultus est in Basilica S. Petri III. Idus Aprilis; moritur autem Leone & Martiano regnantibus, ut Gennadius scribit. Hujus Pontificis tempore floruit Prosper Aquitanicus, de quo Casinensis scribit, quòd fuit Notarius Beati Leonis præfati. Hic Doctor egregius multa scripsit, primò quidem de sententiis Prosperi, in quo flores colligit ex dictis Augustini, quos quasi quædam principia tradit. Scripsit Librum de vera innocentia, Librum de vita contemplativa. Gennadius etiam de Illustr. Viris dicit ipsum scripsisse Chronicam à primi hominis conditione usque ad tempora sua, hoc est usque ad tempora Valentini Augusti, & captivitatem Urbis Romæ per Gensericum Vandalorum Regem. Tradit etiam, ipsum scripsisse Librum I. adversùs quædam opuscula Cassiani, quia de gratia Dei, & libero arbitrio, non bene concordabant ad invicem. Epistolæ etiam Leonis Papæ contra Euthycetem de vera Christi Incarnatione ad diversos directæ, dicit Gennadius, quòd ab ipso fuerint dictatæ.

CAP. VI.

De Beato Mamerco, qui isto tempore floruit, & de Letaniis, quas statuit.

EOdem tempore floruit Beatus Mamercus Episcopus Viennensis, ut scribit Casinensis. Gesta autem Francorum in primo Libro dicunt, ipsum fuisse circa finem Regni Clodovei. Hic Letanias statuit ante Ascensionem Domini, qui Letaniarum ritus à Viennensi Ecclesia in omnes decurrit Ecclesias Galliarum. Hujus autem institutionis caussa ponitur quia terræmotus in urbe Viennensi Ecclesias Domosque subvertebat; necnon feritas luporum, aliarumque bestiarum sylvestrium toto anno per urbem vagantium homines devorabat. Regis etiam palatium igne cœlesti fuit combustum in die Sancto Paschæ: quod multum ad cladem præsentem

A fidem inflictæ facit pœnæ ex merito actionum. Hic etiam ritus pro tempore, quo populus magis indiget propter temporales proventus, ad omnes regiones Christiani populi, est extensus, & per Aurelianense Concilium roboratur. Isto etiam tempore floruit apud Antiochiam Isaac Antiochenæ Civitatis Episcopus. Hic, ut Gennadius tradit, scripsit multa, & longo sermone, syroque composuit; præcipua tamen cura eidem fuit scribere contra Nestorium, & Euthycetem. Moritur, Leone & Majoriano regnantibus. Circa ista tempora Hildericus VI. Rex Francorum regnavit super Francos secundùm Vincentium, sed secundùm Ammonium quartus; regnavit
B autem annis XVI.

CAP. VII.

De Hilario Primo, & XLIX. Pontifice, qualia fecit; & quòd hujus tempore Merlinus in Anglia nascitur, & quis iste Merlinus fuerit.

ANno Domini CDLXXXIX. & ab Urbe condita MCCXXXI. Hilarius Primus natione Sardus ex patre Crispino, sedit annis VI. mensibus III. diebus X. Et cessat Episcopatus diebus X. Hic constituit, ut nullus Pontifex sibi successorem constitueret. Hanc Constitutionem habes VIII. quæst. I. cap. *Plerique*. Sed ista
C Constitutio est magìs generalis, quia extendit eam ad omnem statum, cui electio incumbit, & assignatur caussa quare. Hic fecit ad Sanctum Laurentium balneum, & Monasterium, ut scribit Martinus, ibidemque sepultus est juxta corpus ejusdem. Hic etiam in Urbe Ecclesias multas decoravit. Hic fecit decretalem, & Epistolas de Fide Catholica, quas per universum direxit Orbem. Et attende, quia aliquæ Historiæ denominant istum Hilarum; sed istud est verum, quòd proprio nomine Hilarius appellatur. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, Presbyteros XXV. Diaconos VII. Episcopos per diversa loca XXII. Hujus autem
D tempore in Anglia Merlinus nascitur, ut scribit Ricardus, & gesta Britonum. Martinus autem dicit, quòd tempore Simplicii Papæ, sed melius est dicere, quòd tempore Hilarii, & quòd Arturus fuit tempore Simplicii, eo quòd Merlinus præcessit in tempore Arturum, ut in prædicta Historia est manifestum. Aliæ autem Historiæ dicunt, Arturum fuisse tempore Valentis, quia tradunt Historiæ Britonum, quòd ipse expulit Imperatores Romanos de Gallia; unde post mortem ipsius Reges Francorum in Galliam subintraverunt, in qua Reges non fuerunt à tempore Julii Cæsaris: quod fuit spatium CCCLX. annorum; unde immediatum dominium in Gallia tunc erat Imperatorum, ut pa-
E tet de Constantio, & Constantino, qui in Gallia principatum obtinuerunt, & sic de aliis Imperatoribus, qui successerunt. Ortum autem Merlini sic referunt: quòd fuerit filius Monialis, & filiæ cujusdam Regis, nomine Clementiæ. Ricardus autem dicit, quòd non fuit Monialis; sed inter Moniales nutrita in Ecclesia Beati Petri de urbe Baermadira. Huic autem Dæmon apparuit in specie juvenis pulcherrimi, quam sæpiùs deosculans, & alloquens, sic puella delectabatur, & cum eo tamdem gravidam reliquit. Sed cùm hoc pervenisset ad Regem Britonum Vortigerium stupefactus Rex à Magis perquirit, utrum hoc possibile videretur; responderuntque quòd sic, quia Philosophorum Histo-

ria

A riæ hoc affirmant. Refert enim Apulejus de Deo Socratis, inter Lunam, & terram esse Dæmones incubos: circa quod nec Beatus Augustinus discordat, ut in V. Libro de Civitate Dei patet.

CAP. VIII.

Referuntur hic quædam, quæ Merlinus fecit, quæ mirabilia fuerunt, & quædam secreta revelat.

CUmque hæc Merlinus auscultasset, quærit à Rege, cur ipse, & mater sua vocati sunt; cui Rex factum exposuit, & caussam suæ vocationis. Ipse enim unum Castrum manda-
B verat ædificari, sed cùm fundamenta in loco firmari non possent, quia quod in die ædificabatur, nocte totum absorbebatur, cùm caussa ignoraretur, unde hoc proveniret, perquiritur à Magis, & conjectoribus, quid hoc esset. Responderunt, istud opus stare non posse, nisi inveniatur homo sinè patre, cujus sanguine admisceatur cæmentum, & lapides aspergantur: *nunc igitur tu diceris esse talis*. Ad quæ verba Merlinus respondit, mentitos fuisse Magos, & tunc caussam ostendit, aperitque Merlinus, stagnum fore sub fundamento, quod totum absorberet. Quæritur hoc fodiendo, & sic invenitur.
C Mandavit verò Merlinus lacum evacuari per rivos. Tunc incipit Merlinus aperire mysterium futurorum. *Videbis enim sub stagno duos concavos lapides, & in illis duos Dracones dormientes*. Credidit Rex Merlini verbis, aliquid in ipso existimans numinis, mandatque jussa ejusdem adimpleri. Sedente verò Vortigerno Rege Britonum, idest Anglorum, super ripam exhausti stagni egressi sunt duo dracones, quorum unus erat albus, alter rubeus; commiseruntque ad invicem diram pugnam; & quamvis modò unus, modò alius prævaleret, ultimò tamen succubuit rubeus. Cùm Rex perquireret à Merlino hujus rei eventum, exponit Regi per rubeum Draconem significari Britones, per album autem Saxones, qui prævalituri
D erant in Regno. Et inde postea expandit suas prophetias diffusè, quæ in Historia Britonum continentur, & Ricardus breviter tradit: De quo & nos in Catalogo Imperatorum ponemus, cùm de ipsis agetur.

CAP. IX.

De Beato Germano, & Lupo, & de quibusdam aliis Doctoribus, qui floruerunt tempore istius Pontificis.

EO autem tempore scribit Richardus, quòd Sanctus Germanus Autissidorensis, & Sanctus Lupus Trecorensis Episcopi transierunt in Britanniam. Corrupta enim erat ibi Christianitas
E partim propter gentiles, quos Rex Adovardus traduxerat, videlicet Saxones, partim propter Pelagianam hæresim, quia inde secundùm aliquos Pelagius fuerat oriundus, ut supra patet. Sed advertendum hìc, quòd circa Historiam quantùm ad Episcopos, diversificari videntur auctores. Richardus autem Monachus Cluniacensis dicit, Arturum fuisse tempore Gratiani Imperatoris, cujus tempore Romani Imperatores perdiderunt peculiare dominium in Gallia, quia Arturus ipsos vicit in Burgundia, & ex tunc post mortem Arturi incœperunt Reges in Francia, sicut in Catalogo Imperatorum dicetur. Secundùm hoc igitur Merlinus præcessit Hieronymum, & Augustinum, eo quòd fuit ante Arturum, & circa tempora Joviniani Imperatoris; & hoc etiam apparet ex Historia Britonum. Alii autem ponunt ipsum fuisse circa tempora Martiani, ut Martinus, & Casinensis. Quo tempore floruerunt undecim millia Virginum, de quibus dictum est supra, quum de Anthero ageretur XXI. Pontifice lib. III. Hujus etiam Pontificis tempore floruit Gennadius Constantinopolitanus Episcopus vir linguâ nitidus, & ingenio acer, ut scribit Gennadius Massiliensis Episcopus ubi supra; qui tam dives ex lectione antiquorum fuit, ut Danielem Prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret; Homelias etiam multas composuit: Moritur autem, Leone seniore Imperium tenente, cujus tempore Urbanus Papa adhuc vivebat. Eo etiam tempore floruit Victorinus natione Aquitanus, calculator scrupulorum nutritus à Sancto Hilario Papa prædicto. Hic, ut Gennadius dicit ubi supra, computum Lunarem disposuit post Hippolytum, Eusebium, Theophilum, & Prosperum, clarissima indagatione compertum; sed præcipuè circa Paschalem cursum; & protendit annorum seriem usque ad annum Domini XXXII. & post anno Domini XXXIII. circulum iteratò resumit.

CAP. X.

De Simplicio Primo, & L. Pontifice, & de constitutionibus, quas fecit, & ordinationibus.

ANno Domini CCCCLXXXV. & ab Urbe condita MCCXXXVII. Simplicius Primus natione Tiburtinus, & ex patre Castino in Cathedra Petri sedit. Sedit autem annis XV. mensibus VII. diebus VII. Hic vir Sanctissimus dedicavit Basilicam Beati Stephani juxta Basilicam Beati Laurentii, ut scribit Martinus, & corpus Sanctæ Vivianæ, ubi corpus ejus requiescit, cum quatuor millibus & ducentis quinquaginta quatuor Sanctorum corporibus absque parvulis & mulieribus. Hic constituit ad S. Petrum, & ad S. Paulum, ut septem Presbyteri per hebdomadam permaneant propter baptizandos, & pœnitentes, ut Martinus scribit, & aliæ Historiæ. Et fecit V. regiones, Presbyteris Urbis dividens, primam regionem ad S Petrum, secundam ad S. Paulum, tertiam ad S. Laurentium, quartam ad S. Joannem in Laterano, quintam ad S. Mariam Majorem. Hic etiam constituit, ut nullus Clericus investituram recipiat à Laico: quod postea per Gregorium, & alios roboratum est, ut patet XVI. quæst. VII. quasi per totum. Hic, ut scribit Cusentinus, & quædam Historia, quæ Damasum imitatur, ad relationem Acacii Episcopi Constantinopolitani, & cujusdam Doctoris Græci, cui nomen Timotheus, viri authentici, damnavit Petrum Alexandrinum, quia favebat errori Euthycetis. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembris, Presbyteros LVIII. Diaconos XL. Episcopos per diversa loca LXXXII. sepultus in Vaticano juxta corpus Beati Petri VI. Nonas Martii; & cessat Episcopatus dies VI. Moritur autem tempore Leonis Imperatoris. Circa ista tempora regnavit Clodoveus Primus, VII. secundùm Vincentium, & V. secundùm Ammonium, Rex Francorum, quia à Pharamundo incipit; regnat autem annis XXX. Isto eodem tempore fuit

fuit dictus Leo Imperator, & XLIX. de quo minùs laudabilia referuntur.

CAP. XI.

De Arturo, qualia fecit; de Beato Remigio qualiter floruit tempore hujus Pontificis, & de quibusdam mirabilibus.

ISto tempore secundùm unam opinionem Arturus regnavit in Anglia, ut supra de ista declaratur opinione. Quanta autem fecerit, Historia Britonum diffusè tradit. Sed & Richardus Monachus de ipso copiosè scribit. Nos verò, ut materia dicendorum exigit, Catalogo relinquamus Imperatorum. Supra aliquid de ipso est dictum. Hujus Pontificis tempore floruit Beatus Remigius Remensis Archiepiscopus, ut scribit Vincentius Belluacensis, & Richardus supramemoratus. Hic miraculosè natus, ut sua tradunt gesta, propter suæ sanctitatis culmen ad dignitatem Pontificalem ascendit, divina sic disponente virtute. Hic baptizavit Clodoveum Regem V. Francorum à Pharamundo, qui primus fuit inter Francos; sed Clodoveus primus Christianus meritis Crotildis uxoris suæ Christianissimæ, & Beati Remigii, ut gesta Francorum tradunt lib. I. Et attende, quia ut in eodem libro patet, priùs fuit Christianitas in Gallia, quàm Reges Francorum essent Christiani, ut in Catalogo ipsorum patebit. Ostendit autem Deus suam virtutem in Clodovei Baptismo; quia dum baptizaretur, & Chrisma deficeret, subitò columba cum Chrismatis ampulla de Cœlo descendit, & Pontifici se præsentat; dictoq; Chrismate ipsum perunxit. Isto eodem tempore ossa Helisei transferuntur in Alexandriam, corpus verò Beati Marci de Alexandria Venetias transportatur. Apud Tholosam urbem Galliæ, ut scribit Vincentius, ex medio ejus sanguinis rivus largissimè fluxit.

CAP. XII.

De multis Doctoribus, qui isto tempore floruerunt; & de quibusdam hæresibus, quæ hoc tempore pullulaverunt in persecutione Hymerici.

EOdem tempore floruit Theodoritus Cyræ Civitatis Episcopus, in Syria à Cyro dictæ, ut scribit Gennadius. Hic licèt multa scripserit, quemdam tamen librum de Incarnatione Verbi contra Euthycetem, & Dioscorum Alexandrinum Episcopum; qui humanam in Christo carnem negant fuisse; probans contra ipsos testimoniis Scripturarum, & ratione, Dominum nostrum, veram de Matre sua Sanctissima traxisse carnem; sicut & veram deitatem, quam æterna nascibilitate, Deo Patre gignente, ipse nascendo accepit. Scripsit & X. libros Historiæ Scholasticæ, imitatus Eusebium Cæsariensem, incipiens à fine librorum ejusdem usque ad suum tempus; hoc est à vigesimo anno Constantini usque ad tempora Leonis, sub quo mortuus est. Eodem tempore apparuit hæresis Acephalorum, quæ sine capite nominatur; quia auctor illius non invenitur. Impugnat tamen Chalcedonense Concilium, ut scribit Richardus. De hoc errore habes XXIV. quæst. ultima. Hoc etiam tempore Alexandria Ægypti, & totus quasi Ægyptus, ut scribit idem Richardus, corrumpitur errore Dioscori Alexandrini, tempore videlicet Leonis junioris. Et eodem tempore, ut scribit Ricardus, Eudoxia neptis Theodosii junioris, cùm (*) XV. annis vixisset cum viro suo Himerico Rege Vandalorum, & filium Hyldericum genuisset, difficile sibi videbatur ipsum ferre, certificata quòd Arrianus esset. Quamobrem sub simulatione peregrinationis Hierosolymam vadit, à suo marito recedens, ubi non post multum tempus suo Creatori spiritum reddidit. Hujus etiam tempore Avitus Viennensis Episcopus, & Vedastus Atrebatensis clarent in Gallia. Hoc etiam tempore Hymericus jam dictus occasione hæresis Arrianæ apud Africam viris Catholicis Ecclesias claudit, ut in sua Chronica Isidorus scribit, atque eos variis afficit suppliciis. Quorumdam autem religiosorum Episcoporum linguam abscidit; sed tamen ab eis loquelam Catholicæ confessionis amputare non valuit. Hoc etiam tempore per Sanctum Forseum Monachum de Ibernia venientem, favente Rege Clodoveo, Monasterium, quod Latinatus (**) nuncupatur, fabricatur, ut gesta Francorum dicunt lib. I. Hoc etiam tempore duæ gentes multùm vexaverunt Orbem, Vandali, & Gothi, ut Historiæ tradunt; sed Vandali præcesserunt, quia tempore Augustini totam Africam prostraverunt.

CAP. XIII.

De Felice III. & LI. Pontifice, qualiter damnavit Achacium, ubi quædam notanda ponuntur.

ANno Domini DI. & ab Urbe condita MCCLIII. Felix III. natione Romanus ex patre Felice presbytero de regione Fasciolæ sedit annis VIII. diebus XVII. & cessavit Episcopatus diebus V. Hic, ut Historiæ tradunt, & præcipuè Martinus, & Cusentinus, damnavit Achacium, quia ad communionem recepit Petrum Alexandrinum: quod & Simplicius Papa jam præsenserat, & inde motus fuit ad damnandum Petrum, inrequisito Achacio. Sed hanc Historiam unus gestorum scriptor sic tradit: quòd sicut Simplicio facta fuit relatio per Achacium Constantinopolitanum Episcopum contra Petrum Alexandrinum Antistitem; & inde inventa veritate, ipsum damnavit; ita nunc ab Episcopis Græciæ fit relatio ad Felicem contra Achacium, quia Petrum prædictum ad communionem recepit. Ubi attende auctoritatem Episcopi Romani, quia in facto hæresis, Græciæ Episcopi ipsum requirebant, ut supra est manifestum de quatuor Conciliis. Item patet supra de Episcopis Africanis, qui ad Concilium celebrandum, & condemnandum Pelagium, & Cœlestium, requisierunt Innocentium tunc Papam. Hic Felix ex constitutione suæ Synodi damnavit Achacium cum Petro Alexandrino. Post tres verò annos scribit Zenon Imperator, cujus tempore hæc acta sunt, Felici Papæ pro Achacio, quòd pœnitens esset. Tunc prædictus Papa Felix iterato Concilium celebrat, & de consensu ejus misit Constantinopolim duos Episcopos, videlicet Messenum, & Vitalem, ut si Achacium invenirent Petro Alexandrino communicare, rursum pronuntiarent eum damnatum cum Petro. Quod si non, darent ei libellum pœni-

(*) *In Cod. Patav.* cum XXV. annos.

(**) *In Cod. Patav.* Laciniatus *vel* Lacimatus.

A pœnitentiæ, hoc est reconciliarent eum, & Catholicæ communioni eum traderent. Venientes autem Constantinopolim, mandatum Papæ non sunt prosequuti; quamobrem congregato Concilio, cùm rediissent Romam dicti Episcopi, à communione Fidelium sunt ejecti; sed pœnitentes facti reconciliabantur.

CAP. XIV.

Qualiter duo Episcopi missi Constantinopolim per Felicem super facto Achacii, ab Imperatore fuerunt corrupti; & de Theodoro Doctore.

B SCribit autem Martinus, quòd isti Episcopi per Imperatorem Zenonem fuerunt corrupti, quia Achacium diligebat. Hic fuit LIII. Imperator (*), & leges condidit. Hic fecit Basilicam S. Agapiti juxta Basilicam Beati Laurentii. Hic, ut Martinus scribit, constituit Ecclesias per solos Episcopos esse consecrandas: quod habes de Consecratione dist. I. cap. *Sicut*. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros XXVII. Diaconos V. Episcopos per diversa loca XXXI. sepultus est in Ecclesia Beati Pauli. Hujus tempore floruit in Ecclesia Theodorus Presbyter, qui librum fecit de consonantia Divinæ Scripturæ veteris & novi Testamenti adversùs hæreticos, ut supra Gennadius C de Illustr. Viris; qui propter differentiam præceptorum, vel cæremoniarum alium veteris Testamenti Dominum dixerunt, alium verò novi; in quo ostendit dispensationis fuisse unius ejusdemque Dei, auctoris utriusque Scripturæ, ut alia per Moysen antiquis daretur lex in sacrificiorum ceremoniis, & Judæorum animadversione; alia nobis per Christi præsentiam in sacris mysteriis, & repromissionibus; nec diversa credi debere; ut non uno solo spiritu, & auctore dictata, sed sic disposita, ut si illa secundùm literam observaretur, occideret, sed secundùm spiritum intellecta vivificaret. Multa etiam alia tradidit ad exemplum & instructionem Fidelium. Moritur autem, ut Gennadius scribit ubi supra, D Zenone Imperatore regnante.

CAP. XV.

De Joanne Damasceno quis fuit, & qualia passus est ex falsitate sui discipuli.

EOdem tempore floruit Joannes Damascenus: alii dicunt, quòd tempore Leonis Imperatoris junioris, qui Zenonem immediatè præcessit. Alii dicunt, & meliùs, quòd floruit post tempora Sancti Gregorii, propter id, quod refert de Trajano Imperatore; unde oportet dicere, aut alium fuisse Joannem, aut ibidem poni deb re. Hic Callogerus juvenis, ut scribit E Casinensis, excellentissimi fuit ingenii, unde & propter merita vitæ, & claritatem doctrinæ Imperator ipsum suum Cancellarium fecit. Habebat autem unum discipulum, qui in omnibus, sive in modo scribendi, sive dictandi, sive dicendi suum imitabatur magistrum. Sed turbatus eidem, literas scribit in persona sui magistri, & de proditione sui Domini, inimicis Imperatoris. Quod cùm ad ejus pervenisset notitiam, vocatus Joannes Damascenus, jussit eidem Imperator manum amputari; quod patienter ferens, vadit ad altare Beatæ Virginis cujus erat devotus, cujus meritis manus est restituta. Hic fecit librum sententiarum, in quo imitatur tres Doctores Græcos, videlicet Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, ac Didymum Alexandrinum, quos sæpiùs in dicto inducit libro. Unum tamen dicit ibidem, quòd ipsi non scripserunt, quod memini legisse, quòd Spiritus Sanctus à Filio non procedat; sed Spiritus Filii rectè dicitur. In modo autem tradendi Theologiam, & ordine, magister Petrus sententiarum ipsum imitatur. Hic etiam librum scribit in Medicina magnorum experimentorum, & rationum ad ægritudinum & morborum curas. Isto etiam tempore Longobardorum gens prævalet contra Odoagrum, & in Maurigam, transito Danubio, se transferunt, quæ communi nomine Pannonia nuncupatur; nunc autem Hungaria dicitur; ibique usque ad tempora Justiniani Principis quieverunt, ut infra videbitur.

CAP. XVI.

De Gelasio Primo, & LII. Pontifice, cujus tempore multa bona facta sunt: De Amico Episcopo Viennensi, qui hoc tempore floruit.

ANno Domini DIX. & ab Urbe condita MCCLXI. Gelasius Primus in Cathedra Petri sedit, natione Afer ex patre Valerio, sedit annis IV. mensibus VIII. diebus XXIX. & cessavit Episcopatus diebus VII. Hujus tempore facta est inventio cryptæ, & commemoratio S. Michaëlis. Hoc etiam tempore, ut scribit Martinus, invenitur corpus Beati Barnabæ, & Evangelium Beati Matthæi, quod propria manu in hæbraico Sanctus Matthæus scripsit. Hoc etiam tempore Avitus Episcopus Viennensis floret, qui totam Galliam ab hæresi Arriana defendit, cujus vita, & doctrina in gestis ipsius habetur, quæ clara fuit. Hic Pontifex Gelasius Manichæos de Roma deportari jubet, & ipsorum codices condemnavit, ut Cusentinus scribit. Hic etiam in Achacium, & Petrum Alexandrum ex ipsorum impœnitentia, & pertinacia augumentavit condemnationem. Hic etiam prosas, & Hymnos composuit, & libros in Ecclesia authenticos declaravit, & qui erant ab Ecclesia recipiendi, & qui tamquam apocrifi sustinendi, distinxit, de quo habes dist. XV. cap. *Sancta Romana*. Hic Pontifex ad suggestionem Synodi (**) *Mosanum* Episcopum ab infamia sublevavit, quia cum fletu suum recognovit delictum; unde & eidem libellum tradidit suæ purgationis. Hic fecit Sacramentorum præfationes; & quasdam epistolas comto & elimato sermone complevit, ut quædam Chronica, quæ Damasum imitatur, tradit. Hic Pontifex fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros XXXII. Diaconos II. Episcopos per diversa loca LXVII. sepultus apud S. Petrum XI. Calendas Decembris.

CAP. XVII.

Qualiter fulminavit anathema contra Imperatorem Anastasium, & de sævitia Hymerici contra veros Catholicos.

HIc Gelasius Imperatorem Constantinopolitanum Anastasium excommunicavit, sive ostendit excommunicari posse, aliorum exemplo Pon-

(*) *In Cod. Pat.* L. Imperator.

(**) *In Cod. Pat.* Mesenum,

Pontificum, ut patet dist. XCVI. cap. *Duo*, motus fortè, quia favebat Achacio, & Petro Alexandrino, in quo casu Summi Pontifices non possunt esse nimis audaces, ubi de zelo fidei agitur. Unde in dicto cap. dicit Gelasius, quòd Imperator dependet ex judicio Papæ, & non è contra; & multa ibi dicit dictus Pontifex auctoritate fulcitus Ambrosii. Hic Anastasius immediatè successit Zenoni, & fuit LI. Imperator, & malus homo. Isto tempore, videlicet Leonis Imperatoris, & Zenonis, & Gelasii Papæ, licèt modicum vixerit cum Imperatoribus prædictis, magna deseviit persecutio in veros Catholicos per Regem Vandalorum in Africa, videlicet Hymericum, qui Arriana erat infectus hæresi. Scribit enim Isidorus in sua Chronica, quòd omnibus Catholicis Ecclesias claudit, & eos variis suppliciis afficit, quorumdam etiam Religiosorum Episcoporum linguas abscidit.

CAP. XVIII.

De Odoacre Principe, qualiter victus est à Theodorico Rege Gothorum, & inde in tota Italia dominatur.

EOdem tempore Odoacer Ruthenus genere, ut Martinus scribit, cum sua gente in Italiam intrat ipsamque invadit, & annis XIV. ibidem imperat. Contra quem ex mandato Zenonis Imperatoris venit Theodoricus Rex Gothorum. Et attende hìc, quòd Zenon jam mortuus erat, quando Theodoricus vênit contra Odoacrum ex mandato Zenonis. Tunc Imperium multùm erat debilitatum propter hæreses, quibus Augusti favebant, quia ex hoc erant exosi Ecclesiæ. Unde tunc temporis Odoacer per potentiam occupavit Italiam, cùmque transiens Pannoniam, venisset Aquilegiam, occurrit ei Theodoricus cum suo exercitu, simulque pugnant, sed prævalet Gothorum Rex; fugiensque cum paucis, Odoacer venit Romam, sed Romani claudunt portas eidem. Unde Odoacer in Ravennam se confert, quem Theodoricus insequens cum sua comitiva, post trium annorum obsidionem, interfecit, & Romam veniens, cum gaudio est receptus. Hæc omnia partim habentur ex Longobardorum Histor is, partim ex Paulo Diacono Cardinali, partim ex Chronica Martini. Post hæc filiam Regis Francorum duxit uxorem, & sic in tota Italia longo tempore dominatur.

CAP. XIX.

Qualiter per Theodoricum captivatur Boëtius propter suam tyrannidem; & de libris, quos fecit, sicut magnus Philosophus.

HUjus tyrannide captivatur Papiæ, & proscribitur Boëtius Senator Urbis, habens duos filios Consulares, ut ipse idem de se testatur, quia iniquo ipsius regimini se opponebat. Hic magnus Philosophus cum Philosophia contendit, quem ipsa quasi apologetico more querulosis ejus vocibus respondens, validissimis argumentis de suis infortuniis consolatur. Hic Philosophus, & ex justitia passus, quia in carcere mortuus, quasi speciem martyrii consequutus est, quia pro justitia moritur. Hic multos libros composuit tamquam omnis complectens Philosophiæ limina; primò quidem in Logica, quia commentaria scripsit super Porphyrium; super prædicamenta; super Perhiermenias; Libros IV. Topicorum; Librum divisionum. Cathegoriarum, & hypotheticos syllogismos; in Mathematicis Arithmeticam, Musicam; tradidit de moribus librum, qui appellatur de Consolatione Philosophiæ, quem in V. libros distinxit. Fecit & librum de disciplina Scholastica, qui ad instructionem Scholarium in moribus ordinatur. Theologica autem multa ordinavit; primò quidem Librum de Trinitate; Librum de duabus naturis Christi; Librum etiam de Dogmatibus contra Nestorium & Euthycetem. Invenitur autem unus liber de Unitate, & uno; sed apud sapientes non approbatur. Moritur in Papia, & sepultus apud S. Augustinum.

CAP. XX.

De multis Doctoribus, & sanctis viris, qui istius Pontificis tempore floruerunt, & de Cledonio Rege.

EOdem tempore floruerunt multi Episcopi; primò quidem in Italia Germanus Capuanus Episcopus, & Epiphanius Ticinensis Episcopus, seu Papiensis, de quo magna Historiæ referunt; quod etiam apud barbaras gentes, quæ tunc vexabant Italiam in diversis partibus suis, in magna fuit reverentia & honore. In Gallia quidam Abbates, ut scribit Vincentius, clari fuerunt virtutibus; videlicet apud Carnotum floruit (*) Lanociatus Carnotensis; Aurelianis Maximus; apud Pictaviam Maxentius, quos omnes maximi meriti fuisse tradunt & ex ipsorum gestis est liquidum. Iis temporibus etiam Clodoveus multa prosperè agit Dei virtute, sed præcipuè contra Regem Alaricum Gothorum pugnat, ipsumque divina expugnat virtute; hoc etiam proprium habuit, postquam Baptismum suscepit, ad Domini misericordiam se conferre, ut gesta Francorum tradunt: propter quam caussam semper quasi in pugna victoriosus est factus. Referunt autem gesta Francorum, ipsum magnum fuisse Fidei sectatorem, & zelatorem: quod & uxor ejus Crotildis coadjuvit quamplurimum, ac doctrina Beati Remigii.

CAP. XXI.

De Anastasio II. & LIII. Pontifice, qualiter seductus est ab Achacio, & inde mala morte interiit.

ANno Domini DXIV. & ab Urbe condita MCCLXVI. Anastasius II. natione Romanus, ex patre Fortunato, sedit anno I. mensibus XI. diebus XXII. & cessavit Episcopatus diebus IV. Hic constituit, ut nullus Clericus prætermittat officium suum ira vel rancore. Hic, ut scribunt Martinus, & Cusentinus, Anastasium Imperatorem excommunicavit, qui suo tempore imperabat, fortè ex eadem caussa, qua ut supra Gelasius; quia tunc Imperatores videbantur favere Achacio, ut patet supra de Zenone. Et posset esse ex sua gratiositate, quia homo virtuosus erat in aliis, unde & ipse Anastasius Papa ab Achacio est seductus: propter quod, ut habetur dist. XIX. Clerus se ab Anastasio separavit: quod fuit tempore Theodorici Re-

(*) *In Cod. Patav.* Lamiociatus.

A Regis Gothorum, ut idem cap. dicit. Quis autem tunc fuerit iste Clerus, ibidem subditur, quia Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & alii Clerici, eo quòd sinè consilio eorum Anastasius communicavit Photino Diacono Thessalonicensi, qui communicaverat Achacio, & quia Achacium voluit occultè revocare, & non potuit, nutu divino percussus est. Hæc sunt verba decreti. Glossa verò idem ibi dicit, quòd suis meritis effudit intestina in secretis naturæ. Ubi attende, quòd de isto Achacio est unus can. XXIV. quæst. I. qualiter Gelasius supradictus non damnavit Achacium quasi novi erroris inventorem, sed antiqui imitatorem. Incidit enim in hæresim damnatam in Synodo Ephesina, videlicet Nestorii, & Photinus similiter incidit in errorem Euthycetis, ut quædam Chronica dicit.

CAP. XXII.

De sævitia Regis Vandalorum in veros Episcopos Catholicos de Africa, & de Doctore Fulgentio.

Circa ista tempora iteratò in Africa, ut scribit Vincentius Belluacensis desævit persecutio in veros Catholicos per Vandalos, quia Transamundus Rex dictæ gentis clausis Ecclesiis CCXXII. Episcopos exiliavit. In qua persecutione in Africa Fulgentius natione Afer, & Ecclesiæ Ruspensis Episcopus multa pro Fide Christi passus est, & in Sardinia cum multis aliis Episcopis exulavit. De hoc autem Fulgentio sic scribit Isidorus in lib. de Illustribus Viris: quòd in confessione Fidei clarus, in scripturis divinis fuit copiosissimè eruditus; in loquendo quoque dulcis; in docendo verò ac disserendo subtilis. Multa scripsit, è quibus legimus, videlicet de gratia Dei, & libero arbitrio libros VII. in quibus Fausto Gallico Regensis Urbis Episcopo respondit, qui Pelagiana hæresi erat infectus, ejusque conatur profundam elidere calliditatem. Legimus & ejusdem librum de Sancta Trinitate ad Felicem Notarium directum; librum quoque veræ Fidei regulæ, & alium de Sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Exstant & alii duo libri ejus de veritate prædestinationis ad Episcopos quosdam missi, in quibus demonstravit, quòd gratia Dei voluntatem humanam prævenit, & quosdam Deus munere justificationis praeelegit, quosdam verò in suis reprobis moribus occulto quodam judicio derelinquit. Est & liber altercationis ejus, quo de Fide cum Transmundo Rege prædicto Beatus Fulgentius disputavit. Ad Ferrandum quoque Ecclesiæ Carthaginensis Diaconum unum de interrogatis quæstionibus scripsit libellum. Inter hæc composuit multos tractatus, & sermones, quibus Sacerdotes in Ecclesiis uterentur. Claruit autem sub Transmundo Rege, prænotato Anastasio Imperatore regnante.

CAP. XXIII.

De quibusdam aliis Doctoribus, qui in diversis partibus floruerunt, & de miraculo, quod accidit circa quemdam Arrianum tempore hujus Pontificis.

Isto etiam tempore floruit Eugipius Abbas, ut idem Doctor dicit, ubi supra. Hic ad quemdam Paschasium Diaconum de vita Sancti Monachi Severini librum transmissum brevi stilo composuit. Scripsit & regulam Monachis existentibus in Monasterio ejusdem Sancti Severini, quam eisdem quasi quodam jure testamentario dereliquit. Claruit autem, Anastasio eodem tempore Imperatore regnante. Eo etiam tempore apud Carthaginem Osipius quidam Episcopus Arrianus Sanctam Trinitatem blasphemans, in balneis ictus igneis jaculis, Angelo mittente visibiliter, est combustus. Per idem tempus floruit apud Regnum Galliæ Faustus Episcopus vir in divinis Scripturis multùm intentus, ut Gennadius scribit ubi supra. Composuit quemdam librum de Spiritu Sancto, in quo ostendit, ipsum secundùm fidem primùm consubstantialem esse Patri, & Filio in natura Divinitatis. Edidit quoque opus egregium de gratia Dei, qua salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio, in quo opere docet, gratiam Dei invitare, & adjuvare nostram voluntatem. Legi & ejus librum adversùs Arrianos, & Macedonianos, in quo essentialem prædicat Trinitatem; alium autem adversùs eos, qui dicunt in creaturis aliquid esse incorporeum, in quo & divinis testimoniis, & Patrum confirmat sententiis, nihil credendum incorporeum esse, nisi Deum: quod sanè habet intelligi, quia hoc videtur Beatus Augustinus sensisse. Scripsit etiam quædam contra quemdam Nestorianum. Sunt & alia ejus multa scripta, quæ quia nondum legi, nominare nolui. Viva tamen voce egregius Doctor, & eruditus probatur. Scripsit etiam quædam exhortatoria ad Felicem Præfectum Provinciæ, patriciæ dignitatis origine, qui religionis assumserat habitum, de laude religionis, & timore Dei convenientem personæ pleno animo pœnitentiam agere disponenti. Et attendendum hic, quòd ea, quæ hic dicuntur, non terminant cum Anastasio Papa, sive Imperatore, quia potuerunt supervixisse. Isto tamen tempore fuerunt, & concurrerunt cum eis, & quia non pari tempore cursum perfecerunt vitæ, inde sequitur diversitas apud Historiæ Scriptores, qui Doctorem aliquem tradunt sub alio, & alio floruisse secundùm ipsius diuturnitatem vitæ, ut supra est satis manifestum de Beato Joanne Evangelista, Hieronymo, & Augustino, & aliis multis, de quibus actum est supra.

Explicit Liber Octavus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER IX.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Symmacho Primo, & LIV. Pontifice, qualiter in discordia fuit electus, & de judicio circa hoc Theodorici.

ANno Domini DXVI., & ab Urbe condita MCCLXVIII. Symmachus Primus natione Sardus ex patre Fortunato in Sede Petri locatur. Sedit annis XV. mensibus VII. diebus XXVI., & cessat diebus VII. Circa istum autem Pontificatum magna quidem acciderunt, & dissensiones, & schismata sunt generata, super quibus gesta Francorum Ammonii satis diffusè loquuntur; sed & alii Chronicorum scriptores adhuc multa dicunt, ut Martinus, Cusentinus, & quædam Chronica, cujus nomen mihi ignotum, multùm tamen Damasum imitatur. Omnes igitur Historiæ, quæ de Summis Pontificibus agunt, in hoc conveniunt, quòd Symmachus in discordia fuit electus. Sed de modo sic refert Ammonius in gestis Francorum lib. I., & aliæ Historiæ, quòd Symmachus electus fuit in Basilica Constantiniana ab aliqua parte Cardinalium, & populi. Laurentius autem quidam in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris eligitur ab alia parte. Sed cùm unus alteri non cederet, constituerunt, ut lis cœpta judicio Regis Theodorici supradicti, qui tunc in Italia plenum habebat dominium, definiri deberet. Qui Ravennæ existens, dum Legatos utriusque partis audivisset, decrevit, ut qui priùs electus foret, aut quem major pars Cleri simul, & populi elegisset, in Sede Apostolica resideret. Unde Symmachus Pontifex factus, Laurentium in Ecclesia Sutrina constituit Episcopum ex sua misericordia & pietate. Hunc autem Pontificem Historiæ describunt virum virtuosum fuisse, amatorem Cleri, & pauperum, bonum, prudentem, humanum, gratiosum, sicut rei eventu postea comprobatur. Unde & Cusentinus scribit de ipso, quòd Episcopis relegatis in Sardinia per Trasamundum necessaria ministrabat.

CAP. II.

De quodam Cardinali, qualia passus est, quia favit in discordia indigno.

REfert autem dicta Historia Francorum quoddam mirabile circa dissensionem, & habetur à Beato Gregorio in libro Dialogorum, quòd quidam Diaconus Cardinalis nomine Paschasius inflexibiliter parti Laurentii favens, numquam voluit Symmacho communicare, Laurentium diligens, & ipsum semper præferens, quem Ecclesia justo Episcoporum judicio sibi præesse repudiaverat. Et tamen virtuosus erat in aliis, quia amator pauperum Christi, & eleemosynarum sedulus dispensator, ut ibidem dicitur. Hoc ergo tempore dicti Pontificis dum memoratus Paschasius vitæ terminum clausisset extremum, accidit, Germanum Episcopum Capuanum medicorum consilio pro re-

A cuperanda salute corporis in quibusdam thermis lavari, quæ angulariæ dicebatur, ibidemque Paschasium, videlicet in eisdem caloribus stantem, ac si paratum ad ministrandum invenit. Quem cùm tremefactus inquireret, quid ibi tantus vir ageret, quem sciebat ad Deum migrasse, tamquam magni meriti, hoc ab eo recepit responsum: Pro nulla re iis caloribus aduri, nisi quia Laurentio favit, eique contra Symmachum nequiter agenti consensit; sed si pro eo preces effunderet, in hoc exauditum se sciret, si ad dictum locum rediens, ipsum minimè inveniret. Quod prædictus Episcopus faciens, rediit ad thermas, nec ipsum ibi invenit. Et attendendum, quia etiam refertur de ipso, &
B si esset purgandus, quòd ad suæ dalmaticæ tactum, quæ super feretrum portabatur, Dæmoniacus liberatus est. Utrum autem ista acciderint post primam, vel secundam seditionem, Historia prædicta mentionem non facit; & tamen major fuit discordia secunda, quàm prima.

CAP. III.

De secunda discordia inter Symmachum, & Laurentium, & Concilio congregato Romæ propter hoc, & de quibusdam laudabilibus operibus ejus.

C REferunt enim communes Historiæ, ut Cusentinus, & Martinus, & quædam Historia, de qua dictum est supra, quæ Damasum imitatur, quòd post aliquod tempus, hoc est post quatuor annos iteratò amici Laurentii suscitant turbationem in Clero & populo, opponentes crimina Symmacho, de quibus agitur II. quæst. VII. cap. *Nos si* §. ultimo. *Item Symmachus*. Propter quam caussam aliqui de Clero & populo separaverunt se à Symmacho: unde tunc ad suam petitionem Theodoricus Rex Gothorum, & Dominus in Italia, congregavit Concilium in Urbe, ut patet dist XVII. cap. *Concilia*. §. *Hinc est*. Advenientes autem Romam,
D pars Laurentii suscitavit turbationem, & multi fuerunt vulnerati, & secundùm Cusentinum occisi. Sed quidam Princeps dicti Regis se cum armatis opponens, sedavit seditionem. Quo facto congregati Episcopi centum & quindecim, in sede sua restituto Symmacho, Petrus quidam dictus Altinam damnatur, inventus, quòd crimina Sancto Symmacho falsò imponebat. Restitutus igitur Symmachus, Clerum & populum, qui se ab ipso separaverant, graviter reprehendit, quia ante sententiam latam contra eum recesserunt ab ipso, quod habes VIII. quæst. IV. cap. *Nonne*, ubi sic dicit, quòd lex Ecclesiastica Pontificem ab aliis accusatum prohibet relinqui, nisi sub luce objecta constiterint. Et
E post hoc, ut habetur ex dicto Concilio, omnes Episcopos sibi adversarios reconciliavit, eisque indulsit, sicut piissimus Pontifex. Hic Pontifex constituit omni die Dominico, & in Natalitiis Sanctorum, *Gloria in excelsis Deo* cantari. Et hic totum addidit in eodem, quod post verba Angeli sequitur, ut Martinus scribit. Sed attende

tende, hic, quia attribuitur supra Telesphoro. Hoc autem esse potuit, quod partem addidit unus, & partem alius. Istius Symmachi tempore octavus Rex secundùm Vincentium, sed secundùm Ammonium quintus, Chlotarius I. filius Clodovei regnat; regnavitque annis L. usque ad finem Vigilii Papæ. Hic Pontifex fecit plures ordinationes per mensem Decembris, Presbyteros XLVII. Diaconos XV. Episcopos per diversa loca CXVII. Sepultus apud Beatum Petrum XIV. Calendas Augusti. Est autem unum decretum valde diffusum, in quo plurima digna memoria referuntur de dicto Concilio, quod habetur dist. XCVI. cap. *Bene quidem*, ubi collationes sunt diversæ, & diversorum Episcoporum, inter quos post aliqua Symmachus ornatissimè definit, & post eum Laurentius Mediolanensis, & abinde Petrus Ravennas, quia post pacem reformatam, multa pulchra sunt instituta.

CAP. IV.

De quodam miraculo, quod accidit circa quemdam Episcopum Arrianum; De Gennadio Doctore; De Alarico Rege Vandalorum, qualiter fuit devictus à Chlodoveo.

IStius autem Symmachi tempore, & Anastasii Imperatoris accidit illud mirabile de quodam Episcopo Arriano, ut Isidorus in Chronica refert, qui vocabatur Barsabas, qui cùm quemdam baptizaret Arriana forma, quæ talis erat: *Baptizat te Barsabas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*, statim aqua disparuit, in qua baptizabatur. Quod videns baptizandus, ab Arrianis recedit, & à vero Catholico Baptismum suscepit. Isto etiam tempore floruit Gennadius Episcopus Massiliensis. Hic imitator Augustini, multa scripsit ad ædificationem Fidelium, sed inter alia est liber de Illustr. Viris, qui supra sæpiùs est allegatus. Item liber unus de Ecclesiasticis Dogmatibus, in quo summariè traditur, quid Fideli unicuique sit credendum, & quid agendum ad suam salutem. Hoc etiam tempore sub Anastasio Principe, qui multùm imperavit, quamvis malus, quia XXVI. annis, cùm Alaricus Vandalorum Rex infectus hæresi Arriana, cum sua gente & exercitu Aquitaniam invadens circa fluenta Ligeris fixisset tentoria, ut per Richardum scribitur, contra ipsum vadit Clodoveus divino fulcitus adjutorio, sicut verus Christi fidelis, cujus habuit divina indicia, & unum quidem, ut gesta Francorum tradunt, & ipse Richardus; quia cùm quemdam haberet transire fluvium nesciretque vadum, subitò apparuit una cerva; quæ præcedens castra, fluviumque vadans, ipsum dirigit ad vadandum, statimque disparuit, officio suo peracto. Sicque Rex Francorum transmeat Ligerim cum suo exercitu, castraque ponit circa Pictavium non procul à Basilica Sancti Hilarii, cujus tamquam à Patre totius Galliæ patrocinium postulat. Et tunc ipsa nocte aliud indicium divini auxilii est ostensum, quia facula est visa egredi ab Ecclesia Sancti Hilarii, ac super tabernaculum Regis Chlodovei videbatur extendi. Iis visis, confortati Franci ad pugnandum fortissimè, invadunt exercitum Alarici; factaque est strages de exercitu ejus, & ipse Alaricus in bello succumbit. Hic etiam propter suas probitates Consulatum recipit à prædicto Imperatore, ut dictæ Historiæ tradunt, quæ magna Imperialis dignitas est ab antiquo.

CAP. V.

De Hormisda Primo, & LV. Pontifice, qualiter de consilio Theodorici misit Legatos in Constantinopolim contra Anastasium Imperatorem.

ANno Domini DXXXII., & ab Urbe condita MCCLXXXIV. Hormisda Primus natione Campanus de Civitate Friselon, & ex patre Justo, in Cathedra Petri sedit. Rexit autem annis X. (*) diebus XVI. & cessat diebus VI. Hic, ut Chronicorum scriptores communiter tradunt, ex ordinatione Synodi, & auctoritate Apostolica reconciliavit Græcorum Ecclesiam, quæ sub anathemate erat propter Petrum Alexandrinum, & Achacium Constantinopolitanum corrupta. Inde postea veniens Hormisda Ravennam ad Regem Theodoricum, quo tunc Papa indigebat propter rabiem Anastasii Imperatoris, qui corruptus erat hæresi Euthycetis, cum ipso contulit super errore Græcorum, qui veris Catholicis tunc ex certa caussa favebat. Unde Historiæ referunt, & præcipuè una Chronica, quæ continuatur cum Chronica Damasi, quòd cum consilio Theodorici Hormisda Papa misit Legatos in Constantinopolim, videlicet Ennodium Episcopum Ticinensem, idest Papiensem, & Fortunatum Episcopum Catanensem, ac Eventium Presbyterum, & Vitalem Diaconum urbis Romæ. Ii euntes ad Anastasium Imperatorem ad ipsum commovendum de errore prædicto, sed nihil agentes, redierunt vacui. Item Hormisda alios transmisit Legatos, videlicet Ennodium prædictum, & quemdam Episcopum nomine Peregrinum, & Pollionem Subdiaconum Urbis, qui deferentes epistolas fidei & protestationes secretas, venerunt Constantinopolim, mandatumque suscipiunt à Summo Pontifice, ut primò Anastasium Imperatorem requirant; sed si recuset ad gremium Ecclesiæ redire Catholicæ, protestationes per Civitates dispergant, quod etiam factum fuit. Cùm enim Anastasius prædictis consentire nollet, eo quòd esset Euthycetis favens erroribus, conatus est dictis Legatis muneribus satisfacere.

CAP. VI.

Qualiter ipsos Legatos Imperator periculo maris exponit, unde nec articulos potuerunt promulgare, & quàm durè scribit Papæ.

SEd ipsos pecunia corrumpere non valens, vituperosè & periculosè à se abjicit; namque ipsos exponens duobus nautis, deducuntur sub periculo mortis, quorum nomina Heliodorus, & Demetrius, quibus præcepit nullam directam transmeare viam, nec ullam Civitatem intrare. Quod videntes dicti Legati, secundùm mandatum eis impositum ab Hormisda Papa, per quosdam Calogeros Catholicos suprascriptas epistolas fidei, quæ superiùs protestationes sunt nominatæ numero XIX. ad singulas detulerunt Urbes, ad provocandum populum contra Principem sic corruptum hæresi. Sed ipsi timentes Impe-

(*) In Cod. Patav. Annis IX.

Imperatorem, quilibet suam epistolam Constanti direxit, nec apud se ausus est tenere. Quod cùm Imperator Anastasius vidisset, furia movetur, & talia dicitur Hormisdæ Papæ scripsisse secreta: *Nos*, inquit, *Anastasius jubere volumus, non nobis juberi*. Iis autem cùm arrogantia dictis, ictu fulminis interiisse fertur in aliorum exemplum. Hæc in quadam antiqua Chronica reperi, quæ à Petro incipit, & terminatur in Felice Quarto. De hac etiam morte Anastasii Richardus scribit. Tradunt etiam communiter Historiæ de ipso, quòd quia Fidem Catholicam maculavit hæresi, ut quidam dicunt, Arrianâ, alii Nestorianâ, aliique Euthycianâ, & ad Ecclesiam Romanam irreverens fuit, Deus permisit eum infeliciter vivere, quia ex omni parte vallatus est hostibus, & à singulis passus confusionem; & tamdem infeliciter mortuus, ut jam dictum est.

CAP. VII.

De Justino Imperatore, & qualiter Hormisda Papa revocavit acta Anastasii, & reconciliavit Ecclesiam Græcorum Romanæ.

Huic Anastasio successit Justinus, qui fuit vir totus Catholicus, & Catholica Fide plenus, qui est in Catalogo Imperatorum LII. Hic omnes actus damnavit Anastasii, summumque per Legatos requirit Pontificem, videlicet Hormisdam, offerens se velle suis obedire mandatis. Tunc dictus Episcopus Romanus Constantinopolim Legatos mittit Germanum Episcopum Capuanum, & quemdam alium Episcopum cum uno Presbytero, & uno Diacono Urbis Romæ; & ii secum deferunt omnia munimenta fidei, libellumque, quem Græci confiteri debebant ad communionem suscipiendam Apostolicæ Fidei. Cùm igitur pervenissent prope Constantinopolim, totus populus, & Clerus extra Civitatem eisdem occurrerunt. Insuper & ipse Imperator Justinus cum Illustribus Viris, & Magistratibus deducunt eos ad Ecclesiam Sanctæ Sophiæ. Tunc totus Clerus Constantinopolitanus, antequam assentiret Apostolicæ Sedi, petit certificari de caussa, quare ipsorum Episcopus, Achacius videlicet, sic damnatus; & de hoc etiam Imperatorem requirunt, qui cum eis Ecclesiam non intravit. Electo igitur ex eis Legato Dioscoro Diacono Urbis Romæ, ostendit vivacissimis rationibus, dictum Achacium suis meritis fuisse damnatum. Quibus auditis, satisfactum est multitudini de sua damnatione, & dixerunt *Amen*. Deinde acclamavit Clerus & populus cum Just no, Apostolicæ Sedis contra ipsum veram fuisse sententiam. Post hoc Justinus Imperator omnibus Episcopis Græciæ mandat Sedi Apostolicæ obedire; & sic ad gremium Ecclesiæ redierunt, & libellum Fidei receperunt, & Fidem Romani Pontificis confitentur. Factaque est magna in populo & Clero lætitia ex tanta communione & reintegratione Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, ac Græcorum ad Apostolicam Sedem.

CAP. VIII.

De operibus virtuosis dicti Pontificis, & de reverentia Chlodovei ad Ecclesiam Romanam.

Hic Hormisda invenit Manichæos in Urbe, quos discussit sub plagarum examine, &

ipsorum calices mandavit comburi ante fores Basilicæ Constantinianæ. Hujus etiam Papæ temporibus, ut Ammonius in gestis Francorum describit, Clodoveus Rex Francorum direxit ad Beati Petri limina hortatu Beati Remigii auream coronam gemmis pretiosissimis insignitam; in quo facto patenter ostendit, se Deo non fore ingratum, dum ad ipsius Apostoli sepulcrum insigne mittit Regium, sciens se à Christo solio Regni esse donatum. Hic Pontifex ordinationem fecit, sicut & alii. Sepultus est apud Sanctum Petrum VII. Idus Augusti. Hujus etiam tempore dicitur fuisse B atus Mamercus secundùm gesta Francorum. Sed alii dicunt, quòd tempore Leonis Papæ, de quo dictum est supra. Hic Sanctus Pontifex postquam multas eleemosynas pauperibus erogasset, ut scribunt Martinus, & Cusentinus, necnon & diversis Basilicis diversa contulisset ornamenta, apud Sanctum Petrum trabem argenteam dimisit MXL. librarum.

CAP. IX.

De Joanne Primo, & LVI. Pontifice, & gravaminibus, quæ passus est à Theodorico Rege Gothorum, & quare.

Anno Domini DXLI. & ab Urbe condita MCCXCIV. Joannes Primus natione Tuscus ex Patre Constantio in Cathedra Petri sedit. Sedit autem annis III. mensibus VIII. diebus XVIII. & cessat diebus VIII. Circa istum Joannem omnes Chronicorum Scriptores de gestis Summorum Pontificum concordant de suo gravamine per Theodoricum Regem Gothorum; sed in modo discordant: & ideo accipiendum de eis, prout conveniens est Historiæ nunc dicendæ. Refert autem Ammonius in gestis Francorum istam discordiam magis diffusè, quia Theodoricus corruptus hæresi Arriana, jam incipit esse Tyrannus contra veros Catholicos, quia usque ad tempora Justini fuit eisdem valde favorabilis, ut ex supradictis patet. Mortuo igitur Hormisda Papa, succedit Joannes, cujus tempore Theodoricus subversus ab Arrianis (cùm ante contra Anastasium Imperatorem favorabilis Hormisdæ Papæ fuerit, ut ex superioribus patet) factus Arrianus, jam intendit ad tyrannidem, & nonnisi ex suspicione perdendi dominium in Italia; & quia videbat Justinum Imperatorem cum Sede Apostolica concordare, sectæ Arrianæ se dedit. Et attende hìc, quia barbaræ nationes, quæ intraverunt & vastaverunt totam Italiam, ut Gothi & Vandali, pro illo tempore ista hæresi fuerunt corrupti. Quia igitur Justinus, sicut verus Catholicus, toto conatu in Orientalibus partibus exstirpat hæreticos, sive Arrianos, sive Nestorianos, sive Euthycianos, ac ipsorum Ecclesias confert veris Catholicis: ista de causa Theodoricus Papam Joannem, ut dicta Historia tradit, cum multis nobilibus Romanis mittit in Constantinopolim, denuntians per eos Justino Imperatori, quòd nisi Eccl. sias restitueret Arrianis, quas eisdem abstulerat in parte Orientali, & ampliùs non gravaret eos, omnes veros Catholicos interficeret in Italia. Dictus autem Theodoricus tunc potentissimus erat ibidem tum ex sua gente, tum ex sua parentela contracta cum diversis Principibus Europæ. Refert enim prædicta Historia, quòd accepit in uxorem sororem Chlodovei Regis Francorum; sorores etiam suas diversis Principibus copulavit, & inde factus est audax.

A

CAP. X.

Qualiter Joannes Papa ivit in Constantinopolim, & quomodo honorabiliter est susceptus, & obtinuit quod petebat, & de mala morte Theodorici.

VAdens igitur Beatus Antistes cum sua comitiva in Constantinopolim, honorificè à Justino susceptus est cum populo & Clero; factoque officio, Beatus Pontifex, ut Vicarius Christi Imperialem coronam Justino imponit, ut dicta Historia tradit. Tradunt autem aliquæ Historiæ, quòd in introitu Civitatis Constantinopolitanæ quemdam cœcum illuminavit. Peractis verò, pro quibus venerat, & impetratis, obtenta remeandi licentia, Ravennam reversus est. Sed Theodoricus animo ferox cùm audisset Papam Joannem sic honoratum ab Imperatore Justino, & ipsos ad invicem sic concordare, in despectum Justini Principis ad crudelitatem intendit. Unde Symmachum Patricium, & Boëtium ipsius (*) germanum captivari mandavit, & multos alios nobiles de partibus Romæ, qui ipsius se tyrannidi opponebant. Ipsum etiam Joannem Papam apud Ravennam carceris squallore interimit, & post modicum tempus pro reverentia tanti Patris, corpus ejus Romam transfertur, & in Ecclesia Beati Petri locatur. Et post hæc ad dies paucos, ut communiter Historiæ referunt, dictus Theodoricus mala periit morte, visusque est à quodam Sancto Eremita, qui infra Insulam Liparis vitam gerebat solitariam, per Sanctum Joannem Papam, & Symmachum Patricium in os Vulcani demergi, ut in Dialogo scribitur.

CAP. XI.

De Beato Benedicto, qui isto tempore incœpit florere, & morte Chlodovei, & qualiter filii diviserunt Regnum.

CIrca ista tempora, ut Ammonius scribit in gestis Francorum in fine libri I. florere incœpit Beatus Benedictus, in Nursia Civitate natus, quæ est pars Thusciæ, jam plures annos attingens. Unde tunc à parentibus Scholis liberalium Artium deputatur. Et eodem tempore Chlodoveus Rex Francorum, ut in eisdem habetur gestis, diem clausit extremum, & XXX. annis regnavit in Francia, relictis quatuor filiis, videlicet Theodorico, Clodomiro, Childeberto, atque Clothario. Ii autem quatuor filii, ut in lib. II. ejusdem Historiæ traditur, regnum Patris æqualiter in quatuor partes dividentes, quilibet sibi Regiam constituit sedem. Unde primus, videlicet Theodoricus sibi sedem constituit apud Metim; secundus videlicet Clodomirus sedem suam posuit apud Aurelianum; tertius verò Clotharius sedem suam constituit apud Suessionem; quartus autem Childebertus sedem suam posuit Parisiis, ubi & pater. Et tunc in eadem Historia tanguntur subsequenter, quæ acta sunt circa Joannem Papam, de quo hìc agitur Tradit autem eadem Historia, quòd à transitu gloriosissimi Regis Chlodovei usque ad transitum Beati Martini fluxerunt anni CXII.

(*) *In Cod. Patav.* generum.

CAP. XII.

De Childerico Rege Vandalorum, qualiter meritis Matris factus est verus Catholicus; De Beata Brigida, & multis Doctoribus.

CIrca ista tempora, etiam mortuo Trasmundo Rege Vandalorum, ut scribit Vincentius Belluacensis, qui Episcopos relegaverat in Sardiniam, ut supra patet, succedit eidem in Africa Childericus filius ejus. Hujus mater Eudoxia tota Orthodoxa filium suum de vera instruit Fide, & ipsius suggestionibus omnes memoratos Episcopos de dicta Insula revocat, & suis restituit sedibus, licèt pater ipsum sub juramento arctaverit, quòd nullum Episcopum ab exilio revocaret. Et eodem tempore Beata Brigida in Scotia floruit, atque miraculis claruit. Eodem etiam tempore, ut scribit Martinus Polonus, omnis pulchritudo Antiochiæ per terræmotus exterminata est. Eodem tempore, ut scribit Gennadius, floruit Joannes Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter ex Grammatico, qui scripsit adversùs eos, qui in una tantùm substantia adorandum asserunt Christum, nec acquiescunt esse duas in Christo confitendas naturas, asserens secundùm relationem Scripturarum unam in illo Dei, & hominis personam, non unam carnem, & Verbi naturam; simul & impugnat quædam verba Cyrilli scripta contra Nestorium. Dicit autem Gennadius, Doctorem prædictum suo tempore vivere, & adhuc declamare. Hoc etiam tempore, scribit Isidorus de Illustribus Viris, quemdam Episcopum Hispanum floruisse Ecclesiæ, videlicet Pacensis, cui nomen Apringius, qui disertus lingua, & in scientia eruditus, multa scripsit utilia, sed inter alia Apocalypsim interpretatus est quodam subtili sensu, atque illustri sermone ultra modum Doctorum veterum, & plusquam scripserint aliqui Ecclesiastici viri.

CAP. XIII.

De Felice Quarto, & LVII. Pontifice, & de iis, quæ egit, & suo tempore acciderunt.

ANno Domini DXLV. & ab Urbe condita MCCXCVII. Felix Quartus natione Sabinus ex patre Constantio sedit in Cathedra Petri. Sedit autem annis VI. mensibus VI. diebus XIII. Hic constituit, ut Martinus scribit, ut infirmi ante transitum suum Sancto Oleo inungantur. Sed attende hìc, quia ista constitutio fuit primò facta per Christum, sed postea disposita per Apostolos, cùm ista unctio sit Sacramentum, ut patet dist. XCV. cap. *Illud superfluum*, & XXVI. quæst. 7. cap. *Ab infirmis*. Cùm ergo omnia Sacramenta fuerint instituta per Christum, ut Doctores dicunt, Ambrosius videlicet, & Augustinus, istud Sacramentum, fuit institutum per ipsum; & sic ista constitutio ab ipso dependet. Hic etiam Felix, ut scribunt Martinus, & Cusentinus excommunicavit Patriarcham Constantinopolitanum post mortem Justini Imperatoris ex certis caussis; quia fortè rebellabat contra mandata Romani Pontificis. Hic in quiete moritur, mortuo Theodorico Tyranno, & apud Ec-

Ecclesiam Sancti Petri sepelitur, & cessat mense I. diebus XV. Istius tempore multa & magna acciderunt in Mundo. Primò quidem de promotione Justiniani Imperatoris, qui fuit nepos Justini, ut omnes quasi Historiæ referunt. Hic Justinianus fuit LIII. Imperator à Julio, & fuit optimus Imperator, & diu imperavit, videlicet annis XXXVIII. Unde à præsenti Felice usque ad Pelagium primum se extendit ipsius Imperium.

CAP. XIV.

De Justiniano Imperatore, & de Bellisario, qui istius Pontificis tempore incœperunt florere, & Beato Benedicto.

NUnc igitur aliquid videndum de suo initio, quia quicquid egit, totum dignum fuit memoria. Refert autem Ammonius in gestis Francorum optimus scriptor Historiæ, quòd duo erant officiales in Curia Imperatoris Justiniani, videlicet Justinianus, & Bellisarius. Justiniano hoc officium erat, quòd esset sacri scrinii custos; Bellisarius equitum erat magister. Cùmque in officiis se mutuò honorarent, ex hoc actu virtutis moti, juramento se invicem obligant fide sincera, ut si quis eorum altioris gradus potiretur honore, socium sibi æquaret dignitate: quod & rei postea probavit eventus. Refert autem Historia præfata de quibusdam prægnosticis actibus; primò, quòd Justinianus Imperialem consequutus est apicem, de quibus longus est sermo, & ideo Imperatorum Catalogo relinquendum, & quod dictum est de ipso, ad præsens sufficiat, ac ad alia istius temporis procedendum. Primò quidem de Beato Benedicto est agendum, qui eodem tempore floruit, ut omnes quasi Historiæ referunt; cujus prima claritas virtuosorum actuum liquet in Monte Casino, quamvis aliqui præcesserint alibi, sed non ita solennes, ut in Sublacu, qui ab Urbe Roma XL. milliaribus distat, ut Longobardorum tradit Historia, de quibus omnibus Beatus Gregorius in Dialogo suum stilum multùm diffudit de vita videlicet, & virtutibus ejus. Regulam scripsit plenam omnibus documentis, quibus spiritualis vita, & contemplativa perfici potest, & temporalibus rationabiliter sustentari. Hujus etiam Sancti Historiam Paulus in gestis Longobardorum metricè nobis tradidit.

CAP. XV.

De iis, quæ acciderunt Chlodomiro filio Chlodovei propter irreverentiam ad Sacrum.

EOdem etiam tempore refert Ammonius in gestis Francorum lib. II. quoddam mirabile super uno de filiis Chlodovei, Regis Francorum, cui nomen Chlodomirus. Cùm enim ad preces matris suæ Crotildis Reginæ, de qua dictum est supra, cum aliis fratribus suis movisset bellum contra filios Gundibaldi Regis Burgundionum, videlicet Sigismundum, & Gendinarium, pro eo quòd Patrem dictæ Reginæ Crotildis gladio necaverunt, matrem verò in flumine submerserunt: accidit signum, dum peregrinationem faceret ad quamdam Basilicam Sanctorum Mauritii, & Sociorum ejus apud Agaunonem, quam ipse propriis expensis construxerat; quod audiens Clodomirus, occurrit eidem armata manu, & ipsum capit, captum autem carceri mancipavit. Tunc Beatus Avitus Aurelianensis Episcopus accedens ad Chlodomirum Regem, sicut vir compassione plenus, ad Sigismundi liberationem preces interponit pro ipso. Sed Rex Sancti Aviti Episcopi preces contemnens, dictum Principem ad quamdam villam, quæ vocabatur Columnia, deduxit, ibidemque capite cum filiis detruncari jussit, & ipsorum corpora in quemdam puteum, in quem damnatorum projiciebantur corpora, projici jussit. Et quia Chlodomirus divino non cessit cultui, sive Sanctorum Martyrum reverentiæ, Sanctique Aviti postulationes sprevit, in eum Deus eumdem casum venire permisit, quia dum per quamdam regionem transiret, incidens cum paucis in manus hostium, videlicet Burgundionum, occisus est ab eis.

CAP. XVI.

De Cassiodoro, qui floruit tempore hujus Pontificis; & de Brixiano Oratore.

EOdem tempore floruit Cassiodorus, ut Richardus scribit. Hic priùs Consul, postea Senator, deinde Monachus factus in Urbe Roma, plurima opuscula ad instructionem Fidei nobis tradidit; sed præcipuè super Psalterium luculentissimo sermone commentum fecit. Scripsit etiam tempore sui Senatus in Ravenna sub Theodorico Rege Gothorum Librum epistolarum ornatissimo sermone compositum. Et toto tempore, quo administravit Rempublicam, Theodoricus favit Ecclesiæ; sed postquam factus est Monachus Cassiodorus, Theodoricus aversus est, & factus est Arrianus. Eodem tempore, ut idem Richardus dicit, floruit Priscianus Cæsariensis, & apud Bysantium secreta Grammaticæ, ut ita dicam, rimatus est. Floruit etiam isto tempore Arator Subdiaconus Urbis Romæ, ut omnes quasi Historiæ ponunt, qui actus Apostolorum versibus hexametris peroravit, ut Isidorus in sua parva Chronica scribit.

CAP. XVII.

De Justiniano Episcopo Valentinensi, qualis fuit, & qualia scripsit, & quo tempore Principum fuit; de Bellisario, quis fuit.

EOdem tempore floruit Justinianus Ecclesiæ Valentinensis Episcopus ex quatuor fratribus, & Episcopis eadem matre progenitis. Hic scripsit librum responsionum ad quemdam Rusticum quasi quodam apologetico more. Quarum prima responsio est de Spiritu Sancto; secunda contra Arrianos, quos Bonosiacos appellat Isidorus de Illustr. Viris, qui Christum adoptivum, & non proprium filium dicunt; tertia responsio est de Baptismo Christi, quem iterare non licet; quarta verò de distinctione Baptismi Joannis, & Christi, quinta autem utrum Filius sicut Pater sit invisibilis. Claruit autem, ut Isidorus dicit ubi supra, in Hispaniis tempore Taudis Principis Gothorum, & in primordio Imperii Justiniani. Et attende hìc, quia bella dicti Imperatoris gessit Bellisarius ejus Collega in simplici officio constituti, ut supra est manifestum. Hic primò transfretat in Africam, & ibidem cum Vandalis pugnat, & ipsos expugnat, indeque fugat, ac in Hispaniam

niam se conferunt, & in quadam Provincia quiescunt, quæ antiquitus vocabatur Borna, ut scribit Isidorus XIV. Etimol. Sed postquam Vandali ibidem quieverunt, expulsi de Africa, dicta regio Vandalia nuncupatur usque in hodiernum diem. Hoc etiam tempore, ut scribit Belluacensis Vincentius, in Africa quibusdam Episcopis, quibus fuerunt linguæ præcisæ radicitus, divina sunt restitutæ virtute, ut etiam disertissimè loquerentur. Tunc florent in Francia, ut scribit idem Isidorus Auctor, Theodoricus Abbas, & Theodulphus ejusdem discipulus. Fratres etiam uterini eodem tempore fuerunt, qui eadem die nati & Pontifice consecrati, Medardus videlicet ad Noviomensem, & Ghaldardus ad Rothomagensem, uno quoque die absoluti à seculo, & à Christo assumti.

CAP. XVIII.

De Bonifacio II. & LVIII. Pontifice; de Constitutionibus, quas fecit; & de virtuosis operibus Sancti Benedicti.

ANno Domini DLI. & ab Urbe condita MCCCIII. Bonifacius II. natione Romanus ex Patre Sigismundo (*), in Pontificem Romanum assumitur. Sedit autem annis II. mensibus VIII. diebus XXVI. Hic constituit, ut Clerici sint divisi à Laicis in celebratione Missæ, ut Martinus scribit. Hoc habes de Consec. dist. II. cap. *Sacerdotum*, & Extra de vita & hon. Cler. cap. I. Hic electus est in discordia cum Dioscoro. Sed eo mortuo, Bonifacius in Sede Petri locatur. Hic constituit, ut nullus Episcopus possit sibi successorem relinquere. Hoc autem multi Pontifices sequentes confirmaverunt, ut Gregorius, ut habes VIII. quæst. I. cap. *Episcopo* circa medium; & est exemplum de Clemente, ut supra patet. Item constituit, quòd electio Pontificis post tres dies à morte ejus propter periculum fieri deberet. Hoc autem habes dist. LXXIX. cap. *nullus*. Hic sepultus est in Ecclesia Beati Petri. Et attende, quia usque quasi ad tempora ista scribebatur in Chronicis de ordinationibus, quas Summi Pontifices faciebant, sed ulteriùs non plus scribitur, quia ad hoc non intenderunt, nisi ex speciali gratia, solis Diaconis relinquendo, & de Episcopis Metropolitanis, scilicet Patriarchis. Item in Chronicis raro fit mentio de tempore, quo moriuntur, quia ulteriùs non est de iis, nisi de paucis tanta opinio sanctitatis. Hoc tempore incipit Beatus Benedictus multiplicari in Monachis, & Monasteriis & clarere; unde nobiles illius regionis usque Romam pro gratia habebant filios educari per Patrem talem, ac moribus instrui. Unde & eo tempore duo floruerunt discipuli ejus, Maurus, & Placidus nobiles Romani. Et unus quidem in Galliam missus, ibidem miraculis claruit, sicut habetur infra in cap. de Sylverio; Placidus verò in Siciliam, ibidemque quievit.

CAP. XIX.

De Justiniano Imperatore, & gloriosis victoriis ejus per Bellisarium, & de magnis operibus virtuosis ejus.

HOc etiam tempore Justinianus per Bellisarium multarum gentium triumphator, ut omnes Historiæ referunt, jam suum dilatat Imperium, subjiciendo sibi totam Scythiam inferiorem per Bellisarium, Germaniam, Africam, Galliam, & Italiam, sed præcipuè duas gentes insecutus est, quæ mundum Europæ nimium infestabant, videlicet Gothicam, & Vandalicam, quarum utraque expulsa de diversis regionibus in Hispania requievit, sicut in Catalogo dicetur Imperatorum. Sed quid sibi postea accidit de Italia, infra dicetur. Hic postquam se vidit sic in Seculi rebus proficere, tria fecit; unum quidem ad terrorem rebellium, in suis literis, sive epistolis, sive quibuscumque scripturis, aut legibus, seu decretis sic se in principio denotat: *Flavius Justinianus Alamannicus, Gothicus, Francus, Germanicus, Atticus, Africanus, Alanicus, Vandalicus, Italicus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator semper Augustus*; ubi describuntur gentes, quarum Justinianus per Bellisarium recuperavit Imperium. Secundum autem, quod fecit, fuit gloriosum, & dignum omni memoria, quia ad Bibliothecam, sicut magnus sapientiæ amator intendit; unde & Paulus scribit in primo libro de Longobardorum Historia, quòd Leges civiles, quæ Romanæ dicuntur, quarum prolixitas erat nimia, & mirabilis dissonantia, admirabili brevitate correxit; nam omnes constitutiones Principum, quæ in multis voluminibus habebantur, inter XII. coarctavit Libros, idemque volumen Codicem Justiniani appellari mandavit. Ad hanc autem compilationem solennissimos habuit viros suos coadjutores, videlicet Joannem virum excellentissimum exquisitorem sacri Palatii, Consularem, atque Patritium, & alios VIII. famosissimos, qui ibi nominantur in Jure civili. Ad compositionem autem Institutionum tres Doctores solennissimos habuit, videlicet Tribunianum, & Theophilum, & Dorotheum, de quibus in dicto Jure fit mentio, & similiter de aliis compilationibus est dicendum. Rursumque singulorum Magistratuum, & Judicum Leges, quæ usque ad duo millia pæne libros erant extensæ, intra L. Librorum numerum redegit. Ipsum librum digestorum dici voluit, seu Pandectarum. Fecit & Librum Institutionum, quem in quatuor distinxit libros, in quibus universarum legum textus breviter comprehendit, novumque composuit. Novas quoque Leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactas, Novellas vocari voluit, quas nos communiter Authenticas appellamus per collationes distinctas.

CAP. XX.

Qualiter ad divinum cultum multùm intentus; & de templo, quod ædificavit in Constantinopoli; de libris Catholicis, quos conscripsit.

ABinde ad divinum cultum multùm studet. Unde refert eadem Historia Pauli, quòd idem Princeps construxit intra Constantinopolim Templum, quod Sanctam Sophiam appellat, hoc est templum sapientiæ, quod Christo Domino attribuimus, cujus opus adeò cuncta ædificia excedit, ut in totis terrarum spatiis simile inveniri non possit. Describit autem prædicta Historia Principem prædictum, quòd fuerit Fide Catholicus, in operibus sanctus, rectus, justus in judiciis; ideoque eidem omnia currebant in bonum. Et attendendum hìc, quia in isto Principe

(*) *In Cod. Patav.* Siginulfo.

cipe tria illa concurrerunt, quæ Comestor dicit in Scholastica Historia concurrisse in veris Monarchis; potentia, videlicet, sapientia, & divinus cultus. Refert etiam Isidorus in libro de Illustr. Viris, quòd scripsit quosdam libros de Incarnatione Domini, quos per diversas transmisit Provincias. Condidit etiam quoddam scriptum de Fide Catholica, de quo infra agetur, quum de Synodo sub ipso celebrata dicetur.

CAP. XXI.

De Dionysio Abbate Computista, & de aliis Doctoribus, qui istis temporibus floruerunt.

HOc tempore juxta memoratam Historiam Longobardorum floruit Dionysius Abbas in urbe Roma constitutus, qui Paschale calculum miranda argumentatione composuit, cujus doctrinam in Ecclesiastico computo magis imitatur Ecclesia. Eodem tempore floruit Facundus Hermianensis Episcopus. Hic, ut scribit Isidorus ubi supra lib. XI., composuit pro defensione Fidei contra tria Capitula quorumdam Episcoporum hæreticorum Orientalis Ecclesiæ, qui pessimi erant Euthyciani, & in quibus Chalcedonensis Synodus damnabatur. Episcopi autem, qui in hoc errabant, fuerunt Hybas Episcopus Edissenus, alius fuit Theodorus Mosvestenus, tertius autem fuit Theodoritus Cyri Episcopus. Claruit autem hic Facundus sub Consulatu Basilii anno X. Justiniano Imperatore regnante, ut idem Doctor dicit ubi supra, anno videlicet XXV. Eisdem temporibus, ut scribit idem Doctor ubi supra, floruit Martinus Dumiensis Ecclesiæ, sive Monasterii sanctissimus Pontifex ab Orientalibus partibus navigans, veniensque Galaciam, ibi convertit populos ab Arriana impietate; inde procedens, Svectionum genti regulas fidei tradidit, ac sanctæ Religionis formam constituit, Ecclesias instruit, Monasteria condidit, copiosaque præcepta piæ institutionis composuit; cujus quidem Isidorus scribit se vidisse librum de doctrina quatuor virtutum, & aliud volumen Epistolarum, in quibus hortatur vitæ emendationem, morum conversionem, orationis instantiam, eleemosynarum distributionem. Claruit autem, regnante Theudemiro Rege Svectionum: Sed in Republica Justinianus tenebat Imperium, anno videlicet XXVI.

CAP. XXII.

De Joanne Secundo, & LIX. Pontifice, qualiter damnavit Anthimum, & quis fuit iste Anthimus.

ANno Domini DLIV. & ab Urbe condita MCCCVI. Joannes Secundus natione Romanus ex patre Projecto de Cœlio monte, in Cathedra Petri sedet. Sedit autem annis III. mensibus IV. diebus VI. & cessat Episcopatus diebus VII. Hic damnavit Anthimum Arrianum Episcopum, ut Martinus scribit. Quis autem fuerit iste Anthimus, Historiæ referunt, quòd fuit Archiepiscopus Constantinopolitanus, qui maculatus fuerat hæresi Arriana: propter quam caussam Agapitus Papa successor ejusdem Constantinopolim ivit ad petitionem Theodorici Regis Gothorum in Italia, de quibus infra dicetur; & hæc scribit Paulus Diaconus Cardinalis, qui in Historia suppletor fuit Eutropii, sicut Ruffinus Eusebii. De hoc Joanne parum loquuntur Historiæ, nisi quantum sibi invicem scribunt prædictus Papa Joannes, & Justinianus Imperator, ut patet in principio Codicis Epistola *Inter claras de summa Trinitate*: quæ non sine magno pondere verba ibi sunt accipienda. Et quia pauca de ipso dicuntur, procedendum ad alium Pontificem successorem ejus, Agapitum videlicet, & de utroque agendum quantùm ad concurrentiam temporis Principum & Doctorum.

CAP. XXIII.

De Agapito Primo, & LX. Pontifice, qualiter ivit in Constantinopolim, & honorificè susceptus à Justiniano, & qualiter damnavit Anthimum.

ANno igitur Domini DLVII. & ab Urbe condita MCCCVIII. Agapitus Primus in Cathedra Petri sedet, natione Romanus de regione Sanctorum Joannis & Pauli. Sedit, ut plures Historiæ concordant, annis IV. mensibus II. diebus VIII. & cessat Episcopatus diebus VI. Hic, ut Martinus scribit, constituit processiones fieri die Dominico. Hic, ut omnes Historiæ Summorum Pontificum tradunt, Civitatem Regiam, hoc est Constantinopolim adiit. Caussa autem sui itineris supra est assignata, quia ad petitionem (*) Theodorici Regis Gothorum. Hic enim, ut Paulus supranominatus refert, propter sua maleficia Justiniano odiosus erat. Occiderat enim uxorem suam in balneis, quæ de magna progenie nata erat, & Regina Gothorum, & fortè Justiniano Imperatori propinqua; & in hoc fuit major indignationis materia ex parte Imperatoris contra ipsum, quia cùm ista Domina fuerit etiam magni generis, & hic inferioris status, ingratus factus est eidem Reginæ. Hæc autem mater fuit Alarici Regis Gothorum, & vocata est Amalasuinta. Veniens ergo ad dictam Civitatem, honorificè à Justiniano suscipitur, pacemque pro (**) Theodorico postulat, quam & est assequutus. Refert autem Ammonius in gestis Francorum, & hoc idem Paulus superiùs etiam memoratus, quòd cùm Papa Agapitus cum Imperatore collationem haberet de Fide Catholica, invenit ipsum infectum Euthycetis errore. Et quamvis Imperator in primis insultibus Pontifici videretur contendere, tamdem acquiescit persuasionibus & rationibus ejus; & sic ad veram dirigitur fidem. Ipso ergo rectificato, processit Agapitus contra Anthimum sive Anthemium ejusdem Civitatis Episcopum, prædictæ hæresis defensorem, & corruptorem Principis; unde ipsum anathematizat, & convictum communione privat, ac persuaso Principe Justiniano, in exilium ipsum cogit. Sed non post multum temporis in prædicta Regia Civitate Summus Pontifex Agapitus moritur; translatumque est corpus ejus ad Urbem Romam, ut præfati Auctores tradunt.

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* Theodati.

(**) Theodato, *ita in Cod. Patavino*.

CAP. XXIV.

Qualiter Anthimus per Concilium, Agapito præsente, damnatus est, & degradatus; de novitatibus, quæ acciderunt Justiniano.

REfert autem Isidorus in sua Chronica Imperatorum, & Summorum Pontificum, quòd directo Justiniano Principe in fide, istum Anthimum damnavit, & degradavit; & hoc fuit per Concilium, quod ibidem Agapitus congregavit; & post Concilium moritur. Circa ista tempora accidit mirabile quoddam de Justiniano; Per æmulos enim, sicut moris est in curiis Principum, Bellisarius, qui tot beneficia contulerat Imperio, tantoque ejusdem à juventute fuerat amore conjunctus, factus est sibi suspectus: propter quam caussam ipsum dignitate spoliat Patriciatus; quam narrationem tradit nobis Ammonius in gestis Francorum lib. II. Iis peractis, de tanta ingratitudine Justinianum Deus punivit, quia non post multum temporis spatium eodem modo Palatini canes, sive Magistratus iniqui ad depositionem sui Principis intendunt. Unde facta conspiratione contra ipsum, dum Imperator insuspicabilis foret suæ genti, quia caussam ignorabat subesse, ad Theatri pergeret spectaculum modico fulcitus comitatu, capitur, ipsumque spoliant Regalibus fascibus, coronamque deponunt de capite ejus; & sic omni statu Regio & Imperiali ipsum privant, ac cum multitudine populi quemdam nomine Florianum in solio constituunt Regio.

CAP. XXV.

Qualiter corona spoliatus, petit auxilium Justinianus à Bellisario, quem privaverat Patriciatu, & obtinet.

JUstinianus autem in tanto dehonestamento se videns, ad antiquum amicum recurrens, videlicet Bellisarium, qui quamvis privatus fuisset Patriciatus officio, adhuc tamen pro sui defensione munitiones habebat, & præsidia fortia, gentemque non modicam, ac expeditam ad pugnam. Sic eidem scribit, & denuntiat: *Hæc*, inquit, *mandat Justinianus quondam Cæsar, & Augustus, ut immemor injuriarum modernarum, ad memoriam quæso reducas pristina beneficia; si quid prævales, me adjuva.* Ad hoc Bellisarius sic respondit. *Si tanta mihi suppeditaret potentia, ferrem poscenti suffragia. Nunc autem incassum preces fundis, cùm mei præsentia Consulares violaveris fasces. Sed quantum facultas ministraverit, libenter impendam, licèt merita in præsentiarum non exigant. Accingar igitur cum comitiva, quam habeo, hostesque tuos aggrediar.* Iis dictis, ad conspectum properat Principis, cunctis ut sequerentur suis præcipiens, expeditis vernaculis; & pro foribus stans Theatri, conspexit eminus turbam hostium à latere novi Principis Floriani circumsistere. Conversus igitur ad eos, qui secum erant: *En*, inquit, *fidissimi milites, adest omnibus votis expedita dies ad capessendam ultionem de inimicis.* Tunc ingressus eum velut adoraturus accessit, & falsi Principis, evaginato ense, caput amputavit. Quod cernentes qui cum eo venerant, districtis pugionibus, circumstantes ferire fortiter cœperunt. Illi verò, nullâ resistentiâ factâ, dant se fugæ, qui meliùs valent; sicque caput Floriani Bellisarius sustulit cum Corona, quam Justiniano restituit, ipsumque in sua sede reponit; & ipse Bellisarius ad dignitatis pristinæ statum rediit. Et sic reformatâ Republicâ, dictum Bellisarium contra Gothos in Italiam dirigit. Multa alia refert prædicta Historia circa ea, quæ nunc sunt dicta, sed ad præsens sufficiant nunc ista relata, quia faciunt ad declarationem eorum, quæ in sequenti capitulo sunt dicenda. Hic verò statim memoratus auctor Ammonius subjungit, qualiter Beatus Benedictus translatus de Sublacu ad Montem Casinum, ibidem magnis vitæ meritis, & Apostolicis effulsit virtutibus. Item, ibidem agitur de Agapito jam nunc dicto.

CAP. XXVI.

De Sylverio Primo, & LXI. Pontifice, qualiter in exilio relegatus est, quia non acquievit precibus Theodoræ uxoris Justiniani.

ANno Domini DLXI. & ab Urbe condita MCCCXIII. Sylverius Primus natione Campanus ex patre Hormisda, in Cathedra Petri sedit. Sedit autem annis III. mensibus V. diebus XI. Hic, ut scribit Martinus, exilio relegatus est per Theodoram Imperatricem in Insulam Pontiam propter Anthimum condemnatum de hæresi per suos Prædecessores, Joannem videlicet, & Agapitum. Hanc autem Historiam de exilio Sylverii magìs diffusè refert Ammonius in gestis Francorum optimus Historiæ Scriptor, qui sic dicit: Quòd Vigilius Diaconus, qui apud Constantinopolim Apocrisarius erat, & postmodum successor fuit Sylverii, animadvertens, quia exilium Anthimi Patriarchæ jam dicti (*) displiceret, Augusto, hoc est Justiniano propter suam generositatem, nec non Augustæ, quæ Theodora est vocata superiùs, accessit ad ipsam, & persuasit eidem, ut dicto Sylverio sub tali forma literas destinaret, ut aut Constantinopolim veniret, aut Anthimum de exilio revocaret. Quibus perspectis, Beatus Sylverius ingemuit, & in hæc verba Imperatrici rescripsit: *Licèt hæc caussa finem temporali meæ inferat vitæ, ego tamen, Domina Augusta, rem hanc non faciam, ut revocem hominem in damnata perfidia permanentem.* Hac de caussa indignata Augusta mittit Vigilium ad Bellisarium, præcipiens, ut inventa occasione, Sylverium in exilium ageret, Vigiliumque Pontificem constitueret, qui se revocaturum Anthimum repromiserat. Hujus autem præcepti tenorem suscipiens Bellisarius, inquit: *Ego voluntati Principum contraire non audens, quamvis invitus jussionem adimplebo; sed hujus machinator sceleris iram non effugiet Judicis cuncta cernentis.*

CAP. XXVII.

Ponitur modus condemnationis, quia per subornationem testium contra ipsum.

SUbornatis itaque testibus, qui dicerent Domnum Papam Gothis Civitatem Romanam, simulque Patritium tradere voluisse, jussus est præ-

(*) *In Cod. Pat.* displiceret Augustæ, quæ Theodora superiùs est vocata, accessit &c.

præsentare se ad audientiam Principis in Palatio; & ingredientem cum solo Vigilio, Antonina Patritia sic alloquitur: *Dic Domine Sylveri, quid fecimus, ut nos tradere in manus Gothorum velles?* Hæc Antonina uxor erat Bellisarii, quam de scorto assumserat, & de genere Armeniensi originem trahens, cujus soror fuit Antonina, quam simili modo Justinianus sibi in conjugio copulavit: de quibus diffusiùs in catalogo Imperatorum agetur, quia mulieres fuerunt virtutis, ut eadem Historia refert. Adhuc autem Antonina loquente, quæ studiosè conabatur ad complacentiam Augustæ, ingressus Joannes Subdiaconus primæ regionis Apostolicæ Sedis, tulit pallium de collo Pontificis, ipsumque induit de veste Monachica, missusque est, ac relegatus in Insulam Pontiam, ibique confessor vita decessit. Hæc omnia in gestis Francorum habentur; & hæc etiam omnia Paulus Diaconus Cardinalis dicit, suppletor Eutropii. Et attende hìc, quia inter Gothos, & Romanos cum Bellisario ortum erat odium, propter multa mala, quæ dicta gens barbara Romanis intulerat, quod ad provocationem populi non poterat Summo Pontifici majus crimen imponi.

CAP. XXVIII.

Qualiter Bellisarius tunc pugnavit cum Gothis, & devicit eos, iterumque cum Vandalis, & devicit; & de reverentia ipsius ad Beatum Petrum; & de Avito Episcopo.

Accidit autem eo tempore, quòd Bellisarius pugnavit cum Gothis, qui suam residentiam faciebant in Ravenna, ibique sedes Regis eorum, cui tunc nomen Gurcias; facitque tunc Bellisarius magnam stragem de Gothis, & ipsorum Regem capit; ipsumque in Constantinopolim ad Imperatorem Justinianum transmittit. Paulus tamen dicit, quòd ipse, rediens ad dictam Urbem Regiam, secum dictum Regem ducit: quo viso, Justinianus multùm lætatus est. Sed nullâ quasi morâ contractâ, multùm navigavit in Africam, ibique pugnat cum Vandalis, ipsos expugnat, ipsorumque Regem interficit. Tunc rediens Romam, crucem auream centum librarum pretiosissimis gemmis ornatam offert Beato Petro per manus Vigilii Papæ, quem ipse ordinavit, & constituit, Sylverio mortuo, de quo in sequenti dicetur capitulo, quia de ipso diffusiùs est sermo, eo quòd multo tempore in Papatu vixit. Hoc autem tempore tanta fames invasit Italiam, sed præcipuè Liguriam, ut Paulus Diaconus scribit, qui sicut ex relatione didicit sanctissimi viri Dacii Mediolanensis Episcopi, plures matres infelicium natorum membra comedebant. Eo etiam tempore floruit, ut scribit Isidorus de Illustr. Viris, Avitus Episcopus scientia sanctarum Scripturarum doctissimus, qui edidit V. Libros heroico metro compositos; quorum primus est de origine Mundi; Secundus verò de originali peccato; Tertius de sententia Dei; Quartus de diluvio Mundi; Quintus de transitu maris rubri. Scripsit etiam Librum I. ad Faustinam sororem suam de laude virginitatis pulcherrimo carmine, & stilo compositum. Utrum autem fuerit Avitus Aurelianensis, de quo dictum est supra, immediatè Isidorus non specificat.

CAP. XXIX.

De Legatis de Gallia missis ad Beatum Benedictum pro aliquibus discipulis ejus, & de visione, quam Maurus habuit de morte ipsius, & de quibusdam aliis.

Eodem etiam tempore florente Beato Benedicto cum suis discipulis in monte Casino, ad dictum locum mittuntur legati de Gallia de Cenomanica urbe, ut scribit Ammonius ubi supra, & à clarissimo Magistro Beato Benedicto unum de discipulis suis petunt pro instructione vitæ Monasticæ. Qui Maurum ejus excellentissimum discipulum, & virtutibus plenum eisdem concessit. In suo igitur progressu constitutus, dataque eidem sua benedictione, suum felicem in brevi exitum futurum prænuntiavit, ut refert eadem Historia Lib. II. cùm Autissiodorum pervenisset ad Monasterium Sancti Romani nutricii quondam Beati Benedicti divertit; ibique in vigiliis Resurrectionis Dominicæ XII. Calendas Aprilis (quod fuit infra tempora Imperii Justiniani anno XXV.) subitò de nocte post Matutinas raptus vidit viam palliis stratam, & innumeris coruscam lampadibus ab ejus cella usque ad cœlum protendere, & eo tramite dilectum Domino Benedictum cœlum ascendere: quod per Angelum Beatum Benedictum fuisse cognovit. Refert autem eadem Historia, quòd Beatus Maurus veniens ad regionem Andegavensem, Theodebertus Rex unus ex quatuor filiis Chlodovei pro reverentia ipsius, & ob ejus devotionem solenne ædificavit Monasterium, quod etiam magnis dotavit prædiis, plurimisque ornavit donis. Tunc temporis mortuo Theodeberto, vel ante mortem ejus quædam apparuerunt prodigia. Primum quòd veniens stella ex adverso, intravit Lunam (*). Tunc quoque uvæ ex arbore, quæ vocatur Sambucus, natæ sunt, & ex ipsa arbore, quæ nigra solet proferre grana, botri prodierunt albis granis. Gravis eo tempore ac solito asperior hyems facta est, ita ut torrentes & flumina congelata iter omnibus præbebant. Aves quoque frigore adstrictæ & fame absque ullo hominum dolo capiebantur. Et hæc sufficiant quantùm ad præsentem Pontificem. Ad alium accedendum, sub quo multa acciderunt.

(*) *In Cod. Patav.* Limina.

Explicit Liber Nonus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER X.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Vigilio Primo, & LXII. Pontifice, qualiter de ipso multa & diversa Historiæ referunt.

ANno Domini DLXIV. & ab Urbe condita MCCCXVI. Vigilius Primus natione Romanus ex patre Joanne in Summum Pontificem assumitur. Sedit autem annis XVII. mensibus VI. diebus XXVI. & cessat Episcopatus mensibus III. De isto Pontifice diversi diversa loquuntur. Supra enim scriptum est de ipso, quòd fuerit Diaconus Constantinopolitanus, & quòd volens placere Augusto, & Augustæ, primò literæ fuerunt directæ Sylverio Papæ ad suam suggestionem pro revocatione sententiæ Anthimi, qui nimis videbatur gratus Reipublicæ, & præcipuè Imperatrici, sicut proprium est mulieri de facili seduci. Et quia noluit revocare sententiam contra Anthimum, inde est sequutum, quòd fuit in exilium missus, sicut & Sylverius. Hoc scribit Paulus Diaconus Cardinalis, hoc Martinus, hoc Cusentinus. Sed non videtur verum, quia omnes Historiæ concordant, & Decretum dist. XVI. item Epistola Justiniani, quam direxit in universum Orbem, quòd sub Vigilio fuit una Synodus in Constantinopoli celebrata, & hoc quidem factum fuit XXVII. anno Imperii ejusdem Principis, ut patet in sua Epistola supradicta. Sed hoc potuit accidisse tempore Justini successoris ejus, quem aliquæ Historiæ Justinianum juniorem appellant, cujus uxor dicta Sophia mala mulier fuit, per cujus impietatem Narses Patritius Longobardos in Italiam introduxit, ut infra dicetur. Gesta autem Francorum hoc attribuunt Theodoræ uxori senioris Justiniani: quod esse potuit post Concilium, quod fuit spatium plusquam decem annorum, quæ quidem Historia horribilia refert de inhonestatione Vigilii sibi in Constantinopoli facta per mandatum Theodoræ, quia sententiam latam contra Anthimum non revocavit; & inde rediens versùs Italiam, in Sicilia moritur infirmitate præoccupatus, ejusque corpus Romam transfertur, & ad Sanctum Marcellum via Salaria sepelitur.

CAP. II.

De Concilio congregato Constantinopoli sub Vigilio, & Justiniano Principe, & de Epistola dicti Imperatoris, quam per totum Orbem direxit.

SEd nunc redeamus ad acta Vigilii. Primò quidem refert Martinus de ipso, quòd ipse ordinavit Ecclesias fabricari ad partem Orientalem. Sed & de dicto Concilio, ubi magna dicuntur, quia in eo convenerunt magni viri, ut idem scribit Justinianus, videlicet CLXV. Episcopi, ubi constituerunt errorem Nestorii, & Euthycetis esse condemnandum, renovando sententiam. Item damnatus fuit Theodorus ipsorum discipulus, sive imitator. Primò igitur facta confessione quatuor Conciliorum, Nicæni videlicet, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonensis, in dicta Epistola ponuntur solennes Episcopi & Patriarchæ, qui interfuerunt prædicto Concilio, ut ipse Papa Vigilius. Et hoc idem dicit cap. dist. XVI. inter quos Euthycius Patriarcha Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus Domninus Theopolitanus, & multi alii viri clarissimi usque in dictam summam. In hac etiam Epistola fit mentio, quid in quolibet dictorum Conciliorum fuerit actitatum, sed summariè, & compendiosè, prout exigebat facti natura. Et quia fructuosa sunt, & memoria digna, quæ in dicta Epistola continentur, medullam & florem dictæ Epistolæ accipiamus, & huic operi interseramus, maximè quantum ad ea, quæ sunt de Fidei integritate propter aliquas Historias, quæ falsò eidem imponunt, quòd non fuerit verus Catholicus. Quòd verò fuerit verus Catholicus apparet per ea, quæ scripsit Joanni Papæ secundo, & Joannes eidem, ut patet in principio Codicis. Item in hac Epistola primò confitetur Nicænum Concilium sub Constantino Principe CCCXVIII. Episcoporum, & damnat Arrium, ejusque impietatem asserentem filium non esse consubstantialem Patri. Secundò confitetur Concilium Constantinopolitanum contra Macedonium negantem Deitatem Spiritus Sancti sub Theodosio Imperatore seniore. Addit etiam Justinianus in dicta Epistola quamdam hæresim ibidem damnatam, de qua Decretum superiùs allegatum mentionem non facit, videlicet Apollinarem discipulum Macedonii, qui Verbum Dei humanum sensum dicebat non accepisse, solùm unitum animæ intelligentiæ.

CAP. III.

De Confessione, quam fecit prædictus Princeps circa acta Concilii Ephesini, & Chalcedonensis, & multa alia notabilia ponuntur.

EOs igitur idem Princeps detestatur, & veram fidem dicti Concilii confitetur, quòd Spiritus Sanctus sit Deus consubstantialis Patri, & Filio, & quòd omnia, quæ Deus in nostra natura plantavit, assumpsit Dei Filius, carnem videlicet sanctificatam, & animæ rationali unitam. Tertiò confitetur in eadem Epistola Concilium Ephesinum sub Theodosio Imperatore juniore contra Nestorium, & ejus impietates, ipso impiè asserente, aliud Dei Verbum, & aliud Christum; & hunc quidem natura Filium Dei Patris, illum autem solùm gratia filium; & Sanctam, & gloriosam Dei Genitricem Mariam, negante Nestorio, & magnum favorem habente in Orientali Ecclesia in baratrum incidebat erroris; sed confirmantibus contrarium illis ducentis Patribus, qui prædicto interfuerunt Concilio Ephesino, dictum Concilium contra Nestorium constitutiones fecit, in quibus damnatur Nestorius, & sui sequaces, de quibus dictum est supra, ubi agitur de Cœlestino Primò

Primo. Hoc autem Justinianus Princeps approbat in Epistola sæpedicta. Refert etiam ibidem Justinianus, quòd cùm Nestorius conaretur reprobare quamdam Epistolam, quam Cyrillus scripserat contra ipsum, supra quam se fundavit tota Synodus prædicta, Theodosius piissimus Imperator jam dictus supradictum Nestorium refrenat, suasque impietates pœnis affligit, per Concilium primo omni dignitate privatum; & in dicta Epistola memoratus Princeps Justinianus hoc confirmat. Narrat insuper ibidem, qualiter quartam Synodum confitetur, Chalcedonensem videlicet, in qua damnatus est Euthyces, quem refert, carnem Christi consubstantialem esse nobis negasse, hoc est ejusdem generis cum nostra; quia, ut supra dicitur, voluit, quòd carnem cœlestem assumserit; & caussa, quæ ipsum movit, ponitur, ubi scribitur de Leone Primo. Refert autem dictus Justinianus in hac Epistola quædam nova, quæ in præfato Concilio non narrantur, quòd tempore illius Quarti Concilii tanta fuit tunc temporis hæreticorum multitudo, & illius hæresis circumventio tam in Constantinopoli, quàm in Epheso, ut etiam ejiceretur Flavianus Episcopus Regiæ Urbis de sede sua: propter quam caussam piæ recordationis Martianus Imperator ad petitionem Leonis prædicti congregavit Sanctos Patres apud Chalcedoniam, & tam per se, quàm per suos Judices Episcopos congregatos, ad concordiam revocavit contra Euthycetem, & contra sua impia dogmata. Sicque Euthyces damnatur, & in exilium relegatur: per quam relationem habemus fidem rectam hujus Principis.

CAP. IV.

Hic ponitur sua confessio Fidei, & ostendit, quos Doctores imitatur in Epistola supradicta, & ipse idem damnat hæreticos memoratos.

Unde ipse idem dicit, quod infra in eadem dicitur Epistola: *Scire*, inquit, *vos volumus, quòd nos ea, quæ in Sanctis quatuor Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino primo, & Chalcedonensi de una, eademque fide exposita, & definita sunt, servabimus, & defendemus, & ea sequemur; & omnia, quæ consonant istis, suscipimus, & amplectimur. Quicquid autem non consonat istis, vel à quacumque persona scriptum inveniatur, hoc tamquam alienum à nobis, & pietatis cultu execramur, detestamur, & blasphemamus. Sequimur verò in omnibus Sanctos Patres, & Doctores Sanctæ Dei Ecclesiæ, idest Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, Ambrosium, & Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Augustinum, Hieronymum, Proculum, & Leonem Papam primum, & omnia, quæ ab eis, de fide recta, & ad condemnationem hæreticorum conscripta sunt & exposita, sincera fide suscipimus. Damnamus verò Theodorum, Nestorium, & Eutycetem cum ipsorum dogmatibus*. Ista sunt, quæ Justinianus intendit in dicta Epistola, quamvis magis diffusè dicat. Sed ad prolixitatem vitandam, hæc sub compendio tradimus. Movet etiam ibidem quæstionem de hæretico mortuo, utrum possit anathematizari; & asserit Justinianus ex sententia Patrum, quòd sic, sicut possunt absolvi, ut factum invenitur in Joanne, & Flaviano Constantinopolitanis Episcopis.

CAP. V.

Facta confessione, Justinianus hortatur ad hoc idem constantissimè observandum illos Patres, ad quem Episcopi verbum dirigunt, & commendant fidem Principis.

Facta igitur confessione suæ fidei voce publica in dicta epistola, convertit se ad illos Sanctos Patres, qui in dicta Quinta Synodo interfuerunt, ut ipsi observent, & contra omnem contradicentem constantissimè se opponant. Hæc autem acta sunt XXVII. anno Imperii Justiniani. Quid autem Synodus respondeat, audiendum. Primò siquidem tres Episcopi gerentes vices Eustochii Religiosissimi Viri, & Sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitani in unum convenientes, unus videlicet Stephanus Episcopus Raphiæ sic dicit: *Theodorus vir magnificus exeat secundùm jussionem Imperatoris*. Hic enim erat, propter quem Synodus fuerat congregata ad obviandum suis erroribus impiis. Fuit enim Nestorianus, & aliquid habuit Euthycetis. Dicti autem Patres sibi invicem consentientes, approbant fidelitatem Principis, & simul confirmant illa quatuor Concilia, detestantes impietatem Theodori, Nestorii, & Euthycetis, & verba. quæ dicunt, sunt magni ponderis quantum ad constantiam fidei, quæ in integrum ponentur, quum de Catalogo Imperatorum agetur.

CAP. VI.

Concludit postea Vigilius verba multùm ædificatoria in Concilio; & de morte Beati Remigii.

Ultimò Vigilius Papa quando sanctissimum appellat Concilium Consacerdotum, sic dicit: *Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, quòd discordiæ confusione submota, pacem Deus suæ Ecclesiæ reformavit, ut impleatur quod dictum est Ecclesiæ: Ecce quàm bonum, & quàm jocundum habitare fratres in unum. Valde enim exultare nos convenit, quòd caritatis vestræ scripto nobis est oblata professio*. Et post multa subjungit concludendo Vigilius: *Ideo unitatem conservare debemus, & Apostolicam Fidem. Vestræ autem beatitudini manifestum facimus, quòd nos semper conservavimus, & conservamus Fidem ab initio traditam à magno Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo, & à Sanctis Apostolis in universo mundo prædicatam, & à Sanctis Patribus explanatam, & maximè ab iis, qui in Sanctis quatuor Synodis congregati sunt, quos per omnia, & in omnibus sequimur, & suscipimus, idest CCCXVIII. Patrum, qui in Nicæno Concilio congregati sunt, & sanctum Symbolum, sive anathema fidei exposuerunt, & Arrianam impietatem anathematizaverunt, & imitationes ipsius. Suscipimus autem & CL. Sanctos Patres Constantinopoli congregatos, qui idem sanctum anathema explanaverunt, & de Deitate Sancti Spiritus dilucidaverunt, ac hæresim Macedonianam Sanctum Spiritum impugnantem, & impium Apollinarium condemnaverunt, suosque sequaces. Suscipimus etiam,*

Sanctos Patres CC. in Ephesina prima Synodo collectos, qui per omnia sequuti sunt eamdem Sanctam Synodum, & Symbolum, sive anathema; & condemnaverunt Nestorium impium, & scelerata ipsius dogmata, & qui cum eo sapiunt. Item suscipimus DCXXX. Sanctos Patres in Chalcedonia congregatos, qui etiam prædictis Conciliis tribus per omnia adhæserunt; condemnaverunt insuper, & anathematizaverunt Euthycetem, & Nestorium, ac ipsorum dogmata impia, ipsorumque sectatores. Et ita per ea, quæ hic dicuntur, apparet fides recta Justiniani, & devotio ad Ecclesiam, & ad Summum Pontificem, & verum etiam esse de alio instrumento circa Vigilium, nisi fortè post Concilium fuerit subversus: quod non est credibile, quamvis Ammonius in gestis Francorum apertè dicat de Justiniano, & Theodora uxore ejus, ut supra est manifestum. In isto autem Concilio ordinatum fuit, quòd Beata Maria *Theotocos* vocaretur, ut scribit Cusentinus hoc est *Mater Dei*. Circa ista tempora Nonus Rex Francorum secundùm Vincentium regnat in Francia Chilpericus, qui regnavit annis XXIII. Isto tempore scribit Martinus, quòd Beatus Remigius migravit ad Dominum, qui LXXII. annis rexit Ecclesiam cum gratia magna, & magnis virtutibus claruit. Multi etiam Doctores floruerunt circa hæc tempora, & plurimi Confessores; sed ipsos ad sequentem Pontificatum reservamus.

CAP. VII.

De Pelagio Primo, & LXIII. Pontifice, & constitutione, qualiter se purgavit de Vigilio.

ANno Domini DLXXXII. & ab Urbe condita MCCCXXXIV. Pelagius Primus natione Romanus ex patre Joanne, in Cathedra Petri sublimatur. Sedit autem annis XIII. (*) mensibus X. diebus XVIII. Cessat mensibus III. diebus XXIV. Hic constituit, ut scribit Martinus, & Cusentinus ut hæretici, & schismatici per seculares Potestates, & Principes arceantur, quod habes XXIII. quæst. V. cap. *relegentes*: quòd etiam infinita jura sequentia confirmant. De hoc Pelagio scribit etiam Martinus, quòd culpatus fuit de exilio Vigilii, & morte; sed coram omni populo, & Clero, tangendo crucem & Evangelium, de isto crimine se purgavit. Refert autem Historia memorata Francorum, quòd duplici de caussa Vigilius graves æmulos & in Constantinopoli, & in Urbe habuit, inter quos fuit Pelagius; & ideo tamquam suspectus habitus est, & inde se purgavit. Una caussa fuit, quia nimis se opposuit Sylverio, & in Clero, & in populo contra se provocavit. Secunda, quia non intravit per ostium, & inde fur & latro: propter quod recognoscens se ipsum, patienter tulit quicquid contra ipsum ageretur, & pro veritate etiam stetit in revocatione non facienda Anthimi; & inde apud Deum meruit, quia omnia cum patientia sustinebat. Et quia omissa sunt multa de Doctoribus Ecclesiæ, & de Sanctis Viris, qui isto tempore floruerunt, ideo in isto Capitulo est supplendum. Sed & de Principibus aliquid tractandum, qui concurrerunt temporibus istis.

CAP. VIII.

De Doctoribus, qui isto tempore floruerunt; & primò de Victore Africano Episcopo, & errore ejus per Justinum punito.

HOc enim tempore scribit Isidorus de Illustris Viris, floruisse Victorem Thunonensem Africanæ Ecclesiæ Episcopum. Hic à principio mundi usque ad primum Justini junioris annum, brevem per Consules, & annos, bellicarum, & Ecclesiasticarum rerum, nobilissimam promulgavit Historiam & laude, ac notatione illustrem, & memoria dignam. (**) Unde in Monasterio ejusdem Civitatis custodiendus mittitur, atque in eadem damnatione, ut dicunt, permanens moritur. Quæ autem sint ista tria Capitula, habere possumus ex jam dictis. Ipse enim Justinianus Imperator, ut tactum est supra de Incarnatione Domini, ubi contra tria Capitula scripsit, adinventa per tres Orientales Episcopos ad impugnandum Ephesinum, & Chalcedonense Concilium, unus fuit Hybas Edissenus Episcopus, qui epistolam scripsit ad Manetem Persam, & ad Theodorum Mopsuestenum Episcopum. Item alius fuit Theodoritus Episcopus Cyri, qui eadem scripsit. Isti ergo iniqui & impii Episcopi conati sunt tria tollere de Catholica Ecclesia, & sic suam interserere hæresim. Unum Capitulum est in condemnando Cyrillum super epistola, quam direxit Concilio Ephesino. Item scripserunt prædicta contra Concilium Chalcedonense. In iis igitur blasphemiis se figentes, asserebant, aliud esse Christum, aliud Verbum Dei Patris, & gloriosam Virginem Mariam non esse Genitricem Dei. Istos igitur præfatos errores ad tria Capitula reducebant sive sub tribus Capitulis comprehendebant.

CAP. IX.

De Theophilo Archidiacono, qui Christum abnegavit, & de Narsete glorioso Principe, qualia fecit.

HOc etiam tempore tradunt Historiæ fuisse Theophilum in una Urbe Ciliciæ, qui Archidiaconus existens ibidem, ex ambitione honoris Christum, & ejus Genitricem abnegat, ac Diabolo homagium facit. Qui postquam per Diabolum, ad quod volebat, promotus est, ad cor rediens, cum fletu & lacrymis durâ pœnitentiâ se affligens, mediante Domina nostra, veniam impetravit, & ad judicium impetratæ veniæ, ipso obdormiente, scriptum abnegationis super pectus ejus post dormitionem invenit. Hoc etiam tempore propter magnam epidemiam aggravatam in Constantinopoli instituta est solennitas Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, quæ græcè Hypapanti vocatur. Isto etiam tempore, ut refert Historia Lombardorum, & Ammonius in gestis Francorum, Alboim ipsorum Longobardorum Rex, eo commorante in Pannonia, auxilium præbet Narseti cum sua militia contra Totilam Regem Gothorum, qui Italiam vexaverat, sed præcipuè Romam per multos annos. Hic autem Narses, mor-

(*) *In Cod. Pat.* annis VIII.

(**) *Additur in Cod. Patav.* Sed hic pro defensione trium Capitulorum contra Concilium Chalcedonense, a Justiniano Augusto in Ægyptum transportatur. Unde rursum Constantinopolim vocatur, dum Justiniano Imperatori; & Eutychio Constantinopolitano Episcopo, persecutoribus illorum trium Capitulorum, resisteret.

mortuo Bellisario, factus est Patricius, missusque in Italiam contra prædictam gentem; qui quamvis Eunuchus esset, vir tamen fuit bellicosus, & omni genere virtutum præclarus, ut dicta scribit Historia. Quæ sic ipsum describit, quòd primò Chartularius fuerit Justiniani Principis, deinde propter virtutum merita Patriciatus honorem promeruit. Erat enim vir piissimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Basilicis multùm studiosus, vigiliis, & orationibus in tantum studens, ut plus supplicationibus ad Deum profusis, quàm armis bellicis victoriam obtineret.

CAP. X.

De multis Sanctis, qui isto tempore floruerunt, sed præcipuè Herculano Episcopo Perusino; & de victoria Narsetis super Gothis.

ISto etiam tempore multi floruerunt sancti viri, ut scribit Vincentius Belluacensis. In Italia quidem Canusius Sabinus, Cassius Narniensis, item Victor Capuanus Episcopus. In Gallia Gregorius Lingonensis Episcopus, (*) qui à Beato Remigio fuerat ordinatus. Eo etiam tempore Beatus Hercolanus Episcopus Perusinus capite truncatur à Rege Gothorum Totila, cujus caput post mortem postea cum corpore fuit rejunctum. Et attende de isto Totila, quia Bellisarius subjugaverat primò Gothos, capto ipsorum Rege, ut supra patet. Post mortem autem ipsius iteratò Gothi resumunt vires, & Regem sibi constituunt, quem Totilam vocant, & quem Paulus Diaconus Cardinalis Baduillam appellat. Hic ergo iteratò sub Justiniano Principe vexat Italiam, unde & Narses est missus, ut supra est dictum. Hunc ergo Narses bello impetit, cum ipso pugnat, & eum in pugna vincit, & occidit, suamque gentem prosternit, & ad nihilum redigit; & sic dominium Italiæ à Narsete pacificè possidetur, ut idem Paulus scribit, & Ammonius in Francorum gestis. Refert etiam, qualiter quosdam Duces Regis Francorum, Chlotarii nomine, occidit in bello, qui aliqua de partibus Italiæ occupaverant circa partes Pedemontanas. Hujus etiam tempore Justinianus moritur, & in multa pace honorificè in Ecclesia Sanctæ Sophiæ, quam ædificaverat, sepelitur, cui succedit Justinus, sive Justinianus junior dictus.

CAP. XI.

De Joanne III. & LXIV. Pontifice, quid fecit; de Fortunato Poëta, qui suo tempore floruit; & de obitu Beati Mauri.

ANno Domini DXCI. & ab Urbe condita MCCCXLIII. Joannes III. natione Romanus ex patre Anastasio in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis XII. mensibus XI. diebus XVII. Et cessavit mense uno, diebus tribus. Hic, ut scribit Martinus, reparavit cœmeteria Sanctorum Martyrum. Hic postquam perfecit in Urbe Ecclesiam Sanctorum Philippi & Jacobi, & dedicavit eam, moritur, & sepelitur in Ecclesia Beati Petri. Iis temporibus, ut idem Martinus dicit, & Ammonius in III. libro de gestis Francorum, quidam floruit Poëta vocatus Fortunatus clarus ingenio, qui de Italia Turonem veniens, gesta Beati Martini luculento stilo digessit; & deinde in Episcopum Pictaviensem est ordinatus. Addit etiam Ammonius, quòd multas alias vitas Sanctorum partim prosa, partim metro composuit. Regi etiam Francorum Sigeberto multa metricè de regimine scripsit. De hoc etiam Fortunato magna scribit Longobardorum Historia, & quòd fuit socius, & amicus Felicis Episcopi Tarvisiuensis Civitatis. Tantæ autem fuit famæ in Gallia in vita, & doctrina, ut eadem Historia tradit, quòd post mortem suam in suo sepulcro meruit epitaphium gratiosum. Hoc tempore, ut communiter Historiæ tradunt, beatus Maurus beati Benedicti discipulus post laudabilem vitam Monasticam in Gallia migravit ad Christum, & prope Parisios tumulatus quiescit.

(*) In Cod. Patav. additur: Vedastus Atrebatensis Episcopus, qui à B. &c.

CAP. XII.

De signis, & prodigiis, quæ apparuerunt hujus Pontificatus tempore in Gallia, & in Italia.

HOc etiam tempore, ut scribit Vincentius Belluacensis, in diversis Galliarum partibus diversa signa visa sunt. Nam cœlum ardere visum est, quem ardorem igneas acies Beatus Gregorius appellat in Homelia. Verus sanguis in vestimentis hominum ex nube defluxit; Domus cujusdam ab intus conspersa sanguine apparuit. Post quæ prodigia clades magnæ sequutæ sunt famis & mortalitatis, quas refert Paulus in gestis Longobardorum, & præcipuè in Italia, sed maximè in Liguria. Subitò enim apparebant quædam signa in domibus, sive in ostiis, sive in valvis, sive in vasis, sive in vestimentis, quæ si quis voluisset abluere, magis apparebant. Post annum verò cœperunt nasci in inguinibus hominum, vel in aliis delicatioribus membris quædam glandolæ in modum nucis, vel dactili, quas mox subsequebatur febrium æstus intolerabilis, qui infra tres dies, ut in pluribus, exstinguebat. Et hoc dicit præfata Historia accidisse circa mortem Justiniani Principis. Scribit enim Vincentius, hoc etiam tempore accidisse in Gallia, quòd mons super Rhodanum dans mugitum multis diebus, tamdem ab alio monte sibi vicino divisus cum Ecclesiis, & domibus omnibus, & bestiis omnibus, in Rhodanum præcipitatus est.

CAP. XIII.

Qualiter effectus sequutus est ex istis prodigiis, quia magna effusio sanguinis ex adventu Longobardorum in Italia, procurante Narsete; & ponit caussam quare.

TUnc temporis sequuta est turbatio in Italia ex adventu Longobardorum in ipsam, per quorum introitum in eam multus effusus est sanguis. Modum introducendi præfata Historia tradit, & Ammonius in III. libro de gestis Francorum. Cùm enim Narses, Gothis prostratis, & ipsorum Rege Totila interfecto, aliisque Principibus humiliatis, qui vexabant Italiam, ipsam pacificè gubernaret, ac cum sua gente floreret in Urbe, Sathan invidet eidem. Unde contra ipsum insurgunt Romani ingrati de ejus beneficiis, sicut de Scipione accidit, ut scribit ibi-

ibidem Ammonius, quia Urbem de multis angariis liberaverat. Unde literas contra ipsum ad Justinum minorem Imperatorem transmittunt, qui tunc in Constantinopoli imperabat; sed & Sophiam uxorem ejus Imperatricem provocant juxta posse, quasi ipsam verbis dehonestasset. Propter quam caussam Imperatrix talibus irritata sermonibus, ipsum literis injuriosis aggreditur. Sed inter cetera, quia Eunuchus erat, sic eidem scribit, quòd *faceret eum in gremio fœminarum pensum dividere lanarum, non Principatum tenere Romanorum*. Ad hæc Narses tale fertur dedisse responsum: *Filum*, inquit, *filabo, quo talis ordietur tela, quam Justinus, & Sophia nequibunt in omni sua vita rescindere*. Nec moram contrahit ad prosequendum conceptum; sed celeriter per veredarios ad Alboyn Regem Longobardorum literas exhortatorias transmittit, qui tunc in partibus Pannoniæ morabatur, ut relictis pauperrimis ejusdem regionis ruribus ad amœna Italiæ se transferret. Dictis autem Barbaris cum confidentia scribit, quia à longo tempore eidem fuerant amici familiares.

CAP. XIV.

Qualiter Alboyn Rex Longobardorum venit in Italiam. De obitu Joannis Papæ, & Narsetis; de laudibus Childeberti Regis Francorum, & Germani Episcopi Parisiensis circa eleemosynas.

Alboyn igitur dictam invitationem non spernens, sinè mora cum sua gente ad veniendum se parat; & cum favore Narsetis dictam regionem ingreditur; & usque ad tempora Caroli Magni in magna parte dominantur ibidem. Quod fuit tempore istius Pontificis Joannis. Unde refert idem Ammonius ubi supra, quòd post hæc quasi immediatè Narses recedit ab Urbe, & vadit Neapolim, quem subsequutus Papa Joannes, qui Pelagio Primo successerat, Romam redire rogavit. Quo impetrato, uterque regressi sunt. Et sanctissimus quidem Joannes non diu post reditum supervixit. Narses verò post aliquantum temporis in Urbe defunctus est, corpusque ejus in loculo plumbeo positum cum suo thesauro Constantinopolim est translatum. Circa hæc tempora refert Ammonius ubi supra, floruisse beatum Germanum Parisiensem Episcopum, cujus corpus in Oratorio Sancti Vincentii fuit sepultum. Tunc autem regnabat in Francia Childebertus, quorum uterque ad subveniendum pauperibus præcellebat. Unde ibidem scribitur, quòd inter Principem, & Sacerdotem erat tunc spectata contentio, quia faciebant de misericordia pugnam, & de pietate certamen, thesauros ut spargerent, & de talentis suis egeni ditescerent. Denique cùm semel equus aptus ad sedendum quæreretur Episcopo, Rex præfatus eidem suum transmittit, rogans, ut ipsum apud se retineret. Interim Beatus vir postulanti captivo equum ipsum donat, quoniam apud ipsum plus fuit cura pauperis, quàm vox Regis. Scribit autem Martinus de ipso, quòd cùm ægrotaret, jussit ex apposito sculpi in pariete V. Calendas Junii. Cujus scripturæ caussam post mortem ipsius sciverunt, quia die tali mortuus est, quasi sibi divina revelatione impressum. Sepultus est autem in Ecclesia, quæ priùs dicebatur Sanctus Vincentius, nunc autem dicitur Sanctus Germanus de Pratis. Eodem tempore floruit Felix Episcopus Tarvisinus, qui cùm audisset Alboyn Regem Longobardorum illuc advenisse, occurrit ei juxta fluvium Plavem; cui Rex sicut vir liberalissimus omnes possessiones suæ Ecclesiæ concessit eidem, ac per suum Notarium firmavit. Hic Felix magnus amicus, & socius fuit Fortunati jam dicti; unde quadam vice cùm ambo paterentur in oculis, venerunt prope Papiam ad quamdam Basilicam Beati Martini, & ex devotione ad dictum Sanctum oculos suos de oleo lucernæ unxerunt, quæ erat coram Altari dicti Sancti; & curati sunt. Quam ob caussam Fortunatus supranominatus limina visitavit Beati Martini Turonensis, & ex sua bonitate & probitate in Francia, ut jam est dictum, ad instantiam illius gentis ibidem remansit, & factus est Presbyter, & deinde Episcopus in Pictavio. Refert autem dicta Historia Longobardorum, quòd Legendam Beati Martini in IV. libris heroico versu contexuit, Hymnosque suarum festivitatum; nullique Poëtarum ipsum dicit fuisse secundum.

CAP. XV.

De Benedicto Primo, & LXV. Pontifice, cujus tempore Longobardi occupaverunt partem Lombardiæ confinem Alemanniæ.

Anno Domini DCIV. & ab Urbe condita MCCCLV. Benedictus I. natione Romanus ex patre Bonifacio in Cathedra Petri sedet. Sedit autem annis IV. mense I. diebus XVIII. & cessat mensibus III. diebus X. Hujus tempore post ingressum Longobardorum in Italiam Alboyn jam dictus Rex Longobardorum intravit Rhetiam primam, hoc est regiones confines Alamannis, & Forum Julii, & Marchiam Tarvisinam, & Provinciam Venetiarum, quæ multas sub se continet terras. Inde postea transierunt ad partes Romanorum, quas fortissimè vexarunt. Sed redeuntes Liguriam, Ticinum, quod alio nomine Papia appellatur, Civitatem obsident per III. annos, totam devastantes regionem. Propter quæ mala exorta est fames non modica in Italia; unde ex iis sollicitudo Summi Pontificis gravatur, & ex quadam pressura malorum ex diversis tribulationibus moritur. Et quamvis Historiæ de ipso singularia non referant, multa tamen inveniuntur facta per ipsum, quæ virtuosa fuerunt, & laude sunt digna. Suoque tempore acciderunt magna in Urbe, & in Italia, & magni Doctores in Ecclesia cœperunt florere. Sed primò de Longobardis est aliquid dicendum. Jam enim in Provincia, quæ Venetiarum appellatur, maritimas Civitates, ut dicta Historia refert, occupant, ut Mantuam, Veronam, Paduam, Brixiam, Pergamum, & Cremonam, regionemque Tarvisinam, & Forum Julii, & Rhetiam primam.

CAP. XVI.

Qualiter venerunt in Liguriam, & ceperunt Mediolanum; & de miraculo, quod accidit in captione Papiæ.

Intrantes verò Liguriam, Mediolanum capiunt sub tempore Honorati Archiepiscopi, qui inde recedens versùs Januam se collegit, fugiens Longobardorum barbaricam feritatem. Sed & Patriarcha tunc Aquilegiensis nomine Paulus ex hac vexatione Longobardorum post XII. annos à suo Patriarchatu migravit ad Dominum. Veniens verò versùs Ticinum, hoc est Pa-

Papiam, ipsamque obsiderunt tribus annis, ut dictum est supra. Post tres annos gravati Ticinenses posuerunt se in manibus Alboyn prædicti. Ille verò volens intrare Civitatem cum proposito dissipandi, & exstirpandi Christianos, qui erant ibi, cùm esset in Porta, quæ dicitur Sancti Joannis, equus, in quo sedebat, qui sibi pretiosus erat, cecidit sub ipso, nec calcaribus, nec lanceis, nec quibuscumque stimulis surgebat; ex quo maxima erat admiratio, quia ista numquam solitus erat facere. Affuit, qui pidem diceret, quòd si volebat intrare, oportebat eum votum mutare propter reverentiam nominis Christiani, & eos salvare, qui in dicta morabantur Civitate. Voverat enim per Deos suos omnem Populum destruere, & annihilare, qui ejusdem contemnerent obedire mandatis. Remissione igitur facta istius voti, statim equus surrexit, & more solito processit cum tubis, & cymbalis, usque ad palatium quoddam Theodorici Regis Gothorum. Hæc igitur de Longobardis ad præsens sufficiant, quantum se extendit ad tempora istius Pontificis.

CAP. XVII.

De Justino Imperatore juniore, qui aliquo tempore fuit bonus, postea malus & de Joanne Episcopo Constantinopolitano magnarum eleemosynarum.

Sed & de Imperatore Justino aliquid est dicendum, qui fuit LIV. Imperator à Julio, qui & Justinianus minor dictus est. Hic ergo, ut Historiæ referunt, in principio fuit verus Catholicus, & postea addidit se avaritiæ miserabili, & factus est omnibus odiosus. Et inde Longinus, qui pro ipso imperabat in Italia, totum vigorem perdidit imperandi, prævalentibus Longobardis, ut ex prædicta Historia liquet Longobardorum, & ex Francorum gestis. Hic autem Imperator concurrit partim cum Pelagio Primo, partim autem cum Benedicto, de quo nunc agitur. Scribit autem Paulus in prædicta Historia, & Ammonius de gestis Francorum lib. III. quòd sic fuit immersus avaritiæ, quòd archas ferreas fabricari mandavit, in quibus ea, quæ de tyrannide rapiebat, nemini parcens recondebat; tantæque sollicitudini circa ista se dedit, quòd ultimò justo Dei judicio in amentiam versus est. Huic successit Tiberius, qui fuit LV. & qui è converso à Justino largissimus fuit in eleemosynis & beneficiis. Eodem tempore floruit Joannes Constantinopolitanæ Urbis Episcopus natione Cappadox, vir inæstimabilis abstinentiæ, ut scribit Isidorus de Illustr. Viris, *cui*, ut idem Isidorus scribit, ubi supra, Beatus Gregorius scripsit Pastoralem in principio sui Pontificatus, quia multo tempore vixit. Fuit autem prædictus vir *in eleemosynis ita largissimus, ut zelo avaritiæ adversùs eum Imperator Mauritius permotus, ab Urbe Regia pauperes pellendos ediceret. Hic Græco eloquio edidit de Sacramento Baptismatis rescriptum ad beatæ recordationis Dominum meum, & Prædecessorem Leandrum Antistitem, in quo replicat de trina mersione sententias.* Moritur autem, eodem Mauritio adhuc regnante. Circa ista tempora Rex Francorum Lotharius Secundus, sed decimus in ordine, regnat; & regnavit annis XLIV.

CAP. XVIII.

De Leandro Episcopo, qui hujus Pontificis tempore floruit in vita, & Doctrina; & de iis, quæ scripsit, & de familiaritate, quam habuit cum Beato Gregorio.

Eodem etiam tempore floruit Leander Episcopus. Quædam autem Historiæ ipsum appellant Episcopum Toletanum; quædam Hispalensem, ut Isidorus. Utrumque autem esse non potuit, nisi quia propter suam probitatem de uno in alium fuit translatus. Scribit autem sic de ipso, ubi supra: quòd *genitus fuit à Patre Severiano Carthaginensis Provinciæ Hispaniæ, professione Monachus, & ex Monacho Hispalensis Ecclesiæ, Provinciæ Bæticæ, constitutus Episcopus; vir suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vita quoque tantum & doctrina clarissimus, ut etiam fide ejus, atque industria, populi gentis Gothorum ab Arriana insania ad fidem Catholicam reverterentur. Hic namque in peregrinatione sua versùs Constantinopolim composuit adversùs hæreticorum dogmata libros eruditione sanctarum Scripturarum ditissimos, in quibus vehementi stilo Arrianæ impietatis confodit ac detegit pravitatem, ostendens quid contra eosdem habeat Catholica Ecclesia, vel quantum distet ab eisdem religione, vel fidei Sacramentis. Exstat & aliud laudabile opus adversùs instituta Arrianorum, in quo, propositis eorum dictis, suas responsiones opponit. Præterea edidit unum ad sororem suam Florentiam de institutione Virginitatis, & contemtu mundi, titulorum distinctionibus prænotatum. Hic enim in Ecclesiasticis officiis non parvo elaboravit studio. In toto enim Psalterio duplici editione orationes composuit; in sacrificiis quoque laudibus, atque psalmis multa dulciora conscripsit. Scripsit & epistolas multas ad Papam Gregorium*, sed præcipuè *unam de Baptismo*. In Concilio enim Toletano definitum erat, quòd una sola fieret immersio: quod habes de Consecratione dist. IV. cap. *propter vitandum*. In partibus autem Italiæ erat trina immersio, & in partibus Orientis. Sed quid in hoc casu Beatus Gregorius sentiat, infra dicetur in responsione, quam eidem facit. *Scribit etiam ad multos alios Episcopos epistolas non modicum in moribus fructuosas. Floruit autem*, ut idem Doctor dicit ubi supra, *tempore Mauritii Imperatoris, & sub Reccaredo glorioso Principe, & Gothorum Rege viro virtuoso.*

CAP. XIX.

De Tiberio Imperatore, qui magnus eleemosynarius fuit, & quale miraculum accidit ista de caussa; & de Reccaredo Rege, & Concilio Toletano.

Non fit autem hìc mentio de Tiberio Imperatore sic extensè, qui Justino Imperatori successit, qui fuit vir Catholicus, & bonus, quia parum suum duravit imperium, eo quòd septem annis cum tempore, quo vices gessit Justini, postquam factus est amens. Unum tamen referunt Martinus, & Cusentinus, quòd cùm maximus esset eleemosynarius, & uxor sua de hoc ipsum reprehenderet, quasi Reipublicæ dilapidatorem, respondit: *Confido*, inquit, *in Deo meo, quòd in Fisco nostro pecunia mea non deerit, si thesauros nostros pro Christi amore* pau-

pauperibus erogamus. Dum igitur hæc peragerentur, & in Imperiali palatio quemdam pertransiret locum, vidit ibidem quamdam tabulam marmoream, in qua erat crux sculpta. Cùmque illam tabulam fecisset levari pro reverentia crucis, apparuit sub illa alia usque in quartam, ubi infinitum invenit thesaurum. Quis autem iste Reccaredus fuit, de quo actum est supra, per Concilium Toletanum habemus eodem tempore celebratum. Qui primò infectus hæresi Arriana, in dicto Concilio suam veram confitetur fidem, fovetque Concilium. In hac autem Synodo interfuerunt LXXII. Episcopi de Hispania, Gallia Aquitanica. Quæ quidem Synodus ideo celebrata est ad exstirpandam hæresim Arrianam, quæ multùm dictas regiones corruperat. In quo Concilio ad majorem claritatem veritatis confitentur illa quatuor Concilia, quæ aliæ Synodi veneratæ sunt, videlicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense. Inde postea prosequuntur suas constitutiones, in iis se fundantes, & commendant Principem Reccaredum de Fide.

CAP. XX.

De Confessione, quam fecit Reccaredus Rex circa Fidem Catholicam in Concilio Toletano.

IPse etiam Reccaredus primò suum confitetur errorem Arrianæ impietatis; inde ulteriùs cum illis Sanctissimis Patribus veram Fidem pronuntiat, mandatque omnibus populis, qui suæ subjiciebantur ditioni, ut obediant præceptis majorum secundùm ordinationem Concilii Toletani, quia ipsis ex officio incumbit opus Divinitatis. Et quia Historia magna est, ipsam relinquamus Catalogo Imperatorum. Unum tamen hìc advertendum de isto Rege Reccaredo, quia Rex fuit in Hispania Gothicæ gentis. Duo enim genera barbaræ gentis quieverunt in Hispania, videlicet Gothi, & Vandali, ut dictum est supra; & ambo expulsi fuerunt per Bellisarium de Africa, & Italia; unde transeuntes de Africa in Hispaniam Vandali in Bætica quieverunt, & ab ipsis mutato nomine Bætiæ, Vandalia est nominata: quæ Regio ab Hispali usque in Toletum extenditur. Aliam regionem occupaverunt Gothi, & diffundunt se à Toleto versùs Carthaginem super mare Mediterraneum, & versùs Extremaduram suamque sedem posuerunt apud Toletum. Et ultimò illud genus prævaluit, ut Reges Hispaniæ de ista progenie originem traxisse dicantur, sicut in ipsorum Catalogo patet.

CAP. XXI.

De Pelagio II. & LXVI. Pontifice, & quòd suo tempore Imperialis consensus requirebatur in electione Pontificis.

ANno Domini DCVIII. & ab Urbe condita MCCCLX. Pelagius II. natione Romanus in Summum assumitur Pontificem. Sedit autem annis X. mensibus II. diebus X. Et cessat mensibus VI. diebus XXV. Hic ordinatus est absque jussione Principis, cujus rationem assignant Historiæ Longobardorum Lib. III. quia tunc Roma à Longobardis cincta erat obsidione. Et attende hìc, quia sæpiùs Ecclesia faciebat istum honorem majori Principi, quia ipsorum sæpiùs indigebat adjutorio, unde Mauritio collatus fuit

A iste honor, ut patet in gestis Beati Gregorii, de quo in præsentiarum dicetur. Et hoc propter Longobardos, qui nimis vexabant Ecclesiam, sicut Carolo fuit collata propter eosdem; ut patet dist. LXIII. cap. *Adrianus*. Unde & in gestis Longobardorum habetur Lib. III. quòd Mauritius magnam summam pecuniarum misit Childeberto Regi Francorum ad exercitum faciendum contra Longobardos in favorem Ecclesiæ. Fuit & alia caussa, quam Decretum ponit dist. LXXIX. cap. *si duo*; & sunt verba Honorii, ubi sic dicit Imperator, quòd si duo contra fas eligantur in Summos Pontifices, definit Honorius nullum eorum esse Papam, sed illum solum, qui numerum eligentium habet sufficientem, & consensus Universitatis accesserit. Unde ad vitandum schisma fuit Imperatoribus tunc concessa potestas. Alia caussa ponitur infra, & habetur dist. LXIII. cap. *in Synodo*. Hic Pelagius Eliæ Aquilejensi Episcopo, nolenti tria Capitula Chalcedonensis Concilii suscipere, epistolam utilem transmisit, quam Beatus Gregorius adhuc Diaconus scripsit, ut Historia narrat.

CAP. XXII.

Qualiter Pelagius Beatum Gregorium promovit ad statum Cardinalatus, & suum Apocrisarium fecit; & qualiter missus est Constantinopolim ex certis caussis; & de multis laudabilibus actibus ejus; & de Childeberto, & pugna ejus.

HUnc enim Gregorium Pelagius suum Archidiaconum, & Apocrisarium fecit, quem ex certa caussa ad Mauritium Imperatorem in Constantinopolim misit, quam Urbem Regiam Historia Longobardorum appellat, ubi Libros Morales super Historiam Job composuit ad petitionem Leandri superiùs memorati, ut refert Isidorus de Illustr. Viris, quam in XXV. libros luculento sermone disseruit, & prædicto Archiepiscopo Leandro, ipso libro consummato, transmisit. Hic autem Gregorius moram contrahens in Constantinopoli, ut dicta refert Historia, Episcopum loci, quem nos Patriarcham vocamus, nomine Euthycium errantem circa Resurrectionem invenit, & ad viam veritatis reduxit. Sed quales sui actus fuerint, & sui origo generis, infra dicetur. Eo autem tempore Childebertus Rex Francorum IX. in suo florebat Principatu. Hic autem Princeps, ut Historia Longobardorum tradit, bellum adversùs Hispanos gerens, ipsos in acie superavit. Caussa autem istius belli ponitur à Paulo Historiæ Longobardorum Scriptore. Quia Childebertus sororem suam Ingundem Hermigildo Hispaniæ Regi, qui pater fuit Reccaredi, uxorem tradidit. Qui Herminigildus ad prædicationem Beati Leandri Episcopi Hispalensis, atque exhortatione suæ conjugis ab Arriana hæresi se avertit, quem pater impius hoc errore submersus, in die Sancto Paschæ crudeliter impetens interemit. Uxor verò Ingundis cum filio fugiens à facie soceri versùs terras patris, capta in itinere cum filio, traducta est in Siciliam, ibique diem clausit extremum. Filius verò ejus transmissus est Mauritio Imperatori.

CAP. XXIII.

De vita laudabili Beati Gregorii, & actibus ipsius virtuosis, quæ incidenter ponuntur.

SEd de Beato Gregorio referamus quæ per ipsum sunt facta sub Pelagio Papa. Fuit enim ministrans, ut Archidiaconus, & Apocrisarius ejus, qui in Curiis secularibus Cancellarius, sed in Romana Curia Vicecancellarius hodie appellatur. Et quia multa gratiosa reperiuntur de ipso, & memoria digna, quæ pro tempore Benedicti Papæ, & Pelagii ab ipso gratiosè sunt gesta, sunt meritò referenda. Hic enim primò, ut omnes Historiæ referunt, Senatoria stirpe oritur, cujus pater Gordianus, mater verò Silvia dicebatur. Cùm jam summum Philosophiæ apicem in ipsa sua adolescentia attigisset, ac rerum, & divitiarum copia plurimùm abundaret, cogitabat tamen hæc omnia deserere, ac in religionem se transferre. Sed dum longiùs conversionem suam protraheret, & tutiùs se Christo famulaturum putaret, si sub Prætoris Urbani habitu Mundo specie tenus deservisset, cœperunt multa ex seculi cura subcrescere, ut in eo non jam specie, sed etiam retineretur mente. Tamdem cùm hæc in suo animo laberentur, mortuo patre, suum propositum primum prosequitur, de seculo inveniens se deceptum, unde bona patrimonialia distrahens, habitum Religionis assumit; & divinum cultum amplificans, sex Monasteria in Sicilia construxit, fortè quia ibi erant divitiæ patris. Septimum autem infra mœnia Urbis in honore Sancti Andreæ, & in proprio dogmate, in quo relicto auro, & argento, ac gemmis pretiosis radiantibus, vili Monastico habitu tegebatur. Qualia autem in dicto Monasterio fecerit, sua referunt gesta satis diffusè; & omnia digna sunt exempli memoria.

CAP. XXIV.

Qualia attentavit Beatus Gregorius circa Anglicos redimendos, & ad Fidem convertendos, non Cardinalis existens.

EXistens igitur propter sua merita in dicto suo Monasterio Abbas, & nondum Cardinalis, quadam die transiens per plateam, quosdam juvenes pulcherrimos, tamquam sclavos & captivos vidit exponi venditioni. Compassione motus quærit, de gente illa cujus essent; cui responso, quòd Anglici vocarentur: *Bene*, inquit, *Anglici*, *quasi Angelici*, *quia Angelicos habent vultus*. Quærens autem de nomine Provinciæ, mercator, qui vendebat, respondit dictam Provinciam de Ira vocari. *Bene*, inquit Gregorius, *quia de ira Dei sunt* [A] *eruendi*. Rursus quærens de Rege, respondit Mercator ipsum Alle vocari. *Bene*, inquit Gregorius, *Alle dicitur, quia in partibus illis Alleluja decantari oportet*. Iis dictis, mox ad Summum Pontificem Pelagium accedit, cui nullo adhuc erat ministerio, vel familiaritate conjunctus. Ab ipso igitur Pontifice cum multa instantia & precibus obtinet, ut ad illos convertendos mittatur. Qua gratia impetrata cùm jam iter aggreditur, Romani de sua absentia perturbati, sicut de viro exemplo vitæ, & doctrinæ claritate toto gratia pleno, Summum Pontificem Pelagium adeunt, ipsumque sic alloquuntur: *Petrum*, inquiunt, *offendisti*, *Ro-* [B] *mam destruxisti*, *quia Gregorium dimisisti*. Sicque Papa perterritus, ad eum reducendum nuntium transmisit.

CAP. XXV.

Quo tempore fuit ad Cardinalatum assumptus; de aquarum diluvio in Italia; & de pestilentia inguinaria in Urbe, & unde.

DE quo facto multa pulchra narrantur in gestis ejus. Sed hæc solùm sufficiant ad præsentem materiam, quia reductus est ex clamore famæ ipsius, quæ primò non tantum nota erat eidem. Ipsum igitur à Monasterio suo ab- [C] straxit, & eum Diaconum Cardinalem, abinde suum Apocrisarium fecit, ut supra est tactum. Anno autem X. Pontificatus Pelagii fuit aquæ diluvium in Italia tota, sed in partibus Venetiarum, & Liguriæ incœpit, ut in gestis Francorum, & Longobardorum traditur, & in utroque Lib. III. & tale, quale numquam fuit in dictis regionibus à tempore Noë. Post hæc in partibus Romæ se tantùm diffudit, ut muros transcenderet Urbis. Traxit autem secum tunc tanta inundatio aquarum multa animalia venenosa de suis cavernis, & præcipuè multitudinem serpentum cum uno magno Dracone, qui descendentes in mare, ibidem moriuntur, & ad littora propelluntur. Ex tanta aëris corruptione [D] sequuta est pestilentia ægritudinum, sed præcipuè inguinariæ, quæ innumerabilem multitudinem populi extinxit. (*) Utrum autem ex hac corruptione aëris solùm sequeretur talis passio inguinaria, quæstionem habet, an per se esset pestilentia specialis hominibus inflicta ex aliqua caussa divina virtute. Historiæ tamen omnes simpliciter dicunt hanc immediatè subsecutam fuisse passionem. Tradunt autem aliquæ Historiæ, quòd tunc temporis multos ictus fulminis occidit in eisdem partibus. Scribit autem Cusentinus quòd hic constituit Præfationes ante Canonem decantari. Supra tamen, ubi agitur [E] de Sixto I. qui est nonus à Christo, Præfationes attribuuntur Gelasio II.

(*) *In Cod. Patav. additur*: Sed primùm venerabilem virum, & Sanctum Pelagium Papam perculit, & statim sinè mora extinxit.

Explicit Liber Decimus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER XI.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Gregorio Primo, & LXVII. Pontifice, & de ipsius prima assumtione in Pontificem gratiosa, & miraculosa, & quomodo.

ANno Domini DCXIX. & ab Urbe condita MCCCLXXI. Gregorius Primus natione Romanus ex patre Gordiano in Summum Pontificem assumitur, suaque fuit assumtio gratiosa, & miraculosa. Cùm enim tunc Civitas Romana gravissima pestilentia jam dicta premeretur, mortuo Pelagio, Populus, & Clerus Gregorium tunc Levitam, & Apocrisarium Romanæ Ecclesiæ cum clamore valido in Summum Pontificem eligunt, & assumunt. In cujus electione cùm consensus requireretur tunc Imperatoris, cujus caussa supra est posita, Beatus Gregorius ad Mauritium Imperatorem literas transmittit per solennes nuntios, obsecrans, ne huic electioni præberet assensum, ut communiter Historiæ tradunt. Sed Præfectus Urbis literas interceptas disrumpit, & consensum Cleri, & populi eidem Imperatori transmittit. Qui valde gavisus est, quòd locum aptum largiendi honoris Diacono olim sibi amicitiæ familiaritate carissimo reperisset: ut Ammonius scribit ubi supra Lib. III. Filium enim ejus, dum fuerat in Constantinopoli, de sacro fonte levavit: unde ipsum ordinandum præcepit. Hic Mauritius fuit LVI. Imperator à Julio. Dum hæc aguntur, quia lues populum exterminabat, ante sui consecrationem convocari populum mandat, & eidem sermonem facit, & processionem instituit, & Letaniam, exhortans populum, ut attenta oratione divinam misericordiam implorarent. Percepta autem responsione Mauritii de ipso consecrando, fugam, mutato habitu, iniit. Sed post tres dies inventus miraculosè reducitur, & consecratur.

CAP. II.

Qualiter Beatus Gregorius consecratus in Pontificem, propter pestilentiam jam dictam instituit Letaniam, quæ Septiformis vocatur; & de miraculo, quod accidit circa hæc.

QUia verò adhuc urbs Romana dicta pestilentia quatebatur, magis solennem processionem instituit, distinguens totum populum, & Clerum in VII. gradus. Primus gradus fuit omnium Clericorum cum suis Prælatis; secundus gradus omnium fuit Monachorum cum suis Abbatibus; in tertio gradu fuerunt omnes Abbatissæ cum sororibus suis; in quarto omnes infantes; in quinto omnes Laici adulti; in sexto omnes viduæ; in septimo omnes conjugatæ. Hæc Paulus in Historia Longobardorum refert, qui etiam ejusdem Beati Gregorii gesta se scripsisse tradit. Et hanc Letaniam, seu processionem Septiformem appellat. Hanc etiam processionem, ut gesta referunt ejus, sic ordinavit, quia Imaginem Beatæ Mariæ, quam Beatus Lucas refertur pinxisse, mandavit præcedere, quæ à multo tempore in Sancto Sixto fuit locata, & adhuc est ibidem. Pergendo igitur per Urbem tota turbulentia aëris à facie ipsius recedebat; sicque post Imaginem mira serenitas, & aëris puritas remanebat. Tunc, ut fertur, juxta Imaginem auditæ sunt voces Angelorum canentium: *Regina Cœli, lætare alleluja, quia quem meruisti Christum portare alleluja, Resurrexit, sicut dixit alleluja*; statimque Beatus Gregorius quod sequitur adjunxit, *ora pro nobis Deum alleluja*. Tunc sanctus Pontifex vidit redeundo de processione ad Sanctum Petrum super Castrum Crescentii Angelum Domini, qui gladium cruentatum detergens, in vaginam revocabat: ex quo cognovit pestilentiam cessasse. Hæc autem acta sunt in die Sancti Marci Evangelistæ: unde illud Castrum ulteriùs Castrum Sancti Angeli est vocatum.

CAP. III.

De Libris, quos Beatus Gregorius scripsit, & aliquos aliquibus intitulavit; & de aliquibus, qui non inveniuntur.

CÆterùm de vita ipsius, & miraculis diffusus est sermo; sed illa solùm assumamus, quæ ad doctrinam ejus pertinent, & referri possunt ad Pontificalem ipsius statum. Præter Moralia enim, quæ Levita, & Apocrisarius scripsit ad petitionem Leandri; primò in principio sui Pontificatus Pastoralem ad Joannem Constantinopolitanæ Urbis Episcopum directum composuit, ut supra liquet per Isidorum de Illustr. Viris. Fecit & Homelias super Ezechielem pro descriptione Templi; sed imminente vexatione Agilulfi Regis Longobardorum, quam faciebat contra jura Ecclesiæ (unde tunc Monasterium Montis Casini fuit totaliter spoliatum à Longobardis) à prosequutione operis destitit, ut Paulus in suprascripta Historia scribit. Ultimò tamen meritis, & industria uxoris suæ Theudelindæ, quæ Christianissima erat, ad Fidem convertitur, & omnia jura Ecclesiarum restituit, ut ex Historia Longobardorum habetur. Beatus autem Gregorius tunc temporis, ut ex dicta Historia supramemorata patet Lib. III. Libros IV. condidit ad utilitatem Ecclesiæ sanctæ, & ædificationem fidelium de Vita Sanctorum, ubi & gesta Beati Benedicti continentur extensa, quem codicem *Dialogum* voluit nominari, idest locutionem duorum, quia colloquens cum suo Diacono Petro, modo apologetico condidit.

CAP. IV.

De Dialogo, quem Beatus Gregorius transmisit Theodolindæ Reginæ Longobardorum, & eidem scripsit, per quam traxit Longobardos ad Ecclesiæ amorem.

HUnc ergo librum Theudelindæ Reginæ direxit, quam sciebat utique & Christi fidei dedi-

deditam, & in bonis actibus esse præcipuam. Per hanc igitur Reginam multùm utilitatis Dei Ecclesia consequuta est; unde Beatus Gregorius pro gratiarum actione ex bonis actibus ejus circa promotionem fidei sic scribit eidem, ut ibidem habetur: *Gregorius Theodolindæ Reginæ Longobardorum*; & intendit dictam Reginam exhortari, ut virum suum ad pacem Ecclesiæ inducat, & in fide Christianitatis confirmet. Dicit ergo sic: *Excellentia vestra ad fovendam pacem studiosiùs, & benignè se, sicut solet, impendit, idque denuntiante filio nostro Probo Abbate, cognovimus; nec enim aliter de Christianitate vestra confidendum fuit, nisi quia in caussa pacis laborem, & bonitatem vestram omnibus monstrare valemus. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, quia ita cor vestrum sua pietate regit, ut sicut fidem rectam tribuit, ita quoque placita sibi operari concedit. Nunc enim, Excellentissima Domina, de sanguine, qui ab utraque parte fundendus fuerat, non parvam te credas acquisivisse mercedem. Ex qua re voluntati vestræ gratias referentes, Dei nostri misericordiam deprecamur, ut bonorum vobis vicem in corpore, & in anima hic, & in futuro compenset; Salutantes vos præterea, paterna dilectione hortamur, ut apud Excellentissimum Conjugem vestrum ita agatis, quatenus Christianæ Reipublicæ societatem non renuat, quin totum potiùs conatum apponat.*

CAP. V.

Qualiter scripsit Regi Longobardorum gratias pro pace, & qualiter misit Augustinum in Angliam, & convertit eos ad fidem, & eumdem instruxit in agendis.

ITem viro Theudelindæ, hoc est Agilulfo jam Christiano facto sic scribit Sanctus Gregorius Pontifex: *Agilulfo Regi Longobardorum. Gratias Excellentiæ vestræ refero, quia petitionem nostram audientes, pacem, quam utrisque partibus esse profuturam cognovimus, sicut de vobis confidimus, ordinastis. Ex qua re Excellentiæ vestræ prudentiam, & bonitatem valde laudamus, quia pacem diligendo, Deum vos, qui auctor ipsius est, amare monstratis. Nam, si quod absit, facta non fuisset, quid agi habuit, nisi ut cum peccato, & periculo partium, miserorum rusticorum sanguis, quorum labor utrisque proficit, funderetur?* Et multa similia scribit idem Beatus Pontifex ad persuadendum de pace. Referunt etiam eædem Historiæ, & præcipuè Ammonius in gestis Francorum Lib. III. quòd Beatus Gregorius quasi in principio sui Pontificatus Augustinum & Mellitum, ac Joannem cum aliis Dei servis ad Britannias dirigens suis eos literis Episcopis, sive Regibus Francorum, per quos illis transeundum erat, commendavit. Quorum prædicatione nationem Anglorum ad fidem Christi conversam esse in tantum gavisus est, ut in libris Moralium hujus rei faciens mentionem, inter cætera de fructu operum suorum gratulans, diceret: *Ecce*, ait, *lingua Britanniæ, quam barbaram audivimus frendere, nunc in Dei laudibus Hebræum novit Alleluja resonare*. Huic Augustino, quem Anglici suum Apostolum vocant, Beatus Gregorius post conversionem Britonum sive Anglicorum scripsit, instruens ipsum de observatione jejuniorum eisdem tradenda, quam habes dist. IV. cap. *Denique*.

CAP. VI.

De epistolis, quas Leandro direxit, & aliis libris, qui non inveniuntur; & de Registro; & qualiter cum humilitate mitigavit iram Mauritii.

SCribit autem Isidorus in Lib. de Illustr. Viris, quòd præter libros jam dictos duas epistolas scripsit Leandro Episcopo præfato, ex quibus una in principio Moralium titulo præfationis annectitur; altera autem eloquitur de immersione Baptismatis, in qua inter cætera ita scriptum est: *Reprehensibile quidem esse nullatenus potest, infantem in Baptismate mergere vel semel, vel ter, quoniam in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari*: quem modum tenebant Hispani, de quo dictum est supra, quum de Leandro est dictum, & habes de Consec. dist. IV. cap. *de trina*. Fertur etiam idem Excellentissimus Vir quosdam alios Libros morales scripsisse, ut ait idem Doctor Isidorus ubi supra, totumque textum Evangelii sermocinando in populo exposuisse. Dicit tamen sibi incognitum. Hodie enim non inveniuntur nisi XL. Homeliæ, quibus Ecclesia utitur. Ceterùm præter libros jam nominatos, scripsit Registrum, ubi Ecclesia totusque Clerus multùm instruitur in agendis ex diversis exhortationibus, & responsionibus, quas ad Episcopos transmittit & Principes, quæque omnia sunt exemplo plenæ. Et inter alia ibidem continetur, qualiter Mauritium per humilitatem vicit, qui contra ipsum, & Ecclesiam fuerat plurimùm provocatus, ex quadam relatione facta de ipso, quòd consensisset in morte cujusdam Episcopi; unde excusando se, sic Mauritio scribit, sive suo Apocrisario, ut habetur in libro III. Historiæ Longobardorum: *Unum*, inquit, *est, quod breviter suggeras Dominis nostris; quia si ego in mortem Longobardorum, vel damnum me immiscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Ducem, nec Comitem haberet, atque in sua confusione essent. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet me immiscere formido*. Reprehendit etiam in dicto libro Patriarcham Alexandrinum, & Constantinopolitanum de nimio fastu verborum in suis epistolis; & inde ut exemplum præberet, ipse primus inter Pontifices, in suis literis servum servorum se vocat, mandavitque posteris observandum.

CAP. VII.

De Officio divino, qualiter confirmavit; & de miraculo, quod in quodam Concilio circa suum officium accidit, & Ambrosii.

HIc quasi totum Officium augmentavit, & rectificavit, quia *Antiphonarium* fecit, *Missam* sic ordinavit, ut modò est. Primò quantùm ad *Introitum* ad populum demulcendum, quamvis alteri attribuatur Pontifici, ut supra patet. De *Kyrie eleyson* autem, supra de ipso est satis dictum. Omnia alia, quæ tradita sunt in capitulo de Sixto I. Beatus Gregorius firmavit ordinata per suos antecessores Pontifices. Insuper & duo addidit, unum de *Oratione Dominica*, quam cantari instituit per Sacerdotem post consecrationem Eucharistiæ; & secundum propriè eidem attribuitur, quòd in Missa ponitur:

tur: *diesque nostros in tua pace disponas, & ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Tradunt etiam Historiæ, quòd cùm magna esset disceptio inter Fideles de Officio Ambrosii, favente Carolo Magno Officio Beati Gregorii, ut infra dicetur, in uno Concilio tempore Adriani Papæ, ex quodam judicio habito definitum est, quòd Officium Gregorianum in Ecclesia prævaleret. Judicium autem tale fuit, quia Episcopi congregati ibidem Missale Ambrosianum, & Gregorianum statuerunt poni super altare Sancti Petri; clausoque ostio Ecclesiæ, ac aliquorum Episcoporum firmato sigillis, à Vesperis usque mane dimiserunt sic. Cùmque hora matutinali intrassent Ecclesiam, invenerunt Missale Gregorianum dissolutum per folia, & per Ecclesiam totam dispersum, Ambrosiano Missali super altare manente, ipsum solùm apertum invenerunt. Propter quod judicium judicaverunt, quòd Gregorii Officium diffunderetur per Orbem, Ambrosiano in sola Mediolanensi Ecclesia remanente. Tradunt etiam Historiæ de ipso, quòd Romæ duas Sch. las instituit de Cantu, & Officio Ecclesiastico; unam juxta Basilicam Beati Petri, aliam juxta Lateranum, ubi ut fertur, usque hodie lectus, & flagellum, quo priùs minabatur, cum Antiphonario authentico veneratione congrua reservatur.

CAP. VIII.

De humilitate ipsius circa libros suos communicandos, & quantæ liberalitatis fuit in Ecclesiis faciendis.

QUantum autem ad doctrinam, multum humilitatis ostendit, quia eo vivente, vix libros suos legi permittebat; unde ipse sic scribit Innocentio Africæ Præfecto: *Quia expositionem Sancti Job vobis transmitti voluistis, vestro studio congaudemus. Sed si saginari cupitis delicioso pabulo, Beati Augustini compatriotæ vestri Opuscula legite, & ad comparationem illius similaginis, nostrum furfurem non quæratis. Neque enim volo, dum in hac vita dego, si quà scripsisse, vel dixisse me contingit, ea facilè hominibus innotesci.* Et inde potuit accidisse, aliquos libros suos, de quibus supra est facta mentio, non inveniri, quia fuerunt combusti, ipsis aliis non communicatis: de qua combustione in sequenti dicetur Capitulo, seu Pontifice. Quantæ autem fuerit eleemosynæ, sua gesta referunt, quia quotidie ad mensam suam peregrinos habebat, omnibus pauperibus frumentum, caseum, & hujusmodi ministrabat; & quod est quasi incredibile, tribus millibus ancillis Christi octingentas libras auri (aliqui libri habent octuaginta) annualiter transmittebat. Tunc enim Ecclesia adhuc suos percipiebat proventus de Ægypto, Palæstina, & Græcia, quos reliquerat Constantinus; quia tunc ibi vigebat Christianitas, & omnes Ecclesiæ Romanæ obediebant. Machometus enim, sub quo pullulavit hæresis, seu secta Saracenorum, surrexit, sive fuit post mortem Beati Gregorii ad XXX. annos, vel circa, quia tempore Heraclii Imperatoris, qui imperavit post Focam, ut jam liquebit. Hæc igitur de Beato Pontifice Gregorio dicta sufficiant in hoc opere. Cætera in suis gestis requiras, qui vir fuit totus

A virtutibus plenus. Sedit autem annis XIII. mensibus VI. diebus X. Migravit autem IV. Idus Martii, & cessat Episcopatus menses V. dies XVI.

CAP. IX.

De morte Mauritii Imperatoris, & successione Focæ; de morte Childerici Regis Francorum; & de actibus virtuosis Theodolindæ.

CIrca finem autem vitæ suæ Mauritius Imperator à Foca occiditur. qui & eidem succedit, de quo facto longa est Historia, & ideo
B ipsum Catalogo reservemus Imperatorum. Moritur autem Beatus Gregorius, ut scribit Isidorus de Illustr. Viris, in ipso exordio Imperii Focæ; & hoc idem scribit Ammonius in gestis Francorum. Hujus tempore, ut scribit Paulus in gestis Longobardorum, Childericus Rex Francorum nonus, XXV. anno ætatis suæ cum uxore propria vi veneni extinguitur. Per idem tempus Theodolinda Regina Longobardorum Basilicam Beati Joannis Baptistæ, quam in Modoëtia construxerat, qui locus supra Mediolanum X. (*) milliaribus abest, dedicavit, multisque ornamentis decoravit, prædiisque sufficientibus ditavit, ut dicta Historia narrat. Quo in loco Theodoricus Rex Francorum palatium
C construxit, pro eo quòd æstivo tempore locus ipse, ut vicinus alpibus temperatus ac salubris existit; ubi etiam prædicta Regina suum palatium fabricavit, in quo conditiones Longobardorum depinxit. Circa eadem tempora Duces quidam de genere Longobardorum de Tridento, & Foro Julii, cùm antea à societate Agilulfi discordarent, ab eo in pace recepti sunt. Tunc etiam fuit baptizatus Adaloaldus filius Agilulfi in Sancto Joanne in Modoëtia, & susceptus de fonte est à Secundo servo Christi Episcopo de Tridento; factumque est festum magnum ista occasione ex magna fidelitate patris & matris.

CAP. X.

D *De Sabiniano Primo, & LXVIII. Pontifice, & adversario Beati Gregorii post mortem; & qualiter Beatus Gregorius percussit eum; & de fame, & pestilentia, quæ fuit tempore suo.*

ANno Domini DCXXXII. & ab Urbe condita MCCCLXXXIV. in loco Beati Gregorii ad Apostolatus officium assumitur Sabinianus, sive Savinianus, cujus genus ignotum, quod sibi competit ex meritis ejus, quia non fuit bonus homo, eo quia conatus est depravare opera virtuosa sui Antecessoris. Hic Apocrisarius fuit
E Mauritii, cui Beatus Gregorius scripserat ad sui excusationem pro crimine sibi imposito, quòd occidisset, sive fecisset mori in carcere quemdam Episcopum, cujus nomen Malchus. Sedit anno I. mensibus V. diebus IX. & cessat mensibus II. Hic constituit, ut horæ diei per Ecclesias pulsarentur, quod antea non fiebat. Hujus tempore fames valida fuit, frigus etiam intensissimum, ut in Lombardia omnes vites extinguerentur, messes quoque partim percussa uredine morerentur. Quod sinè significatione non fuit, ut prædicta tradit Historia, quia ille à Mun-

(*) *In Cod. Patav.* XII. mill.

à Mundo defecit, qui eidem pabulum spirituale, & corporale præbebat. Post mortem igitur Beati Gregorii, fame invalescente in partibus Romæ, veniebant pauperes, quos liberaliter pascere solebat Beatus Gregorius, ad successorem ipsius Sabinianum, dicebantque: *Domine, quos pater noster Gregorius solebat pascere, tua sanctitas fame non sinat perire*. Quibus verbis Papa indignatus, semper taliter respondebat: *Si Gregorius ad famam suæ laudis cunctos populos curavit suscipere, nos autem non possumus pascere*; & sic ipsos semper vacuos remittebat. Cùm igitur dictus Sabinianus Papa multùm linguam suam relaxaret, quasi etiam Gregorius Ecclesiam cum suis eleemosynis dissipasset, contra dictum Sanctum Antistitem, apparuit ei Beatus Gregorius in visione, monens ipsum, ut se corrigeret de tenacitate, & à detractione caveret, nec propter hæc verba cessabat. Ultimò apparuit ei, ac multùm perterruit, & in capite percussit, de qua percussione extinctus est. Et sic de isto Pontifice Historiæ referunt. Utrum autem fuerit naturalis percussio vel spiritualis, quæstionem habet. Utrumque tamen sustineri potest.

CAP. XI.

De persecutione facta Beato Gregorio post mortem in libris suis, & de miraculo, quod accidit in Petro suo Diacono ista occasione.

POssibile est etiam, quòd quidam invidi jam incœperant suæ doctrinæ detrahere; sed ipso mortuo, alii persequuntur, asserentes, quòd totum thesaurum Ecclesiæ tamquam vir prodigus consumsisset: unde ob hujus sceleris vindictam ad comburendos libros suos aliorum animos inclinarunt. Tradunt etiam aliqui, quòd quidam de Romanis civibus videbantur favere propter imagines Idolorum Urbis, quas Gregorius fecerat detruncari. Cùm ergo in hujus furoris impetu jam aliquos combussissent, gesta Sancti Gregorii referunt, quòd Petrus, Diaconus ejus, ac familiarissimus, cum quo quatuor Dialogorum libros disputaverat, vehementissimè restitit, asserens hoc ad ipsius delendam memoriam nil valere, cùm in diversis Mundi partibus exemplaria inveniri possent; adjungens etiam, hoc immane sacrilegium esse, tanti Patris tot & tales libros exurere, super cujus caput ipse Sanctum Spiritum viderit frequentissimè in Columbæ specie. Tamdem in hanc ipsos sententiam adduxit, ut si illud, quod dixerat, jurejurando confirmans, mori continuò non meruisset, sed superstes sui testimonii exstitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Ascendit igitur cum ornamentis Diaconalibus venerabilis Levita Petrus Diaconus, librum Evangeliorum secum deferens; moxque ut tactis sacris Evangeliis sanctitati Gregorii testimonium præbuit, à dolore mortis extraneus spiritum inter verba veræ confessionis efflavit. In quo attendenda est perfecta conscientia (*) viri ad veritatem pronuntiandam pro salute Fidelium, quia ex hoc mortem sustinuit, in quo & sua Caritas ex veritate Evangelica commendatur.

CAP. XII.

De magnis signis, quæ isto tempore apparuerunt; & de Doctoribus, qui eodem tempore floruerunt.

CIrca ista tempora magna signa apparuerunt, hoc est circa mortem Beati Gregorii, & Mauritii Imperatoris, quæ hic submittimus propter effectus subsequutos de mortibus tantorum virorum jam dictorum, & aliorum Principum, & horribilia bella gesta iis temporibus tum in Francia, tum in Italia, tum etiam in partibus Orientis, sicut ex gestis Longobardorum habetur. Nec istud, quod modò narratum est de combustione librorum Beati Gregorii extra effectum poni debet dictorum signorum. Signa autem hæc ponuntur ab Historiis prælibatis. Primò quidem de Cometa, quæ mane, & vespere apparebat: quod est contra solitum cursum ejus. In suburbanis Byzantii, sive Constantinopolis, puer nascitur quadrupes, & alter duos vertices habens, ut scribit Isidorus in sua Chronica. Tunc etiam temporis signum sanguineum in Cœlo apparuisse visum est, & quasi hasta sanguinea, & lux clarissima per totam quasi videbatur noctem. Hoc etiam tempore mulier infantem peperit sinè oculis, sinè manibus; à lumbis infra erat sicut cauda piscis. In illo etiam flumine apud Insulam Delecta (**) Sirenes in specie viri ac mulieris à mane usque ad vesperam visę sunt. Isidorus autem in sua Chronica scribit, quòd apparuerunt duo animalia in flumine prædicto humanæ formæ, vir videlicet, & mulier; & vir quidem erat pectorosus, vultu terribilis, ruffa coma, canisque permixta; qui etiam usque ad lumbos cinctus demonstrabatur nudus; reliqua verò corporis membra cooperiebat aqua. Mulier quoque mamillas habebat, & fœminæ vultum, cæsariemque prolixam. Hoc etiam tempore floruit Joannes Patriarcha Alexandrinus, qui propter multam pietatem ad pauperes Joannes Eleemosynarius dictus est. Isto etiam tempore floruit Licinianus Episcopus Carthaginensis in Scripturis doctus, de quo quidem Isidorus de Illustr. Viris dicit, quòd multa scripsit, videlicet librum de Sacramento Baptismatis, alium librum ad Eutropium Abbatem, qui postea fuit Episcopus Valentinus. Multa etiam alia utilia scripsit. Floruit autem Mauritii tempore circa finem sui Imperii. Eodem etiam tempore floruit Severinus Malacitanensis Episcopus, socius & collega Liciniani prædicti, qui librum unum edidit, ut idem Doctor dicit ubi supra, adversùs Vincentium Cæsaraugustanensem Episcopum, qui ex Catholica Fide in Arrianam pravitatem fuerat devolutus. Est & alius liber, quem de virginitate scripsit ad sororem suam, qui Aureolus appellatur. Floruit eodem tempore cum primo & moritur. In Italia quoque Secundus Episcopus Tridentinus claret, qui tantæ fuit gratiæ apud Regem Agilulphum, & Reginam Theudolindam supramemoratos, ut mereretur filium eorum Adaloaldum de sacro fonte levare, sicut Historiæ Longobardorum tradunt Lib. III.

CPA.

(*) *In Cod. Patav.* constantia.

(**) *In Cod. Patav.* Insulam Delcon.

CAP. XIII.

De Bonifacio III. & LXIX. Pontifice, circa quem dubia moventur, & solvuntur; inde etiam ponuntur quædam capitula Nicæni Concilii.

ANno Domini DCXXXIV. & ab Urbe condita MCCCLXXXVI. Bonifacius III. in Cathedra Petri sedet. Sedit autem annis VIII. diebus XXVIII. Hic attende, quia in Catalogo Pontificum ponuntur duo Bonifacii simul, videlicet Bonifacius III. & IV. circa quos duos Historia Francorum Ammonii lib. IV. & Longobardorum Pauli non concordant cum Martino; sed Cusentinus cum eis convenit. Dicunt enim, quòd tertius Bonifacius impetravit à Foca Cæsare, quòd Ecclesia Romana esset caput omnium Ecclesiarum: quod est mirabile, quia hoc fuit statutum primi Nicæni Concilii, quamvis non contineatur inter Capitula XX. quæ ponuntur in X. libro Ecclesiasticæ Historiæ Ruffini. Scribit enim Athanasius Marco Papę LXX. fuisse capitula, ut patet XVI. dist. cap. LXX. Sed ab Arrianis combusta sunt. Inter illa verò LXX. Capitula prænotata aliqua inveniuntur, quæ ego legi extra illos XX. Canones jam prænotatos; & sunt X. inter quæ quinque sunt pertinentia ad Primatum Apostolicæ Sedis. Primum capitulum sic dicit: *Cùm venisset sanctum, & magnum Concilium apud Nicæam Bithynicæ Urbem, hoc est CCCXVIII. Episcoporum, mediante gloriosæ memoriæ Constantino Imperatore, placuit eis, ut omnia, quæ ibidem constituta sunt, mitterentur ad Papam urbis Romæ Sylvestrum, ab eo probanda*; & si probanda, sinè dubio & confirmanda. Secundum Capitulum est: *Ecclesia Romana semper habuit primatum, semperque ipsum habere debet*. Tertium Capitulum est: *Quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit, & putat se justam caussam habere; ideoque petit, ut iterum Concilium revocetur, placet ut Beati Petri Apostoli memoria honoretur, & scribatur ab iis, qui caussam examinaverunt; ac si judicaverit Papa Urbis, revocandum esse, judicium renovetur. Si autem probaverit talem caussam, ut non refragantur ea, quæ acta sunt, quæque decreverunt, confirmata manebunt*. Quartum Capitulum est: *Quòd addendum etiam placet huic summæ, ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit coram Episcoporum judicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma, alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem illius, qui videtur esse depositus, nullus omnino ordinetur in loco ipsius, nisi priùs caussa fuerit Romani Episcopi terminata judicio*. Quintum Capitulum est: *Cùm aliquis Romam venerit pro aliqua caussa, ut dictum est, & Sanctissimo Fratri, & Coepiscopo nostro Romanæ Ecclesiæ preces jungat, discutiat Papa Romanus caussas, quas habet, & examinet, si justæ, & honestæ sunt, & ad finem usque perducat*. Hæc omnia confirmata sunt per tria consequentia Concilia, videlicet Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, & Chalcedonense, ut supra patet; item per Constantinopolitanum secundum celebratum tempore Justiniani Principis; item per Constantinopolitanum tertium, in quo est definitum sub Constantino juniore vero Catholico, quòd Constantinopolitanæ Urbis Episcopum primatum habere oportet post Romanum Episcopum, eo quòd nova sit Roma, quod habes dist. XXII. cap. I. Quare autem hoc sit dictum, infra dicetur, cùm agetur de Agathone Pontifice Primo.

CAP. XIV.

Quare Bonifacius III. impetravit à Foca Cæsare, quòd Romana Ecclesia esset caput omnium Ecclesiarum, & quomodo Deus punivit Mauritium, quia non favebat.

SEd hoc ideo Bonifacius III. obtinuit à Foca Cæsare, quia quidam Joannes Constantinopolitanus Episcopus tempore Mauritii præcessoris Focæ, & ipso favente, quia tunc turbatus erat Beato Gregorio, & Romanæ Ecclesiæ, à quadam Synodo fraudulenter obtinuit, ut vocaretur in suis literis sive sibi missis, sive per ipsum mittendis, *universalis Papa*; quam præsumtionem Beatus Gregorius durissimè reprehendit, ut ex Registro, & gestis ipsius patet. Unde inter cætera sic de isto Joanne scribit: *Quis est iste, qui contra statuta Evangelica, contra Canonum decreta, novum sibi nomen usurpare præsumit? Utinam sit unus sinè diminutione, qui appetit vocari universalis, universus*. Unde in detestationem vocabuli istius Gregorius se *servum servorum* in suis literis nominavit. Et quia Mauritius isti favit in præjudicium Ecclesiæ Romanæ, Deus gravi pœna punivit eum; quia Focas miles ejus cum favore aliquorum Principum ipsum occidit, & uxorem ejus, & filios; & Imperium ipsius assumit: & inde ad faciendum quod Bonifacius III. petivit facilior fuit, quòd Romana Ecclesia sola Ecclesia universalis diceretur, & esset caput omnium Ecclesiarum, & non Constantinopolitana. Istam autem petitionem Martinus attribuit Bonifacio IV. sed meliùs dicunt primi, & cum illis est standum, quia magìs sunt authenticæ ipsorum scripturæ.

CAP. XV.

De pugna, quam habuit Rex Avarorum cum Duce Ræthiæ primæ, & victoria ejus, & ludibrio uxoris Ducis occisi, & pudicitia filiarum.

REferunt autem memoratæ Historiæ quiddam accidisse istis temporibus dignum memoria ad puniendum malitias personarum, quia secundùm merita reportant mercedem. Tempore enim hoc contigit, quemdam Regem Avarorum, qui hodie Hungari appellantur, intrare Rhætiam primam, in qua Provincia est Forum Julii, quæ sub uno Longobardorum Principe regebatur. Rex autem, qui regionem præfatam invasit lingua ipsorum vocabatur Cachanus, sed Princeps Provinciæ appellabatur Gisulfus. Bello igitur impetens prædictus Rex Ducem memoratum, graviter & dirè pugnando, Princeps Gisulfus in bello succumbit, ac in pugna cum suis occiditur. Huic autem Duci intéremto uxor erat nomine Gonulda, quæ in Civitate una dictæ Provinciæ se includens, aliis castris munitis, & Urbibus, dum dictus Cachanus Rex obsideret Urbem, ubi erat memorata Gonulda, dum armatus circuiret Urbem, allecta dicta mulier ipsius pulchritudine Civitatem, & populum eidem gratis offert, si amplexum conjugalem mutuum dignaretur acceptare, medio juramento. Cui ille per nuntios, quam-

quamvis sub fraude, præbet assensum. Unde illa exardescens libidine in dictum Regem, non deliberat quid ex hoc eventu possit contingere, sed sua trahitur voluptate, quæ dum ardescit, tamquam ligna viridia fortiùs ardet. Sequenti igitur die Civitatem eidem tradit. Avari verò ad cædem intendunt, & captionem populi, Urbemque flammis exponunt. Rex verò considerans malitiam mulieris, cui cura videbatur non incumbere, nisi de suo muliebri concubitu, nocte adveniente, adimplet promissum jurejurandi, ut sub umbra matrimonii ipsam cognoscat. Post hæc quasi instrumentum divinæ justitiæ sequenti nocte XII. ribaldis Avaribus eam exponit ludibrio, ut ipsam quasi scorto abuterentur vicissim. Postremò ipsam palo acuto mandat in genitalibus perforari, & in terra palum figi, omnibus ostendens, quantum malum fecit libido, & in se considerans fidem non posse servare, quæ propter luxuriam suum populum neci & captivationi submisit, suumque dominium ad internecionem deducit. Referunt etiam dictæ Historiæ de pudicitia suarum filiarum, tamquam de non filiabus ejusdem, sed patris; quæ pro ipsa servanda castimonia tali usæ sunt documento, quia acceperunt pullos crudos mortuos, fassiaveruntque circa mamillas, tantusque fœtor exhalabat ex eis virtute muliebris caloris, quòd nullus poterat ad ipsas accedere, sinè offensâ, & cerebri læsione; ac per hoc permanserunt illæsæ. Processu verò temporis ex ipsarum gratiosa conversatione traditæ sunt magnis Principibus ad maritale conjugium, quia unam habuit Rex Alamanniæ, aliam autem Dux Bavariæ, ut Ammonius scribit.

CAP. XVI.

De Bonifacio IV. & LXX. Pontifice, qualiter petiit à Foca Cæsare templum Pantheon in honore Sanctæ Mariæ, & Martyrum consecrari.

Anno Domini DCXXXV. & ab Urbe condita MCCCLXXXVIII. Bonifacius Quartus natione Marsorum de Civitate Valeria ex patre Joanne Medico, in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis VI. mensibus VIII. diebus XXV. Hic, ut Ammonius scribit in gestis Francorum Lib. IV. à Foca Cæsare impetravit ut Templum Idolorum, quod Pantheon dicebatur, ædificatum in honore Cibeles, quæ mater Deorum vocabatur, remotâ sporcitiâ Idolorum, converteretur in reverentiam Gloriosæ Virginis Mariæ Matris veri Dei, & omnium Sanctorum: quod quidem mandavit fieri IV. Idus Maji, & vocatum est illud festum Sanctæ Mariæ ad Martyres. Templum verò jam dictum hodie vocatur Sancta Maria Rotunda. Et quia ad istud festum solennissimum magnus erat populorum concursus, & illo tempore magnus solet esse victualium defectus, inde postea per Gregorium IV. translatum est festum ad Calendas Novembris, quia tunc temporis omnes collectæ sunt messes, & vindemiæ consummatæ. Tunc etiam est festum augumentatum, quantum ad regiones plures, ut ibi dicetur; item quantum ad Beatorum multitudinem, quia includit confessores, Virgines, ac Beatos Spiritus, & sic de aliis, qui pertinent ad Ecclesiam triumphantem; quod ante non sic erat. De hoc autem in suo loco dicetur, quum de Gregorio IV. agetur. Et attende hic, quia Summi Pontifices, ut dictum est supra, subjiciebantur in reverentia Imperatoribus propter schismata vitanda Ecclesiæ, & præcipuè propter Prælatos Græciæ, qui sæpe multum Romanum Episcopum æmulari videbantur. Quamvis igitur Summus Pontifex potuisset uti dicto Templo juxta suum beneplacitum, sicut de re, quæ sibi de jure divino, & canonicè competebat: voluit tamen Bonifacius uti benevolentia Principis pro majori bono pacis.

CAP. XVII.

De Imperio Focæ, quomodo sub ipso debilitatum est, convalente Rege Persarum, & de rebellione aliquorum Principum suorum contra ipsum; & sic occiditur, & de Joanne Episcopo Gerundensi.

Focas autem regnavit octo annis. Imperator hic fuit LVII. à Julio, multaque bella gerit; sed in Oriente modicum proficit, quin potiùs succumbit in conspectu Regis Persarum; ut Historia Longobardorum tradit. Multas terras, atque Provincias ibidem occupant Persæ, in tantum ut Hierosolyma capta, Ecclesias diruunt, ac vexillum Crucis obducunt. Sicque Respublica debilitata est sub Foca, quia vir sanguinum fuit, eo quòd proditoriè Dominum suum occidit, quamvis Ecclesiæ favit. Inde aliqui Principes Imperii contra ipsum insurgunt. Unde refert Paulus in præfata Historia, quòd contra Focam Heraclius, sive Heraclianus dictus, qui Africam pro Imperio gubernabat, rebellat, & quidam, qui vocabatur Priscus, ut Martinus scribit. Unde præfatus Heraclianus cum magno exercitu veniens, Focam Regno privat, & vita, & Heraclius filius Heracliani Rempublicam gubernandam suscepit; & hic fuit LVIII. Imperator à Julio. Mortuus est autem Focas, adhuc superstite Bonifacio Papa, ut ex dictis liquet Historiis. Hujus etiam tempore floruit Joannes Gerundensis Episcopus, de quo sic scribit Isidorus de Illustr. Viris: qui natione Gothus existens Provinciæ Lusitanæ cùm esset adolescens Constantinopolim perrexit, ibique Græca, Latinaque eruditione nutritus XVII. annis, in Hispaniam reversus est eo tempore, quo Leminigildus Arriana hæresi furens contra Catholicos desæviebat. Hunc autem Episcopum dictus Rex cùm ad nefandæ hæresis crudelitatem inclinare non posset, exilio trusus, Barchinone relegatur per decem annos, multasque insidias, & injurias ab Arrianis perpessus est. Sed mortuo Leuvigildo, Joannes ad suam sedem rediit. Qui postea Monasterium fabricavit, ibique congregata Monachorum societate, regulam tradidit ipsi Monasterio profuturam. Multa etiam scripsit, sed præcipuè in libro Chronicorum continuando ab anno primo Justini junioris usque ad XVIII. annum Mauritii, & X. Recharedi valde utilem scripsit Historiam.

CAP. XVIII.

De Eutropio Episcopo Valentiniensi, qui hoc tempore floruit; de Sancto Columbano, qualia Monasteria ædificavit; & de Theodelinda Regina.

Eodem tempore floruit in Hispania Eutropius Episcopus Ecclesiæ Valentinensis. Hic, ut Isidorus scribit ubi supra, dum adhuc in Monasterio Serbicano Pater ibidem Monacho-

chorum esset, ad Papam Bonifacium unam direxit epistolam, in qua petit ab eodem, pro qua re baptizatis infantibus chrisma, post hoc unctio tribuatur. Scripsit ad multos alios epistolas, sed præcipuè ad Petrum Hirtabisensem de instructione Monachorum salubri sermone compositam, & valde Monachis necessariam. Isto etiam tempore floret, ut scribit Vincentius Belluacensis, Sanctus Columbanus Abbas, qui ex Hibernia veniens in Burgundiam, favente Theodorico Rege, Monasterium ædificavit apud Luxovium celebre Monachorum. Eodem etiam tempore, postquam Agilulphus, de quo est dictum supra, per XXV. annos regnaverat, diem clausit extremum, ut Historia Longobardorum refert relicto in Regno suo filio Adaloaldo admodum puero cum Teudelinda Matre. Sub iis autem Ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ donationes factæ per venerabilia loca: quod totum faciebat devotio Teudelindæ. Eodem tempore post duos, vel tres annos Beatus Columbanus jam dictus ex Scotorum genere oriundus, postquam construxit Cœnobium apud Luxovium, ut Paulus scribit in gestis Longobard. venit in Italiam à Longobardorum Rege gratanter receptus Cœnobium, quod Bobium appellatur, ædificat, quod est in alpibus Liguriæ, qui sunt Montes in Riparia Januensi. Quod Monasterium Provinciam Liguriæ à Provincia Tusciæ distinguit, distans à Papia, idest à Ticino per XL. milliaria: quo in loco multæ possessiones à singulis Principibus, sive Longobardis largitæ sunt, & magna ibidem facta est Congregatio.

CAP. XIX.

De Deusdedit Primo, & LXXII. Pontifice, & de constitutionibus ejus; & de bonis initiis Imperatoris Heraclii; & de impietate Cosdroë Regis Persarum.

ANno Domini DCXLII. & ab Urbe condita MCCCCXCIV. Deusdedit Primus natione Romanus ex patre Stephano, sedit annis III. diebus XX. Et cessat diebus XVI. Hic fuit sanctus homo, qui ut Martinus scribit, dum quemdam oscularetur Leprosum, statim Leprosus est curatus. Hic, ut scribit Cusentinus, constituit, ut nulla mater proprium filium de sacro fonte levaret. Item constituit, quòd si aliquis aliquam filiam de sacro fonte levaret, seu levaverit, filius ejus non possit ipsam uxorem recipere, quod habes XXX. quæst. I. cap. *non oportet*. Hic, Heraclio imperante, moritur, & apud Sanctum Petrum sepelitur. Hujus tempore Heraclius Imperator, qui imperavit XXX. annis, ad restaurationem Reipublicæ intendit toto conatu. Unde Ammonius refert in gestis Francorum lib. IV., quòd cum exercitu vadit contra Persas, multasque Provincias avulsas Reipublicæ restituit; aliasque graviter labefactatas, sive vastatas vindicat, Cosdroë enim Rex Persarum cuncta, per quæ transitus erat, devastando, Hierosolymam venit, atque inter ceteras Ecclesiasticas, seu populares manubias, sive spolia, (*) partem salutiferæ Crucis, quam ibi Helena mater Constantini reliquerat, asportavit, ducens secum Zachariam Patriarcham. Et ibidem tradito filio suo Regno, ipse in argentea Turre, quam ad hos usus paraverat, aureo residens solio, vexillum nostræ redemtionis quasi collegam Regni ex latere constituit.

(*) *In Cod. Patav.* Crucem Domini quam inibi.

CAP. XX.

Qualiter Heraclius armatâ militiâ vadit contra filium Cosdroë, & ipsum occidit, vadit contra patrem, & ipsum similiter occidit, baptizato filio minori, & ipso Rege relicto.

QUod ubi Heraclio nuntiatum est, cum valida militari manu obvium habuit Cosdroë filium cum maxima phalange Persarum, quæ eidem metu Tyrrani coacta, non voluntate ducta, adjutorium porrigebat. Et conspirantibus utriusque partis studiis, seu petentibus, (**) contra Imperatorem Persarum ductorem, singularem aggressus est pugnam, proposita lege, ne quis de utroque exercitu se ingereret ad adjutorium prorrigendum. Quod si quis infringeret decretum propositum ab ipso Principe suo, succisis poplitibus, vicino flumini immergeretur. Dum igitur animosè congressione facta, Heraclius ad adversarium. *Ut quid*, ait, *hoc, quod constituimus, prævaricari aliqui tui præsumunt?* Ille reflexa cervice, ut videret quis suorum veniret ad præbendum auxilium, ab Heraclio percussus, dejectus est, & mortuus. Statimque Persæ subitò se Heraclio subdunt. Qui cum suis ad ulteriora progressus Cosdroam in memorato reperit fano residentem, & juxta eum Crucem Dominicam. Quem cùm interrogaret, utrum fidem Christi suscipere vellet, lignumque Crucis adorare, illeque recusaret: Heraclius ipsum statim mandat occidi; pervagatusque universam Persidem, filium Cosdroë parvulum, qui cum eo venerat, baptizari præcepit, Persisque præponit, & argentum quidem Turris exercitui mandat distribui, aurum autem ad restaurationem Ecclesiarum, quæ per dictum Tyrannum dissipatæ fuerant, deputat. Indeque cum Cruce Hierosolymam veniens, Constantinopolim remeavit. Et attende hic, quia illa regio est, & Regnum erat, ubi modò est Tartarus, qui sæpiùs temporibus nostris circa Judæam, & Palæstinam Soldanum invasit, & contra ipsum prævaluit.

CAP. XXI.

De conditionibus Heraclii quantùm ad virtutes politicas; qualiter deceptus fuit à sua Astrologia; de Dagoberto Rege Francorum, & conditionibus suis; de Arnulpho Sancto Viro, & Episcopo Metensi.

REfert autem eadem Historia Francorum de isto Heraclio quòd fuerit vultu decorus, visu hilaris, statura mediocris, egregiæque fortitudinis; qui & Leones sæpiùs in arena, & plures interfecit; qui cum literis abundè esset instructus, ad ultimum Astrologus efficitur. Agnoscens verò ex signis siderum Imperium suum à circumcisa gente esse devastandum, ac autumans idem de Judæis esse præmonstratum, pariter per nuntios Dagobertum Regem Francorum rogat, ut cunctos Judaicæ stirpis, qui in Provinciis illi subjectis morantur, Christianos fieri præcipiat; eos verò, qui nullatenus Christiani

(**) *In Cod. Patav.* una cum Persarum ductore singularem aggressus pugnam.

stiani fieri voluissent aut exilio, aut morte damnaret: quod & Dagobertus annuit, sicque factum fuit. Sed Heraclius in sua Astrologia decipitur, quia non ad Judæos, sed ad Saracenos se extendebat, sicut postea sub ipso rei probavit eventus. Isto tempore, scribit eadem Historia, quòd florebat quidam Episcopus Metensis nomine Arnulphus, cujus consilio regebatur Rex memoratus. Sed postquam filium habuit, ejus incœpit deteriorari conditio bonitatis, ut omnino se daret cupiditatibus, ac tyrannicis actibus. De quo filio magna referuntur. Dum enim præsignaretur à venerabili viro, & Sancto Amando Trajectensi Episcopo, nec dum finita oratione esset qui responderet Amen, ipse puer respondit, cùm tantùm esset XXX. dierum: quod non fuit sinè magna admiratione omnium circumstantium. Significavit tamen aversionem patris à cultu divino, & Ecclesiastica reverentia post susceptam prolem. Referunt autem dictæ Historiæ, quòd Sanctus Antistes Amandus statim ipsum regeneravit, seu ei Baptismum dedit, quem Aribertus Rex Aquitaniæ (*) frater Dagoberti de sacro fonte levavit; magnusque ex hoc facto stupor non tantum Reges, quàm universos circumplevit adstantes. Qui dictus est Sigebertus, quem super Austrasios postea Regem fecit, & cum multa prosperitate regnavit.

CAP. XXII.

De duobus Doctoribus, qui floruerunt, videlicet Isidorus, & de libris, quos scripsit, & Missa, quam ordinavit; & de Braulione Episcopo Cæsaraugustano.

HOc eodem tempore duo Doctores Ecclesiæ incipiunt florere de Provincia Hispaniæ. Unus fuit Isidorus Hispalensis Episcopus Beati Leandri successor. Hic multos libros composuit ad ædificationem Fidelium. Primus fuit liber Etymologiarum, in XIX. libros distinguens, qui liber copiosissimus est, & ad omnes materias, sive in rebus, sive in vocabulis. Fecit & alium librum, qui de summo bono vocatur; item librum de Illustribus Viris hìc sæpiùs introductum; item quamdam Chronicam compendiosam ab Adam usque ad tempora Heraclii Imperatoris, & Sisebuti Regis Gothorum, sicut Isidorus ipse in principio suæ Chronicæ scribit; item librum de ortu, & vita Sanctorum. Item scripsit librum de vocabulis Grammaticæ, qui liber Differentiarum vocatur. Item scripsit Epistolas multas ad Braulionem, qui est secundus Doctor, de quo hìc agitur, qui fuit Episcopus Cæsaraugustanus, vir magnæ probitatis tam in vita, quàm in doctrina, qui Epistolis Isidori satìs gratiosè respondit. Tradunt autem aliquæ Historiæ ipsum Isidorum fuisse Germanum fratrem Leandri; sed Isidorus in libro superiùs nominato dicit ipsum fuisse suum Antecessorem in Ecclesia Hispalensi; sed de fraternitate mentionem non facit. Narrant autem aliquæ Historiæ (& ego vidi) Clericos Ecclesiæ Toletanæ, qui dicebant Beatum Isidorum fecisse in dicta Ecclesia Missam, in qua plura dicunt Diaconi, & legunt, quàm Sacerdotes. Inter mirabilia illius Missæ sunt duo, unum est quòd quando elevatur Eucharistia, Diaconus tunc cantat alta voce ad Populum: *Videte in quem creditis*. Quando autem cantatur *Pater noster* in Missa, quot sunt ibi clausulæ petitionum, tot sunt ibi responsiones à Clero. Unde quum cantatur *Pater noster, qui es in Cœlis, sanctificetur nomen tuum*, respondet Chorus *Amen*. Quum autem subditur *adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra*, Chorus similiter respondet *Amen*. Sed quum subjungitur: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, respondet Chorus, cantando melodicè, *qui es Deus*. In omnibus autem sequentibus clausulis respondet Chorus *Amen*. Multa alia sunt ibidem à nostro officio aliena, sed istud sufficiat ad præsens.

CAP. XXIII.

De Bonifacio V. & LXXII. Pontifice, & Constitutionibus ipsius; de Sancto Gallo, qui in Alemannia floruit, & aliis discipulis Beati Columbani.

ANno Domini DCXXXXV. & ab Urbe condita MCCCXCVII. Bonifacius V. natione Campanus de Civitate Neapoli sedit annis V. diebus XIII. (**) Hic constituit, ut fures Ecclesiarum essent anathematizandi; cujus ratio esse potuit, quia res sacra læditur, & violentiam recipit, unde & tale furtum sacrilegium appellatur, ut patet XVII. quest. IV. cap. *Quisquis*. Item instituit, ut testimonium haberet vigorem Principis jussione. Item constituit, ut Acolytus non audeat levare Reliquias Martyrum, quia ipsorum officium est cereos cum lumine ante Reliquias, & alia Sacramenta deferre. sicut habes dist. XXI. cap. *Cleros*. Hic in Urbe moritur sepultus ad Sanctum Petrum. Hujus tempore floruit Sanctus Gallus in Alamannia, cujus festum est XVII. Calendas Novembris celebre per totam Alamanniam; Requiescit autem in oppido Sancti Galli, quod est in Diœcesi Constantiensi. Gallus in Alamannia fuit Abbas sanctissimus, ac Beati Columbani discipulus. Hujus Sancti multi fuerunt discipuli, quia præter Gallum memoratum, fuit in Anglia quidam sanctissimus Abbas; & in Lexovio Eustasius; in Bobio verò Attala, ut scribit Vincentius Belluacensis. Sancta quoque Aurea claret, quam Beatus Eligius Monasterio Virginum Parisiis constructo præfecit. Hoc eodem tempore adhuc florent Braulius, & Isidorus, quia multo tempore vixerunt, & cum multis Pontificibus concurrerunt; immo usque ad tempora Machometi, de quo agetur cum Pontifice sequenti; quos de genere Regio tradunt Historiæ fuisse, ut de stirpe Rechavedi Regis Gothorum.

CAP. XXIIII.

De Rothario Rege Longobardorum, cujus tempore fides in Lombardia multùm confundebatur, & de quibusdam actibus ejus, & de origine Turcorum.

HOc tempore tradit Historia Longobardorum post mortem Adaloaldi filii Theudelindæ succedit in Regno prædicto Rotharius genere Arodus, qui fuit vir magnæ fortitudinis, justi-

(*) *In Cod. Patav.* & insuper Dagobertus.
(**) *In Cod. Patav.* & cessavit mensibus VII. diebus XIII.

justitiæ tramitem sequens, sed tamen fidei Christianæ non rectam lineam tenens. Hujus autem temporibus, ut dicta refert Historia, per omnes Civitates Regni ejus duo erant Episcopi, unus Catholicus, alter Arrianus. In Civitate quoque Ticinensi adhuc ostenditur baptisterium Arrianorum, cùm tamen in propria sede Urbis esset Catholicus Episcopus, ut consueverat ante. Hic autem Episcopus Arrianus, qui baptisterium fecerat, vocabatur Anastasius de quo traditur, quia ex quibusdam signis, quæ viderat, ad fidem Catholicam rediens, postmodum factus est verus Catholicus, unde & gratiosè rexit. Hic Rotharius, ut ibidem scribitur, leges, quas solâ memoriâ in usu retinebant Longobardi, in scripto composuit, Codicemque ipsum Edictum appellari mandavit. Erant autem jam ex quo Longobardi intraverunt Italiam, Anni LXXVII. sicut idem Rex in suo Edicto testatus est in prologo. De istius Pontificis tempore, vel circa, scripsit Richardus Monachus Pictavensis, ordinis Cluniacensis, maxima quædam. Heraclius enim XII. anno sui Imperii quamdam gentem assumsit indomabilem etiam tempore Alexandri Macedonis, de quo longa est Historia; Unde inter alia sic dicit de dicta gente, quòd Ziebil Turcorum Prætor, disruptis Caspiis claustris, cum exercitu ad auxilium vênit Heraclii Imperatoris, & quamvis in principio prævaluerunt Persæ, ut jam dictum est, tamdem superati sunt, & Cosdroë occiditur, & omnes filii ejus præter unum, quem baptizatum dictæ terræ reliquit. Insuper & spolia recuperavit, captivos cum Patriarcha Zacharia reducendo.

CAP. XXV.

Qualiter Heraclius incœpit deficere ultimò à facie Persæ, & de malo exitu Heraclii; & de Anastasio Monacho.

ULtimò etiam in tantum prævaluit multitudo hostium, quod sustinere non potuit; unde coactus fuit tunc omnia sacra, quæ erant in Hierusalem, sed specialiter lignum Crucis in Constantinopolim transportare. Jam enim Persæ cum Arabibus conjuncti, Syriam occupaverant, ut Historiæ referunt, & aliquam partem Palæstinæ, quod fuit anno XX. Heraclii Imperatoris. Tunc enim dictus Princeps aversus est à Fide Catholica; Corruptus enim fuit ab Anastasio Patriarcha Jacobitarum, ut scribit Richardus; alii dicunt à Sergio Constantinopolitano Episcopo, de errore Euthyceti. Inde à morbo animæ in ægritudinem transiit corporis, ut hydropicus factus, tota Respublica fuerit lacerata. Scribit etiam Ammonius de ipso in gestis Francorum, quòd ad tantam venerit desperationem ex infortuniis, quæ est passus, ut sociata jure connubii sibi sororis suæ filia, ipsam uxorem traduceret; & sic vigesimo sexto susceptæ potestatis anno infelicem diem clausit extremum. Quia verò hìc incidit quædam materia curiosa, & notabiliter scandalosa, & sub tempore Bonifacii V. & sub tempore Honorii I. necesse est ipsam pertractare: de origine videlicet sectæ Saracenorum, & Principe ipsius Machometo. Sed primò agamus de Honorio, & postea dictam Historiam sub uno capitulo prosequemur. His temporibus Anastasius Monachus Martyrio coronatur; qui natus in Perside, ut Martinus scribit, magicas artes à patre didicit adhuc puer. Sed mox ut à captivis Christianis nomen Christi didicit, Hierosolymam petens post Baptismum Monachus efficitur. Tamdem à Saracenis captus, diversis & variis pœnis interimitur. Mox quidam Dæmoniacus ejus tunica indutus curatus est; cujus corpus Romam transfertur mandato Imperatoris, & in Monasterio Sancti Pauli ad Aquas Salvias locatur.

Explicit Liber Undecimus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER XII.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Honorio Primo, & LXXIII. Pontifice, & de Constitutionibus ejus; & de bonis actibus ipsius, cujus tempore secta Saracenorum incœpit.

ANno Domini DCLI. & ab Urbe condita MCCCCIV. Honorius I. in Cathedra Petri sedet. Hic natione Romanus ex patre Petro Morcosi, sedit annis XII. mensibus II. diebus XVII. Et cessavit mensibus VII. diebus XVIII. Hic constituit, ut in omni die Sabbathi ad Sanctum Petrum procederent Letaniæ ut Martinus scribit; Cusentinus autem dicit quòd Letaniæ à Sancto Apollinari incipiebant. Hic Clerum salubriter erudivit, ac super eleemosynas, quas pauperibus distribuebat larga manu, multas Ecclesias in Urbe auro & argento ornavit, & sepultus est apud Beatum Petrum. Hic etiam Honorius Ecclesiam Sancti Petri Apostoli non solùm auro & argento splendidè decoravit, sed ipsam tabulis æreis per totum cooperuit. Fecit etiam Ecclesiam Beatæ Agnetis ubi requiescit, & Beati Pancratii Via Aurelia, & quatuor Coronatorum. Istorum igitur duorum Pontificum tempore agetur de initio sectæ Saracenorum, & de ipsius Principe Machometo, quem aliqui Mahometh vocant: circa quem diversimodè loquuntur Historiæ. Auctores tamen omnes quasi conveniunt in hoc; quòd tempore Heraclii Imperatoris circa finem vitæ hoc accidit. Ad cujus considerationem, & notitiam Historiæ, tria sunt attendenda. Primò quæ fuit caussa istius erroris; secundò qui fuerunt populi, qui istum inchoaverunt errorem; tertiò quis fuit caput istius erroris.

CAP. II.

Unde processit iste error, & fomentum habuit, quia ab Heraclio; & de modo perseverandi in isto errore.

CAussa istius erroris fuit Heraclius, quia propter suam tyrannidem post victoriam de Persis habitam nimis premebat Persas, & regiones circumstantes, ut Arabes, Chaldæos, & alios confines ejusdem. Quod fuit materia Schismatis inter Latinos, & inter Ecclesiam Romanam, & Constantinopolitanam. Assumta igitur occasione rebellandi, assumunt occasionem divini cultus diversi ad numquam obediendum, quemadmodum tenuit Jeroboam de X. tribubus, quia tradidit eisdem diversum cultum, ut numquam redirent ad eumdem Dominum. Idem fecerunt Græci ad non obediendum Romanæ Ecclesiæ, quia diversum acceperunt ritum in Ecclesia ministrandi, & in diversos prolapsi sunt errores, quia omnes Calogori eorum, qui conservant, & nutriunt schisma, aut sunt Nestoriani, aut Euthychiani, aut Arriani, aut Japobitæ, aut Hebionitæ. Sic accidit de illis populis, in quorum regionibus ista inchoata est secta; quia ex turbatione Imperii, ut rebellio perseveraret, fecerunt schisma, ut non solùm recederent ab Imperio, sed etiam à Christianismo, accipientes quædam contraria legi, videlicet Moysi, & Evangeliis Christi, ut patet in Alchorano. Et attende, quia etiam in Alchorano prædicto continetur, quòd quædam sectæ hæreticorum multùm fuerunt familiares Machometo, quos mandat honorari, ut sunt Nestoriani. Unde Richardus refert, quòd quidam Monachus Græcus Nestorianus longo tempore instruxit eum, cui nomen Sergius; unde in dominio Saracenorum habent magna Monasteria. Ratio autem, quare hoc scripsit, fuit, quia ipsi faverunt ei in secta sua. Caussa igitur, & ratio una, unde ista inchoata est secta, fuit tyrannicus Principatus Heraclii quantùm ad illas gentes, ubi initium habuit. Circa ista tempora XI. Rex Francorum Dagobertus in Francia regnat; regnavit autem annis XIV.

CAP. III.

Qui fuerunt populi, unde secta Saracenorum initium habuit; de pugna, quam Heraclius habuit, & quomodo succubuit deinde; de infortunio suæ militiæ.

QUi autem fuerint isti populi, Historiæ referunt, videlicet Ammonius in gestis Francorum lib. IV. Richardus in sua Chronica, & Martinus, cum quibus etiam in sua Chronica concordat Isidorus. Omnes enim conveniunt, quòd de Arabia, & de radice Montis Caucasi progressa est gens perfida contra Heraclium. Hæc autem est gens, quæ Nabathea vocatur, ut Historiæ tradunt, & ducit genus à Nabajoth primogenito Hismaëlis, & ab his non Saraceni, sed Agareni, sive Hismaëlitæ dici deberent. De iis ergo sic refert Ammonius in gestis Francorum, ubi supra: quòd devastantes regiones Imperii usque in Syriam, & Judæam jam venerant; contra quos vênit militia innumera Imperatoris, & ab hostibus cæsa est, ac CL. millia ex militibus ejus prostrata sunt. Sed hanc humanitatem fecerunt hostes, quia per Legatos remiserunt spolia. Heraclius autem recusatis manubris, sive rapinis, Alanos in suum adjutorium congregat, quos dicit idem Auctor, ex Montibus Caspiis exivisse, per Alexandrum Macedonem ibidem clausos; quorum multitudo fuerunt CL. millia armatorum. Saracenorum autem erant duo Duces, qui ducenta millia armatorum instruxerant in acies. Cùmque uterque exercitus non procul à se invicem castra posuissent, nocte, quæ diem belli præcedebat, subitò in castris Græcorum LII. millia pugnatorum exanimata, reperta sunt; Qua de re reliqui metu perculsi, in diversa fugerunt loca, totum Imperium hostibus relinquentes.

CAP. IV.

Qualiter Heraclius videns se sic prostratum, in quamdam incidit desperationem, & factus est malus; & qualiter Machometus sectam Saracenorum inchoavit.

TAntæ igitur cladis nuntio Heraclius accepto, diffidens se posse resistere, cùm jam illi, majori parte Asiæ pervasa, Hierosolymam infestare disponerent, pro tristitia in morbum incidit; & quasi desperatus in ægritudinem dilabitur animæ, ut tradit eadem Historia, quia errore Euthycetis maculatur, & cum nepte sua; filia sororis, quæ pulchra erat, matrimonium contrahit, dicta Martina. Aliæ autem Historiæ tradunt, quòd ante istum conflictum fuerit maculatus, propter quam caussam punivit Deus ipsum desolatione prædicta. Iis igitur peractis, multiplicatur exercitus Arabum, & Nabatheorum ex diversis Provinciis ipsis affinibus, Chaldæis videlicet, & Amonitis, ac Moabitis, quibus Machometus adjungitur, qui & Principatum obtinebat in Arabia, ut scribit Richardus, qui de Naboth primogenito natus, ac prosapia nobili, & magicis artibus instructus prætextu contemtus Imperii persuadet eisdem de modo vivendi ad augendum dominium, multumque sua arte deludit populum, & avertit à fide dicens ipsos tenere non posse Principatum, nisi sic faciant, simulans se aliquid Divini numinis habere in se, ac quibusdam præstigiis per ipsum ostensis homines decipiebat, ut tamquam Propheta haberetur in dicto populo. Quibus magicis artibus quamdam nobilem viduam nomine Cadigam Carozaniæ Provinciæ delusit, ipsamque in uxorem accepit, per quam & illius regionis obtinuit Principatum, ut Isidorus, & Richardus scribunt. Tradit etiam idem Richardus, quòd Machometus suis præstigiis multos delusit Judæos, & in tantum, ut crederent ipsum esse suum Messiam.

CAP. V.

Qualiter Machometus suis magicis artibus, & cum armorum potentia seducebat populum, & de morbis, quos patiebatur, quos sub prætextu prophetico occultabat; & de Dagoberto, qui ædificavit Sanctum Dionysium.

TAlibus ergo magicis artibus, & sua potentia, & ampliatione legis circa venerea, & promissionibus largis circa futura, populos seduxit cum armorum potentia, quia lege data per Machometum, populi, qui arma assumserant contra Imperium, exeuntes suos confines, si quas occupabant regiones, cogebant legem Machometi recipere, aut neci renuentes dabant secundùm mandatum istius falsi Prophetæ. Unde de Arabia intraverunt Ægyptum, & subverterunt ibidem populum; & inde venerunt in Africam, & simile fecerunt; & inde transierunt in Hispaniam; & sic multiplicati sunt plus violentia belli, quàm prædicatione sermonis. Tradunt autem communiter Historiæ, quòd Machometus interdum patiebatur morbum epilepticum, quod uxor sua Cadiga multùm horrebat; sed ipse dictam passionem cooperiebat mendacibus sermonibus & versutiis, sicut homo, qui Dæmones habebat familiares, quasi alter Simon

A Magus; quòd videlicet non esset passio epileptica, sed quòd ex adventu Gabrielis ad ipsum ad revelandum sibi, quæ agenda erant in populo, patiebatur exstasim, & inde cadebat, sicut invenimus de Daniele. Hæc igitur in tantum de dicto Machometo falso & iniquo Propheta dicta sufficiant. Isto tempore Dagobertus moritur XI. Rex Francorum, XVI. annum habens in suo regimine. Reliquit autem duos filios, videlicet Sigibertum, de quo dictum est supra, & Clodoveum, qui natus est de Natilda. Iis igitur duobus filiis suum regnum divisit, quia primo filio Sigiberto concessit regnum Austrasiorum, dans ei Curatores Cumbertum Coloniæ Urbis Episcopum, & Altissimum Comitem Palatii.
B Clodoveo verò dedit regnum Neustriæ, atque Burgundiæ, ponens ei Tutorem Reiga Consiliarium suum. Et attende hìc, quia de isto Dagoberto scribit Richardus, quòd ipse ædificaverit B. Dionysii Ecclesiam, & ipsam dotaverit.

CAP. VI.

De Severino Primo, & LXXIV. Pontifice, & de virtuosis operibus ejus; de duobus Doctoribus; & Sisebuto Rege Gothorum.

ANno Domini DCLXIV. & ab Urbe condita MCCCCXVI. Severinus Primus na-
C tione Romanus ex Patre Abiencio in Sede Petri locatur. Sedit autem anno I. & cessat Episcopatus mensibus IV. diebus XXVIII. Huic Pontifici Chronicæ testimonium perhibent de vita, & sanctitate, quia fuit vir sanctus, benignus, & amator Cleri, ad pauperes totus largus, circa gubernationem Ecclesiarum Pontifex diligens, quas omni studio in possessionibus quantùm ad Ecclesias Urbis in prædiis, vineis, & vasis, ac ornamentis ampliavit. Moritur secundo anno sui Pontificatus, & apud Sanctum Petrum sepelitur. Et attende hìc, quia una Chronica ponit solùm de VII. mensibus: sed istud magis tenent Historiæ. Hujus tempore, quamvis modicum temporis fuerit, adhuc florent Isidorus, &
D Braulio. Chronica enim Isidori usque ad tempora Heraclii se extendit, & Sigeberti gloriosissimi Regis Gothorum, qui filius fuit Rechare di usque ad annum V. Hic enim, ut ipse scribit, regnum Hispaniæ pacificè possidet, & de manu Romanorum extorquet quasdam Civitates, quæ usque ad tempora illa ipsorum subdebantur Imperio, ac Judæos sui regni subditos ad Fidem Christi convertit.

CAP. VII.

De Humaro Rege Saracenorum; de Heracleone, & Martina, & Constantino privigno ejus,
E *& quibusdam Sanctis, qui isto tempore floruerunt.*

EOdem etiam tempore Humarus, ut scribit Richardus, secundus Princeps Saracenorum, occiso Rege Persarum, ibidem regnat; ipsorumque dominium obtinuerunt Saraceni usque ad Tartarorum adventum. Tunc Tartari Persidam mediam, & Assyriam obtinent, de Saracenis magna strage facta. Eodem tempore Heracleon Heraclii filius, qui fuit LXIII. Imperator à Julio, cum matre sua Martina imperat annis III. ut Richardus scribit. Quædam tamen Chronica dicit, quòd solùm sex menses imperavit, & quòd Senatus ipsos abjecit, lingua

gua Martinæ recisa, & Heraclioni naso. Sed Constantinus frater ejus ad Imperium assumitur, qui fuit LXIV. Imperator à Julio. Hoc etiam tempore Cyrus Alexandrinus, & Pyrrhus Constantinopolitanæ Urbis Episcopus, ac Sergius, Acephalorum hæresim dogmatizant. Ubi attende, quantum malum sequitur, quando dominium est turbatum. (a) (Quod hodie apparet, quia se invicem vituperant, & Papa & Ludovicus, qui suos minores habet pseudoprophetas contra Papam) quia tunc mali homines assumunt audaciam sive in vita, sive in doctrina ad corrumpendum populum. Et Princeps fuit etiam tunc quidam Patriarcha Jacobitarum, qui etiam Heraclionam in parte seduxit. Eo etiam tempore Beatus Isidorus gloriosus Doctor migravit ad Dominum. Isto etiam tempore refert Vincentius Belluacensis fuisse quandam nobilem puellam apud Metim dictam Clodesindam, quæ sponsum fugiens, velamine capitis à Deo per Angelum sibi misso, se, & sua Deo dedicavit. Floruit etiam tunc temporis Beatus Arnulphus Metensis Episcopus, qui ex Majore Domus factus Episcopus, & ex Episcopo solitarius, in Christo moritur. Eodem etiam tempore Constantinus filius Heraclii imperat expulso Heracleone cum Martina matre ejus. Hic Constantinus privignus Martinæ, postquam per IV. menses, vel per VI. imperaverat, procurante dicta Martina, & Pyrrho Patriarcha hæretico, veneno extinguitur. Verum est, quòd Vincentius Belluacensis Constantinum præmittit in tempore; sed non est vis facienda, quia omnes quasi Historiæ concordant in personalitatibus (b) utriusque, & tempore imperandi. Circa ista tempora Rex Francorum Clodoveus II. & XII. Rex secundùm Vincentium, & secundùm Ammonium X. regnavit annis XVII. in Francia.

CAP. VIII.

De Grimoaldo Rege Longobardorum, & de quodam actu virtuoso, quem exercuit circa quemdam.

Hoc etiam tempore apud Longobardos, ut dicta ipsorum Historia tradit Lib. V. regnabat Grimoaldus, qui regnavit annis IX. Hic multa digna memoria egit; sed inter alia in sui principio quædam traduntur per Paulum. Unum est, quòd cùm quemdam Principem, cui nomen Bertharit ex falsa suggestione tractaret occidere, dictus Bertharit hoc sciens, simulato habitu, quasi cujusdam servi aufugit de Ticino, idest de Papia. Cùm autem Rex Grimoaldus pro ipso misisset, & coram eo compareret, serviens ipsius, qui remanserat ad custodiam domus, asserebat ipsum dormire. Cùmque iteratò Rex misisset pro ipso, ipse rursus asserebat somno multùm oppressum. Illi verò considerantes Regis mandatum, violentia ostium domus frangunt, ut Bertharit ad Regem Grimoaldum deducant; cùmque non invenissent, servientem ipsius tamquam Regi mentitum dignum morte putabant. Qui cùm pervenisset ad Regem, veritate perquisita, ipsum de fidelitate Domini sui multùm commendans, intra suos obedientes, & fidos deputari mandavit.

(a) *Parenthesibus inclusa verba non leguntur in Cod. Patav.*

CAP. IX.

De Joanne IV. & LXXV. Pontifice, qualiter destruxit thesaurum Ecclesiæ, & congregavit militiam contra quemdam Tyrannum, & de Constantino IV. Imperatore.

Anno Domini DCLXV. & ab Urbe condita MCCCCXVII. (c) Joannes IV. in Cathedra Petri sedit, natione Dalmatus ex Patre Venantio. Sedit anno I. mensibus IX. diebus XVIII. & cessavit mense I. diebus XIII. de isto Pontifice scribunt Martinus, & Cusentinus, quòd thesaurum Ecclesiæ destruxit, magnamque militiam congregavit, ac Histriam, & Dalmatiam à magna servitute redemit. Sed quod fuerit motivum, non ponunt scriptores: sed esse potuit, quia fortè censuales erant Ecclesiæ, sed neglectus est iste census, sicut etiam alia multa pertinentia ad Ecclesiam Romanam per Summos Pontifices sunt simulatè neglecta, ut in Anglia, Sicilia, & Sardinia, & de multis aliis Insulis contigit. Vel fortè motivum fuit gentis suæ sollicitudo, ad quam liberandam fervor caritatis movit, quia servitus erat injusta. Eodem etiam tempore dum hæc agerentur, corpora SS. Martyrum Vincentii, & Anastasii, & aliorum Martyrum de Dalmatia asportari fecit ad Urbem, & juxta fontem Lateranensem, ut Martinus scribit, in oratorio B. Joannis Evangelistæ recondi mandavit. Moritur autem, & sepultus est apud S. Petrum. Istius Papæ tempore Constantinopoli imperat Constantinus III. & LXIV. Imperator, Constantini filius, & nepos Heraclii, & imperavit annis XXVI. ut omnes quasi Historiæ tradunt, & concurrit cum multis Pontificibus, usque ad tempora Vitaliani, & ultra, de quo jam dicetur.

CAP. X.

Qualiter Constantinus venit in Italiam ad pugnandum contra Longobardos, sed non bene cessit eidem, sicut ex visione Sancti sibi fuerat prænuntiatum; & de Cajo Episcopo.

Hic Imperator, ut refert Paulus in gestis Longobardorum Lib. IV. volens eripere Italiam de Longobardorum manibus, per mare Adriaticum de Constantinopoli venit Tarentum, ibique quemdam virum solitarium adit, qui dicebatur spiritum habere prophetiæ, ac sollicitè ipsum requirit, an Longobardorum gentem esset domaturus. A quo cùm servus Dei spatium unius noctis expetisset, ut pro hoc negotio Domino supplicaret: facto mane, ita eidem Augusto respondit: *Gens Longobardorum superari modo aliquo non potest, quia Regina quædam ex alia Provincia veniens, Basilicam Beati Joannis Baptistæ construxit; & propter hoc Beatus Joannes pro Longobardorum gente continuò intercedit. Sed veniet tempus, quando ipsum oraculum despectui & irrisioni patebit; & tunc gens ipsa peribit.* Tunc Imperator, hoc non obstante, de Tarento iter arripiens, venit versùs Beneventum, ipsumque suo circumdedit exercitu, Rimoaldo filio Grimoaldi Rege Longobardorum ibidem existente. Qui statim

(b) *In Cod. Patav.* in qualitatibus.
(c) *In Cod. Patav.* MCCCCVII.

statim Patri insinuavit suam obsidionem existenti A
in partibus Liguriæ. Quo audito, continuò cum suo exercitu venit in adjutorium filii. Quod audiens Imperator, cedit, & vadit versùs Neapolim, in quo facto multa dicuntur in prædicta Historia, quæ ad Catalogum Imperatorum sunt reservanda. Hoc tempore post mortem Braulionis Episcopi Cæsaraugustani succedit Tayo in Episcopatu, qui fuit vir magnarum virtutum. Casum autem attende, quòd Moralia Beati Gregorii non inveniebantur in tota Hispania, cùm tamen Beatus Gregorius Beato Leandro direxisset. Unde in Concilio congregato Toleti XXX. Episcoporum proposita querimonia de amissione dictorum Moralium, mandatum fuit, & definitum, ut dictus Tayo Romam se conferret ad B
quærendum dicta Moralia, sicut vir divinæ amator scripturæ. Unde Romam vadit pro prædictis. Hic ergò postquam Romam pervenit, laborat cum Joanne Papa dicta Moralia recuperare. Sed ipso retardante, Papa Joannes moritur: propter quod successorem expectat.

CAP. XI.

De quadam illusione facta genti Galliæ Provinciæ per industriam Grimoaldi I. & de quibusdam Sanctis, qui isto tempore floruerunt.

HOc etiam tempore quo præmissa sunt, re- C
fert Paulus in IV. Libro prædictæ Historiæ quamdam illusionem factam per Grimoaldum Regem prædictum contra exercitum Gallicorum Provinciæ, qui in Italiam descenderant contra ipsum. Ante enim ipsorum adventum Rex Grimoaldus castra sua parari jubet, cum papilionibus, & tentoriis, ibique totum apparatum victualium pro hominibus, & jumentis ponit; sed præcipuè vina suavia. Iis peractis, sicque relictis, cedunt Longobardi, quasi perterriti metu Gallicorum. Cùmque descendisset præfatus exercitus, ac invenisset tam solennissimum apparatum, existimantes hoc factum ipsorum timore, ad epulas se diffundunt, ibique quiescunt. Rex verò Grimoaldus cum sua gente D
noctis medio exercitum Gallicorum sopore ebrietatis perfusum crudeliter invadit, ac omnes quasi gladio interemit. Refert etiam Vincentius Belluacensis isto tempore floruisse quosdam Sanctos in Gallia. Primò quidem Sanctus Ninardus Archiepiscopus Remensis, sanctitate, & doctrina præcipuus. Virgo Christi dicta Reginulpha, moribus & genere nobilis in Gallia claruit. Sanctus quoque Renaldus Trajectensis Episcopus verbo prædicationis, ac miraculis floret. Sanctus quoque Judocus Regis Britanniæ filius, qui spreto regno & Mundo, peregrinus & Eremita in pago Pontino requiescit in Christo. Et sic de multis aliis scribit dictus Vincentius in prædicta Provincia claruisse. Tempore isto, ut scribunt quædam gesta Francorum E
brevia, Mahometh moritur apud Mecham, & ut tradunt, morbo caduco oppressus, promoto tamen ad suum Principatum Abubacaro ejus cognato, qui parum regnavit; sed eidem succedit Humarus, qui tunc regnabat in Persida, de quo infra dicetur. Sed hæc sufficiant quæ modò sunt dicta, & ad alium Pontificatum accedamus.

CAP. XII.

De Theodoro Primo, & LXXVI. Pontifice, & de discordia inter ipsum, & Paulum Constantinopolitanum Episcopum propter hæresim.

ANno Domini DCLXVII., & ab Urbe condita MCCCCXIX. Theodorus Primus natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo de Civitate Hierusalem, in Summum Pontificem assumitur. Sedit autem annis VI. mensibus V. diebus VIII. & cessavit diebus LII. Hic constituit benedictionem Cerei in Sabbato Sancto; & hoc idem fecit Zosimus Antecessor ejus, qui fuit XLIII. Hic librum Pœnitentialem composuit, qui communiter in Ecclesiis Curatis reperitur. Hujus tempore Paulus Constantinopolitanus Episcopus, & Pyrrhi successor, ut scribit Richardus, non solùm vesana doctrina corruptus, quia hæresi Acephalorum adhærens, sed veros Catholicos cruciat. Propter quam caussam à Theodoro condemnatur, & à sua dignitate deponitur, ut scribit Cusentinus. Sed hoc de jure, non tamen de facto, quia nihilominùs in sua sede manebat; unde & Apocrisarios Romanæ Ecclesiæ, qui missi fuerant ad suam correctionem, favore Constantini quosdam quidem carceri mancipavit, quosdam verò verberibus cruciavit.

CAP. XIII.

De visione, quam habuit Tayo Episcopus Cæsaraugustanus in Ecclesia Beati Petri Romæ pernoctans, & qualiter de Moralibus Sancti Gregorii certificatus est.

HUjus Papæ temporibus Tayo memoratus Cæsaraugustanensis Episcopus ad inveniendum dicta Moralia apud dictum Pontificem instat. Cùmque sibi daretur dilatio, Dei speciali gratia, & devotione accensus, petit, ut una nocte clausis januis vigilare posset in Ecclesia Beati Petri; qua accepta licentia, cùm anxius Deum obsecraret, quòd jam sui itineris effectus prosperaretur, ecce circa mediam noctem cùm in ipso orationis fervore consisteret, conspicit magnam Reverendorum virorum, præclaris vestibus indutorum multitudinem januam Ecclesiæ ingredientem, & decenti gradu binos & binos ad altare B. Petri tendentem. Episcopus verò nimio terrore percussus, cùm de loco, in quo stabat, moveri non auderet; duos ex eis de cœtu illorum egressos vidit ad se venientes, è quibus unus dulciter eum salutavit, percontatus quis esset, unde, & cur venisset, vel de qua re tali hora ibi vigilaret. Ille protinus pandit ei, ac si nescienti caussam sui adventus, & de Domino Pontifice ob sibi dilata conqueritur. Statim autem is, qui advenerat, digitum extendens: *In scrinio*, inquit, *illo, quod cernis, continentur libri, quos quæris*. Tunc verò Episcopus fiducia sumpta: *Obsecro*, inquit, *mi Domine, ut mihi servo tuo pandere digneris, quænam sit illa, quam cerno, tam præclara virorum processio*. Cui ille: *Duo illi, quos præcedentes seque ad invicem manu inserta vides complectentes*, Beati Apostoli sunt Petrus & Paulus; alii verò, qui post eos vadunt, ipsi sunt successores eorum hujus Apostolicæ Sedis Pontifices, & *eodem ordine, quo in Episcopatu sequuti sunt, etiam nunc in* pro-

processione sequuntur; & sicut hanc Ecclesiam in vita sua dilexerunt, eam ita & nunc post obitum suum diligunt, & frequenter eam invisere veniunt. Tunc verò Episcopus magis exhilaratus & recreatus: *Obsecro*, inquit, *Domine mi, ut mihi dicas, quisnam tu ipse sis, qui mecum tam dulciter loqueris*. Ille respondens, inquit, *Gregorius sum ego, pro cujus libris tanti itineris sustinuisti labores; ideoque nunc veni, ut tuae satisfacerem petitioni*. Tunc Episcopus: *Obsecro*, inquit, *mi Domine, dicito mihi, si hic est, & quisnam est Beatus Pater Augustinus, cujus libros non minùs quàm tuos semper dilexi*. At ille respondit: *Beatum Augustinum virum excellentissimum, de quo quaeris, altior continet locus*. Statimque cum socio suo, qui secum venerat, ad coetum aliorum rediit. Post quae vidit Beatus Episcopus omnes ad Altare Beati Petri submissis capitibus reverenter inclinantes, & eodem, quo venerant, ordine Ecclesiam, seu Ecclesiae januam repetentes. In crastinum autem omnia, quae viderat, Papae retulit; sicque acceptos libros Moralium in Hispaniam consolatus revertitur. Ista autem revelatio in pluribus libris Moralium Sancti Gregorii praemittitur, sicut & Epistola, quam Beatus Gregorius Beato Leandro direxerat.

CAP. XIV.

De pugna, quam habuit Rimoaldus cum quodam Principe Constantini, & qualiter victus est Princeps ab ipso.

ISto etiam tempore, ut Paulus refert in gestis Longobardorum, Constantinus Imperator de Benevento cùm recessisset, timens insultum Grimoaldi Regis Longobardorum: unus ex suis optimatibus, cui nomen Suburra, exercitum ab Augusto XX. millium militum expetiit, seque cum Romoaldo, qui erat filius Grimoaldi Regis Longobardorum, & Dux Beneventanus constitutus per Patrem, se pugnaturum offerens, victoremque se futurum spopondit. Qui cùm accepto exercitu ad locum, cui nomen Varinus, venisset, ibique castra posuisset, Grimoaldus, qui jam Beneventum advenerat, hoc audiens, contra eum proficisci voluit, cui filius Romoaldus: *Non est opus*, inquit, *sed tantùm partem nobis de exercitu vestro tribue: & ego, Deo favente, cum eo pugnabo; & cùm vincam, utique major gloria vestrae potentiae ascribetur*: Sicque factum est. Accepta itaque aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum suis hominibus contra Suburram vadit, qui priusquam bellum cum ipso iniret, à quatuor partibus tubas insonare praecepit; moxque super eos audenter irruit. Cùmque utraque acies forti intentione pugnaret, tunc unus de Regis exercitu nomine Amalongus, qui Regium contum ferre solitus erat, quemdam Graeculum eodem conto utraque manu fortiter percutiens, de sella, supra quam equitabat, abstulit, eumque in aëra super caput suum levavit, quo viso Graeci perterriti, in fugam convertuntur, & victoria Romoaldo cedit. Hanc Historiam quidam referunt ad principium Imperii Constantini, alii ad finem; sed tunc non concurreret cum praesenti Pontifice, sicut patebit, quum de Martino Papa, & Vitaliano agetur. Quicquid tamen sit, sive ante, sive post, Historia vera est. Nunc autem ad aliud transeamus, quod ad damnum Christianitatis pertinet, quia eodem tempore, hoc est sexto anno Imperii Constantini referunt Historiae, quòd Saraceni Afri iam iteratò invadunt. Humarus, ut scribit Richardus, Syriam, Palaestinam, & Aegyptum aggreditur, necnon & terram promissionis cum Civitate Sancta Hierusalem. Tunc etiam regio Constantinopolitana à Saracenis devastatur, ac Romana Respublica nimium turbata est tam per Imperatorem Constantinum malignum, quàm per ipsos Sacerdotes, qui praeerant, cùm omnes essent infecti haeresibus diversis, sicut patet supra, & adhuc patebit in sequenti Pontificatu.

CAP. XV.

De Martino Primo, & LXXVII. Pontifice, qualiter aggregavit Concilium Romanum contra Paulum Constantinopolitanum Episcopum, & damnavit: propter quam caussam & martyrium passus est.

ANno Domini (*) DCLXXIV., & ab Urbe condita MCCCCXXVI. Martinus Primus successit in Papatu Theodoro, natione Tudertinus Provinciae Tusciae. Sedit autem annis VI. mense uno, diebus XXVI. & cessavit diebus XXVIII. Hic dum celebraret Missam Romae in Sancta Maria ad Praesepe, Domini jussu Olympii Ducis Constantini Imperatoris jam dicti, ut scribit Martinus, & Cusentinus, quidam Spatarius illuc venit ad occidendum Papam; qui cùm evaginaret gladium, caecus factus est. Hic etiam, ut iidem Doctores tradunt, zelo fidei motus, videns regionem Constantinopolitanam per Paulum ejusdem Urbis Episcopum esse corruptam errore Acephalorum, qui est idem cum Euthycetis haeresi, quae asserit unam solam naturam, unamque voluntatem in Christo: Concilium celebravit in Urbe Roma CV. Episcoporum, deindeque Paulum condemnavit cum suis sequacibus. Propter quam caussam advocatus Martinus in Constantinopolim per Constantinum, qui dicta haeresi infectus erat, in exilium mittitur apud Chersonam, quia dictam sententiam revocare noluit; ibique vitam finiens, sicut verus Martyr migravit ad Christum, cujus festum agitur in vigilia Beati Martini Turonensis. Ecclesia tamen Romana facit in crastinum dicti Sancti. Et attende hìc, quia talis exulatio fiebat per violentiam Principis, & injuriosa, sicut accidit de Liberio XXXVIII. tempore Constantii, & de Silverio LX. Pontifice tempore Justiniani.

CAP. XVI.

De Humaro Principe Saracenorum, quomodo aedificavit templum in Hierusalem, & unam Ecclesiam parvam in honore Christi.

HUjus temporibus, ut scribit Richardus, Humarus Princeps Saracenorum perveniens Hierusalem, inquiri jubet, ubi olim fuisset templum Judaeorum, quod per Vespasianum fuerat destructum, ut ibi faceret adoratorium suae blasphemiae. Quo loco reperto, priùs mundavit, deinde coepit aedificare; sed structura non stabat. Sciscitanti autem, quare hoc acci-

dere

(*) In Cod. Patav. DCLXXIII.

dere posset, per quosdam Judæos fuit responsum, quòd nisi una Crux, quæ erat in Monte Oliveti, tolleretur de medio, ædificium numquam staret: quod & factum fuit. Sed si ratio quæratur, duplex esse potuit; una, reverentia Crucis, quæ non patiebatur, ea præsente, simulacrum fieri blasphemiæ, ad insinuandum virtutem Crucis; & propter reverentiam non permittebat Deus fabricari templum, præsente Cruce; ubi contra Crucem continua foret blasphemia. Secunda ratio esse potuit punitio facta adorantium Crucem, ut in dicto loco, ubi Crux fuit redemtionis, tanta Crucis esset abominatio, quasi etiam nec ibi esset Crucis vestigium. Unde refert prædicta Historia, quòd illa amota Cruce, quæ in monte Oliveti præeminebat, omnes aliæ Cruces, quæ ibidem fuerunt inventæ, ab inimicis Crucis Christi fuerunt destructæ. Sed nihilominus unam Ecclesiam rotundam Humarus fieri jubet supra sepulcrum Domini, quia Machometus Dominum Nostrum Jesum Christum adorari mandavit tamquam verum Prophetam, sed non Deum, ut Nestoriani tradunt, & prædictus Sergius Calogerius Nestorianus ipsum instruxit.

CAP. XVII.

De confessione, quam fecit Machometus de Christo, & de morte Humari, & successione alterius; de quodam miraculo facto Atrebatis, & Monasterio Floriacensi.

TRadit enim dictus Machometus in Alchorano, Dominum Nostrum Jesum Christum fuisse verum Prophetam, & de Virgine natum, conceptumque de Spiritu Sancto, sed non Deum. Completo igitur illo templo, Humarus dum in ipso adoraret, Persa quidam simulans se velle in dicto templo adorare, Humarum occidit, infixo in ventrem ipsius acuto gladio; ac favore magnorum dictæ sectæ assumit dominium, factusque est Saracenorum Princeps. Circa idem tempus refert Vincentius Atrebatensis in Urbe quoddam accidisse miraculum. Dum enim, convenientibus ibidem Sanctis Episcopis, & Abbatibus, corpus Sancti Vedasti transfertur, præsens esset ibidem quidam Episcopus Tarvanensis, cui nomen Adomarus, & hic pro senio cæcus esset, ægrè ferret, quòd talis esset propter præsentem tam præclaram societatem Sanctorum Episcoporum; Unde precibus, & Vedasti meritis à cæcitate liberatur, rursumque festo consummato rediit, ad locum suum excæcatus. Circa idem tempus tradunt Historiæ, quòd Clodoveo filio Dogoberti XII. Rege, & Nathildæ Reginæ Francorum regnum gubernante, Abbas Ecclesiæ Sancti Aviani apud Urbem Aurelianam Leodobaldus nomine construxit Cœnobium in agro Floriacensi, qui tunc erat Regius Fiscus; & colligens ibi plures ad serviendum Deo Monachos, Nummalum ejusdem Abbatem instituit. Ceterùm quia gesta mala Constantini se extendunt usque ad tempora Vitaliani Papæ, qualiter Ecclesiam Romanam gravavit, tamquam vilis & impius hæreticus, idem ad complementum malorum, quæ gessit, & sui exitus infelicis, ad continuandum Historiam oportet describere gesta duorum Pontificum, qui concurrerunt cum ipso, ut Historiæ Longobardorum, & Francorum tradunt.

(*) In Cod. Patav. MCCCCXXXIII.

CAP. XVIII.

De Eugenio Primo, & LXXVIII. Pontifice, & virtuosis operibus ejus, & caussa, quare multiplicati sunt Episcopatus.

ANno Domini DCLXXX., & ab Urbe condita MCCCCXXXII. (*) Eugenius Primus natione Romanus ex regione Aventina in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis II. mensibus VIII. diebus XXII. & cessavit mense uno, diebus XXVIII. Hic omnibus benignus, & cunctis amabilis, maxima claruit sanctitate. Et quamvis Ecclesia tunc Orientalis tota esset maculata hæresibus tam Principes, quàm Prælati, Romana tamen Ecclesia semper solida mansit, & tunc manebat: propter quod Martinus passus est, sicut supra patet. Propter quod etiam quia Græcorum Ecclesia sæpiùs in erroribus vacillabat, inde providerunt summi Pontifices, Deo etiam disponente, multiplicare circa Urbem Episcopos ad Concilia congreganda, & ad obviandum erroribus, qui in Græcia continuè pullulabant. Fuit & alia caussa, ut Historiæ tradunt, quia Patriarchatus Constantinopolitanus, & alii æmulabantur Romanum Episcopum in præeminentia, unde ut Græci non prævalerent in Conciliis, inde facta est Episcoporum multiplicatio. Sed prima ratio plus placet, & magìs etiam effectus probatur in ea, quàm in secunda. Moritur autem dictus Pontifex in pace, & apud Sanctum Petrum sepelitur. Hujus Eugenii Papæ tempore XIII. Rex Francorum Chlotarius III. regnabat, & regnavit annis IV.

CAP. XIX.

De Vitaliano Primo, & LXXIX. Pontifice, qualiter ad suam petitionem venit Constantinus in Italiam contra Longobardos, cui Vitalianus obviam vadit, dum Romam appropinquat.

ANno Domini DCLXXXIII. & ab Urbe condita MCCCCXXXIV. (**) Vitalianus Primus natione Signensis Provinciæ Campaniæ ex patre Anastasio, in Cathedra Petri locatur. Sedit annis XIV. mensibus VI. & cessavit mensibus II. diebus XIII. Hic cantum Romanum composuit, ut scribit Martinus, & Cusentinus, & organo concordavit. Hic, ut Martinus scribit, nuntios suos direxit ad Constantinum III. Imperatorem juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, significans ei de sua ordinatione. Hæc autem denuntiatio jam tacta fuit supra, quum de Mauritio, & Foca fuit actum, quia reverentia, quam Summi Pontifices faciebant Imperatoribus, procedebat ex favore, quem dabant Ecclesiæ sive contra Longobardos, sive contra quemcumque Romanam Ecclesiam infestantem. Hoc ergo titulo Imperator Constantinus nuntiis reverenter receptis, renovatisque Romanæ Ecclesiæ privilegiis, redierunt legati memorati portantes Evangelia scripta, & pretiosis gemmis decorata, quæ Imperator Sancto Petro Apostolo transmittit. Ubi attende, quia Imperator præfatus tunc temporis optimæ erat volun-

(**) In Cod. Patav. MCCCCXXXV.

voluntatis ad Ecclesiam Romanam, in cujus signum, ut Historia Ammonii in gestis Francorum lib. IV. & de eodem refert Paulus in gestis Longobardorum Lib. eodem, venit in Italiam contra Longobardos. Sed malè eidem cessit, & à Longobardis repulsus est, ut supra patet. Quo titulo autem aversus fuerit ignoratur, nisi suæ malitiæ: propter quod tradunt Historiæ, quòd Constantinopoli erat exosus; Unde referunt eædem Historiæ, quòd in suos, hoc est in Romanos, sævitiam convertit. Inde vadit versùs Romam egressus de Neapoli, quæ olim regio Campaniæ vocabatur, & ipsam Historia Longobardorum sic appellat. Cùm autem hoc fuisset nuntiatum Vitaliano Papæ, VI. milliario ab urbe Roma cum Clero & populo eidem occurrit. Ubi considera reverentiam Summi Pontificis ad Imperatorem: quod hodie malè sustineretur. Tunc autem fiebat ex caussa jam assignata superiùs. (*) Hujus Vitaliani Papæ tempore Theodoricus I. & XIV. Rex Francorum super ipsos regnat, frater Chlotarii; sed à Francis repudiatus tonsuratur, & in Monasterio Sancti Dionysii recluditur, ut Vincentius scribit. Sed Odericus frater ejus regnat pro eo, qui regnavit annis XII. & fuit XV. Rex.

CAP. XX.

Qualiter Constantinus venit Romam, & ad spolia se convertit, licèt ante devotionem ostenderit; & de malis, quæ fecit ulterius, & occisus est.

VEniens igitur Romam prædictus Imperator, ad limina Beati Petri se confert, ibique offert pallium auro textum. Sed cùm ibidem moram aliquam contraxisset, jam contra cives Urbis venenum emittit, ac ad spolia Ecclesiarum intendit. Quis autem fuerit iste Constantinus, ex superius dictis apparet, quòd & ipse aliquandò bonus, aliquandò malus invenitur, sed ut in pluribus malus. Imperavit autem annis XXVII. Ut autem Historiæ referunt præfatæ, omnia, quæ fuerant antiquitus in ornamentum Civitatis ex ære instituta, deponi jussit, in tantum ut etiam Basilicam Beatæ Mariæ, quæ antiquitus Pantheon vocabatur, discooperiret, tegulasque ex ære factas exinde irreverenter auferret, easque Constantinopolim cum aliis ornamentis transferret. Qui tamen ubi Siciliam, ut Ammonius scribit, applicuit, meritò tantarum iniquitatum pœnam luit; nam ejusdem Insulæ incolas, Calabriæque, Sardiniæ, ac Africæ, afflictionibus tam gravissimis attrivit, ut uxores à maritis, filii à parentibus separati duram perpeti cogerentur servitutem. Sed de prædictis suam Imperator, suæque operationi congruam reportat mercedem; Ut cùm suis militibus tamquam hostibus infestior sit factus, ejus sævitiam sustinere non valentes, de sua morte tractantes, cùm esset in balneis, à suis diris ictibus interficitur.

(*) *Notat in marg. Cod. Patav.* Infra tamen dicitur contrarium; scilicet hoc fuisse tempore Cononis Papæ; quod videtur melius, ut ex se patet, ubi agitur de actibus patris, & fratris Theodorici. Et fortasse est hoc vitium Scriptorum.

A

CAP. XXI.

Qualiter mercedem receperat secundùm merita; & de Mezentio, qui sibi Imperium usurpavit, & qualiter occisus est; & de Saracenis, qualiter invaserunt Siciliam.

UBi attende, qualia sunt præmia impiorum. Hic enim quamdiu bonus fuit, & Ecclesiæ reverens, prosperatus est, licèt parum duraverit. Verum est enim, quod Historiæ de ipso diversimodè loquuntur; sed istud sufficiat, quia propter merita præsentia exitum habuit infelicem. Ipso igitur interfecto apud Syracusas, quidam Mezentius Imperium sibi usurpavit ibidem; sed quia absque Orientalis exercitus voluntate, qui præsentialiter aderat, dum dictus exercitus Imperio deputatur, tunc milites Italiæ, tum Hystrii, tum Campani, tum Africani, qui in Siciliam concurrerunt, ut Historia Longobardorum tradit, vehementer Syracusanos irruunt, ipsumque vita privarunt, omnesque sequaces occiderunt; caput verò Constantinopolim deferentes, coronæ Imperii repræsentant. Hoc eodem tempore, ut eadem Historia tradit, gens Saracenorum, quæ Alexandriam, & Ægyptum pervaserat, audientes Christianorum scissuram, subitò cum multis navibus Siciliam invadunt, Syracusas ingrediuntur, stragem faciunt populi, vix paucis evadentibus, qui per munitissima castra, & juga confugerunt Montium, apportantes secum prædam nimiam, & omne illud, quod Constantinus secum tulerat de Urbe, ornamentum æris videlicet diversarum specierum; sicque Alexandriam revertuntur.

B

C

CAP. XXII.

De Clodoveo Rege, qualiter punitus est, quia irreverenter tractavit corpus Beati Dionysii. De translatione corporis Beati Benedicti in Galliam, & de duobus Doctoribus missis in Angliam per Vitalianum Papam.

D

EOdem tempore, ut scribit Vincentius Belluacensis, Clodoveus filius Dagoberti XII. Rex Francorum corpus Beati Dionysii irreverenter pertractans, ac minùs religiosè, ut os brachii ejus frangeret à corpore, & asportaret, quod quidem corpus pater ipsius cum tanto fecerat honore recondi, in amentiam versus est. Hoc etiam tempore ut idem Vincentius refert, & aliæ Historiæ Gallicanæ, corpus Beati Benedicti transfertur de Monte Casino Aurelianis apud Monasterium Floriacense secundùm revelationem factam Meymulo viro religioso Abbati dicti loci. Quicquid autem dicatur per Gallicos, Italici tamen negant, asserentes illud sanctissimum Corpus in suo esse sarcophago apud Montem Casinum. Asserunt etiam dictæ Gallicorum Historiæ, corpus Beatæ Scholasticæ sororis Beati Benedicti tunc temporis translatum apud Cenomannos. Eodem tempore Theodorus Archiepiscopus, & Adrianus Abbas viri æquè doctissimi, à Vitaliano Papa missi in Britanniam, ut ex dicta Longobardorum Historia habetur, non modicum fructum faciunt. Hic Theo-

E

Tehodorus Anglicis librum, qui Pœnitentiarius dicitur, tradidit, in quo quis cognosceret, qualiter de suo peccato pœnitere deberet. Alii dicunt, quòd Theodorus Papa fecit, ut supra est dictum.

CAP. XXIII.

De Deodato Primo, & LXXX. Pontifice, & actibus ejus virtuosis; de pestilentia in Italia, & de bonis initiis Constantini IV. quantùm ad Ecclesiam.

ANno Domini DCLXXXXVII. & ab Urbe condita MCCCCXLIX. Deodatus Primus natione Romanus ex patre Jobiano, in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis IV. mensibus II. diebus V. & cessat mensibus IV. diebus II. De isto Pontifice pauca inveniuntur digna memoria quantùm ad actum regiminis, nisi quòd fuit bonus, & quietus, & cum multa pace in suo Pontificatu transivit. Unde de ipso Martinus scribit, quòd fuit tantæ benignitatis, ut omnem hominem à majori usque ad minorem ad se venientem consolatum dimitteret. Moritur autem in sua tranquillitate, & apud Sanctum Petrum sepelitur. Hujus tempore tradunt Historiæ, ut Paulus in gestis Longobardorum, qui fert, quòd fuerunt pluviæ magnæ, tantaque tonitrua, quanta ante nullus meminerit hominum, ita ut innumera hominum multitudo, & animantium millia fulminibus essent peremta. Eodem anno legumina in Liguria, & aliis partibus ejusdem affinibus, ut narrat Historia prædicta, colligi nequiverunt; sed iterum renata venerunt ad maturitatem. Isto tempore, ut quasi omnes Historiæ referunt, incipit reparari Ecclesia Græcorum sub Constantino IV. filio impiissimi Constantini, sive Constantis in Sicilia occisi, qui imperavit annis XVIII. & fuit LXIII. Imperator. Hic incipit tempore istius Pontificis, & concurrit cum Dono, & Agathone, & usque ad tempora Sergii, de quibus per ordinem erit agendum. Primum igitur, quod fecit Constantinus Quartus, fuit vindicatio mortis patris, quia venit in Siciliam cum exercitu, & occidit Mezentium, ac ab exercitu factus est Imperator. Inde rediens Constantinopolim, cum gloria susceptus est. Alii dicunt ut supra, quòd in Constantinopoli sit assumtus, exercitu redeunte, ubi advenientibus Apocrisariis Summi Pontificis, de quo nunc agetur, procedit contra omnem Episcopum hæresi Acephalorum, seu Monothelitarum maculatum, qui in eumdem incidebant errorem cum Nestorio.

CAP. XXIV.

De Dono Primo, & LXXXI. Pontifice, & operibus ipsius; & de Paradiso Beati Petri; de Stella comata, quæ isto tempore apparuit, & pestilentia subsequuta; de laudabilibus actibus Constantini IV.

ANno Domini DCCI. & ab Urbe condita MCCCCLIV. Donus Primus natione Romanus ex patre Mauritio in Summum assumitur Pontificem. Sedit autem anno I. mensibus II. (*) diebus XV. Hic multùm studuit ad reparationem eorum, quæ destruxerat impius Constantinus. Hic etiam locum juxta Ecclesiam Beati Petri, qui Paradisus vocatur, ut scribit Ammonius in gestis Francorum lib. IV. & cum ipso etiam Martinus Polonus, Beatus Pontifex candidis & magnis marmoribus magnificè stravit; & multa alia Deo digna fecit, & populo placentia eo tempore, quo vixit in Pontificatu, quod modicum fuit. Moritur, in Basilicaque Sancti Petri honorificè sepelitur. Hujus tempore dicit Cusentinus, & Historia Longobardorum, quòd apparuit stella in Oriente clarissima, quæ comata erat, & à galli cantu usque ad mane apparebat, cujus coma videbatur penetrare Cœlos. Post quam stellam sequuti sunt effectus, de quibus modò agitur. Item Historia Longobardorum tradit, magnam pestilentiam fuisse sequutam, quæ Romanum populum devastavit.

CAP. XXV.

De novitate, quæ accidit circa filium Sisebuti Regis Gothorum in Hispania, & de infortunio Grimoaldi.

HOc igitur tempore Constantinus jam solidatus in Imperio, sicuti verus Catholicus, ut supra est dictum, ad restaurationem Ecclesiarum destructarum per hæreticos, favente patre, intendit, cunctosque sive populum, sive Clerum hæresi maculatos persequitur. Hoc etiam tempore apud Hispaniam, ut scribit Ammonius, ubi supra, mortuo Sisebuto, Tolga filius ejus, petente patre, Rex creatus est. Cùmque puer esset, gensque Gothica multùm committeret bella ex more sibi solito, Cintasindus quidam Gothorum præeminentissimus, Tolga regno præpulso, ac Clerico fieri compulso, regnum arripuit. Qui cognoscens consuetudinem gentis, quam in interficiendis, sive pellendis habebat Regibus, plurimos ex eis, quos huic initio scivit deditos, neci tradidit, ita ut de potentioribus CC. de plebe verò CCCCC. occidit; residuos verò exilio condemnavit. Ex quo facto regni quiete potitus per tempus longum, veniens ad senectutem, filium suum Rusicindum adhuc vivens instituit Regem gratia præditum, & amore gentis. Pater verò post hæc de malis, quæ fecerat, ad se reversus, pœnitens, eleemosynis, ac virtuosis operibus peccata sua redimens, nonagesimo vitæ suæ anno diem clausit extremum. Hoc eodem tempore Grimoaldo talis accidit casus. Cùm enim flebotomiam celebrasset, ad paucos dies cùm arcum aperiret ad sagittandum columbam, brachio conatum adhibente, vena brachii dirupta est. Advocato Medico, medicamina venenata posuit; sicque Grimoaldus Rex Longobardorum moritur. Sepultus est autem in Ecclesia Beati Ambrosii, quam dudum ipse intra Ticinensem, construxerat Civitatem.

CAP. XXVI.

De visione, quam habuit quidam Eremita de Dagoberto in punitione sua, & quare; & de quibusdam sanctis, qui isto tempore floruerunt in Gallia.

REferunt etiam hìc quædam Historiæ per dictum Ammonium de Dagoberto Rege Francorum jam defuncto, quod quamvis sit diffu-

(*) *In Cod. Patav.* Mensibus V. diebus X. & cessavit mens. II. dies. XV.

diffusum in gestis Francorum, nos tamen compendiosè trademus. Fertur enim, quòd quidam Eremita dictus Joannes circa partes Siciliæ in quadam habitans Insula, de dicto Rege, talem habuit visionem; Quia videbatur sibi, ipsum à Dæmonibus graviter vexari, & ad Vulcanum deduci, sed per Beatum Dionysium, cui Basilicam ornatissimam fabricaverat, & per Beatum Mauritium, ac per Beatum Martinum, quos speciales habuit patronos, liberatus est. Vexationem autem passus est, quia, ut Richardus tradit, alias Ecclesias excoriavit, ut illam nobilitaret. Quod & fecit super omnia loca sui regiminis in fabrica Monasterii, in vasis, & ornamentis ad sacra ministeria; ipsumque Cœnobium magnis dotavit prædiis, vineis, & nemoribus, castris, & villis, & aliis honoribus, & feudis, ut gesta Francorum tradunt. Sed & suum corpus cum conjuge sua Natilda in dicto Monasterio ad sepeliendum commisit, ac in futurum pro suo genere ibidem sepulturam elegit. Ex talibus igitur beneficiis exhibitis, ac talibus honoribus collatis prædictis Sanctis, & devotione ad Beatum Dionysium, meruit per ipsos in vexationibus sublevari. Circa ista tempora scribit Vincentius Belluacensis, floruisse Beatum Projectum Arvernensem Episcopum, qui zelo Fidei, & justitiæ ab ipsis suis civibus primoribus subiit martyrium. In territorio Cameracensi claruit Virgo Dei Mazelindis, quæ pro voto virginitatis Arduinum amatorem suum recusans, ab eo martyrizatur, qui mox excœcatus, ab ea illuminatur; postea suum delictum cognoscens, & recognoscens ipsam magni meriti apud Deum fuisse, de suo peccato magnam pœnitentiam agit.

Explicit Liber Duodecimus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER XIII.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Agathone Primo, & LXXXII. Pontifice, & operibus virtuosis ejus; qualiter per ipsum celebrata est Synodus in Græcia, & reintegrata Ecclesia Romana, favente Constantino IV. vero Catholico.

ANno Domini DCCII. & ab Urbe condita MCCCCLIV. Agathon Primus natione Siculus ex patre Panonnio, in Cathedra Petri locatur. Sedit annis II. mensibus VI. diebus III. (*) & cessavit anno I. mensibus VII. diebus XV. Hic fuit vir magnæ sanctitatis, qui dum quemdam leprosum osculatus fuisset, statim à lepra mundatus est ex meritis Sancti Pontificis. Hic etiam, ut Martinus scribit, Ecclesiam Ravennatensem sibi reconciliavit, quæ aliquo tempore sibi rebellaverat, mediante Olympio Duce Constantini, qui in Sicilia occisus fuerat. Dictus enim Olympius in Ravenna suam tenebat Curiam de mandato dicti Imperatoris; & quia ipse malus erat, Ecclesia illa assumebat audaciam ad rebellandum Matrici Ecclesiæ Romanæ. Istius etiam Papæ tempore celebrata est Sexta Synodus in Constantinopolim, Constantino IV. Imperatore favente. & ordinante, sicut veræ Fidei Catholicæ defensore. Unde per ipsum, ut omnes Historiæ referunt, reparata est fides in Græcia, quæ primo tempore alterius Constantini patris ejus, tota erat corrupta. Congregata igitur Synodo ad petitionem Agathonis CL. Episcoporum, ut Historiæ ponunt, & in Decreto ponitur dist. XVI. §. *Sexta Synodus*.

CAP. II.

De tribus bonis institutis in dicto Concilio, quæ valde notabilia fuerunt, & maximè tria circa votum castitatis pro Clericis Occidentalibus.

IN ea autem tria notabilia facta sunt. Unum fuit, quia damnatus fuit Macarius Antiochenus Episcopus, & sui sequaces, qui unam solam voluntatem, & operationem in Christo falsa suspicione astruebant: quod fuit falsum dogma, primò Nestorii, ut patet in Concilio Ephesino tempore Cœlestini, quia Christum esse Deum negavit, & inde unam solam voluntatem posuit in ipso; item Euthycetis tempore Leonis I. in Concilio Chalcedonensi. Secundum autem, quod fuit in dicto Concilio, factum est de immutatione quantùm ad statum dignitatis; ante enim sedes Alexandrini secunda erat post Romanam, ut patet ex Constitutione Anacleti dist. XXII. cap. *Sacrosancta*. Sed in isto Concilio præfertur ei sedes Constantinopolitana & fit secunda post Romanam; unde ead. dist. sic dicitur: quòd *Constantinopolitanæ sedis Episcopum habere oportet primatus honorem post Episcopum Romæ, eo quòd sit nova Roma*. Tertium notabile, quod factum est ibidem, quia definierunt Sancti Patres, Orientales Clericos non obligari ad castitatem vovendam, sicut in Nicæna Synodo Pafnutius definivit, sed Occidentales, sicut habes dist. XXXI. cap. *quoniam*, item dist. XXXII. cap. *si quis eorum*. Et attende hìc, quia etiam ante istud Concilium Occidentalis Ecclesiæ Clerici obligabantur ad castitatem non solùm Episcopi, Presbyteri, Diaconi, sed etiam Subdiaconi à tempore Beati Gregorii, ut XXXI. dist. cap. *Ante triennium*: quod fuit ante istam Synodum per L. annos. Sed quantùm ad Episcopos, Presbyteros, & Diaconos semper observaverunt, ut patet in dist. LXXXIV. cap. *Cùm in præterito*.

CAP. III.

Quòd huic Concilio Agathon non interfuit, sed per Constantinum facta est reintegratio in una fide Græcorum, & Latinorum; & de Clodoveo Rege Francorum, & Cuniperto Rege Longobardorum.

ATtende etiam hìc, quòd Richardus dicit, Agathon Concilio non interfuit, quamvis ad suam petitionem congregaverit Constantinus; sed suos Legatos illuc misit Agathon; videlicet Joannem Diaconum, & alterum Joannem Episcopum Portuensem Apocrisarios Romanæ Ecclesiæ, & vices gerentes Summi Pontificis. In isto igitur Concilio, mediante Constantino glorioso Principe, reintegrata est pax & fides inter Latinos & Græcos, extirpatis zizaniis hæreticorum per Principem memoratum. Ubi considera, quantùm bonitas Principis ad bonum Ecclesiæ statum prodest. Hoc tempore adhuc regnabat in Francia Clodoveus filius Dagoberti. Apud Longobardos autem Cunipertus filius Ariperti, qui patrem suum honorificè sepeliri fecit in Basilica Sancti Salvatoris in Papia, quam ipse, dum viveret, fabricavit. Hic Cunipertus post mortem patris Hemelindam filiam Regis Anglorum cepit uxorem. Hic cùm in pace regnaret, suscitavit ei Deus adversarium Alachis Brixiensem virum nobilem, & potentem, qui convinctus colligatione cum quibusdam nobilibus ex Longobardis Ticini palatium occupat, & Cunipertum à regno expellit: quod quidem sibi accidisse Paulus narrat post violentiam factam cum dehonestate Theodotæ puellæ ex nobilissimo genere progenitæ.

CAP. IV.

De Episcopo Damiano, qui isto tempore floruit Papiæ, & qualiter sua industria Alachis regnum perdidit Longobardorum, & restitutus est Cunipertus, & adhuc de Constantino.

EOdem tempore in Civitate Ticinensi floruit Episcopus nomine Damianus, ut idem Pau-

(*) *In Cod. Patav.* diebus XV.

Paulus in gestis Longobardorum scribit Lib. V. Hic sanctitate praecipuus, & liberalibus artibus clarus habetur. Hic, ut praedicta tradit Historia, epistolam direxit ad dictum Concilium valde fructuosam, & quae dicto Concilio non modicum suffragium tulit; & hanc epistolam transmittit sub nomine Mansueti Archiepiscopi Mediolanensis, tamquam majoris auctoritatis. Ubi hic inter alia continebantur. *Recta & vera fides haec est, ut in Domino nostro Jesu Christo sicut duae sunt naturae, hoc est Dei, & hominis, sic & duae creduntur esse voluntates & operationes. Vis audire de eo quod Deitatis? Ego*, inquit, *& Pater unum sumus. Vis audire, quod humanitatis. Pater major me est. Cerne secundum humanitatem, eum in navi dormientem. Cerne secundum divinitatem, quia imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*. De hoc etiam multa ferunt Historiae, quod ex meritis ejus Alachis perdiderit regnum propter suam tyrannidem contra Clerum, & propter alias violentias, quas faciebat, & Cunipertus est restitutus. Eo etiam tempore, ut scribit Vincentius Belluacensis, Amatus Senonensis Episcopus vir magnae scientiae & sanctitatis à Rege Theodorico fortissimè tribulatur. Interea Constantinus pacificè suum gubernat Imperium in Graecia, & in Italia. In aliis autem partibus multùm erat diminutum Imperium propter Saracenorum dominium. Imperavit tamen usque ad tempora Sergii Papae, quia quatuor Pontifices in Cathedra Petri parum sederunt, sicut per ordinem videbimus ex Historicis Scriptoribus, qui ista tradunt, de quibus nunc est dicendum, quorum pauca acta nunc reperiuntur, licèt circa ipsorum tempora multa contigerint circa Principes, & Doctores, qui concurrerunt cum eis.

CAP. V.

De Leone II. & LXXXIII. Pontifice, & actibus ipsius virtuosis, & qualiter Ecclesiam reduxit ad viam veritatis.

ANno igitur DCCVI. & ab Urbe condita MCCCCLVIII. Leo Secundus natione Siculus ex patre Paulo, Sedem Summi Pontificis obtinet. Sedit autem mensibus X. (*) diebus XVI. & cessavit Episcopatus mensibus II. diebus XXII. Hic constituit, pacem dari in Ecclesiis totius Christianitatis fidelibus post Agnus Dei; & idem fecit Innocentius I. qui est in Catalogo XLII. Hic fuit eloquentissimus, & in divinis Scripturis sufficienter instructus, Graeca Latinaque lingua eruditus, circa inopum provisionem non solùm mentis pietate, sed etiam studii labore. Hujus tempore, procurante Deo, & ipsius labore, Ecclesia Ravennas posuit se sub ordinatione Sedis Apostolicae, & Romanae: quod primò fuerat inchoatum per Agathonem; ut defuncto Archiepiscopo, qui electus erat, juxta antiquam consuetudinem, veniat ad Romanam Curiam ordinandus. Hanc autem audaciam Archiepiscopus Ravennas de non obediendo praesumsit ex favore Principum, qui ibidem dominabantur, qui interdum cum Romanis Imperatoribus erant discordes, ut patet de Gothis, & de multis aliis. Hic fecit constitutionem, ut qui ordinandus fuerit Archiepiscopus, nulla consuetudine pro usu pallii, aut diversis officiis,

(*) *In Cod. Patav.* mensibus VI.

A aliquid Ecclesia persolvere debeat. Moritur, & in Ecclesia Beati Petri sepelitur.

CAP. VI.

De Rimoaldo Rege Longobardorum qualiter totam Apuliam capit, & de translatione Corporis Beati Benedicti; & de devotione Reginae Longobardorum.

HUjus tempore, quamvis sit modicum, multa tamen magna peracta sunt. Primò quidem per Romoaldum Ducem Beneventanorum, qui congregata exercitus multitudine, vadit contra Tarentum, & capit ipsum, ut Paulus refert in gestis Longobardorum Lib. V. Vadit & Brundusium, & capit, totamque regionem Apuliae suae subjugavit dominationi. Hoc enim fuit Longobardorum proprium, quia quantum quis poterat, tantum de terrarum dominio occupabat: Ex quo facto exorta est turbatio inter ipsos Principes, & Ecclesiam, quae saepiùs inde advocari contra eos Principes est coacta, sicut infra patebit. Sed quamvis Principes Longobardi essent in pluribus parum deicolae, habebant tamen uxores devotas, ut supra patet de Theodolinda. Unde praedicta Historia refert, quòd Romoaldus conjugem acceperat multum habilem ad cultum divinum nomine Theodotam, propter cujus devotionem foris muros Beneventanae Civitatis aedificari fecit Basilicam in honorem Beati Petri, quo in loco multarum ancillarum Dei construxit Coenobium. Et attende quòd circa ista tempora Historia Longobardorum tradit translationem Corporis Beati Benedicti, & suae sororis in Franciam factam fuisse, cujus caussam assignat, solitudinem videlicet loci, quia Longobardi dictum devastarunt Monasterium. Praedicta tamen Historia videtur sub dubio relinquere, an dictum Corpus sit translatum, vel non.

CAP. VII.

De Ducibus Longobardorum hic per ordinem agitur, & qualiter isto tempore datur Coadjutor Regibus Franciae propter defectum regiminis, & quis fuit primus.

ISto etiam tempore Historia Longobardorum memorata tradit, quòd Romoaldus Dux Beneventanus, & filius Grimoaldi Regis Longobardorum ab hac luce subtrahitur, postque filius ejus Romoaldus succedit rexitque Samnitum populum tribus annis. Isto defuncto succedit ei Gisulfus germanus ejusdem, quia sine filiis Romoaldus moritur: per quod apparet, quòd istum Ducatum Longobardi tenebant per successionem, quem Carolus Magnus eisdem abstulit, & Ecclesiae donavit, ut jam patebit. Sed attende hic de diversitate scribentium Historias; quia circa ista tempora Historia Longobardorum scribit, fuisse Concilium VI. & Agathonem Papam; aliae autem Historiae ponunt, ut supra est scriptum. Nec est facienda vis, quia omnes isti Pontifices parum sederunt. Refert autem una Chronica Gallicana, quae videtur esse Vincentii Belluacensis, quòd regnante Clodoveo, Arnulpho, & Ancisо filio ejus procurante Regiam aulam, Arnulphus spreto postmodum seculo, eremiticam vitam assumsit, & inde ad

ad Metensem Episcopatum vocatus, gloriosa resplenduit vita. Eodem tempore, ut idem Doctor scribit, apud Ticinum, idest Papiam, visibiliter multis apparuerunt duo Angeli, bonus unus, alter malignus per Civitatem pergentes, quorum malignus Angelus venabulum manu tenebat, qui quoties de venabulo percutiebat ostium cujuscumque domus, boni Angeli jussu tot de eadem domo cadavera trahebantur die sequenti. Sed attende, quia istæ Historiæ gesta Longobardorum magis complete tradunt, unde ipsam in sequenti Pontifice referemus.

CAP. VIII.

De Benedicto II. & LXXXIV. Pontifice, qui factus fuit à Constantino Imperatore, atque caussa, quare sic factus est.

ANno Domini DCCVIII. & ab Urbe condita MCCCCLX. Benedictus II. natione Romanus ex patre Joanne in Summum assumitur Pontificem. Sedit antem mensibus X. diebus XII. & cessavit mensibus II. diebus XV. Hic ut Martinus scribit, ab Imperatore factus est Papa, ubi primò attendendum, quis fuit iste Imperator, & respondendum est, quòd Constantinus IV. ille verus Catholicus, qui Concilium congregavit sub Agathone, de quo dictum est supra. Qui, ut Historia Longobardorum narrat, hæresim Monothelitarum exstirpavit, qui in Christo unam solam naturam dogmatizabant, unamque voluntatem, & unam operationem, cujus hæresis auctores dicuntur Gregorius Constantinopolitanus Episcopus, qui rediens ad fidem, veniæ indulgentiam meruit, & in officio remansit. Secundus fuit Macarius, de quo Decretum mentionem facit. Alii fuerunt Pyrrhus, & Paulus, quos Concilium anathematizavit, & dictus Imperator ipsos proscribens, omni officio, & beneficio privat: cui etiam concedit Ecclesia, & permittit propter beneficia, quæ Orthodoxæ confert fidei. Quo etiam intuitu eidem concedit propter scissuram provisorum, seu electorum, unde si attendis ad tempora cessationum, seu vacationum temporis præsentis, vel circa, satis apparet electorum discordia, & inde aliquæ relinquebantur provisioni Imperatorum pro schismate vitando, ad quod faciendum hæretici erant proni, & de hoc dictum est, ubi agitur de Pelagio II. qui est LXV. à Christo.

CAP. IX.

De signis, & prodigiis, quæ apparuerunt tempore isto, & effectibus horribilibus, qui sequuti sunt.

ISto tempore refert Paulus in gestis Longobardorum Lib. VI. quamdam Historiam horribilem incussivam timoris. Et primò quidem præmittit signa Cœli, quæ ut in pluribus sunt signativa effectus in terra. Narrat enim, isto anno Lunam eclipsim passam, & in eodem anno V. Nonas Maji VIII. hora diei Eclipsim Solis fuisse, post quas Eclipses gravis pestilentia est sequuta, tribus videlicet mensibus Julio, Augusto, & Septembri; tantaque fuit multitudo morientium, ut etiam parentes cum filiis, fratres cum sororibus bini in feretro positi apud Urbem Romanam ad sepulturam deducerentur. Pari etiam modo Ticinum depopulatum est. Et multa alia refert prædicta Historia audientibus gravia ad credendum. Refert enim memorata Historia post hæc, quæ nunc dicta sunt, de Angelo bono, & malo, de quibus supra facta est mentio, qui visibiliter apparuerunt per Civitatem pergendo, & quòd jussu boni Angeli malus Angelus cum venabulo, quod tenebat in manu, unamquamque domum in urbe Roma percutiens, & quoties venabulo percutiebat tot mortui inveniebantur in mane in dicta domo ejusdem Civitatis. Hoc in sola urbe Roma dicitur accidisse.

CAP. X.

Quòd pro ista pestilentia & vexatione inventum est remedium per revelationem; & de Felice Doctore, quem Rex Longobardorum multùm dilexit; & de quibusdam aliis.

NUnc instantibus probis viris pro istis vexationibus removendis, revelatum est cuidam sancto viro, quòd ista non tolleretur pestilentia, quousque reliquiæ Sancti Sebastiani cum reverentia deferrentur ad Altare Sancti Petri ad vincula: quod & factum fuit; & tunc cessavit pestis. Isto tempore, ut scribit idem Paulus, floruit in Liguria Felix Magister in arte Grammatica, & Logica, patruus Flaviani, quem in tantum Rex Cunipertus dilexit propter suam eloquentiam, & facundiæ gratiam, ut ei baculum argento auroque decoratum inter reliqua suæ largitatis munera condonaret. Isto etiam tempore refert Vincentius Belluacensis, quòd fuit quidam in Britannia à morte resurgens, qui multa vidisse de loco pœnarum Purgatorii ignis enarravit. Eo quoque tempore regnum Bulgarorum exoritur, quæ scilicet gens Bulgarorum & ipsa Asiam egrediens Meotidibus paludibus, ubi est Bulgaria, sicut Martinus scribit, Duce Bathaya crassatur; adeòque per Romanam Rempublicam ipsorum invaluit excursus, ut Imperator, facta pace cum eis, annua pacta solvere coactus sit. Ubi attende, quòd Imperium Constantinopolitanum paulatim incipit diminui: & hoc fuit in fine Imperii Constantini.

CAP. XI.

De Joanne V. & LXXXV. Pontifice. Hic fuit homo bonus, & ejus tempore adhuc florebat Constantinus IV. De Joanne Episcopo Pergameno, qui isto tempore floruit.

ANno Domini DCCIX. & ab Urbe condita MCCCCLXI. Joannes V. natione Syrus ex Civitate Antiochia ex patre Hinundio sedit annis III. diebus X. & cessavit diebus II. moritur autem, & in Ecclesia Beati Petri sepelitur. De isto Papa pauca referunt Historiæ, nisi quòd fuit homo pacificus, & quietus, & laudabilis vitæ, sed nihil arduum attentavit. Et Ecclesia tunc cessavit à fluctuationibus, quia Constantinus IV. cum Agathone, & Leone II. & aliis Ecclesiam conservavit ab omnibus erroribus immaculatam, quanto tempore vixit: hoc fuit spatium annorum XVIII. ut supra est dictum. Adhuc autem dictus Imperator florebat in suo Imperio, si attendis ad numerum annorum Pontificum, qui in Cathedra Petri sederant, ab eo tempore, quo iste Constantinus IV. incœpit & suum assumsit Imperium, invenies, quòd ad tem-

tempora ista duravit. Isto autem tempore floruit Joannes Episcopus Pergamensis Ecclesiæ vir eximiæ sanctitatis, & doctrinæ, ut Historia Longobardorum tradit Lib. V. qui cùm Regem Cunipertum in convivio, dum sermocinaretur, offendisset, Rex ei ad suum hospitium volenti redire equum ferocem & indomitum, qui immenso fremitu super se sedentes terræ allidere solebat, præparari fecit (a).

CAP. XII.

De miraculo, quod accidit meritis dicti Doctoris; & de reverentia, quam ad ipsum habuit Rex Longobardorum, & de quibusdam mirabilibus, quæ isto tempore acciderunt.

B CUi cùm Episcopus supersedisset, ita mansuetus exstitit, ut eum blando incessu usque ad domum propriam deportaret. Quod Rex audiens, & Episcopum ex eo die debito coluit honore, & eidem ipsum equum, quem suæ sessioni dedicaverat, dono largitus est. Hac tempestate tradit eadem Historia, & eodem tempore, licèt Cusentinus scribit, quòd hoc accidit tempore Benedicti II. sed non est vis facienda, quia ambo parum in Cathedra Petri sederunt, sed ille minus, & quasi simul concurrerunt. Refert autem sic, quòd tempore istius Pontificis juxta vigilias noctis Cœlo sereno inter Natalem Domini, & Epiphaniam stella apparuit omnimodo obumbrata, veluti quum Luna est sub nube constituta. Post hoc mense Februarii die medio stella ab occasu exiit, quæ cum magno fulgore in partes Orientales declinavit. Post hæc in Martio (b) Monsdebius, Cusentinus dicit Delius mons, quem ponit in Campania, eructat per aliquot dies incendium, & omnia virentia circumquaque arescunt ex incendii cineribus, & pulveribus. Tunc Saracenorum gens infelix, & Deo inimica ex Ægypto in Africam cum nimia multitudine populi pergit, & obsessam Carthaginem capiunt; captaque crudeliter depopulata est, & ad solum usque redacta.

CAP. XIII.

De Conone Primo, & LXXXVI. Pontifice, & vita laudabili ipsius, & de morte Constantini, de magnis novitatibus, quæ isto tempore acciderunt in Regno Francorum.

ANno Domini DCCXII. & ab Urbe condita MCCCCLXIV. Conon Primus natione Romanus de regione Cœlii montis ex patre Benedicto in Summum assumitur Pontificem; & sedit mensibus XI. diebus X. & cessavit mense uno, diebus XVIII. Hic multùm laudabilis vitæ describitur; sed quia pauco vixit tempore, pauca de ipso dicuntur, nisi quòd suo tempore Romana Ecclesia tranquillitatem habebat: quod provenit in parte ex bonitate Principis. Moritur, & apud Sanctum Petrum sepelitur. Quo etiam tempore Constantinus IV. gloriosæ memoriæ propter actus virtuosos, quos exercuit, & præcipuè in favorem Fidei, & reverentiam circa Romanam Ecclesiam, diem clausit extremum in Constantinopoli; cui succedit filius suus minor dictus Justinianus II. & fuit LXIV. Imperator. Hic autem X. annis gubernavit Imperium, ut Paulus scribit in gestis Longobardorum. Eo autem tempore, ut gesta Francorum tradunt, Regnum Francorum debilitari incœpit in virtuosis operibus Principum: propter quam caussam provisum est per Barones de coadjutoribus dandis Regibus ad gubernandum Regnum, qui Majores-Domus vocabantur, inter quos primus fuit Arnulfus, de quo dictum est supra. Eo igitur tempore Chlodoveus filius Dagoberti, & XII. in Regno Francorum moritur, & tres filios derelinquit ex Natilde uxore genitos, quos sibi successores fecit Chlotharium, videlicet Theodoricum, & Childericum, quorum Chlotharius Rex XIII. in Regno post tres annos Regnum cum vita perdidit. Quo vita privato, successit ei Theodoricus frater ejus XIV. Rex; sed hunc post modicum tempus Franci de Regno propellunt, & Ebroinum Regiæ Aulæ Præpositum Luxovio Monasterio retrudunt.

CAP. XIV.

Qualiter Childericus filius interficitur, & Theodoricus reassumitur; & de multis aliis novitatibus circa dictum Regnum; de Sanctis Angliæ, & Galliæ, qui isto tempore floruerunt.

C DEinde assumentes Childericum fratrem Theodorici, Regem sibi statuunt; sed non post multum temporis Childericus (c) interficitur; & Theodoricus reassumitur ante repulsus. Quod audiens Ebroinus, Monachali, qua induebatur, veste deposita, è Monasterio egreditur, & undique circa se viribus congregatis, iterum Major Regiæ domus efficitur. Postea verò Ebroino defuncto, Pipinus filius Ansegisi dominari sub Regibus cœpit in Austrasia, qui de genere Trojano descenderat. Sed hæc omnia non sunt facta solùm tempore istius Pontificis; sed intraverunt tempora Sergii, de quo in sequenti Capitulo est agendum. Hoc tempore in Anglia multi Episcopi clarent, ut scribit Vincentius Belluacensis, videlicet Gumbertus Episcopus clarus in opere, & doctrina, S. Vandregisillus, qui multis miraculis claruit. Isto etiam tempore fuerunt duo solennes viri in Ecclesia Gallicana, ut tradit Ammonius in gestis Francorum Lib. V. Unus fuit Leodegarius Martyr Augustodunensis Episcopus, qui ex mandato Theodorici Regis ab Ebroino, postquam habitum Monachalem dimisit, & dominium assumsit, pro veritate dicenda, quia nimis tyrannizabat ipse & Dominus suus Theodoricus Rex, diversis pœnis affectus occiditur. Secundus fuit Audoënus Archiepiscopus Rothomagiensis sanctitate præclarus, vir magnæ auctoritatis, qui multo tempore in dicta dignitate præfulsit; inde plenus dierum circa Parisios migravit ad Dominum, corpusque ipsius transfertur Rothomagum, & in Basilica Beati Petri honorificè sepelitur.

CAP.

(a) *Additur in Cod. Patav.* Hujus Joannis Papæ tempore, XVI. Rex Francorum Theodoricus Secundus regnat, & regnavit annis XIII. secundùm Vincentium.

(b) *In Cod. Patav.* Mons Bobius. *Sed legendum videtur* Vesuvius, Besubius, Vesevus.

(c) *In Cod. Patav.* XV. Rex à Pharamundo.

A

CAP. XV.

De Sergio Primo, & LXXXVII. Pontifice, & actibus ejus virtuosis, & de bellis, quæ Justinianus II. gessit cum Saracenis, & de operibus virtuosis ipsius.

ANno Domini DCCXIII. & ab Urbe condita MCCCCLXV. Sergius I. natione Syrus de regione Antiochiæ ex patre Tiberio in Sede Petri locatur. Sedit autem annis IX. ut communiter Historiæ referunt, mensibus VIII. diebus XXIII. & cessavit mense I. diebus XX. Hic constituit, ut *Agnus Dei* cantaretur ad Missam in fractione Corporis Dominici, ut Martinus, & Cusentinus scribunt, & sicut habitum est supra de Sixto Primo, & Pontifice IX. Hic, ut Martinus tradit, Deo sibi revelante, in sacrario Sancti Petri invenit capsam argenteam in loco obscurissimæ multæ annositatis, ita ut argentea non appareret, in qua Sigillum erat expressum. Quo ablato, invenit Crucem pretiosis lapidibus perornatam, & ineffabilem portionem Crucis Dominicæ interiùs repositam, quæ in die Sanctæ Crucis adoratur. Corpus etiam Leonis I. Papæ transtulit. Hic, ut scribit Cusentinus, Ecclesiam Lateranensem renovavit. Hujus tempore Justinianus II. assumto Imperii gubernaculo, Africam à Saracenis abstulit, & cum eis terra marique fecit pacem, ut Paulus scribit in gestis Longobardorum Lib. VI. Tradunt autem Historiæ de isto Imperatore, quòd sapiens fuit, & virtuosus, & in rebus bellicis fortunatus, ex quo etiam Respublica est augumentata.

CAP. XVI.

Qualiter circa finem Justinianus II. subversus est: propter quod Deus ipsum punivit, & quomodo.

SEd circa finem sui Imperii in fide subversus est, unde sextam Synodum, quam pater suus cum tanta solennitate fecerat celebrari, conatus est exstirpare: & quia suæ Synodo, quæ facta fuerat contra veram Synodum, Sergius Papa consentire noluit, ut Paulus scribit in gestis Longobardorum ubi supra, misso Zacharia Protospatario suo, jussit Constantinopolim deportari. Sed militia Ravennæ, vicinarumque partium jussa Principis nefanda contemnens, eumdem Zachariam contumeliis ab urbe Roma, & injuriis depulit. Refert etiam eadem Historia, quòd propter istam impietatem Imperio privatur, quia Leo quidam Princeps dignitatem Imperialem sibi aufert, & ipsum Justinianum in Ponto exulare fecit. Tradunt autem aliquæ Historiæ, quòd postea pœnituit, & inde auxilio Bulgarorum gentis recuperavit Imperium, Leone, & Tiberio, qui pro ipso imperabant, pariter interfectis, & postea imperavit annis VII. Quo tempore scribit Vincentius, quòd dictus Justinianus Papam Constantinopolim invitavit, ipsumque ut Apostolum honoravit; & hoc videtur cum Decreto concordare dist. XVI. ubi dictus Princ ps plurimùm commendatur. Quis autem fuerit iste Papa, infra patebit, & de Justiniano diffusiùs tradetur.

CAP. XVII.

De Synodo Aquilegiensi celebrata sub Sergio contra falsam Synodum celebratam per Justinianum II. cum suis hæresiarchis, quamvis postea pœnituerit.

HOc tempore scribit eadem Historia, quòd celebrata est Synodus apud Aquilegiam ob imperitiam Fidei, & ad confutationem hæreticorum, qui sextam Synodum nitebantur infringere. Unde quintum Concilium in medio producitur celebratum sub Vigilio Papa LXI.

B

& sub Justiniano Imperatore: per quod Concilium damnatur Theodorus, qui dogmatizabat impiè in Christo solam esse unam naturam, humanam videlicet, & non divinam, & negabat Beatam Mariam esse matrem Dei. Hanc ergo hæresim Justinianus II. in sua Synodo voluit revocari, & sextam Synodum sub Agathone celebratam, & Constantino IV. renovari, in qua confitetur dictum Concilium duas in Christo naturas, divinam videlicet, & humanam, duas etiam voluntates, & Beatam Mariam Theotocon, hoc est matrem Dei verissimè nuncupari. Et quia Sergius dicto Principi non acquiescebat, inde sibi conabatur & Ecclesiæ Romanæ suscitare turbationem; sed providit Deus huic

C

vexationi, quia ab Imperio viliter cadit, ut jam dictum est.

CAP. XVIII.

Qualiter Sergius Papa in Concilio Aquilegiensi dubia Fidei declarat; qualiter ad fidem convertit Regem Anglicorum, & ipsum baptizat; de Sancto Lamberto quomodo martyrium suscepit, & à quo.

SErgius igitur dictam Synodum Aquilegiensem salutaribus monitis quinti, & sexti

D

Concilii erudit, Justiniani Principis spretis erroribus. Refert etiam Historia Longobardorum quoddam gratiosum de isto Pontifice Sergio, quòd suo tempore Rex Anglicorum Saxonum, qui multa in sua patria bella strenuissimè gesserat, ad Christum conversus, Romam profectus est. Ubi attende, quia, ut supra est actum, Saxones occupaverunt Insulam Britanniæ, & ab ipsis denominata est Anglia, & ii Saxones Gentiles erant. Veniens autem Romam dictus Rex, à Sergio Papa Baptismum recepit, Petrusque appellatur; & adhuc in albis constitutus, infirmitate præoccupatus, ad cœlestia Regna migravit. Cujus corpus in Basilica Sancti Petri honorificè sepelitur, factumque est super eum

E

epitaphium valde solenne sermone metrico, quod in gestis Longobardorum habetur. Sanctus igitur Sergius post laudabilem vitam apud Sanctum Petrum honorificè sepelitur. Eo tempore Sanctus Lambertus vita, & doctrina apud Leodium florens, quia Pipinum, qui Major domus erat in Regno Francorum in publico sermone redarguit, quod pellicem Alpoidem nomine suæ uxori Pertrudi superinduxit, ab Odone fratre Alpoidis milite occiditur apud Leodium. Ubi dicit, quòd dictus homicida infra eundem annum à vermibus est corrosus. Dictus autem Martyr in Trajecto tumulatus est: Sed postea reconciliata terra, post satisfactionem de

de tanto commisso scelere, corpus ejus in Leodium est translatum.

CAP. XIX.

De apparitione Sancti Michaëlis facta in partibus Galliæ, sicut in Monte Gargano, & de mirabilibus, quæ ibidem apparuerunt.

ISto etiam tempore floruit illa apparitio Michaëlis Archangeli circa Civitatem Abrinensem in loco, qui Tumba dicitur, juxta mare, quamvis Vincentius dicat, quòd tempore Sisinnii. Ubi Archangelus Michaël Episcopo dicti loci apparuit, jubens, ut in dicto loco Ecclesiam construeret, & sicut fit in Monte Gargano, ita & ibi memoriam Sancti Michaëlis Archangeli celebraret. Cùm autem Episcopus de loco, ubi fieret Ecclesia, dubitaret, ab ipso edocetur, ut ibi eam faceret, ubi taurum à latronibus absconditum inveniret; interimque de loci amplitudine quantum videret taurum in circuitu pedibus attrivisse. Duæ autem rupes ibidem erant, quas nullatenus virtus humana movere poterat. Tunc Michaël cuidam viro sancto apparuit, præcipiens, ut accedat ad locum prædictum, & ipsas rupes removeat. Quo accedente, tam facilè rupes movet, ut nihil videretur ponderis habere. Ædificata igitur ibidem Ecclesia de Monte Gargano, partem pallii, quod super Altare Sanctus Michaël posuit, & partem marmoris, super quod stetit, ad suam Ecclesiam detulerunt. Cùm verò ibidem aquæ penuriam paterentur, monitu Archangeli foramen in quodam saxo fecerunt, & tanta aquarum copia protinus emanavit, ut usque nunc ejus beneficio copiosiùs substententur, sicut de largissimo fonte. Circa ista tempora XVII. Rex Francorum Clodoveus III. Secundùm Vincentium regnat. Regnavit autem annis IV.

CAP. XX.

De Joanne Sexto, & LXXXVIII. Pontifice, qualiter redemit captivos Campaniæ à Gisulfo Duce Longobardorum, & qualiter martyrio coronatur.

ANno Domini DCCXXVII & ab Urbe condita MCCCCLXXIX. Joannes VI. natione Græcus ex patre Petrono in Cathedra Petri locatur, ut communiter omnes quasi Historiæ Pontificum tradunt. Sedit autem annis III. mensibus II. diebus XXIII. & cessavit mense I. diebus XVIII. Hic, ut scribit Cusentinus, captivos Campaniæ à Duce Gisulfo Beneventano redemit. Scribit enim Paulus in gestis Longobardorum, quòd Gisulfus tempore Joannis Papæ cum omni sua virtute in Campaniam vênit, incendia & deprædationes faciens, multosque captivos cepit. Ad hunc ergo Pontifex missis Sacerdotibus cum Apostolicis donariis, universos captivos de ejus manibus redemit, ipsumque Ducem cum exercitu ad propria repedare fecit. Et hoc Sanctus Pontifex fecit, pro Campania, quæ modò est, sive antiqua, quia etiam illa manualis fuit Ecclesiæ, & ideo sibi incumbebat ipsos juvare. Hic, ut Martinus scribit, martyrio coronatur, sed à quo non ponitur. Potuit tamen esse, quòd ab aliquo Principe Longobardorum, ut à Duce præfato, sive Duce Spoletano, quorum uterque Longobardus erat, & propter confinitatem, quam habebant cum terris Ecclesiæ, sæpiùs ipsam vexabant. Sepultus autem in Ecclesia Sancti Sebastiani ad Catecumbas.

CAP. XXI.

De Justiniano II. Imperatore, qualiter resumsit dominium, & de vindicta exercita contra injuriantes ipsum.

HUjus tempore, ut Historia Longobardorum tradit, Justinianus II. de quo supra est facta mentio, qui amisso Imperio in Ponto exulabat, auxilio (*) Thirelli Regis Bulgarorum, suique exercitus, suæ gentis Regnum, sive Imperii Principatum reassumsit, eos, qui proprio spoliaverant sceptro, Principes neci tradens. Et attende hìc, quòd isti duo Imperatores Leo, & Tiberius vicissim dicuntur imperasse; quorum primus fuit LXV. & secundus LXVI. Aliquæ tamen Historiæ dicunt, quòd per aliquod tempus, simul cum Justiniano expulso: quod consonat iis, quæ dicuntur de Justiniano Secundo, postquam per Bulgaram gentem recuperavit Imperium. Leonem quoque & Tiberium, qui ejus locum usurpaverant, cepit, & in medio Circo coram omni populo ipsos jugulari mandavit. Callinicum verò Patriarcham Constantinopolitanum, cujus consilio Justinianus ejectus fuerat, erutis oculis, Romam misit; Cyrumque Abbatem, qui eum in Ponto exulem aluerat, Episcopum Constantinopolitanum in loco Callinici constituit. Sed attende hìc, quia aliquæ Chronicæ, ut Gothofredi, & Martini interponunt unum Pontificem, quem vocant Leonem, inter Sergium, & Joannem eo quòd sit factus Papa per Patritium Romæ. Aliæ autem Chronicæ non ponunt, quia non habuit bonum introitum, & propterea parum vixit in Sede, & ideo ipsum postponunt. Est etiam aliud argumentum, quia Leo sequens III. vocatur, qui fuit tempore Caroli Magni.

CAP. XXII.

De Venerabili Viro Beda, qui hoc tempore floruit, & qualia scripsit; & de fratribus, qui fuerunt, & qualia scripserunt.

ISto tempore tradunt Historiæ floruisse Bedam in Anglia. Hic vitam duxit religiosam, sive Monachalem gerens; Claruit in doctrina, & sanctitate: propter quam caussam meruit Venerabilis Presbyter appellari. Hic scripsit super Lucam, super Actus Apostolorum. Scripsit & Historiam Britonum, luculento sermone compositam. Fecit & librum de temporibus. Homelias multas, quibus multùm utitur Ecclesia Gallicana. Et quamvis hic Doctor fuerit magnæ opinionis in Clero suo tempore, quidam tamen afferunt, & refert Comestor de ipso in Historia Scholastica, quòd stella, quæ Magis apparuit, suo completo officio, cecidit in Bethlemiticum puteum propter sui nobilitatem, qui aliquando puteus Jacob nominatur, aliquando puteus Samaritanæ, cui aliquæ Historiæ, ut idem Comestor refert, istam assignant proprietatem, quòd in æstate horâ unâ diei Sol descendens nusquam fa-

(*) *In Cod. Patav.* Terrebelli.

faciat umbram. Asserebat enim prædictus Doctor Beda, quòd in diebus Paulæ, & Eustochii quædam Virgines Deo dicatæ dictam Stellam ibidem viderunt in sua claritate. Quod quia fabulosum existimaverunt Fratres, cum quibus habitabat, & Monasticam vitam gerebat, ipsum communione privarunt, nisi ab inde revocaret. Huic fuit frater nomine Strabus, qui multa scripsit, & præcipuè super Genesim, usque ad tempora diluvii, cujus multæ sunt glossæ ibidem. Fertur & alium habuisse fratrem, qui dictus est Aymo, qui multas Homelias luculentissimo sermone composuit, multaque alia opera Divini sermonis ordinata ad utilitatem legentium.

CAP. XXIII.

De Pipino, qui fuit etiam Major domus Franciæ, & Carolo Martello filio ejus, qualia fecit.

ISto tempore defuncto Ebroino, qui Major domus Regni Francorum fuit, ei succedit Pipinus filius Ansegisi, sive Anchisis quondam Trojani Principis, ex quo traxit originem, ut aliquæ Historiæ tradunt Gallicanæ. Hic Pipinus multa bella gessit contra adversarios Regni. Quo mortuo, succedit ei unus filius in officio Carolus dictus Tudices à m joribus malleis Fabrorum, quibus tundi & extenuari solet gravior fieri materia. Unde alio nomine dictus est Carolus Martellus. Talis fuit iste Carolus contra hostes Regni, ut jam videbitur. Hic Carolus natus fuit ex secunda uxore Pipini nomine Alpaides. Hunc ergo Pipinus præposuit aliis duobus filiis, quia aptior erat ad defensionem Provinciæ, & Regionis. Et attende hìc, quia totum pondus Regalis gubernaculi pendebat in Majore domus, quia, ut omnes Historiæ tradunt, sed præcipuè Ammonius, & Richardus, qui gesta Francorum magìs diffusè tradunt, Reges jam incipiebant deficere in vigore virtutis. Sed in principio sui regiminis obstaculum habuit ipsum Regem, qui Chilpericus vocabatur, ut Ammonius dicit in gestis Francorum; habuitque auxiliatores Frisones, in quo bello Carolus cedit. Sed in secunda vice pugnans contra Chilpericum suosque sequaces prævalet, & sic ab inde contra omnem personam semper fuit victoriosus: de quibus omnibus in sequentibus est dicendum, quia tempora correspondent. Circa ista tempora XVIII. Francorum Rex Childebertus regnat secundùm Vincencentinm, & regnavit Annis XVIII.

CAP. XXIV.

De Joanne VII. & LXXXIX. Pontifice, & de virtuosis operibus ejus; & de donatione quam fecit Rex Aripertus Ecclesiæ Romanæ, videlicet Patrimonii.

ANno Domini DCCXXX. & ab Urbe condita MCCCCLXXXII. Joannes VII. natione Romanus, ex patre Gregorio sedit annis III. mensibus VII. diebus XVII. & cessavit mensibus IX. Hic, ut Martinus dicit, fuit eruditus scientia, & facundus eloquentia. Hic fecit, ut Martinus, & Cusentinus scribit, Oratorium

A Sanctæ Mariæ Genitricis Dei intra Ecclesiam Beati Petri Apostoli in Urbe, cujus parietes Musayco opere depinxit, ibique ante Altare sepultus jacet. Hujus tempore, ut Paulus scribit in gestis Longobardorum Lib. VI., Aripertus Rex Longobardorum donationem Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerunt Apostolicæ Sedis, sed à Longobardis toto tempore fuerant occupatæ, restituit. Quæ autem sint Alpes Cottiæ, habes in eadem Historia Lib. II., idest quasi tota Riparia, seu ripa Januensis: quod referam in nostra Tripartita Lib. II. Hanc autem donationem fecit dictus Rex literis aureis exarari, quam Romam direxit Summo Pontifici. Et adverte hìc, quia multa alia reperiuntur, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinent, nec repetuntur, ut dictum est supra. Iis autem diebus duo Reges Saxonum ad vestigia Apostolorum venientes Romam, sub compendio, ut optabant, ibidem sepulti sunt.

B

CAP. XXV.

De Benedicto Archiepiscopo Mediolanensi, & virtuosis operibus ejus; de Carolo Martello, qualia fecit contra Ducem Aquitaniæ.

EOdem tempore, ut eadem Historia refert, venit Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis, & caussam egit pro Ecclesia Ticinensi, tamquam sibi subjecta, & suffraganea; sed victus est, eo quòd à priscis temporibus Ticinensis Episcopus à Romana Ecclesia fuerat privilegia consequutus; unde Ecclesia memorata à Mediolanensi fuit exemta; quod fortè fuit propter reverentiam Regum Longobardorum, qui ibidem suam sedem elegerant; quibus oportebat interdum placere, & favere in gratiis propter ipsorum ferocitates. Hic autem Archiepiscopus, ut Historiæ tradunt, fuit vir venerabilis, sanctitate præclarus, de quo per universam Italiam bonæ opinionis fama flagrabat. Eodem tempore Carolus Martellus, sive Tudices, magna quædam fecit contra Saxones, & Eudonem Ducem in partibus Aquitaniæ, qui Eudo videns se confusum à Carolo, in sui auxilio convocat Saracenos (*), qui jam totam Hyspaniam repleverant; & egressi cum Rege suo ad Franciam, transeunt Burdegalensem Civitatem, ac ipsam concremant, & Ecclesias devastant; consumtisque populis, ut Ammonius scribit de gestis Francorum Lib. V. usque Pictavum profecti sunt. Basilica etiam Sancti Hilarii igne concremata est: quod dici dolor est. Et ad domum Beati Martini evertendam festinant. Contra quos Carolus audacter venit, pugnat fortiter, & irruit fortiùs, Deoque auxiliante, tentoria ipsorum subvertit, interfecto Rege ipsorum, exercitum ipsius prosternit; atque devincit: sicque victor de hostibus triumphavit.

C

D

E

CAP. XXVI.

De bellis gloriosis Caroli Martelli, & terris, quas acquisivit, & quibusdam notabilibus circa ipsum.

REfert etiam eadem Historia, quòd mortuo Eudone jam dicto, consilio suorum exercitum congregat, Ligerim fluvium transit usque Bur-

(*) *In Cod. Patav.* qui jam quasi totam Hispaniam transeunt Burdegalensem Civitatem, & ipsam concremant &c.

Burdegalensem Civitatem. Hanc inde capit, inde rediens contra Frisones vadit, ipsorumque victor existit. Post hoc veniens in Burgundiam, Lugdunum Galliæ occupat, totamque super Rhodanum regionem, & usque Massiliam suæ ditioni supponit. Ubi attende, quòd tempore istius Caroli, Reges solo nomine utebantur Regis, sicut postea Papa definit. Unde & gesta Francorum referunt, quòd ipse totum dominium, quod acquisivit extra Regnum Francorum, de quo jam dictum est, & adhuc restat dicendum, divisit duobus filiis, quos habebat, & etiam ipsum Regnum, videlicet Carolo Magno, & Pipino, non tamen sub nomine Regio, sed sub titulo Majoris domus, etiam invitis Regibus, qui tempore suo fuerunt quatuor, ut patet in dicta Historia Francorum, quia ipse istud dominium tenuit XXV. annis. Ipse enim tanti cordis fuit, & tantæ potentiæ, quòd nullus eidem resistebat, cui non malè cederet, ut ex dictis apparet; & ideo nomen sibi impositum, videlicet Carolus Tudices, vel Martellus, fuit proprium nomen ejus. Tradunt etiam Historiæ de ipso, sed præcipuè Richardus, & Ammonius, quòd in bellis, quæ gerebat, pro sumtibus, quos faciebat, sæpe, & sæpiùs bonis Ecclesiasticis utebatur: de quo reprehenditur. Et hæc dicta de isto sufficiant, quia ampliora sunt dicenda de ipso, prout tempus occurrit.

CAP. XXVII.

De Sisinnio Primo, XC. Pontifice, cujus tempore vacante Ecclesia, ipso mortuo, magnum fuit schisma.

ANno Domini DCCXXXIV., & ab Urbe condita (*) MCCCCLXXXVII. Sisinnius I. natione Romanus ex patre Crescimundo in Cathedra Petri locatur; sed parùm vixit, quia XX. dies, ut Historiæ referunt; sed cessavit Episcopatus menses VII. Hujus Papæ tempore dicit Martinus, magnum schisma fuisse. Quod autem schisma fuit esse potuit, quia Justinianus resumsit Imperium, quia tunc magna fuit concertatio circa sextum Concilium tempore Agathonis, qui fuit LXXXI., & duravit iste error usque ad tempora reassumtionis dominii; quia tunc suum recognovit errorem, & misit pro Constantino Papa, ut jam dicetur. Illo igitur tempore, quo Leo, sive Leontius, & Tiberius imperaverunt multùm fides fuit corrupta. Hoc autem sustinebant Principes, quia per ipsos hæresiarchas magnum in Imperio recipiebant favorem, quo maximè indigebant tunc, quia per violentiam quamdam usurpabant Imperium. Unde Historiæ communiter referunt hìc, quòd Leo favore Patriarchæ Constantinopolitani abstulit Imperium Justiniano Principi, qui dictus est supra Justinianus II. & eum amputato naso, in Ponto exulare fecit. Et similiter Tiberius fecit Leoni, quia amputato naso Leoni, & in carcere retruso, Imperium aufert, faventibus Patriciis, & dicto Patriarcha. Quum igitur tales fuerint violentiæ in Dominio, tunc etiam errores multiplicantur, nec est, qui corrigat. Isto tempore scribit Vincentius illam apparitionem Sancti Michaëlis fuisse. Sed alii aliter dicunt, quibus plus credo.

(*) *In Cod. Patav.* MCCCCLXXXVI.

CAP. XXVIII.

Qualiter Romani transfretantes in Terram promissionis, prævaluerunt contra Saracenos. De Ducissa Aquitaniæ, & laudabilibus operibus ejus, & de quibusdam dubitationibus Historiæ.

EOdem etiam tempore Romani Syriam pervagantes, multa millia Saracenorum interimunt. Ab eo enim tempore, quo Secta Machometi fuit, hoc est Saracenorum, quæ prope Syriam & Palæstinam incœpit, abinde sæpiùs infestabant dictam regionem, & aliquando occupabant, sicut modò. Eo etiam tempore, ut scribit Vincentius, Sancta Oda Aquitanorum Ducissa, & uxor . . . . claret multa sanctitate, & eleemosinarum largitate. Sua enim magnificentia ditavit Ecclesias; & moriens, pauperibus, & piis locis suis bonis collatis, in pace & gloriosa fama suum finem deducit. Sed resumamus iterum de schismate, quod accidit tempore istius Pontificis, quod fuit schisma generalis Concilii celebrati apud Aquilegiam, ut aliqui dicunt, & de quo dictum est supra. Sed hoc esse non potest, quia dubia ibidem declarata fuerunt per Sergium Papam, qui est quartus ab isto; & ideo non apparet esse verum, nisi fortè iteratò per Prælatos, qui tunc fuerunt, renovata fuissent. Et idcirco dictæ sententiæ est standum, quæ supra est tacta, quia plus habet de ratione. Hic præventus ægritudine, citò moritur, & apud Sanctum Petrum sepelitur.

CAP. XXIX.

De Constantino I. & XCI. Pontifice, qualiter Justinianus II. misit pro ipso Constantinopolim, & ipsum pœnitens honorificè suscepit, & de manu ejus communicavit.

ANno Domini DCCXXXV. & ab Urbe condita MCCCCLXXXVII. Constantinus I. natione Syrus ex patre Joanne ad summum assumitur Pontificatum. Sedit autem annis VII. diebus XV. & cessavit dies XL. Hic sepultus est in Vaticano in Ecclesia Sancti Petri. Hunc Papam Constantinum Justinianus Imperator, reassumto Imperio, ut supra patet, suumque delictum recognoscens, ad se Constantinopolim venire fecit, ut communiter Historiæ tradunt, sed præcipuè gesta Longobardorum, quorum auctor Paulus. Et solenniter ipsum recipiens, ut Dominica die celebraret Missam rogavit, communionem de manu ejus suscipiens, ac vultum in terram projiciens, ut mos est Græcorum in tali sacrificio, ut pro peccatis ejus exoraret, postulavit, cuncta privilegia Romanæ Ecclesiæ renovando. Qui cùm in Pontum exercitum mittere destinasset, prohibuit eum Constantinus Papa, ne facere deberet. Ille autem, non obstante consilio, & mandato Summi Pontificis, misit exercitum contra Philippum . . . . missus ad ipsum convertitur; unde statim iter assumunt versùs Constantinopolim contra Justinianum, ut dicta Historia Longobardorum refert, & cum eo XII. milliario ab Urbe Regia pugnavit, & vicit, ac occidit, & Regnum ejus

ejus adeptus est. Imperavit autem Justinianus cum filio suo Tiberio hac secunda vice annis VII. quem Leo in expulsione ejus naribus detruncavit, qui post iterum assumto Imperio, quoties defluentem guttam rheumatis manu detersit, pæne toties aliquem ex iis, qui contra eum fuerant, jugulari præcepit.

CAP. XXX.

De Patriarcha Aquilegiensi Sereno, viro virtutis; de Philippo Imperatore, ejus tyrannide, & odio Populi Romani contra ipsum; & de Anastasio Imperatore vero Catholico.

IIs diebus Petro mortuo, Patriarcha Aquilegiensis Ecclesiæ Serenus assumitur, qui fuit vir simplicitate præditus, & omni bonitate, ut memorata tradit Historia. Eodem tempore Philippus, qui & Bardanes dictus, postquam Imperiali dignitate confirmatus est, Cyrum, de quo dixeramus, de Pontificatu ejectum ad gubernandum Monasterium suum redire, & Pontificatum reddere præcepit. Hic Philippus hæreticus Constantino Papæ literas pravi dogmatis direxit, quas ille cum Apostolicæ Sedis Consilio respuit; & hujus rei caussa fecit picturas in porticu Sancti Petri, quæ gesta VI. sanctarum Synodorum universalium retinent. Nam & hujus picturas, cùm haberentur in Urbe Regia, hoc est Constantinopoli, Philippus jussit auferri, sicut hæreticus, qui in dictis Conciliis non credebat. Propter quam caussam Populus Romanus, ne hæretici Imperatoris nomine susciperent aut chartas, aut figuram solidi ejus, legem statuit, ut ejus effigiem in Ecclesia, & nomen ad Missarum solennia recipere prohiberetur. Et quia malæ vitæ fuit, pœna statim insequitur, ut eadem Historia tradit. Dictus enim Princeps annum cum dimidio solum imperavit; contra quem vadens Anastasius, qui & Arthemius dictus est, de Regno expulit, sed non occidit eum; oculis tamen privat, qui & LXVIII. dicitur Imperator. Hic autem Anastasius, ut dicta Historia tradit, literas Constantino Papæ direxit per Scholasticum Patritium, & Exarchum Italiæ, quibus se fautorem Catholicæ Fidei, necnon & Sancti Concilii prædicatorem esse declaravit.

CAP. XXXI.

De pugna magna, quam habuit Carolus Martellus cum Saracenis circa Rhodanum, & qualiter Avinionem ab ipsis occupatum vi belli apprehendit; & de iis, quæ fecit ultra Rhodanum contra Gothos.

HUjus etiam tempore Carolus Martellus, dictus Tudices, pugnam maximam habuit cum Saracenis; in tantum enim prævaluerant in Occidentali parte, quod usque ad fluvium Rhodanum veniunt, ut Ammonius tradit in gestis Francorum Lib. V. ac ipsum fluvium transeuntes, Avinionem ingrediuntur, faventibus quibusdam Christianis malis. Contra quos Carolus exercitum parat, & germanum suum virum industrum nomine Childebrandum mittit cum reliquis Ducibus, & Comitibus, & cum hostili apparatu, ubi castra figunt, tentoria instruunt, & acies constituunt, donec veniret vir bellator Carolus, qui Civitatem aggreditur, & in modum Jericho, cum strepitu & sonitu tubarum, cum machinis, & restium funibus super muros & ædium mœnia irruunt. Tandem Civitatem munitissimam ingredientes succendunt, hostes inimicos suos capiunt, trucidant, atque prosternunt, & in suam dominationem reducunt. Victor igitur, atque bellator Carolus Rhodanum fluvium cum exercitu transit, fines Gothorum intrat, ad Galliam Narbonensem accedit, & ipsam capit.

CAP. XXXII.

De apparatu, quem fecerunt Saraceni de Hispania contra Carolum Tudicem, & qualiter ab ipso prostrati sunt, & qualiter rediens invadit Gothos; & de virtuosis operibus Ariperti Regis Longobardorum.

TUnc congregati Reges Saracenorum, qui Hispaniam occupaverant, contra Carolum se parant, & usque in partes Narbonenses descendunt cum multitudine infinita. Quibus gloriosus Princeps occurrit, ac cum eis fortissimè pugnat, maximamque stragem de ipsis facit, ipsorumque Reges occidit. Quod videntes Saraceni retro vertuntur, sed non sic fugiunt, quin de ipsis sit facta magna strages cum multitudine captivorum, & spoliis. Inde rediens per terras Gothorum, ipsas depopulatur, videlicet Neomagum, & Agathem, & Bitrotum. Ulteriùs Avinionem veniens, ipsam suæ subjicit ditioni, totamque trans Rhodanum regionem usque ad litora maris; & sic rediit in Regnum Franciæ. Quæ omnia peracta sunt tempore Pontificatus Constantini, & Gregorii sequentis Pontificis. Sub eo etiam, ut Martinus scribit, duo Reges Anglorum Choër, & Epha Romam veniunt, ibique in Monachos attonsi, Regi Regum militando, vitam finierunt feliciter. Pontifex verò eodem tempore suum consummat cursum, & in Ecclesia Sancti Petri sepelitur, ut dictum est supra. Hoc tempore apud Longobardos regnabat Aripertus junior. Hic vir pius eleemosynis deditus, ac justitiæ amator, solitus erat aliquando absconsus & privatus ire per Regnum, & investigare, quid de eo diceretur per singulas Civitates, ac diligenter investigabat, qualiter justitiam Judices sui populo faciebant.

CAP. XXXIII.

De Gregorio II. & XCII. Pontifice; de Bonifacio Archiepiscopo Moguntinensi, qualiter isto tempore floruit; & de Martyrio ejus; & de Sancto Ægidio Abbate, qualiter in pueritia istius Pontificis tempore floruit.

ANno Domini DCCXLII. & ab Urbe condita MCCCCXCIV. Gregorius Secundus natione Syrus ex patre Joanne in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis XVI. mensibus VIII. diebus XX., & cessat diebus XXV. Hic constituit quintam feriam in Quadragesima jejunari, & Missarum celebritatem; & hoc per totam Christianitatem. Hujus tempore, ut communiter Historiæ tradunt, Bonifacius Episcopus floruit in vita & doctrina. Hunc Gregorius de Britannia venientem propter suam bonitatem, cùm esset Monachus, in Episcopum consecravit;

vit; & inde in Germaniam vadens, totam Provinciam convertit ad Christum, qui postea factus est Episcopus Moguntinensis. Hic vadens in Frisiam ad prædicandum Verbum Dei, ab Idolatris interficitur, corpusque ipsius ad Valdense Cœnobium, quod ipse construxerat, transportatur, (*) ibique honorificè sepelitur. Hujus tempore Beatus Ægidius natione Græcus, & Monachus propter suam probitatem vadens in Provinciam, ibidem est factus Abbas, & in vita, & in morte multis miraculis claruit.

CAP. XXXIV.

De Petronatio nobili viro de Brixia, qualiter hortatu istius Pontificis reparavit Montem Casinum; & qualiter iste Pontifex excommunicavit Leonem Imperatorem; & de Schismate Imperii Constantinopolitani.

CIrca ista tempora, ut Historia Langobardorum tradit, vir nobilis Petronatius Civis Brixiensis, divina admonitione & amore compunctus, Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Sedis Apostolicæ Pontificis Montem Casinum, sive Castrum petit ad reparandum; quia destructum fuerat à Langobardis, atque sic vastatum per longa tempora manserat, tamquam quædam vasta solitudo. Accedens autem ad locum, cum aliquibus simplicibus viris ibi residentibus habitare cœpit, qui eumdem Venerabilem virum Petronatium sibi seniorem statuunt. Hic non post multum temporis, cooperante Divina Misericordia, & suffragantibus meritis Beati Benedicti, cùm locus præfatus jam à CX. annis habitatione hominum fuerit destitutus, multorum ibidem Monachorum nobilium, & mediocrium ad se concurrentium Pater effectus est sub jugo sanctæ Regulæ. Qui firmatis & reparatis habitaculis, initium salutis assumunt vivendi; atque hoc sanctum Cœnobium, quasi in statum pristinum est redactum. Hic Pontifex Leonem Imperatorem excommunicavit, quia imagines Christi, Beatæ Mariæ, & aliorum Sanctorum destrui mandavit in Urbe Regia, sive igne cremari. Et attende hìc, quòd Imperium Constantinopolitanum jam disponebatur ad scissuram, quia in modico tempore multi fuerunt Imperatores, qui se invicem expulerunt de Imperio; & in personis læserunt, & fuerunt multi à tempore Constantini Papæ usque ad tempora Gregorii III. qui fuit III. à Constantino.

CAP. XXXV.

Refert Historia de ista scissura, quia infra modicum tempus fuerunt multi Imperatores, & se invicem læserunt.

PRimò quidem Justinianus II. Imperator occidit Leonem Secundum, & Tiberium III. & deinde tempore Constantini Papæ jam dicti Philippus Secundus occidit Justinianum, & filium, & ipse Imperator factus est, qui imperavit annum cum dimidio, & per Anastasium privatur Imperio, & oculis; quorum uterque malus fuit; & ipse Anastasius imperavit annis tribus. Hujus Anastasii exercitus Theodosium III.

A elegit Imperatorem, & Anastasio devicto, in Presbyterum ordinatur, qui fuit LXIX. Imperator. Hic Theodosius duobus imperavit annis, & ipse quamvis fuerit bonus, quia mox ut Imperium habuit, illam venerabilem imaginem de VI. Conciliis reparari mandavit, quam Philippus destrui jussit; Leo tamen III. potentissimus ipsum deposuit, & imperat; qui post Clericus factus, residuum vitæ deduxit in pace, & fuit LXX. Imperator à Julio. Unde omnes isti Imperatores infelicem habuerunt exitum, & cum istis duobus Pontificibus videlicet Constantino, & Gregorio II. concurrerunt, quia isti duo multùm sederunt, quia XXIV. annis.

B

CAP. XXXVI.

De victoriis, quas Carolus Martellus contra Saxones habuit, & Frisones, atque Saracenos in Arelate; & de inundatione aquarum Romæ.

(**) HUjus etiam tempore, ut in gestis Francorum apparet, & Martinus refert, Carolus Martellus jam dictus supra, Saxones debellat, iteratò Rheni fluvium transiens, Alamannos, Suevos, atque Bavaros perlustrat usque ad Danubium, omnia consumendo & occupando. Frisones subjicit, & alias circumstantes partes, & regiones. Saracenos etiam venientes in Provinciam de ultramarinis partibus cum innumerabili multitudine, apud Arelatem cum ipsis pugnando, omnino delevit. In qua pugna, divina miracula in favorem Fidei sunt ostensa, de quibus adhuc hodie locus sua ostendit vestigia. Hoc etiam tempore Historia Longobardorum tradit, quòd Romæ sic fluvius Tiberis crevit, quòd egressus suum alveum, magnam Romæ intulit læsionem.

C

CAP. XXXVII.

De fervore peregrinationis Anglicorum ad eundum Romam; de Cathordo Rege Frisonum, & sua irrita conversione ad Fidem; & de Luitprando Rege Longobardorum.

D

EO etiam tempore multi Anglorum gentis nobiles viri, & fœminæ, Duces, & Primates divini amoris instinctu Romam ire constituerunt Eo etiam tempore; ut scribit Vincentius Belluacensis, & Martinus, & Richardus, Rex Frisonum prædicatione Volfrandi Episcopi ad hoc deductus est, ut baptizari vellet; cùmque unum pedem in lavacrum intinxisset, alterum retrahens, interrogavit ubi jam plures suorum majorum essent, in Inferno, an in Paradiso; & audiens plures in Inferno, intinctum pedem retrahens: *Satius est*, inquit, *plures, quàm pauciores sequi*. Et ita ludificatus est à Dæmone promittente, quòd die tertia ab hinc incorruptibilia bona daret: quod non fecit. Sed tertia die subitanea & æterna morte periit. Eo etiam tempore apud Longobardos regnabat Luitprandus filius Ariperti vir magnæ probitatis, de quo jam dicetur. Et quòd bonus fuerit, patet ex Historia Longobardorum, quæ tradit, quòd donationem Alpium Cocciarum Romanæ Ecclesiæ confirmavit, sicut fecerat pater suus.

E

(*) *In Cod. Patav. additur*: quod nunc in Herbipolensi Diœcesi situm est.

(**) *Hæc adduntur in Cod. Patav.* Circa ista tempora Chlodoveus III. regnat in Francia. Regnavit autem annis IV. & fuit XIX. secundùm Vincentium. Hujus etiam tempore &c.

Explicit Liber Decimustertius Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER XIV.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Gregorio III. & XCIII. Pontifice, qualiter congregavit magnum Concilium Romæ contra Leonem Imperatorem ratione imaginum, quas conabatur destruere.

A ANno Domini DCCLIX. & ab Urbe condita MDXI. Gregorius III. natione Romanus ex patre Marcello in Summum assumitur Pontificem. Sedit autem annis IX. mensibus VIII. diebus XXIV. & cessat dies II. Hic, ut Martinus scribit, adjunxit in Secreta: *quorum solennitas hodie in conspectu gloriæ tuæ celebratur, Domine Deus noster, in toto Orbe terrarum*: quæ quidem verba in Secreta nostra non habentur. Hic Gregorius, ut Historiæ communiter tradunt, totam Italiam fecit recedere à dominio Leonis III. quia Imagines Christi, & Sanctorum deleri fecit; & non solùm Italiam, sed etiam Hispaniam; & vectigalia interdici. Propter quam caussam dictus Pontifex Synodum congregat ferè mille Episcoporum apud Romam celebrandam, in qua veneratio Sanctarum Imaginum confirmatur, atque violatores generali sententia anathematizat. Circa ista tempora Chlotarius III. Rex Francorum, & vicesimus secundùm Vincentium à primo, regnavit annis II.

CAP. II.

Qualiter Gregorius solennes nuntios misit ad Carolum Martellum pro adjutorio contra Longobardos; & de quodam Episcopo Zacharia, qui multa bona fecit Monasterio Montis Casini.

HIc, cùm Roma obsideretur à Longobardis, misit per Anastasium navigio ad Carolum patrem Pipini claves confessionis Sancti Petri, rogans, ut Romanam Ecclesiam à Longobardis liberaret: de qua legatione Ammonius in gestis Francorum mentionem facit Lib. V. & qualiter dictus Carolus Legatos Domini Papæ Gregorii honorificè suscepit, eidemque etiam munera pretiosa transmisit, suamque legationem fecit, & illam transmisit, videlicet Grimonem Abbatem Monasterii Corbonensis, & Gibertum reclusum Monasterii Sancti Dionysii cum suis sodalibus, fortè ad compositionem tractandam inter Romanos, & Longobardos; quia, ut Historiæ referunt, propter multos hostes, quos Carolus Martellus habebat, aliquam tractaverat pactionem cum Rege Longobardorum. Sed quòd in Italiam iverit, hoc ibidem non scribitur. Hoc eodem tempore scribitur in Historia Longobardorum, quòd tempore istius Gregorii Petronatius cùm jam in dicto Monasterio Pater & Abbas esset, quidam Pontifex Zacharias plura adjutoria contulit, libros videlicet Sacræ Scripturæ, & alia quæque, quæ ad utilitatem Monasterii pertinent. Insuper & Regulam, quam Beatus Pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit, paterna pietate concessit.

CAP. III.

De quodam Monasterio ædificato hoc tempore juxta Vulturnum à quibusdam nobilibus; & de quadam redemtione, quam Gregorius fecit circa quoddam Castrum captum à Longobardis.

MOnasterium verò Beati Vincentii Martyris, quod juxta Vulturni fluminis fontem est situm, & nunc magna congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus ædificatum est, ut sancti viri eruditissimi Authperti ejusdem Monasterii Abbatis in volumine, quod de hac re scripsit, significatur. Superstite autem adhuc Beato Gregorio, Romanæ Sedis Castrum quoddam à Longobardis, qui erant in Benevento, occupatum est; sed & à Duce Neapolitanensi quidam ex Longobardis capti sunt, & quidam peremti, Castrum quoque ipsum à Romanis recuperatum est. Pro cujus Castri redemtione Gregorius Papa LXX. libras auri, sicut promiserat, dedit, ut dicta Historia Longobardorum tradit. Per quod habes, quòd regiones antiquæ Campaniæ, hoc est Terra Laboris, fuit ab antiquo manualis Ecclesiæ ex donatione facta Ecclesiæ per Constantinum, sive concessione, sicut patet supra in Joanne VI. & in Sylvestro I. Hujus Gregorii Papæ tempore Chilpericus II. Rex Francorum, XXI à primo, secundùm Vincentium regnavit annis V.

CAP. IV.

De Luitprando Rege Longobardorum, quod fecit Ecclesiæ; & de adventu Saracenorum in Galliam, & qualiter Carolus Tudices ipsos devicit.

EO tempore Luitprandus Rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cocciarum Romanæ Ecclesiæ confirmavit, sicut supra fecit Aripertus Rex ejusdem gentis tempore Joannis Papæ: per quod apparet, pacem fuisse factam inter Romanos, & Longobardos per Legatos Caroli Martelli, de quibus supra immediatè facta est mentio. His temporibus apud Forum Julii, sublato de medio Sereno Patriarcha Aquilegiensi, Calixtus vir egregius, ut in eadem habetur Historia, in vita & doctrina, adjuvante Luitprando Principe, dictam Ecclesiam suscepit regendam. Hujus etiam Pontificis tempore gens Saracenorum innumera in loco, qui dicitur Sarepta (*), venit, & inde transfretantes de Africa, universam occupant Hispaniæ regionem. Demum post aliquod tempus, ut in eadem liquet Historia, cum uxoribus, & parvulis venientes, Aquitaniam Galliæ Provinciam quasi habituri, sunt ingressi. Carolus autem Tudices, qui etiam Martellus vocatur, cum Eudone Aquitaniæ Principe tunc dis-

(*) *In margine Cod. Patav.* ad Septa.

discors erat. Sed ex adventu dictorum Saracenorum in unum conjunguntur: per quod habetur, quòd non sunt iidem Saraceni, qui supra, quia illos introduxit Eudo contra Carolum, sed contra Saracenos Eudo & Carolus inveniuntur, & pari consilio contra istos dimicant. Irruentes igitur Franci, & Aquitani contra Saracenos, CCCLXXV. millia interemerunt; Francorum verò, & Aquitanorum mille & quingenti tantùm ceciderunt ibidem, sicut in dicta Longobardorum Historia dicitur.

CAP. V.

Solvit Auctor hìc quamdam dubitationem, quæ oritur circa istas victorias Saracenorum, utrum fuerit eadem cum primis; & qualiter divisit filiis terras acquisitas, & sic moritur.

ET attende hìc, quia non est illa strages, quam fecit apud Arelatem, quia illi venerunt de ultramarinis partibus; isti autem de Hispania: unde tribus vicibus de ipsis maximam victoriam habuit, ut supra patet. Historia autem Longobardorum videtur illam de Arelate postponere, & quòd venientes de ultra mare, applicuerunt circa partes Arelatenses, & ipsam Arelatem ceperunt, & totam in circuitu regionem demoliti sunt. Tunc Carolus, missis legatis cum muneribus ad Luprandum Regem Longobardorum, ab ipso contra Saracenos auxilium poscit: quod & factum fuit. Post hoc prædictus Princeps, ut scribit Ammonius in gestis Francorum, consilio suorum Optimatum filii suis Regna dividit. Duos autem filios habuit, videlicet Carolum Mannum, & Pipinum. Carolo Manno dedit Austrasiam, Sueviam, quæ nunc Alamannia dicitur, atque Lotharingiam: alteri verò secundo filio juniori, videlicet Pipino, dedit Burgundiam, Neustriam, & Provinciam. In quo ostenditur debilitas Regum; quia cùm esset Carolus Major domus, non resignavit Regi dominia, sed filiis, licèt sub titulo Majoris domus; nec potuerunt eidem resistere. Et quamvis hìc multa essent dicenda, catalogo relinquamus Imperatorum, & ad finem ipsum sub compendio deducamus, quia iis deductis, Carolus Martellus, ut scribit Ammonius in Lib. V., veniens Parisios, Basilicam Sancti Dionysii multùm decoravit divitiis, & ornavit deliciis, quantùm ad vestes sacras, vasa, & alia ornamenta. Veniens Charisiacum Villam super Isaram fluvium, febre correptus valida, diem clausit extremum. Circa ista tempora Theodoricus III. super Francos regnat, & est XXII., regnavitque (*) annis XI.

CAP. VI.

Quanto tempore Carolus rexit Regnum, & de multitudine Saracenorum, quæ de Ægypto, & Palæstina venit in Constantinopolim, & ipsam obsedit; & ultimò autem infelicissimum exitum habuerunt.

RExit autem Francorum Regnum, multis aliis acquisitis, annis XXV. Unde cum istis duobus Pontificibus Gregorio II., & Gregorio III. concurrit. Scribit autem Martinus de isto Papa, quòd Viennæ Archiepiscopatum constituit, & dicitur Vienna, quasi Bienna, eo quòd biennio sit constructa. Moritur autem, & in pace quiescit, & in Vaticano sepelitur in Ecclesia Beati Petri. Hujus etiam Gregorii tempore Saracenorum gens in Ægypto congregata, & Palæstina, cum exercitu maximo veniens in Constantinopolim, quod facile fuit navigio, circumdedit eam per triennium, & obsedit. Hanc obsidionem autem Historia Longobardorum, & Vincentius Belluacensis referunt, quòd cum tribus millibus navibus venerunt; sed Bulgares Constantinopoli auxilium præbent, & orantibus sanctis viris in Regia Civitate, primò Bulgares prævalent contra Saracenos, & XXXII. millia ex Saracenis perimunt. Constantinopolitani etiam orandi instantiâ, & prœliandi constantiâ fortiter resistunt. Saraceni autem fame, frigore, bello, & pestilentia sinè numero pereunt; unde quarto anno ab obsidione recedunt confusi; ipsisque navibus suis, partim igne maximo consumtis, partim verò demersis, partim verò grandinis tempestate gravatis, ex tanta navium copia vix quinque redierunt ad propria. Infra Civitatem verò XXX. millia hominum pestilentiâ perierunt. Et attende hìc de istis Saracenis, quomodo isto tempore fuerunt. Item modum considera multiplicandi fidem suam, quia vi armorum; nostra autem non vi armorum, sed instantia orationum, & claritate miraculorum.

CAP. VII.

De Zacharia I., & XCIV. Pontifice, cujus tempore multa sua auctoritate sunt facta in Francia; de processu filiorum Caroli in Regno, & qualiter unus in seculum relinquit.

ANno Domini (**) DCCLXVIII., & ab Urbe condita MDCC. Zacharias Primus natione Græcus ex patre Polycronio in Cathedra Petri sedit. Sedit autem annis X. mensibus II. & diebus XV. & cessavit diebus XII. Hic fecit pacem cum Longobardis, quamvis antea cum eisdem fecisset Gregorius prædecessor ejusdem. Hujus tempore multa sunt in Francia sui facta auctoritate. Primò enim filii Caroli Martelli, ut Ammonius scribit in gestis Francorum, acceptis partibus Regni, prout cuilibet competebat, exercitum parant contra Woldonem Aquitanorum Ducem, postea contra Odilonem Ducem Bavarorum, & de utrisque triumphant. Abinde Carolus Mannus suum propositum exponit fratri suo de seculo relinquendo; unde Regnum cedens suo germano Pipino, Romam proficiscitur cum necessariis, ut gesta Francorum narrant, ibique coram Zacharia se totondit, & à Summo Pontifice vestes sacras recepit; atque in Soractim Monte ædificat Monasterium in honorem Beati Sylvestri, ibique aliquanto tempore Deo vacat.

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* Annis X.
(**) *In Cod. Patav.* DCCLXXVIII. & ab Urbe condita MDXX.

CAP. VIII.

Qualiter Concilio dicti Pontificis se transtulit ad Montem Casinum, dimisso suo Monasterio, cujus ratio hìc in litera ponitur; & de quodam Rege Longobardorum, qui cum suis habitum Religionis assumsit.

DEinde cum consilio & hortatu Zachariæ se transfert ad Montem Casinum propter majorem firmitatem Religionis, & ibidem factus est Monachus approbatus, per quem dictum Monasterium est in divitiis non modicùm ampliatum; & ipse Zacharias gratiâ dicti Principis ipsum magìs dotavit privilegiis, & gratiis decoravit. Caussam autem aliam assignat Eginardus Doctor eloquentissimus, qui scripsit gesta Caroli Magni, de quo infra dicetur, quia multi Nobilium ex Francia ad vota solvenda Romam solemniter veniebant, & eum velut Dominum quondam suum, cùm præterire nollet orationem, qua maximè delectabatur, crebra salutatione interrumpebant. Unde in Montem Casinum secessit in Provincia Sannii, & ibi quod reliquum erat temporalis vitæ, religiosè conversando, complevit. Scribit etiam Martinus de isto Pontifice, quòd ad exhortationem ejus quidam Rex Longobardorum cum uxore, & filiis & filiabus, relicto hoc seculo, habitum Religionis assumsit. Hic autem Rex dictus est Erastus, alii ipsum Rachis appellant, qui fuit frater Astulphi, ut infra patet, quem in Catalogo Regum Longobardorum non invenio. Potuit tamen esse, quòd alio nomine vocaretur.

CAP. IX.

Qualiter tempore hujus Pontificis Luprandus Rex Longobardorum corpus Beati Augustini transferri fecit Papiam ex devotione; & de bellis, quæ gessit Pipinus in Thuringia.

CIrca hujus Pontificis tempora scribit Historia Longobardorum, quòd Luprandus Rex ejusdem gentis, depopulatâ Sardiniâ per Saracenos, loca illa, ubi erant ossa Beati Augustini translata de Africa, propter vastationem Barbarorum essent fœdata, cùm primò honorificè forent condita: misit, & dato magno pretio, accepit ea, & transtulit in Papiam, ibique cum debito honore recondi mandavit. Postquam autem Pipinus filius Caroli Martelli totum assumsit dominium, Carolo Manno Monacho, in illis partibus, ubi suum erat regimen, contra confines Saxones bella strenuissimè gessit. Et attende hìc, quòd omnes Historiæ sive Romanorum, sive etiam Gallicorum, in hoc concordant, quòd tota Regio super Rhenum fluvium à parte Occidentis erat vera Gallia, quæ Gallia Belgica dicebatur, cum aliis Provinciis remotis à flumine, ut est Brabantia, Hollandia, Flandria, Lotharingia, & Piccardia, ut Ammonius scribit. Sed ista pars super Rhenum antiquitus Helvetia dicebatur, ut scribit Orosius; quam Julius Cæsar missus à Senatu ad Galliam occupandam, primò devicit. Circa ista tempora XXXIII. Rex Francorum Hildericus regnat. Sed quis fuerit iste Rex, & qualiter Regnum perdidit, habes hìc infra statim, & qualiter Pipinus successit; nihilominus tamen tradunt Historiæ, quòd regnavit novem annis.

CAP. X.

Qualiter Pipinus ad Regnum aspirat, propter quod solennes nuntios mittit ad Zachariam, qui jussit Pipinum Regem fieri.

REdactis igitur cunctis regionibus sive Regni Francorum, sive aliarum terrarum acquisitarum per patrem in suam potestatem, jam attentat ad Regnum, ut jam non Major domus, sed Rex appelletur. Quod merita Regum illius temporis exigebant, quia homines viles erant. Unde refert Historia Francorum Ammonii Lib. V., quòd Pipinus Major domus existens in Regno Franciæ ex constituto per patrem, nuntios solennes mittit ad Zachariam Papam, videlicet Burcardum Wirceburgensem Episcopum, & Fuldradum Capellanum suum, qui Summo Pontifici requirunt de Regibus Franciæ, qui illis temporibus in Francia Regalem non habebant potestatem, utrum ipsi verè Reges dici possent, vel illi, in quorum manibus tota erat potestas. Quibus verbis Papa Zacharias respondit, quòd melius est illum Regem vocari, qui potestatem habet, quàm illum, qui sinè potestate manet. Quod pro tanto sic dixit Zacharias, quia viles homines erant illius temporis Reges. Unde postea subditur in Historia prædicta, quòd ut non turbaretur ordo, per auctoritatem Apostolicam jussit Pipinum Regem fieri.

CAP. XI.

Qualiter Pipinus auctoritate Ecclesiæ est unctus à quodam Archiepiscopo Bonifacio, & sic elevatus à Francis in Monasterio Beati Medardi apud Suessionem, ubi quæstio movetur, & solvitur.

PIpinus igitur secundùm morem Francorum, ut scribit Ammonius ubi supra, electus est in Regem, & unctus per manus Sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi, & elevatus à Francis in Regno in Monasterio Sancti Medardi, quod situm est in Suessione Civitate. Hildericus verò, qui solo nomine Rex vocabatur, tonsuratus est, & in Monasterium missus; sed quod Monasterium Ammonius non dicit; sed aliæ tradunt Historiæ, quòd ad Montem Casinum se transtulit. Et attendendum etiam hìc, quòd Decretum aliter ponit in 15. quæst.6 cap. *Alius*, ubi sic dicitur, quòd Romanus Pontifex Zacharias Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd tantæ potestati erat inutilis, à Regno deposuit, & Pipinum Caroli Magni patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas à juramento fidelitatis absolvit. Sed Glossa exponit ibidem: *hoc est deponentibus consensit*. Qualitercumque autem dicamus, sive ut Historia Francorum refert, sive ut dicit Decretum, sive ut Glossa ibidem exponit, semper supponitur auctoritas Papæ, eo quòd omnis potestas (*) in causa ex ipso dependet, ut scribit Gelasius Papa Anastasio Imperatori, & patet dist. 96. cap. *Duo*.

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* in casu tali.

A

CAP. XII.

Qualiter Monasterium Montis Casini totaliter reformatur, & Monachi mittuntur, & cum eis Carolus Mannus Monachus vadit in Franciam pro recuperatione corporis Beati Benedicti.

HUjus etiam Pontificis tempore tradunt Historiæ, & Martinus refert, & Vincentius Belluacensis, quòd decorato Monasterio Montis Casini de tam probis viris jam nobilibus nominatis, & nobilitato in temporalibus bonis, Monachi dicti Monasterii cum Carolo Manno Romam veniunt ad Papam Zachariam, rogantes eum, ut literas Regi Francorum Pipino dirigeret, quatenus corpus Beati Benedicti, quod Floriacenses Monachi furati sunt, & furtivè possident, loco Casinensi restituant. Annuit Summus Pontifex Zacharias ipsorum petitionibus; & cum eisdem literis in Franciam vadunt ad præfatum Regem, quos benignè recipiens, mandat fieri, quod petunt, tum ex literis Summi Pontificis, tum ex præsentia sui fratris, quem tenero animo amplexabatur affectionis fraternæ; tradens eis in comitiva Remigium Archiepiscopum Rothomagensem cum aliis tribus Episcopis ad (*) celebriorem expeditionem facti. Cùmque ad locum venissent, Monachis Floriacensibus jejunantibus, & flentibus, nuntii, qui corpus auferre debuerant, percussi sunt cœcitate, & ab opere incœpto desistunt.

B

CAP. XIII.

De morte Zachariæ, & discordia inter Ducem Forojulii, & Patriarcham Calixtum, quem Luprandus Rex Longobardorum durè punivit.

ZAcharias igitur Papa plenus virtutibus moritur, & apud Ecclesiam Beati Petri honorificè tumulatur. Iis etiam temporibus, ut Historia Longobardorum tradit, inter Ducem Forojulii dictum Pennonem, & Calixtum Patriarcham exorta est magna discordia, & ad tantum prædictus Dux est provocatus, quòd ipsum Patriarcham Aquilegiensem consilio aliquorum nobilium Longobardorum apprehensum ad Castellum deduci fecit, & de ponte super mare situm præcipitare voluit. Sed Deo inhibente, ex aliqua stupefactione mentis non fecit; ipsum tamen in carcerem reclusit, & pane sustentavit tribulationis. Quod audiens Luprandus Rex Longobardorum, in magnam iram exarsit, Ducatumque Pennoni auferens Rachis ejus filium in ipsius ordinavit loco. Ubi attende, quòd Regnum Longobardorum Ducatus habebat interdum in Provinciis, ut in Forojulii, interdum & in Civitate cum suo territorio, ut in Brixia, & in aliis Civitatibus, ut prædicta refert Historia.

C

CAP. XIV.

De Stephano II. & XCV. Pontifice, qualiter ivit in Franciam pro adjutorio Pipini, eum Regem postulando contra Longobardos; & de honore sibi exhibito per Pipinum, & alios.

ANno Domini DCCLXXVIII. & ab Urbe condita MDXXX. Stephanus II. natione Romanus ex patre Constantino in Summum assumitur Pontificem; seditque annis V. diebus XXVIII., & cessat mense I. diebus X. Hic, ut Ammonius scribit de gestis Francorum Lib. V., gravatus à Rege Longobardorum Astulfo (aliqui vocant eum Agistulfum) qui fratri successit in Regnum, ut infra dicetur, ivit in Franciam ad Pipinum Regem pro adjutorio, & pro justitia recuperanda Beati Petri, quia ipsum spoliaverat dictus Astulfus. Cui occurrit Pipinus, ut Historiæ referunt, ad trium milliarium spatium de equo descendens, & per frenum stratoris officium exercens, usque ad suum deduxit palatium. Invenit autem ibidem Carolum Mannum Monachum, & germanum dicti Regis, qui venerat cum aliis Monachis pro recuperando corpore Beati Benedicti, qui fraudati sunt ex causa superiùs assignata. Hic Stephanus, ut supradicta narrat Historia, confirmavit Pipinum, & renunciationem factam, & rursum inunxit duos filios ejus in Reges, idest Carolum, & Carolum Magnum.

D

CAP. XV.

Qualiter Pipinus ivit in Italiam contra Astulfum Regem Longobardorum, ipsumque devicit in bello; & sic sub juramento obligat eum ad satisfaciendum Ecclesiæ.

TUnc Pipinus Rex volens Ecclesiæ Dei servire, Stephani Papæ satisfacit petitioni; unde exercitum parat, & cum ipso contra Astulfum in Italiam vadit pro justitia Beati Petri recuperanda. Quod cùm pervenisset ad Regem Astulfum, parat se toto conatu ad obviandum Regi Pipino, nec jura volebat restituere Beati Petri. Hic autem Astulfus frater fuit Rachis, de quo dictum est supra, qui seculum reliquit, qui & Regi Pipino obviam venit, & ad bellum requirit. Eo tempore scribit Vincentius, quòd nocte quadam in Cœlo quoddam magnum signum apparuit, globus videlicet igneus à Galliæ finibus declinans in Lombardiam. Pugnant igitur ad invicem; sed Domino auxiliante, & Beato Petro Apostolo, Pipinus Rex cum Francis victor efficitur. Tunc Rex Pipinus ad restituenda bona Ecclesiæ supradictæ, compellit Astulfum. Ille verò sub sacramento promittit, datis XL. obsidibus, & melioribus sui Regni. Tunc Rex Pipinus ad Francos rediit; & eodem anno, ut prædicta Francorum Historia narrat, Stephanus Papa ad Sedem Apostolicam rediit cum nuntiis Regis Pipini. Isto tempore Carolus Mannus Monachus vênit apud Viennam, quievitque ibidem per aliquod tempus cum Regina Bertrada, infirmus enim fuerat, & adhuc languebat per dies multos; abinde migravit ad Dominum.

E

CAP.

(*) *In Cod. Pat.* celeriorem expeditionem faciendam.

CAP. XVI.

Qualiter Pipinus iteratò rediit in Italiam contra Astulfum, quia fidem non servavit; & de donatione, quam fecit Pipinus Ecclesiæ; & qualiter Stephanus Imperium transtulit, & quare.

INterim autem Astulfus de iis, quæ promisit, nihil observabat, ut tradit dicta Historia: propter quam caussam Pipinus iterum in Italiam vadit contra Regem Longobardorum Astulfum, ipsumque in Papia obsidet, cogitque exsequi quod promisit. Vadit in Ravennam Pipinus, & ipsam capit, totamque Pentapolim Romandiolæ cum Exarchatu, in quo Bononia continetur, ut infra apparebit; & hæc omnia Beato obtulit Petro. Simile Carolus Magnus fecit filius ejus, ut jam patebit. De hoc Pontifice scribitur, quòd ultimo anno sui Pontificatus Romanum Imperium à Græcis transtulit in Germanos in persona Magnifici Principis Caroli adhuc in juvenili ætate constituti. Ratio autem in Glossa assignatur super Caput *Venerabilem*: Extra *de Electione*; & Historiæ referunt: quia Imperatore Leone III. in sua impietate mortuo circa Imagines exstirpandas, ut supra est liquidum, successit ei filius ejus Constantinus V. qui fuit magìs impius patre, non solùm in dicto errore, sed etiam in omnibus vitiis & peccatis, ut & in maleficiis, artibus magicis, & luxuriis, in quibus longo tempore vixit. Et quia in nullo juvabat Ecclesiam, sed potiùs lædebat sicut pessimus hæreticus, & in omni genere vitiorum plenus. Inde motus fuit Stephanus Papa ad faciendum, quod fecit, & ad definiendum, quòd dicta translatio fieret. Hic Constantinus V. fuit LXXI. (a) Imperator à Julio. Sed post ipsum ante Carolum Magnum fuerunt quatuor Imperatores, videlicet Leo IV. & Constantinus V. Niceforus, & Michaël; & à Stephano II. sub quo fuit definita translatio, de qua hìc agitur, usque ad Leonem Papam prædictum fuerunt multi Papæ, sub quo Leone Imperator factus est: unde fuit spatium LX. (b) annorum, ut patet aspicienti; & sic fuerunt LXXV. (c) Imperatores usque ad Carolum, in quo terminatum est Imperium Græcorum, ex ordinatione Ecclesiæ, ut in illa decretali *Venerab.* continetur.

CAP. XVII.

Qualiter est intelligenda illa translatio, hìc declaratur. De Luprando Rege Longobardorum, qualia bona fecit in Ecclesia, hìc incidenter traditur.

NOn tamen intelligas, quòd dicta translatio tunc fuerit facta, sed solùm fuit ordinata post mortem Pipini patris sui; & ipse Pipinus Stephano supervixit, quia non sedit, nisi quinque annis; unde in ista glossa Bernardi multi decipiuntur, quia non fuit Imperator usque ad tempora Leonis Papæ III. ut infra patebit. Primò enim fuit ordinata per Stephanum Secundum; secundò factus est Patritius per Adrianum, & tertiò recepit coronam Imperii per Leonem III. trigesimo tertio anno Regni sui. Sed quarto anno subegit Italiam, & Desiderium Regem Longobardorum cepit, ut Richardus refert, & gesta Francorum dicunt, & infra liquidum erit. Stephanus igitur Papa sub tanto protectore Pipino moritur, & in Ecclesia Beati Petri sepelitur honorificè; quia homo fuit, qui magna attentavit, ut ex dictis apparet, & ex arduis honorem meruit. Hujus autem Pontificis temporibus regnabat inter Longobardos Luprandus. quem intelligas ante Astulfum: aliàs servari non posset Historia, ut patet ex dictis; de quo supra scribit Paulus in Longobardorum gestis, & de quo actum est supra, quòd fuerit virtuosus Rex, qui multas in Christi honore per singula loca, ubi degere solebat, Basilicas construxit. Hic Monasterium Beati Petri, quod foris muros Papiensis Civitatis situm est, & Cœlum Aureum appellatur, instituit. In summa quoque Bardonis Alpe Monasterium, quoddam heremiticum ædificavit. In Olonna miro opere in honorem Sancti Anastasii Martyris Christi Domicilium statuit, in quo & Monasterium fecit. Pari etiam modo multa per loca singula Divina Templa instituit. Intra suum quoque palatium oraculum Domini Salvatoris fabricavit, ubi, quod nulli alii Reges habebant; Sacerdotes, & Clericos instituit qui ei quotidie Divina officia decantarent, sicque in Divino cultu sua tempora deduxit extrema.

CAP. XVIII.

De quodam sancto viro, qui fuit tempore Luprandi, & de tribulatione, quam passus est dictus Rex, quam patienter sustinuit.

FUit etiam temporibus istis, ut eadem Historia refert, in loco, cui nomen Forum est in Liguriæ partibus, vir miræ sanctitatis Baodolinus nomine, qui multis miraculis, Christi gratia suffragante, refulsit, qui sæpè futura prædixit, absentia quoque quasi præsentia nuntiavit. Denique cùm Rex Luprandus in sylvam ivisset venatum, unus ex ejus comitibus Cervum sagitta percutere voluit, sed ejusdem Regis nepotem, hoc est sororis ejus filium nomine Anfusum, nolens sauciavit. Quod Rex cernens, quia valde ipsum puerum diligebat, cum lacrymis ejus incommodum lamentari cœpit, statimque unum de suis equitem misit, qui ad virum Dei Baodolinum concurreret, eumque peteret, ut pro vita ejusdem pueri Deum rogaret. Qui cùm ad servum Dei pergeret, defunctus est. Cui Christi famulus ad se venienti sic dixit: *Scio, quam ob caussam veneris; sed id, quod postulas, fieri non potest, quia puer ille defunctus est, quia sic est Dei voluntas.* Quod cùm is, qui missus fuerat à Rege, Regi, quod à servo Dei audierat, renuntiasset, Rex licèt doluerit, quia effectum suæ supplicationis habere non potuit, in pace sustinuit, sed verè cognovit virum Dei plenum spiritu prophetiæ.

CAP.

(a) *In Cod. Patav.* LXXX. Imperator.
(b) *In Cod. Patav.* quasi XL. Annor.
(c) *Et ibidem* LXXXV. Imperatores.

CAP. XIX.

De quibusdam miraculis, quæ acciderunt, & de terræ motu hoc tempore; & de Constantino V. qualiter misit organa Regi Pipino.

HOc etiam tempore refert idem Vincentius in sua Chronica, quòd terræmotus terribilis factus est, quo Urbes aliquæ subversæ sunt, aliæ à Montanis ad subjecta campestria cum muris, & habitationibus suis integræ & salvæ plusquam ultra VI. milliaria transmigraverunt. In Mesopotamia etiam terra dirupta est usque ad duo milliaria; alia quoque terra nimis alba, & arenosa de profundo ascendit, & ex ea animal mulsivum, quasi voce prænuntians incursionem gentis ab eremo, circa Arabes, & Hismaëlitas. Eodem tempore Constantinus Imperator, ut Ammonius scribit in gestis Francorum, cum multis aliis donis organa suavissima Pipino transmittit. Rex autem Pipinus suum placitum tenuit in Compendio, quod nos modò vocamus Parlamentum, ubi & dicta organa tamquam verus Deicola lætanter suscepit. Aliæ Historiæ dicunt, quòd non recepit, suam detestans impietatem. In eo autem Parlamento à Duce Bavarorum juramentum fidelitatis recepit, cui nomen Taxillo. Ubi attende, quantum se extendebat dominium Francorum, quia à Turonis usque per Rhenum à parte Occidentis, quæ quondam Gallia Belgica vocabatur, & ultra Rhenum versùs Orientem, ubi est Suevia, & Bavaria, quæ Provinciæ sunt modò duo Ducatus in Theutonia.

CAP. XX.

De Paulo I. & XCVI. Pontifice, & operibus ipsius multùm virtuosis; de quodam Sancto Gensulpho de Burgundia.

ANno Domini DCCLXXXIII. & ab Urbe condita MDXXXV. Paulus I. natione Romanus ex patre Constantino de regione Viælatæ, in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis IX. mense I. Et cessavit mense I. & anno I. Hic constituit, ut communiter Historiæ ponunt, Divina Officia non celebrari ante horam Nonam in Quadragesima. Item transtulit Corpus Sanctæ Petronillæ Virginis filiæ Beati Petri, cum titulo, quem Beatus Petrus eidem dederat, *aureæ Petronillæ dulcissimæ filiæ*, & in sarcofago pretioso reposuit. Hunc Martinus multùm de perfectione sanctitatis commendat, quia hic cum paucis familiaribus noctis silentio per cellas infirmorum, & pauperum, & incarceratorum circuibat, eis necessaria ministrando; viduis, & pupillis, & aliis egenis opem ferebat. Hic cùm propter æstivum calorem apud Sanctum Paulum moraretur, ibidem in pace quiescens, sepelitur; sed post à Romanis decenti honore apud Sanctum Petrum transfertur. Hujus autem tempore fuit quidam sanctus in Burgundia, ut Historiæ referunt, dictus Gensulfus, qui in Francia fontem eruit, & in Burgundiam à Deo exire impetravit. Hic cùm uxorem propter adulterium dimisisset, ab adultero Clerico occiditur. Sed cùm uxor miraculis coruscanti detraheret, & diceret: *Si Gensulfus miracula facit, anus meus cantet*: ita sequutum est in suam punitionem. quòd semper cùm loquebatur, anus suus cantabat.

A

CAP. XXI.

De quodam Sancto, qui isto tempore apud Veronam claruit; de Turcis, qui isto tempore invaserunt Græciam & Armeniam; & de quibusdam mirabilibus, quæ hoc tempore acciderunt.

HUjus tempore apud Veronam Civitatem quidam vir Theodelapius nomine fuit, qui ut Historia Longobardorum narrat, inter miranda de ipso quædam spiritu præsago futura prædicebat: in quo facto quadam speciali gra-
B tia noscitur claruisse. Isto etiam tempore, ut scribit Vincentius in sua Chronica, Turchi, qui de montibus Caspiis exiisse dicuntur, ut supra patet, Armeniam majorem infestant. In quorum patria, cùm olim pestilentia fuisset, suasu Christianorum in modum Crucis se totonderunt; & quia per hoc signum salus patriæ reddita est, hunc assumserunt tondendi ritum. Eodem anno stellæ de Cœlo visæ sunt cadere, ut omnes finem Mundi imminere arbitrarentur. In Syria Civitate Beritho Judæi Imaginem Salvatoris invenientes, omnia obbrobria, quæ olim Christo Domino nostro Judæi, intulerunt huic Imagini. Tamdem latere ejus aperto exivit de ipso sanguis & aqua; & illi supposita ampulla susci-
C pientes, omnes infirmos in Synagoga sua collectos hoc sanguine aspergebant, & sanabantur. Unde Judæi compuncti ad Christum convertuntur. Quibus bap izatis, Episcopus obtestatus est omnes, ut singulis annis V. Idus Novembris Passio Domini, & Imaginis celebraretur.

CAP. XXII.

De bellis, quæ Pipinus gessit victoriosè contra Thassilonem Ducem Bavariæ, & contra Vaifarium Ducem Aquitaniæ, & quomodo quasi totum Ducatum cepit.

D SEd redeundum ad Pipinum Regem, qui circa tempora istius Pontificis magna fecit: Primò quidem contra Saxones, & alios Alamannos, transeundo Rhenum; secundò versùs Occidentem, contra Vaifarium Ducem Aquitanorum, & pro justitia Ecclesiarum servanda, quia nimis spoliabantur à prædicto Duce, sicut Romana Ecclesia à Longobardis. Veniens igitur contra prædictum Ducem caussâ jam dictâ, ad mandata se parat pro justitia conservanda Ecclesiarum: pro qua complenda dictus Dux dat obsides quosdam Nobiles sui Ducatus. Insuper per sacramentum se obligat ad observandum prædicta, hoc est restituere jura Ecclesia-
E rum. Et sic Pipinus rediit versùs Parisios, & ibidem Pascha celebravit. Sed postposito sacramento, & neglectis obsidibus, dictus Dux de omnibus, quæ promisit, nihil observat: ob quam caussam Pipinus iteratò congregat Francorum exercitum contra dictum Ducem in favorem justitiæ Ecclesiæ, & Ecclesiarum Aquitaniæ, quas prædictus Dux in servitutem redegerat. Intrat igitur dictus Pipinus regiones Aquitaniæ cum filio suo majori dicto Carolo, qui postea Carolus Magnus est appellatus, ipsosque devastat, Civitates, & Castella capit, ut Ammonius tradit in gestis Francorum, videlicet in Arverna, in Lemovicis, quæ omnia ad Ducatum Aquitaniæ pertinent, quia, ut Historiæ

Scriptores sentiunt, & præcipuè Isidorus Lib. XIV. omnes Provinciæ, quæ cinguntur à fluvio Ligeri, & Garonna, de Gallia Aquitanica dicebantur: quod dominium tunc non includebatur in Francorum Regno. Item tertium iter faciens, capit Bituricam Civitatem, & Castra multa. Inde postea quartum iter faciens cum suo exercitu, capit Caturcum. Et sic de toto quasi Ducatu fecit unum; & inde iis occupatis, justitia Ecclesiæ est restituta. Duos autem habuit adversarios, quos fortiter insequutus est, videlicet Vaifarium, & Tassilonem. Utrumque verò Pipinus humiliavit isto titulo, ut ex dictis patet.

CAP. XXIII.

De Synodo, quam Pipinus celebravit in Francia in favorem Dei ex discordia, quæ erat inter Græcos, & Latinos circa Imagines: unde Pipinus sententiam Summorum Pontificum sui temporis confirmavit.

EOdem tempore, hoc est anno sequenti refert eadem Historia, quòd Pipinus celebravit Synodum magnam inter Romanos & Græcos de Sancta Trinitate, & de Imaginibus. À tempore enim Leonis. & Constantini maxima fuit controversia circa Imagines, ut supra patet, ubi agitur de Gregorio III. Sed prævaluit definitio Summorum Pontificum in venerationem Imaginum, in quibus ipsum imaginatum recolimus. Unde hæretici volentes ponere schisma inter Græcos & Latinos, tali motivo suadebant Imperatoribus non esse Imagines adorandas, quia videbatur spiritus Idolatriæ. Sed non est verum, quia Imago fert intellectum humanum in illum, cujus est Imago. Nec est eadem ratio de Imaginibus, & sculptilibus Idolorum; quia ibi conjungebatur Spiritus malignus, qui in eadem dabat responsum, cui nulla debetur reverentia; sed non sic de Sanctis Imaginibus; & ideo non Idolatria, sed Latria dici debet. Et quia Pipinus inter Principes Latinos solennior habebatur, sententias Pontificum cum suis Conciliis in suo Regno, sicut verus zelator fidei, voluit roborari.

CAP. XXIV.

Qualiter iteratò post dictam Synodum convertit se ad occupandum Aquitaniam, quam suo junxit dominio, & inde rediens in Franciam, moritur.

POst hanc autem Synodum iteratò convertit se ad Aquitaniam, magnaque facit, capiens munitissimas Civitates, Narbonam videlicet, & Tholosam, & Albiensem regionem cum ipsarum Castris, ut scribunt Ammonius, & Richardus. Inde usque Garonnam perveniens Xantonas capiunt ipse, & filius ejus major, dictus postea Carolus Magnus, in qua capit matrem Vaifarii, & sorores, & nepotes. Inde venit Petragoricas, ipsamque capit. ibidemque cum Vaifario pugnat, & commisso bello, Vaifarius interficitur. Et sic totam Aquitaniam occupavit, quam suo Regno conjunxit, ut infra videbitur. Pipinus igitur in Franciam rediens, morbo præoccupatus, obiit. Regnavit autem, ut Richardus dicit, annis XV. & eo ampliùs administravit; & sepultus est in Basilica Sancti Dionysii; regnaveruntque filii ejus pro eo Carolus, & Carolus Magnus. Hoc eodem tempore Leo IV. supradicti Constantini filius imperat annis V. Hic malus fuit, sed non sicut pater; Monachis favit, & ipsos ad dignitatem promovit. Sed quia parùm regnavit, non plus invenitur de ipso. Huic successit Hyrene Leonis Uxor cum filio suo Constantino VI., de quibus est agendum, quum de sequenti agetur Pontifice.

CAP. XXV.

De Constantino II. & XCVII. Pontifice, qualiter malè intravit, & inde abjectus; Stephanus III. eligitur, & XCVIII. Pontifex, qui Synodo congregata, omnia acta Constantini II. retractat.

ANno Domini DCCXCIII. & ab Urbe condita MDXLV. Constantinus II. ex Laico natione Romanus in Cathedra Petri locatur. Sedit autem Annis III. (*) mense I. diebus XXVIII. Et cessavit mensibus VI. diebus XII. De hoc autem Constantino nullæ Chronicæ faciunt mentionem præter Martinum, & Cusentinum. Et isti dicunt, ipsum tyrannicè subintrasse, & parum sedisse, quia statim ut cognitum fuit, abjicitur, & oculis privatur, ac in carcerem est retrusus. Punivit autem Deus Sergium Episcopum, qui ipsum consecravit, quia aruit manus ejus; & sic isto rejecto, Stephanus III. à Clero eligitur natione Siculus ex patre Olybrio. Sedit autem Annis III. mensibus V. diebus XXVIII., & cessavit diebus VIII. Huic numerus non augetur, quia dicit Cusentinus, quòd ille Pseudo-Papa Constantinus tantùm sedit, quantum in præcedenti Capitulo scribitur vacasse Ecclesia; quia per annum unum, & mensem unum. Hic, ut Martinus scribit, ex Gallia & Italia Romæ convocavit Synodum, in qua omnia à Constantino ordinata revocantur, præter Baptisma, & Confirmationem; & omnes per ipsum ordinati degradantur. Constituit etiam ibidem, ut nullus ad Pontificatum assumeretur, nisi per distinctos gradus. Moritur, & in Vaticano sepelitur in Basilica Sancti Petri.

CAP. XXVI.

De Carolo Magno, & actibus ejus, & qui fuerunt Auctores suorum gestorum; de morte fratris, & qualiter successit; ubi movetur quæstio.

HUjus igitur tempore, mortuo Pipino, Carolus primogenitus ejus, qui & Carolus Magnus à virtutum magnitudine est postea appellatus, jam incipit suam virtutem ostendere. Cujus gesta & actus scribit Ammonius in gestis Francorum Lib. V. Hanc etiam Historiam omnes Historiarum Scriptores describunt secundùm majus & minus. Sed præcipuus Scriptor de omnibus actionibus ejus fuit Eginardus vir eximius, Philosophus expertissimus in omni scientia, & sapientia, & educatus in palatio Principis memorati. Hic autem narrat de ipso, quòd habuit alium fratrem, qui dictus est Carolus Mannus, qui eamdem partem Regni habuit, quam & primus Carolus Mannus, qui postea

(*) *In Codice Patavino* Annis II.

stea Monachus fuit, & eandem partem primogenitus Pipini, qui & Magnus dicitur, quam & Pater suus occupavit, ut supra patet. Sed post duos annos à possessione Regni, ut tradunt iidem Auctores, Carolus Mannus diem clausit extremum. Sed cùm sinè prole mortuus sit, de consilio, & assensu omnium Baronum, & Populi Carolus Magnus aliam partem Regni occupat, quæ ad suum pertinebat germanum. Et attende hic, quia Eginardus, qui gesta Caroli scripsit, tradit etiam, quòd mortuo patre eorum Pipino, Franci, facto conventu solenni, ambos sibi Reges fecerunt; & tamen supra est scriptum in præcedenti Capitulo, quòd Stephanus II. unxit filios Pipini in Reges, etiam vivente patre. Sed utrumque esse potuit. Primum tradit Ammonius in gestis Francorum; secundum verò refert Eginardus nunc memoratus.

CAP. XXVII.

Solvitur quæstio mota de iis, quæ in litera supra sunt tacta de Constantino VI., quanto tempore cum matre sua Hyrene regnavit; quomodo ambo fuerunt fidi, & per eos Imagines sublevatæ sunt; & quòd tempore istius Pontificis Stephani congregata est Synodus CCCL. Episcoporum in Nicæa.

Utraque igitur auctoritas fuit necessaria pro tanta novitate facta in Regno, quia translatio facta est à stipite Faramundi, qui fuit primus Rex Francorum, qui primò regnare cœperat tempore Theodosii junioris, ut aliquæ Historiæ tradunt, & rationabiliter, quia post Arturum, qui totam subjugavit Britanniam, Galliam, & Saxoniam, fuerunt Reges in Gallia, eo quòd tunc Romani per Arturum de Gallia fuerunt expulsi. Alii dicunt, quòd tempore Valentiniani senioris. Sed de hoc diffusiùs dicetur, quum de Catalogo Imperatorum agetur. Et hoc dixisse sufficiat, quòd in Pipino illa generatio, quantùm ad stipitem, est terminata Regum. Hoc etiam tempore Constantinus VI. cum Hyrene matre sua imperat annis X. Hi quamvis litigaverint, & se invicem læserint multùm, ambo tamen in hoc convenerunt ad faciendum profectum Fidei, & Divinum promovendum cultum. Nam tempore ipsorum Imperii, ut scribit Richardus, facta est Synodus in Nicæa CCCL. Episcoporum; in qua Fides orthodoxa confirmatur. Specificant autem aliquæ Historiæ, quia ibidem præter Imagines, quæ ibidem sublevatæ sunt, ut scribit Vincentius, affirmatum est, Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere. Per idem tempus in longis muris Thraciæ, ut idem Auctor refert, homo quidam fodiens, invenit arcam lapideam, quam cùm aperuisset, virum jacentem reperit in manu laminam auream tenentem, in qua scriptum erat: *Christus nascetur ex Maria Virgine, & credo in eum. Sub Constantino, & Hyrene Imperatoribus, o sol iterum me videbis.*

CAP. XXVIII.

De quodam mirabili prodigio, quod isto tempore apparuit circa obscurationem Solis; de quodam Episcopo Ticinensi, cui nomen Petrus, qui isto tempore claruit in vita & doctrina.

Refert autem quoddam incredibile Martinus Polonus (unde habuerit, nescio) quòd iis temporibus Sol obscuratus est XVII. diebus, ita quòd videri non poterat: quod Populus hoc accidisse dicebat propter excœcationem pii Imperatoris, quem excœcaverat Hyrene mater ejus stimulo invidiæ mota, quia filius suus ipsam imperare non permittebat. Isto etiam tempore, ut Historia Longobardorum tradit, floruit Petrus Episcopus Ticinensis, qui de progenie Regali existens, multis virtutibus claruit tam in vita, quàm in doctrina. Hic aliquando propter veritatem exilio relegatur. Sed cùm esset Ticini, & quamdam Ecclesiam Sancti Savini Martyris visitaret, ad quem speciali devotione suum dirigebat affectum, cùm quadam vice ibi pernoctaret, apparuit ei in visione, & consolans eum, eidem denuntiat futurum Episcopum Ticinensem. Postquam verò Episcopus factus est, Ecclesiam in honore dicti Martyris in proprio ædificat solo Urbis ejusdem.

CAP. XXIX.

De Adriano Primo, & XCVIII. Pontifice, qualiter misit legatum ad Carolum Magnum pro auxilio contra Desiderium Regem Longobardorum, & obtinuit cum honore, legato remisso.

Anno Domini DCCXCV. & ab Urbe condita MDXLVII. Adrianus Primus, natione Romanus ex Theodoro patre de regione Via lata, in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis XXIII. mensibus X. diebus XVIII. Et cessat diebus III. Hic fuit tempore Caroli Magni, quem advocavit in auxilium suum contra Longobardos, qui vexabant Ecclesiam. Mortuo autem Astulfo, contra quem vênit Pipinus ad petitionem Stephani Papæ, succedit Desiderius filius ipsius, & sicut in Regno, ita & in maleficio. Vexatio autem ista erat, quia Desiderius sequens vestigia patris sui, occupaverat Villas, Castra, & Civitates Ecclesiæ, nec non & Romam vectigali gravabat tributo, sicuti & pater suus Astulfus, à quo gravamine promiserat Ecclesiam relevare; sed iste Desiderius renovavit. Misit ergo Adrianus Primus Legatum suum in Franciam ad Regem Carolum Magnum post secundum annum sui Regni, ut patet per Ammonium in gestis Francorum Lib. V. & Eginardus gloriosissimus Historiarum Scriptor hoc idem refert in principio gestorum dicti Principis. Dictus autem Legatus vocabatur Petrus Presbyter Romanæ Ecclesiæ cum sua comitiva, quem gloriosus Princeps gratiosè recepit, & Synodum congregavit, ut ibi dicitur, hoc est Parlamentum, ad quam Prælati, & Principes convenerunt, & omnes consentiunt Summi Pontificis petitioni annuendum.

CAP. XXX.

Qualiter Carolus Magnus cum exercitu navali & campali vadit in Italiam, & Desiderium Regem Longobardorum obsidet in Papia, & de effectu obsidionis.

Parat igitur se ad eundum, & dictum Legatum gratiosè remittit; & per mare, & per juga montium exercitum suum deducit, licèt cum difficultate non modica. Veniens igitur in Liguriam, & Æmiliam, quæ nunc Lombardia plana vocatur, in circuitu Civitatis Papiæ sua tabernacula figit, & castra, in quibus Na-

Natale Domini celebravit, ut scribit Ammonius; Pascha verò, relicto exercitu, in Urbe Roma cum Summo Pontifice Adriano. Inde festo consummato, redit ad sua castra, nec se movet, quousque Desiderius, & uxor, atque filii sui subjiciuntur suæ ditioni; ibique venientes omnes Longobardi de cunctis Civitatibus Italiæ, ejusdem dominio se submittunt. Filius tamen Desiderii primogenitus nomine Adalgisus de manu exercitus Francorum evasit, omnibus aliis in Franciam deductis, ubi vitam finiunt. Adalgisus verò in Constantinopolim se transfert, ibique moritur. Sicque cunctis expeditis, Regnum Italiæ Pipino filio suo tradit. Hoc autem accidit anno VII. sui Regni, ut scribit Richardus. Inde Carolus Romam veniens, omnia jura Ecclesiæ Beato Petro restituit, simulque Ducatum Spoletanum, & Beneventanum, ut Historiæ tradunt.

CAP. XXXI.

De privilegiis, & dignitatibus concessis Carolo Magno per Adrianum, congregata Synodo propter beneficia collata Ecclesiæ ab ipso.

TUnc Summus Pontifex Adrianus considerans beneficia tanti Principis Ecclesiæ Romanæ collata, Concilium congregat in Urbe CLIV. Episcoporum, & Abbatum, ut habetur dist. 63. cap. *Adrianus*. Ac glorioso Principi Adrianus cum universa Synodo hanc tradit dignitatem, videlicet jus, & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem. Dignitatem quoque Patritiatus eidem concesserunt. Insuper Episcopos, & Archiepiscopos per singulas Provincias ab eo Investituram accipere definiunt; & ut nisi à Rege laudetur, & investiatur Episcopus, à nemine consecretur. Et quicumque contra hoc decretum iret, anathematis vinculo ipsum innodavit; & nisi resipisceret, bona ipsius publicari mandavit: quæ omnia in dicto decreto, & cap. continentur. Hac autem dignitate non invenitur usus fuisse, sed nec cessisse. Verum est, quòd pauci Pontifices fuerunt toto tempore sui regiminis à collatione facta: quod fuit spatium XL. annorum, quia solus Leo III. & isti duo Pontifices, videlicet Adrianus, & Leo III. sederunt multo tempore, quia annis XLIV. & mensibus VI. De installationibus autem bene se ingessit, sicut ex suis gestis, & gestis Francorum haberi potest. Sed iis omnibus cessit Ludovicus Paschali Papæ, ut jam videbitur, & habetur dist. 63. cap. *Ego Ludovicus*.

CAP. XXXII.

Qualiter gloriosus rediens de Italia, reperit Saxones suam terram invasisse, quam injuriam ipse vendicat, illis quasi ad nihilum redactis.

POst hoc autem sumta benedictione ab Adriano, gloriosus Princeps redit in Franciam. Refert autem Ammonius, quòd dum Rex Carolus esset in Italia pro Ecclesiæ Romanæ defensione, Saxones, qui erant (*) confines Galliæ Belgicæ super Rhenum Marchias ipsorum invadunt, ubi quædam Ecclesia erat, quam sanctus vir Bonifacius, & Archiepiscopus Moguntinus consecraverat, atque per spiritum prophetiæ prædixerat, quòd incendi, vel cremari non posset. Sed cùm ad hoc dicti Saxones conarentur, nec valeret, duobus Angelis in vestibus albis ipsam protegentibus, quos aliqui Christiani ex imminenti videbant, qui inclusi erant à Saxonibus, & à castris eorum; item à Paganis, qui obsidebant, nisi sunt ut cognoscerent quanta est virtus Dei. Nullo igitur modo comburi potuit, sicut nec tres pueros ignis fornacis combussit, ut patet in Daniele. Sed gloriosus Princeps veniens de Italia cum suo exercitu, Saxones includit, ipsorumque vires retundit. Tunc obsidibus datis, sacramentoque facto de obediendo glorioso Principi, sic dictus Princeps quiescit. Et attende hìc, quia duo genera hominum multùm infestaverunt Regem Carolum, qui suo Regno erant confines, & à parte quidem Orientis erant Bavari, & Aquilonis erant Saxones, sub quo nomine comprehendebantur in circuitu Barbaræ nationes, cum quibus sæpiùs pugnam habuit, & ipsos ultimò ad nihilum redegit, & vi gladii quasi omnes ad Fidem convertit. In quo hominum genere etiam Frisones includuntur, quos, ut dicta tradit Historia, & Carolus Magnus perdomuit, & ejus avus Carolus Tudices prænominatus.

CAP. XXXIII.

Declarantur hìc Provinciæ Germaniæ, quas dictus Princeps subjugavit, & in qua Provincia Galliæ Carolus natus est, & mortuus.

IStæ autem nationes eidem erant confines, quia Rhenus fluvius quammaximus dividebat Galliam Belgicam à Germania, quæ quidem Gallia hodie tota Teutonica appellatur, ritu tamen Gallico vivunt à Meti Lotharingiæ Provinciæ, usque in Coloniam Agrippinam, in qua Provincia natus est Carolus, ubi suam sedem habuit, ut in Wormacia, quæ est de Provincia Ecclesiæ Moguntinensis, sicut sua gesta, & Francorum sæpiùs narrant. In ista etiam Provincia moritur, & Aquisgrani sepelitur in Basilica Beatæ Mariæ, quam propriis sumtibus fabricavit. Ista est etiam Gallia, quam primò expugnavit Julius Cæsar, & quam Orosius in libro VII. contra Paganos Helvetiam vocat, ut dictum est supra; nunc autem appellatur Regio super Rhenum ad Regnum Alamanniæ pertinens, cùm Imperator eligitur. Per quod apparet, quòd etiam nomina Provinciarum sunt mutata, & in dominio variata.

CAP. XXXIV.

De alio genere hominum Carolo infesto, videlicet Aquitania, & Vasconia, quod dictus Princeps multùm humiliavit, & suæ subjecit ditioni; de Alcuino, & Eginardo Philosophis, qui fuerunt, & qualia fecerunt.

ALiud autem genus, cum quo multùm pugnavit, fuit Aquitania, & Vasconia, quæ regiones duos habebant Duces, ut dictæ Historiæ referunt. Utrumque igitur Ducem expugnans, totam Provinciam suæ subjecit ditioni, & suo junxit Regno. Sed redeundum ad gesta præ-

(*) *In Codice Patavino* Terras.

præsentis Pontificis Adriani, quia magna fecit, & multo tempore sedit, ut supra patet. Scribit autem Martinus de ipso, quòd sub eo celebrata est Synodus CCC. Episcoporum in Constantinopoli; jam enim præsentiebant Græci potentiam Caroli Magni ex subjectione Italiæ; unde istud Concilium celebratum est post Nicænam Synodum tempore Michaëlis Imperatoris, qui verus Catholicus fuit, ad confirmationem Imaginum, & aliorum, quæ pertinent ad veritatem Fidei Orthodoxæ. Aliam autem ipse celebravit præsente Carolo, in Urbe Romana, de qua dictum est supra. Hoc tempore jam floret Albinus, qui & Alcuinus Caroli eruditor. Hic genere Anglicus acutus ingenio, & in Philosophia excellentissimus, nec tantùm in scientia, sed etiam in morum honestate præclarus. Quo etiam tempore floret Eginardus, qui gesta dicti Principis luculentissimo stylo scribit, suique filii Ludovici, qui eidem in Imperio successit. Alcuinus autem tantæ fuit gratiæ apud Regem, quòd omnes liberales Artes ab ipso didicit; nec non & filios suos per dictum Philosophum instrui mandavit. Multa etiam per ipsum virtuosa sunt facta tempore istius Pontificis, ut Historiæ referunt. Sed hæc ad præsens sufficiant.

CAP. XXXV.

Resumit Auctor iterum de actibus virtuosis Adriani, qualia fecit; qualiter gloriosus Princeps venit Romam caussa orationis, invento Adriano, & de iis, quæ ibidem fecit.

HIc Pontifex Sanctus tam inter muros Urbis, quàm extra multas Ecclesias restauravit, & muros Urbis, qui usque ad fundamenta dirupti erant, renovavit. Hic etiam Monasterium S. Stephani ædificavit, quod juxta Ecclesiam Sancti Petri situm est, Congregationemque Monachorum instituit, ut in Ecclesia Beati Petri tribus Monasteriis, quæ Gregorius III. instituerat, laudes persolverent quotidianas. Hic Sanctus Pontifex in pace quiescit, quia suo tempore, Carolo regnante gloriosissimo Principe, Ecclesia floret. Honorificè autem sepelitur in Ecclesia Sancti Petri in Vaticano, quia merita sanctarum virtutum exigebant honorem. Istius etiam Pontificis tempore refert Ammonius in gestis Francorum Lib. VI. quòd Carolus post victoriam Saxonum, habito consilio elegit venire Romam cum sua familia caussa orationis. Unde intrans Italiam, adhuc Adriano Papa vivente, Natale celebravit in Papia. Veniensque post hoc Romam, ibidem Pascha celebravit. Ibidemque Pipinus filius suus baptizatus est ab Adriano Papa, & duo filii ejus ab eodem Pontifice uncti sunt in Reges, & ii sunt, Dominus videlicet Pipinus, & Dominus Ludovicus, quorum primus factus est Rex in Italia, secundus verò in Aquitania. Et inde rediens de Urbe, veniensque Mediolanum, ibidem receptus est gloriosè à Clero, & populo, & ibidem filia sua baptizata est nomine Gisela ab Archiepiscopo Mediolanensi nomine Thoma viro venerabili, & sanctitatis eximiæ. Inde autem rediit in Franciam.

CAP. XXXVI.

Movet quæstionem Auctor, & solvit, qualiter Adrianus misit Legatos ad Tassilonem ad petitionem Regis pro pactis servandis.

SEd attende hic de filio, & filia, quomodo Baptismum susceperunt, quia filius à Papa, filia ab Archiepiscopo. Hoc potuit esse ex consuetudine illius temporis, quia retardatur Baptismus parvulorum, & maximè nobilium propter majorem solemnitatem, ut in casu præsenti, quamvis laudabile non videatur propter periculum. Eo tempore scribit idem Ammonius sub eodem Pontifice accidisse, quòd ad petitionem dicti Principis misit Legatos Formosum, & Damasum Episcopos ad Tassilonem Ducem Bavarorum, quòd observaret promissa sacramentorum. Eodem modo & ipse Carolus Magnus duos transmisit Legatos pro pactis servandis. Ille verò priùs obsides offert, omni paci consentit, & se ipsum coram præsentat; & sic est pax reformata. Nunc igitur de ipso Principe quæ sub isto Capitulo dicta sunt, sufficiant; & alia, quæ acta sunt, ad sequentem Pontificem reservemus. Unum tamen subjiciendum, quod Ammonius scribit ubi supra, quòd in tantum dilexit Rex Carolus Adrianum Papam, quòd audita morte ejus, lacrymatus est copiosè, cùm tamen ibidem scriptum sit, quòd ex sua magnanimitate nullum filium mortuum fleverit, inter quos duos per mortem perdidit valde caros.

Explicit Liber XIV. Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER XV.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Leone III. & XCIX. Pontifice, qualiter à Romanis fuit mutilatus, & divina virtute restitutus; & qualiter ivit in Franciam ad Carolum, qui veniens cum ipso Romam, suas vindicavit injurias.

ANno Domini DCCCXIX. & ab Urbe condita MDLXXI. Leo III. natione Romanus ex patre Achulfo sedet in Cathedra Petri. Sedit autem Annis XXI. mensibus V. diebus XVI., & cessavit diebus III. Hic, ut Ammonius scribit in gestis Francorum, & Eginardus in gestis Caroli, in Letania majori captus Romæ, & excoecatus est, & lingua detruncatus; qui in custodia positus, nocte per muros evasit ad Legatos Regis Ginidium Abbatem, & Vinigisum Spoletanum Ducem confugiens. Inde, ut Richardus scribit, & aliæ communiter Historiæ, restitutis membris divina virtute, in Franciam vadit ad Carolum, à quo honorificè susceptus est; & cum ipso Romam veniens, injuriam Pontificis ultus est. Ammonius autem magis diffusè tradit dictam ultionem, quia dicit, quòd postquam prope Romam venit ad locum, cui nomen Numenti, duodecimo lapide ab Urbe Roma, Leo Papa, qui Regem præcesserat, cum bono comitatu occurrit eidem, ipsumque cùm esset Dominus Carolus Patritius Urbis cum aliis dignitatibus eidem per Adrianum collatis, ut supra est liquidum, cum summa humilitate ac summo honore suscepit, prandensque cum illo in loco prædicto, statim Papa ipsum cum sua societate præcessit ad Urbem.

CAP. II.

Qualiter misit obviam Leo Clerum, & populum Carolo, & ipse expectavit eum in gradibus Beati Petri, & in Ecclesiam deduxit; & qualiter Leo se purgavit de criminibus sibi impositis.

IN craftinum autem in gradibus Basilicæ Beati Petri stans, missis obviam Romanæ Urbis vexillis, ordinatis, atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum, quàm civium turmis, qui venienti conclamarent laudes, ipse cum Clero, & Episcopis equo descendentem, & gradus ascendentem suscepit, dataque oratione in Basilica Beati Petri Apostoli, psallentibus cunctis, introduxit, quod fuit XXX. Anno sui Regni, ut scribit Richardus. Post septem igitur dies Rex, concione vocata, cur Romam venisset omnibus patefecit; & exinde ad ea, quæ venerat facienda, quotidie operam dedit. Et quamvis maxima, & difficillima opponerentur Pontifici, ut idem Ammonius refert, quia tamen nullus inventus est legitimus probator, inde Summus Pontifex coram omni populo, & adjuvante Rege, in Basilica Beati Petri Apostoli Euangelium portans, ambonem ascendit; invocatoque Sanctæ Trinitatis nomine, jurejurando ab objectis criminibus se purgavit. Aliæ Historiæ tradunt, quòd tres Cardinales supra Sancta Dei Euangelia manum ponentes de objectis affirmaverunt omnia esse falsa, quæ Summo Pontifici sunt apposita. Quæ quidem purgatio à toto Populo est acceptata, & à Principe Serenissimo confirmata.

CAP. III.

Qualiter ipso existente Romæ, Nuntii Patriarchæ Hierusalem veniunt ad ipsum pro adjutorio, ipse verò cum exercitu vadens ultra mare, totam recuperat Terram.

EOdem die scribit idem Ammonius, quòd quidam Abbas nomine Zacharias cum duobus Monachis, uno de Monte Oliveti, altero de Sancto Sabba in Oriente Romam vênit, quos Patriarcha Hierosolymitanus misit, qui Sepulcri Dominici claves, ac loci Calvariæ, & Civitatis Hierusalem cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè suscipiens, per aliquos dies secum detinuit, humanèque tractavit. Ab inde ad se vocatos, cum muneribus in Palæstinam remittit. Tradunt autem aliquæ Historiæ, quòd ex illa legatione commotus Imperator, & ad petitionem Constantini Constantinopolitanæ Urbis Imperatoris cum exercitu magno ultra mare transfretat, totamque Terram Sanctam recuperat, Rege Persarum assentiente, qui tunc Principatum tenebat in Syria, & Palæstina, ipso prævalente contra Regem Ægypti. Jam enim in Oriente fama percurrebat Imperatoris. Unde & dictus Princeps Persarum, qui Monarchiam tenebat in Oriente, suam postulat amicitiam, & eidem per Legatos postea munera destinavit, sicut infra patet. Inde rediens vênit Constantinopolim, cui Constantinus cùm pretiosa munera auri, & argenti, & pretiosarum gemmarum offerret, Imperator recusat, & solùm Christi, & Sanctorum Reliquias postulavit. Sed attende hìc, quòd ista, quæ hìc dicta sunt, non fuerunt facta isto tempore, sed postea: quod apparet ex iis, quæ statim sequuntur, quia continuantur cum verbis quarti Capituli; unde hìc interponitur incidenter, ut Historiæ faciunt.

CAP. IV.

Qualiter Carolus Magnus coronatur in Imperatorem, & acclamatio fit per populum de ejus Imperio; inde movetur quæstio circa hoc, & solvitur.

CElebravit autem Natale Domini in Urbe Romana. Ipsa verò die Sanctissima cùm Rex ad Missam ante confessionem Beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, sicut Princeps devotus, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit,

fuit, & à cuncto Romano Populo acclamatum est: *Carolo Augusto à Deo coronato magno, & pacifico Imperatori vita, & victoria*. Hanc autem acclamationem, & coronationem factam per Leonem omnes Historiæ ponunt, & post laudes ab Apostolico collatas eidem, more antiquorum Principum adoratus est, ut idem Auctor dicit; & sic ablato Patritii nomine, Imperator, & Augustus est appellatus. Ubi attende primò, quòd iste gloriosus Princeps usque ad tempora ista semper ab Historiis, & præcipuè in gestis Francorum Rex, vel Patritius est vocatus, qui est trigesimus tertius annus Regni sui, ut supra est dictum; abinde Imperator, & Augustus est nominatus: quod quidem tempus fuit XIV. annorum, quia regnavit annis XLVII. ut omnes quasi Historiæ tradunt. Sed considerandum est propter quamdam Glossam B. . . . super Cap. *Venerabilem*, quod Stephanus II. ut supra est tactum, non fecit translationem Imperii à Græcis in Germanos, ut hìc patet, sed definivit faciendam: unde solùm in gestis Francorum Ammonii invenitur Lib. VI., quòd dictus Papa duos filios Pipini, quorum primus dictus Princeps Carolus, unxit in Reges, & nihil plus fecit quantùm ad Principatum; vel fortè B. . . . . non vidit totum, & ideo indulgendum.

CAP. V.

De ultione facta per Imperatorem contra illos, qui læserunt Papam Leonem, & de quibusdam signis, quæ apparuerunt tempore istius Pontificis.

Redeundum igitur ad ea, quæ postea Imperator fecit in favorem Leonis. Refert Ammonius ubi supra, quòd post paucos dies jussit eos, qui Summum Pontificem læserant, comparere, & secundùm Legem Romanam, ut Regiæ Majestatis reos capite plecti; pro quibus pio affectu Papa apud Imperatorem intercessit; & sic indulta est eis vita, & membrorum integritas concessa; sed pro sceleris magnitudine omnes fuerunt exilio relegati. Hujus autem factionis quidam nobiles fuerunt, & majores de Urbe. Ordinatis igitur, & dispositis, quæ ad Romanam Urbem, & Apostolicum pertinebant, inde totius Italiæ non solùm publicis rebus, sed etiam Ecclesiasticis, & privatis intendit. Nam tota illa hyeme ad nihil aliud vacavit usque ad Pascha Resurrectionis, quàm in cura regiminis regionis. Refert autem idem Auctor, quòd eo tempore in hyeme circa partes Italiæ magni fuerunt terræmotus, sive tremores, ex quibus non modicè est concussa, cujus motu tectum Sancti Pauli corruit in parte cum trabibus suis. Et quod amplius est, etiam in territoriis super Rhenum fuerunt magni tremores, sive terræmotus, post quos sequuta est magna pestilentia in regionibus supradictis.

CAP. VI.

Qualiter Imperator definivit ex Officio Ecclesiastico Beati Gregorii, & Scholas in Francia instituit; & qualiter studium tunc transtulit de Roma Parisios.

Post hæc autem, ut referunt alia gesta Gallicorum, quorum Auctores ignoro, sed legi, dum Imperator festum ageret Resurre-

ctionis cum Papa Leone, & simul comederent, accidit, Cantores Romanos Papæ, & Cantores Imperatoris, qui erant Gallici, simul contendere, qui melius officiarent. Quod cùm pervenisset ad Imperatorem, fecit suos Cantores ad se venire, quæstionemque proponit eisdem, ubi esset purior aqua: in fonte, vel in rivis? Qui responderunt, quòd in fonte: *Vos igitur, inquit, contra vos sententiam tulistis; quia Officium Beati Gregorii, quod Romana tenet Ecclesia, est fons Officiorum omnium aliarum Ecclesiarum*. Tunc cum beneplacito Leonis Papæ assumsit secum Imperator Serenissimus Cantores Romanos, & Antiphonarium Beati Gregorii cum toto alio ejusdem Officio, & secum in Franciam detulit. Instituitque Scholas ad prædictum Officium addiscendum, unam in Metis, aliamque in Suessione; tertiam tradunt apud Aurelianum. Mandavitque resecari levitatis melodias, quas Gallici, & maximè Belgici faciebant in suo divino Officio. Isto etiam eodem tempore dicta gesta tradunt, quòd memoratus Imperator transtulit studium de Roma Parisios per Alcuinum Philosophum, qui Alcuinus Magister fuit Imperatoris in artibus, & similiter cunctorum filiorum ejus, ut dictum est supra.

CAP. VII.

Qualiter recedens Imperator de Urbe, & vadens Papiam, nuntii diversorum Principum illuc vadunt ad faciendam reverentiam; & de Barchinone capta.

Post hoc autem Imperator recedit de Urbe, & vadit Papiam, ubi nuntiatum est sibi advenisse Legatos diversarum Nationum & Principum ad reverentiam eidem faciendam, ut Ammonius refert. Primò quidem nuntii Regis Persarum cum magnis muneribus se eidem præsentant. Secundò verò quidam Princeps de Africa circa finem ejusdem Provinciæ, cui nomen Abraham, hoc idem fecit. Sed & Imperatrix Constantinopolitana nomine Helena misit Legatum nomine Leonem Spatarium de pace confirmanda inter Francos, & Græcos. Quem dictus Imperator acceptans, ad hoc idem firmandum Jesse Episcopum Ambitanensem, & Eligandum Comitem in Constantinopolim misit. Adest item in eodem tempore quoddam insinuativum suæ magnæ potentiæ; quia eadem æstate, ut in dicta Historia traditur, capta Barchinona eidem denuntiatur, biennio obsessa per suos mandato Ludovici filii sui, quem postea ipse Imperatorem constituit, & propriis manibus coronavit, sicut jam patebit.

CAP. VIII.

Qualiter postquam Imperator rediit Aquisgrani, Leo Papa venit ad ipsum; & ponitur caussa; qui honorificè est susceptus ab ipso, & cum bona comitiva ipsum remittit.

Sed circa idem tempus Saxonibus perdomitis, Gothofredus Rex Danorum ad ejusdem reverentiam faciendam se disponit. Hoc tempore dum Imperator rediisset Aquisgrani, relatum est ei, Leonem Papam Natalem Domini velle celebrare cum ipso, ubicumque hoc contingere potuisset. Et attende, quia istud fuit post coronationem Imperialem. Qui, statim misso ad

Sanctum Mauritium Carolo filio suo, ipsum honorificè suscipere jussit. Ipse autem obviam illi profectus est ad Remorum Civitatem, ubi susceptum primò Carisiacum Villam duxit, quæ videlicet erat prope Parisios, & Natale Domini cum ipso celebravit. Deinde Aquisgrani perduxit, & donatis magnis muneribus, per Bavariam ire volentem deduci fecit usque Ravennam. Caussam autem sui adventus assignant dicta gesta Francorum. Relatum enim fuerat Imperatori, æstate præterita Christi Sanguinem in Mantuana Civitate fuisse repertum. Propter hoc misit ad Papam, ut hujus famæ veritatem inquireret. Qui accepta occasione, exiit primò in Lombardiam quasi pro inquisitione prædicta, indeque accepto itinere, subitò ex intima dilectione ad Principem ad majorem (*) favorem sui status; propter æmulos, quos adhuc latenter habebat Romæ proscriptos per Imperatorem, de quibus dictum est supra, ad ipsum Pontifex prædictus pervenit, mansitque apud illum dies octo; & sicut dictum est per ipsum usque ad Romam honorificè est deductus, ut aliæ scribunt Historiæ. Ubi considera devotionem Principis, & in Summo Pontifice, & in perquisitione Sanguinis Christi præcipuè. Supervixit autem Leo Papa Imperatori, ut in gestis dicti Principis, & filii sui Eginardus scribit. Quid autem sit factum circa ipsum post mortem Imperatoris, infra dicetur.

CAP. IX.

De vita, & operibus Imperatoris sub brevitate hic traditur; & qualiter circa suos piè ac civiliter se habuit.

SEd quia maxima quoque de ipso Historiæ referunt communiter, sicut de singulari Principe Mundi ad aliorum exemplum in fidelitate ad Romanam Ecclesiam, civilitate ad subditos, & bellandi strenuitate contra adversarios: ideo de hoc sub compendio aliquid est dicendum, prolixitatem catalogo Imperatorum relinquendo. Primò quidem post mortem patris cum fratre mirâ tolerantiâ Regnum partitus est; matrem in maxima reverentia tenuit & honore, ut scribit Eginardus de vita & gestis ejus, quam Bertradam vocat; ac ipsâ mortuâ, officiosissimi funeris comitatu apud Sanctum Dionysium sepeliri fecit. Erat ei una soror nomine Ghisla à puellaribus annis religiosæ conversationi mancipata, quam similiter ut matrem magna coluit pietate; quæ etiam paucis ante obitum matris annis in eo, quo conversata est Monasterio decessit. Liberos suos ita censuit instruendos, ut tam filii, quàm filiæ liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. Tunc filios, cùm primùm ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis, ac venationibus exercitari fecit; filias verò lanificio assuescere, coloque, ac fuso, ne per otium torperent, operam dare, atque ad omnem honestatem erudiri jussit. Tanta autem infuit ei teneritudo ad filios, & ad filias, ut numquam domi positus, sinè ipsis cœnaret. Quòcumque ibat, usque ad bellum, sequebantur filii quidem cum patre; filiæ verò sequebantur cum comitatu decenti. Propter hanc igitur affectionem ad filios & filias ipsas, nuptui tradere non permisit; eas tamen sanctissimè percolebat, ut in gestis ipsius habetur. Propter quam caussam narrat idem Eginardus, quòd sic in hoc facto honestè & paternè transivit, quòd nulla de eis exorta est suspicio ex maxima honestate, quæ apparebat in alterutro. Sed decipiebat affectio inclinationis paternæ, quia sic suæ prolis cujuscumque sexus præsentia fruebatur.

CAP. X.

Quanta benignitate gubernabat Imperium, quanta liberalitate suscipiebat peregrinos; & de dispositione corporis sui, qualis fuit; & de modo vestium suarum.

CEterùm per omne vitæ suæ tempus ita cum summo amore, omniumque favore & domi & foris conversatus est, ut numquam ei vel minima injusta crudelitatis nota à quoquam fuisset objecta. Amabat peregrinos, & in eis suscipiendis magnam habebat curam, adeò ut ipsorum multitudo non solùm in Palatio, verùm etiam in Regno videretur onerosa. Ipse verò præ magnitudine animi hujuscemodi pondere minimè gravabatur, cùm etiam ingentia incommoda laude liberalitatis, ac bonæ famæ compensaret mercede. Corpore fuit amplo, atque robusto, & eminenti, quod tamen justam non excederet mensuram; nam septem pedum suorum proceritatem ejus constat habuisse staturam, apicem capitis rotundum, oculis prægrandibus, ac vegetis, naso paululum in mediocritatem excedenti, canitie pulchra, facie hilari. Unde forma auctoritatis, sive dignitatis, sive stanti, sive sedenti plurimùm coruscabat, & incessu firmiori, totaque corporis habitudine virili suo quasi fruebatur statu, quòd multa posset, quibus alii Principes videbantur carere, ut aliæ Historiæ referunt. Multa alia refert idem Eginardus. Sed istud modò accipiamus, quia peregrina indumenta, quamvis pulcherrima respuit, nec umquam eis uti voluit; excepto quòd Romæ, semel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone successore ejus supplicante, longa tunica, & clamide amictus, calceis quoque Romano modo formatis induebatur. In festivitatibus veste auro texta, & calceamentis gemmatis utebatur; fibulaque aurea sagum astringente, diademate quoque ex auro & gemmis ornato incedebat; aliis autem diebus communi veste transibat.

CAP. XI.

De modo vivendi quantum ad cibum; & de conviviis suis; & quod sustinebat aliqua cantari ibidem, vel legi; de parcitate ejus quantum ad potum; & de somno ipsius; & de modo, quem tenebat, quando calceabatur.

IN cibo igitur & potu temperatus, sed in potu temperantior, quippe quòd ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ipso, ac suis, plurimùm abhorrebat. Cibo autem non adeò poterat abstinere; unde sæpe querebatur noxia corpori esse jejunia. Convivabatur rarissimè, & hoc præcipuis tantùm festivitatibus; tunc tamen cum magno hominum numero. Cœnâ quotidianâ quaternis tantùm ferculis utebatur, præter assa, quæ venatores solebant in verubus afferre,

(*) *In Cod. Patav.* confirmationem.

ferre, sibi supra omnem alium cibum placentia. In cœna aut aliquem (*) cantilenum, aut lectorem audiebat. Legebantur autem eidem aut Historiæ, aut antiquorum res gestæ. Delectabatur verò libris Sancti Augustini, & præcipuè iis, qui de Civitate Dei intitulati sunt. Vini, & omnis potus ita parcus erat, ut super cœnam rarò plusquam ter biberet. Noctibus sic dormiebat, ut somnum quater, aut quinquies non solùm expergiscendo, sed etiam surgendo interrumperet. Cùm calcearetur, aut amiciretur non tantùm amicos admittebat, verùm etiam si Comes Palatii litem aliquam diceret esse, quæ sinè ejus jussu definiri non posset, statim litigantes introducere jubebat; & velut pro tribunali sedens, causâ cognitâ, sententiam ferebat. Nec hoc tantùm eo tempore, sed quicquid eo die agendum, aut cuiquam Ministrorum injungendum erat, expediebat.

CAP. XII.

De eloquentia ipsius, & linguis, & disciplinis, quibus fuit ornatus, & quem habuit Doctorem; & de diligentia ipsius ad Christianum cultum.

Erat eloquentia copiosus, & exuberans. Poterat, quicquid vellet, luculento exprimere stilo. Nec paterno sermone erat contentus, sed & peregrinis linguis addiscendis operam dedit, in quibus ita Latinum didicit, ut ea, sicut paterna lingua perorare fuerit solitus, Græcam verò meliùs intelligere, quàm pronuntiare potuisset. Adeò autem facundus, ut didascalus appareret. Artes liberales studiosissimè coluit, earumque Doctores plurimùm veneratus est. In Grammatica Petrum Diaconum Tuscum summum in dicta arte senem audivit. In ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum Diaconum de Britannia, virum undecumque eruditissimum, præceptorem habuit, apud quem Rhetoricæ, & Dialecticæ, sed præcipuè Astronomicæ artis addiscendæ plurimum impertivit laboris. Addiscebat facultatem computandi, & intentione sagaci siderum cursum curiosissimè rimabatur. Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè, & cum summa pietate coluit; ac propter hoc plurimæ pulchritudinis Basilicam Aquisgrani fabricari jussit; auro, & argento, & luminaribus decoravit; cancellis ex ære solido, & januis adornavit. Ad cujus structuram cùm columnas, & marmora habere non posset, de Ravenna, & Urbe Romana transvehi curavit. Ecclesiam mane & vespere, item nocturnis horis, & sacrificii tempore, quoad eum valetudo dimitteret, impigrè frequentabat.

CAP. XIII.

De sollicitudine, quam habebat circa Ministros Ecclesiæ quantùm ad honestatem: propter quod & Concilia mandavit sæpius celebrari; & quomodo tempore suo definitum est de processione Spiritus Sancti.

Curabat quoque summopere, ut omnia, quæ ab eo agebantur, cùm maxima fierent honestate, æditu os creberrimè commonens, ne quid indecens, aut sordidum aut inferri, aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex argento, & auro, vestimentorumque Sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in Sacrificiis celebrandis nec janitoribus quidem, qui ultimi Ecclesiastici sunt Ordinis, privato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi, aut psallendi disciplinam diligenter emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus, quamquam ipse non publicè legeret, nec nisi submissè, & in communi cantaret. Scribunt etiam Ammonius, & Richardus, quòd circa bonam dispositionem Cleri sollicitabat non modicum, unde suis Metropolitanis mandavit Concilia celebrari, & ab inde Aquisgrani celebravit Concilium generale, ac ibidem de processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio confirmatum est, & de statu Ecclesiarum incolumi, ac correctione Cleri, eo præsente multa sunt actitata.

CAP. XIV.

De sollicitudine ipsius ad pauperes quantum ad omnes partes Mundi; de reverentia ejus ad Ecclesiam Beati Petri de Urbe Romana; & de singulari peregrinatione ad ipsam.

Circa pauperes sustentandos gratuita floruit liberalitate, quam Græci eleemosynam vocant, ut qui non in patria solùm, & in suo Regno id facere curavit, verùm etiam trans maria, ut in Syria, & Ægypto, atque Africa, Hierosolymis, atque Alexandriæ ac Carthagine, ubi Christianos in paupertate vivere comperit, penuriæ ipsorum compatiens, pecuniam solebat transmittere. Ob hoc maximè transmarinorum Regum amicitiam expetens, ut Christianis sub eorum dominatu, degentibus, subvenire valeret. Colebat præ cæteris sacris ac venerabilibus locis apud Urbem Romanam Ecclesiam Beati Petri Apostoli, cui magna donaria destinat tam in auro, quàm in argento, nec non & lapidibus pretiosis. Namque ille gloriosus Princeps toto Regni sui tempore voluit Ecclesiæ præfatæ omni providere honore, ut non solùm tuta esset atque defensa per ipsum, sed de suis operibus copiosissimè foret ornata, atque ditata. Tradunt etiam aliquæ Historiæ, quòd in ultimo adventu Romam quasi peregrinationis causâ, cùm jam appropinquaret ad Urbem per milliare, de equo descendens, ob reverentiam Apostolorum, & aliorum Sanctorum Martyrum, quorum sanguine est consacrata, vênit pedes usque ad Sanctum Petrum; ibique factâ reverentiâ obtulit munera pretiosa. Sequenti die omnes alias visitavit Ecclesias famosas, & pedes, & unicuique oblationem faciens secundùm decentiam Ecclesiarum. Multa autem alia refert Eginardus Philosophus de ipso, contemporaneus ejus & filii, digna memoria, cujus vitam ex visis, & probatis copiosè descripsit. Et quia multa diffusè tradit de ipso, dum appropinquaret ad mortem, nos sub compendio ponamus, ut Richardus scribit.

(*) *In Cod. Patav.* aliquid Octoama.

CAP. XV.

De devoto transitu ipsius ex hac vita, & Testamento, quod fecit per manus Metropolitanorum sui Imperii.

ANno ab Incarnat. Domini DCCCXXVIII. ætatis suæ LXXII. Regni verò in Francia (a) XLVII. Imperii verò XIV. accedente ad febrem lateris dolore, septimo postquam decubuit die hora diei tertia oleo sancto perunctus, sacra communione percepta V. Calendas Februarii lux Francorum viam universæ carnis ingressus est, sepultusque Aquisgrani in Basilica Dei Genitricis, quam ipse construxerat; corpus verò (b) aromatizatum, & in sede aurata sedens positum est. Quod intelligo quantùm ad imaginem ejus, sive statuam, quæ supra sepulcrum ejus erat. Tradunt autem Historiæ, quòd tot Monasteria condidit, quot sunt in Alphabeto literæ Latinorum, secundùm ordinem literam faciens sculpi auream, prout ædificabantur, in suo gradu. Bona sua mobilia, advocatis omnibus sui Imperii Metropolitanis, eis dispensanda & distribuenda reliquit; videlicet Ecclesiis, Viduis, Orphanis, pauperibus, & omnibus miserabilibus personis. Qui autem fuerint isti Metropolitani Eginardus supra nominatus, qui gesta ejusdem scripsit, connumerando ipsos specificat, videlicet Romanum, Ravennatem, Mediolanensem, Forojuliensem, sive Aquilegiensem, Gradensem, Coloniensem, Maguntinensem, Jauvanum, qui & Salzburgensis, Treverensem, Senonensem, Bisuntinensem, Lugdunensem, Rothomagensem, Remensem, Arelatensem, Viennensem, Ebredunensem, Burdegalensem, Turonensem, & Bituricensem. Et attende hìc duo: unum, quia non fit hìc mentio de Metropolitanis Regni Apuliæ, & Siciliæ, quia illa regio simpliciter ad Romanam Ecclesiam pertinebat. Item non fit mentio de aliquibus Archiepiscopatibus, puta Narbonensi & Aquensi, qui Metropolitani sunt hodie. Item Januensi, & Pisano. Ad quod videtur dicendum, quòd illo tempore illi duo Episcopatus non erant Metropolitani. Sed de Januensi, & Pisanensi patet, quia fuerunt facti ab Innocentio II. propter beneficia eidem collata ad CC. annos, ut infra liquidum erit.

CAP. XVI.

De signis & prodigiis, quæ apparuerunt circa tempora mortis ejus & in Cœlo, & in aqua, & circa Basilicam, & circa personam suam.

QUamvis igitur multa sint dicta de isto Principe ex merito suarum actionum, unum tamen non prætermittendum de prodigiis & signis, quæ apparuerunt, circa ista tempora mortis suæ, quæ etiam excludi non debent à gestis Summorum Pontificum, quia in eis divina virtus multùm manifestata videtur. Refert enim idem Eginardus in ejus gestis, quòd ante mortem Imperatoris ista apparuerunt signa sive per annum ante, sive per duos, sive aliqua in eodem, ut de Julio Cæsare, quamvis iste meliùs finierit vitam. Primò de Eclipsibus Solis, & Lunæ ultra solitum cursum naturæ. Quædam etiam macula in corpore Solis atri coloris, ultra septem dierum spatium est visa. Porticus, quam inter Basilicam, & domum Regiam, operosa mole construxerat, die Ascensionis Domini subitâ ruinâ usque ad fundamentum collapsa est. Item pons Rheni apud Moguntiam, quem ipse per decem annos ingenti labore, & opere mirabili de ligno ita construxit, ut perenniter durare videretur, ita in tribus horis conflagravit incendio, ut præter quod aquâ tegebatur, nec ulla hastula ex eo remaneret. Ipse quoque cùm ageret ultimam in Saxonia pugnam contra Gotfridum Regem Danorum, & quadam die ante Solis ortum castris egressus iter ageret, vidit repentè delapsam cœlitus cum ingenti lumine facem à dextra in sinistram per serenum aërem transcurrentem; cunctisque hoc signum, quid portenderet, admirantibus, subitò equus, super quem sedebat, capite deorsum verso, cecidit, eumque ad terram tam graviter elisit, ut fibula sagi rupta, baltheoque gladii dissipato, festinantibus, qui aderant ministris (c) exarmatis, non sinè adminiculo levaretur. Jaculum, quod tunc fortè in manu tenebat, ita delapsum est, ut XX. vel eò amplius pedum spatio jaceret.

CAP. XVII.

De aliis signis, quæ apparuerunt in domo sua; & de titulo suprascriptionis; & qualiter Ludovicum filium suum ad Imperium coronavit, & ipsum in dignitate successorem reliquit.

AD hæc crebrò Aquisgrani palatii tremor, & in domibus, ubi conversabatur, assiduus laqueariorum strepitus; malum aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum est, & supra domum Pontificis, quæ Basilicæ contigua erat, transvectum. Erant autem in eadem Basilica in margine coronæ, quæ inter superiores, & inferiores arcus inferiorem ædis partem ambiebat epigramma sui operis descriptum continens, quis auctor esset ejusdem Templi; cujus in extremo versu legebatur; *Carolus Princeps*. Notatum est à quibusdam eodem, quo decessit, anno, paucisve ante mortem mensibus, eas quæ Principem exprimebant literas ita esse deletas, ut penitus non apparerent. Talia igitur circa ipsius obitum prodigia sunt ostensa. Unum autem solum de dicto Principe restat dicendum, quòd Ammonius in gestis Francorum, & Eginardus præfatus in gestis Caroli tradunt, quòd dictus Princeps, vivente adhuc Papa Leone, qui supervixit, ut ibidem scribitur, vocato ad se filio suo Ludovico, eidem tradidit Coronam Imperii, suumque in memorato Imperio successorem constituit. Utrum autem hoc fecerit auctoritate Leonis, esse potest; Sed ibidem non scribitur. Certum est tamen, quòd semper fuerunt amici. Unde hic Ludovicus Tertius dicitur à Pipino in novo stipite, & XXVI. à primo. Dictus etiam est Ludovicus Primus, quia nullus ipsum præcessit. Per quod apparet Glossam B.... super cap. *Venerabilem* non esse veram, quia dicit, Ludovicum fuisse, in quo defecit stirps Regum Francorum, quando Pipinus Regnum assumsit, quia erat Major domus dicti Re-

(a) *In Cod. Patav.* XLVIII.
(b) *In Cod. Patav.* intronizatum, & in sede aurea &c.

(c) *In Cod. Patav.* exanimatus.

Regni, sed ille Rex vocatus est Hildericus, ut supra est dictum, secundùm Vincentium, & Ammonium in gestis Francorum. Et attende hìc, quia Ludovicus simul fuit & Imperator, & Rex Francorum. Sed ipse postea distinxit in filios, ut infra patebit. Leo autem prædictus post mortem Caroli, ut in gestis Francorum traditur, adhuc vivens, adversarios habuit in Urbe, fortè amicos illorum, quos Imperator Carolus sui occasione proscripsit. Moritur autem secundo anno post obitum Principis supradicti XXI. annum habens in Papatu, ut in dicta Historia scribitur. Et hæc de utrisque Papa, & Imperatore dicta ad præsens sufficiant.

CAP. XVIII.

De Stephano III. & C. Pontifice, qualiter post consecrationem suam ivit in Franciam ad Ludovicum Primum, & Imperatorem II.

ANno Domini DCCCXLI. & ab Urbe condita MDXCIII. Stephanus III. natione Romanus ex patre Julio in Cathedra Petri locatur. Sedit autem mensibus VII. & cessat diebus XVIII. Hìc attende, quia quædam Historiæ dicunt, quòd annis VII. Sed Ammonius in gestis Francorum, & Eginardus in gestis Ludovici filii Caroli Magni, & Imperatoris præsentis videntur concordare cum Martino, qui scribit solùm de mensibus VII. Tradunt enim prædicti Auctores, quòd post mortem Leonis Papæ Stephanus Diaconus Cardinalis in Papam assumitur, & post consecrationem suam nondum duobus mensibus exactis, quàm celeriter potuit ad Ludovicum Imperatorem in Franciam vênit. Caussam autem non specificant; sed esse potuit inimicitia aggravata Ecclesiæ ex proscriptione Magnorum Urbis, ratione Leonis sui Antecessoris facta per Carolum Magnum patrem ejus, ut supra est manifestum. Unde etiam Leoni subvenit per Bernardum nepotem suum, & Regem Italiæ, quia jam incipiebant ipsum vexare post mortem patris. Ut igitur majorem haberet vigorem in suo Pontificatu, vênit ad Ludovicum, sicut & Stephanus II. ad Pipinum contra Longobardos.

CAP. XIX.

Qualiter Ludovicus Imperator ipsum per Nepotem suum mandat honorabiliter recipi, & ipse vadens Remis, honorabiliter suscepit.

EXpositâ igitur caussâ sui adventus, quam Historiæ non exponunt, Imperator honorificè eum suscipit. Modum autem honoris refert Eginardus in libro de gestis Caroli, & Ludovici filii ejus. Primò enim hoc cognito, per Legatos, seu Nuntios Papam ipsum constitutum, & Pontificem consecratum ad eum ex certa caussa venire, jussit Imperator Nepoti suo Bernardo eidem obviam ire. Et cùm appropinquaret, alios transmisit solemniores quantùm ad Clerum, videlicet Hildebuldum Sacri Palatii Archicapellanum, Theodulphum Archiepiscopum Aurelianensem, Joannem Episcopum Arelatensem, aliorumque copiam Ministrorum Ecclesiæ procedere jussit infulis indutos Sacerdotalibus. Ipse autem Imperator Remis se conferens ad Pontificem honorandum, cùm audisset ipsum propinquum ad milliare, eidem occurrit ab Ecclesia Sancti Remigii, ac de equo descendens, excepit eum, & juxta Civitatem Ecclesiam intrantem manu propria sustentavit, præcinentibus pro tanta exultatione variis Ecclesiæ Ministris *Te Deum* videlicet; quo finito Hymno, laudes Imperatori debitas Clerus conclamavit Romanus, & sic finem Dominus Apostolicus orationem complevit.

CAP. XX.

Qualiter Imperator ipsum invitat ad convivium, & Summus Pontifex Imperatorem, & die Dominico ipsum coronat in Imperatorem; de Ecclipsi Lunæ, & Cometa, post quæ Stephanus Papa moritur.

IIs expletis, expositisque causis sui adventus, ac benedictione panis, & vini similiter participata, Imperator ad suum Palatium rediit. Dominus autem Apostolicus ibidem remansit. Sequenti die ad convivium munificentissimum Imperator invitavit ipsum, donisque etiam maximis eum honorat. Die tertia Dominus Apostolicus Stephanus Imperatorem evocat ad suum convivium, mutuisque honoribus, ac amore fruuntur. Die verò Dominico infra Missarum solennia Imperator à Stephano Imperiali diademate coronatur, ad majorem videlicet declarationem Imperii, licèt ante de manu patris susceperit, & ipsius Pontificatus stabilimentum haberet. Tandem intra se amicitiam firmissimo robore constitutam, aliisque utilitatibus Sanctæ Dei Ecclesiæ pro temporis opportunitate dispositis, cunctis quæ poposcerat impetratis, Romam cum decenti rediit comitiva. Scribit autem Martinus, quòd in Francia invenit multos captivos de Italia, quos redimens, duxit secum: Imperator autem ad Compendium secedit, ibique nuntios diversorum Principum recipit, & inde Aquisgrani hyematurus accessit. Eodem anno Nonis Februarii Luna Eclipsim patitur horâ noctis secundâ. Sed & Cometa portentuosus apparuit in Signo Sagittatoris, ut Ammonius, & Eginardus ubi supra referunt, non carente effectu, sed monstrante, quia præter alias Mundi novitates Stephanus Papa post tertium mensem à suo reditu de Francia Romæ existens occupatus infirmitate diem clausit extremum, ex quo patet, de brevitate vitæ dicti Pontificis, ut supra est allegatum.

CAP. XXI.

De Ludovico Imperatore, & virtuosis ejus operibus, qualiter studuit ad implendam voluntatem patris, & suam familiam virtuosè disponit.

HUic succedit Paschalis sub Ludovico Imperatore, uti dicti referunt Auctores ubi supra, videlicet Ammonius, & Eginardus, qui ipsum Imperatorem describunt virum fuisse virtuosum, ut ex jam dictis est manifestum. Imitatus est enim viam patris, quantùm ad reverentiam Romanæ Ecclesiæ, & in pluribus aliis, quæ virtutem attollunt in ipso. Hic autem ante mortem patris, ut prædictæ Historiæ scribunt, in Aquitania, & ultra Garonnam fuit Rex constitutus per patrem, & adhuc in ætate tenella. Postquam autem ad ætatem pervenit adultam jam aspirat ad Celtiberiam, quæ nunc Cathalonia nuncupatur; unde & Barchinonam per ob-

obsidionem obtinuit, & alias partes dictæ Provinciæ, quæ omnia Catalogo relinquimus Imperatorum. Hoc tantùm nunc referre sufficiat, quòd dictus Ludovicus patris non interfuit sepulturæ, nec esse potuisset, quia febre correptus, septimo die moritur. Ipse autem distabat per XVIII. dietas, & ultra. Veniens igitur Aquisgrani cum bona & honorifica comitiva, duo fecit digna memoria & exemplo, ut dictus refert Eginardus in ejusdem gestis. Unum fuit circa testamentum patris, quia facta eidem relatione de ipso, totum mandavit executioni mandari, sive de mobilibus, sive de aliis, & per easdem personas, de quibus in suo testamento mandavit, quod supra patet in dicto testamento patris Cap. præcedenti. Unde quietè, & sinè controversia totum est executioni mandatum, totusq; fuit suus conatus ad consolationem Officialium sui genitoris, & insuper gratias reddens in benefactis. Secundum autem, quod fecit, fuit dispositio familiæ, quam invenit, sed præcipuè fœminarum, quæ in multitudine erant, ut dictus refert Eginardus, quam excludi palatio judicavit ad majorem honestatem suæ domus, quamvis omnes essent suæ propinquæ, aut eisdem servientes, exceptis iis, quas habebat sorores. Cunctis igitur recedentibus ad propria, sororibus suis affectu fraterno provideri mandat secundùm dispositionem patris, & quantùm cultus Regius, & morum ipsarum requisivit honestas, sicut vir omni florens virtute, majestate servata. Quid autem in suo regimine ulteriùs egerit, iis deductis sub Stephano Papa, ad subsequentem Pontificem reservemus, Paschalem videlicet, quæ multa sunt, & quæ referri non possunt perfectè, nisi aliquid de gestis Imperatoris tradatur.

CAP. XXII.

De Paschali Primo, & CI. Pontifice, & virtuosis operibus ejus, de magna amicitia, & familiaritate, quam habuit cum dicto Principe, & qualiter coronavit Lotharium.

ANno igitur Domini DCCCXLII., & ab Urbe condita MDXCIV. Paschalis Primus natione Romanus ex patre Martino in Summum assumitur Pontificem. Hic corpus Beatæ Cœciliæ, ipsa eidem revelante, & corpora Beatorum Tiburtii, & Valeriani, nec non & Sancti Urbani Papæ de cœmeterio, ubi fuerunt recondita, manu propria elevans, circa Urbem in Ecclesia Beatæ Cœciliæ honorificè collocavit. Hic etiam ante ambitum ad corpus Beati Petri circa ostia ærea eidem Altare construxit, & in ipso corpus Sancti Sixti I. recondit. Hic etiam Ecclesiam Sanctæ Praxedis reparans, Congregationem Monachorum Græcorum ibidem instituit, & circa duo millia Sanctorum corpora ex cœmeteriis ibidem gratiosè recondit. Hic Paschalis multa fuit familiaritate conjunctus Ludovico Imperatori, unde scribit idem Auctor Eginardus in gestis ejusdem Imperatoris, & Ammonius in gestis Francorum, quòd cùm gloriosus Imperator nuptias celebravit pro filio suo Lothario, quem postea Imperatorem constituit, dictus Papa Paschalis, suos Legatos transmisit Theodorum Primicerium Romanæ Ecclesiæ, & Florium cum magnis variisque muneribus. Item scribit idem Eginardus, & Ammonius ubi supra, quòd cùm Lotharius venisset in Italiam jam coronatus à patre, faceretque justitias magnas, prædictus Paschalis misit pro eo, ut Romam veniret, & præcipuè cùm audisset, ipsum in Galliam velle reverti; cùmque venisset ad Urbem, honorificè à Paschali susceptus est, & in die Sancto Paschæ eidem Coronam Imperii tradidit, sciens ipsum ad hoc idem coronatum à patre.

CAP XXIII.

Qualiter Lotharius coronatus à Paschali, de Urbe vadit in Galliam, & de provisione, quam fecit Ludovicus de Episcopo Metensi.

REcedens autem à Roma cum benedictione Paschalis, vadit Papiam, & ibidem quibusdam necessitatibus aliquanto tempore commoratus, inde vênit ad patrem. Eo verò tempore mortuo Metensi Episcopo, quemdam nobilem Drogonem nomine, immo dicunt Historiæ ipsum fratrem Ludovici fuisse sub Canonico habitu nobilissimè viventem, ad petitionem Cleri & Populi Imperator Ludovicus constituit Episcopum in eadem Ecclesia, Clero, & Proceribus, ac Populo quasi ad hoc idem spiritu conjurante. Et attende, quia, ut Historiæ memoratæ tradunt, Imperator Ludovicus circa modum vivendi Clericis magnum quidem conatum adhibuit, ac cum reverentia renuntiavit Paschali Papæ dignitates per Concilium, & Adrianum Papam Patri suo collatas, ut supra patet; & invenitur installationibus cessisse, si bene attendimus ad Decretum, in quo prædictorum fit mentio, ut patet dist. XLIII. Cap. *Ego Ludovicus*.

CAP. XXIV.

De quibusdam Clericis occisis in Urbe, de quibus diffamatus fuit Paschalis Papa, sed purgatio sua acceptata fuit per dictum Principem.

HOc etiam tempore, ut Eginardus scribit ubi supra, perlatum est Imperatori, Theodorum Primicerium Romanæ Ecclesiæ, & Leonem quemdam in Ecclesia Lateranensi excœcatos fuisse, & decollatos; & tamquam fideles Lotharii talia fuisse perpessos: in qua re fama quoque Romani Pontificis lædebatur, quasi consentiens fuisset in facto. Imperator autem Ludovicus hanc rem ponderosam existimans, voluit ipsam enucleatissimè fore investigandam. Unde & Adelongum Abbatem Monasterii Sancti Vedasti dignum fide, & Unfridum Comitem Curiæ transmittit ad Urbem. Sed ex parte Paschalis missi supervenerunt Joannes Episcopus Sylvæ candidæ, & Benedictus Archidiaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, accusationi opponentes excusationes, & super ista Imperatoriam offerentes examinationem. Quibus auditis, & cum congruo responso remissis, Missos destinatos, ut jussum fuerat, Romam transmisit; & comperto, quòd Summus Pontifex à prædicto delicto erat immunis, redierunt ad propria, hæc referentes Imperatori, simul & narrantes: offensos offendentibus dedisse occasionem; quamvis in hoc excusari non possunt, quia metam excesserunt læsionis.

CAP.

CAP. XXV.

Qualiter Ludovicus Imperator distinxit terras Imperii à terris Ecclesiæ, scribendo Paschali Papæ; & de magnis signis, & prodigiis, quæ isto tempore apparuerunt.

SCripsit autem Imperator Ludovicus unam epistolam Paschali Papæ, postquam dignitatibus renuntiavit, patri per Adrianum, & Concilium traditis, in qua epistola distinguit terras Imperii à terris Ecclesiæ propter regimen: totam enim Terram in Tuscia dicit ad Ecclesiam pertinere præter has, quas Imperiales appellat, videlicet Civitatem Castellanam cum suo territorio; Civitatem Aretinam, Senensem, Vulterranam, Clusium, Florentiam, Pistoriensem, Lucanam, Pisanam cum suis territoriis, & similiter Lunensem. Omnes has Civitates definit dictus Imperator esse Imperii. Ibidem etiam confitetur Romagnolam, vel Romandiolam cum Bononia jurisdictionis esse Ecclesiæ; Perusium autem, & Tudertum, ac Urbevetum excludit ab Imperio, & cum aliis Civitatibus in circuitu Urbis, & Ecclesiæ derelinquit. Hanc autem epistolam ego vidi, & legi in antiquis libris cujusdam solennis Monasterii, quæ continebat prædicta. Istis temporibus referunt Historiæ prædictæ, quòd magna apparuerunt prodigia, Ammonii videlicet, & Eginardi ubi supra. Primò quidem terræmotus magnus fuit in Aquensi palatio, & sonitus inauditus nocturno tempore. Puella inventa est in territorio Tullensi XII. mensibus sinè cibo fuisse; crebra, & inaudita tonitrua, ac invisa fulgura in Saxonia visa sunt, ubi XXIII. Villæ sunt concrematæ cum hominum læsione. In Italia, ubi una Imago Beatæ Mariæ puerum in gremio tenentis, ac Magorum munera offerentium ob nimiam vetustatem obscurata, & pæne abolita, tanta claritate per duorum dierum spatium refulsit, exceptâ Magorum picturâ, sive muneribus, quæ similiter splendiderunt, ut omnem splendorem novæ picturæ vincere videretur. In multis partibus dictæ regionis fruges grandinis vastatione deletæ sunt; atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine lapides ingentis ponderis de Cœlo cecidisse visi sunt: hominesque, ac cetera animalia passim fulminum ictu, præter solitum cursum, exanimata reperiuntur.

CAP. XXVI.

Qualiter ex istis signis sequuta est pestilentia, & hominum mortalitas, pro quibus Imperator indixit jejunium.

POst quæ sequuta est magna pestilentia, atque hominum mortalitas, quæ per totam Franciam horribiliter transiit, hominesque consumsit. Ea tempestate Paschalis Papa moritur, & multi Principes in Italia. Propter quæ omnia piissimus Imperator, ut scribit Eginardus, jejunia indici fecit, orationumque instantias, & eleemosynarum largitionem ad Divinitatem placandam. Tradunt autem aliquæ Historiæ, quòd post ista prodigia sequuta fuit turbatio, quam cum fratribus habuit, quamvis ipse prævaluerit cum fratrum exitu infelici. Insuper & turbatio sui Imperii, de qua infra Historiæ referunt, & in sequenti dicetur Capitulo. Hæc de Paschali Papa dicta sufficiant. Sed advertendum est, quòd Imperator Ludovicus cum multis Pontificibus concurrit, quia vixit in Imperio XXVII. annis, ut scribit Richardus, quia concurrit cum Leone III., ut supra patet, cum Stephano IV. & Paschali ut jam est manifestum. Huic autem Pontifici defuncto succedit Eugenius, de quo nunc est dicendum. Sedit autem Paschalis Annis VII. diebus XVII. & cessavit dies XVIII.

CAP. XXVII.

De Eugenio II. & CII. Pontifice, qualiter fuit electus in discordia, sed prævalet; qualiter ista de caussa Ludovicus misit filium Lotharium Romam pro sedanda turbatione.

ANno Domini DCCCXLIX., & ab Urbe condita MDCI. Eugenius II. natione Romanus ex patre Beamundo in Cathedra Petri locatur. Sedit autem Annis III. mensibus II. Hic, ut Ammonius in gestis Francorum scribit, in discordia est electus, quia duo per contentionem populi sunt electi. Sed Eugenius Archipresbyter tituli Sanctæ Sabinæ, prævalente nobilium parte, & majori numero, subrogatus, atque ordinatus est. Iis autem nuntiatis Imperatori Ludovico, & de morte Paschalis per Cyrin m Subdiaconum Urbis Romæ, qui fuit unus ex iis, qui legatione prim usi fuerant coram ipso pro memorato Pontifice defuncto: cùm audisset pius Imperator, & intentus esset ad expeditionem Britanniæ, quam postea igne ferroque devastavit, Lotharium filium suum Imperii socium Romam mittere decrevit, ut vice sua functus, ea. quæ rerum necessitas flagitare videbatur cum novo Pontifice, & Romano Populo, statueret, atque firmaret. Et attende hic ad ea, quæ Ammonius hìc dicit. Isti Pontifices, qui fuerunt tempore Ludovici, omnes indiguerunt auxilio ejus propter discordiam inter ipsos, & Romanos cives, sicut ex dictis apparet. Ad hæc igitur sedanda ex mandato patris dictus Lotharius post medium Augustum Romam profectus est; & ab Eugenio Pontifice honorificè susceptus est, ut scribit Ammonius, & Eginardus ubi supra.

CAP. XXVIII.

Qualiter Lotharius veniens Romam, omnia pacificavit; de nuntiis Imperatoris Constantinopolis, qui venerunt in Galliam, & caussa quare.

POst hæc statim populus Romanus pacificatus est cum Pontifice, qui priùs deprav tus erat per Antecessores; unde ex benevolentia Eugenii, & ad suam petitionem, Lotharius bona, quibus spoliati fuerant cives Romani ad petitionem Pontificum, vel per ipsorum amicos, restituta sunt. Ex quo facto Romani consolati sunt ex adventu Lotharii; & sic inter Ecclesiam, & Romanum populum pax est reformata. Statuit etiam ibidem juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercerent potestatem, justitiamque facerent Romano populo: & sic est pacatus. Cùm redisset ad patrem, narravit gesta per ipsum, & gavisus est, ut scribit Eginardus. Interea nuntii Imperatoris Michaëlis Constantinopolitanæ Urbis ad Ludovicum veniunt cum

For-

Fortunato Patriarcha Venetorum, eidem literas, & munera deferentes, ut dicti Auctores scribunt. Inter quæ aliæ Historiæ tradunt, quòd fuerunt libri Beati Dionysii, qui quidem libri adhuc in Francia fortè non habebantur, licèt in Italia essent, ut patet, quia Beatus Gregorius allegat in Homelia de centum ovibus. Ii autem nuntii duplici de caussa venerunt. Una fuit pro pace confirmanda ad invicem; secunda fuit de Imaginum veneratione. Quantùm ad primam Imperator Ludovicus assensit; quantùm ad secundam dixit se velle Apostolicam Sedem requirere: quod & fecit, & sententia prævaluit, quòd Imagines in veneratione forent, ut sanxerunt anteriores Patres in suis Conciliis, & ipsi etiam Principes veri Catholici.

CAP. XXIX.

De quibusdam signis, quæ hoc tempore apparuerunt in aëre, postquam sequuta est tribulatio non modica quantùm ad statum Imperii.

Eo verò tempore, ut scribit Ammonius, paucis diebus ante solstititium æstivale in territorio Augustudunensi, aëre in tempestatem subita mutatione converso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine de Cœlo cecidisse narratur, cujus longitudo XV. latitudo VII. grossitudo duos pedes habuisse fertur. Eo etiam tempore Luna passa est Eclipsim bis in eodem anno, post quam magna & horribilia sunt sequuta circa statum Imperii. Gesta enim Francorum narrant, quòd Ludovicus post turbationem, quam cum Fratribus habuit, in qua & prævaluit, post omnia prodigia, de quibus supra est facta mentio, filii sui cum Optimatibus & Populo, contra ipsum rebellant, & ultimò traditur in manibus filiorum. Habuit enim tres filios, videlicet Lotharium, Pipinum, & Ludovicum Primum quidem Cæsarem fecit, & Italiam regendam eidem commisit. Secundum verò Aquitaniæ Regem & Principem constituit. Tertium verò, videlicet Ludovicum, Bavariæ & Germaniæ Regem, & Principem constituit. Habuit etiam quartum, cui nomen Carolus, quem constituit Regem Franciæ, qui est dictus Carolus Calvus; sed gubernationem non habuit, vivente Patre. Fuit enim minor inter fratres; sed postea major, ut infra patebit. (*) *Nota de primo Rege Germaniæ, & speciali, quia ante Rex Francorum eis dominabatur, ut patet supra de Pipino, & patre ejus Carolo Martello, & filio Pipini Carolo Magno.* Ii ergo filii arma eidem deponere mandant, & ipsum recludunt. Unde uxori ejusdem velum imponunt, ut Ammonius scribit, immo ipsa vexata sub sua fide promisit, quòd virum induceret ad intrandam Religionem.

CAP. XXX.

Qualiter Ludovicus in sua tribulatione ad Deum recurrit, & exauditus est pro sua reverentia; & de Eugenio concluditur.

Hic igitur sic humiliatus ad Deum pius Imperator recurrit. Et attende, quia ad tantam vênit vexationem, quòd, ut Historiæ tradunt, & Eginardus, & Martinus dicunt, quòd ipse Gregorius IV., qui cum Ludovico concurrit, ut jam dicetur, & omnes quasi Episcopi cum filiis Ludovici, & Optimatibus, ac populo se tenerent, ita quòd ex omni parte videbatur destitutus fuisse. Sed cùm ad Deum haberet refugium, ipso disponente, post tantam tempestatem circa ipsum tranquillum facit. Unde eodem anno populus de scandalo Imperatoris pœnitens, ipsum pristino honori restituit, filiique ejus exposcunt veniam de commissis. Sed resumendum adhuc de Eugenio, & postea prosequetur de Valentino, & Gregorio IV. scribunt enim Historiæ de ipso duo; quorum unum est, quòd cùm ipse esset Cardinalis Sanctæ Sabinæ, eamdem Ecclesiam Cyburio argenteo super altare decoravit solenni. Secundum autem non invenio in authenticis Historiis, nisi quòd Martinus refert ipsum fuisse à civibus Romanis cœcatum, & postea occisum. Sed Ammonius, & Eginardus ubi supra commendant ipsum de benignitate, & de communi morte sua faciunt mentionem, sed non de morte violenta sive gladii, sive martyrii. Sepultus est enim in Ecclesia Beati Petri in Vaticano.

CAP. XXXI.

De Valentino I. & CIII. Pontifice, circa quem quamvis parum sederit, tamen aliqua notabilia dicuntur.

Anno Domini DCCCLIII. & ab Urbe condita MDCV. Valentinus I. natione Romanus in Summum assumitur Pontificem. Sedit autem parum, quia vix uno mense, ut omnes Historiæ tradunt. Martinus tamen dicit de XL. diebus. Fuit autem Diaconus Cardinalis, ut Eginardus tradit. Scribit autem Cusentinus, quòd coronavit Ludovicum, quod esse non potuit, quia gesta Francorum hoc attribuunt Stephano IV. & Paschali I. Præterea ita modicum vixit, quòd consecrationem Pontificalem non videtur habuisse, cùm Diaconus sit assumtus; nec invenitur, quòd tempore illo Ludovicus fuerit in Italia, nec quòd Valentinus venerit in Galliam, sicut Stephanus fecit. Potuit tamen esse, quòd eidem misit coronam de Urbe, adhuc non consecratus, quia auctoritas Summi Pontificis statim habet vigorem post electionem, ut patet de Adriano V. qui fecit anno Domini MCCLXXVI. qui Diaconus Cardinalis erat, nec consecrationem habuit, & tantum vixit, quantum Valentinus, & tamen constitutionem Gregorii X. suspendit de inclusione Cardinalium. Sepultus est autem in Ecclesia Beati Petri in Vaticano. Sed quia parum vixit, pauca de ipso dici possunt, & pauca potuerunt accidere, nisi quòd jam incipiebant scaturire turbationes Ludovico de rebellione filiorum suorum: propter quod renovata fuit fortè sibi corona; sed tempore Gregorii IV. fuit consummata, de quo nunc est agendum, quia fuit successor Valentini, ut scribit Ammonius ubi supra, & Eginardus prædicti.

CAP.

(*) *Italico Charactere conscripta verba desiderantur in Codice Patavino.*

CAP. XXXII.

De Gregorio IV. & CIV. Pontifice, qualiter Ludovicus suo tempore fuit humiliatus, sed postea per industriam Pontificis restitutus.

ANno igitur Domini DCCCLIII. & ab Urbe condita MDCV. ut supra, quia Prædecessor numerum non auget, Gregorius IV. in Cathedra Petri locatur natione Romanus ex patre Joanne. Sedit annis XVI. ut omnes Historiæ referunt. Sub isto verò ea, quæ de Ludovico facta sunt, quantum ad sui humiliationem, peracta inveniuntur; unde ipse Imperator de ipso conqueritur, ut scribit Eginardus, quia non ita celeriter, ut debuit, occurrendo subvenit; immo aliquæ tradunt Historiæ, & idem videtur dicere nominatus nunc Auctor, quòd conjunxit se cum filiis & aliis adversariis Imperatoris; & tamdem communem se faciens utriusque partis ad concordiam hortans unumquemque, (*) per gravem excommunicationis censuram; ac sic populus, sic optimates, sic filii, (sed præcipuè Lotharius) Imperatoris Ludovici se suæ subjiciunt ditioni. Unde resumtis armis, ac Imperialibus dignitatibus, sive honoribus pristinæ Regiæ Majestati restitutus, sic, ut priùs, imperat cum Augusta uxore sua, quæ in Monasterio inclusa fuerat, per filios, & optimates, ac populum violenter relata, ut supra est manifestum. De hac turbatione in Catalogo Imperatorum dicetur prolixius. Sed nunc hæc sufficiunt esse dicta.

CAP. XXXIII.

Qualiter Ludovicus, sicut pius Princeps, postquam restitutus est, omnibus indulsit.

AD hoc pius Imperator considerans Dei benignitatem circa suum statum, subditorum pœnitudinem, & optimatum, ac filiorum reverentiam, piè omnibus indulsit. Tradit autem Eginardus, quòd Episcopi, & optimates ipsum cinxerunt armis, quibus antea per filios fuerat spoliatus. Et attende, quia refert idem Auctor ut supra, quòd in ista vexatione non cessavit tempestas in aëre, quamdiu Imperator fuit in tribulatione. Sed eo restituto facta est serenitas & tranquillitas magna, quia facta restitutione in Quadragesima; eo tempore, quo cantatur *Lætare Mater nostra Hierusalem*. Propter quod maxima multitudo suorum Fidelium ibidem convenit, eique congratulans, ac omnis lætitiæ faciens signa: quos Imperator benignè suscipiens, & pro fidei integritate gratias agens, omnes in propria remisit. Refert autem idem Auctor de ipso, quòd ita fuit plenus benevolentia & amore, quòd paci semper studens, pacisque semper amator existens, & unitatis, quærebat non tantùm filios, sed etiam inimicos uniri caritate. Et quamvis totus esset benignitate formatus, inhonestatem tamen Cleri ægrè ferebat.

(*) *In Cod. Patav.* Excomunicationis censuram, ac alias pœnas sit comminatus. Sic filii, sed præcipuè Lotarius, Imperatoris Ludovici se subjiciunt ditioni: unde &c.

CAP. XXXIV.

Qualiter iste Gregorius instituit cum beneplacito Ludovici, & omnium Prælatorum Galliæ & Germaniæ, Festum omnium Sanctorum ad Calendas Novembris reduci. De insultu Saracenorum in Urbe Romana.

NUnc igitur ad Gregorium Papam IV. redeundum est, & de his, quæ fecit cum dicto Imperatore. Quia cum assensu ejusdem Principis post suam restitutionem, & omnium Episcoporum Galliæ, & Germaniæ, qui tunc convenerant, Festum omnium Sanctorum ad Calendas Novembris reduxit, & eo tempore instituit celebrari: de quo require supra, ubi agitur de Bonifacio IV. Hic Gregorius, ut Martinus scribit, Ecclesiam Sancti Martini in monte priùs à fundamentis destruxit, & postea novis fabricis erexit. Hujus tempore quidam scelerati Christiani miserunt ad Soldanum Babyloniæ ut veniens Romam, Italiam possideret; tantaque multitudo Saracenorum superveniens, ac per portum Centumcellensem intrans, vênit Romam, ut totam superficiem terræ, quasi locustæ implere viderentur. Obsidentes igitur Romam capitur ab eis Civitas Leonina, Ecclesia Sancti Petri spoliatur, & equorum stabulum efficitur; & non solùm Roma, sed etiam pars Tusciæ devastatur. Tamdem ad petitionem Gregorii Guido Marchio Lombardiæ cum gente Longobardorum veniens, & postea Ludovicus cum Gallicis, cum multa sanguinis effusione Christianorum fugati sunt. Redeuntes autem Saraceni ad propria, licèt cum damno non modico, Apuliam intrant, & devastant, & similiter Siciliam.

CAP. XXXV.

De operibus virtuosis istius Pontificis, & de Rhabano Doctore, qualiter floruit tempore istius Pontificis, & qualia scribit.

HIc etiam Beatus Pontifex Sanctorum Martyrum corpora Sebastiani, Gorgonii, & Tiburtii à cœmeteriis, in quibus ante jacuerant elevans, ad Ecclesiam Beati Petri transferri facit, & in Oratorio B. Gregorii (**) honorabiliori disposuit sepultura. Et sic Sanctus Pontifex post nimia bona, quæ fecit, diem clausit extremum, & in Ecclesia Beati Petri sepelitur. Hujus Pontificis tempore, & Ludovici, floruit Rhabanus Monachus, & Abbas Fuldensis Monasterii, Poëta magnus, & in Theologia præclarus, quem Richardus dicit fuisse Magistrum Alcuini Philosophi. Sed hoc non videtur, quia ille fuit Magister Caroli Magni, ut supra patet, sed fortè iste fuit alius Alcuinus: Hic autem Rhabanus commentatus est libros Regum, quod commentum ego vidi; item libros Paralipomenon, ut ipse dicit in Prologo super librum Machabæorum, quem similiter commentatus est, & Imperatori Ludovico direxit; & eamdem expositionem Geraldo Sacri Palatii ejusdem Imperatoris transmisit, ut ibidem patet. Hic etiam Rhabanus Sermones ad populum scripsit, sed præcipuè in Festo omnium Sanctorum, &

(**) *In Cod. Patav. additur*: collocavit. Corpus etiam B. Gregorii honorabiliori disposuit sepultura.

& de Cruce, qui in Ecclesia leguntur propter ipsorum luculentum Sermonem. Et multa etiam alia scripsit ad ædificationem fidelium, sicut Doctor literis plenus: propter quod & in conspectu dicti Imperatoris gratiosissimus fuit Abbas.

CAP. XXXVI.

De portento, quod apparuit tempore istius Pontificis, & Imperatoris, & de disputatione, quam habuit super hoc cum Eginardo Philosopho in judicando de hoc signo.

HOc etiam tempore portentum Cometæ apparuit, & valde singulare. Sic enim Eginardus ipsum describit, quòd primò in signo Virginis visum est, nec motum suum habuit versus Orientem, ut stellæ errantes, sive Planetæ, sed potiùs versùs Occidentem. Transivit enim à signo Virginis in signum Leonis, Cancri, & Geminorum, ac Tauri, ibique se figens, globum igneum emisit, jubarisque prolixitatem deposuit. Quod cùm Imperator horum doctus, contulisset cum Eginardo Philosopho, ac horum Scriptore, nec dictus Doctor portenti hujus effectum auderet exprimere, ultimò subjungit Imperatori mutationem Regni, ac mortem Principis insinuare. Cùm enim Eginardus in medium testimonium Prophetiæ introduceret: *A signis*, inquit, *Cœli ne timueritis, quæ & gentes pavent*, pius Imperator solita usus magnitudine & prudentia: *Non alium*, inquit, *timere debemus, nisi illum, qui noster, & hujus Creator est sideris; sed ejus clementiam imitari, & laudare tenemur, qui nostram inertiam, cùm peccatores simus, talibus admonere dignatur indiciis. Quia ergo & omnes communiter tangit portentum, omnes pro posse, & sapere ad meliora festinemus, ut misericordiam ab illo dominante, & portenta tanta dante consequi valeamus.*

CAP. XXXVII.

De pia operatione Ludovici circa istud portentum, quia recurrit ad Deum, & evadit portentum, licèt multos alios tetigerit.

SEquenti verò die Ministros aulicos in crepusculo vocat, eleemosynasque pauperibus largissimè, ac servis Dei tam Monachis, quàm Canonicis porrigi jussit; Missarumque solennia per quoscumque potuit, celebrari fecit; illisque temporibus multùm prosperè sibi cessit, arrisitque fortuna. Et quamvis non tetigerit Ludovicum dicta impressio, tamen statum Ecclesiæ tetigit ex adventu Saracenorum ad Sanctum Petrum, de quò dictum est supra. Insuper & eo tempore Michaël moritur Imperator Constantinopolitanus, cui succedit Leo Armenus, & imperavit septem annis, ut scribit Gothofredus, & de hoc etiam Cusentinus scribit; & ex tunc Imperium Constantinopolitanum deficit, tum à parte Orientis, & Meridiei, tum à parte Occidentis, & Septentrionis propter Imperium in Germanos translatum.

CAP. XXXVIII.

De signis, quæ apparuerunt circa mortem Ludovici, & Gregorii IV., & quomodo Ludovicus piè, & devotè disponit de se & familia.

QUia verò obitus Papæ Gregorii, & Ludovici, quasi simul concurrit, si attendimus ad tempora, quibus Ludovicus imperavit, quia annis XXVII. ut Eginardus, & Richardus scribunt, & quasi tantundem Pontifices, qui cum ipso sederunt: ideo tractanda sunt, quæ circa finem utriusque acciderunt in Mundo. Scribit enim dictus Eginardus, quòd appropinquante Ludovico ad mortem, fuit eclipsis Solis, & maxima in tantùm, quod sic fuit aër obtenebratus, sicut de nocte, & sic sidera apparebant, & sic Luna recessit à Sole, quod lumen videbatur recipere, tanquam in novilunio accidit. Post hoc ægritudo invalescit contra ipsum, ipse providens, de Imperio, quantum ad Lotharium; de Regnis, quantum ad alios filios, legitimè disposuit. Testamentum, pro Ministris aulicis, pro Ecclesiis, & piis locis, pro pauperibus viduis, ac pupillis magnum, & copiosum facit; & sicut verus Catholicus Ecclesiastica Sacramenta suscipit, præsentibus multis Prælatis, & per manum Drogonis Episcopi Metensis fratris sui. Sicque in multa devotione moritur piissimus Imperator, sepultus apud Metum, ubi & Mater ejus in Basilica Sancti Arnulphi. Et hæc de Ludovico, & Gregorio IV. in isto Capitulo dicta sufficiant, qui simul concurrerunt in morte.

Explicit Liber Decimusquintus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER XVI. Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Sergio II. & CV. Pontifice; circa quem Pontificem quæstiones moventur, & solvuntur.

Anno Domini DCCCLXX. & ab Urbe condita MDCXXII. Sergius Secundus natione Romanus ex patre Sergio in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis III. mensibus II. Et cessavit dies XV. Hic vocabatur Os Porci; unde ab ipso in antea omnes proprium nomen mutaverunt. Iste coronavit Lotharium in Imperatorem, quamvis antea pater suus coronaverit eum, ut supra est manifestum. Sed attende hic, quia id esse non potest, quia infra dicitur, quòd coronavit Ludovicum filium Lotharii; & constat, quòd Sergius non sedit, nisi tribus annis. Lotharius autem imperavit XV. vel XVI. annis; & propterea supra scribitur de Lothario, quòd fuit coronatus à Gregorio. Scribit autem Vincentius Belluacensis, quòd quando Sergius fuit electus, Lotharius misit Ludovicum filium suum ad electionem confirmandam: quod non videtur verum, quia jam pater suus Ludovicus renuntiaverat huic dignitati: unde ad verificandum dictum Auctorum, illa confirmatio importabat solùm favorem ex sua præsentia, & non auctoritatem. Unde dicit Vincentius, quòd Sergius unxit eum in Regem Longobardorum, quod aliæ Historiæ, ut Martinus, & Cusentinus Coronam Imperii vocant; quia in sola Italia remansit merum Imperium præter terras Ecclesiæ, de quibus dictum est supra, & in parte ostenditur in Cap. *Ego Ludovicus* dist. LXIII. quæ terræ pertinent ad Imperium, & quæ ad Ecclesiam. De hoc Sergio parum loquuntur Historiæ, nisi quæ dicta sunt. Sed suo tempore multa acciderunt. Isto enim tempore imperat Lotharius filius primogenitus Ludovici I. Et frater ejus Carolus apud Francos regnat, qui fuit quartus à Pipino, & XXVIII. à primo secundùm Vincentium, sed secundùm Ammonium XXVI. & regnavit annis XXIX. Sed Lotharius III. Imperator à Carolo Magno.

CAP. II.

De pugna filiorum Ludovici, qui erant quatuor, in qua magna est facta strages, & caussa ponitur quare, & de multitudine Saracenorum, qui Romam invadunt.

Post quæ inter Lotharium, & fratres suos, videlicet Ludovicum Regem Germaniæ, Pipinum Regem Aquitaniæ, ac Carolum Regem Franciæ, qui & Calvus dictus est, ex æmulatione Imperii magna oritur turbatio, ita ut magna pugna fuerit inter eos. Ii enim duo Reges maximum congregant exercitum in regione Antisiodorensi, & Lotharius suum exercitum contra dictos Reges; tantaque facta est utrorumque pugna, quòd numquam facta est ante in gente Francorum. Sed cùm vires eorum sic essent attenuatæ, ut hostibus resistere non possent, Saraceni audaciam assumunt contra Christianos, ut scribunt diversæ Historiæ, quia in multitudine venientes de Africa Romam invadunt, Ecclesias Beati Petri, & Beati Pauli, & alias devastant; qui postea redeuntes versùs Regionem suam in alto pelago maris fluctibus submerguntur.

CAP. III.

Qualiter Lotharius habitum Religionis assumit; de conversione Danorum ad Fidem, videlicet Regis, & Regni; & hoc idem fertur de Bohemis.

Hic Lotharius, ut scribit Martinus, Imperii sui anno XV. partito inter filios Regno, renuntiavit seculo, accepto habitu Monachali, ubi sanctè & religiosè vivens, obdormivit in Domino; de cujus anima maxima inter Angelos, & Dæmones fuisse dicitur altercatio, ita quòd cunctis assistentibus corpus ipsius distrahi videbatur. Sed orantibus Monachis Dæmones sunt fugati, ut Martinus refert. Regnavit autem per se annis X., quinque verò cum filio suo Ludovico, ut scribit Martinus. Iis temporibus, licet Martinus scribat, quòd tempore Ludovici, aliæ tamen Historiæ, quòd tempore Sergii, & Lotharii, Rex Danorum cum uxore sua, & filiis, & magna parte dictæ gentis Daciæ apud Moguntiam baptizantur. Hujus etiam tempore Ludovicus Rex Germaniæ XIV. Duces Bohemorum, & Polonorum baptizari fecit, & doceri.

CAP. IV.

De vexatione Normannorum, super quo facto homines stupent in ipsorum aggressu; de Helena Constantini matre, & de quibusdam novitatibus circa Monasterium quoddam.

Per idem tempus Normanni, qui & Norvegi, de mari per Ligerim intrantes, Galliam infestant, & præcipuè Aquitaniam, ut scribit Richardus, hæ Civitates concrematæ sunt ab ipsis, videlicet Heryo Insula, Burdogalia, Xanthonas, Engolisma, Lemovices, Pictavus. Sed de Gallia Celtica Andegavis, Turonis, Aurelianis, Parisius, B lvagus, & innumera Monasteria, & Castra destructa sunt. Comes autem Burdegalensis, & Tarachonensis à Normannis occisi sunt, ut Richardus scribit. Per idem tempus, ut Richardus tradit, Canonici Sancti Martialis apud Lemovicas in Monastichum habitum se sponte transferunt; & contrariò Monachi Sancti Martini Turonensis, abjecto habitu Monachali, habitum induunt Canonicalem. Sed mox in eadem pestilentia desunt,

sunt, quia in una nocte mortui reperiuntur. Hujus etiam Sergii tempore, hoc est anno Lotharii IX. Sancta Helena Constantini mater Romæ in Sancti Marcellini & Petri Ecclesia sepulta in Franciam transfertur, & in Diœcesi Remensi cum magna veneratione excolitur. Eo etiam tempore Pipinus Rex Aquitaniæ frater Lotharii Imperatoris Angeliacense Monasterium exstruxit, ubi caput Sancti Joannis Baptistæ, ut fertur, reposuit, quamvis ut alii dicunt, apud Urbem Regiam, hoc est in Constantinopoli esse contendant. Et attende, quia circa ista tempora est magna controversia inter Scriptores.

CAP. V.

De Leone IV. & CVI. Pontifice, qualiter Adulphus Rex Anglorum hujus Pontificis tempore venit Romam, & ex devotione obtulit tributum Beato Petro pro foco, & de vita, & doctrina hujus Pontificis.

ANno Domini DCCCLXXIII. & ab Urbe condita MDCXXVI. Leo IV. natione Romanus ex patre Radualdo in Pontificem Romanum eligitur. Sedit autem annis VIII. mensibus III. diebus XVI. & cessavit diebus VI. Hujus tempore Adulphus Rex Anglorum, qui prius totius Galliæ obtinuit Monarchiam, devotionis causâ vênit Romam, & coram Leone Papa, ut Martinus scribit, obtulit tributum Beato Petro de unaquaque domo sui Regni argenteum unum suæ monetæ, quæ est Schelino: Et hoc tributum usque hodie perseverat, quamvis ab aliquibus temporibus sit omissum. Hic Pontifex Catholicus, ut Martinus scribit, vir fuit magnæ pœnitentiæ, multæque humilitatis; Divinarum Scripturarum exstitit ferventissimus perscrutator, vigiliis & orationibus semper intentus. Hic primùm à parentibus ob studia literarum in Monasterio Sancti Martini Confessoris juxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli positus fuit, ubi non solùm in scientia, sed etiam in conversatione, tamquam perfectus Monachus profecit.

CAP. VI.

De operibus istius Pontificis virtuosis, qualiter restauravit Ecclesias Romanas, & fecit Leoninam Civitatem; & de Neapolitanis quomodo pugnaverunt cum Saracenis.

HUnc Sergius, auditâ famâ suæ sanctissimæ vitæ, Presbyterum faciens, titulum eidem Sanctorum quatuor Coronatorum assignavit; Quo Sergio mortuo, nec dum sepulto, omnes Romani tam populus, quàm Clerus, una voce Leonem in Summum Pontificem elegerunt. Non tamen intelligendum, quòd statim fuerit assumtus usque post tamen tres dies, ut statuit Bonifacius II. ut patet in Decreto dist. LXXIX. cap. *Nullus*. Postquam igitur Pontificatum assumit, Basilicas Beatorum Petri, & Pauli, & alias reparat, quas Saraceni devastaverunt sub Sergio Papa. Ipsas ergo honorificè restaurat, ut Cusentinus scribit, & præcipuè Beati Petri, ubi Cyburium argenteum super Altare ipsius constituit. Ibidem etiam tabulam auream posuit, ubi regulas argenteas Confessionis, & portas Ecclesiæ jussit describi. Hic, ut scribit Martinus, Neapolitanis pugnantibus contra Saracenos, orando collectam fecit: *Deus, cujus dexterâ B. Petrum ambulantem in fluctibus &c.*, & tunc Saraceni succumbunt, & aut capti, aut occisi sunt, aut in mari submersi. Hic consilio Imperatoris, qui tunc erat, ut quædam Chronica compendiosa tradit, propter deprædationes, & vastationes, quas in Urbe Saraceni fecerant, Ecclesiam Sancti Petri cinxit muris, & dictam Civitatem Leoninam vocavit, quasi Civitatem Leonis, secundo sui Præsulatus anno, quam in sex mensibus consummavit, & cum Clero, & populo hymnis, & psalmis, ac orationibus, dedicavit.

CAP. VII.

De oratione, quam fecit, Civitate completa; de Ecclesiis, quas ædificavit, & renovavit; de quibusdam, quæ acta sunt tempore ipsius per aliquos Principes.

POstquam autem muros Civitatis complevit, cùm seras posuit portis ejus, illam collectam adjunxit: *Deus, qui Beato Petro*, ut Martinus scribit, *collatis clavibus &c.* Hic Ecclesiam Sanctæ Mariæ Novæ ædificavit, & Ecclesiam quatuor Coronatorum, cujus titulum gerebat, cùm assumtus fuit, ampliori ornatu decoravit. Leo igitur Papa moritur, & in Ecclesia Beati Petri sepelitur, cujus festum agitur, ut Martinus scribit XVIII. Calendas Augusti, unde alius est iste Leo ab eo, de quo festum agitur in vigilia Apostolorum, qui fuit Leo I. Sed attendimus ad merita ipsius, quia fuit XLVII. à Christo. Hujus Pontificis tempore Ludovicus filius Lotharii Imperatoris coronatus à Sergio Papa, ut Martinus scribit, qui cum Patre quinque annis regnavit: quod intelligas in vita patris; sed imperavit sub Leone Papa jam dicto, & Joanne VIII. multis annis, sed non tantùm, quantùm Martinus scribit. Suo tamen tempore, & Leonis Papæ corpora Sanctorum Urbani, & Tiburtii Altisiodorum sunt translata, ut Historia Gallicorum tradunt, & in Ecclesia Beati Germani reposita. Hujus etiam tempore gens Danorum Angliam invadit, ut Martinus scribit, & devastat, Regemque piissimum, ac Christianissimum illius Provinciæ Aimundum capitali sententia condemnat.

CAP. VIII.

De quibusdam mirabilibus quæ hujus Pontificis tempore apparuerunt; de Joanne Scoto qui hujus Pontificis tempore dicitur floruisse; & quod fecit de Leone Armeno Imperatore qualiter occiditur à Michaële.

EOdem tempore in Brixia Italiæ, ut scribit Martinus, tribus diebus & tribus noctibus sanguis pluisse de cœlo fertur. Vincentius tamen dicit, quòd accidit tempore Adriani II. Hujus etiam tempore Leonis, & Ludovici, filius ejus Carolus dictus junior, per tres dies, ut scribit Martinus, in præsentia patris & Optimatum vexatus est à Dæmone; & in ipsa vexatione fassus est hoc pati, quia contra suum patrem conspirationem tractaverat. Hic Ludovicus Secundus dicitur; quintus à Pipino; sed XXIX. à primo; quartus verò Imperator à Carolo Magno. De hoc etiam Carolo tradunt Historiæ, quemadmodum cum quodam fortitudinem suam voluis-

luisset experiri, incautè peremtus periit. Horum A etiam tempore tradunt aliquæ Historiæ floruisse Joannem Scotum in Scripturis doctissimum, qui in Franciam veniens rogatu præfati Ludovici, Hierarchiam Beati Dionysii de Græco transtulit in Latinum; qui postea per discipulos stilo confossus interiit. Eo etiam tempore Leo Armenus, de quo dictum est supra, Imperator Constantinopolitanus, nuntios mittit ad Ludovicum nunc dictum pro pace reformanda; factione verò Michaëlis Comitis domesticorum in Palatio interimitur, ut Cusentinus scribit. Dictus autem Michaël Imperium assumit, & similiter pacem facit cum Ludovico II. sed in hac ordinatione Pontificum oritur discordia circa Chronicarum Scriptores, quia omnes, quos legi, B præter Martinum, tradunt post Leonem IV. fuisse Benedictum III. Martinus autem ponit Joannem Anglicum VIII. (a) sed quia de Benedicto pauca dicuntur, & quia non sedit nisi duobus annis; assumendum est de Joanne VIII., de quo Martinus mentionem facit, quia de ipso quædam notabilia dicuntur. Sed annum Benedicti adjungamus, quia inter gesta Summorum Pontificum non computatur.

CAP. IX.

De Benedicto III.

ANno Domini DCCCLXXXIII. & ab Urbe C condita MDCXXXV. Benedictus III. in Cathedra Petri sedet. Sedit autem annis II. mensibus VI. diebus IV. De hoc autem Pontifice pauca dicuntur, nisi quòd in pace vixit, & in pace quievit. Scribit tamen de ipso Cusentinus, quòd circa tempora suæ mortis Cometa apparuit in Oriente, habens Comam ad Occidentem. Hæc de isto sufficiant.

CAP. X.

De Joanne VIII. & CVII. Pontifice, qualiter Ecclesiam delusit, quia in habitu virili fœmina in Papam assumitur; & quæstio. D

ANno igitur Domini DCCCLXXXIV. & ab Urbe condita MDCXXXV. Joannes VIII. Anglicus natione in Cathedra Petri locatur, sedit autem annis duobus, (b) mensibus V. diebus IV. Et cessat mense uno. Hic, ut asseritur. Ecclesiam delusit, eo quòd in habitu virili, & actibus similiter, fœmina in summum assumitur Pontificem. Modum autem quomodo ad istum statum vênit sic Martinus refert, quia in puellari ætate in habitu virili à quodam suo amasio Athenis nutrita fuit, ibique sic in divinis, & aliis scripturis imbuta est, ut sibi par non inveniretur in quacumque scientia. Adeò verò sic profecit, ut veniens Romam, & Terentium legens, E magnos Magistros discipulos, & auditores haberet. Et cùm in Urbe in vita, & scientia magnæ foret opinionis, in Papam concorditer assumitur à Cardinalibus, à Clero, & populo. Sed in Papatu à suo familiari impraegnatur. Verumtamen tempus partus ignorans, fortè sicut inexperta conceptus usque in illam horam, cùm de Sancto Petro tenderet Lateranum, angustiata inter Sancti Clementis Ecclesiam, & Coliseum ibidem peperit; & postea mortua, in eodem loco, ut dicitur, sepulta fuit. Et quia Dominus Papa eamdem viam semper obequitat, inde à posteris creditur, quòd ad detestationem facti hoc fuerit ordinatum. Nec ponitur in catalogo Summorum Pontificum, propter facti deformitatem.

CAP. XI.

De Nicolao I. & CVIII. Pontifice & virtuosis operibus ejus ac de constitutione, quam fecit circa Concilia; & de quibusdam notabilibus circa hoc.

ANno Domini DCCCLXXXV. & ab Urbe condita MDCXXXVII. Nicolaus Primus in Cathedra Petri locatur, natione Romanus ex patre Theodoro: Sedit autem annis IX. (c) mensibus II. diebus XX. Hic vir sanctissimus fuit, ac post magnum Gregorium usque ad ipsum, nullus in dicta Sede eidem comparandus apparuit; cujus ordinationem Ludovicus Imperator, ut scribit Martinus, sua potentia (d) roboravit. Quod intelligas semper, quantum ad favorem solùm, propter populum, & antiquam consuetudinem. Hic sicut pius Pater scripsit ex certa causa eidem Ludovico Secundo, quòd esset favorabilis Clero; & ubi aliqua sinistra de ipsis audiret, non præberet aures, quia Laici proni sunt ad obloquendum de ipsis, ubi & exemplum introducit de gloriosissimo Imperatore Constantino, de quo referunt ejusdem Historiæ, ipsum dixisse, quòd si videret aliquem ex Clericali vel Monastiçali habitu peccantem, clamydem suam explicaret, & cooperiret illum; quod quidem habes XCVI. dist. cap. *In scripturis*. Hic beatus Pontifex statuit, ut nullus Princeps sive Imperator, sive quicumque temporales Domini, in Conciliis se ingererent de Statutis Clericorum; nisi fortè de tractatibus Fidei, quæ universalis est & omnibus communis; ubi verba Nicolai Papæ sunt hæc: *Quod nec Imperator jura Pontificatus arripiat, nec Pontifex nomen Imperatoris usurpet*. Ibi etiam introducitur exemplum Theodosii Imperatoris junioris, sub quo celebrata est Synodus Ephesina tempore Cœlestini Primi, qui fuit XLV. à Christo. Hic ergo Imperator dicto Concilio interesse non potuit, sed misit quemdam Principem suum cum militibus illuc pro tuitione Episcoporum Synodi, cui nomen Candidianus, man-

(a) Duo ad hunc locum reponit Jacobus Quetif Tomo primo Scriptorum Ordinis Prædicat. f. 367. Primum est, non omnia antiquiora Chronica fuisse à Ptholomæo lustrata, quum fabula de Johanna Papissa vulgata jam foret, antequam Martinus Polonus Historiam suam conscribendam susciperet, quemadmodum opus Stephani de Borbone de Bellavilla mortui circa Annum MCCLXI. abundè probat; in eo siquidem illa narratur, & ex anterioribus Chronicis extracta dicitur. Alterum est, Martinum Polonum minimè id retulisse, quum ipsius Codices sinceri, ac ipso vivente vulgati, omnes post Leonem IV. Benedictum III. statim referant, nulla Johannis Anglici mentione interjecta; quinimmo antiquiora etiam post ipsius mortem confecta exemplaria, quæ ipse vocat secundæ editionis hujusmodi commento carere prorsus affirmat, ut proinde non ipse Auctor primus dicendus sit, nonnisi enim post ejus obitum margini primùm adnotata ea fabula fuit, ac deinde in textum intrusa, In hæc verò postrema exemplaria jam ab imperitis Notariis adulterata incidisse Ptholomæum pro certo asseverat. Vide etiam jam adnotata Tomo III. hujus Collectionis pag. 247. D.

(b) *In Cod. Patav.* mensibus VI.

(c) *In Cod. Patav.* Annis XI.

(d) *In Cod. Patav.* præsentia.

mandans eidem ut in nullo de iis, quæ facienda erant per dictos Patres de piis dogmatibus Sacerdotum, se intromitteret, vel cum ipsis communicaret. Hæc habentur in eadem dist. in tribus capitulis cap. *Ubinam legistis*, & cap. *cùm ad veram*, & cap. *satis*. Hic etiam reprehendit quosdam Prælatos de Gallia, qui videbantur derogare Decretis Romanæ & Apostolicæ Sedis, quod habes dist. XIX. cap. *si Romanorum*.

CAP. XII.

De quodam miraculo, quod Coloniæ accidit, qualiter Nicolaus excommunicavit Regem; & de translatione Corporis Beati Clementis.

HUjus tempore, ut scribit Martinus, Coloniæ, orta tempestate, populo confugiente in Basilicam Beati Petri, subitò fulmen instar ignei draconis cecidit, scindens Basilicam, & tres homines in diversis occidit locis, sex semivivos relinquens. Hic etiam Nicolaus sententiam excommunicationis fulminavit contra Lotharium filium Ludovici, ut scribit Richardus, quia Gualdradam pellicem sive concubinam, repudiatam ab ipso, videbatur iteratò recipere; ostendens Principem gravius delinquere propter malum subditorum exemplum: quod habes XI. quæst. III. cap. *Præcipuè*. Hic Nicolaus Papa post multa bona, quæ fecit, & scripsit, in pace quievit, & in Ecclesia Beati Petri sepelitur. Hujus etiam tempore Sanctus Cyrillus, pæne omnium Sclavorum Apostolus, Corpus Sancti Clementis Papæ à Chersona, ubi in mare Ponticum projectum fuerat, mari exsiccato auferens, Romam deportavit; quod per Papam & Romanos receptum, & solemniter in Ecclesia Sancti Clementis honorificè est reconditum. Ubi cùm Sanctus Cyrillus paucis quievisset diebus, ibidem infirmatus moritur, ac in eodem loco sepelitur, miraculis coruscando, ut Martinus scribit.

CAP. XIII.

De conversione Regis Bulgarorum ad Fide cum sua gente; & qualiter factus Monachus rediit ad seculum contra filium, & quare; & qualiter excommunicavit Nicolaus Imperatorem Constantinopolitanum.

HOc etiam tempore, ut scribit Vincentius Belluacensis, Rex Bulgarorum cum sua gente convertitur ad Fidem Christi, & adeò in fide solidatur, ut majore filio in Regno ordinato, ipse factus sit Monachus. Sed cùm ejus filius juveniliter agens, ad gentilitatis cultum redire vellet, resumtâ militiâ, persecutus est eum cepitque; & effossis oculis, in carcerem trusit; & in Regnum statuto minore filio, sacrum habitum resumsit, & usque ad mortem perseveravit. Hujus etiam Ludovici temporibus, & Nicolai Papæ, Michaël occisor Leonis Armeni in Constantinopoli regnat annis VIII. ut scribunt Gotfredus, & Cusentinus. Hunc autem, ut dicunt, excommunicaverat Nicolaus Papa, quia Ignatium Patriarcham verum Catholicum deposuerat, & quemdam Photium promoverat. Ludovico autem adhuc supervivente, & Nicolao mortuo, succedit Adrianus II. de quo nunc est agendum, cujus tempore aliqua notabilia acciderunt.

CAP. XIV.

De Adriano II. & CIX. Pontifice; & qualiter venit ad ipsum Lotharius pro absolutione, quia cum fraude, quomodo punivit eum Deus; & de Carolo Calvo quomodo est factus Imperator.

ANno igitur Domini DCCCXCIV. & ab Urbe condita MDCXLVII. Adrianus Secundus natione Romanus, ex patre Carolo in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis V. Ad hunc, ut scribit Martinus, Lotharius Rex, quem Nicolaus excommunicaverat, sive sententiam fulminaverat, vênit Romam, ut se excusaret de crimine sibi imposito. A quo dum pro ostensione suæ innocentiæ ad communionem Corporis & Sanguinis Jesu Christi tam ipse, quàm optimates sui invitati fuissent, omnes quia indignè perceperant, ipso anno mortui sunt. Rex etiam in eadem via redeundo ad propria, Placentiæ infirmatus, mortuus est. Hujus tempore moritur Ludovicus, & in Imperio succedit Carolus Calvus, qui fuit patruus Ludovici jam dicti, & frater Lotharii, & Rex Franciæ, de quo multa dicuntur, & magna, qui est quintus Imperator à Carolo Magno de eo stipite, & Secundus Carolus Rex in isto nomine. Hic enim, ut supra dictum est, fuit filius Ludovici Primi, & frater Lotharii Imperatoris, & Pipini Regis Aquitaniæ, ac Ludovici Regis Germaniæ, qui in pugna, quam habuerunt ad invicem dicti frater apud Altissiodorum, de qua dictum est supra, ipse prævaluit, & ex hoc magnam partem Galliæ occupavit. Ex hac igitur victoria factus audax jam aspirat ad obtinendum Imperium. Sed quomodo obtinuit jam dicetur, cùm agetur de sequenti Pontifice. Sed in Regno Franciæ, scribit Richardus, quòd vixit XXIX. annos, unde cum multis Pontificibus concurrit.

CAP. XV.

Qualiter Carolus apud Compendium fabricavit Ecclesiam solemnem. De Adriano II. qualiter misit Legatos in Constantinopolim ad sedandum Schisma ibidem exortum in Synodo celebrata.

EO verò tempore apud Compendium ædificavit Ecclesiam, ipsamque in magnis redditibus & prædiis dotavit; & dictam Civitatem, ut scribit Martinus, disposuerat Civitati Regiæ, hoc est Constantinopoli adæquare, & nomine suo idest Carlopolim instituit appellari. Refert etiam de ipso, quia vadens ultra mare multas Reliquias de Hierosolymis, & Constantinopoli secum ferens in dicta Ecclesia deponi mandavit; sed specialiter pretiosissimum, Sudarium Christi Domini Nostri, quod habuit in sepulcro. Sed de Adriano adhuc aliquid resumendum, antequam agamus de Imperio ipsius Caroli, à quo Papa fuit coronatus. Scribitur autem in dist. LXIII. Cap. *Adrianus II.* quòd ea, quæ disposita erant per Nicolaum Primum antecessorem ejus, hic executioni mandavit de eo quod fecit: quod videlicet misit in Constantinopolim Donatum Ostiensem Episcopum, & Stephanum Nepesinum, ac Martinum Diaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad Basilium Imperatorem, & ad filios ejus Constantinum, & Leo-

Leonem Augustos, cum quibus & Anastasius Bibliothecarius Romanæ Sedis utriusque linguæ Græcæ scilicet, & Latinæ peritus, qui Synodo congregata, quam Octavam universalemque appellant, exortum Schisma de Ignatii depositione, & Photii ordinatione sedaverunt, Photium anathematizantes, & Ignatium restituentes.

CAP. XVI.

Qualiter in dicta Synodo statutum est, nullum Principem debere se ingerere de Ecclesiasticis rebus; & quomodo per Basilium factum est contrarium; Unde renovatum est Schisma inter Græcos, & Latinos.

IN qua sic statutum est auctoritate Adriani, quòd consecrationes Episcoporum, & electiones per Episcopos, & sacrorum fieret Sacerdotum ordinatio ..... & ulterius Cleri; nullusque Princeps cujuscumque gradus tali electioni vel ordinationi se immisceret. Quis autem fuerit iste Basilius Imperator, Cusentinus, & quædam aliæ Historiæ tradunt, quòd quidam Princeps regionis Ponticæ, quem Michaël in suum consortium recipiens Cæsarem fecit. Ingratus verò sui beneficii dictum Michaëlem occidit, & ipse cum filiis imperat. Hujus etiam tempore, videlicet Adriani & Basilii iteratò exortum est schisma, favente Basilio, inter Græcos & Latinos; nec abinde ulteriùs revertuntur, nisi in Concilio Lugdunense tempore Gregorii Decimi; nec istud habuit locum quibusdam procurantibus contrarium. Unde restitutus est Photius, & expulsus est Ignatius ex potentia Basilii; & sic ab obedientia Romanæ Ecclesiæ recesserunt; Assignant enim tres alias causas suæ rebellionis. Una ponitur fastus Legatorum, qui illuc ibant; secunda census, quem singulis solvebant annis, qui erat LXXX. librarum auri; tertia ponitur diminutio Imperii à tempore Caroli.

CAP. XVII.

De quadam novitate, quæ accidit in Colonia; de pestilentia, quæ isto tempore accidit in Gallia, & quia mala opera sunt secuta.

IStius Papæ tempore, ut scribit Vincentius Belluacensis, quia Coloniæ cùm major Ecclesia, quæ est Sancti Petri, dedicari deberet, nocte præcedenti auditæ sunt voces malignorum spirituum inter se dolentium & conquerentium, se à possessis diu sedibus expelli debere. Hoc etiam tempore, refert idem Vincentius, talem in Gallia pestilentiam accidisse, quia locustæ quædam singulares subitò apparuerunt, ibidem ceteris locustis majores, senas habentes alas, sex pedes, duas habentes in anteriori parte buccas, dentes lapidibus duriores; & ut castrorum acies turmatim volantes, duces cum paucis unius diei itinere præmittentes ad paranda loca venturæ multitudini, omnia viridantia in herbis & arboribus vastantes, spatium diurni itineris quatuor aut quinque millibus extendentes. Sic autem usque ad mare Britannicum pervenientes, tamdem flatu ventorum in proximum mare demersæ sunt. Sed æstu Oceani ad litus projectæ putredine sua aëre corrupto perire multos fecerunt. Secuta quoque fames valida multos consumsit, ut pæne in dictis regionibus tertia pars hominum sit deleta.

CAP. XVIII.

De quadam revelatione facta per patrem ad succurrendum eidem; qualiter Normanni Aquitaniam vexant, & qui sunt, & unde venerunt, & qualiter est occisus eorum Rex.

EOdem tempore Ludovico Regi Germaniæ, ut scribit idem Auctor, apparuit pater suus quondam Imperator, adjurans eum, ut eriperet de tormentis, quibus tenebatur, ut tamdem æternam requiem mereretur. Ob hoc ad diversa Monasteria vadens, eleemosynis destinatis obnixè filius succurrebat patri; & sic est misericordiam consecutus. Eo tempore Aquitani à Normannis gravissimè affliguntur, ut scribit Richardus, nec non & aliæ Francorum Provinciæ usque Parisius. Hi autem Normanni de mari Oceano venientes, & de Norvegiæ Regno originem trahentes, per duo flumina intraverunt Galliam, Ligerim videlicet, & Sequanam correspondentia eorum mari: unde illas partes maximè vexaverunt, quæ circa illa præfata flumina adjacebant. In hac autem vexatione præsenti occiditur Comes Engolismensis, & ipse ipsorum Regem occidit, nomine Maurum, ut Richardus scribit. Nunc igitur ista sufficiant; & ad alium Pontificem accedamus.

CAP. XIX.

De Joanne VIII. & CX. Pontifice; qualiter Carolus Calvus venit Romam pro corona Imperii, ex quo Ludovicus Rex Germaniæ eidem bellum movet; & quòd hoc tempore incepit Comitatus Flandriæ.

ANno igitur Domini DCCCC. & ab Urbe condita MDCLII. sedit Joannes VIII. Quod intelligas, quia illa fœmina non computatur in catalogo propter infamiam, & ideo tamquam VIII. debet haberi. Quòd autem tempus sui Pontificii, illud non fuit mathematicum, sed verum, ideo meritò computari debet. Hic autem annis X. sedisse scribitur à Martino, & aliis Chronicorum Scriptoribus. Ad hunc Joannem Papam vênit Romam Carolus Calvus Ludovici II. patruus, de quo actum est supra, qui regnabat in Francia. Hic cum precibus & muneribus Romanos & Papam attrahens, Imperium obtinet, ut Martinus dicit, & Cusentinus. Sed contra istum statim per Ludovicum Regem Germaniæ fratrem ejus bellum paratur, eo quòd se inconsulto Imperium usurpavit. Hic Carolus, ut scribit Martinus, tam in Francia, quàm in Italia multa Monasteria diversarum Religionum construxit, magnisque dotavit reditibus; multas fabricavit Ecclesias, destructasque reparavit. Hujus tempore, & Joannis Papæ Comitatus Flandriæ exortum habuit. Flandria enim tunc temporis non erat tanti nominis, nec valoris, sicut est modò; sed erat regio nemorosa, & quædam foresteria Regni Francorum, ut Martinus scribit.

CAP.

CAP. XX.

Qualiter tempore istius Papæ Saraceni intraverunt Italiam, & ipsam vastant; sed postea repelluntur cum ipsorum damno; qualiter scripsit gesta Beati Gregorii, & alia, quæ hic Pontifex fecit.

HUjus etiam Joannis Papæ tempore Saraceni per Italiam discurrentes, Ecclesiam Beati Benedicti in Monte Casino totaliter destruxerunt. Sed de Italia fugati cum ipsorum cæde, etiam Siciliam perdiderunt, virtute ac potentia Caroli Calvi Imperatoris Secundi. Hic
B Joannes Papa, dum Ecclesiæ Romanæ esset Diaconus, vitam primi Gregorii in IV. Libris laudabiliter scripsit. Hic injuriam perpessus est est à Romanis, eo quòd non favebat Carolo, cùm in Franciam ivisset; unde & in custodia positus est ab eis. Inde exiens, vênit in Franciam, mortuo Carolo Calvo, qui in montibus veniendo, à quodam Judæo Medico suo, cui nomen Sedecias; potionatus obiit, ut Historiæ referunt. Veniens igitur Joannes Papa in Franciam, ut scribit Vincentius, & Martinus ibidem, cum Ludovico Balbo per annum commoratus est. Hic autem Joannes Papa veniens Romam venerabili viro Ansegiso, (ut scribit
C Martinus) Senonensi Archiepiscopo caput tradidit pro reliquiis Beati Gregorii I., quas venerandus Archiepiscopus supradictus cum magna deportavit devotione in Ecclesia Sancti Petri reverentissimè collocavit.

CAP. XXI.

Qualiter sub ipso celebrata est Synodus in Constantinopoli; de pestilentia, quæ accidit in Germania; movetur etiam hic quæstio circa Imperium, & solvitur.

SUb hoc etiam Joanne Papa, ut Martinus
D scribit, celebrata est Synodus in Constantinopoli CCCLXXXIII. Patrum, cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Antiochenus Episcopus, & Eugenius Ostiensis Episcopus, & Apocrisarius Domini Papæ. Eo etiam tempore ingens in Germania pecorum pestilentia fuit, & dum canes undique collecti cadaveribus incumberent, ita disparuerunt, ut nec vivi, nec mortui apparerent. Eo etiam tempore, ut scribit Vincentius, clarebat Milo in Monasterio Sancti Armandi Monachus, qui vitam ejusdem Sancti metricè scripsit, & de sobrietate librum ad Carolum Calvum transmisit. Circa autem ista tempora advertendum, quòd aliqua Chronica Gallicorum scripsit quod
E in Carolo Calvo Gallicum Imperium exspirat. Sed hoc est falsum, quia apparet contrarium in sequentibus, ut communiter Historiæ ponunt de Carolo Grasso, qui & junior appellatur, & de Arnulfo. Sed posset salvari, quia isti duo descenderunt de Ludovico Rege Germaniæ, ut Vincentius scribit; quia qui Rex Germanorum erat, inde Germanus habetur. Verificatur tamen, quia de linea Caroli descenderunt, ut supra patet. Hic etiam statuit, Principes ordinatos esse debere ad defensionem Ecclesiarum; quòd si sequitur negent justitiam Clericis, Clericus ipsos communiore privatos denuntiat: quod habes XXIII. quæst. V. Cap. *Administratores*,

A Hunc Carolum Grassum Joannes Papa coronavit Imperatorem, ut scribit Cusentinus, & Martinus, cujus tempore maxima fuit vexatio in Gallia per Normannos, ut omnes tradunt Historiæ. Quid autem de eis sit sequutum, Historia sequens tradit. Et hæc de Joanne Papa ad præsens dicta sufficiant cum suis concomitantibus, & annexis.

CAP. XXII.

De Martino II., & III. Pontifice; de Imperatore qui tunc imperabat, videlicet Carolo Grasso; & de Normannis, ubi & quæstio movetur, & solvitur.

ANno Domini DCCCCX. & ab Urbe condita MDCLXII. Martinus II. in Cathedra Petri locatur. Sedit Anno I., mensibus V. & cessat diebus II. Aliquæ Historiæ vocant istum Marinum; & tunc dicetur Primus. Eo tempore Leo, & Alexander apud Costantinopolim imperabant, eo quòd fuerunt filii Basilii, de quo est supra dictum. Hoc etiam tempore imperabat Carolus Grassus, qui fuit Sextus à Pipino, trigesimus à primo Rege Francorum, & tertius Carolus in nomine, ac Carolus junior dictus. Hoc tempore etiam maxima fames fuit per totam Italiam. Hic anno secundo à Joanne VIII in Imperatorem coronatur in Germania, & in Italia potentissimè imperat. Iis diebus, ut Martinus scribit, Normanni Galliam invadentes, plusquam quinquemillia à Gallicis perimuntur. Demum Normanni damnis sibi adjunctis, Franciam, & Lotharingiam pervagantes, totam devastant, igneque & ferro Civitates destruxerunt, & consumunt, sicut Coloniam, Leodium, Tongres, Ambianos, Treverim, & quamplurimas alias. Cumque Gallici, & Germani sic se à Normannis Paganis opprimi cernerent, ut scribunt Vincentius, & Martinus, Caroli Imperatoris memorati, qui erat in Italia, auxilium invocant; & in isto medio Martinus moritur; & in Ecclesia Beati Petri sepelitur. Quidam tamen referunt, quòd tempore suo accidit de Formoso Papa, quod ad suum Pontificatum est reservandum. Eo autem tempore Ludovicus Balbus filius Caroli Calvi, qui fuit XXXI. à primo Rege, & VII. à Pipino, & tertius Ludovicus in nomine regnat in Francia, ut scribit Richardus, & parum regnavit, nec aliquid strenuè fecit; immo fuit malus homo, quia unam Monialem extraxit de Monasterio, quam sibi uxorem fecit, & sic malè vixit. Huic autem successit Carolus dictus simplex.

CAP. XXIII.

De Hadriano III., & XII. Pontifice; & de constitutione, quam fecit; qualiter Carolus Imperator venit in Galliam contra Normannos, & ipsos perdomuit, & qualiter ad Fidem convertuntur.

ANno Domini DCCCCXI. & ab Urbe condita MDCLXIII. Hadrianus III. in summum assumitur Pontificem, natione Romanus, & ex patre Benedicto. Sedit autem anno I. mensibus III. Hic constituit, ut Martinus scribit, quòd Imperator non intromitteret se de electione Papæ: quæ quidem constitutio jam inchoata erat per Nicolaum I. ut supra patet. Hujus tempore veniens Imperator de Italia cum exer-

exercitu magno contra Normannos, Dux Normannorum pacem fecit cum Gallicis per vim, & Baptismum recepit, ut scribunt Martinus, & Vincentius Belluacensis; unde & per Imperatorem Rex, sive Dux, Normannorum de sacro fonte suscipitur; Et quia Imperatori, & Regi Franciæ durum erat de dicta Provincia ipsos expellere, ex pacto eisdem concessit terram sibi magis rebellem, regionem videlicet ultra Sequanam, quæ pars erat Franciæ, quæ dicto nomine juxta Principis mandatum est nuncupata; unde usque hodie Normandia sive Normannia est appellata, totaque natio Fidem Christi suscepit. Et quia dicta regio de Regno Francorum erat, inde rationabile videtur, quòd prædictus populus, sive Princeps pro populo Regi Francorum de fidelitate responderet.

CAP. XXIV.

De Guillielmo pio Duce Aquitaniæ, qualiter Monasterium Cluniacense construxit in suo solo proprio in Burgundia, & dotavit de hereditate sua.

EO autem tempore, scilicet Hadriani Papæ; ut scribit Richardus, Guielmus dictus pius Dux Aquitaniæ, & Comes Arverniæ, cùm non haberet heredem, Cluniacense Monasterium in fundo proprio, quod est in Burgundia pago Matisconensi, construxit, eidemque loco Bernonem Abbatem præficiens, magnos de suo reditus prædicto loco jure concessit hereditario; Quamvis enim Dux esset Aquitaniæ, & Comes Pictaviæ, multa tamen habebat bona in Burgundia, de quibus dictum Monasterium reliquit hæredem. Hic verò Guielmus pius immatura morte præventus, locum imperfectum reliquit, ac Ducatus sui Eblum jam factum Comitem Pictavensem reliquit heredem. Et tunc Comites Pictavienses Duces Aquitanorum fuerunt; sic enim transibant dictæ dignitates de genere in genus propter defectum successionis. Sic accidit de isto Guielmo, quia bona sua sunt divisa, quia aliam partem habuit Cluniacense Monasterium, aliam habuit iste Eblus.

CAP. XXV.

De Stephano IV. & CXIII. Pontifice, & de miraculo, quod accidit tempore ipsius circa corpus Beati Martini Altissiodorum translatum, & de origine Ducis Normannorum.

ANno Domini DCCCCXII. & ab Urbe condita MDCLXIV. Stephanus IV. natione Romanus ex patre Hadriano de Via lata, in Cathedra Petri sedet, Carolo Grasso adhuc imperante. Sedit autem annis VI. diebus IX. & cessat diebus V. Hujus Pontificatus tempore tale accidit miraculum in Altissiodoro apud Sanctum Germanum. Occasione enim Normannorum, qui regiones vastabant, ut supra est dictum, propter ipsorum timorem Corpus Beati Martini de Turonis Altissiodorum est deportatum, & in Ecclesia Sancti Germani collocatum. Sed Monachis litigantibus de miraculis, quæ accidebant ibidem, cui essent adscribenda, an Beato Martino, an Beato Germano, tale assumserunt experimentum. Quia illa corpora sancta in eodem loco fuerunt posita: tunc oblatus est unus Leprosus, quem in medio fecerunt jacere. Hic ergo Leprosus curatus est ab ea parte, qua Reliquias Beati Martini tangebat solùm. Sequenti die alteram partem non curatam volvit ad Corpus Beati Martini, quæ similiter statim curata est. Nec hoc attribuitur impotentiæ Beati Germani, cùm maximi fuerit meriti apud Deum; sed hoc divinæ dispositioni attribuunt, & caritati, & curialitati ejus, quia in virtute miraculorum suum hospitem voluerit honorare. Istius etiam Pontificis tempore scribit Martinus, quòd postquam Normanni quieverunt in terra Francorum, primus ipsorum Dux fuit Robertus. Hic autem genuit Guielmum; Guielmus verò Richardum. Hic autem secundum Richardum, & Robertum Guiscardi, qui Apuliam, & Calabriam devicit, ac Siciliæ Insulam, sicut infra patebit. Fertur etiam, quòd contra Venetos prævaluerit, & contra Alexium Imperatorem Græcorum.

CAP. XXVI.

De Carolo Imperatore, qualiter repulsus est ab Optimatibus, quia desipiebat; qualiter zelatus uxorem repudiavit, & de adventu Ungarorum in Pannoniam inferiorem.

IStius etiam Pontificis tempore Carolus Imperator dictus Grassus, desipiens corpore & anima, à suis Optimatibus est repulsus, & Arnulphus succedit filius patruelis, de quo infra dicetur, quum agetur de Formoso Pontifice; & hic est Sextus Imperator descendens de Carolo Magno. Refert autem Martinus quamdam Historiam de dicto Carolo Grasso, quòd zelatus fuit uxorem suam de adulterii suspicione: propter quam caussam protestatus est ipsam nunquam cognovisse; illa verò gloriata est se virginem esse; unde auctoritate Apostolica accepto repudio, Monasterium intravit. Hujus etiam Papæ temporibus gens Ungarorum à Scythia, seu Pannonia superiore egressa, ut scribunt Vincentius, & Martinus, in Pannoniam inferiorem veniunt, & expulsis inde Gepidis, & Avaribus, ipsam occupant, & ibidem usque hodie perseverant. Scribit etiam Vincentius, quòd non contenti terminis Ungariæ, Germaniam, & Galliam invadunt, & devastant. Quod intelligas de Gallia supra Rhenum, quæ olim Gallia Belgica dicebatur, ut supra est dictum.

CAP. XXVII.

De multis Sanctis, qui isto tempore floruerunt, & de multis nobilibus Abbatibus circa partes Pictaviæ; & quomodo per nobiles sunt ibi multiplicata Monasteria.

HOc etiam tempore, ut idem Auctor dicit, Luprandus Ticinensis Ecclesiæ Diaconus floret; Sanctus Valfridus Vir eximiæ sanctitatis in Bavaria claret. Eo etiam tempore in Pictavia floruit Sanctus Beraldus, ut scribit Richardus, qui curam habens Comitatus Pictaviensis post mortem Ranulphi Comitis ejusdem loci, & Ducis Aquitaniæ, filium suum Eblum diligenter in bonis moribus enutrivit. Hic autem Eblus, ut scribit idem Auctor, in conjugium accepit Adelam filiam Rosi Rothomagensis, genuitque ex ea filium nomine Guielmum dictum Caput Stupæ, per quam facta est conjunctio fortè Ducatus Normandiæ cum Ducatu Aquitaniæ, & Comitatu Pictaviæ. Et attende hic, quia sicut Ri-

A Richardus scribit, quòd isto tempore in Aquitania sunt multiplicata Monasteria, & ex magno genere Abbates, ut per Richardum est liquidum. Primò de Bernone patet, quem Guielmus pius primum Abbatem in Cluniacensi Monasterio præfecit, cui per multos Summos Pontifices multa privilegia sunt concessa, & collata donaria; sed per Hadrianum præcipuè Tertium, de quo in præsentiarum est dictum. Cui succedit Oddo, & inde postea Ademarus filius Comitis Engolisimensis, qui propter nobilitatem, & suorum morum honestatem in Aquitania multis præfuit Monasteriis, ut scribit Richardus, ac Cluniacum deduxit ad complemen-
B tum.

CAP. XXVIII.

De Formoso Primo, & CXIV. Pontifice; de operibus ejus virtuosis; de novitatibus factis; & quomodo fuit degradatus.

ANno Domini DCCCCXIX., & ab Urbe condita MDCLXXI. Formosus Episcopus Portuensis in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis V. mensibus VI. & cessavit diebus III. Hic, ut scribit Martinus, totam Ecclesiam Beati Petri per picturam diversis ornavit coloribus. Hic aliquando ob timorem Joannis Papæ
C VIII. superiùs memorati fugiens, Episcopatum Portuensem deseruit; & cùm post revocatus, redire nollet, anathematizatus est. Sed post ad Papam prædictum veniens, usque ad Laicalem statum degradatus est. Caussa autem esse potuit, quia Romanis favit in sua conjuratione. Insuper juravit nec ad Romam, nec ad suum Episcopatum redire, ut Martinus scribit, sed post mortem Joannis successit Martinus, qui considerans juramentum factum ex timore, qui in constantem virum cadere poterat, ipsum à dicto juramento absolvit, tamquam illicito. Unde non solùm reversus est, sed etiam propter suam probitatem in Romanum assumitur Pontificem, quamvis ab aliquibus reputaretur
D dubium, utrum hoc fieri potuerit, unde & postea magnæ sunt exortæ altercationes, ut in sequentibus apparebit.

CAP. XXIX.

De Arnulpho Imperatore, quis fuit; & qualia fecit; & qualem habuit exitum; de filio suo Ludovico, qualiter fuit tentatus.

HUjus tempore Arnulphus imperat annis XII. ut Martinus dicit, qui fuit VII. Imperator à Carolo descendens. Quis autem ipsum coronaverit, non invenitur, quia, ut Martinus scribit, paucæ Historiæ de ipso mentionem fa-
E ciunt, eo excepto, & Gotfredo, & Vincentio Belluacensi. Tria tamen de ipso dicuntur. Primùm quòd fuit vir bellator, unde Normannis adhuc infestantibus Galliam, contra eos Arnulphus parat exercitum, & de ipsis magnam facit stragem: unde postea à bellis quiescunt. Secundùm quod de ipso scriptum est, fuit finis Imperii in Gallia; quia ulteriùs non habuerunt Imperatorem, immo à Gallis Imperium transit in Italiam, ut scribunt Martinus, & Cusentinus, & sicut jam dicetur. Tertium, quod de ipso scribitur, quia irreverens fuerit Ecclesiæ, & vexator; unde Ecclesias, quas patres sui construxerant, ipse dissipat. Inde Deus ipsum percussit, quia caro sua sic putruit, quòd scaturiens pediculis, irremediabiliter ab ipsis comeditur & occiditur. Successitque eidem Ludovicus, qui Coronam Imperialem non habuit; sed cùm pugnaret cum Berengario, qui de genere descenderat Longobardorum, primò ipsum Ludovicus devicit; secundò veniens Ludovicus Veronam, ibidem capitur, & excœcatur, ut Martinus scribit. Et sic Imperium restituitur Berengario, qui imperavit in Italia annis IV. Et hic est alius stipes Imperatorum, quia redit ad genus Longobardorum. Et fuerunt quatuor Berengarii. Et attende, quia isti Berengarii non habuerunt isto tempore Imperium, nisi laceratum etiam in Italia; quia fuerunt parùm affecti ad Ecclesiam, & ideo ab ipsa parùm habuerunt favoris; & ipsa Ecclesia satis despiebat in Summis Pontificibus, sicut legenti est liquidum.

CAP. XXX.

De Remigio Altissiodorensi Doctore, qui isto tempore claruit; & de Bernone ex Comite Abbate.

ISto tempore claret apud Altissiodorum Remigius Altissiodorensis Doctor egregius, qui in exponendis Scripturis Divinis, atque humanis egregiè multa nobis tradidit ad utilitatem Ecclesiæ, ut scribit Vincentius Belluacensis. Invenitur autem expositio super Matthæum multùm clara & gratiosa. Item expositio super Epistolas Pauli, quæ duo ego vidi, & legi; & intitulantur Remigio. Utrum autem fuerit iste, vel Remensis, non specificatur; sed plus de ipso credo, quamvis & ille scribatur fuisse Doctor. Scribit Vincentius isto tempore floruisse Bernonem ex Comite Abbatem Giginacensis Cœnobii à se fundati, de quo dictum est supra, quem Guielmus pius super Cluniacum Abbatem fecit, seu fieri jussit. Et de ipso, & de tempore, quo hic fuit, insto sententiæ Richardi Monachi Cluniacensis, sed Pictaviensis origine, ut supra patet. Nunc de aliis Summis Pontificibus breviùs est agendum per ordinem. Refert tamen Vincentius hìc de quodam Basilio Papa, quòd fuerit ante Stephanum V. Sed quia de ipso communiter Historiæ authenticæ non faciunt mentionem, omnino est postponendus.

CAP. XXXI.

De Bonifacio VI., & CXV. Pontifice, quia in Catalogo Summorum Pontificum ponitur.

ANno Domini DCCCCXXIV. & ab Urbe condita MDCLXXVI. Bonifacius VI. natione Thuscus in Summum Pontificem assumitur. De hoc Papa controversia est in tempore sessionis; sed attribuendum Scriptorum vitio, quia majus ponunt, quàm communiter Historiæ tradunt, quòd solùm XXVI. diebus in Cathedra Petri sedit; unde nullus actus Pontificalis eidem attribuitur, nisi quòd in pace quievit sepultus in Ecclesia Beati Petri, & ideo transeundum. Sed quia legitimè est electus, in Catalogo Summorum Pontificum, meritò est ponendus, sicut & Cœlestinus IV., qui minus sedit, quàm iste, ut infra patebit.

CAP.

CAP. XXXII.

De Stephano V., & CXVI. Pontifice, de quo dicuntur terribilia, quæ fecerit contra Formosum prædecessorem suum; & caussa ponitur; & de quibusdam aliis.

ANno Domini, ut supra, & ab Urbe condita, ut supra, Stephanus V. natione Romanus in Cathedra Petri locatur. Sedit autem anno I. mensibus III. & cessavit diebus III. Hic, ut Martinus scribit, à Formoso Papa Anagninus Episcopus ordinatus, ipsum Formosum persequitur, & omnes ordinationes ejus irritas fore, & haberi debere decernit; & quædam alia indicibilia, & vix credibilia per dictum Stephanum leguntur facta, ut Martinus refert, contra Formosum, imperante adhuc Arnulpho Imperatore, quòd videlicet Concilium congregaverit, & ipso præsente extumulari fecerit Formosum, & corpus ipsius veste Pontificali exui, & indui laicali, & sepultura laica sepeliri. Caussam autem aliqui assignant, quòd dictum Stephanum Formosus à Cardinalatu repulerit, & ipsum fecerit Episcopum Agnaninum, fortè quia obviabat sibi in Papatu: quod esse posset propter juramentum, & quia degradatus ab omni officio Clericali, ut supra est dictum. Isto autem tempore adhuc in Francia regnabat Carolus Simplex, qui regnavit annis XXV. ut scribit Richardus, & fuit XXXII. à primo Rege, octavus autem à Pipino. Hujus autem Regis tempore Ademarus Comes Engolismæ filius Emenonis, ut scribit idem Auctor, cùm non haberet prolem, unà cum Xansia uxore sua, de iis, quæ possidebant, multa Christi Ecclesiis concesserunt. Isto etiam tempore, ut scribit Cusentinus, in Constantinopoli imperabat Constantinus cum fratre suo Leone annis X.

CAP. XXXIII.

De Romano I., & CXVII. Pontifice. De hoc autem Historiæ nihil dicunt.

ANno Domini DCCCCXXV. & ab Urbe condita M. CLXXVII. Romanus I. natione Romanus in Summum assumitur Pontificem. Sedit autem mensibus III. diebus XXII., & quia parum sedit, de ipso Historiæ nihil tradunt, nisi quòd in pace quievit, sepultus in Ecclesia Beati Petri, unde & sequenti Pontifici non augebimus annum. Ponitur autem in Catalogo Summorum Pontificum, quia regulariter electus fuit, sicut & alii, qui paucioribus sederunt diebus.

CAP. XXXIV.

De Theodosio II., & CXVIII. Pontifice, qualiter revocavit omnino Stephani factum contra Formosum, & ordinatos per ipsum restituit; de Saracenis, qui invaserunt Apuliam, & malè eis cessit.

ANno igitur eodem, quatuor mensibus computatis, & ab Urbe condita similiter, Theodorus II. natione Romanus in Papam eligitur, seditque solùm XX. diebus. Aliqua tamen Chronica plus ponit, sicut Gotfredus, sed plures concordant in isto numero, in quo modico tempore revocavit omnem processum factum contra Formosum, & restauravit omnes ordinatos ab ipso. Et quia temporibus istis Summi Pontifices parum vixerunt, pauca de ipsis dici possunt, paucaque de aliis gesta referri: unde uniuscujusque per se capitula faciemus. Hujus tamen tempore adhuc imperabat Arnulphus, & Carolus Simplex in Francia, ac Constantinus filius Leonis in Constantinopoli. Isto etiam tempore Saraceni, ut Historiæ referunt, intrantes Apuliam, ad Montem Sancti Angeli ascendunt, peregrinos capiunt, & prædantur; sed resistentiam habent per Christianos; unde, & recuperatâ prædâ, magna de ipsis facta est strages. Circa hæc tempora Guielmus Comes Engolismæ dictus Sector ferri, qui de genere Caroli Calvi originem traxerat, reliquias Sanctorum Cartasiensi Monasterio mandavit restitui, quas Monachi ejusdem loci tempore vexationis Normanicæ transtulerant Engolismam, quia Normanni adhuc à vexatione Aquitaniæ non cessabant. Utrum autem fuerint illi Normanni, qui quieverunt in Francia, an novi de Norvegia venientes, Chronicæ in nullo specificant.

CAP. XXXV.

De Joanne IX., & CXIX. Pontifice, qualiter ipse similiter revocavit omnem processum factum contra Formosum per Stephanum V. Et hoc per Concilium, & de aliis notabilibus.

ANno Domini eodem, & ab Urbe condita, eodem ut supra, Joannes IX. in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis II. diebus XV. Hunc, narrat Martinus, cum Romanis pugnasse, fortè occasione Formosi, de quo erat controversia inter Romanos Cives. Unde dictus Joannes caussam Formosi assumsit contra Stephanum, quia reintegravit omnes ordinatos à Formoso, & ad majorem confirmationem, ut Martinus scribit, Synodum congregavit LXXIV. Episcoporum, quod Concilium fuit celebratum Ravennæ; & revocavit, & irritavit quicquid contra Formosum sententiatum fuerat per ipsum Stephanum in sua Synodo congregata. Ubi attende caussam facti, quia si fuissent tunc temporis boni Principes, non accidisset. Sed tunc imperabat Arnulphus, cui modica cura erat de malo statu Ecclesiæ, ut supra est dictum de ipso. Item Carolus Rex Franciæ modici erat valoris, qui dictus est Simplex, sive etiam Stultus, Richardus scribit: propter quam caussam, ut scribit Vincentius Belluacensis, Ungarorum gens, de qua dictum est supra, ruptis suis Pannoniæ terminis, Italiam intrat manu armata, ipsamque devastat, & usque Romam ad concremationem intendit. Indeque transit in Galliam, & Germaniam totam, sicut tempestas in turbine ipsam consumit, non parcens sexui, vel ætati, & hoc accidit propter debilitatem Principum, qui tunc imperabant. Isto eodem tempore, ut scribit Cusentinus Rex Africæ Saracenorum intrat Calabriam, Cusentiam obsidet, Regionem devastat; sed Dei judicio Rex Africæ ictu fulminis moritur, multique de exercitu pereunt; unde territi, ad propria redeunt. Sed de Summis Pontificibus sequentibus pauca dicuntur, & quæ dicuntur, impertinentia sunt. Ideo de eis est sub compendio transeundum, quia parum sederunt, & de eis ædificatoria pauca dicuntur.

CAP. XXXVI.

De Benedicto III. & CXX. Pontifice, & de Arnulpho, qui usque ad tempora ista regnavit, & quam vituperabilem exitum habuit & ipse, & filius ejus.

A Nno Domini DCCCCXXVII. & ab Urbe condita MDCLXXVIII. Benedictus III. natione Romanus in Summum Pontificem assumitur. Sedit annis III. mensibus IV. & cessavit diebus VI. De hoc autem Pontifice nulla gesta dicuntur, nisi quòd fuit homo quietus, & in pace quiescens, in Ecclesia Beati Petri sepelitur. Suo tamen tempore Arnulphus moritur, ut dictum est supra, & vituperabiliter, quia à pediculis consumtus; & in ipso exspirat Imperium Gallicanum, quamvis aliqui dicant in Carolo Calvo, eo quòd sequentes usque ad Arnulphum descenderunt de Regno Germaniæ, ut supra patet. Sed est responsio, quia Reges Germaniæ fuerunt de stirpe Caroli Magni, ut supra est liquidum. Ludovicus enim II. qui fuit Rex in Germania, unde descenderunt Imperatores, qui fuerunt post Carolum Calvum, nepos fuit in recta linea Caroli, hoc est filius filii, videlicet Ludovici Primi. Arnulphus autem, ut supra est tactum, genuit filium nomine Ludovicum, qui post patrem assumsit dominium, sed coronam Imperialem non habuit; & parum regnavit, ac vituperabiliter moritur, quia captus Veronæ, & excœcatus. Et sic terminatur Imperium generis Caroli Magni, quia ultimi mali homines fuerunt, & irreverentes Ecclesiæ, ac Imperium ad Italicos transiit.

CAP. XXXVII.

Qualiter post hoc Berengarius Primus dicitur imperasse, & quanto tempore; & de diversis temporibus Imperii ejus; & de Rege Franciæ.

PRimus igitur, qui post Imperium Francorum in Italia usurpavit Imperium, fuit Berengarius, quem tradunt Historiæ de genere Longobardorum fuisse de semine Regio, sive Ducum, qui & multi fuerunt, ut Historiæ Longobardorum tradunt. Regnavit autem, sive imperavit annis 4. ut Martinus scribit. Aliæ autem Historiæ tradunt solùm per annum, devictus à Guidone Comite, & Lamberto ejus filio, qui regnaverunt pro ipso. Ab inde concordans cum ipsis simul regnavit, & postea prævalens contra eos, coronam suscepit Imperii. Imperavit autem annis IX. Eo tempore regnabat in Francia Lotharius filius Ludovici III. qui fuit à Primo Rege XXXIV. à Pipino IX. Eo etiam tempore scribit Martinus, quòd Guielmus pius Princeps Burgundiæ Cluniacense fundavit Monasterium. Sed supra dicitur, quòd tempore Caroli Grassi hoc est factum, ut Richardus scribit; & hoc magis credo, videlicet tempore Hadriani Papæ III.

CAP. XXXVIII.

De Leone V. & CXXI. Pontifice, qualiter per Christophorum Capellanum suum fuit captus, & incarceratus; & quomodo potuit.

A Nno Domini DCCCCXXX. & ab Urbe condita MDCLXXXII. Leo V. in Cathedra Petri sedet; sed parum, quia communiter Historiæ ponunt, quòd XL. diebus, cujus natio non ponitur. Et inde refertur postea, quòd ex hac caussa Capellanus suus Christophorus & Presbyter assumsit audaciam, & cum sua audacia, ut scribunt Vincentius, & Martinus, suum patrem sanctissimum & Dominum cepit, & in carcerem retrusit: quod sinè plurimorum violentia facere, & esse non potuit: unde per invasionem rapuit Præsulatum. Ubi considera, quanta erat debilitas Pontificatus tunc temporis, ut unus Presbyter potuerit tantam cum effectu stultitiam, nisi fortè virtute alicujus Principis fecerit, & vallatus armatis, sicut temporibus nostris accidisse non ignoramus. Sed quid de Christophoro dicto acciderit, nunc est dicendum, & suo tempore referendum. De isto verò parum dici potest, nisi quòd est dictum. Acciderunt tamen ista, ut communiter Historiæ tradunt, Berengario I. imperante, quamvis aliqui dicant de Ludovico III.

CAP. XXXIX.

De Christophoro I. & CXXV. Pontifice, qualiter Pontificatum usurpavit, & qualiter abjectus est; & sub quo Principe hæc facta sunt.

A Nno igitur Domini eodem cum Leone, & ab Urbe condita eodem, Christophorus supradictus Præsulatum sibi usurpans sedit VII. mensibus. Sed inde tamquam non per ostium intrans, sed per impressionem, turpiter ejectus, factus est Monachus, ut Martinus scribit. Sed quod de ipso factum sit post Monachatum, in sequentibus apparebit. Hæc verò acta sunt, imperante Berengario I. quamvis aliqui dicant de Ludovico III. Sed melius est dictum de Berengario I. si consideratur spatium temporis Summorum Pontificum, qui sub eis imperaverunt, licèt viles Domini fuerunt, qui talia in Summis Pontificibus sustinuerunt & quæ facta sunt, & quæ dicentur: quod patebit de sequenti Pontifice, & usque ad tempora Othonis Primi Ducis Saxoniæ, qui ista de caussa factus est Imperator.

CAP. XL.

De Sergio III. & CXXIII. Pontifice, qualiter incarceravit Christophorum; & qualiter ivit in Franciam pro adjutorio.

A Nno igitur Domini DCCCCXXXI. & ab Urbe condita MDCLXXXIII. Sergius III. in Cathedra Petri sedet. Sedit autem annis VII. mensibus III. diebus XVI. & cessavit diebus VI. ut Martinus scribit. Aliæ Historiæ tradunt, quòd sex annis. De hoc autem Papa horribilia referuntur per Vincentium, & Martinum, imperante Berengario, & de statu Ecclesiæ parum curante. Scribunt enim, quòd hic Sergius ad Francos se contulit pro auxilio contra

tra Christophorum, ex invasione Papatus incarcerati. Sed hoc esse non potuit, nisi jam Sergio in Summum Pontificem assumto, cujus auctoritate Christophorus etiam post Monachatum fuerit carceri mancipatus; & hoc facto, in Franciam proficiscitur. Aut quòd tantæ erat potentiæ in Urbe, quòd violenta manu ipsum Christophorum capi fecerit; & sic ejectus de Papatu, non obstante habitu Monachali, quem assumsit, ipsum mandavit incarcerari; & ipse tunc fuit assumtus in Summum Pontificem; & tunc cum bona comitiva vadit in Franciam, ubi tunc regnabat Lotharius II. & XXXIV. Rex, filius Ludovici III. & Regis XXXIII. Veniens igitur dictus Papa ad Lotharium Regem, honorificè est receptus ab ipso, & auxilium eidem B præbuit, quod poposcit. Et sic reingrediens in Italiam, vênit Romam.

CAP. XLI.

Qualiter habito adjutorio, resumit vindictam super Formosum, & facit de ipso ludibria, & de quibusdam prodigiis, quæ ex hoc apparuerunt.

TUunc assumens Pontificatus officium, quia Formosus ipsum impediverat à Papatu, eum extrahi de sepulcro fecit, & extractum, ac indutum veste Sacerdotali, ipsum decollari mandavit, & corpus ejus in Tyberim mergi, & omnes per ipsum ordinatos deordinavit. Postea C verò piscatores inventum corpus, in Basilica Beati Petri reponunt, ut tradunt Historiæ, sed præcipuè Vincentius, & Martinus, qui in argumentum Formosi passionis injustæ scribunt, quòd quædam Sanctorum Imagines, quæ ibidem erant, ipsum adorasse, & venerabiliter salutasse visæ sunt. Circa ista autem tempora, tamquam prægnostica istius crudelitatis, duo acciderunt in Mundo. Unum fuit, quòd in aëre visæ sunt faces igneæ, & stellæ micantes discurrentes per nostrum hemisperium, & cum aëris inflammatione non modica. Secundum autem prægnosticum fuit de invasione, & devastatione Ungarorum in Italia, & usque in Galliam: quod insinuat Principum vilitatem sive in actu belli, sive D in regimine gubernandi.

CAP. XLII.

De Anastasio III. & CXXIV. Pontifice; & de quibusdam Principibus imperantibus, & quibusdam Abbatibus gubernantibus.

ANno Domini DCCCCXXXVIII. & ab Urbe condita MDCXC. Anastasius III. na- A tione Romanus in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis II. mensibus III. Et cessavit diebus II. Et adhuc Berengario imperante in Italia, & Lothario in Francia, ut communiter Historiæ referunt. Quis autem fuerit iste Lotharius, Richardus declarat, quia secundus filius Ludovici III. De isto Papa nihil notabile invenitur, nisi quòd in pace quievit, & sepelitur in Ecclesia Beati Petri. Istius tamen tempore, ut scribit Vincentius (Richardus autem refert aliquantulum magis supra) quia tempore Ludovici III. & filii Arnulphi Berno Abbas I. Cluniacensis Monasterii moritur, & constituit Odonem Abbatem II. ea conditione, ut Vincentius scribit, ut etiam Ecclesia Cluniacensis Giginacensi solveret annuum censum duodecim videlicet denarios.

CAP. XLIII.

De Landone I. & CXXV. Pontifice, cujus tempore Berengarius fugatur à Rodulpho Comite, & à Veronensibus occiditur.

ANno Domini DCCCCXL. & ab Urbe condita MDCXCII. Lando Primus in Summum eligitur Pontificem natione Romanus. Sedit autem mensibus VI. Et cessat diebus XXXI. adhuc Berengario imperante, & Lothario regnante. Sed de isto Pontifice nihil scribitur; immo Vincentius non computat ipsum; sed Martinus, & Cusentinus, & Gotfredus, & quidam alii sic. Iste in pace quievit eo tempore, quo sedit; & in Ecclesia Beati Petri sepelitur. Isto tempore Berengarius post bellum, quod habuit cum Rodulpho filio Comitis Guidonis Veronam fugit ab ipso devictus; & ita Rodulphus Imperiū occupat Annis II., ut quædam Historiæ Langobardorum tradunt: Unde Veronenses, sumpta occasione contra Berengarium, ipsum occidunt. Hic autem de prudentia commendatur, sed de favore Ecclesiæ nihil; & infelicem exitum habuit. Et attende hìc, quia jam Imperium erat scissum, quia unus imperabat in Germania, alius in Italia; & ipsum Italicum divisum erat, ut patet hìc.

Explicit Liber Decimussextus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER XVII.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Joanne X. & CXXVI. Pontifice, quis fuit, & qualia fecit, qualiter fuit vir armorum, & fugavit Saracenos de Italia, & de pugna, quam habuit cum Marchione.

ANno Domini DCCCCXLI. & ab Urbe condita MDCXCIII. Joannes X. natione Romanus in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis XIII. ut Martinus scribit, licèt aliæ Historiæ aliud tempus ponant. Hic, ut idem Martinus refert, fuit filius Sergii Papæ, & Episcopus Ravennas, qui invasor Ecclesiæ fuit, & ab omni populo Ravennate depositus est, quamvis hodie non sustineretur, quòd sinè caussæ cognitione hæc fierent per quemcumque. Hujus consilio & auxilio, Saraceni, qui dominabantur in Italia, primò prope Urbem devicti sunt. Deinde ipse Papa Joannes, sicut vir bellator magìs quàm Clericus, ut opera ipsius ostendunt, cum Alberico Marchione, assumtâ bonâ militiâ, Saracenos insequitur versùs Aquipum usque ad fluvium, qui Garilianus vocatur; ibique cum eis durum certamen habentes, victores effecti sunt. Redeuntes autem versùs Urbem cum triumpho non modico, cum honore & gaudio sunt recepti. Postmodum autem inter Papam Joannem, & Albericum Marchionem orta est discordia. Marchio de Urbe expellitur, Papa ibidem prævalente cum armorum virtute, ut Historiæ tradunt, & ad Civitatem de Orta se confert, ibique castrum extruens, se fortiter munit.

CAP. II.

Qualiter ex discordia Marchionis Alberici cum Papa intraverunt Ungari in Italiam, & devastarunt eam; & de morte Berengarii I. & Marchionis, & strangulatione Joannis Papæ.

NUntiosque transmittit ad Ungaros, ut Martinus scribit, ut in Italiam veniant, quia in ipsam facilis est ingressus. Tunc verò Comes Guido cum Rodulpho filio suo, interfecto Berengario I. ut quædam Historia Longobardorum tradit, in Italia Principatum tenebat. Venientes igitur Ungari in Italiam, iteratò totam Thusciam depopulando devastant, & spolia rapiunt, & in Ungariam transmittunt. Propter quod post Ungarorum recessum Romani commoti, dictum Marchionem occidunt. Ungari verò propter vilitatem Principum, qui tunc imperabant, singulis quasi annis per multa tempora aliquam partem Italiæ vastaverunt, ut Martinus scribit. Refert etiam de isto Joanne Papa, quòd propter suam tyrannidem factus exosus, à militia Comitis Guidonis captus est, & incarceratus, & ibidem super eum cervicali posito, strangulatus est; in cujus loco alter Joannes substitutus est. Sed quia non legitimè intravit officium, ejectus est inde per eos, quibus incumbebat, & propterea in numero Pontificum non locatur.

CAP. III.

Quomodo isto tempore Imperium est laceratum, quia in Germania imperabat unus, in Italia alius, & benedictione omnes caruerunt.

ATtendendum autem hìc de tempore istius Pontificis, quia quædam Historiæ Longobardorum videntur ponere concurrentia temporis in dominio inter Comitem Guidonem, cujus militia Joannem Papam X. occidit, & Berengarium II. Imperium autem tunc non erat integrum, sed aliquam partem habebat unus Princeps, partem autem aliam alius possidebat: quod contingebat ex mala dispositione Ecclesiæ, ut ex præcedentibus Pontificibus est liquidum. Unde Martinus hìc refert de quodam Corrado, qui fuit filius Ducis Saxoniæ, cujus nomen Otto, ut tradit Vincentius Belluacensis, alius ab iis, de quibus infra dicetur. Iste autem imperavit in sola Germania, & non in Italia, & ideo benedictionem Imperialem non obtinuit, ut Martinus dicit, nec Historia Longobardorum de ipso mentionem facit, sed de solis Italicis. Hic autem Corradus in Germania imperavit Annis VII. post quem Henricus germanus ejusdem, & filius Ottonis Ducis Saxonum, ut Martinus scribit, nec iste similiter in Italia imperavit, sed in sola Germania, & inde similiter benedictione Imperiali caruit, ut Martinus dicit. In Italia verò Comes Guido. & Berengarius II. isto tempore dominium obtinent, ut jam est dictum. Nunc igitur ad alios Pontifices accedendum, de quibus pauca dicuntur.

CAP. IV.

De Leone VI., & CXXVII. Pontifice, & quæ acciderunt tempore suo mala, licèt non multa.

ANno igitur Domini DCCCCLIV. & ab Urbe condita MDCCVI. Leo VI. natione Romanus in Summum eligitur Pontificem. Sedit autem (*) mensibus VI. diebus XV. & cessavit diebus II. ut Historiæ communiter tradunt. Gotfredus autem refert de pluribus. Stemus in primo. De hoc nullæ Historiæ aliqua gesta tradunt, quia modicùm sedit, sed quòd in pace quievit, nullam tamen tyrannidem exercuit, sicut suus Antecessor. Sepultus est autem in Urbe in Ecclesia Beati Petri, sicut communiter quasi omnes alii tradunt. Hujus tempore in Italia imperat Berengarius II. & quem occidit Comes Guido, & imperavit pro ipso quantùm ad illam partem, quam tenebat Berengarius, quia aliam habebat Comes Guido cum filio. Quis autem fuit iste Comes, Historiæ non faciunt

(*) In Cod. Patav. Anno I.

ciunt mentionem. In Germania verò Henricus supradictus, in Francia verò adhuc Lotharius II. regnat filius Ludovici, ut scribit Richardus.

CAP. V.

De Stephano VI., & CXXVIII. Pontifice, & de iis, qui suo tempore imperaverunt aut in Italia, aut in Germania.

ANno Domini DCCCCLV. & ab Urbe condita MDCCVII., ut faciamus annum, assumendo menses Pontificatuum præcedentium, Stephanus VI. natione Romanus in Cathedra Petri sedet. Sedit autem annis II. mense I. diebus XII. & cessat diebus II. De hoc similiter Historiæ communiter transeunt, nulla gesta de ipso narrando, sed quòd in pace transcurrit tempus sui Pontificatus, & mortuus, sepelitur in Ecclesia Beati Petri, Berengario II. in Italia jam occiso, & imperante Guidone Comite cum Lamberto filio ejus, Henrico dicto in Germania, & Lothario prædicto in Francia. Et attende hìc, quia quædam Historia parva Longobardorum tradit, quòd quatuor fuerunt Principes in Italia, qui Imperium sibi diviserunt vicissim; & duravit hoc per XXVIII. annos, videlicet Berengarius I. & II. Comes Guido, & filius. Fuit autem quintus, videlicet Comes Rodulphus, de quibus ad Catalogum Imperatorum recurras.

CAP. VI.

De Constantino Imperatore, & Successoribus ejus, qui fuit VI. de Sancto Vigberto, & de Spireneo Duce Bohemiæ.

ISto tempore moritur Constantinus Imperator Constantinopolis, cui succedit Romanus Heliopolitanus. Tradunt enim aliquæ Historiæ, ut Cusentinus scribit, genealogiam Imperatorum Constantinopolis quasi usque ad tempora ista durasse, de quibus prosequemur cum aliis, quantum in libris authenticis invenire poterimus. Hujus etiam Pontificis tempore, ut scribit Vincentius, claret inter nobiles Lotharingiæ Sanctus Vigbertus, qui Gellanense Cœnobium fundavit, cingulum suæ militiæ deponens. Hujus etiam tempore, ut Historiæ tradunt Spireneus Bohemiæ Dux ad Fidem Christi convertitur, de quo pulchra est Historia, ut infra dicetur, quantùm ad filios ejus. Ubi attende, quòd Principatus Bohæmiæ priùs sortitus est nomen Ducis, sed à modico tempore nomen Regis; & hoc propter potentiam divitiarum, quam non habent alii Duces eidem confines.

CAP. VII.

De Joanne XI. & CXXIX. Pontifice; & de prodigio, quod apparuit Januæ; & quis fuit effectus; de quibusdam Principibus dominantibus in Italia; & de quodam Episcopo vexato à Rege Hugone.

ANno Domini DCCCCLVII. & ab Urbe condita MDCCIX. Joannes XI. natione Romanus in Papam eligitur. Sedit autem annis IV. mensibus X. diebus XV. & cessat diebus II. In hujus anno primo, ut Martinus scribit, &

A Vincentius Belluacensis fons sanguinis largissimè effluxit in Civitate Januensi, portendens fortè ipsius imminentem cladem. Quia eodem anno Saracenis de Africa venientibus, ab eisdem capta fuit, & hominibus, ac thesauris est evacuata. Hujus etiam tempore Hugo in Italia regnat, ut quædam Historia Longobardorum tradit, Berengario II. mortuo, & Comite Guidone, Henrico adhuc in Germania imperante, & Lothario in Francia regnante, ac Imperio ab ipsis subtracto. Hic Hugo filium habuit, quem Lotharium nominavit, qui similiter in Italia imperavit, & cum patre, ut prædicta narrat Historia. Hujus etiam tempore Ratherius ex Bobiensi Monacho Episcopus Veronensis efficitur;
B sed postea à Rege Hugone in Papiam in exilium mittitur, ubi de suis miseriis luculento stilo Librum composuit; multa quoque alia legentibus utilia scripsit, sicut verus Catholicus, & Doctor clarus.

CAP. VIII.

De Leone VII. & CXXX. Pontifice, & Principibus jam dictis imperantibus in Italia, & Germania; de Spireneo Duce, & virtuosis operibus ejus, de filiis, quomodo unus alium occidit.

C ANno Domini DCCCCLXII. & ab Urbe condita MDCCXIV. Leo VII. natione Romanus in Summum eligitur Pontificem. Sedit autem annis III. mensibus VI. diebus X. & cessavit diebus III. ut communiter Historiæ tradunt. Sed de ipso nihil referunt, nisi quòd in pace quievit sepultus in Ecclesia Beati Petri, adhuc Hugone imperante in Italia cum Lothario filio, ut in Historia Longobardorum traditur, Henrico verò in Germania, ac Lothario regnante in Francia supranominato. Isto tempore Spireneus Dux Bohemorum, ut Martinus refert, in Fide Christi multùm claret, justè & religiosè in suo
D regimine principando, cujus filius fuit Sanctus Wenceslaus justitia & sanctitate præclarus, quem frater suus Boleslaus occidit, bonis & piis ipsius operibus invidendo, & sic Principatum usurpat: de quo in sequenti Pontifice diffusiùs dicetur.

CAP. IX.

De prodigio, quod apparuit in Mundo circa mortem Henrici, ex quo est sequutus effectus; & de quodam miraculo, quod accidit circa quemdam, cui injustè fuit amputata manus.

E ISto tempore, ut scribit Vincentius, circa mortem Henrici in Germania imperantis apparuerunt magna in Mundo prodigia. Primò quòd Sol sereno Cœlo obscuratur, & quòd per fenestras domorum radios quasi sanguineos emittebat; & post hoc magna cædes hominum est sequuta cum sanguinis effusione non modica in Germania propter Imperium, ad quod habendum Principes litigabant, quamvis verus Imperator non esset, tum quia coronam non consequebatur à Papa, tum quia non assumebatur, sed dominabatur in multis Provinciis Germaniæ. Sed attende, quia ista confusio non fuit sub Leone, sed sub Stephano, hoc est post mortem Hen-

Henrici; sed fit ibi anticipatio ad declarationes prodigii. Secundum autem prodigium apparuit de quodam, cujus innocentis manus sinistra amputata est, & postea eidem dormienti restituta, cui pro signo miraculi quasi sanguinea linea loco conjunctionis est ostensa. Sed hoc fuit magis miraculum, quàm prodigium.

CAP. X.

De Stephano VII. & CXXXI. Pontifice, quem Historiæ tradunt à Romanis fuisse occisum; cujus tempore mortuo Henrico, substituitur Otto Dux Saxoniæ; quid fecit contra illum, qui fratrem occidit.

ANno Domini DCCCCLXV. & ab Urbe condita MDCCXVIII. Stephanus VII. natione Germanus in Cathedra Petri sedet. Sedit autem annis III. mensibus IV. diebus XV. & cessat diebus XI. Hunc refert Martinus à quibusdam impiis Romanis mutilatum fuisse, & sic mortuum; nec ultio aliqua invenitur facta de ipso. Hoc tempore moritur Henricus in Germania, qui imperabat, cujus loco substituitur Otto, & in Germania solùm, qui & Dux Saxoniæ fertur. Hic Otto in Germania Imperator Boleslaum in primo sui Imperii anno aggreditur, exercitu congregato propter scelus in fratrem commissum, magnaque strages fertur ex utraque parte facta, & per longum tempus certatur: Ultimò tamen prævalet Imperator Otto, & ejusdem subjicitur ditioni. Verùm quia de isto Sancto Viro Wenceslao fit mentio, narrandum est aliquid de sanctitate ejus, quia honesta vita, & sancta in Principe, digna est exemplo. Refert enim Martinus in sua Chronica de ipso, quòd Dux existens sanctitate, ac pietate, & justitia florens, frater ipsius eidem invidens, cùm pro quibusdam caussis injustis interponeret preces, nec obtinere posset, provocatus contra suum Germanum, conjunctis sibi impiorum colligationibus & insidiis, ipsum occidit: unde & meritò Martyr judicari potest, quia pro justitia passus.

CAP. XI.

De Sancto Wenceslao, & virtuosis operibus ejus, qualiter apparuit Regi Daciæ, & prædixit mortem ejus.

ET quamvis multa de suæ sanctitatis merito scribantur, istud tamen invenitur de ipso, quòd, ut refert Martinus, post longum tempus apparuit in somnis Regi Daciæ Henrico nomine, prædicens eidem de morte sua, quòd videlicet ab iis, qui de genere suo erant occidi deberet, præcipiens eidem, ut Ecclesiam in nomine ipsius, qui Wenceslaus dicebatur, deberet construere. Expergefactus Rex, cœpit de dicto facto perquirere: quo invento, & certificato, tum de genere, tum de suæ sanctitatis culmine, & passione, cœpit Ecclesiam ædificare ad honorem præfati Martyris in territorio Rivalliæ, ubi & Cisterciensis ordinis Monasterium construxit, contulitque possessiones magnas eidem loco. Sed antequam consummaretur fratre dicti Regis nomine Abel procurante, ipse interfectus est, sicut eidem prædixerat dictus Martyr. Hoc etiam tempore, videlicet hujus Pontificis, mo-

A ritur Hugo, qui in Italia imperabat, cui succedit filius ejus Lotharius, qui solus imperavit duobus annis sed de Rege Franciæ esset aliquid dicendum, meliùs tamen videbitur ad sequentes Pontifices reservandum.

CAP. XII.

De Martino III. & CXXXII. Pontifice; de Principibus, qui fuerunt tempore suo; de Constantino VI. Imperatore qualiter per nobiles factus est Monachus, sed Constantinus VII. ejus vindicavit injuriam.

B ANno Domini DCCCCLXIX. & ab Urbe condita MDCCXXI. Martinus III. natione Romanus in Summum assumitur Pontificem. Sedit autem annis III. mensibus VI. diebus X. & cessavit diebus XII. Non plus autem de hoc scribitur Pontifice, nisi quòd in pace quievit, nulla novitate facta nec per se, nec per alium. In Ecclesia Sancti Petri sepultus est, imperante Ottone in Germania, & Lothario in Italia III. annis, ac Constantino VI. in Urbe Regia, quæ Constantinopolis appellatur, ut Historia Longobardorum tradit. Hic insidiis quorumdam nobilium captus, & tonsuratus, ad quamdam Insulam, ubi Monachi erant, transmissus est, ut C scribit Vincentius. Sed Constantinus filius Leonis assumens Imperium, ne sibi le attentarent de ipso prædicti nobiles, ipsos capi mandat, ac ipsos attonsos in Monastico habitu, ad memoratam Insulam destinat, ut ipsi cum suo Domino, Deo serviant.

CAP. XIII.

De Agapeto II. & CXXXIII. Pontifice; de Principibus, qui cum ipso regnant, ac novitatibus factis circa eos, sed præcipuè in Francia.

ANno Domini DCCCCLXXII. & ab Urbe D condita MDCCXXIV. Agapetus II. natione Romanus in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis IX. (*) mensibus VI. diebus X. & cessat diebus XII. Berengario III. in Italia imperante, Ottone verò I. in Germania, qui fuerat Dux Saxoniæ. Contra hunc Imperatorem tempore istius Papæ rebellant Comes Palatinus, & Dux Lotharingiæ. Sed de iis sufficientem ultionem accepit. Item frater suus Tagmerus, qui ad hostes ipsius transiit, cepit Monasterium de Heresburg, ubi ab Ottone inclusus telis intra Ecclesiam confossus interiit. De Berengario verò III. in Italia tradunt Historiæ magnum Schisma fuisse tempore istius Pontificis, quod intelligo quantùm ad Laicos in bellicis rebus, in qua E turbatione Berengarius III. moritur. Isto etiam tempore, ut scribit Richardus, novitas in Francia generatur, quia per Barones Dux constituitur super Francos, Lothario II. regnante; primusque Dux fuit Hugo dictus Magnus. Fuit autem filius, ut Richardus dicit, Roberti Tyranni, qui à Carolo interfectus est. Quis autem fuerit iste Karolus, non specificatur, sed fortè frater Lotharii, quem postea incarceravit. Secundus dictus Hugo Caped, & Secundus Dux Francorum.

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* Mens. IX.

CAP. XIV.

Quid movit Principes Franciæ dare Duces in Francia, scilicet vilitas Regum.

ET attende, quia sicut ex debilitate Regum, sive ex vilitate fuit institutus Major domus in alia generatione supra posita, ita & Dux est inventus ad defectum Regum supplendum. Et duo fuerunt super Francos, & duo super Burgundiones, ut ibidem Richardus dicit. Super Francos autem primus Hugo Magnus jam dictus. Secundò verò filius Hugonis Magni dictus Hugo Caped, sub quo genus Regium deficit, ut infra videbitur, & in Catalogo Imperatorum dicetur. Duces autem super Burgundiones fuerunt similiter duo filii Hugonis Magni, & fratres Hugonis Caped videlicet Otto, & Henricus: Et sic magna erat ipsorum in regno potentia. De Agapeto autem nihil plus dicitur, nisi quòd nihil reprehensibile invenitur fecisse, quamvis in Orbe suo tempore magna fuerit bellorum concussio, ut jam est dictum. Moritur autem, & in Ecclesia Beati Petri more solito sepelitur.

CAP. XV.

De Joanne XII. & CXXXIII. Pontifice, qualiter malè intravit; de mala vita ejus; unde Cardinales moti sunt scribere Ottoni Primo imperanti in Germania.

ANno Domini DCCCCLXXX., & ab Urbe condita MDCCXXXIV. Joannes XII. natione Romanus de Via lata ex patre Alberico viro nobili in Summum eligitur Pontificem. Sedit autem annis VII. mensibus X. diebus V., & cessavit diebus XII. De isto Joanne sunt magnæ Historiæ, & diversæ; & hujus tempore maxima circa Principes acciderunt, sed primò videndum circa Joannem. Scribunt enim Martinus, & quidam alii, ut Richardus, quòd pater istius Joannis nobilis genere, & potens in Urbe rogavit quosdam nobiles de Urbe, ac juramento astrinxit, quòd mortuo Agapeto, procurarent fieri Papam filium suum nomine Octavianum: quod & factum fuit, & vocatus est Joannes. Hic erat malus homo, quia venator, & totus lubricus, adeò quòd publicè concubinas tenebat in domo: propter quod quidam Cardinales, & Communitas Romanorum scripserunt Ottoni I. occultè tamen, qui jam in Germania Imperium obtinebat, ut supra est dictum, quatenus occurreret Ecclesiæ scandalo, & eidem compatiens, properaret Romam venire.

CAP. XVI.

De sævitia Joannis Papæ, quam exerucit contra duos Cardinales, quibus imputabat factum jam dictum, & de adventu Ottonis in Italiam, & victoria contra Berengarium.

SCribit autem Martinus, quòd duos Cardinales viliter dehonestavit dictus Joannes, postquam audivit de eis, ipsos fuisse auctores

A dictæ scripturæ. Fuit etiam secundum motivum, quare scripserunt, quia Berengarius IV. de genere Longobardorum descendens cum Alberto filio suo per potentiam sibi in Italia dominium usurpaverat, ac ferina tyrannide premebat Ecclesiam; insuper & Adelaidam relictam Lotharii Imperatoris incarceratam tenebat. Acquiescit igitur Otto Ecclesiæ precibus, & cum magno Germanorum exercitu intrat Italiam, pugnat cum Berengario, ipsumque devincit, & relictam Lotharii de carcere liberat, sibique matrimonio ipsam jungit, atque celebrat nuptias in Papia, & Natale Domini. Postea verò Berengario in gratiam recepto, dominium Lombardiæ eidem relinquit, exceptâ

B Marchiâ, Tusciâ, Veronâ, & Aquilegiâ. Totam enim Italiam quasi celeriter sibi subjicit tum propter tyrannidem Berengarii, tum propter potentiam sui exercitus, tum propter generositatem Principis, quia maximè clarebat in fama. Et attende hic, quòd cum istis quatuor Berengariis multi imperaverunt in Italia in aliqua parte ejusdem, sicut Comes Guido cum filio; item Hugo Comes cum filio suo Lothario: quod fuit spatium LXX. annorum, vel circa, in quo Imperium fuit confusum, & in Italia laceratum, nec extendebat se ad Germaniam, quia alii imperabant ibidem, ut Otto, & Henricus, qui tamen in Italia non imperabant. Nunc verò ad alium veniemus actum,

C sive statum, quia Imperatores cum consensu Ecclesiæ facti sunt, cujus sunt administratores, ut de Ottone, de quo nunc peragitur, qui fuit verus Imperator: (*) (usque in tertiam generationem cum benedictione Imperiali; quod non accidit de primis jam dictis.)

CAP. XVII.

De adventu Ottonis Romam, & qualiter receptus est, & quid fecit: ubi referuntur diversorum opiniones circa suam coronationem.

IIs habitis, vênit Romam prædictus Otto cum suo exercitu, & à Clero, & populo hono-

D rificè est susceptus, & in Imperatorem coronatus. Utrum autem per Papam Joannem, aut post cessionem ipsius, Historiæ non faciunt mentionem, excepto Cusentino, qui dicit Joannem ipsum coronasse. Sed Decretum apertè dicit, quòd Leo VIII. dist. 63. cap. *in Synodo* coronavit eum, præsente Synodo, & easdem dignitates eidem contulit, quas Hadrianus I. Carolo Magno concesserat, quamvis postea inveniatur renuntiasse, sicut & Ludovicus fecit, ut supra patet de hoc dist. cap. *Sacrorum* circa medium. Hoc autem accidit post cessionem Joannis, qui sæpiùs à Rege Ottone monitus, & à Clero, & Collegio Cardinalium, præsente Rege, per quem assumebant eidem loquendi audaciam, & corri-

E gendi; & quia se non corrigebat, coactus est cedere. Et tunc Leo VIII. voto communi ex laico in Papam assumitur, fortè propter aliquam excellentiam virtutis, quæ erat in eo: quod apparet ex iis, quæ fecit, quæ dicta sunt supra. Ita est igitur relatio Martini, quæ Decreto consonat, ut ex dictis apparet.

CAP.

(*) *Appendicula est in Cod. Patav.*

CAP. XVIII.

Relatio alterius opinionis certa, & de quibusdam prodigiis, quæ circa hoc tempus apparuerunt: quod profuit peccatoribus.

VIncentius verò aliter refert de cessione Joannis, quia convocata Synodo, de qua fit mentio in dicto Decreto, fortè per Ottonem ad petitionem Cleri Romani, & omnium Episcoporum quasi de tota Italia, Joannes de nefariis accusatus, deponitur, & Leo adhuc laicus substituitur. Sed postea post recessum Ottonis ex potentia suorum receptus est à Romanis; Leo deponitur; & collecta Synodo Joannes Papatum resumit. Sed cùm quadam die cum uxore cujusdam oblectaretur, à Diabolo in corpore percussus, mala morte interiit. Hujus Papæ tempore, ut scribit Vincentius, in Italia miræ magnitudinis lapis, tonitru, & tempestate turbulenta, de Cœlo lapsus ingens miraculum videntibus præbuit. Prodigiosa quoque res multos terruit, & à vitiis coërcuit, notis crucis in veste plurimorum apparentibus, in quorumdam verò vestibus quasi lepræ sordes, ipsum statum Ecclesiæ insinuans, qualis esset: quod & sequens Pontifex adhuc demonstrat, quia non contenti Romani de eo, quod de Leone fecerunt, alius Papa assumitur, vivente Leone, de quo nunc est dicendum.

CAP. XIX.

De Benedicto V. & CXXXV. Pontifice, propter quod rediit Otto, & etiam dictum Benedictum misit in Saxoniam, ubi moritur, ex relatione autem contra Berengarium captivatur, & Saxoniam mittitur. De operibus virtuosis ejus.

ANno Domini DCCCCXC. & ab Urbe condita MDCCXLII. Benedictus V. in Papam eligitur à Romanis amicis Joannis, & vivente Leone Papa: propter quam caussam Imperator Otto I. vênit de Germania Romam, ipsamque obsidet, donec Benedictus est traditus, quem Imperator in Saxoniam misit in exilium, ibidemque moritur, & in Hamburg sepelitur. Imperator verò Romam intrat, Ecclesiam restaurat, & omnia mala acta per Joannem perversum reparavit cum Clero, & collegio Cardinalium, ac Leone in sua sede locato. Quos autem Romanos rebelles invenit, ipsos sinè misericordia proscripsit. Veniente autem Legato ad Ottonem de tyrannide Berengarii ipsum captivari mandavit, ac in Saxoniam deduci, ubi & vitam miserabiliter finivit. Benedictus autem solùm duobus mensibus sedit, & diebus V. cessavitque diebus XX. sicque Otto, Italiâ pacificatâ, ut Martinus scribit, cum uxore sua Lombarda vidua Lotharii in Saxoniam rediit, de qua filium genuit tam Regni, quàm sui nominis successorem, cui etiam filiam Imperatoris Constantinopolitani matrimonio copulavit. Hic Otto in toto sui Imperii tempore feliciter vivens, multitudinem Paganorum circa Germaniam habitantium ad Fidem Christi convertit, & sicut feliciter vixit, sic feliciter vitam consummavit, moriens cum devotione; & sicut verus Fidelis & in Maydeburg in Ecclesia Sancti Mauritii, quam ipse ædificaverat honorificè sepelitur. Supervixit tamen Leoni, & ex suo favore Leo in pace Pontificatum tenuit.

CAP. XX.

De Leone VIII. & CXXXVI. Pontifice, qualiter resumit officium, & sicut verus Pontifex habetur. De quibusdam, quæ acciderunt circa Normannos; de morte Lotharii, & Ludovici.

ANno Domini eodem cum præcedenti, & similiter ab Urbe condita, Leo VIII. suum resumit officium ex favore Ottonis jam dicti, quem Historiæ aliquæ Benedicto postponunt propter prædictam resumtionem, quamvis ante assumtus fuerit. Aliæ autem præmittunt, quia ab illo tempore fuit verus Papa, quia cum magna solennitate, eo quòd præsente Concilio, & Collegio, & alio Clero, antiquo more, & præsente Principe Ottone, est assumtus in Summum Pontificem. Hic sedit à prædicta reassumtione annis II. mensibus IV. & cessavit diebus VII. Hic statuit, ut Martinus scribit, propter malitiam Romanorum, ut nullus Papa fieret sinè assensu Imperatoris. Hujus tempore multa acciderunt; primò quia Bruno Archiepiscopus Coloniensis plures Normannorum cum Principibus eorum baptizari fecit, ut Vincentius scribit. Utrum autem fuerit ille Doctor, qui Homelias fecit, non specificatur; sed possibile est, quòd fuerit. Nec fuerunt illi Normanni, qui jam baptizati erant in Francia, de quibus dictum est supra, sed novi venientes de sua origine, seu natione. Hoc etiam tempore Lotharius moritur Rex Francorum, cui succedit Ludovicus filius ejus & IV. à primo Ludovico, & X. à Pipino, & à primo Rege Francorum XXXV. Iste parum vixit in Regno, quia quinque annis, ut scribit Richardus, quem dicit immatura morte præventum, & nullum reliquit hæredem.

CAP. XXI.

Qualiter Duces assumunt curam Regni Franciæ, & Carolum Ludovici capiunt, & Hugo Caped Principatum Regni assumit.

TUnc Duces Francorum, & Burgundionum in Regno fortificati contra genus Regium assumunt audaciam; & quia proles ex Ludovico non remansit, veniens Carolus patruus Ludovici, qui Dux erat in Lotharingia, ut scribit Vincentius, voluit regimen Regni assumere; sed non potuit, obviantibus Ducibus Francorum, & Burgundionum, videlicet Hugone Caped Duce Francorum, & Odone ejus fratre Duce Burgundionum. Hugo igitur, sicut major, & potentior in Regno, dictus Caped, cum favore fratris sui Odonis, & consilio Ancelini Episcopi Laudunensis, Carolum jam prædictum cum uxore sua capit, & ducit Aurelianum, pro majori videlicet securitate. Ex quo aliqui assumunt argumentum, quòd ibi fuerit Dux: alii dicunt, quòd fuit Comes Parisiensis. Quicquid autem sit de hoc, id tamen verum, quòd dictus Hugo prævaluit contra genus Regium. Sed non sinè magna sanguinis effusione, ut Vincentius scribit, incarceravit Carolum cum uxore; & ipse cum beneplacito Principum assumit dominium. Hic autem Carolus in carcere moritur, ut Richardus scribit, ubi & duos filios genuit Ludovicum, & Carolum, dictaque progenies sinè spe regnandi remansit in Regno; & sic Hugo erit XXXVI. Rex Francorum à primo,

mo, XII. à Pipino, in quo alius assumitur stipes Regius. Hic autem Hugo dicitur natus de sorore Ottonis Primi Imperatoris, qui traditur sororem Regis Francorum in uxorem accepisse, à quo posteriores Reges Franciæ, & ab Hugone originem traxerunt, unde simul quasi incœpit genus Regale in Francia novum, & Imperiale in Germania. Otto enim I. institutus Imperator per Papam, & Concilium, ut supra est dictum, feliciter gubernabat Imperium; & quia de sua parentela Hugo descendit, cum suo favore stirpi Regiæ Regnum aufert. Nunc igitur ad processum Summorum Pontificum redeundum, & de præfatis dicta sufficiant.

CAP. XXII.

De Joanne XIII. & CXXXVII. Pontifice, qualiter gravatus à Romanis fugit in Campaniam, sed Otto II. veniens Romam vindictam exercens de malefactoribus, restituit eum.

ANno Domini DCCCCXCI. & ab Urbe condita MDCCXLIII. Joannes XIII. natione Narniensis in Cathedra Petri assumitur. Sedit autem annis VI. mensibus II. diebus V. & cessavit diebus XIII. ut Martinus scribit, & aliæ Historiæ. Dicunt etiam, quòd à Petro Præfecto Urbis Romæ in Castello Sancti Angeli detrusus, deinde in Campaniam in exilium missus X. mensibus, & XVIII. diebus exulavit ibidem. Sed Otto II. filius Ottonis I. suique Patris imitator egregius in Ecclesiæ Romanæ defensione, eidem Joanni Papæ subvenit, quia mortuo suo genitore Romam cum magno exercitu Germanorum venit, & tunc Joannes reversus est Romam, & Otto II. persecutores Joannis Papæ durissimè punivit, ut exigebant merita delictorum, quia quosdam trucidavit, ut scribit Martinus, quosdam laqueo suspendit, quamplures verò in exilium ad Saxoniæ partes transmisit. Et sic Joannes Papa in suo Pontificatu resurgit, atque Ottoni II. coronam Imperii tradidit, quamvis per patrem institutus fuerit Imperator ex privilegio eidem concesso per Leonem VIII. & Synodum, quod habes dist. LXIII. cap. *In Synodo*.

CAP. XXIII.

Qualiter Otto II. Franciam invadit, & devastat, & caussa ponitur; & de juramento, quod Otto fecit Joanni Papæ super fidelitate servanda.

HIc Otto, ut Vincentius scribit, quia Lotharius Rex Franciæ Lotharingiam vastaverat ratione fratris, quæ ad Imperium pertinebat, exercitum congregat permaximum, & Franciam fortiter devastat, nec aliquam habuit resistentiam. Simile fecit pater suus Otto I. ut idem Auctor refert, quod in catalogo Imperatorum invenies. Hic Joannes, ut scribit Cusentinus, Ecclesiam Capuanam Archiepiscopatu nobilitavit, fortè propter gratias, quas ibidem susceperat sui exilii tempore, quia fuit Campania, ubi is exulavit, secundùm antiquum nomen. Hic etiam est ille Joannes Papa, cui Otto jam dictus juramentum fecit de fidelitate servanda Romanæ Ecclesiæ, cujus formam habes dist. LXIII. cap. *tibi Domino*, quam sibi fecerat per suum Procuratorem, antequam Romam veniret, ut ibidem patet, hoc est in dicto Decreto, quam formam hodie Imperatores observant, antequam confirmentur, vel coronam Imperialem accipiant. Sed qualiter hoc fit, quum de Clemente V. agetur, ibi poterit declarari.

CAP. XXIV.

De miraculo, quod ostendit ad perfectam conversionem Danorum; qualiter Hugo Caped, assumto dominio Regni, deponi fecit Arnulphum de Archiepiscopatu Remensi, sed per Joannem Papam est revocatus.

HUjus Papæ tempore, ut scribit Vincentius, Danis, qui simul Christum colebant, & Idola, cum Popone Clerico altercantibus ad veræ fidei examinationem ex condicto ferrum ignitum accepit, & in manibus tenuit per magnum spatium temporis, & illæsus permansit. Quod cùm Dani vidissent, Rex Danorum cum suis abjecta penitus Idolatria se, suosque ad verum Deum colendum convertit. Clericus verò comprobata ejus virtute divina, ad Episcopatum ibidem assumitur. Isto etiam tempore, postquam Regium genus defecit in Regno, prædictus Hugo Caped Arnulphum fratrem Lotharii Regis Franciæ, & Patruum Ludovici ultimi Regis de Archiepiscopatu Remensi amoveri fecit, eidem opponens, quòd illegitimus esset; & quemdam Guibertum dicto assignari loco. Facta igitur relatione Papæ Joanni jam dicto (Martinus tamen dicit Benedicto VI.) quæ acta erant circa dictum Archiepiscopatum Remensem, revocari mandavit, & dictum Guibertum fecit Archiepiscopum Ravennatensem ad petitionem Ottonis, de quo infra dicetur, quis fuit. Isto tempore Saraceni de Africa venientes in Calabriam, Cusentiam capiunt, & destruunt.

CAP. XXV.

De Benedicto VI. & CXXXVIII. Pontifice, qualiter fuit captus à nobili Romano, & in Castro Sancti Angeli reclusus, & ibidem strangulatus, nec fuit facta vindicta, & caussa quare.

ANno Domini DCCCCXCVIII. & ab Urbe condita MDCCL. Benedictus VI. in Papam eligitur. Sedit autem anno I. mensibus VI. & cessavit diebus X. Hic fuit natione Romanus, qui, ut Martinus scribit à (*) Cracto, alias Crescentio nobili quodam Romano captus, & in Castro Sancti Angeli, cujus fortè ipse dominus erat, reclusus, ibidem ab ipso strangulatus est. Cusentinus dicit, quòd fame moritur: cujus rei caussa non ponitur ab aliquo istorum. Sed potuit esse ex vindicta factum ratione tyrannidis dicti Pontificis, vel alicujus injuriæ illatæ, cujus facti argumentum esse videtur, quòd non invenitur vindicta exercitata nec per cives Romanos, quod numquam consuevit contingere, ut infra patet de multis, item nec per Ottonem II. Imperatorem, ad quem pertinebat ex juramento supra facto Joanni Papæ Romanum Pontificem defensare, ut patet in cap. allegato. Dictus autem Otto scribitur per omnes Historiarum Scriptores, quòd fuit bonus homo, & magnus

(*) *In Cod. Patav.* à Siritio nobili &c.

gnus zelator Ecclesiæ, ut patet supra de Joanne; vel tunc Imperator recesserat in Saxoniam post victoriam, quam de Græcis, & Beneventanis habuerat, quando corpus Beati Bartholomæi de Benevento Romam transtulerat, & in Insula in quadam Ecclesia collocavit, & quòd Clerus Romanus non requisivit Ottonem de tanta injuria vindicanda propter dictam caussam; inde Otto sicco passu transivit. De hoc Ottone multa dicuntur, quæ sunt Imperatorum Catalogo relinquenda.

CAP XXVI.

De Dono II. & CXXXIX. Pontifice. De duobus Principibus Bulgariæ, qui vexaverunt Civitatem Regiam, de Sancto Adalberto Bohemo, qualiter fecit, & de Sancto Eduardo.

ANno Domini millesimo, & ab Urbe condita MDCCLII. Donus II. in Cathedra Petri locatur, natione Romanus. Sedit autem anno I. mensibus VI. diebus X. & cessat diebus X. De isto nullum gestum habetur nec bonum, nec malum, nisi quòd in pace quievit, & sepultus est in Ecclesia Sancti Petri. Hujus verò tempore, ut scribit Vincentius, duo fuerunt Principes Bulgarorum, quorum unus vocabatur Petrus, alter (*) Bajanus, qui multùm vexabant Civitatem Regiam, quæ est Constantinopolis, cujus virtus multùm erat diminuta, quo tempore imperabat Basilius, & filius ejus Constantinus. De uno autem istorum Principum Bulgarorum, videlicet Bajano refert Vincentius, quòd sic fuit perfectus in arte magica ex subjectione, & fœdere cum malignis spiritibus, ut quoties vellet, Lupus, vel alia bestia fieri videretur. Istius etiam Papæ tempore adhuc imperabat tam in Germania, quàm in Italia Otto II. Hoc etiam tempore, ut scribit Martinus, floruit in Bohemia Sanctus Adalbertus, sanctitate & doctrina præcipuus. Hic primùm Episcopus Pragensis, postea revelante Deo, in Pannoniam veniens, primùm Regem Hungarorum, videlicet Sanctum Stephanum cum sua gente baptizavit. Demum per Poloniam veniens, ipsosque in Fide confirmans, in Prusciam vadens, ibidem Fidem Christi prædicando, martyrio coronatur. Sub hoc etiam tempore Eduardus Rex Anglorum in sanctitate & justitia florens, à noverca sua, ut dicitur, dolo occiditur, miraculis coruscando. Sed quia nos facimus festum de ipso, sicut de uno Confessore, inde meliùs dicitur, quòd in istis vivens operibus, ac in pace quiescens, migravit ad Dominum. Iis etiam diebus, ut scribit Richardus Sanctus Majolus Abbas, cùm per XL. annos gubernasset Cluniacense Cœnobium, ad Dominum migrans apud Filimacos, magnum sui exemplum reliquit, & honore debito suæ sanctitatis....

CAP. XXVII.

De Bonifacio VII. & CXL. Pontifice, qui parum sedit, & multa mala fecit; ultimò movetur quæstio de ipso, & solvitur.

ANno Domini MI. & ab Urbe condita MDCCLVII. Bonifacius VII. cujus cognomen, & patria ignota, sed & sede indignus Petri, considerando tempus suæ sedis, quod modicum fuit, quia mense uno, & diebus XII. Et mirabile videtur, quòd Otto II. non præbuit auxilium suæ vexationi. Sed si attendimus ad ea, quæ fecit, videtur fuisse minus habens de actu Clericali, & ideo Otto de sua inhonestate parum curavit. Quæ autem fecit, refert Martinus, quòd non (**) volens in Urbe subsistere juxta beneplacitum de prædicta Ecclesia Sancti Petri, cum omnibus pretiosis fugit in Constantinopolim. Tamdem Romam magna cum pecuniarum quantitate rediens, cùm proficere non posset ad Pontificatum tenendum propter adversarios, quos habebat, etiam Cardinales, ad tyrannidem provocatur. Unde scribit Martinus, quòd dictus Papa videns, quòd suo officio pacificè uti non poterat, Joanni Diacono Cardinali oculos eruit, & ipse demum & subitò melancoliâ extinguitur; & inde propter talem modum vivendi à Principibus fuit contemtus; nec aliqua memoriâ digna possunt de ipso referri. Sed ad alium Pontificem accedendum. Unum tamen attendendum de isto Pontifice, quomodo esse potuit, quòd sederit solùm per mensem, & XII. dies, sicut omnes Chronicæ ponunt, & ipse iverit in Constantinopolim, & redierit dives. Ad quæ, respondere posset, quòd ea, quæ tulit secum de Ecclesia Beati Petri, fuerunt carissima, ut pretiosi lapides, qui in modico loculo asportari potuerunt, & magnas valent pecunias, de quibus in Constantinopoli magna est copia. Ivit autem, & rediit non pontificaliter, ut modò itur, sed quasi alter homo, & inde, ut minùs habens, sicut in aliis judicari potest.

CAP. XXVIII.

De Benedicto VII. & CXLI. Pontifice, & virtuosis operibus ejus. De Ottone II. qualiter venit in Italiam, & de iis, quæ fecit. De Roberto Rege Francorum II., & de bonis operibus ejus.

ANno Domini eodem cum præcedenti, & ab Urbe condita similiter, Benedictus VII. in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis VIII. & mensibus VI. Et cessavit diebus V. ut Martinus scribit. Aliæ autem Historiæ habent, quòd sedit annis IX. Ab isto Pontifice, ut Martinus refert, dicitur restitutus Arnulphus in Archiepiscopatu Remensi, convocata Synodo ejus mandato, de quo dictum est supra, quòd per Joannem XIII. factum fuerit. Ad hunc Papam Benedictum, ut scribit Martinus, de Saxonia iteratò Otto II. relicto filio suo Ottone III. jam adulto in Germania, vênit cum exercitu magno, & cum Regina Romam, qui à dicto Benedicto honorificè susceptus est, ac iteratò ab ipso Coronam Imperii suscepit, & ipse, & Regina, sive Imperatrix, tamquam à viro famoso, quamvis Joannes XIII. eidem contulerit, ut supra est liquidum: quod & solitum de multis supra Imperatoribus invenitur ad majorem affectum Ecclesiæ ad Principem ostendendum. Veniens igitur in Italiam Otto, vadit in Calabriam contra Saracenos, qui dictam occupaverant regionem, rediensque Romam, ad paucos dies infirmatur, & moritur, & in Ecclesia Beati Petri honorificè sepelitur. Hic Pontifex multùm commendatur de Sanctitate, & pro-

(*) *In Cod. Patav.* Bojanus, *ita & infra.*

(**) *In Cod. Patav.* non valens.

probitate, cujus tempore Robertus filius Hugonis Caped primus regnat in Francia, qui fuit XXXVII. à primo Rege Francorum, XIII. à Pipino, & II. ab Hugone, & primus in isto nomine. Quidam autem dicunt, ut Richardus, quòd Hugo Caped fuit primus Rex inter Duces Francorum, & II. fuit Robertus, qui multo tempore regnavit, ut scribit Richardus, per XL. annos, & fuit piissimus, & Sanctæ Religionis amicus. Hujus etiam Papæ tempore floret Waldricus Hamburgensis Episcopus, cujus vita & doctrina qualis fuit, miraculorum gloria patefecit.

CAP. XXIX.

De Joanne XIV., & CXLII. Pontifice, quia malus fuit, malè moritur; de Berengario Turonensi magno Philosopho, qualiter erravit in Fide, & quomodo in Concilio errorem suum correxit.

ANno Domini MX. & ab Urbe condita MDCCLXII. Joannes XIV. natione Romanus in Summum assumitur Pontificem. Sedit autem mensibus VIII. & cessat diebus X. Hic, ut Martinus scribit, in Castello Sancti Angeli per aliquos nobiles Romanos includitur, & fame incarceratus moritur. Caussa autem esse potest sua protervia, quia non invenitur de Clero aliquis obviare, nec Princeps aliquis, qui istam injuriam Ecclesiæ vindicaverit propter merita personæ. Sepultus est igitur in Vaticano in Ecclesia Beati Petri. Et attende, quia istæ vexationes Pontificum, ut in pluribus erant Romæ, vel ex fastuoso ipsorum regimine, seu tyrannico, vel ex æmulatione Romanorum ad ipsos. Hujus tempore Odilo Abbas Cluniacensis vir in omni sanctitate clarus migravit ad Dominum. Per hæc tempora Berengarius Turonensis, ut scribit Richardus, floruit vita, & scientia præclarus, immo Philosophus appellatur. Sed confidens de sua sapientia, erravit in Fide; postea tamen suum correxit errorem in pleno Concilio Romæ celebrato. Error autem suus fuit circa Sacramentum Eucharistiæ, de quo agitur *de Consec.* dist. 2. Cap. *Ego Berengarius*. Sua verò correctio in hoc fuit, ut cùm esset Archidiaconus Andegavensis, relictâ scientiâ, suis manibus operabatur quicquid inde, vel quocumque modo, hoc est de reditibus Ecclesiæ habere poterat, totum distribuebat pauperibus, sibi nihil reservans. Hoc tempore imperabat Otto III. ex successione patris, & privilegio concesso Ottoni I. per Papam Leonem VIII. præsente Concilio celebrato Romæ, quod habes in Cap. superiùs allegato dist. 63. Cap. *in Synodo*. Non tamen adhuc perceperat ab Ecclesia, ut pater suus, Imperialem Coronam, ut supra est manifestum. Isto etiam tempore in Francia regnabat Robertus II. Rex de genere Hugonis Magni, & Ducis Francorum.

CAP. XXX.

De Joanne XV., & CXLIII. Pontifice, qui etiam malus fuit, & malè vitam finivit. De Ottone III., de Cometa, quæ apparuit isto tempore.

ANno Domini MXI. & ab Urbe condita MDCCLXIII. Joannes XV. natione Romanus ex patre Roberto in Papam assumitur. Sedit autem mensibus IV. ut communiter ponunt Historiæ. De isto autem Pontifice nullum invenitur gestum, nisi quòd in pace quievit. Cusentinus tamen dicit, quòd propter tyrannidem vitam malè finivit. Sepultus tamen est more solito in Ecclesia Sancti Petri; Ottone tamen III. imperante, nondum tamen adepta per Ecclesiam Imperiali Corona, ut sui antecessores, item regnante Roberto in Francia. Isto tempore Cometa magnæ claritatis apparuit in Septentrione, habens comam versùs Meridiem, ut Cusentinus scribit. Deinde volvit se ad Occidentem, & habebat comam ad Orientem. Quo tempore etiam fuerunt magni terræmotus apud Beneventum, & Capuam, & alias ejusdem regionis Civitates & Castra; magnæque factæ sunt in Mundo scissuræ, & hominum cædes sequutæ, & fames permaximæ, quæ solent esse effectus signorum talium, seu prodigiorum.

CAP. XXXI.

De Joanne XVI., & CXLIV. Pontifice, qualiter Crescentius ipsum insequitur, unde Joannes recedit de Urbe, & qualiter revocatur; & de quibusdam viris sanctis, qui floruerunt in Gallia.

ANno Domini eodem cum præcedenti, & ab Urbe condita similiter Joannes XVI. natione Romanus in Cathedra Petri sedet; Sedit autem annis X. mensibus VI. diebus X., & cessavit diebus VI. Hic fuit in doctrinis eruditus, simul & multos Libros composuit, ut scribit Martinus. Hunc Crescentius Patritius propter aliqua peccata, vel contra ipsum acta, ut Historiæ tradunt, indignatus contra Papam, ipsum insequitur. Propter quod, ut & ipse Martinus scribit, oportuit Joannem Urbem relinquere, & in Tusciam se transferre. Cognito verò Crescentio, quòd Papa pro Ottone III. misisset, Summo Pontifici nuntios transmisit, ut ad Urbem redeat, quia tamquam Patrem, & Dominum veneraretur ipsum. Quod & factum fuit, quia eo veniente, Crescentius cum toto Senatu ad pedes Papæ se prostraverunt, veniam humiliter de commissis petentes. Sicque Joannes, facta pace cum Romanis, in pace quievit, sepultusque est in Ecclesia Beati Petri. Isto tempore in Lotharingia florebant in vita, & scientia literarum, ut scribit Vincentius, Henricus Abbas Lobiensis, & Adelboldus Episcopus Ultrajectinus; in Francia verò Fulbertus Episcopus Carnotensis, qui multa scribit ad laudem Beatæ Mariæ, & Crucis. Item Abbo Abbas Floriacensis, qui etiam postea in Vasconia martyrium passus est. Hoc etiam tempore imperabat Otto III., sed nondum obtinuerat à Papa Coronam Imperialem, sed postea à Gregorio V. adeptus est, ut jam dicetur. Hoc eodem tempore in Francia adhuc Robertus regnabat.

Explicit Liber Decimusseptimus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER XVIII.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Gregorio V., & CXLV. Pontifice, quis fuit; de Ottone III., qualiter coronatus fuit ab ipso; & de iis, quæ dictus Otto fecit pro ipso contra persecutores suos.

ANno Domini MXXI. & ab Urbe condita MDCCLXXIII. Gregorius V. natione Saxo ex patre Ottone in Cathedra Petri sedet. Sedit autem annis II. mensibus V. & cessavit diebus XV. Hic autem dictus est Bruno, & Cardinalis fuit, ac consanguineus fuit Ottonis Imperatoris, ut Martinus scribit, quem Imperator post mortem Joannis Papæ ordinavit in Papam eligi, & ab ipso est postea coronatus. Post Coronationem autem caussa peregrinationis & orationis ad Sanctum Angelum in Apuliam vadit; sed rediens per Beneventum, corpus Sancti Paulini Episcopi secum detulit Romam. Ubi attende Principis devotionem. Demum ordinatâ Italiâ, transitum faciens per Galliam in Saxoniam est reversus. Post hæc Crescentius Romanus Consul, ut scribit Martinus, sive Senator, expulso Gregorio, fecit Papam quemdam Græcum Joannem nomine Placentinum Episcopum (*) multâ pecuniâ, quem quidem thesaurum de Constantinopoli detulit & ex hoc Episcopatum credidit obtinere: quod & fecit. Hoc autem audiens Imperator, ad Urbem celeriter cum multo furore regressus est, & primò Crescentium trucidari mandavit; Joannes verò præfatus in Castro Sancti Angeli obsessus, eidem Principi traditur, quem faciens exoculari, & mutilari membra, tandem mala morte interiit; & sic Gregorius in sua restituitur Sede.

CAP. II.

Qualiter Otto rediit Romam in favorem Pontificis, & quomodo Gregorius de consilio Ottonis instituit Electores Imperii, & quomodo Imperator veneno moritur.

REdiens verò in Saxoniam, pro majori firmitate Gregorii quosdam nobiles de Urbe ad suas partes secum ducit. Tamdem iteratò Romam veniens, ibidem finivit vitam, ut Martinus scribit. Modum autem mortis tradit Vincentius, quia veneno; quod esse potuit propter litigium, quod cum Romanis habuit tum ratione Gregorii, tum ex morte Crescentii tum etiam propter quoddam palatium, quod in Urbe ædificare volebat. Et quia prolem non habuit, quamvis isti tres Ottones sibi invicem successerint ex ordinatione Ecclesiæ, & non per electionem, ut per Decretum jam pluries allegatum patet LXIII. dist. Cap. *In Synodo*: Dictus Otto, & prædictus Gregorius Papa consanguineus suus, ut Historiæ referunt, & apparet ex facto, ordinaverunt Electores Imperii in Theutonia. Vel, ut meliùs sit dictum, ipse Gregorius per se ad petitionem Ottonis Electores instituit: quod concordat cum Decretali. Extra *de elect.* Cap. *Venerabilem*: electionem prædictam videlicet ab Ecclesia Romana extraxisse originem, & potestatem.

(*) *In Cod. Patav.* multam pecuniam habentem.

CAP. III.

Ponitur caussa motiva institutionis Electorum Imperii, & ponuntur qui sunt, & quæ officia habent in Curia Imperatoris.

POnitur autem, quòd duo potuerunt esse motiva ad constituendum Electores prædictos. Unum fuit reverentia civium Romanorum ad Romanos Pontifices, sicut ex dictis patet, & inde ad tenendum in freno ipsos Cives Romanos electus in Imperatorem Rex Romanorum vocatur. Secundum motivum fuit beneficium collatum Ecclesiæ per istos tres Principes Ottones, quorum quilibet favorabilissimus fuit Romanæ Ecclesiæ, ut ex superioribus est manifestum. Electores igitur isti sunt, videlicet Officiales Imperii, qui sunt septem. Tres Cancellarii, trium videlicet nationum, quæ ad Imperium principaliter pertinent. Quia Germaniæ est Archiepiscopus Moguntinus; Galliæ est Archiepiscopus Treverensis; Italiæ verò est Archiepiscopus Coloniensis: unde versus:

Moguntinus, Treverensis, Coloniensis
Quilibet Imperii fit Cancellarius horum.

Laici sunt autem quatuor, videlicet Marchio Brandeburgensis, qui est Camerarius; Comes Palatinus, qui est Dapifer; Dux Saxoniæ, qui portat ensem; Rex Bohemiæ, qui est pincerna. Quidam dicunt, quòd ad tollendam electionis discordiam iste est additus; sed falsum est, quia Rex Bohemiæ ita est Officialis Imperii, sicut alii, & ex Officiis sunt assumti, ut supra est dictum; unde versus:

Marchio Præpositus Cameræ; Pincerna Bohemus;
Est Palatinus Dapifer; Dux portitor ensis
Hi faciunt Dominum cunctis per secula summum.

CAP. IV.

Qualiter à Carolo Magno usque ad tempora ista non fuerunt Imperatores per electionem; de Fulberto Carnotensi Episcopo, qui isto tempore floruit.

AB isto igitur tempore incœpit electio Imperatoris. Omnes autem præcedentes, qui fuerunt Latini, hoc est à Carolo Magno, in quo facta est translatio à Græcis, fuerunt Imperatores per provisionem Ecclesiæ, ut patet in dicto Carolo, qui in suis heredibus Imperium habuit per successionem usque ad Arnulphum, non per electionem, ut supra patet, & in catalogo Imperatorum dicetur. Sed & de Ottonibus

nibus hoc idem apparet. Hæc autem institutio ac ordinatio traditur per Gregorium supradictum facta, qui fuit Saxo, & de consa guinitate Ottonis, ut jam est dictum. Et istud de Imperatoribus quantum ad præsens relatum sufficiat; & ad Summos Pontifices redeundum. Gregorius igitur V. in pace quievit, sepultus more solito in Ecclesia Beati Petri. His temporibus scribit Martinus, floruisse Fulbertum Carnotensem Episcopum vita & scientia clarum, qui inter alia laudabilia, quæ scripsit, quæ fuerunt multa, *Stirps Jeſſe*, & *Solem Justitiæ*, & Responsoria cum Versiculis, & Choros novæ Hierusalem composuit.

CAP. V.

De Joanne XVII. & CXLVI. Pontifice, de quo est quæstio, quis fuerit, sed ultimò declaratur.

ANno Domini MXXIV. & ab Urbe condita MDCCLXXVI. Joannes XVII. in Summum eligitur Pontificem. Sedit autem mensibus X. & cessavit diebus XX. De hoc Joanne dictum est supra quis fuit, & qualiter per Crescentium Consulem factus est, & qualiter vitam viliter finivit. Sed mirandum, quomodo iste Joannes in catalogo Summorum Pontificum ponitur, cùm non fuerit verus Pontifex, tum quia, vivente Gregorio, est institutus, tum quia per illum institutus est, qui non poterat, & per pecuniam, ut supra patet. Et inde meritò viliter fuit tractatus, quia non intravit per ostium, sed tantùm sibi usurpavit honorem. Sed quia omnes Historiæ quasi ipsum computant in numero Summorum Pontificum, ut Martinus, Cusentinus, Gotfredus, Vincentius, & alii, ideo & nos similiter faciamus. Sed meliùs dicitur, quòd iste Joannes fuit alius ab illo, quia ille jam mutilatus fuerat ab Imperatore, ut supra est dictum; unde nullo modo potest stare cum prima relatione.

CAP. VI.

De Silvestro II. & CXLVII. Pontifice; qualiter se Diabolo obligavit pro honoribus acquirendis (*)*: quod & impetravit.*

ANno Domini MXXV. & ab Urbe condita MDCCLXXVII. Silvester II. in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis IV. mense uno, diebus IX. & cessavit diebus XXIII. De isto Silvestro multæ Historiæ faciunt mentionem; sed Martinus super omnes plus dicit. Refert enim, quòd natione Gallicus fuit, Guibertus vocatus ex suo nomine. Hic primò Floriacensis Cœnobii Aurelianensis Diœcesi Monachus fuit; sed dimisso Monasterio, homagium Diabolo fecit, ut sibi omnia ad votum succederent: quod Diabolus promisit adimplere. Ipse verò obsequiis Diaboli insistens, frequenter in desideriis suis cum eo loquebatur. Veniens autem in Hispaniam Hispaniæ caussâ discendi, in tantum profecit, quòd sua doctrina ubique clarebat: propter quod solennissimos discipulos habuit, ut Martinus scribit, Ottonem videlicet III. Imperatorem, & Robertum Regem Francorum. De quo Historiæ referunt multa pulchra scripsisse, A sed inter alia Sequentiam *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*. Aliæ autem Historiæ Beato Gregorio I. attribuunt, quod magis credo. Tertius autem discipulus inter omnes fuit Leotherius vir nobilis, qui postea fuit Archiepiscopus Senonensis.

CAP. VII.

Declarantur hic honores, ad quos pervenit virtute Dœmonis, & qualiter Diabolus ipsum decepit in facto mortis, & de pœnitentia ipsius.

B SEd quia Guibertus quamplurimùm honores ambiebat, Diabolus ea, quæ petebat, ad votum implevit. Fuit enim primò Archiepiscopus Remensis, deinde Ravennæ, licèt cum scandalo, ut supra patet, deinde Cardinalis, & postea Papa; & tunc quæsivit à Diabolo, quamdiu viveret in Papatu; cui responsum datur ad majorem audaciam in agendo, quòd in Hierusalem moriretur. Hoc audiens gaudet plurimùm, se multo tempore vivere sperans, quia non intendebat ad partes Hierosolymitanas pro illis temporibus se conferre. Sed cùm in Quadragesima ad Ecclesiam, quæ dicitur in Hierusalem in Laterano celebraret, ex strepitu Dœmonum sensit sibi mortem imminere, fortè ex C iis, quæ expertus erat in aliis ex ipsorum familiaritate. Unde suspirans ingemuit, quia in hac vita quantumcumque desperato locus est pœnitentiæ; propter quod quamvis sceleratissimus, misericordiam Dei considerans, ad ipsam recurrit. Sicque se humilians, suumque delictum cognoscens, ipsum coram omnibus confitetur, jubetque propter tantum delictum omnia sui corporis membra præscindi post mortem, truncum verò supra bigam transportari per equos, & in loco, ubi biga quiesceret, sepeliri.

CAP. VIII.

D *De miraculo, quod accidit circa sepulcrum ejus, & de indiciis misericordiæ subsequutæ, & qualiter omnia acciderunt, adhuc viventibus Principibus, qui fuerunt discipuli ejus.*

VEnientes autem equi cum biga ad Ecclesiam Lateranensem, ibi ipsum sepelierunt. In signum autem misericordiæ consequutæ sepulcrum ejus ostendit tam ex strepitu ossium, quàm ipsorum sudore, quasi in modum olei, ut Martinus scribit. Hujus tempore adhuc imperabat Otto III. tam in Germania, quàm in Italia, qui de sua promotione sollicitudinem non modicam adhibuit, sicut verus ejus discipulus, fortè etiam ejus malitiam ignorans. Hoc etiam E tempore Robertus regnabat in Francia, & Constantinus in Urbe Regia, quæ Constantinopolis appellatur. Scribit autem Vincentius aliter de isto Silvestro, quàm Martinus, quòd videlicet propter artem Magicam, aut Nigromantiam, quam exercuit, in detestationem tanti vitii à numero Summorum Pontificum fuerit sic exclusus. Sed hoc ad tempus; postea verò ex indiciis suæ salutis jam dictis, & ex revelatione facta successori, eidem numero est restitutus, ut alii tradunt.

CAP.

(*) Abunde hæc confutavit Baronius, qui ad Annum DCCCCXCIX. Bennonem hujus commenti auctorem facit, ut non tam Gregorii VII. illustrem memoriam, sed Apostolicæ quoque Sedis honorem deprimeret.

CAP. IX.

De Johanne XVIII. & CXLVIII. Pontifice, cujus tempore adhuc imperabat Otto, & Robertus in Francia, cujus etiam tempore fuerunt terræmotus magni in Græcia, & inde mali effectus sequuti.

ANno Domini MXXIX. & ab Urbe condita MCCLXXXI. Joannes XVIII. natione Tuſcus, & cognomento Figo, in Cathedra Petri locatur. Sedit autem menſibus V. diebus XXV. & ceſſat diebus XIX. imperante adhuc Ottone III. & Roberto in Francia regnante. De hoc Pontifice nullum referunt geſtum, niſi quòd in pace quievit, ſepultus autem in Baſilica Sancti Petri. Hujus autem tempore Romanus gener Conſtantini in Conſtantinopoli imperat, ſuo ſocio defuncto. Iſto etiam tempore in Græcia fuerunt maximi terræmotus, ut ſcribit Cuſentinus, duraveruntque per XX. dies, factaque eſt ibidem magna domorum concuſſio in Caſtris, & Civitatibus, poſt quos ſequuta eſt fames valida, ac peſtilentia ægritudinnm in regionibus ſupradictis, & ab inde comitata eſt hominum cædes non modica. Et attende hìc, quia ut in pluribus iſti tales effectus ſequuntur poſt terræmotus.

CAP. X.

De Joanne XIX. & CXLIX. Pontifice, quis fuit, & adhuc dicti Principes vivebant; de Rege Franciæ multa bona hìc dicuntur, & ſimiliter de Imperatore præfato.

ANno Domini MXXX. & ab Urbe condita MDCCLXXXII. Joannes XIX. natione Romanus dictus Farnaſſus, in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis IV. & ceſſat diebus XXX. Hic fuit de regione, quæ vocatur Metropolitana porta. De hoc autem Joanne pauca dicuntur, niſi quòd fuit vir venerabilis vitæ, & ſuo tempore Eccleſia in pace tranſiit. Moritur, & in Eccleſia Beati Petri ſepelitur, imperante adhuc Ottone III. cum magna pace tam in Germania, quàm in Italia, & in Gallia Belgica. Quæ autem ſit Gallia iſta, in noſtra Tripartita requiras Lib. II. Hujus etiam tempore floret in Francia Rex Robertus filius Hugonis Caped. Hic enim, ut ſcribit Richardus, regnavit annis XL. in ſumma juſtitia tenens dominium, & in gratia Cleri, ac Principum, ac totius populi ipſum gubernans; & quamvis vir militaris eſſet, tamen fuit divino cultui mancipatus, & in ſacris literis eruditus; unde ſcribit Martinus de ipſo, quòd in diebus feſtis ibat ad Monaſteria, ibique faciebat feſtum cum Monachis, & accipiebat cappam ſericam, ſicut cantor, & alta voce cantabat cum eis.

CAP. XI.

Qualiter dictus Rex Rebertus multa adinvenerit ad cantandum in Eccleſia, ſed ſpecialiter proſam Sancti Spiritus adſit nobis gratia. *Quidam etiam alia eidem attribuunt, quæ miraculoſa fuerunt.*

TRaditur autem, quòd multos invenit cantus, & inter alia illam proſam *Sancti Spiritus adſit nobis gratia*, quæ inventio non fuit ſinè magno ingenio. Aliqui tamen dicunt, ipſam fuiſſe Gregorii I. ſive Magni, ut ſupra eſt tactum: ſupra tamen attributa eſt Guiberto, qui fuit Silveſter II. & CXLVI. Pontifex; ſed communis opinio, quòd Gregorius: quod magis credo. Tradit autem Martinus de iſto Rege Roberto, quòd cùm quadam vice eſſet in obſidione cujuſdam caſtri, ſupervenit ſolenne feſtum; unde ipſe, relicto exercitu, & ordinatis Ducibus ejuſdem, declinavit ad propinquum Monaſterium, ibique feſtivans, ac vicem Cantoris gerens, dum in Miſſa cantaretur Agnus Dei, ex devotione genua flectens, eadem hora ſuæ genuflexionis muri Caſtri ex virtute ſuæ orationis, ſeu ejus merito, corruerunt. Unde celebratis feſtivitatis officiis, & ad Caſtrum rediens, ipſum captum invenit. Et attende hìc in iſto Principe, quia morum elegantia ipſius, ac militaris probitas, nec non & officioſa devotio, quam in cultu geſſit divino, multùm mitigavit populum, Regioſque amicos antiqui regiminis ad obediendum, & ad quieſcendum novo ſceptri dominio, & præcipuè, quia tantùm perſeveravit in Regno.

CAP. XII.

De Sergio IV. & CL. Pontifice, & operibus ejus virtuoſis, regnantibus adhuc Principibus etiam ſupradictis; de fame valida, quæ fuit in Italia; & de Imperatore Conſtantino.

ANno Domini MXXXIV. & ab Urbe condita MDCCLXXXVI. Sergius IV. natione Romanus ex patre Martino in Summum eligitur Pontificem. Sedit autem annis II. diebus XV. & ceſſavit diebus VIII. Hic fuit ſanctiſſimæ vitæ, & gratioſæ converſationis, cujus tempore Eccleſia cum magna tranquillitate tranſiit, adhuc Ottone III. imperante, & Roberto in Francia regnante. In pace igitur dormiens, & requieſcens, in Baſilica Sancti Petri ſepelitur. Hujus tempore tradunt Hiſtoriæ, quòd in Italia maxima fuit fames, & in tantum prævaluit, quod modius tritici vendebatur centum denariis, furfuris autem XXX. Hujus etiam tempore Michaël Catalaicus imperat in Civitate Regia, quæ eſt Conſtantinopolis. Tunc autem Imperator præfatus Apuliam, & Calabriam poſſidebat; Saraceni verò Siciliam.

CAP. XIII.

De quodam Principe Guillielmo, qui venit de Normannia, & conjunxit ſe cum Principibus Regni, & abſtulerunt Siciliam Saracenis, & iſte factus eſt Dominus in aliqua parte Apuliæ, & tamdem totam Apuliam ſibi vendicat; inde & Robertus Guiſcardi.

VEniens igitur Guillielmus quidam in Italia cognomine Ferrabrach, nepos Tancredi magni Ducis Normanniæ, cum magna multitudine gentis prædictæ, versùs Apuliam ſe confert, ubi cum Principe Capuano, & Salernitano, ſe conjungens, ſimulque cum (*) Maliancho Principe Græcorum in Apulia, in Siciliam tran-

(*) *In Cod. Patav.* Malacho.

transeunt contra Saracenos, magnamque de ipsis stragem faciunt, & de Messana, & Syracusa ipsos expellunt. Sed cognita proditione Malianchi Principis Græcorum, in Calabriam transeunt, vaditque dictus Guillielmus ad Civitatem Melphi, ubi homines regionis illius ipsum Comitem & Dominum sibi eligunt, ut Cusentinus scribit. Et cùm audisset Malianchus Princeps Græcorum jam dictus, congregato exercitu, vadit ad obviandum; sed expugnatur à Normannis. Sicque dictus Guillielmus Apuliam sibi vendicat cum sua gente, pluribus terris per violentiam captis, multis aliis se subjicientibus sponte. Mortuus est autem Guillielmus sinè herede ab eo descendente. Unde successit ei Drogus frater ejus; & isto etiam mortuo sinè filiis, successit alter frater junior dictus Hunfredus; de quorum genere descenderunt Robertus Guiscardi, & Rogerius ejus frater, de quibus infra dicetur. Sed his habitis est ad Summos Pontifices redeundum.

CAP. XIV.

De Benedicto VIII. & CLI. Pontifice, qualiter mortuo Ottone, coronavit Henricum I. electum ab Electoribus, institutis per Gregorium V. & de bonis actibus dicti Imperatoris.

ANno Domini MXXXVI. & ab Urbe condita MDCCLXXXVIII. Benedictus VIII. natione Tusculanus ex patre Gregorio in Cathedra Petri sedet. Aliæ Historiæ dicunt, ipsum fuisse fratrem Alberti majoris. Sedit autem annis IX. mense I. diebus XIII. & cessat diebus XVIII. Hic, Ottone III. mortuo, ut scribit Cusentinus, coronavit Henricum Primum Imperatorem, qui fuit Dux Bavariæ, ut Martinus scribit, & dictus Vincentius; & ab omnibus Principibus, secundùm institutionem Gregorii V. Electoribus est assumtus, & fuit primus Imperator post Magnum Carolum electione factus. Hic fuit bonus homo, verusque Catholicus, cujus tempore Saraceni ceperunt Capuam, ut Cusentinus scribit; jam enim nimis prævalebant in partibus illis. Hic autem alium habuit Henricum prædecessorem, sed non fuit coronatus à Papa, & in sola Germania imperavit, ut supra patet. Hic habuit Uxorem sanctissimæ vitæ; & hi Christianissimi ambo virgines permanserunt, ut idem Martinus scribit. Nihilominus multa bella prosperrimè gessit in Germania, & Italia, & Bohemia, aliisque terris.

CAP. XV.

Qualiter dedit operam ad soli Deo vacandum. De Benedicto Papa, qualiter post mortem Henrici ejectus est à Romanis de Papatu, & postea restitutus.

POstremò volens soli Deo vacare, cùm esset fidelissimus Christianus, Episcopatum Bambergensem fundavit; Regi Hungarorum Giselam sororem suam Stephano tradidit in uxorem, per quam, cùm esset mulier sanctæ vitæ, vir ejus suis suasionibus & exemplis, ad Fidem Christi conversus est, totumque Regnum ipsius Baptismum suscepit. Ædificavit autem in Bambergensi Civitate Ecclesiam miro opere fabricatam, in qua migrantes ad Dominum veri conjuges, honorificè sunt sepulti miraculis coruscando. Imperavit autem annis VIII. regnante adhuc Roberto in Francia. Post mortem Henrici Benedictus Papa præfatus de Papatu per quosdam Romanos ejicitur, & alius substituitur, maximumque schisma exoritur, ut Martinus scribit. Sed postea, ut alii dicunt, restituitur, & alter tamquam intrusus ejicitur; factaque pace cum Romanis prædictis, suum Pontificatum quietè, & tranquillè deducit. Moritur autem, & in Basilica Beati Petri sepelitur.

CAP. XVI.

De visione, quam habuit quidam Episcopus post mortem Benedicti de ipso, & de quibusdam Doctoribus, qui claruerunt hujus Papæ tempore.

DE hoc autem Benedicto Papa, ut Martinus scribit ex relatione Petri Damiani, sic fertur, quòd quidam Episcopus vidit eum equo nigro sedentem, & in atra veste, cui dictus Episcopus sic loquitur dicens: *Nonne tu es Benedictus Papa, quem jam defunctum novimus? Ego sum*, inquit, *ille Benedictus infelix. Et quomodo est tibi*, inquit, *Pater? Graviter*, ait ille; *sed de Dei misericordia non despero, si mihi adjutorium præbeatur*. Et ait: *Vade igitur ad successorem meum Joannem Papam, & dic ei, ut in tali archa summam pecuniæ accipiens, pro anima mea pauperibus distribuat, quia quicquid ante per me pauperibus datum est, nihil mihi profuit, eo quòd de rapina fuit.* Hoc autem Episcopus celeriter & fideliter fecit: quod & effectum habuit; & inde postea ad ipsum cum claritate rediit, dicens, se à pœnis liberatum. Quod videns Episcopus, Episcopatui cedens, Monasticam vitam assumsit. Hujus etiam tempore florebat Gerardus Cameracensis Episcopus, ut scribit Vincentius. Hic clarus in vita, & doctrina, & magnus in palatio Imperatoris claruit, & Hilpericus, qui de ratione Computi multa scripsit, & librum composuit. Hoc etiam tempore fames & mortalitas sic per Orbem invaluit, ut scribit idem Auctor Vincentius, quòd major pars esset hominum morientium, quàm viventium. In Lotharingia juxta montem quemdam quidam fons, cujus aquæ salutiferæ erant hominibus, in sanguinem versæ sunt. Eodem tempore in Bohemia Beatus Gucher Episcopus Pragensis in vita, & doctrina claret, qui à Paganis martyrio coronatur.

CAP. XVII.

De Joanne XIX. & CLII. Pontifice, cujus tempore imperabat Conradus, qui quam virtuosus fuerit, hic describitur; & qualiter à Joanne Papa coronatur.

ANno Domini MXLV. & ab Urbe condita MDCCXCVII. Joannes XIX. natione Romanus ex patre Gregorio in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis VII. mensibus II. diebus XIX. & cessat diebus VIII. Hic ex laico est assumtus, & eadem die laicus fuit, & Summus Pontifex invenitur. Etiam sub isto fuit illa visio, de qua dictum est supra de Benedicto. Istius tempore imperabat Conradus, Henrico mortuo, cujus genus non invenitur. Aliqui tamen dicunt ipsum fuisse de genere Saxonum. Vir autem fuit in armis strenuus, & in justitia rigidus, ut in gestis Germanorum habetur. Vacavit autem tunc Imperium tribus annis, & iste re-

A regnavit, sive imperavit annis XX. Tunc Henricus Rex Francorum in Francia dominium assumsit, tertius ab Hugone Caped XXXVIII. à primo Rege Francorum, & XIV. à Pipino. Hic Joannes Papa in pace moritur, & in Ecclesia Beati Petri sepelitur secundùm solitum morem, ut in pluribus aliorum Pontificum. Istius autem Pontificis tempore multa acciderunt. Primò quidem Imperator Conradus de genere Ducis Saxonum in Imperatorem eligitur à Principibus supra nominatis, ut Historiæ Germanorum tradunt, & est secundus, qui per electionem est assumtus, deinde ab isto Joanne coronatur.

B CAP XVIII.

Qualiter Conradus leges condidit; de Lupoldo Comite; & qualiter post mortem Guillielmi Apulia fuit occupata à Græcis; & de quibusdam Doctoribus, qui hoc tempore floruerunt.

POstquam verò coronam habuit Imperialem à Summo Pontifice, leges multas tradidit, sed inter omnes unam gratiosam, quia pacem in terris servare cupiens, statuit, ut quicumque Principum pacem infringeret, capite plecteretur. Sed hujus legis transgressor fuit quidam Comes nomine Lupoldus, qui cupiens vitam
C salvare, fugit ad nemora cum tota sua familia, de quo sunt magnæ Historiæ, quas in Catalogo relinquamus Imperatorum, & de quo aliquid dicetur, quum de tertio agetur Henrico. Hoc tempore Imperatorem Constantinopolis tradit Cusentinus fuisse Basilium, & Constantinum filium ejus, qui Buranum Principem mittunt in Apuliam, ac ipsam vendicant, deficiente genere Guillielmi superiùs nominati; unde tunc Regnum fuit multùm laceratum usque ad tempora Roberti Guiscardi, sicut jam apparebit, quum de ipso agetur. Eo tempore, ut scribit Vincentius Belluacensis, clarebat in Gallia Monastica religio per Abbates famosos, quia per Odilonem Cluniacense Monasterium, per Guillielmum
D Divionense, per Richardum Virdunense, qui in sanctitate, & doctrina plurimùm excellebant, & quòd plures alii clarebant. Claruit etiam in Italia apud Aretium Tusciæ, ut tradit idem Vincentius, Guido Aretinus, qui etsi in aliis factus clarus, in Musica tamen dicitur fuisse multum suo tempore nominatus. Hujus etiam Papæ tempore, ut scribit Martinus, Emericus Sancti Stephani Regis Hungarorum filius virgo cùm sua sponsa obiit miraculis coruscando.

CAP. XIX.

De Benedicto IX. & CLIII. Pontifice; circa cujus tempora magna fuit confusio in Ecclesia in Summis Pontificibus, ut unus alium ejiceret; & tamen boni Principes tunc regnabant.

E ANno Domni MLII. & ab Urbe condita MDCCCIV. Benedictus IX. natione Tusculanus, dictus Theophylactus, alii dicunt fuisse ipsum filium Alberici, in Summum assumitur Pontificem. Sedit annis IX. mensibus IV. diebus IX. & cessavit diebus XIII. Conrado adhuc I. imperante, & Henrico in Francia regnante, Arnulpho verò in Hispania. De isto Benedicto Papa stupenda, & mala scribuntur, qui & fuit nepos alterius Benedicti, videlicet VIII. Sed aliter refert de isto Papa Martinus, aliter Cusentinus, quia Martinus dicit ipsum simpliciter ejectum fuisse primò, & loco ipsius factus est Papa Joannes Episcopus Sabinensis, qui postea vocatus est Silvester III. Iste verò ejectus, potentia aliquorum Romanorum nobilium, qui Alberto favebant, restitutus est Benedictus. Sed iteratò ejectus, datus est Papatus Joanni Archipresbytero Sancti Joannis ante Portam Latinam, qui Gregorius VI. infra dictus est. Et hìc habito Papatu, cùm esset rudis literarum, alterum Papam ad vices Ecclesiastici officii exequendas secum consacrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius superinducitur, qui solus vices duorum impleret. Sic igitur Martinus scribit de isto, quòd Benedicto ejecto, Silvester assumitur, de quo infra dicetur. Iste quoque ejectus per violentiam, Benedictus quoque recuperavit Papatum: quod esse potuit vel ex potentia Alberici, de cujus genere erat, vel quia Benedictus injuriam fuerat passus, & favore populi recuperavit.

CAP. XX.

De diversis opinionibus Auctorum circa has controversias Summorum Pontificum; & de horribilibus, quæ de Benedicto Papa leguntur.

SEd refert Martinus, quòd post X. annos, & menses, & dies à Papatu pulsus, ejectus est, fortè propter demerita sua, quia de pessimo genere natus, & ipse malus, ut jam patebit. Tunc, ut scribit Martinus, datus est Papatus Joanni Archipresbytero Sancti Joannis ante Portam Latinam, qui Gregorius VI. est appellatus, de quo aliter Cusentinus refert, ut infra patebit. Quis autem Papatum isti contulerit, tradunt Historiæ, quia Cardinales, & Clerus, & Populus Romanus. Sed postea Nicolaus II. restrinxit, quod habes dist. LXIX. Cap. *Si quis*, & dist. XXIII. Cap. *In nomine Domini*. De isto etiam Benedicto refert Martinus quædam horribilia post mortem suam, insinuativa suæ malitiæ in vita; unde & ejici meruit. Tradit enim, quòd apparuit cuidam juxta quoddam molendinum in specie cujusdam monstruosi animalis, cujus corpus, & cauda Asini erat, reliquum autem Ursi apparebat. Cùmque conspector territus fugeret, clamans monstrum, post ipsum dixit: *Noli*, inquit, *expavescere; scito me hominem fuisse, sicut es tu; sed sic repræsento me, sicut olim infelix, Papa existens, bestialiter vixi*. Hæc est relatio Martini. Cusentinus autem quædam mala de ipso scribit, quæ dicentur, quum agetur de Gregorio VI.

CAP. XXI.

De quodam Episcopo Hungaro Martyre; de quibusdam mirabilibus, quæ tempore istius Pontificis acciderunt & in aere, & circa Imperatorem Conradum.

HUjus Pontificis tempore Sanctus Gerardus Episcopus, ut scribit Martinus, in Hungaria super bigam ligatus, de altissimo monte cursu præcipiti martyrio coronatur. Hoc etiam tempore, ut scribit Vincentius Belluacensis, visa est in cœlo trabes ignea miræ magnitudinis ad Occasum vergens, ac currere, & in terram cadere. Tunc Conradus in Italiam vadens, quosdam

dam Episcopos vinculavit. Et quia Archiepiscopus Mediolanensis fugam init, Suburbia Mediolani incendit. Die verò Pentecostes cùm Imperator in parva Ecclesia secus Urbem coronaretur ad Missam, tam grandia tonitrua, & fulgura sentit, ut aliqui mente tunc excederent, aliqui tunc exhalarent. Bruno verò Episcopus, qui Missam cantabat, & Secretarius erat Imperatoris cum aliis tribus velut mortuis factis, dixit se vidisse inter Missarum solennia Sanctum Ambrosium comminantem Imperatori. Tunc Imperator ab Italia discessit, & paulò post obiit, aliique tres, qui in gravamine Episcoporum consentiebant Imperatori cum Brunone pariter sunt extincti.

CAP. XXII.

De Silvestro III. & CLIV. Pontifice, qualiter creatus & postea abjectus & restitutus Benedictus propter potentiam parentum, & de caussa abjectionis Silvestri.

ANno Domini MLXII., & ab Urbe condita MDCCCXIII. Silvester III. natione Romanus ex patre Laurentio in Summum Pontificem assumitur post Benedicti abjectionem. Hic Episcopus Sabinensis, Benedicto abjecto propter suam malitiam, sive fastum, ut ex superiùs dictis apparet, sedit mensibus II. Sed quia Benedictus erat potens in Urbe, ut Historiæ referunt, vallatus consanguineis, & amicis, qui non poterant sustinere ipsius confusionem, qui vocabantur filii Alberici; inde ex violentia Silvester abjectus est, & restitutus est Benedictus. Tunc autem vacabat Imperium, quia jam mortuus erat Conradus, ut supra patet. De isto igitur Silvestro historiæ non plus dicunt, nisi quòd fuit Episcopus Cardinalis Sabinensis. Utrum autem fuerit electus à solo Collegio Cardinalium, vel à Clero, & Populo, non scribitur, sed Doctores in Glossa super Cap. *In nomine Domini* dist. XXIII. dicunt ipsum intrasse per Simoniam, & inde major occasio est habita ipsum abjiciendi, quamvis Benedictus restitui non meruerit, ut ex dictis apparet.

CAP. XXIII.

Notatur hic, quòd quandocumque vacillavit Ecclesia, fuit per Principem reformata, & de tertia ejectione Benedicti supra memorati.

ATtendendum etiam hìc, quòd Ecclesia Romana tunc nimiùm vacillabat, & ex facto apparet, de qua vacillatione scribit Nicolaus II. in memorato Capitulo, & quasi idem, quod supra scribitur de Joanne XII. & Leone VIII. Attende etiam hìc, quòd quandocumque Ecclesia vacillavit, rectificata fuit per Principes, & ipsorum potentiam, ut supra patet de Joanne prædicto, & hoc etiam apparebit, quum agetur de sequenti Pontifice. Et istud de isto Pontifice sufficiat, quòd ejectus reiteratò, Benedictus resumit Pontificatum cum suorum potentia, & Silvester remansit in primo statu, Episcopus videlicet Sabinensis, & primum nomen resumsit, quia vocabatur Joannes. Quid autem postea fecerit iste Benedictus, sic tradunt Historiæ, quòd iteratò ejectus fortè propter suam tyrannidem, & suorum parentum ad tu-

A multum Cleri, & Populi, & datus est Papatus, ut scribit Martinus, Joanni Archipresbytero Sancti Joannis ante Portam Latinam, qui vocatus est Gregorius VI. de quo nunc est agendum. Iste autem titulum Cardinalatus non habebat, sicut Silvester.

CAP. XXIV.

De Gregorio VI., & CLV. Pont., circa quem diversæ referuntur opiniones; quis fuerit iste Gregorius, & primò refertur opinio, quòd fuerit bonus homo.

B ANno igitur eodem cum præcedenti, & ab Urbe condita similiter, quia numerum non facit, eo quòd parum sedit, ut jam patet, Gregorius VI. in Summum assumitur Pontificem. Sed quis iste fuerit, aliter refert Martinus, aliter Cusentinus. Martinus enim scribit, ut dictum est, quòd Archipresbyter fuit Sancti Joannis ante Portam Latinam, & quòd fuerit bonus homo, unde à Populo, & Clero, Benedicto iteratò abjecto, propter maleficia sua, & suorum consanguineorum tyrannides, electus est. Unde attende, quòd semper fastus Summorum Pontificum habuit malum exitum, sicut effectu probatur continuè, & temporibus nostris manus nostræ contrectaverunt. Sed redeundum ad Summum Pontificem Gregorium, de quo etiam scribit Guillielmus in suis Chronicis juxta relationem Martini, quòd fuerit bonus vir, boni testimonii. Et quia contraria videntur scribi à Martino, & Cusentino, accipiamus primò quod per Martinum refertur. Hic enim cùm esset rudis literarum, alterum Papam ad vices Ecclesiastici officii exequendas secum consecrari fecit: quod cùm multis non placeret, tertius constituitur, qui solus vices duorum impleret.

C

CAP. XXV.

Qualiter Papis ad invicem contendentibus, Henricus electus in Imperatorem litem solvit cum Synodo.

D UNo igitur contra duos, & duobus contra unum de Papatu altercantibus, vênit Henricus, qui jam electus erat in Imperatorem, qui filius fuit Cunradi, & omnes de Papatu ejecit, & tunc fuit substitutus Papa Sindegerus Episcopus Bambergensis, qui vocatus est Clemens II. à quo dictus Henricus coronam accepit Imperii. Hic autem Henricus fuit Tertius Imperator per electionem factus. Hoc autem accidit post mortem Gregorii VI. ut Martinus scribit. Sed mirabile est, quomodo Martinus, & Guillielmus dant Gregorio bonum testimonium, cùm fecerit alium Papam secum. Sed excusari potest, quia non Papam, sed Episcopum coadjutorem, ut accidit de Beato Petro circa Linum & Cletum. Cusentinus autem tradit, quòd hæc ejectio, seu depositio facta fuit per Synodum congregatam per ipsum Henricum, & similiter substitutus Clemens prædictus. Sed mirabile, quòd hìc non fit mentio de Collegio Cardinalium, nec etiam in substitutionibus aliorum præcedentium Pontificum à tempore Leonis VIII. Inde fuit fortè motus Nicolaus II. de quo jam in propinquo dicetur ad instituendum formam electionis, ut ibidem patebit.

E

CAP. XXVI.

Resumitur adhuc relatio Martini de Gregorio VI., quia confusè refertur, & quia quædam singularia gessit.

SEd redeundum ad Gregorium VI. secundùm relationem Martini, qui sedit duobus annis, & mensibus VI. Hunc enim scripsit Martinus pugnasse cum Henrico jam electo, sed non coronato. Hic enim sicut vir bellicosus nihil quod ad Papatum pertineret exercens, fortè ex caussa superiùs allegata, hoc est propter discordiam in Papatu, solùm armis intendit. Fuit autem aliud motivum hujus actus, ut scribit idem Martinus præter dicta; videlicet incuria, & negligentia suorum antecessorum propter (*) tumultuationes, & schismata, quæ habuerunt ad invicem, ut supra est manifestum; de qua tribulatione Ecclesiæ Nicolaus II. mentionem facit in Concilio celebrato per ipsum Romæ, de quo agitur dist. 23. cap. *In nomine Domini*. Et attendendum hic, quòd Joannes in Glos. super dictum cap. quædam dicit de Gregorio, quibus aliæ Historiæ contradicunt. De aliis autem omnes concordant, ut supra est dictum, quia Gregorium fuisse bonum virum, secutum post mortem miraculum attestatur de ipso. Redeundum est igitur ad ipsum quid fecerit in suo actu Pontificali, qui videns libertatem malorum in Urbe, & neminem correctorem, propter quam caussam regio Romana tota quasi prædonibus erat repleta; unde peregrini venientes ad limina Apostolorum spoliabantur, & quòd pervenientium oblationes violenter auferebantur: omnes Papa primò admonuit, secundò excommunicavit, tertiò verò, quia contemserunt, manum armatam apposuit, & primò raptores oblationum Sancti Petri aut penitus extinxit, aut fugavit. Occisis itaque raptoribus, prædia, & oppida multo tempore amissa recuperavit. Sicque viæ ad Sanctum Petrum, & Paulum factæ sunt perviæ, ac omnibus liberæ. Ipse etiam Henricus electus in Imperatorem non fuit ausus, eo vivente, Urbem intrare, tanti vigoris Gregorius erat.

CAP. XXVII.

De opinione diversa circa Gregorium propter actus insolitos, quos exercuit in Papatu, & de miraculo, quod Deus ostendit de ipso in argumentum bonitatis ejus.

TAmdem propter singularem actum Summi Pontificis, quia res insolita fuerat, ut Deo consacratus effusor sanguinis esset, mali homines, ex hoc occasionem assumunt, unde ipsum homicidam vocant, vocantes ipsum non Papam, sed virum sanguinum. Cardinales quoque ipsum in infirmitate, de qua & mortuus est, eum judicabant indignum in Ecclesia Beati Petri sepeliri, quia tot mortibus hominum Sacerdotium fœdasset: quod quidem satis videbatur rationabile, quod dicebant. Sed ipse eisdem similiter rationabiliter respondit; videlicet Summus Pontifex sic ait ad eos, longum eisdem sermonem faciens, quamvis graviter infirmus, ostendens eos stultè fuisse loquutos, & se bene fecisse, commemorans illud Ezechielis dictum contra Prælatos, qui se non opposuerant murum pro domo Israël, & multa alia subdidit ad probandum se virtute egisse, ac meritoriè apud Deum. Ab inde subjungit: *Cùm mortuus fuero, corpus meum extra ante portas Ecclesiæ sistite Beati Petri serisque fortiter claudite; & si divina virtute aperientur portæ, funus intra Ecclesiam, ut debetis, inferte; sin autem, facite de corpore meo, ut libet*: quod & factum fuit. Tunc subitò factus est in aëre turbo fortissimus impellens in portas, qui non solùm ipsas aperuit, sed etiam à suo loco transportavit; ex quo miraculo Cardinales perterriti, ipsum cum magna reverentia sepeliunt, & honore.

(*) *In Cod. Patav.* tribulationes.

CAP. XXVIII.

Resumitur etiam hic electio Henrici; & de relatione Cusentini circa istum Pontificem Gregorium; & declaratur de quodam Philosopho Alamanno, qui floruit isto tempore.

IStius autem tempore Pontificis Henricus III. in Imperatorem eligitur, qui est II. quantùm ad Imperatores, sed III. quantùm ad Reges, quia primus Coronam Imperialem non habuit, quamvis Rex fuerit in Germania, ut supra est liquidum. Attendendum etiam hìc de isto Pontifice, quòd aliquæ Historiæ, ut Cusentinus, referunt ipsum fuisse Archiepiscopum Ravennatensem, quod esse potuit, & nihilominus ante fuerat Archipresbyter Sancti Joannis ante Portam Latinam. Et quia famosus fuit in Urbe existens, in dicto officio, inde à dicto officio nomen accepit. Refert etiam dictus Cusentinus, quòd Benedictus prædecessor Gregorii, Papatum vendidit, quod esse potuit non ex parte Gregorii, ut patet ex suo felici exitu, sed ex parte Benedicti, qui malus fuit. Cùm enim ejiceretur, ut non contenderet, & pacificus esset ingressus Gregorii, pecuniæ sunt collatæ. Et hæc de Gregorio VI. tantùm dicta sufficiant. Suo autem tempore floruit in Theutonia Menegaldus Philosophus, ut Richardus scribit, sæcularibus quidem literis eruditus ultra coëtaneos suos. Uxor quoque, & filiæ ejus religione florentes multam in Scripturis habuerunt notitiam. Sed & filiæ ejus multos habuerunt discipulos, quos instruxerunt tam in vita, quàm in doctrina. Henricus autem post mortem Gregorii Romam venit, assumtoque in Pontificem Bambergensi Episcopo, Clemens vocatur, de quo nunc agitur.

CAP. XXIX.

De Clemente II. & CLVI. Pontifice, quis fuit, & quomodo in Papatu assumtus est; de Imperatore Henrico, quis fuit, & quid fecit.

ANno Domini MLXV. & ab Urbe condita MDCCCXVI. Clemens II. in Cathedra Petri locatur. Sedit autem Anno I. mensibus IX. diebus X. secundùm Martinum. Alii autem aliter dicunt; Sed cum primo stemus. Hunc Henricus in Papatu ordinavit, sive instituit, Synodo congregata, ut Cusentinus scribit, aliis ejectis, qui perturbaverant Ecclesiam, ut supra patet. Hic autem coronavit Henricum electum in Imperatorem, secundùm formam superius tra-

traditam, per Principes Alamanniæ officiales Imperii. Hic autem Henricus fuit filius Conradi. Aliqui autem dicunt, quòd gener, quia filiam Conradi in uxorem habuit, & filius fuit Comitis Lupoldi, de quo in Catalogo Imperatorum require. De isto autem Papa aliquæ Historiæ dicunt, ut Martinus, quòd parum habuit Papatum: quod pro tanto dixit, quia illi ejecti suis meritis, & per definitionem Synodi aliquam fecerunt resistentiam; sed Canonica, & Imperiali censura, ut dicit etiam Martinus, depositi sunt, quia per ostium non intraverunt; & hic Clemens II. dictus Suidegerus, & Episcopus Bambergensis per potentiam Henrici substitutus juxta Synodi ordinationem. Et attende hìc, quia de Cardinalibus non fit mentio, sed de Synodo, quia tunc fortè non erant in plena concordia, sicut aliàs accidit, & inde coactus est Henricus Concilium congregare, ne Romana Ecclesia vacillaret.

CAP. XXX.

De Imperatore Henrico, quanto tempore regnavit, & qualiter arctavit Romanos circa electionem Papæ; & de quodam Gigante, qui inventus est tempore Henrici modo mirabili.

VIxit autem in Imperio Annis XVI. computandis à tempore electionis. De hoc autem Pontifice non plus invenitur, nisi quòd in pace vitam suam deduxit, Henrico eidem favente, qui à Romanis juramentum accepit, ut Martinus scribit, quòd numquam Papam eligerent sinè consensu Imperatoris. Quod quidem Imperator fecit propter majorem pacem Ecclesiæ, ut nullus sibi indebitè usurparet illam dignitatem, sicut facere erant soliti temporibus illis. Per quod habeo, quòd populus eligebat: quod postea Nicolaus II. restrinxit, ut jam dicetur, & supra est tactum. Moritur autem Clemens II., & in Ecclesia Beati Petri sepelitur. Isto etiam tempore Romæ cujusdam corpus Gigantis inventum est, cui nomen Pallas, & Evandri filius. Hoc autem corpus in quadam columna, dum terra foderetur juxta quamdam cryptam est incorruptum repertum: quòd à tempore suæ mortis usque ad illa tempora, fuit spatium duorum millium annorum. Hunc autem Turnus Rex Tuscorum occidit tempore Æneæ; ut in suo continebatur epitaphio; cujus vulneris hyatus ubi vulneratus fuerat, quatuor pedes, & semis habebat, ut Martinus refert de dicto Gigante. Corpus verò ipsius Gigantis erat altitudinem muri excedens, ad cujus caput lucerna ardens inventa est, quæ nec flatu extingui poterat, nec liquore, sed cum stilo, foramine subter flammam facto, extincta est, per illud foramen aëre introducto. Quomodo autem hoc esse potuerit, ad caussam de vacuo recurras, in quo magna requiruntur experimenta, quod non est præsentis operis, sed excedit. Hujus Pallantis Epitaphium tale reperitur ibidem:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hìc.

Hoc etiam tempore scribit Richardus, mortuo Odilone Abbate Cluniacensi, qui (*) LVI. annis floruit in officio, Abbas Hugo substituitur, qui præ cæteris genere, & eleemosynis, & prophetiæ spiritu claruit. Tunc in Aquitania erat Dux Guillielmus, quo mortuo sinè filiis succedit eidem Guido frater ejus. Ii autem duo fratres Vasconiam sibi subjugaverunt, & eodem tempore regnabat Henricus in Francia, Alphonsus in Hispania; Sed Michaël in Constantinopoli cum filio suo Constantino, quamvis ipsorum dominium multum esset diminutum.

(*) *In Cod. Patav.* XLVI. *annis.*

CAP. XXXI.

De Damaso II. & CLVII. Pontifice, qualiter assumtus est, & quàm brevi tempore in Papatu vixit.

ANno Domini MLXVII. & ab Urbe condita MDCCCXIX. Damasus II. in Cathedra Petri locatur. Hunc autem tradit quædam Historia priùs Popponem fuisse vocatum, quem Martinus refert invasorem Papatus fuisse; quod intelligo, quia sinè legitima electione Papatum assumsit; Papam enim Collegium Cardinalium cum Clero, & populo faciebat usque ad tempora Nicolai II. ut supra patet de multis. Sed quia parum in Papatu vixit, quia solùm XXIII. diebus, & subitò mortuus, inde Historiæ nullum referunt gestum de ipso, nec de alio, qui tam brevi tempore Sedem Apostolicam occupavit; & quamvis invasor sedis, omnes tamen Historiæ ipsum in catalogo Summorum Pontificum ponunt. Et attende hìc, quia Romani non observaverunt juramentum Henrico de non permittendo aliquem in Cathedra Petri sedere sinè consensu ejus; sed potest excusari propter brevitatem temporis, quo sedit.

CAP. XXXII.

De Leone IX. & CLVIII. Pontifice, qualiter assumtus est; de actibus ipsius virtuosis, & qualiter cessat, & quæ fuit caussa.

ANno eodem cum præcedenti, & similiter ab Urbe condita, quia prædecessor ejus nullum numerum auget in spatio temporis, Leo IX. genere Alamannus, de Lotharingia trahens originem, in Summum assumitur Pontificem. Sedit annis V. mensibus II. Hic primò vocatus Bruno, & Episcopus fuit Tullensis, qui tali modo factus fuit Papa. Romani enim ex prava consuetudine, vel ex juramento inducti ante Henrico facto, vacante Papatu, postquam petivissent ab Imperatore Henrico Pontificem sibi dari, cùm nullum Theutonicorum, ut dictum Pontificatum reciperet, posset inducere, dictum Episcopum Tullensem virum magnæ puritatis, & simplicitatis, consentiret in Pontificem assumi induxit. Qui, ut Martinus scribit, ad Urbem veniens, & ex hoc conscientiam habens, quasi non ritè fuisset assumtus, omni juri coram Collegio Cardinalium, Clero, & populo resignavit; & tunc denuo ab omnibus est electus. Tradit autem Vincentius Belluacensis causam, unde motus fuit ad resignandum, quia cùm veniret Romam ad capessendam dictam dignitatem, & pervenisset ad Urbem, audivit vocem Angelorum cantantium: *Dicit Dominus: ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Unde hoc audiens, motus conscientia fecit, quod dictum est.

CAP.

CAP. XXXIII.

Qualiter cantus composuit de aliquibus Sanctis; de Leproso, quem in proprio lecto locavit; qualiter post mortem miraculis coruscavit.

HIc de multis Sanctis composuit cantus, ut scribit idem Auctor, & multa fecit utilia Ecclesiæ, & scripsit. Hic Pontifex in Papatu cùm pauperem leprosum ante fores vidisset, ipsum in suo lecto locari mandavit, & caritativè foveri; qui cùm reserato ostio, non invenisset pauperem, Christum se suscepisse obstupuit. B Isto tempore scribunt Martinus, & Vincentius, Gallicanam Ecclesiam turbatam esse ex errore Berengarii, quem canon Decreti Archidiaconum Ecclesiæ Andegavensis asserit. Sed quia dictum cap. de consec. dist. II. cap. *Ego*, videtur dicere, quòd hoc acciderit tempore Nicolai II. ad illud reservetur tempus. Hic autem Papa, ut Martinus, & Vincentiùs dicunt, post laudabilem vitam moritur, & apud Basilicam Beati Petri honorificè sepelitur; qui cujus meriti fuerit apud Deum, cunctis patuit, quia ad sepulcrum suum multis coruscat miraculis, per quæ Deus ipsum clarificavit.

CAP. XXXIV.

C *De quibusdam Doctoribus, qui isto tempore floruerunt in Gallia; de quadam imagine, quæ circa quædam habebat insignia, & effectus ejus est repertus.*

HUjus etiam tempore, ut scribit Vincentius, Franco Scholasticus Leodiensis Episcopus, moribus, & scientia claret, qui ad Hermannum Episcopum de quadratura circuli multa pulchra, & scientifica scripsit. Eodem tempore Sanctus Theobaldus, inter Francorum nobiles non infimus, apud Vicentiam Urbem Venetiæ reclusus claruit. Hoc etiam tempore in Apulia quædam statua reperta est circa caput suum æreum habens circulum, ubi erat scriptum *Kal. Maji oriente Sole habeo caput aureum*; quod quidam D Saracenus à Roberto Guiscardi captus, de quo in progressu operis grandis est sermo, quòd portenderet intelligens, in Kal. Maji oriente Sole, notato termino umbra illius, ut Martinus refert, reperit infinitum thesaurum, quem dedit pro sua redemtione. Isto etiam tempore adhuc imperabat Henricus filius Conradi; & tertius item Henricus in Francia. Sed Alphonsus in Hispania moritur, & Fernandus filius ipsius succedit. Major enim pars dictæ regionis jam recuperata erat à Saracenis, exceptis partibus extremis versùs Africam propter vicinitatem Saracenorum.

CAP. XXXV.

E *De Victore II. & CLIX. Pontifice, qui celebravit Concilium apud Florentiam, & quid ibidem fecit; & qualiter vadens in Galliam, ab Imperatore honorificè suscipitur.*

ANno Domini MLXXII. & ab Urbe condita MDCCCXXIV. Victor II. dictus ante Gebeardus, in Cathedra Petri locatur. Hic natione Alamannus. Sedit autem annis II. mensibus III. diebus XIV. & cessat diebus VI. Hic timore Henrici Imperatoris factus est Papa, ut scribit Martinus, sive per Collegium Cardinalium cum Clero ad petitionem dicti Principis, sive quia ipse renitens, ut tempore Leonis accidit, propter timorem assensit. Hic, adhuc Henrico imperante, & favente, Synodum celebravit apud Florentiam, ubi multos Episcopos deposuit, ut idem Martinus scribit, propter simoniam, & fornicationem. Scribit autem Cusentinus, quòd isto tempore Imperator Henricus misit suam militiam contra Normannos, qui jura Ecclesiæ in Apulia usurpabant, ad petitionem Papæ Victoris. Sed Germanorum militiæ malè cessit in pugna contra prædictos Normannos, Henrico tunc existente in partibus Germaniæ. Hic autem Pontifex in Galliam veniens, ab Henrico Imperatore gloriosè suscipitur, & eo præsente Imperator in dicta Provincia moritur. Moritur etiam ipse Henricus Rex Francorum, cui succedit Philippus filius ejus, qui multo tempore regnavit, quia XLV. annis, ut tradit Richardus. Hic Philippus fuit XXXIX. à primo, XV. à Pipino, IV. ab Hugone; primus in nomine. Quod autem dicitur per Martinum, quòd hic Victor ab Henrico recipitur in Gallia, intelligitur de Gallia Imperiali, quia à tempore Caroli Magni Regnum Franciæ eximitur ab Imperio, ut gesta Francorum tradunt. Quòd si ratio quæritur, in Catalogo Imperatorum invenies.

CAP. XXXVI.

Qualiter Capua obsidetur à Saracenis, & quomodo Robertus Guiscardi expellit eos inde, & quis fuit iste Robertus.

IStius etiam Pontificis tempore, ut scribit Cusentinus, Capua obsidetur à Saracenis, contra quos vadit Robertus Guiscardi, & ipsos inde fugavit. Quis autem iste Robertus, diversi diversa scribunt. Richardus enim Monachus Cluniacensis, sed origine Pictaviensis, dicit, ipsum fuisse militem de Normandia, qui sua sapientia, & probitate factus est magnus; unde adjunctâ sibi militiâ Normannorum, vênit in Apuliam, ipsamque subjugavit, expulsis inde Græcis, qui ipsam occupaverant pro Constantinopolitano Imperatore, qui erat vocatus Nicephorus Butaniates; post quem Alexius, quem Robertus Guiscardi devicit, ut infra apparebit. Martinus autem scribit, ipsum fuisse de genere Ducis Normannorum, qui primus Baptismum accepit, qui vocatus est Robertus. Robertus autem genuit Guillielmum; Guillielmus verò Richardum; Richardus autem Richardum II. & Robertum Guiscardi, de quo nunc agitur, qui magnalia fecit, ut infra videbitur. Unde fuit à primo Duce Normannorum, quoniam Normanni concordaverunt cum Carolo Grasso VI. ab Imperatore Carolo Magno, & Baptismum receperunt, cùm primùm totam vexaverunt Galliam per tempora longa: & hoc totum est tactum supra, quum de dicto Principe est actum. Quid autem fecerit dictus Robertus, infra dicetur, quia gloriosè operatus est, sicut virtuosus Princeps, & non sicut pauper miles.

CAP.

CAP. XXXVII.

De Stephano VIII. & CLX. Pontifice, qui fuit bonus homo; & qualiter Imperium Constantinopolitanum est diminutum, & quare.

ANno Domini MLXXIII. & ab Urbe condita MDCCCXXIII. Stephanus VIII. qui & dictus Fredericus, natione Italicus ex patre Martino in Summum Pontificem assumitur. Sedit autem mensibus VII. diebus VIII. & cessat diebus XIV. De hoc Pontifice pauca dicuntur, quia parum sedit, nisi quòd in pace vixit pro tempore, quo sedit. Venerat autem in Thusciam post mortem Henrici Secundi respectu Imperatoris, & Henrico III. electo. Cùm autem esset Florentiæ, ibidem infirmatur, ac moritur, & ibidem honorificè sepelitur, ut Martinus scribit. Istius autem tempore Nicephorus moritur Imperator Constantinopoli, & Alexius succedit in Imperio; cujus tempore Imperium videtur satis diminutum, quia nec in Italia, nec in Germania, nec in Gallia, sive in Hispania aliquid habebat, nec in aliqua parte Occidentalis Imperii. Saraceni etiam & per se in parte dominabantur Orientali, & in tota Asia minori; unde in sola Thracia, Galatia, Ponto, Thessalia, Macedonia, Achaja, & aliis partibus Græciæ suum consistebat Imperium.

CAP. XXXVIII.

Qualiter Robertus Guiscardi fugavit Græcos de Apulia, & occupavit eam; de cometa, quæ tunc apparuit, & quis effectus tunc sequutus est.

TEmpore igitur Alexii Imperatoris Constantinopolitani Robertus Guiscardi totam occupavit Apuliam, expulsis Græcis, exceptis Ecclesiis, quæ adhuc in Calabria ritum Græcorum tenent. Tradunt autem Historiæ, quòd in pugna dictum Alexium devicit, ex quo facto magna sunt gesta, sicut infra videbitur. Isto etiam tempore, ut Richardus scripsit, in Africa videlicet in Mauritania Sitefensi à Mauris, seu Saracenis, Maroch Civitas nobilissima conditur, circa quam partem maxima est Saracenorum potentia, & maximus est Mauritanus Princeps. Isto etiam tempore cometa apparuit in Oriente, & comam mittebat ad Meridiem, & postea apparuit in Occidente, & comam mittebat ad Meridiem, ut scribit Cusentinus. Tunc Imperator Constantinopolitanus est mortuus; Robertus verò stragem magnam fecit de Saracenis, & magnas pugnas habuit cum diversis, semper tamen victoriosus, ut Richardus tradit.

CAP. XXXIX.

De Benedicto X. & CLXI. Pontifice, qualiter fuit assumtus in Pontificem, sed conscientia ductus, renuntiavit; & qualiter hujus tempore secta Paterenorum oritur. De Henrico IV. seu III. qualiter eligitur in Imperatorem.

ANno Domini MLXXV. & ab Urbe condita MDCCCXXVII. Benedictus X. primò dictus Micius, natione Campanus in Cathedra Petri locatur. Sedit autem mensibus IX. Hic autem, ut Martinus, & Cusentinus dicunt, Episcopus Veletrensis existens, per violentiam Pontificium occupavit, fortè fultus adjutorio aliquorum nobilium Romanorum, & ipse nobilis, quibus Cardinales resistere non valebant. Postea conscientia ductus, cessit, agnoscens se per ostium non intrasse, nec postea fuit resumtus, sicut Leo IX. quia fortè sua merita non exigebant. Nihilominus tamen in Catalogo Summorum Pontificum omnes Historiæ ponunt. Et tunc factus est Nicolaus II. de quo immediatè agetur, de quo & multa notabilia inveniuntur, sicut suo loco dicetur. Hoc autem tempore scribit Cusentinus, quòd secta Paterenorum apud Mediolanum exoritur. Hoc etiam tempore facta est electio de Henrico IV. sive III. respectu Imperatorum, & hoc per Principes superiùs nominatos juxta consuetudinem aliorum. Qui autem fuerit iste Henricus IV. Vincentius scribit, quòd filius alterius Henrici III. sive II. quia multo tempore vixit in Imperio, hoc est XLIX. annis; & ideo cum multis Pontificibus concurrit, ut jam videbitur. Et attende, quia Henricus hic IV. Imperator est per electionem, sed III. in nomine quantum ad Imperatores; quartus verò quantùm ad Reges, quia primus non habuit coronam Imperialem. Hoc etiam tempore Robertus Guiscardi suam virtutem dilatat, & in magna fama crescit. Expulsis enim de Apulia Græcis, totam Apuliam, & Calabriam sibi subjugavit. Transit in Siciliam, ut Cusentinus scribit, cum fratre suo Rogerio, ibique cum Saracenis pugnat, qui ipsam occupaverant, magnamque de ipsis stragem facit. Sicque ipsis inde fugatis, Siciliam occupat. Cùmque jam dictam Insulam pacificè possiderent ambo fratres; Robertus inde recedit cum aliqua parte, reliquâ dimissâ germano, vocaturque Rogerius Comes in Sicilia, & Robertus Dux in Apulia; nondum enim Sicilia sortiebatur nomen Regni. Quo autem tempore fuerit sortita, infra dicetur. Veniens autem versùs Lucaniam cum suo exercitu, ipsam vi gladii subjecit sibi. Abinde vênit Salernum, pugnatque cum Principe ejusdem loci nomine Gisulpho, ut scribit Cusentinus, ipsumque in tali bello vincit, & captivat; ac Civitatem sibi peculiarem facit, ubi & Ecclesiam fabricavit Beati Matthæi, quæ est matrix omnium Ecclesiarum ibidem. Deinde ad alias Civitates Campaniæ antiquæ accedit, & occupat, Summorum Pontificum beneplacito, & mandato, qui fuerunt pro tempore, quia dictæ terræ fuerunt Romanæ Ecclesiæ ab antiquo.

CAP. XL.

Ponitur hìc caussa, unde dicta terra ad Ecclesiam Romanam pertinebat; & quomodo ex negligentia, & impotentia Summorum Pontificum tota fuit perdita, sed per Robertum Guiscardi est recuperata.

CUjus caussa assignatur, eo quòd Constantinus quando cessit Imperio, eidem contulit tamquam rem manualem Imperii, ut Capitularia referunt Constantini. Postea verò à Carolo Magno fuit iteratò facta collatio, ut gesta sua referunt, & etiam Romanorum, quia dictus Carolus veniens in Italiam partim conquisiverat à Saracenis, partim à Langobardis. Sed postea ex negligentia, vel impotentia Summorum Pontificum occupata fuit à diversis, quia Apulia à Prin-

Principibus Imperatoris Constantinopolitani, ut supra patet; à Saracenis Sicilia; Campania verò antiqua, quæ hodie vocatur Terra-Laboris; & Samnia Provincia, quæ Ducatum Beneventanum continet, à diversis Principibus, sive Comitibus Latinis est occupata. Unde in Terra-Laboris duo erant Principatus, videlicet Capuanus, & Salernitanus. In Samnio autem, cujus caput est Beneventum, Ducatus erat, qui vocatus est Beneventanus. Et has omnes regiones Robertus Guiscardi cum sua gente, & Ecclesiæ mandato, potenti virtute subjugavit; & inde, ut jam dicetur in capitulo sequentis Pontificis motivum ejus fuit, ut ab Ecclesia recognosceret dominium. Et advertendum, quòd iste Robertus non hæc una die, sed multo tempore acquisivit; unde & ipse multo tempore vixit. Hæc in tantum de Roberto sint dicta, quia multùm faciunt ad notitiam Summorum Pontificum, & Romanæ Ecclesiæ jurium. Hæc etiam omnia partim habentur à Richardo Cluniacensis Ordinis Monacho, & partim à Cusentino, & partim à Martino. Circa ista etiam tempora, ut scribit Vincentius, prope Turnacum in Picardia multitudo colubrorum apparuit, qui altrinsecus congregati, & prodigiosi prœlio inter se pugnant. Alter etiam cometes alteri contrarius apparet tota Paschali hebdomada, & non ampliùs. Quid autem significaverit, in sequenti apparebit capitulo.

CAP. XLI.

De Nicolao II. & CLXII. Pontifice, qualiter per ipsum instituta est forma electionis Papæ, præsente Concilio celebrato Romæ.

ANno Domini MLXXVI. & ab Urbe condita MDCCCXXVIII. Nicolaus II. in Cathedra Petri locatur. Hic natione Burgundus, dictus ante Gerardus. Sedit autem annis III. mensibus VI. diebus XXVI. & cessat diebus XII. Hic primùm Florentinus Episcopus apud Senas à Cardinalibus, ut scribit Martinus, unanimiter electus; de quo etiam multa dicuntur. Primò quidem, quòd per ipsum facta est institutio de forma electionis Papæ, quæ habetur in Cap. *In nomine Domini* dist. XXIII., & hoc, præsente Concilio per ipsum celebrato Romæ in Ecclesia Lateranensi, & præsente Henrico III. ut tradunt, jam electo in Imperatorem, quem ipsi Regem appellant. Et quamvis ibi declarat electionem Summi Pontificis; quia legitimè electus, statim habet plenam auctoritatem: in Cap. tamen qui habetur dist. LXXIX. Cap *Si quis item* magis breviter declarat, quòd ideo fecit, quia multi abutebantur ista electione, ut ex superiùs dictis apparet, quasi populus, ut Senatus, sive Imperator sinè commissione Summi Pontificis, vel Concilii, ut de Carolo Magno accidit, possit Papam creare; unde sic electus, decernit dictus Papa, quòd non Apostolicus, sed potiùs Apostaticus est dicendus. In eodem etiam Concilio per Nicolaum prædictum declaratur error Berengarii superiùs memorati, ubi est actum de Leone IX.

CAP. XLII.

De errore Berengarii specificatur hic, & quo tempore hujus Pontificis fuit facta confessio istius erroris; ubi quæstio movetur, & solvitur.

ET quia nullo loco Historia suum specificat errorem, & nos specificemus, quia erravit in Sacramento Eucharistiæ, asserens Christum verè non esse in dicto Sacramento, nisi in signo, sive mysterio, ita quòd in Hostia consecrata non erat verum Corpus Christi, nec in Calice verus Sanguis. Hunc verò errorem Berengarius corrigit coram præsenti Concilio, & Nicolao II. prædicto, asserens hanc esse veritatem, quam tenet Sancta Mater Ecclesia, quòd in illa Hostia est verum Corpus Christi, & in Calice verus Sanguis. Hanc etiam confessionem, quam Berengarius in Concilio prædicto, revocando suum errorem, tradit Summus Pontifex Nicolaus II. per diversos Nuntios, & per diversas Provincias suo nomine transmittit, videlicet per Italiam, Germaniam, Galliam, & alias Mundi partes Fidei Catholicæ, seu Orthodoxæ, ut in Canone scribitur dicti Decreti de Consecrat. dist. XII. Cap. *Ego Berengarius*. Sed si quæratur, quare dicto tempore, videlicet Leonis IX. de ipso Historiæ faciunt etiam mentionem, cùm tempore istius Pontificis sit facta revocatio, ut jam est dictum: potest dici, quòd tunc factum fuit in Provinciali Synodo, nunc autem in Concilio generali.

CAP. XLIII.

Qualiter Robertus Guiscardi Terram jam occupatam totius Regni, quòd modò apparet, cum fratre suo Rogerio ab Ecclesia recognovit tempore istius Pontificis.

INvenitur autem & alius honorificus actus memorati Pontificis Nicolai II. quem solus Cusentinus tradit de omnibus Historiis, quas umquam perlegi, quòd Robertus Guiscardi postquam totam Terram, quæ ad Regnum Apuliæ & Siciliæ pertinet, quæ multas Provincias continet, Insulam Siciliæ, Apuliam, Calabriam, Aprutium, Lucaniam, Campaniam antiquam, quæ hodie Terra Laboris vocatur, partem Sabinæ usque ad pontem Ceperani, partem Picæni, quæ hodie Aprutium appellatur (de quibus terris si ampliorem vis habere notitiam, ad nostram Tripartitam recurras in II. Libro) tempore dicti Pontificis à Romana Ecclesia cognovit. Unde scribit idem Archiepiscopus de Cusentia, quæ est Civitas in Calabria, & ideo eidem magis credendum, quòd egregius Papa Nicolaus II. dicto Roberto vexillum dedit, & de dictis investivit terris; & ipse pro se, & fratre suo Rogerio Ecclesiæ, & Pontifici fidelitatem juravit, & se vassallum legitimum confitetur Ecclesiæ memoratæ pro se, & suis hæredibus ratione prædictæ Terræ.

CAP.

CAP. XLIV.

Quod fuit motivum istius recognitionis, & fidelitatis juratæ, ex multis caussis ostenditur, & ipse Robertus consideravit.

MOtivum autem dictæ recognitionis partim fuit ex hoc, quia dicta Regio tamquam manuale Imperii fuit quondam per Constantinum collata Silvestro: postea verò partim occupata à Saracenis, partim autem à Longobardis, recuperata est per Carolum Magnum, & iteratò est per ipsum Ecclesiæ restituta. Nunc igitur considerans hoc Robertus, quasi quoddam jus esse Ecclesiæ, per eum reacquisitum, ad declarationem facti se fidelem esse recognoscit pro dicta Terra. Et sic fuit continuatum usque ad tempora Federici Secundi; qui de illo genere ex matre descendit, ut infra patebit. Hæc in tantum sint ad præsens dicta de dicto Roberto sub isto Pontifice: Alia ad alios Pontifices de ipso reservemus, prout natura facti requirit. Ipse enim multo tempore vixit, ut dictum est supra, & cum multis recurrit, magnalia faciendo. Hoc refert Cusentinus in suis magnis Historiis, quas contexuit, compositas serie multa ab Adam usque ad tempora Frederici Secundi.

CAP. XLV.

Quòd propter Nicolaum II. de quo hìc agitur, Henricus in Imperatorem electus, & coronatus est, & cum ipso in pace vixit. De quibusdam Doctoribus Ecclesiæ, qui isto tempore floruerunt.

A Ttendendum etiam hìc, quòd per ea, quæ habemus in prænotato Capitulo Decreti dist. XXIII., Nicolaus II. coronavit Henricum III. Dicit enim sic de ipso: *Salvo honore, & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur; sicut jam sibi concessimus, Summus Pontifex eligatur.* Et hæc de Nicolao II. dicta sufficiant, nisi quòd multa pace quievit, & in Basilica Beati Petri honorificè sepelitur. Toto autem tempore hujus Pontificis Henricus III. pacificè se habuit cum Ecclesia: quod non accidit de sequentibus Pontificibus, ut jam apparebit, quia cum multis concurrit, eo quòd longo tempore vixit in Regno, & Imperio. Hujus etiam tempore floruit in Gallia Lanfrancus Prior Monasterii Beccensis, qui contra errorem Berengarii clara tradidit Opuscula, quæ luculento sermone describit, & cum ipso Abbas de Cruce Sancti Lanfredi, ut scribit Vincentius. Refert etiam idem Auctor de dicto Lanfranco, quòd ad ejus eximiam doctrinam magnus erat discipulorum concursus, & de Burgundia convolavit Anselmus, vir postea etiam virtute multa, & sapientia adornatus, qui postea eidem in dicto Prioratu successit. Nunc igitur hìc finem faciamus de Capitulo istius Pontificis, & ad alium accedamus Pontificem, de quo magna dicuntur, quia majori vixit tempore, & magna suo tempore acciderunt.

Explicit Liber Decimusoctavus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER XIX.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

A

CAPITULUM PRIMUM.

De Alexandro II. & CLXIII. Pontifice, qualiter concorditer est electus, & nihilominus adversarios habuit in sua electione, quia factus alius cum favore Henrici III. qui & vadens Romam, repulsus est.

ANno Domini MLXXIX.,& ab Urbe condita MDCCCXXXI. Alexander II. in Cathedra Petri sedit. Hic natione Mediolanensis vocatus Anselmus, sed Lucanus Episcopus, à Cardinalibus in Papam concorditer

B

est electus, uti communiter Historiæ tradunt. Sedit autem secundùm Martinum (*) annis XI. mensibus VI. diebus XXV. Contra hunc Pontificem, quamvis fuerit bonus homo, cum favore Henrici III. insurrexerunt omnes Prælati de Lombardia tam Episcopi, quàm Archiepiscopi, & fecerunt alium Papam, videlicet Episcopum Parmensem, qui vocatus est Cadulus, asserentes, non debere eligi in Papam, nisi de Jardino Italiæ, quam Lombardiam planam vocabant, videlicet Liguriam, & Æmiliam, & Flaminiam, Venetias, & Rhetiam primam. Quæ autem sint illæ, ad nostram Tripartitam recurras in Lib. II. Tunc Cadulus cum favore Henrici, & populo dictarum Provinciarum cum

C

impetu armata manu vadit Romam ad occupandam Sedem; Sed favente Alexandro Comitissa Matilda, quæ in Italia fuit potentissima mulier, item Gotfredo Duce Spoletano, & nobilibus Romanis cum populo, inde Cadulum cum sua gente cum confusione repellunt. Tunc autem Robertus Guiscardi cum suo exercitu iverat in Romaniam ad conquirendam terram, cepitque Duratium, & etiam alias regiones, pugnavitque cum Alexio Imperatore Constantinopolitano, & in bello ipsum devicit, facta magna strage suorum, unde non potuit venire contra Cadulum in subsidium Alexandri.

CAP. II.

D

Qualiter Alexander in isto casu Lucam venit, ibique locum tunc eligit, accinctus militia ad sui defensionem; Civitatem dignificat privilegiis, sed Ecclesiam majorem magis; & de Comitissa Matilda.

ALexander verò videns se in arto positum, venit Lucam, ibique assumtâ aliquâ militiâ ad sui custodiam, aliquam moram ibidem trahit, tamquam in loco tuto; ipsamque Civitatem multa nobilitate dignificat. Nam, ut in registro Lucano habetur, eidem Civitati pro sigillo bullam plumbeam, ut habent Veneti,

E

tradidit. Ecclesiam majorem, & Episcopalem speciali decorat gratia, ut Canonici dicti Capituli mitras haberent in regulari processione. Episcopatum etiam dignificavit dignitate Primatus, quia Episcopus dicti loci incedendo, coram se crucem portat. Utitur etiam pallio, quod habuit à Callisto, de quo infra dicetur. Tradunt etiam registra Lucana, quòd in tantum dilexit dictam Civitatem, quòd non permisit ibidem Episcopum fieri toto tempore vitæ suæ; sed illum sibi reservavit quasi manualem; & populum dilexit quasi sibi peculiarem. Hoc tamen in nulla authentica Historia invenitur, sed apud Lucanos est communis opinio. Sed utrum Papa potuerit, non est dubitandum. Huic autem Summo Pontifici ex devotione ad Romanam Ecclesiam, & ad ipsum, Comitissa Matilda literas dirigit speciales pro habendo aliquo Clerico honesto, & in moribus composito, qui suam gubernaret familiam. Hæc enim Domina de genere descendit Imperatoris Henrici, de qua magna dicuntur, & de ipsa diffusæ sunt Historiæ. Sed ut sub compendio dicamus, quia filiis carebat, & legitima prole, Ecclesiam Romanam sibi heredem reliquit, ut Martinus scribit: quam hereditatem dicit vocari Patrimonium Beati Petri, sed non totum, quia constat, Imperatores, & Reges multis bonis & rebus Romanam Ecclesiam dotasse, ut supra patet de Carolo Magno, & Ludovico filio ejus præter dona Constantini.

CAP. III.

De actibus virtuosis Comitissæ Matildæ, & de Cadulo, quomodo iteratò vadit Romam contra Alexandrum cum exercitu, sed malè eidem cessit. De Henrico qualiter reconciliatur eidem, & tunc Cadulus venit ad mandata.

HÆc Domina, ut Historiæ referunt de ipsa, multa Monasteria ædificavit in Tuscia, & Lombardia in vita sua, videlicet Lucæ in Civitate, & Diœcesi, in Mantua Sanctum Benedictum, quod est de melioribus Lombardiæ, ubi sepulta est, licèt Florentiæ fuerit mortua, quæ & multo tempore vixit à tempore Alexandri II. hoc est præsentis, usque ad MCXV. & tunc erat adulta, & ætatis bonæ. Anno Domini MLXVI. Henrico redeunte in Theutoniam, Cadulus iteratò cum exercitu Lombardorum vadit Romam, & cum adjutorio gentis Henrici bellum durissimum cum Romanis habuit, & militiâ Comitissæ Matildæ prædictæ in pratis Beati Petri, existente Alexandro in Urbe. Tamdem succumbit Cadulus cum sua gente, & sic confusus rediit in Lombardiam, multis de suis occisis, & captis. Post hæc Henricus rediens ad cor suum, considerando malum statum Ecclesiæ, veniens de Theutonia, Romam proficiscitur, & Alexandro reconciliatur. Tunc ad rogatum Imperatoris Alexander de Urbe in Lombardiam descendit. Cadulus verò cum suis sequacibus videns favorem Henrici ad Alexandrum, suum recognoscens errorem, ad mandata venit Summi Pontificis. Tunc Alexander considerans delictum

(*) *In Cod. Patav.* Annis IX.

lictum Caduli extendi ad multitudinem, ficut pius Pater, cum consilio Henrici Imperatoris præsentis, & faventis, Concilium celebrat in Civitate Mantuana, ibique Cadulum cum suis ad gremium Ecclesiæ recepit. Sicque pacificatâ Lombardiâ totâ, ad Urbem rediit.

CAP. IV.

Qualiter Alexander veniens Lucam, majorem Ecclesiam consecravit; & veniens Romam, honorificè suscipitur; & de bellis, quæ Henricus gessit, & multis aliis.

TRansiens verò per Lucam cum XXII. Episcopis, & multitudine Cleri, & Populi, ob amorem dictæ Civitatis ac honorem, Ecclesiam Sancti Martini consecravit, magnisque dotavit privilegiis, ut in dicta apparet Ecclesia; quæ Sedes Episcopalis est Civitatis. Tunc Alexander veniens ad Urbem, cum magna suscipitur gloria & honore, & in maxima pace suum gerit Pontificatum: nisi quòd Normanni, qui de Francia venerant cum Roberto Guiscardi ex certis caussis, hoc est ratione terrarum, quas ab Ecclesia possidebat, & unde Vassallus Ecclesiæ factus erat Robertus cum suis, ut supra patet, ipsum perturbaverunt; sed pacificati fuerunt, mediante gente ac militia Comitissæ Matildæ, ac Gotfredi Ducis Spoletani, & nobilibus Romanis. Henricus autem jam redierat in Germaniam post Concilium Mantuanum, ubi m lta bella movit Dacis, Bohemis, & Polonis, ut Martinus scribit. Post hæc prædictus Alexander diem clausit extremum, & in Ecclesia Lateranensi honorificè sepelitur. Hujus autem tempore Papæ, ut communiter Historiæ tradunt, maxima fuit fames in Italia, ut multi præ inedia morerentur. Narrant autem aliquæ Historiæ de Alexandro prædicto, & Cadulo, quòd à longo tempore inter eos fuerat æmulatio, & ex hoc in promotione Alexandri commotus est Cadulus ad opponendum Alexandro simoniam: ex quo motivo provocavit amicos tam Clericos, quàm Laicos. Tunc, mediante Henrico Imperatore III. in Catalogo Imperatorum, facta est diligens examinatio de oppositis, & Cadulus inventus est minus habens: propter quam caussam Alexander in Concilio jurejurando se purgat à simonia, damnato Cadulo, quòd in eamdem incidisset. Et sic Alexander judicatus est fuisse verus electus, cui de jure debebatur Papatus officium. Et hæc in tantum sint dicta de istis.

CAP. V.

De Gregorio VII. & CLXIV. Pontifice, qualiter vexatus est per Cencium; & de discordia inter Henricum, & Papam, & schismate ex hoc generato: propter quam caussam Romanum Concilium celebratur.

ANno Domini (*) MXCI., & ab Urbe condita MDCCCXLIII. Gregorius VII. natione Tuscus Patria Senensis in Cathedra Petri locatur. Sedit autem Annis (**) X. mense I. diebus IV. Hic ut Martinus scribit, propter laudabilem vitam ex Cardinali est in Papam

A electus, dictus primò Hiltprandus. Hunc autem, ut Martinus scribit, Cencius Præfecti filius in nocte Natalis Domini, cùm celebraret in Sancta Maria Majori ad præsepe Domini, eum cepit, & in turrim suam posuit. Sed Romani eadem nocte turrim destruxerunt, Papam liberando: ipsum autem Cencium extra Urbem ejecerunt, ac mulieres, & viri ex familia Cencii naribus truncantur. Cencius fuga prolapsus in Germaniam ad Henricum se contulit. Hic etiam Gregorius discordiam habuit cum Imperatore Henrico, qui IV. inter Henricos, sed III. inter Imperatores. Ratio autem discordiæ fuit, ut scribit Martinus, propter investituras Episcoporum in Imperio, quia dictus Summus

B Pontifex sub comminationibus, & fulminationibus prohibebat. Inde provocatus, favet schismati in Lombardia. Nam apud Brixiam convenientes Episcopi ejusdem regionis, Archiepiscopum Ravennatensem in Papam eligunt, qui vocabatur Guibertus, quem appellabant Clementem. Propter quam caussam Gregorius, congregato Concilio in Urbe CX. Episcoporum, ipsum gravi excommunicavit anathemate, & omnes Episcopos memoratos. Ibidem denique investituras prohibebat per Imperatores fieri, sive Reges, sive per quoscumque Principes: de quo habes XVI. quæst. VII. cap. *Si quis*, & cap. *quoniam investituras &c.*

C

CAP. VI.

Qualiter Henricus veniens in Lombardiam, suo Antipapæ reverentiam facit, vadens Romam, & Gregorio incarcerato suus Papa consacratur, & ab ipso coronatur; sed Robertus Guiscardi Gregorium liberat Imperatore fugato.

HEnricus autem in Lombardiam veniens, suum Antipapam adorat, & eidem tamquam Summo Pontifici reverentiam facit. Proficiscens autem ad Urbem cum suo Antipapa,

D & præfatis Episcopis, ipsum in Urbe consacrant; & ipse Imperator coronam ab eo suscipit Imperii, quamvis primò receperit à Nicolao II ut supra patet, & ibi legitimè, hìc autem usurpativè; captoque Gregorio cum Collegio Cardinalium, in Castro includ tur Sancti Angeli. Hæ omnia communiter Historiæ referunt. Vincentius autem dicit, quòd majus schisma fuit, quàm umquam fuerit in Ecclesia Dei, quia Henricus quoscumque inveniebat favere Gregorio aut proscribebat, aut captivabat, aut de terra delebat. Hæc autem videns Robertus Guiscardi, cùm esset in Romania ad expugnandas regiones Græciæ, relicto ibidem suo majori filio Boamundo, ipse cum parte exerci-

E tus vênit in Apuliam, indeque assumta majori militia, vênit versùs Romam. Quod audiens Imperator, recedit ab Urbe cum suo Antipapa, & suis sequacibus, cognoscens se odiosum Romanis destructa tamen priùs parte Capitolii, & Civitate Leonina. Robertus autem eadem die, veniens ad Urbem, ipsam capit, & militia Comitissæ Matildæ cum ipso; ac ferro & igne consumit, Gregorium verò suo loco restituit, seu sedi cum toto Collegio Cardinalium. Tunc procedit contra omnes fautores Henrici, quos aut proscripsit, aut neci tradidit.

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* Anno Domini MLXXVII. & ab U. C. MDCCCXXV.

(**) *Ibid.* Annis XII.

CAP. VII.

Qualiter Gregorius durissimum processum fecit contra Henricum, & suos sequaces; & quòmodo Henricus congregat suum Concilium contra Gregorium, & è contra ad hoc congregato Concilio, ipsum Gregòrius ab Imperio deponit.

GRegorius autem contra Henricum durum renovat processum. Quod ut Henricus audivit, vadit in Theutoniam, & suum convocat Concilium Episcoporum dictæ regionis, qui fuerunt XXIV. ut etiam Martinus scribit, & aliæ communiter Historiæ tradunt. Fuerunt etiam ibidem Barones, & Principes, & Episcopi Lombardiæ cum suo Antipapa; & hoc dicunt factum apud Wormaciam Civitatem super Rhenum; & ibidem confirmatur Guibertus in Papam, & Gregorius deponitur. Et dicunt Historiæ factum fuisse post recessum ipsius de Roma hoc anno, idest Domini MLXXX. Tunc Gregorius, ut scribit Martinus, cum favore Roberti, & Comitissæ Matildæ, dictum Henricum, Concilio congregato Episcoporum, & consensu Collegii Cardinalium, ab Imperio deponit, & omnes Principes à juramento fidelitatis absolvit. Post hoc scribit Cusentinus, quòd Robertus ad majorem securitatem Pontificis, ipsum Salernum ducit, ibidemque vitam sanctè finivit miraculis coruscando, ut aliquæ tradunt Historiæ. Tradunt autem aliquæ Historiæ, quòd principium suæ turbationis cum Henrico, & Prælatis Lombardiæ & Germaniæ, fuit propter zelum simoniæ, in qua inveniebantur multi involuti tam in Theutonia, quàm in Lombardia, & in vitio incontinentiæ: propter quam caussam Gregorius fecit aliquas constitutiones. Et quia Imperator se intromittebat de collatione Episcopatuum, & de ipsorum annexis, ex hoc sequebantur ista duo vitia, videlicet simonia, & carnalis immunditia: inde Gregorius fuit motus ad restringendum Henricum, ne installationes faceret ad refrenandum Prælatos circa vitia supradicta; & ex hac veritate ista sequuta sunt mala.

CAP. VIII.

Quomodo Gregorius fuit magnus zelator contra simoniacos, & de miraculo, quod accidit circa quemdam Episcopum sub hoc errore.

ET attende hìc de isto Pontifice, quia contra simoniam specialissimè in omni statu rigidissimus fuit. Unde Martinus de ipso refert, quòd cùm Cardinalis existens, fuisset Legatus factus in Gallia, & in Concilio contra multos simoniacos Episcopos processisset, cùm contra unum Episcopum multùm diffamatum procedere voluisset, & ille testes, qui contra ipsum introducti erant, pretio corrupisset, dixit Legatus in Concilio deesse humanum judicium, *& producatur in medium divinum oraculum; cùm certum sit, quòd Episcopalis gratia donum sit Spiritus Sancti; & quisquis Episcopatum mercatur, mercatum contra Spiritum Sanctum facit. Tu igitur contra Spiritum Sanctum facis. Si tu igitur contra Spiritum Sanctum non fecisti, dic Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Quod ille intrepidus cùm incipiens *Gloria Patri, & Filio* dixisset, nullatenus *Spiritui Sancto* dicere potuit, frequentiùs repetendo *Gloria Patri, & Filio.* Sed dejectus de Episcopatu, tunc plenè dixit.

CAP. IX.

Quomodo Henricus rediit ad mandata, & obtulit se ad pœnitentiam; alii autem dicunt, quòd non pœnituit, ubi multa dicuntur.

POst hæc autem cùm jam multo tempore concertassent ad invicem Henricus contra Gregorium, & Gregorius contra Henricum, & unus alium in Concilio deponebat, ut multæ Historiæ dicunt, sed præcipuè Martinus, Vincentius, Cusentinus: ultimò tamen Imperator suum cognoscens delictum, ad mandata Gregorii rediit, Guiberto mala morte finiente vitam cum suis. Tradunt enim, illum pœnitentiam tunc fecisse, quia veniens in Italiam ad Papam Gregorium, nudis pedibus super nives & glacies pluribus diebus stetit; sicque veniam impetravit, assumsitque crucem contra Saracenos pro satisfactione Ecclesiæ, quam tam pertinaciter læsit. Aliæ autem Historiæ dicunt, quòd numquam rediit, immo in sua perseveravit malitia. Et electus est ex mandato Papæ per Principes Alamanniæ alius Imperator quidam Dux Saxoniæ vocatus Rodulphus, ut Martinus scribit. Sed contra hunc Rodulphum Henricus venit, & victoriam de ipso habuit; & sic Henricus adhuc in sua perfidia mansit.

CAP. X.

Fit hìc relatio alterius opinionis de ipso, & declaratur factum de morte Gregorii, ubi quæstio movetur, & solvitur declarando factum.

ALiæ Historiæ tradunt, Rodulphum Ducem Burgundiorum, qui à Gregorio coronam accepit, & à Moguntino benedictionem Regalem, cùm tamen ad solum Coloniensem pertineat, ut Historiæ dicunt . . . . Unde hanc relationem non approbo, sed cum Martino me teneo, nisi quòd Rodulphus fortè sit mortuus: quod esse potuit. Et attende hìc, quia isti duo electi non numerantur inter Imperatores cum aliis, qui ad benedictionem Imperialem non pervenerunt. Quod si teneamus, quod hìc scribitur, quòd Rodulphus à Gregorio fuerit coronatus, tunc erit V. Imperator, & Henricus VI. Attendendum etiam hìc, quòd illa reconciliatio Henrici fuit ante pro sententia lata contra Henricum pro installatione Episcoporum, & contra simoniacos, & concubinarios: in quo facto, ut est dictum, Gregorius multùm rigidus invenitur. Et quia Gregorius se habuit asperè in dicta reconciliatione, quia sustinuit ipsum tribus diebus stare in nivibus pedibus nudis, inde indignatus repedavit, & Guiberto adhæsit cum suis sequacibus; & post hæc sequuta est exacerbatio, ut unus alium deponeret, & constitutiones irritaret cum suo Concilio, ut dictum est supra. Gregorius igitur, XII. anno sui Pontificatus moritur; ubi autem non memini me legisse; sed hoc habeo à Vincentio, &

& Cusentino, quòd transtulit se ad Normannos cum Roberto Guiscardi (a).

CAP. XI.

De actibus virtuosis Roberti Guiscardi, & strenuitate ipsius in bellando; de favore Gregorii circa ipsius promotionem & honorem; de morte dicti Roberti.

DE quo Historiæ magna dicunt, quòd intendebat ad Imperium pro filio suo Boamundo cum favore Gregorii & auxilio, & ipse adspirabat ad Regnum Persarum. Sed dum hæ cogitationes in suo fixæ essent corde, zelo tamen Fidei & honore, in isto medio peragrato suo dominio, & dispositis iis, quæ pertinebant ad animæ suæ salutem, moritur, & apud Salernum, ut scribit Martinus anno vitæ suæ (b) LX. Tanti autem dicitur fuisse zeli in fide Christi, tantæ reverentiæ ad Romanam Ecclesiam, tantæque pietatis ad pauperes, & ad pia loca, ut post mortem etiam miraculis coruscaverit. Supervixit autem Gregorio per aliquod tempus, ut Historiæ tradunt. Sed Henricus Imperator sibi supervixit, quia regnavit annis XLIX. Aliquæ Historiæ ponunt solummodo XXXIX. sive ut Rex, sive ut Imperator.

CAP. XII.

De quodam monstruoso prodigio, quod accidit circa quemdam nobilem in Polonia, qui à muribus est monstruosè corrosus.

HUjus autem Pontificis tempore accidit quoddam mirabile in partibus Scythiæ inferioris, hoc est in Polonia, de quodam Principe, ut Martinus scribit, qui cùm sederet in convivio, subitò à multitudine murium circumvallatur; & cùm venissent in tanto numero, de nullo curabant, nisi de isto. Ille autem volens fugere murium infestationem, quamdam naviculam intrav[illegible], & in mari se ponens, elongabat se à te[illegible]: quod quidem facere non poterat, quoniam mures ipsum insequebantur, applicantesque navi, ipsum corrodebant. Quod videntes nautæ, ad portum redeunt, & subitò vênit alia multitudo murium & cum illis, qui mare intraverant, ac dictum Principem sic invadunt, quòd ipsum occidunt, perforantes interiora usque ad cor, & ipsum corrodentes, & ipso mortuo, totum comedunt. Quod si caussa quæritur, esse potuit vel constellatio, vel Dei judicium. Fertur autem in quibusdam partibus accidere, quòd si Leopardus vulneret hominem, mures, qui sunt in illis partibus, hominem corrodunt, invadunt, & in loco vulneris ipsum demingunt. De quodam Principe etiam legitur, quòd à pediculis sit consumtus.

(a) *Notat Codex Patav. in margine*: Legi in alia Historia, quòd Salerni mortuus est.
(b) *In Cod. Patav.* XC.

CAP. XIII.

De Victore III. & CLXV. Pontifice; qualiter veneno moritur in Calice posito; de Mariano Doctore, qui isto tempore floruit, & de quodam prodigio, quod isto tempore accidit.

ANno Domini MLXXXVIII. & ab Urbe condita (c) MDCCCLIII. Victor III. Gregorio VII. succedit, qui & dictus est Desiderius, & fuit Abbas Montis Casini. Hic, ut Martinus scribit, veneno in Calice posito, & ipsum sumens, extinguitur. Vincentius autem dicit, quòd disenteria moritur: quod esse potuit ex virtute veneni administrati sibi per amicos Henrici, quia dictus Victor favebat prædicto Gregorio contra ipsum, ut Historiæ tradunt. Non enim invenitur restitutus post depositionem, nihilominus tamen utebatur Imperio propter suam potentiam, quæ magna erat, sicut accidit de Frederico II. Sedit autem hic Victor anno I. mensibus IV. diebus VII. & cessavit diebus XXIV. Istius etiam Papæ tempore floruit Marianus Scotus, ut scribit Vincentius, magnus Historiarum Scriptor, magnaque doctrina resplendens. Isto etiam tempore maximum apparuit prodigium in partibus Galliæ, ut idem Auctor refert, quia aves domesticæ, ut pavones, & anseres, & gallinæ, fugiunt ad montes, & nemora, fiuntque silvestres; pisces autem in aquis moriuntur.

CAP. XIV.

De magno prodigio, quod isto tempore accidit in Syracusa Siciliæ, & de translatione corporis Beati Nicolai apud Barum Apuliæ, & de quibusdam aliis.

CIrca ista etiam tempora Civitas Syracusana, ut Historiæ tradunt, magnum terræmotum sustinuit, adeò ut Dominica die circa tertiam horam, dum Missa cantaretur, Ecclesia major cadens, omnem Populum, & Clerum opprimeret, Sacerdote, Diacono, & Subdiacono Missam celebrantibus tantùm salvis non sinè magna hominum admiratione. Isto etiam tempore Barenses Cives per mare venientes Mirream Liciæ, ubi sunt modò Turchi, & Civitas super mare est, à quatuor Monachis ibi inventis, ut Historiæ referunt, extorserunt ostendi sibi tumbam Sancti Nicolai. Qua effracta, ossa ejusdem Confessoris pretiosi in olei liquore natantia integro numero extraxerunt, consentientibus Monachis propter barbaras nationes, quæ Turchi vocantur, & qui illuc advenerant, de Caspiis montibus exeuntes, ut Richardus scribit, & eam occuparunt. Has igitur Sanctas reliquias Barenses accipiunt, & Barum transferunt anno à depositione ipsius (d) DCCXXXV. ut Vincentius scribit. Isto etiam tempore Ordo Cartusiensis incoepit, ut Martinus scribit. Circa ista etiam tempora, ut Historiæ communiter tradunt, Toletum recuperatur à Saracenis. In tantum enim dicti Hismaëlitæ prævaluerant in Hispania, quòd quasi totam occupaverant præter montana, ubi confugerant Christiani, ut in

(c) *In Cod. Patav.* MDCCCXL.
(d) *In Cod. Patav.* DCCCXXV.

in Afturia, & in montibus Numantiæ, & aliis A montibus, quibus Hifpania fatis abundat. Sed à tempore Caroli cœpit per ipfum recuperari, & fic paulatim ipfi Hifpani etiam in recuperando cœperunt proficere, ut in præfentiarum liquet, & infra videbitur meliùs fecundùm temporum intervalla à diverfis Principibus dictæ Provinciæ.

CAP. XV.

De Urbano II. & CLXVI. Pontifice, qui difcordiam renovavit excommunicans Henricum, & depofitum denuntians; de quibufdam prodigiis, quæ ifto tempore apparuerunt. B

ANno Domini MLXXXIX., & ab Urbe condita (*) MDCCCLIV. Urbanus II. in Cathedra Petri fedit. Hic primùm vocatus eft Otto, qui fuit Monachus Cluniacenfis, poftea Cardinalis Oftienfis, abinde Papa, ut fcribit Richardus. Ipfo igitur affùmto, ut fcribit Vincentius, renovantur fcandala inter ipfum, & Imperatorem depofitum, & Guibertum, quia Urbanus II. ipfos excommunicat, & tamquam fchifmaticos eos denuntiat; Guibertus autem eumdem cum Concilio Henrici depofiti perfequitur. Sicque turbatio in Ecclefia non mòdica renovatur. Eodem etiam tempore, ut fcribit idem Vincentius, baculus igneus vifus eft per C cœlum ferri, quia magnus erat, & hoc cum magno ventorum turbine, fimulque in Italia, & Gallia magni funt facti terræmotus. Sedit autem annis XII. menfibus VI. diebus XV. & ceffat diebus XII. Hunc Urbanum tradunt communiter Hiftoriæ tranfiiffe in Galliam, ubi primò in Claromonte Concilium celebrat fuper bono ftatu Regni, & fuper paffagio Terræ Sanctæ, quæ tota occupata erat à Saracenis. Tunc adhuc regnabat Philippus in Francia, IV. ab Hugone Caped, qui multo tempore regnavit, videlicet XLV. annis, ut fcribit Richardus.

CAP. XVI.

Qualiter in Concilio Claromontenfi excommunicavit Philippum Regem Franciæ, quia tenebat adulterium; & qualiter à Rogerio recepit juramentum fidelitatis pro Terra Apuliæ. D

TUnc Philippum Urbanus in Concilio Claromontenfi excommunicavit, quia abjecta uxore propria, ex qua genuerat filium nomine Ludovicum, qui poft eum regnavit, conjugem Comitis Andegavenfis fibi conjunxit. Qui tamdem ad mandata Ecclefiæ rediit, abjecta Adultera, & propria uxore refumta; & fic abfolvitur, ut etiam idem Richardus tradit. Hic etiam E Papa in Concilio celebrato Melphiæ in Apulia, antequam in Franciam iret, juramentum fidelitatis à Rogerio fuper terris Apuliæ fufcepit, & fe hominem ligium effe confitetur, ut Cufentinus fcribit; & hoc etiam cum vexillo. Quis autem fuerit ifte Rogerius, Cufentinus dicit, quòd Roberti Guifcardi filius, quod fatis verifimile etiam videtur, quia dictus Robertus illius regionis Ducatum habebat, Rogerius autem frater Roberti Guifcardi Comitatum Siciliæ, ut fupra patet. Habuit enim dictus Robertus tres filios, ut idem Cufentinus fcribit, videlicet Boamundum de prima uxore, & Robertum, ac Rogerium de filia Principis de Salerno. Boamundus autem tranfivit in Terram Sanctam, ut infra dicetur; fed Robertus parum patri fupervixit; & fic Rogerius remanfit, de quo nunc agetur, qui filium habuit, qui vocatus eft Guillielmus, de quo infra multa dicentur. Richardus tamen dicit, ipfum filium fuiffe Roberti filii Roberti Guifcardi: Cufentinus autem primum tenet, & ego cum ipfo.

CAP. XVII.

Qualiter exiftente Urbano in Concilio, facta eft ibidem relatio de perditione Terræ Sanctæ, & tunc facta eft magna Crucis fignatio Principum.

DUm autem Urbanus in Concilio Claromontenfi negotia Ecclefiæ pertractaret, ibidem lamentabiliter perditio Terræ Sanctæ denuntiatur. Unde, ut Hiftoriæ afferunt, Urbanus verbum affumit, Crucem prædicat contra inimicos fidei, fed præcipuè contra Saracenos, qui Terram Sanctam nequiter poffidebant; & tunc magna Crucis fignatio facta eft, quæ non modica fuit Gallicorum, & cum ipforum fequacibus, ac cum effectu grandi. Principes fiquidem quafi omnes fignum Crucis affùmunt, confuentes in veftibus fuis. Qui autem fuerint ifti Principes, Hiftoriæ referunt, fed fpecialiter Richardus, quia primus Gotfredus Dux Lotharingiæ vir maximæ ftrenuitatis & bonitatis, ut jam videbitur, cum duobus fratribus fuis Baudoino, & Euftachio Confulibus claris. Secundus fuit Raymundus Comes Sancti Ægidii; Boamundus Roberti Guifcardi filius; Robertus Comes Normanniæ Guillielmi Regis Anglorum filius; Robertus Comes Flandriæ, Comes Blefenfis; Hugo Magnus frater Philippi Regis Franciæ; Petrus Eremita vir magnæ ftrenuitatis. Cùm igitur Papa Urbanus tantum vidiffet fervorem in Gallicis ad recuperationem Terræ Sanctæ, magis ad hoc follicitatur ad multiplicandam gentem, unde Crucem tradit Principibus fupradictis, & ipfi cum fua militia & gente fe parant ad paffagium faciendum.

CAP. XVIII.

Qualiter in ifto Concilio facta eft inftitutio de horis Beatæ Virginis Mariæ dicendis, & de folennizando diem Sabbati pro ipfa; & qualiter dictus Papa alium celebravit Concilium apud Turonem, & cauffa ponitur.

SCribit autem Martinus, quòd in ifto Concilio Claromontenfi Papa Urbanus ftatuit, ut horæ Beatæ Virginis Mariæ dicantur quotidie, officiumque ejus diebus Sabbati follenniter fiat. Poft hoc autem Summo Pontifice in Francia moram trahente, ad inftantiam Regis, & Principum, ac totius Populi Galliæ Concilium aliud celebrat apud Turonem, in quo Concilio totum quafi Occidentem provocat in Terræ Sanctæ fubfidium, fed de Regno Francorum præcipuè. Qui per Alamanniam & Hungariam tranfeuntes, & per brachium Sancti Georgii, ut Martinus, & Richardus referunt; cum Alexio Conftantinopo-

(*) *In Cod. Patav.* MDCCCXLI.

nopolitano Imperatore fœdus ineunt; sicque liberè transeunt versùs Terram sanctam, de quo passagio Richardus magnum & longum sermonem facit, quod Catalogo relinquimus Imperatorum. Sed istud solum sufficiat de ipso, quòd ista crucis signatio tantam continuit multitudinem Principum, & Baronum, populi etiam, & Cleri, quòd recuperata est Antiochia, Tripolis, & Achon, nec non & Hierusalem; & tunc actus est Rex Hierusalem, omnibus Principibus acclamantibus propter suam strenuitatem, de qua summè commendatur Gotfredus Dux Lotharingiæ dictus de Bulion.

CAP. XIX.

Qualiter recuperata est Terra sancta, & facto Rege in Hierusalem, recuperatur templum, dotatur Ecclesia, & instituuntur Canonici; de Boamundo, & actibus ipsius virtuosis; de Henrico IV. qualiter electus est.

Dictus autem Princeps, reparato templo, ipsum bonis dotat, & Canonicos ibidem per Patriarcham institui facit, ut Richardus scribit. Boamundus autem filius Roberti Guiscardi, qui cum dictis Baronibus transfretaverat, relicto sui patris dominio, cùm esset primogenitus patris, ipse totum reliquit, & sequutus est dictos Principes ad suam ostendendam nobilitatem, & mores virtuosos in ipsius comitiva: quod & factum est. Nam propter morum elegantiam, ac generositatem, & strenuitatem bellandi, factus est Princeps in Antiochia: insuper & filia Philippi Regis Francorum sibi in uxorem est tradita. Urbanus igitur postquam diu pugnavit cum Henrico III. respectu Imperatoris & IV. quantùm ad Henricos, ipso Henrico vivente deposito, mandavit filium ejus eligi in Imperatorem, fortè primitus electis mortuis: quod est verisimile, quia de utroque ulteriùs Historiæ non faciunt mentionem. Et attende hìc, quia Henricus iste dicitur IV. Imperator isto nomine, sed V. Regum illorum, qui fuerunt assumti per electionem.

CAP. XX.

Qualiter Henricus IV. jam electus in Imperatorem carceravit patrem, & quomodo Urbanus rediens in Italiam celebravit Concilium apud Placentiam, & de origine Hospitaliorum.

Hic ergo Henricus IV. respectu Imperatorum, sed quantùm ad Henricos, sive Reges V. considerans scandala, quæ in Ecclesia erant ratione patris, ipsum incarceravit, ubi & moritur; nec non quia ipso vivente sua impediebatur electio ad ulteriora facienda, non modicùm turbabatur sua promotio. Post quæ omnia Urbanus rediens in Italiam, Concilium celebravit apud Placentiam ad prosternendum partem Henrici III. qui depositus fuerat ab Imperio, & incarceratus à filio suo Henrico jam electo in Imperatorem. Item ad reconciliandum Lombardiæ Episcopos Ecclesiæ, qui Guiberto jam mala morte interemto adhæserant; si quos autem inveniret pertinaces, sive rebelles, ipsos tamquam Schismaticos condemnaret, & ab omni gradu deponeret, Henrico electo IV. contra partem patris favente. Hæc in tantum de Urbano II. dicta sufficiant. Moritur autem Romæ, & in Basilica Beati Petri honorificè sepelitur. Hujus autem Papæ tempore Ordo Hospitaliorum incœpit Anno Domini MXCIV. Pontificatus Urbani II. anno V.

CAP. XXI.

De Hospitalariis, ad quod iste Ordo est institutus; de Beato Anselmo, & de libris, quos composuit; de Ordine Cisterciensi, cujus Papæ tempore incœpit.

Iste autem Ordo ideo Hospitaliorum vocatur, quia domum fecerant in Hierusalem ad recipiendum peregrinos infirmos, qui in passagio transfretaverant memorato, & ex dicto officio facti sunt famosi, & sic creverunt. Hujus etiam tempore floret Anselmus in Anglia Monachus discipulus Lanfranchi, de quo dictum est supra. Hic primùm Abbas, deinde Archiepiscopus Cantuariensis multa scripsit ad eruditionem fidelium, Librum videlicet de Meditationibus, Librum *cur Deus homo*, Librum de libero Arbitrio, Librum de similitudinibus, Librum de Grammatica, & alia multa provocativa devotionis, de Cruce, & de Joanne Baptista. Scribit autem Vincentius, quòd quidam Doctor nomine Anselmus Laudunensis Civitatis magister nominatissimus, scientia, & morum honestate clarus habetur. Utrum autem fuerit idem cum primo, ex Historiis non habetur. Sed huic Vincentius attribuit, quòd in Psalterio Glossas marginales & interlineares ordinavit. Hujus etiam tempore in Burgundia est fundatum Monasterium Cisterciense in die Beati Benedicti, ut Martinus scribit, in Diœcesi videlicet Cabillonensi.

CAP. XXII.

Solvitur hìc quædam quæstio circa Imperatores Henricos, utrum per electionem fuerunt, an per successionem.

Hic est attendendum propter aliquos, qui asseruerunt, istos quatuor Imperatores habuisse Imperium per successionem, sicut in Carolo Magno. De septem generationibus accidit, ut gesta Francorum, & Martinus narrant. Hoc enim patet non esse verum, quia solùm per electionem, sive jure electionis, quamvis in successoribus sit facta coronatio: quod manifestè in decreto Nicolai II. probatur in text. & in glos. dist. 23. cap. *In nomine Domini*, ubi de electione agens Summi Pontificis, dictus Papa postea subdit de imperiali coronatione facienda Henrico III. qui *Deo concedente, speratur Imperator futurus, sicut jam sibi concessimus, & successoribus illius, qui ab Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverunt*. Ubi Glossa ordinaria dicit, quod ex iis verbis patet personale privilegium fuisse, & non commune generi, hoc est non ad alios sui generis hoc extensivum, nisi jure electionis, quod infra manifestè apparet, quia post istum quartum Henricum, qui inter Henricos est quintus, & ulteriùs in isto genere facta est translatio de electione Imperatoris ad dominium Sueviæ, ut jam patebit. Hæc in tantum dicta sint de isto Pontifice, & ad alium transeamus, videlicet Paschalem, de quo etiam magna scribuntur, sicut patebit.

CAP.

CAP. XXIII.

De Paschali II. & CLXVII. Pontifice, qualiter ipso creato, Henricus IV. venit in Tusciam, & per literas Papæ renuntiat investituras, & petiit coronari, cui Papa annuit, & sic venit Romam.

ANno Domini MCI. & ab Urbe condita MDCCCLXVI. Paschalis II. in Cathedra Petri sedit. Sedit autem annis XVIII. mensibus V. diebus VII. & cessavit diebus III. Hic fuit natione Tuscus de Bleda. Hujus tempore, ut Martinus scribit, Henricus IV. inter Imperatores, sed quantùm ad Henricos V. cum magno exercitu vènit in Tusciam, ut Romæ coronaretur in Imperatorem, qui præmissis ad Papam nuntiis ex parte sua refutabat per literas omnem investituram Episcoporum, Abbatum, & Clericorum omnium. Super quæ alii Imperatores contenderunt, sed præcipuè pater suus: propter quam caussam cum Gregorio VII. & Victore III. & Urbano II. quæstiones graves habuit, & inde turbatio est exorta, eo quòd gratiâ illius investituræ factæ Carolo Magno, & Ottoni Primo uti non poterat, quin potiùs sub fulminatione anathematis eidem prohibuit. Iis peractis, Summus Pontifex Henrico prædicto annuit de Corona.

CAP. XXIV.

Quomodo Henricus suscipitur à Clero, & populo honorabiliter, & a Papa; & qualiter Henricus Paschalem cum tota Curia capit, & incarcerat propter investituram.

APpropinquans igitur dictus Henricus ad Urbem cum Principibus, & Baronibus, & honorabili militum comitiva, ex mandato Papæ, Clerus, & populus extra portas Urbis eidem versùs montem Marium obviam vadit. Sed cùm intrasset Summus Pontifex Civitatem, cum Collegio Cardinalium, & Episcoporum in gradibus Sancti Petri, eum gratiosè recepit, & usque ad summitatem graduum eum ducit; ibique Rex Henricus adveniens, post oscula pedum se invicem amicabiliter osculantur, seque per manus tenentes, postquam ad portam argenteam pervenissent, osculo dato, ut scribit Martinus, Dominus Papa ibidem designavit ipsum Imperatorem. Sed postquam ad Rotam Porphyricam accessissent, & Papa super investitura refutanda juramentum requireret, Rex cum suis concilio habito, Papam & Cardinales cum tota Curia sua captivavit: quod fuit anno VII. Jam enim septem annis fuerat in Regno, non habens Coronam Imperialem; quo tempore Paschalis contendebat de Corona danda, nisi renuntiaret investituræ; sed postquam per literas renuntiavit, Corona offertur, ut in præsentiarum est manifestum. Hæc tamen oblatio fraudulenta apparet per effectum, qui est sequutus, quia quod promiserat non servavit. Fuit autem in carcere Papa cum suis mensibus II. ut Cusentinus scribit; & quousque, ut aliqui dicunt, investituras non permisit, non fuit liberatus cum suis. Tamdem ipso liberato, & Henrico coronato, rediit in Germaniam. Post certum tempus conscientiâ etiam ductus dictus Paschalis, monitione præcedente propter Statuta Concilii celebrati per Gregorium VII., de quibus habes 16. quæst. 7. cap. *Quoniam investituras*, iteratò eos, & alios excommunicavit, qui prædictas investituras conferrent. Sed hoc non obstante Henricus perseverat in sua malitia, excommunicatione manente, & eo exequente investituras toto tempore Paschalis, ut Martinus, & aliæ Historiæ tradunt. Idem verò fecerunt Gelasius, & Callistus contra dictum Henricum, qui immediatè fuerunt subsequentes Pontifices.

CAP. XXV.

Quomodo Paschalis post associationem Imperatoris extra Urbem rediens, honorificè susceptus est à Clero, & populo, sed post est facta conspiratio contra ipsum, sed malè eisdem cessit.

SCribit etiam Martinus, quòd facta pace cum Imperatore, quam Paschalis non servavit, ut supra patet, post ipsius liberationem exivit Papa cum Cardinalibus, ac Episcopis cum dicto Principe; ac cùm rediret, tanta fuit multitudo populi, & Cleri occurrentis ei, & Deum laudantis, ut vix ad palatium Lateranense juxta vesperas potuerit pervenire. Et quamvis tunc Paschalis fuerit multùm honoratus ad aliquod tempus, postea Deus suscitavit sibi turbationes per aliquos hæresiarcas, Albertum videlicet, & Arnulphum, & Theodoricum, qui diversis temporibus usurpaverunt Papatus officium, ipsam Romanam Ecclesiam condemnando, sed omnes, ut Dulcinus, mala morierunt morte, ut Historiæ tradunt. Demum pacificatâ Ecclesiâ, Paschalis moritur XVIII. sui Pontificatus anno apud Sanctam Mariam Transpadinam; & inde cum totius populi, & Cleri comitiva per mediam Urbem transvectus in Ecclesia Sancti Salvatoris sepelitur.

CAP. XXVI.

Qualiter Rex Hungariæ renuntiavit investituram isti Pontifici; quomodo Guillielmus nepos Roberti juravit fidelitatem isti Pontifici pro Ducatu; de Beato Bernardo, qui hujus tempore Ordinem intravit.

HUjus autem tempore Rex Hungariæ ad monitionem Paschalis per literas suas investituras renuntiavit Episcoporum, & aliorum Prælatorum, quas usque ad tempora illa habuerat, ut Martinus scribit, à tempore suæ conversionis. Huic Pontifici Paschali scribit Cusentinus, quòd Guillielmus filius Rogerii filii Roberti Guiscardi, ut infra ostendetur, juravit fidelitatem, & per vexillum recepit totam terram Apuliæ, & Campaniæ antiquæ ab ipso apud Ciperanum, ubi & Synodum celebravit. Hujus etiam Pontificis tempore Beatus Bernardus habens circiter annos XXII. sub Abbate Stephano, qui fuerat tertius Abbas in Cistercio, cum XXX. sociis in eodem Monasterio Monachus efficitur, anno videlicet MCX. & anno IX. Pontificatus dicti Paschalis. Hic Beatus Bernardus propter perfectionem vitæ, quam in suo ostendit ingressu Religionis, Monasterio Claravallis fundato, illuc pro Abbate transmittitur, & in dicto loco XXXVII. annis vita claruit, & doctrina. Cùm enim Ordinem Cisterciensem intravit, XXII. erat annorum, in XXIII. missus est Claraval-

ravallem; LX. verò erat annorum, quum migravit ad Dominum, ut sua gesta describunt, de Castillione Burgundiæ suam originem trahens, & prosapia nobili. Colligitur igitur ex dictis, quòd in Abbatia Claraevallis rexit annis XXXVII.

CAP. XXVII.

De virtuosis actibus Beati Bernardi, & de iis, quæ scripsit; quòd tempore hujus Pontificis ordo Præmonstratensis incœpit, & Philippus Rex Francorum moritur.

QUid autem dictus Abbas in suo officio fecerit, opera illius perhibent testimonium. Multa enim scripsit ad utilitatem legentium, & ædificationem; inter quæ sicut vir elevatus ad divinum amorem super Cantica commentum fecit inter sponsum Christum, & sponsam Ecclesiam, istum zelo amoris complectens. Scripsit & de consideratione Divinæ contemplationis quasi per modum epistolarum ad Eugenium Papam, qui in suo Ordine Abbas fuerat, ipsum instruens de cura sui regiminis pastoralis. Scripsit & epistolas diversas ad diversos Canonicos, videlicet Lugdunenses, de Beata Virgine multa pulchra componens; hoc idem scripsit ad Fratres de Monte Dei. Scripsit & apologeticum ad Abbatem Cluniacensem pro Roberto nepote suo; & scripsit Sermones in solennitatibus totius anni plenos caritate, & claritate doctrinæ. Multa etiam alia scripsit ad instructionem Fidelium. Sed hæc ad præsens dicta sufficiant. De ipso anno autem Domini MCVI. & Pontificatus Paschalis V. Ordo Præmonstratensis in Diœcesi Lugdunensi incœpit, ut Martinus scribit; & hoc sub Abbate Huberto, qui fuit natione Coloniensis, sicut Bruno, qui ordinem Carthusiensem incœpit. Anno Domini MCX. Philippus Rex Francorum moritur, cui succedit Ludovicus filius ejus, qui fuit V. in isto nomine, XVI. à Pipino, XL. à primo, V. ab Hugone.

CAP. XXVIII.

Hujus etiam Pontificis tempore floret Sigibertus in Gallia; hoc etiam tempore Civitas Florentia comburitur pro majori parte; Moritur etiam Comitissa Matilda.

HUjus etiam tempore, ut scribit Vincentius, floruit Sigibertus Monachus Gemblacensis Monasterii, magnus Historiæ scriptor, cujus obitus propter morum honestatem, & scientiæ claritatem magnam in suo Cœnobio memoriam reliquit. Hoc eodem tempore, anno videlicet MCXI. Civitas Florentiæ quasi tota fuit combusta, ut in registris Florentinis habetur, multique ex dicto igne sunt mortui, videlicet circa duo millia personarum; & tunc ibidem mortua est Comitissa Matilda. Quæ autem fuerit hæc Domina, habitum est supra in titulo Alexandri II. Utrum autem mortua fuerit de isto igne, aliquæ Historiæ ponunt. Translatum fuit autem corpus ejus apud Mantuam, & sepultum est in Monasterio Sancti Benedicti, ædificato nomine Dominæ memoratæ per Anselmum virum vitæ venerabilis, qui postea fuit Lucanus Episcopus,

(*) In Cod. Patav. MDCCCLXXI.

A qui gubernator fuit in domo Comitissæ prædictæ, & mortuus in eodem loco cum Domina sua, ac sepultus ibidem miraculis coruscando.

CAP. XXIX.

De origine Templariorum, quia hujus Pontificis tempore exortus est Ordo ille, & ad quid titulus iste sibi appropriatur, & quod erat ipsorum officium.

ANno autem Domini MCXII. & Pontificatus Paschalis II. anno XI. Ordo Templariorum incœpit, sic dictus, ut Historiæ referunt, quia
B præfati milites suam fecerunt mansionem prope Templum sepulcri Domini; ipsorumque erat officium peregrinos securos deducere, & associare, qui limina visitabant Sepulcri. Erant enim circa partes illas quædam loca periculosa propter latrunculos, unde peregrini indigebant ducatu. Hos autem milites Richardus multùm commendat de honestate vitæ, & fidei zelo, & gratia populorum. Eodem tempore, ut Historiæ tradunt, sed præcipuè Cusentinus, post occasum Solis Cœlum totum quasi fuit visum rubeum, sicut ignis, duravitque ferè per tres horas noctis. Tunc temporis Goffredus Rex Hierusalem post longos & multos labores moritur, & Balduinus
C frater ejus in Regem Hierosolymitanorum eligitur, ut scribit Richardus; qui tunc fuit Princeps in Civitate Edissa, quæ fuit Abagari familiaris Domini. Hic Balduinus miles fuit strenuissimus, & sua probitate dictam acquisiverat Civitatem, suumque Principatum extenderat usque ad Euphratem flumen, ut tradunt Gallicorum Historiæ. Hoc etiam tempore post dictum prodigium Paschalis moritur, & Gelasius creatur, de quo suo titulo est dicendum, & de scandalo, quod post dictum prodigium in Ecclesia est sequutum, & per Henricum IV. Imperatorem est procuratum. Sed attende hìc, quia aliquæ Historiæ dicunt, Henricum post clausuram Summi Pontificis pœnituisse, & tunc penitus renuntians investituræ, factus est amicus Paschalis. Et
D hoc consonat iis, quæ fecit, quia ipsum associavit extra Urbem tamquam amicum post liberationem factam de ipso, & suorum, de Collegio videlicet Dominorum Cardinalium. Vincentius tamen, & Martinus dicunt contrarium, ut in sequentibus Pontificibus melius apparebit.

CAP. XXX.

De Gelasio II. & CLXVIII. Pontifice, quis fuit, & quomodo ivit in Franciam propter timorem Henrici, & quomodo Henricus se eidem opposuit.

E ANno igitur Domini MCXIX. & ab Urbe condita (*) MDCCCLXXXIV. Gelasius II. natione Campanus de Gajeta in Cathedra Petri locatur. Sedit autem anno I. diebus V. & cessat diebus XXIV. Hic, ut Historiæ referunt, fuit Cardinalis, & Paschalis Papæ Cancellarius, vocatusque est Joannes, in cujus officio dependebat status Curiæ, & inde fidelitatem servando oportuit se opponere pertinaciæ Henrici contra Ecclesiam: propter quam caussam istius Imperatoris incurrit offensam, ut Historiæ tradunt, & ideo fugit de Urbe, & vadit Gaje-

Gajetam, immo Cusentinus dicit, quòd ibi fuit electus. Aliæ Historiæ dicunt, quòd in Capua est consecratus. Tanti autem furoris fuit Henricus contra dictum Gelasium propter prædicta, quòd statim ipse, Gelasio creato per Cardinales, conatus est obviare suæ creationi, allegans Papam esse non posse sinè consensu Imperatoris, uti volens privilegio Caroli Magni, & Ottonis Primi, quibus per Ecclesiam fuit concessum, ut supra patet; sed non attendens, quòd ipsorum successores abrenuntiaverunt privilegio supradicto, ut habemus dist. 63. cap. *Ego Ludovicus*, & cap. *Sacrorum*. Duo etiam Concilia postea celebrata hæc privilegia revocaverunt; unum fuit celebratum tempore Hadriani II., qui CVIII. à Christo, de quo habes in eadem dist. cap. *Hadrianus II.* Secundum fuit celebratum tempore Gregorii VII. de quo habes XVI. quæst. cap. *Si quis*, & cap. *Quoniam*.

CAP. XXXI.

Assignatur hìc caussa, quare erravit Henricus, in quo errore se fundans, creato Gelasio, Papam facit quemdam Burdinum Hispanum; & de Balduino Rege.

CAussa autem, quare talia privilegia interdum fuerunt concessa, fuit propter vitanda schismata perversorum, quam habes in illis duobus capitulis. Sed hoc non obstante Henricus prædictus irritat creationem Gelasii Papæ, & unum Hispanum assumit nomine Burdinum, & ipsum in Papam constituit, quem Gregorium vocari mandavit, quem Historiæ Antipapam vocant. Quod videns Gelasius, à Gajeta trans mare fugiens, fugit in Franciam cum Collegio Cardinalium, veniensque ad Cluniacum, ibidem infirmatur, & moritur, & in eodem Monasterio sepelitur. Circa autem istius Pontificis tempora Balduinus Rex Hierosolymitanus ad dilatationem sui Regni toto posse conatur, invadens, & exterminans Saracenos usque ad mare mortuum, & usque ad flumen Euphratem, ut scribit Richardus. Inde convertens se ad meridiem, vadit versùs Ægyptum, & cùm prope esset Damiatam, de piscibus Nili comedens, profluvio ventris moritur. Statimque alter Balduinus eligitur, qui cognatus erat defuncti; & sic habemus tertium Regem in Hierusalem.

CAP. XXXII.

De Roberto nobili Fundatore Claravallis, & actibus ejus virtuosis; de prodigiis, quæ acciderunt isto tempore circa Ravennam, & in Gallia, & qualiter Guillielmus nepos Roberti isti Pontifici adstitit, & fidelitatem juravit.

HUjus etiam tempore floruit Robertus, ut scribit Vincentius, Claravallis Fundator, genere, divitiis, & facundia clarus, & de eadem regione trahens originem. Hic autem, postposità seculi pompâ, mendicandi districtionem seu statum arripuit, & per aliquantulum temporis nudis pedibus incedens, & brumali rigore verbum Dei prædicans, multos ab errore convertit. Hoc etiam tempore, vel circa, ut scribit idem Auctor, apud Ravennam in agris, & inter mœnia sanguis pluit. In Gallia quædam Porca porcellum habentem faciem hominis genuit. Pullus etiam gallinæ quadrupes nascitur, ut idem Auctor refert. Scribit autem Cusentinus, quòd Gelasio Papæ Guillielmus Princeps Apuliæ descendens de genere Roberti Guiscardi sive ex Roberto, sive ex Rogerio filius, ut Historiæ referunt, audiens ipsum illuc advenisse, obviavit eidem, & sibi more solito suorum prædecessorum fidelitatem juravit, & omnia fecit, quæ ad bonam pertinebant fidelitatem, de quibus supra est dictum in multis locis.

CAP. XXXIII.

De Norvegis, qui tunc cum LV. navibus iverunt in Syriam; & de bellis gloriosis, quæ Balduinus gessit contra Saracenos, & de quibusdam monstris, quæ acciderunt in Gallia.

HOc eodem tempore scribunt Richardus, & Martinus, quòd gens quædam de Norvegia veniens in Palæstinam, applicuit in Joppen cum LV. navibus in auxilium Christianorum. Unde autem venire potuerint, Historiæ rationabiliter tradunt, quia per strictum Sibiliæ, sicut alii faciunt, qui Oceanum mare navigant, ut Bajonenses, & Portugallenses, & sic de aliis. Hos igitur cùm audisset etiam Balduinus Rex advenisse, lætatus est, ipsosque sibi conjunxit, & cum ipsorum auxilio Urbem Sydonem capit, ut scribit Richardus. Nec te moveat, quòd hæc à diversis Historiis diversificantur in tempore quantùm ad annos, quia hoc in modico tempore contigit, & fortè vitio Scriptorum. Nec est facienda vis, quia factum constat omnimodè de præfatis Principibus circa ista tempora accidisse, quantùm ad strenuitatem bellandi, & recuperationem Terræ Sanctæ, & dilatationem Regni Hierosolymitani. Scribunt enim Historiæ Francorum, quòd tunc prædicti Reges addiderunt Regno Hierusalem Tripolim, videlicet Achon, quæ in libro Machabæorum Ptolemaida nuncupatur. Iis adjunxerunt Tyrum, & Sydonem, & Gazam, & Ascalonem, quæ omnia dicti Reges devicerunt à Saracenis, & ad Regnum Syriæ pertinebant, & non ad Regnum Judææ, sive ad Hierusalem, ut ex memorato libro est manifestum. Iis etiam temporibus, ut Historiæ tradunt, Civitas Leodiensis diversis plagis attrita est, pulsantibus quoque Vesperis Sabbato quodam. Quædam dum caput lavat puero, manus rubent sanguine fluido. Sed monstrum quoddam in Francia natum est, cui par numquam inventum est, videlicet biceps infantulus, qui tam sexu duplex, quàm in ceteris membris, simplex erat in compage corporis: quod se vidisse multi testati sunt. Et multa alia mirabilia istis apparuerunt temporibus magnorum effectuum insinuativa.

CAP.

CAP. XXXIV.

De Callisto II. & CLXIX. Pontifice, quis fuit, & quomodo est in Cluniaco electus, statim vadit in Italiam, & de Burdino, quomodo captus est ab ipso, & quid est factum de ipso.

ANno Domini MCXX. & ab Urbe condita MDCCCLXXXV. Callistus II. in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis V. mensibus X. & diebus VI. & cessat diebus VIII. Hic natione fuit Burgundus, & Comitis filius, qui & Archiepiscopus Viennæ, post mortem Papæ Gelasii in Cluniaco à Cardinalibus concorditer est electus, priùs Guido vocatus. Hic statim, ut in Summum Pontificem assumitur, iter arripuit versùs Italiam, & per Lombardiam transiens, & Tusciam, cum magno gaudio suscipitur, & honore. Hic cùm audisset Burdinum Antipapam esse circa partes Romæ, ipsum mandat armata manu invadi, & præcipuè suæ genti, quam secum de Burgundia duxerat. Insequentes igitur ipsum, in Sutrium se collegit, quem ibidem Callisti exercitus obsedit. Sutrini verò timentes sui regiminis vastationem, Burdinum Callisto tradunt. Ipse verò super camelum jubet eum ascendere versa facie ad tergum, & caudam pro freno tenentem, ipsum versùs Romam mandans cum tuta custodia anteire. Cùm autem pervenisset ad Urbem Callistus susceptus est à populo, & Senatu honorificè, & dictum Burdinum in quadam arce, & squallido carcere fecit mori.

CAP. XXXV.

Qualiter Henricus propter probitatem Pontificis venit ad ipsius mandata, & investituras renuntiat. Guillielmus Dux Apuliæ eidem fidelitatem renovat; & de iis, quæ fecit Ecclesiæ Compostellanæ, & Lucanæ.

HIc Callistus contra Imperatorem Henricum processus renovat propter investituras, ut scribit Martinus. Sed Imperator considerans probitatem Pontificis, & favorem ad eum Italici populi, ad cor suum rediens, cedit investituris, quas per annulum, & baculum conferebat Episcopis, & Abbatibus, & aliis Clericis; & sic per Callistum reconciliatur Ecclesiæ, ut Martinus scribit. Isto igitur tempore Ecclesia Romana florebat sub prædicto Pontifice propter suam civilitatem & bonitatem. Refert autem Cusentinus de ipso, quòd eo existente Beneventi, sicut in Terra Ecclesiæ, vênit Guillielmus Dux Apuliæ, & eamdem renovat fidelitatem. Quis autem fuerit iste Dux Apuliæ Guillielmus, supra est tactum, quia nepos Roberti Guiscardi, hoc est filius filii dicti Rogerii. Richardus autem dicit, ipsum filium Roberti alterius filii; sed magis placet relatio Cusentini. Hic Callistus ob devotionem Beati Jacobi, Compostellanam decorat Ecclesiam Metropolitanam constituens, & subjiciens eidem totam Emeritanam Provinciam, quæ pars Galliciæ esse dicitur, ut scribit Martinus. Item Lucanam Ecclesiam pallio honoravit, fortè ex aliquo beneficio Callisto per Cives dictæ Civitatis impenso sive de militia, sive de quocumque adjutorio alio contra Imperatorem, & prædictum Antipapam. Papa igitur Callistus, facta pace cum Imperatore, cum gratia Cleri & Populi moritur, & in Ecclesia Lateranensi honorificè sepelitur. Cui succedit Honorius II., de quo in sequenti Capitulo est dicendum.

CAP. XXXVI.

De Hugone de Sancto Victore, qualiter hujus Pontificis tempore floruit, & qualia scripsit, & de quibusdam Principibus Terræ Sanctæ.

HUjus autem Pontificis tempore floruit Hugo de Sancto Victore, sic dictus, quia ibidem fuit Canonicus regularis, & de Civitate Parisiensi natus, ut scribit Vincentius. Hic Doctor præclarus in sacra Scriptura præfulsit, & in aliis Philosophicis disciplinis. Multa scripsit ad ædificationem fidelium, videlicet Librum de Sacramentis; Librum Sententiarum; & Librum, qui Didascalus appellatur, eo quòd in dicto Libro agitur per modum interrogationis discipuli ad Magistrum, & secundùm typum dialogi traditur, qui alio dicitur nomine liber de Archa Noë. Librum de cura animæ fecit, & commentum super regulam Augustini. Fecit & Librum, qui de artibus & doctrinis vocatur, quia ibi distinguitur, qualiter doctrinæ sint accipiendæ, & de Doctoribus earum definit, & distinguit de omnibus rebus, prout distingui potest. Et istud sufficiat, quia non principaliter istud hìc intendimus, sed circa quæ tempora fuerunt facta Pontificum, sive fuerunt Doctores. Eodem etiam tempore scribit Richardus, quòd Gossellinus, qui post Balduinum assumtum in Regem Hierosolymitanum, factus fuerat Princeps Edissenus, & Galaranus cognatus ejus capti sunt à Balach Admirato, sive Admiraldo Regis Alaph de genere Turcorum. Eodem etiam anno Baldoinus capitur ab eodem Balach, & omnes istos tres dictus Balach in uno castro munitissimo includit. Ubi considerand a est divina providentia, sive divinum judicium, quia non est gloriandum in bellis, sed in dante victoriam bellis; & quia fortè gloriabantur in bellorum negotiis, & inde fortè Deus despexit eorum gloriam: quod dicit Richardus accidisse anno Domini MCXXIV. (*) hoc est tempore Callisti Papæ. Sed in eodem anno fecit Deus in eis cum tentatione proventum, ut ad egrediendum non deficeret. Quia, ut Richardus dicit, cùm essent in tutissimo castro, & munitissimo inclusi, & incarcerati, de ipso evaserunt illæsi, licèt diversis modis. Ultimò verò Gossellinus durum certamen habuit cum Balach circa partes Tyri, in quo bello Balach graviter vulneratus succubuit, cujus caput in signum victoriæ in Hierusalem est delatum, ut scribit Richardus.

CAP. XXXVII.

De magnis terræmotibus, qui isto tempore fuerunt in diversis partibus Mundi, & de effectibus, qui post hoc sunt sequuti; & de quadam declaratione circa Imperatores.

HOc etiam tempore in Syria, & Palæstina magni fuerunt terræmotus, ita ut multæ rue-

(*) *In Cod. Patav.* Anno Domini MCXXIII.

fuerent Civitates, ut scribit Cusentinus. Simile A accidit in Gallia, & Italia, post quos moritur Alexius Imperator, cui succedit Calojoannes filius. Moritur etiam isto tempore Callistus Papa II. & post modicum tempus Henricus Imperator, nullo relicto filio, in quo facto tradunt Historiæ, quòd Deus ipsum punivit, quia inhonestè patrem tractavit, & in carcere mori fecit. Et attende hìc, quia IV. Imperatores fuerunt de uno stipite descendentes, & de genere Saxonum, videlicet Henricus, Conradus, Henricus III. Henricus IV. & Henricus V. de quo nunc agitur, & in quo terminatur ipsorum genealogia, & transit ad aliud genus, ut jam apparebit de Lothario, qui in Imperio Henrico succedit. Hæc igitur ad præsens sufficiant de B Callisto dicta, & de iis, quæ suo tempore sunt gesta; & ad alium Pontificem accedamus, cujus tempore multæ sunt factæ novitates.

CAP. XXXVIII.

De Honorio II. & CLXX. Pontifice, qualiter mortuo Guillielmo, investivit Rogerium filium Rogerii de Ducatu Apuliæ, quia Guillielmus sinè filiis moritur, & caussa quare.

ANno Domini MCXXVI. & ab Urbe condita MDCCCXCI. Honorius II. natione Bononiensis in Summum assumitur Pontificem. C Sedit autem annis V. mensibus II. diebus III. & cessat diebus VII. Hic post suam creationem requisitus à Baronibus Regni Apuliæ, descendit in Apuliam, requiruntque ipsum, ut à Rogerio Comite Siciliæ Ducatum Apuliæ defendat, quia ipsum dicti Barones tueri non poterant, ut scribit Martinus, & quia istud latibulum habet, & ad Ecclesiam Romanam pertinet, & per consequens ad Summos Pontifices. Inde declaranda sunt verba Historiarum. Supra enim dictum est, quòd Robertus Guiscardi unum fratrem habuit, qui Rogerius est vocatus. Isti igitur duo fratres devicerunt Regnum, diviseruntque sibi, & unam partem habuit Rogerius, videlicet Siciliam, quam devicerunt à Saracenis, in qua Rogerius D dictus est Comes; reliquam terram. hoc est Calabriam, Apuliam, & antiquam Campaniam, quæ hodie nuncupatur Terra-Laboris, regionem Beneventanam, quæ antiquitus Samnia dicebatur, ac Aprutium, ubi est Aquila, quæ pars Piceni vocabatur juxta Historiam Langobardorum, Robertus Guiscardi sibi retinuit, quam sibi subjugaverat dictus Robertus, ut supra patet tempore Nicolai II. qui est CLXI. à Christo. De isto igitur Roberto descendit Guillielmus, qui homagium fecerat Callisto, & multis Pontificibus, ut est jam dictum. Hic ergo Guillielmus Dux in parte Roberti Guiscardi avi sui hoc est Apuliæ, moritur sinè filiis, ut scribit Martinus, & Cusentinus; & inde Roge- E rius consobrinus ipsius, qui de Rogerio fratre Roberti Guiscardi descenderat, & Comes vocabatur Siciliæ, occupare incœperat Ducatum Apuliæ, tamquam rem sibi jure hæreditario competentem. De hac ergo occupatione scripserunt Barones Honorio supradicto, ut se opponeret ad defensionem Ducatus. Ipse verò veniens in Apuliam, & Baronum fraudem cognoscens, habito saniori consilio Rogerium recepit in gratiam, ut scribunt Martinus, & Cusentinus; & facto homagio, & fidelitate cum juramento firmata, de Ducatu Apuliæ ipsum investivit.

CAP. XXXIX.

Quomodo ex hac investitura factum est unum dominium, & vocabatur Comes, & Dux, sed ad modicum tempus Rogerius mutavit nomen Comitatus in Regnum; qualiter Honorius duos Patriarchas deposuit, & de electione Lotharii.

ET sic factum est dominium unum, licèt sub duobus nominibus dignitatum, videlicet Ducatus, & Comitatus; nondum enim nomen Regis sortitus erat. Sed conjuncto dominio, tunc Rogerius, ut Richardus scribit, & etiam Cusentinus, se Regem vocari mandavit, & multos nobiles, ne sibi in hoc facto essent contrarii, extirpavit. Quia verò suum proprium dominium erat Sicilia, inde fortè motus est, ut nomen Regni obtineret Sicilia. Apulia in suo antiquo nomine remanente, & Principatibus aliis, ut præfatæ tradunt Historiæ. Et de hoc Regno Siciliæ dicta sufficiant ad declarationem ipsius status. Scribit autem Martinus de isto Papa Honorio, quòd duos Patriarchas deposuit, quia inventi sunt favisse schismati Henrici, & Burdini. Hic Honorius, uti Vincentius scribit, post mortem Henrici, quia genus ejus in prole defecerat, suos Legatos misit in Theutoniam pro pacifica electione facienda; unde convenerunt Principes in locum, & omnium consensu Lotharius Dux Saxoniæ eligitur, qui fuit VI. Imperator per electionem, & à Frederico Archiepiscopo Coloniensi benedicitur, & inungitur: quod est intelligendum quantùm ad Regnum Alamanniæ, ubi argentea corona porrigitur.

CAP. XL.

De quibusdam miraculis, quæ facta sunt in pago Suessionis, de quibusdam monstris & prodigiis, quæ apparuerunt in aliis partibus Galliæ; de Ludovico, qualiter gratiosè Regnum Francorum gubernabat.

HUjus autem Pontificis tempore quædam in pago Suessionis apparent mirabilia, quibus ex devotione gratiæ conferuntur, ut scribit Vincentius. Nam CIII. inveniuntur efficaciam invenisse in devotione, quam habebant ad Beatam Virginem, sed præcipuè tres puellæ, quæ incurvatæ erant, sanitati redduntur. Refert & quædam monstra incredibilia, quòd quædam muliercula partum habuerit gemini corporis, & quod adversis corporibus, seu vultibus apparebant. In Brabantia fuit quædam mulier, quæ quatuor filios masculos peperit. In Gemblacensi Parochia Provinciæ Galliæ, dum pater familias die Dominico mixturam segetum moli faceret pro usu familiæ, subitò injusta in indignatione Dei farina arsit cum putoris nigredine. Hoc etiam tempore Ludovicus Philippi filius, & quintus ab Hugone, gratiosè Franciæ Regnum gubernat; de quo multa virtuosa scribit Richardus, quòd fuerit vir mitis, & liberalis, & multùm Regnum suum dilatavit.

CAP.

CAP. XLI.

De bello, quod habuit Ludovicus cum Rege Anglorum; de morte Balduini Regis Hierusalem, & quis eidem successit in Regno; & de Principatu Antiocheno.

HAbuit tamen bellum cum Henrico Rege Anglorum, in quo & succubuit propter aliquorum suorum seditionem. Isto etiam tempore, ut scribit Richardus, Dominus Hildebertus claruit, qui primò Cenomanensis Episcopus, abinde Archiepiscopus Turonensis. Fuit autem in metrificando specialiter gratiosus. Hoc eodem tempore Balduinus Rex Hierusalem moritur, ut scribit Richardus, cui succedit Fulco Comes Andegavensis cum filia dicti Regis, quam in uxorem accepit, qui Quartus est Rex Hierusalem à tempore Gotfredi. Hic autem Balduinus quum ex certa caussa Antiochenum Principatum Regno Hierosolymitano adjunxisset post mortem magni Boamundi magni Principis Antiochiæ, de quo est dictum supra, filiam suam tradidit Boamundo filio dicti Boamundi antiquioris, & eidem nomine dotis dictum Principatum restituit. Sed dicto Boamundo juniori à Paganis sive Saracenis occiso, Raymundus frater Guillielmi Ducis Aquitanorum, qui filiam dicti Boamundi in uxorem acceperat, ut scribit Richardus, in Principatu Antiocheno succedit. Isti enim nobiles in Concilio Turonensi celebrato per Urbanum II. ut supra patet, fortè Crucem acceperant, & alios Principes, qui primò transfretaverant, subsequuti fuerunt.

CAP. XLII.

De multis Episcopis, & Abbatibus, qui isto tempore claruerunt; de quodam Arnoldo, qui Romæ prædicabat contra divitias Clericorum; & de quibusdam prodigiis, quæ apparuerunt in Italia.

HOc etiam tempore multi Episcopi, & etiam Abbates tam in Italia, quàm in Gallia claruerunt, ut tradunt Historiæ. Tunc etiam temporis scribit Cusentinus, quòd in Urbe fuit quidam prædicator Arnoldus nomine (utrum autem fuerit Clericus, Secularis, vel Monachus, an Eremita, non specificatur) qui prædicabat contra divitias, & superfluitates Clericorum, quem multi Optimates sequebantur, & contra Ecclesiam eidem favebant. Tandem ob odium Clericorum mala morte interiit. Hujus etiam Pontificis tempore Manuel, ut scribit Cusentinus, in Urbe Regia, hoc est in Constantinopoli, regnat. Hoc etiam tempore fames valida invadit totam Italiam. In Gallia verò fuit tanta siccitas, ut flumina, lacus, & fontes siccarentur. Ignis quoque per rimas terræ sic intraverat, quòd nec imbribus, nec frigore, nec alia quacumque arte extingui poterat, quin exiret aliqua (*) scintillatio. Interim Honorius in pace Romæ moritur, & in Ecclesia Sancti Joannis de Laterano, quæ & Constantiniana vocatur, honorificè sepelitur.

(*) *In Cod. Patav.* scintilla ignis

Explicit Liber Decimusnonus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER XX.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Innocentio II. & CLXXI. Pontifice, quomodo electus est in discordia, & prævaluit, & qualiter pugnavit contra Regem Siciliæ, quia favebat Petro Leonis; sed non bene eidem cessit.

ANno Domini MCXXXI. (*) & ab Urbe condita MDCCCXCVI. Innocentius II. natione Romanus ex patre Joanne de regione Transtiberina in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis XIII. mensibus VII. diebus VIII. & cessat diebus III. ut Martinus scribit. Hic perrexit contra Rogerium Regem Siculorum, & Ducem Apuliæ, eo quòd favisset Petro Leonis, qui se Papam faciebat, cùm tamen fuerit electus à minori parte; Innocentius autem à majori parte, & saniori. Sed non bene cessit ei, quia gens Rogerii prævaluit. Hic autem Petrus Leonis filius dicitur fuisse cujusdam Cardinalis; unde & cum potentia suorum parentum prævaluit in Urbe, quia etiam alii Romani eidem favebant Petro, corrupti pecunia ab ipso, quam habuerat de spoliis Ecclesiarum, quia de omnibus principalibus Ecclesiis Urbis thesaurum acceperat, & de Sancto Petro, unde accepit unum Crucifixum aureum cum coronis pendentibus, & totum thesaurum auri & argenti cum lapidibus pretiosis asportavit violenta manu; & simile in omnibus aliis Ecclesiis fecit. Sicque cum potentia parentum prævalebat in Urbe contra Innocentium, qui se recollegit cum majori & saniori parte Cardinalium in domibus Frangepanensium, quæ erant in Coliseo.

CAP. II.

Qualiter Innocentius in Franciam vadit, & Concilium ibidem celebrat, & contra Petrum Leonis sententiam renovat; & quomodo scripsit Lothario.

INnocentius autem, considerans potentiam Petri Leonis esse majorem, de Urbe recedit cum Cardinalibus sibi complicibus. Petrus autem Leonis in Civitate manet cum suis, seque ut Papam gerit, & ut Anacletus vocaretur jussit. Intrans igitur Innocentius mare cum tribus Galêis, transit in Galliam, damnata parte Petri Leonis cum ipso. Dictus autem Innocentius cùm pervenisset in Galliam, Rex Franciæ Ludovicus eum debito suscepit honore. Cùm autem esset in Francia, scripsit Lothario jam electo in Imperatorem, ut læsæ subveniret Ecclesiæ. Ille autem suos Legatos gratanter accipit, & suæ acquiescit petitioni, paratus obsequi juxta votum. Sed iterum Innocentius in Claromonte Concilium celebrat, & ibidem sententiam renovat contra Petrum Leonis, suosque sequaces. Ibique etiam constitutionem facit, quod si quis, suadente Diabolo, manus violentas in Clericum, Monachum, vel Conversum injiceret, sententiam excommunicationis incurrat, nec ab ea possit absolvi, nisi per Curiam Romanam, vel cui commiserit, quam habes 17. quæst. 4. cap. *Si quis, suadente.*

CAP. III.

Qualiter ad petitionem Regis, & Baronum Concilium celebrat apud Remis, & caussa ponitur; quomodo Lotharius venit in Italiam, & occurrit Innocentio redeunti Romam.

ANno autem quarto sui Pontificatus ad petitionem Regis & Baronum aliud celebrat Concilium Remis propter novitatem, quæ in Regno Franciæ contigerat illis diebus. Scribit autem Richardus, quòd Rex Francorum Ludovicus supranominatus duos filios habens, Philippum videlicet, & Ludovicum, Philippum tamquam primogenitum, eo stante infirmo, ante mortem coronavit; sed morte subita Parisiis moritur præcipitatus de equo, qui fuit secundus in isto nomine, XLI. à primo, XVII. à Pipino, & VI. ab Hugone. Quo defuncto, Ludovicum minorem natu in dicto Concilio Innocentius Papa coronavit in Regem, qui fuit VI. in isto nomine XLII. à primo XVIII. à Pipino, & VII. ab Hugone. Multaque alia sunt pertractata in dicto Concilio pertinentia ad pacificum statum Regni, ad quod quidem Innocentius conabatur propter beneficia sibi collata contra partem Petri Leonis. Iis habitis, Lotharius Rex Alamanniæ, & in Imperatorem electus, cum magno exercitu venit in Italiam, & cum Archiepiscopis & Episcopis occurrit Innocentio redeunti de Gallia in introitu Lombardiæ, ipsumque deducit honorificè usque Romam.

CAP. IV.

Qualiter veniens Lotharius Romam cum Innocentio, totam partem Petri Leonis exstirpat; & quomodo ipso coronato, cum suo exercitu contra Rogerium vadit, & prævalet, & de Januensibus, & Pisanis.

INtransque Urbem, totam partem Petri Leonis exstirpat & dictum Innocentium in Sede Petri collocat, Petro Leonis fugato. Tunc adveniente solennitate Paschatis in Ecclesia Lateranensi, ut scribit Martinus, Lotharius ab Innocentio in Imperatorem coronatur. Hic post suam coronationem, zelo Dei & fidei, tamquam verus Catholicus, & Ecclesiæ Advocatus, vires Imperii denuo excitavit, & contra Rogerium Regem quæstionem movet & guerram. Unde congregato exercitu, unà cum Papa Innocentio Apuliam potenter intravit, ut scribit Martinus, & fugato dicto Rogerio in Siciliam, Ducatum Apu-

(*) In Cod. Patav. Anno Domini MCXXVIII. & ab U. C. MDCCCLXXXV.

Apuliæ sibi afferunt, & Comiti Raynoni tradunt. Huic victoriæ Pisani & Januenses magnum præbuerunt auxilium: propter quam caussam dictus Innocentius ipsorum nimiùm dignificavit Ecclesias, quia Ecclesiam Januensem, quæ erat Episcopalis, fecit Metropolitanam, quæ erat priùs suffraganea Archiepiscopo Mediolanensi. Sic & de Pisana hoc idem factum est, & super hoc fecit ipsum Primatem in Sardinia.

CAP. V.

Quomodo Papa, & Imperator post victoriam redierunt in propria; & qualiter post reditum ipsorum Romani novitatem faciunt super Senatu, contradicentes Papæ, & Lothario in Germania existenti.

DIcti autem Domini, fugato Rogerio Siculo in Sicilia, ad propria redeunt, Papa quidem Romam, ubi celebrato solenni Concilio, post aliquod tempus moritur, & in Ecclesia Lateranensi honorificè sepelitur in concha porphyretica miro opere sculpta. Scribit autem Martinus de ipso, quòd totam illam renovavit Ecclesiam, & alias restauravit à spoliis Petri Leonis, qui in exilio mala morte interiit secundùm merita vitæ suæ. Sed & Lotharius versùs Theutoniam vadit, ibique parum supervivens, moritur, plenus fide & devotione ad Romanam Ecclesiam, ut Martinus scribit. Supervixit autem Innocentius Lothario. Scribunt autem Martinus, & Cusentinus, quòd post recessum Lotharii in Theutoniam, Romani novitatem faciunt circa statum Senatus, Innocentio Papa in contrarium renitente; cui facto Lotharius subvenire non poterat, tum quia pugnans contra Bohemos, quorundam Principum suorum proditione magnam stragem suorum militum est passus, tum quia ad modicum tempus de medio sublatus est.

CAP. VI.

De Philosophis, & Doctoribus, qui isto tempore floruerunt; de morte Henrici Regis Anglorum, & qualiter Stephanus Regnum cum fraude subripuit filiæ dicti Regis.

ISTius autem Pontificis tempore floruit Gilibertus Porretanus, ut Historiæ communiter tradunt, dictus Universalis, quia in qualibet scientia videbatur peritus, de Britannia natus, ut scribit Richardus, sed postea Episcopus factus est Laudunensis, in quo statu parvo tempore vixit. Hujus Pontificis tempore Henricus Rex Anglorum, hoc est anno Domini (a) MCXXXVIII. ut idem Auctor scribit, Princeps famosissimus moritur cum dolore & planctu maximo sui populi, cui succedit Stephanus nepos ejus quadam violentia contra filiam dicti Henrici, cui debebatur Regnum, quæ Comitis Andegavensis uxor erat. Huic Comiti filius erat nomine Henricus ex filia Regis Angliæ natus, juvenis strenuus in armis, & in moribus gratiosus. Hujus etiam Pontificis tempore Luna passa est Eclipsim, anno videlicet (b) Domini MCXLII. & hoc in mense Aprilis die XV. circa principium noctis, colorem cinericium habens. Hujus etiam tempore Albericus Remensis in Gallia Philosophus claret, Porretani discipulus, sed doctrina non impar, qui processu temporis fama scientiæ florens, ut Richardus scribit, provectusque in Archiepiscopum Bituricensem assumitur; modico tamen ibidem spatio temporis, ut magister suus, vixit. Iis etiam diebus Magistri multi claruerunt in Gallia, ut Auctor idem narrat. Hugo de Sancto Victore superiùs nominatus Parisiis diem clausit extremum, qui circa tempora mortis suæ ad petitionem Ludovici Regis Francorum Hierarchiam Beati Dionysii luculento explanavit sermone, ut Vincentius scribit.

CAP. VII.

De Cœlestino II. & CLXXII. Pontifice; quomodo circa ista tempora Civitas Edessena capta fuit à Saracenis per Regem Alaph, & de malis, quæ intulit Christianis.

ANno (c) Domini MCXLIV., & ab Urbe condita MDCCCCX. Cœlestinus Secundus natione Tuscus de Castro Felicitatis in Summum assumitur Pontificem. Sedit autem mensibus V. diebus XIII. & cessat diebus XIV. De isto autem Pontifice pauca inveniuntur, nisi quantum infra dicetur, quia in Papatu modicùm vixit; sed quòd vitam suam pacificam deduxit, & quòd mortuus in Ecclesia Lateranensi sepelitur. Sed circa tempora ipsius Historiæ tradunt, Regem Alaph de genere Turchorum expugnasse Civitatem Edessam, quæ in Sacra Scriptura Arath nominatur, quæ regio est in Mesopotamia, ut patet Genesis X. Ipsàque captâ, ut scribit Richardus, omnes Francos, quos ibidem invenit, aut morte, aut servitute damnavit; Archiepiscopum verò Civitatis cum toto Clero, quia Christum abnegare noluit, decollari mandavit. Et sic Civitas, quæ ab Abagaro Rege ejusdem orthodoxo decorata fuit, cui Christus ante suam Passionem Epistolam direxit, ut in Ecclesiastica Historia Lib. I. traditur, tunc primùm à gentibus profanatur. Ex hac autem caussa Christianitas multùm est debilitata in partibus Orientis: propter quam caussam meritò prædicatur Crux ad subveniendum Terræ Sanctæ.

CAP. VIII.

De tempore, quo fuerunt in prosperitate Christiani ultra mare à tempore Gotfredi usque ad tempora istius Principis, de quo modò agitur.

FUerunt autem in prosperitate Principum Francorum facta à MC. sub Paschali II. usque ad tempora ista, & sub quatuor Regibus in Hierusalem, de quibus dictum est supra, cui quarto Regi, videlicet Fulconi Comiti Andegavensi, tale accidit infortunium, quia dum leprem insequitur, equo præcipitatus moritur. Post quem Balduinus filius Regis in Regem Hierosolymitanum assumitur, ut Richardus scribit.

CAP.

(a) *In Cod. Patav.* Anno Domini MCXXXVII.
(b) *In Cod. Patav.* Domini MCXLI.

(c) *In Cod. Patav.* Anno Domini MCXLI. & ab U. C. MDCCCCLXXXVI.

CAP. IX.

De Rogerio Rege Siciliæ, qualiter reconciliatus Ecclesiæ vadit contra Saracenos, & de matrimonio, quod Rex Ludovicus contraxit cum filia Ducis Aquitaniæ.

HOc etiam tempore tradunt aliquæ Historiæ, quòd Rege Rogerio reconciliato Ecclesiæ sive per Innocentium II., sive per Cœlestinum præsentem, ac restituto eidem Ducatu Apuliæ, exercitum navalem congregat, & vadit contra Saracenos in Africam, & Regem Tunicii tributarium facit: quod tributum Rex Guillielmus postea renovavit; & etiam modernis temporibus Rex Carolus jure petebat: quod & habuisset, si non fuisset passus jacturam. Hoc etiam tempore, vel circa Ludovicus junior Rex Francorum, qui fuit VI. ab Hugone, de mandato patris uxorem accepit apud Burdegalam Dominam Helionoram filiam Guillielmi Ducis Aquitanorum, qui antea mortuus fuerat apud Sanctum Jacobum in peregrinatione: & hæc unica erat patris, & sic heres erat Ducatus, & inde dictus Rex Dux Aquitaniæ est appellatus, ut scribit Richardus.

CAP. X.

De Lucio II. & CLXXIII. Pontifice, de quo pauca dicuntur, quia parum vixit; suo tamen tempore dicitur floruisse Petrus Abailardus in Gallia, contra cujus doctrinam insurrexerunt Episcopi & Abbates.

ANno Domini MCXLV., & ab Urbe condita MDCCCCX. Lucius II. natione Bononiensis ex patre Alberto in Cathedra Petri locatur. Sedit autem mensibus XI. diebus IV. & cessat diebus XII. Hic autem Presbyter Cardinalis Sanctæ Crucis in Hierusalem, totam illam Ecclesiam à fundamentis renovavit, & claustrum cum ea, ut Martinus scribit. De hoc etiam Pontifice pauca dicuntur, quia parum sedit; in pace tamen eo tempore, quo vixit, quievit; moritur, & in Ecclesia Lateranensi sepelitur. Hujus tempore floruit in Gallia Petrus dictus Abailardus, ut Richardus scribit. Hic Philosophus Peripateticus, & Doctor famosissimus in Gallia quædam opuscula scripsit quadam subtilitate tradita, ex quibus quia quædam dixit, quæ consona fidei non videbantur, ut scribit Vincentius, præsente Rege Ludovico, congregatio facta est Episcoporum, & Abbatum Religiosorum contra ipsum, suamque improbant doctrinam: propter quod coactus est revocare. Et tunc, ut Historiæ referunt, factus est Monachus Cluniacensis, qui ante Abbas, ut Richardus scribit, alicujus Religionis erat.

CAP. II.

Qualiter dictus Philosophus quemdam sibi locum elegerat ad philosophandum cum suis discipulis; quomodo factus est Monachus, & quare; quomodo Beatus Bernardus Crucem prædicat; de Conrado electo in Imperatorem.

REfert etiam, quòd cum suis discipulis sibi quemdam locum super Sequanam habere voluit circa quoddam Monasterium, quod ipse A construxerat, & Paraclitus appellabatur, ubi & Moniales esse instituit, & adhuc hodie perseverant. Sed ipse propter dictam calumniam suorum operum factus est Cluniacensis Monachus, & apud Cabilionem vitam finivit, & in Basilica Sancti Marcelli Martyris sepelitur. Quod ægrè ferentes sui discipuli, ad aliquos dies corpus ejus furtim accipiunt, & ad dictum Monasterium est translatum, ut idem scribit Richardus. Eodem etiam tempore post illa ludibria facta per Turcos in Edessa Civitate, Sanctus Bernardus in Gallia Crucem prædicat. Conradus, qui in Imperatorem à Principibus assumitur post mortem Lotharii, Crucem accepit cum multitudine Germanorum, jungitque se Baroni- B bus Galliæ ad transfretandum, ut scribit Martinus. Quis autem fuerit iste Conradus, Vincentius tradit, & etiam aliæ Historiæ, quia nepos Henrici, & ex sorore natus; sed de qua parte Germaniæ, non est bene clarum per Historias notas. Quædam tamen Chronica Germanorum asserit, ipsum fuisse Suevum.

CAP. XII.

Quæritur, quis fuit iste Conradus, & solvitur; & quomodo ivit ultra mare cum Gallicis, de iis, quæ fecit Comes Andegavensis contra Stephanum, & de multis aliis.

C

HIc autem fuit Conradus II. respectu Imperatorum, sed III. quantùm ad Reges. Dicitur autem secundus Imperator isto nomine, quamvis non fuerit coronatus: cujus ratio est, quia postposita sua coronatione, pro Cruce Domini se morti exposuit, & hoc faciens, obiit, & fuit VII. Imperator per electionem. Transit igitur cum suis Germanis, & Gallicis; ipsorumque passagium prosperatur, quia tunc fuit capta Ascalona Civitas Philistæa, & Hierosolymitano Regno adjuncta, dicto Rege Balduino regnante. Dictus autem Conradus de ultra mare rediens in Germaniam, infirmatus moritur, & sinè benedictione Imperiali, ut scribit Marti- D nus. Unde tres fuerunt Conradi Reges Germaniæ, sed unus solus Imperator: quod intelligas eo modo, quo dictum est supra. Circa etiam hæc tempora Gaufredus Comes Andegavensis, ut scribit Richardus, contra Stephanum Regem Angliæ bellum movet, & Ducatum Normandiæ eidem abstulit, favente Ludovico Rege Francorum. Caussa autem istius belli moti supra est tacta, quia filiam Regis Angliæ habebat in uxorem, cui debebatur Regnum de jure. Eodem tempore Alexius II. in Constantinopoli imperat, ut scribit Cusentinus, cujus tempore transeuntes Gallici, & Germani in sui Imperii principio, ut Historiæ referunt, Græci ministraverunt panem factum ex farina cum calce, E ex quo multi de exercitu perierunt, ut Martinus scribit, & Richardus. Propter quam caussam Deus punivit ipsum, quia suum genus exstirpatum est, & ipse mala morte interiit, cui succedit Andronicus. Nihilominus tamen exercitus transiit, & in bellis Deus ipsis administravit virtutem, ut dictum est supra de Ascalona.

CAP.

CAP. XIII.

De Eugenio III. & CLXXIV. Pontifice qualiter assumtus est, & quis fuit, & quomodo se transtulit ad Monasterium Farfense, & quare.

ANno igitur Domini MCXLVI. & ab Urbe condita MDCCCCXI. Eugenius III. in Cathedra Petri locatur. Hic natione Pisanus, & Ordinis Cisterciensis, Abbas Sancti Anastasii extra Urbem fuit. Sedit autem annis VIII. mensibus IV. diebus IX. & cessat diebus VI. Hic ex insperato, dum Cardinales essent inclusi in Ecclesia Sancti Cæsarii de Urbe ad electionem Pontificis, nec bene concordarent, videntes istum Abbatem reverendæ senectutis, & ex fama sanctæ vitæ cognoscentes ipsum, in eum quasi communi inspiratione dirigunt vota sua. Sicque ipsum in Summum assumunt Pontificem. In sede igitur constitutus, refert Martinus, quòd propter metum Senatorum, qui contra voluntatem sui Prædecessoris fuerant electi à Populo, ad Farfense Monasterium se transtulit, ibique vocatis Cardinalibus, & Prælatis, munus consecrationis accepit. Hic Papa, ut scribit Vincentius, Beati Bernardi Clarævallis Abbatis in conversatione filius erat, quem Deus, quia simplex, & purus erat, ac rectus, mirabilem ostendit, perfusum gratia in facundia & sermone.

CAP. XIV.

Qualiter rediit ad Urbem, & postea se in Franciam transtulit; & caussa ponitur, qualiter ibidem Concilium celebrat, Crucemque prædicari mandavit contra Saracenos.

HUic redeunti ad Urbem, scribit Martinus, quòd Clerus, & populus Romanus occurrit cum lætitia cantans: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Vincentius tamen dicit, quòd postea Romani Jordanum Patritium, & Senatores provocant contra ipsum; unde coactus est se in Franciam transferre. Martinus autem dicit, quòd ivit ad dictam regionem vocatus à Ludovico ad prædicandam Crucem: quod utrumque esse potuit, quia Rex audiens ipsum non esse pacificum cum Romanis, scripsit eidem ex dicta caussa, sicut Princeps devotus Ecclesiæ, & pro Fide Catholica fervidus propugnator: ad quod quidem commotus fuit & instigatus ex parte Beati Bernardi. Veniens igitur Papa Eugenius in Galliam, à Ludovico gratiose suscipitur, & ad petitionem Regis Summus Pontifex Concilium celebrat Remis, ibique denuntiatur quod actum est in Edessa Civitate, qualiter super aram Beati Joannis Baptistæ speciosissimæ matronæ maculatæ sunt: unde in dicto Concilio Eugenius per Beatum Bernardum Crucem prædicat, Crucemque Rex Ludovicus assumit, suique Principes cum ipso & multitudine populi.

CAP. XV.

Qualiter Ludovicus cum multitudine Gallicorum transfretat; Fredericus autem dictus Barbarossa nondum electus vadit ultra mare, & multa passi sunt in via.

ANno igitur Domini MCXLVII., ut scribit Richardus, Rex Ludovicus, congregata manu Francorum, Aquitanorum, & Burgundionum, nec non & Theutonicorum cum Rege Frederico I. dicto Barbarossa, alii per Alamaniam, & Pannoniam euntes, alii per Provinciam cum Comite Sancti Ægidii, & Comite Engolismensi per Italiam transeunt, & Constantinopolim veniunt; inde transeuntes, intrant Armeniam. Sed ibidem eis non accidit, ut sperabant, quia major pars populi aut est captivata, aut occisa, aut plagis impositis fugit; sed Principes evaserunt cum sibi annexis, populo & multitudine onus portante. Venientes autem per mare Antiochiam, ibidemque refocillati, post paucos dies Hierosolymam perveniunt. Visitatis igitur locis sanctis, multi ex eis, transito mari, ad propria redierunt propter sumtuum defectum, inter quos Rex Fredericus cum sua gente Theutonica, qui maximè in Armenia passus est. Rex tamen Ludovicus cum sua Uxore Helionora Ducissa Aquitaniæ Hierosolymis remansit caussa orationis solito more peregrinorum, ut Richardus scribit. Et attende hic, quia hoc refert Richardus de Frederico, quod esse non potest, nisi fortè hoc fuisset in principio suæ electionis in Regem Alamanniæ, vel nondum electus, quia constat ipsum fuisse coronatum ab Hadriano, qui est III. ab Eugenio, ut jam patebit.

CAP. XVI.

Qualiter Ludovicus cum sua gente, & militibus Templi vadit contra Damascum; non tamen eidem bene cessit; & inde rediens in Galliam, Uxorem suam repudiat.

SEd redeundum ad gesta Terræ Sanctæ, quia post recessum Frederici Regis Germanorum, & multorum aliorum, Rex Ludovicus, coadunato Francorum exercitu, cum populo Hierosolymitano, & militibus Templi Damascum aggreditur; sed à Damascenis repulsam patitur. Sicque versùs Hierusalem revertitur cum damno suorum. Videns igitur prædictus Rex suum adventum non fuisse felicem nec in veniendo, nec in stando, cum paucis suorum relictâ Palæstinâ, Parisium rediit non sinè magna desolatione Terræ Sanctæ. Ad modicum verò tempus, quamvis dictus Princeps vir fuerit virtuosus, in hoc tamen maculam incurrit, ut Richardus refert, quia Uxorem suam Helionoram repudiavit, conjunctâ sibi filiâ Anfus Imperatoris Hispaniæ, sive Regis. Sed in hoc excusant ipsum Historiæ, quòd de consilio & assensu Eugenii Papæ, & Beati Bernardi, & Gotfredi Episcopi Lingonensis id fecit: fortè aliquo impedimento, propter quod sua Conjux esse non poterat.

CAP. XVII.

De Richardo de Sancto Victore, qui isto tempore floruit, qualia scripsit, qualiter Eugenius redit in Italiam, de Balduino V. Rege Hierusalem; de Joanne de temporibus dicto, & de multis aliis.

Circa ista tempora floret Richardus de Sancto Victore sic dictus, quia ibi fuit Canonicus Regularis. Hic Doctor multa opera in Theologica Doctrina nobis reliquit, & tradidit, sed præcipuè Librum de Trinitate composuit, in Doctrina clarum, & veritate sermonis. Scripsit ad populum, & in dedicatione Ecclesiæ quantum ad partes ipsius mysticas, & de domo Dei pulchram adaptationem fecit. Eodem tempore Joannes Damascenus de Græco in Latinum fertur esse translatus. Anno Domini MCLII. Eugenius Papa redit in Italiam, venitque Romam, ubi & honorificè susceptus est. Anno autem MLIV., ut scribit Richardus, Eugenius Romæ moritur sepultus in Ecclesia Beati Petri. Quo tempore Balduinus V. Rex Hierusalem successit patri, ut supra patet, etiam adultus cum militia Templi, & aliis Christianis vadit Ascalonam, ipsam fortificat contra Saracenos, & Regno Hierosolymitano conjungit. Circa ista tempora tradunt Historiæ fuisse Joannem de Temporibus dictum, quia multo tempore vixit, qui fuit armiger Caroli Magni, & vixit usque ad tempora ista, quod fuit spatium CCCLXII. annorum, & hoc tempore moritur. Martinus tamen dicit hoc tempus completum in MCXXXIX. Hujus Papæ Eugenii tempore, ut scribit Martinus, in Theutonia fuit Hilgardis formosissima Monialis, sed sanctissimæ vitæ, quæ in Binguia requiescit. Istius etiam tempore fames valida invadit Italiam, & ad Galliam transit. Istius etiam Papæ tempore multiplicata sunt Monasteria Ordinis Cisterciensis, in quibus Abbates clarissimæ vitæ in diversis partibus floruerunt.

CAP. XVIII.

De Anastasio III. & CLXXV. Pontifice, & virtuosis operibus ejus; de morte Regis Stephani, & qualiter Henricus occupavit Regnum, quia sibi debebatur de jure.

Anno Domini MCLIV. & ab Urbe condita MDCCCCXX. Anastasius III. natione Romanus, & ex patre Benedicto in Summum Pontificem assumitur. Sedit anno I. mensibus IV. diebus XXIV. & cessat diebus IX. Hic autem, ut scribit Martinus, dedit Ecclesiæ Lateranensi calicem pulchri operis ponderantem marchas IX. & plura alia fecit ibidem. Hic etiam fabricavit apud Sanctam Mariam Rotundam novum palatium, & multa alia fecit in Ecclesia gratiosa. Pauca autem supra hoc de isto Historiæ referunt, nisi quòd in pace quievit, sepultus in concha prophyretica in Ecclesia Lateranensi. Istius autem Pontificis tempore moritur Rex Stephanus sinè herede, qui Regnum usurpaverat Angliæ, ut supra est dictum. Henricus autem filius Gaufredi Comitis Andegavensis, cujus mater filia fuerat Regis Angliæ, cui de jure debebatur Regnum prædictum, ex fama suæ probitatis à Baronibus requiritur, ut transeat in Angliam, quia eidem debebatur de jure præfatum Regnum.

CAP. XIX.

De potentia Henrici ex triplici parte, videlicet ratione Regni, ratione Matris, & ratione Uxoris; & de actibus ipsius virtuosis, & de Ansus Rege Hispaniæ.

Hic autem ex se circa mare potentissimus erat, quia ratione ipsius, ut scribit Richardus, Comes Andegavensis erat, Turonensis, & Cenomanensis. Ratione autem Uxoris, videlicet Helionoræ, quam acceperat, quæ conjux fuerat Regis Francorum Ludovici minoris, quam habuerat annis XV. dictus Henricus vocabatur Pictavus, Xanctonus, Lemovicus, Vasconus, & Aquitanus. Ratione autem Matris appellatur Anglicus, & Normannus. Sed ob reverentiam Regalis nominis, ut narrat idem Richardus, postquam in Angliam transiit, & in Regem coronatus est, solum nomen Regni sibi retinuit, & Rex Angliæ ulteriùs nominatur. Hic autem Princeps nobilissimus fuit, cujus probitates Richardus tradit, & in sequenti Pontifice aliquid dicetur. Hoc eodem tempore ex insperato moritur Ansus Rex Hispaniæ rediens ab expeditione Saracenorum, de quibus magnam fuerat victoriam consequutus, cui Sancius succedit filius ejus; quo mortuo, ut idem Richardus scribit, Fernandus frater ejus minor natu Regnum adeptus est.

CAP. XX.

De Hadriano IV. & CLXXVI. Pontifice, & actibus ipsius virtuosis; & qualiter contra Urbem processum facit, & quare; quomodo excommunicavit Regem Siciliæ, & quare; item de Frederico Imperatore.

Anno Domini MCLV. & ab Urbe condita MDCCCCXXI. Hadrianus IV. natione Anglicus in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis IV. mensibus IX. diebus XXVIII. & cessat diebus XX. Hic primùm Episcopus Albanensis in legatione Norvegiam missus est pro verbi Dei prædicatione, fuitque fructuosa, quia totam illam Provinciam convertit ad Fidem, ac in lege divina diligenter instruxit. Post reditum autem, ut Martinus scribit, defuncto Anastasio, in Papam eligitur. Hic propter vulnerationem unius Cardinalis totam Urbem usque ad condignam satisfactionem supposuit Ecclesiastico interdicto. Hic etiam Guillielmum Regem Siciliæ tamquam sibi rebellem excommunicavit; qui post absolutus, homagium Domino Papæ faciens, terram ab ipso sub juramento fidelitatis suscepit. Hoc tempore Fredericus I. dictus Barbarossa, nepos Conradi, de domo & Ducatu Sueviæ originem trahens, ut gesta Germanorum & Francorum tradunt, & ipse Vincentius Belluacensis, natus in castro nobilissimo, quod Scopha vocatur, quod in altitudine quasi æthera tangit, quod etiam & populosa multitudine gaudet, versùs Romam venit ad Hadrianum pro corona Imperii. Electus tamen fuerat in Regem Alemanniæ, & in Imperatorem coronandum tempore Eugenii Papæ, ut supra patet; qui regnavit, & imperavit annis XXXVII. Hic autem fuit VIII. Imperator per electionem.

CAP.

CAP. XXI.

De actibus virtuosis Frederici, & qualiter coronatur ab Hadriano; de turbatione exorta inter Romanos, & familiam Imperatoris; qualiter Hadrianus primò transtulit Curiam in aliam Civitatem, & de Castro Radicophano.

Hunc referunt Historiæ multùm fuisse civilem, largum, strenuum, facundum, & in omnibus suis actibus gloriosum. Anno autem Domini MCLVIII. ut scribit Martinus, & alii Historiæ Scriptores, Fredericus cum magno gaudio coronatur ab Hadriano præsente Pontifice. Fuitque Fredericus cum Hadriano multa familiaritate conjunctus. Post coronationem autem cùm familia Imperatoris esset in prato Neronis in quadam recreatione, ut moris est temporibus festivis, & post solennitates exhibitas, refert Martinus, quòd Romani armata manu familiam Imperatoris in Porta Sancti Angeli crudeliter invaserunt, ipsos usque ad tentorium persequendo Imperatoris. Sed invalescente clamore, Theutonici congregati sunt, & crudeliter Romanos repellunt, multis ex eis prostratis & interfectis, nec non & captivatis, sed ad preces dicti Pontificis facta est pax; sic & detenti, & capti sunt restituti. Hic Pontifex, ut Martinus scribit, dicitur primus fuisse, qui Curiam in aliam Civitatem transtulit; unde & in Urbem-veterem iterum vadens, ibidem moram contraxit. Hic in Castro de Radicophano, quod est altissimum in Tuscia, quasi nubes tangens, gyrum murorum fecit, & ipsum turribus munivit; & pertinet ad patrimonium Beati Petri; quod Castrum Ecclesiæ reliquit Comitissa Matilda, de qua dictum est supra, quòd fuit tempore Alexandri II. & Gregorii VII.

CAP. XXII.

De quibusdam aliis actibus ejus bonis, qualiter Sol obscuratus est suo tempore, & quis effectus sequutus est; de quibusdam novitatibus, quas Fredericus fecit.

Hic etiam multas possessiones circa locum Sanctæ Christinæ, ut idem Martinus scribit, à Comitibus pro Romana Ecclesia comparavit. Hic Papa, ut quædam tradunt Historiæ, prohibuit (*) Civitati Perusiæ, ne cuderet monetam Lucanam, quia ipsa sola currebat ibidem, ut infra patebit, unde ut soli Cives Lucanenses haberent lucrum, fecit prohibitionem prædictam. In pace (**) autem moritur, & in Basilica Beati Petri juxta sepulcrum Eugenii Papæ honorificè sepelitur Anno Domini MCLVIII. ut scribit Richardus. Hujus tempore Sol dicitur obscuratus ante horam nonam, & diu duravit; post quam Eclipsim, ut scribit Martinus, captum est sepulcrum Domini à Soldano Babyloniæ. Et eodem anno fames valida invasit Urbem, ita ut rublum frumenti valeret XX. solidos Perusinorum, quod numquam est auditum ibidem, & fuit anno MCLVIII. Istius etiam Pontificis tempore Fredericus Tiburtum veniens, & inveniens ipsam dissipatam per Romanos, jussit eam restaurari in favorem Ecclesiæ. Veniens

(*) *In Cod. Patav.* Civitatibus Tusciæ ne cuderent.

A autem Spoletum, & ipsam inveniens rebellem Ecclesiæ, destruxit eam: unde tunc temporis ad omnia studuit favere Ecclesiæ, in vita videlicet Hadriani.

CAP. XXIII.

De Richardo Monacho magno Historiæ Scriptore, qui isto tempore claruit; de actibus strenuis Henrici, quos isto tempore exercuit, & de aliquibus actibus Frederici Imperatoris.

Hujus etiam tempore floret Richardus Monachus Cluniacensis, sed origine Pictaviensis, magnus Historiæ Scriptor. Fecit Chronicam ab Adam usque ad tempora Frederici jam dicti, de omnibus quasi Principibus Mundi tradens, & cursus temporis requirit. Isto tempore etiam, ut scribit idem Richardus, Rex Angliæ Henricus jam dictus vênit in Aquitaniam, intrat possessionem Ducatus, & inveniens Lemovicis habitatores Sancti Martialis quosdam muros fecisse ad sui gloriam, & in præjudicium Civium, hos omnes devastari mandavit. Inde vadens Burdegalam, & advocans illuc omnes Barones Vasconiæ, eisdem pacem indicit; inde rediens in Angliam, parvo tempore Galliam aggreditur, ferroque & armis ipsam sibi substernit, & tributariam facit, ut idem Richardus refert. Multa etiam tradit de dicto Henrico laudabilia; qualiter totam Aquitaniam, & Vasconiam cum summa justitia gubernando sic tenuit, ut ex summa pace conflarent gladios in vomeres, nec esset ausus ulteriùs aliquis movere bellum, raptorum cessaret rapacitas, & dentes luporum hebetati essent, ut Richardus refert. Congregat autem Barones sui Ducatus cum numerosa populi multitudine circa Civitatem Agenensem ad obsidionem Civitatis Tholosanæ, quasi dicta Civitas pertineret ad eum ratione suæ conjugis, quia de Ducatu Aquitaniæ videbatur, & Tholosanos saltus occupat cum suo exercitu copioso. Sed Rex Ludovicus Francorum Princeps partem Tholosanam defendit; sicque Rex Anglorum suum non potuit intentum prosequi, ut præfatæ Historiæ tradunt. Anno Domini MCLIX. Fredericus Lucam veniens, & ibidem reperiens in Ecclesia S. Martini, quæ major est Ecclesia, Beatam Regalem sepultam, quæ fuit de genere Caroli Magni, & mulier virtutis, & magni meriti apud Deum fuit, ob reverentiam dictæ Dominæ præfatam Ecclesiam magnis dotavit privilegiis, & ipsam sub sua protectione recepit.

CAP. XXIV.

De Alexandro III. & CLXXVII. Pontifice, qualiter magnam discordiam habuit cum Frederico Primo; & caussa ponitur, propter quam in Galliam se transfert.

Anno Domini MCLIX. in mense Novembri, & sic sunt parum minùs 60. quia nonnisi duobus mensibus minùs, si bene attendis ad numerum mensium, & annorum; item ab Urbe condita MDCCCCXXVI. Alexander III. patriâ Senensis, & ex patre Ranutio, in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis XXI. mensibus IX. diebus XIII. & cessat diebus XIV. Hic cum Fre-

(**) *Ibidem* in Urbe.

Frederico Imperatore magnam discordiam habuit, ut omnes Historiæ referunt. Caussam autem non exprimunt; sed esse potuit nimia duritia, & rigidum regimen super Longobardos, & Tuscos: super quo facto ipsum reprehendit, & ipse jam conceperat odium contra Longobardos, & Tuscos. Et quia volebat sævitiam Imperatoris super prædictas gentes restringere, inde est exorta turbatio, & in tantum crevit, quòd coactus est Alexander Italiam relinquere, & vênit in Franciam, qui à Ludovico VI. Rege Francorum honorificè est receptus, fuitque in dicto Regno annis XVI. aliæque Historiæ dicunt, quòd XVIII.

CAP. XXV.

De malis, quæ exorta sunt de ista discordia, & de quatuor Schismaticis, qui se pro Papa gesserunt; & qualiter Fredericus venit contra Regem Franciæ, sed non bene eidem cessit.

IN isto autem medio multa sunt mala exorta in Italia, quia schisma non fuit modicum in Ecclesia generatum. Quatuor enim tunc fuerunt Antipapæ in Italia, Alexandro existente in Gallia, quibus Fredericus favebat in despectum Alexandri; qui ad invicem sibi successerunt unus post alium, eo tempore, quo perseveravit discordia inter Fredericum, & Alexandrum: quod fuit spatium XVI. vel XVIII. annorum, ut est dictum. Primus fuit Octavianus; secundus fuit Guido Cremensis; tertius fuit Joannes Firmensis; quartus autem fuit Lando, de quibus scripsit Martinus, quòd fuerunt tres ex eis Presbyteri Cardinales. Primus fecit se vocari Victorem; secundus Paschalem; tertius Callistum; quartus Innocentium; quos omnes tamquam schismaticos damnavit Alexander, ipso in Francia existente. Dictus verò Pontifex Fredericum eisdem faventem gravi innodavit anathemate: propter quam caussam Fredericus magnum exercitum congregat contra Regem Francorum, quia Alexandrum in suo Regno susceperat, eidemque favebat. Habuitque in sua comitiva Regem Daciæ, & Regem Bohemiæ cum suo populo, ut Martinus refert, ac Regnum Franciæ conabatur extinguere. Jamque in Burgundiam venerat; sed Rex Franciæ cum subsidio Regis Angliæ ei obviam vadit; sicque factum est, quòd sive propter defectum victualium, sive propter epidemiam exercitus, sive quocumque titulo, è bello cum Rege Francorum confusibiliter recedit.

CAP. XXVI.

Qualiter Fredericus de Francia rediens, vadit in Lombardiam, ipsamque vexat; Mediolanum obsidet, ipsum capit, & contra alias Civitates similiter; & de translatione corporum Magorum in Theutoniam.

VEniens autem in Lombardiam, ipsam vexat, & in obsidione Lombardorum quinquennio & ampliùs laborat, ut Richardus scribit. Sed præcipuè Mediolanum aggreditur, & obsidet adjurans inde non recedere, quousque suæ non subjiciat ditioni. Obsessa igitur Civitate duobus annis cum dimidio, ipsam capit, ut communiter Historiæ tradunt, eamque destruit, & terræ adæquat: quod factum est anno Domini MCLXII. Inde processit contra alias Civitates, devastando regiones præter Papiam, quæ ei sola obediens erat. Alexander autem in Francia existens, Schismaticos illos damnat, qui in Italia pro Papa se successivè gerebant, Frederico favente: quod schisma duravit toto tempore, quo Alexander in Francia moram traxit, unde unus alteri succedebat; & ultimò omnes, ut Historiæ tradunt, mala morte perierunt. Modum autem mortis Auctores Historiæ non ponunt; sed ille æstimandus est, quem cursus naturæ non habet. Eodem tempore, quo Mediolanensis Civitas fuit destructa per Fredericum, Corpora Magorum, quæ fuerunt Mediolanum per Sanctum Eustorgium de Constantinopoli miraculosè translata, Rodulpho Archiepiscopo Coloniensi, ut scribit Martinus, per Imperatorem fuerunt concessa, quæ dictus Archiepiscopus fecit in Coloniam transportari cum reverentia, & ibi sunt hodie.

CAP. XXVII.

Qualiter multa Collegia Clericorum sunt abjecta propter istud schisma; de magnis terræmotibus, qui fuerunt in diversis partibus, de Magistro Petro sententiarum, qui isto tempore floruit.

EOdem tempore, ut Historici referunt, sed præcipuè Martinus, propter prædicta schismata multa Collegia Clericorum, & Monachorum, quia non consentiebant dictis Antipapis, de suis locis fuerunt abjecta; unde tunc abjectus est conventus Sancti Anastasii de Urbe, Abbas Sancti Pauli, & multi alii. Eodem etiam tempore, ut communiter Historici tradunt, sed præcipuè Martinus, & Cusentinus, maximi terræmotus fuerunt per loca diversa, anno videlicet MCLXVI. qui durarunt per multa tempora; in quibus terræmotibus quasi tota Syria est concussa, & in domibus & in aliis ædificiis multùm ruit, videlicet Antiochia, Tripolis, & Damascus; & sic de multis aliis Civitatibus, & Castris, quæ ruinam passa sunt. In Sicilia, referunt iidem Auctores, quòd in Civitate Cathanensi fuit tanta ex terræmotibus concussio, quòd tota quasi Civitas ruit, & ex illis ruinis plusquam X. millia hominum perierunt. His temporibus, ut tradit Vincentius, floret Magister Petrus Lombardus, de Novaria trahens originem. Hic Doctor egregius Scholam Parisiensem doctrina Theologica decoravit. Scripsit Librum Sententiarum per quatuor libros distinguens secundùm materias. In hoc imitatus Damascenum, qui primus apud Græcos eodem ordine sacram doctrinam contexuit. Hic etiam commentatus est Psalterium, & Epistolas Pauli, quos omnes libros Sanctorum auctoritatibus communivit, flores Sacrorum Doctorum interserens in eisdem.

CAP. XXVIII.

De Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo egregio Doctore, qui istius Pontificis tempore in Anglia florebat, cui successit Beatus Thomas, de quo magna dicuntur circa suum martyrium.

HOc etiam tempore florebat in Anglia Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus egregius Doctor, & laudabilis vitæ, cui successit Bea-

Beatus Thomas assumtus de Regis Cancellaria, in qua ipsum posuerat Theobaldus prædictus. Hic pro zelo suæ Ecclesiæ viriliter pugnat contra Regales, propter quæ ultimò passus est mortem. Vênit autem in Franciam ad Alexandrum Papam apud Senones, ut gesta referunt, quem Alexander gratiosè suscipiens, in Abbatia Pontiniacensi locari mandavit; sed impeditus per Regem Angliæ, inde recedens, venit ad Ludovicum Regem Francorum, quem dictus Rex humanissimè tractans, per sex annos continuè eidem necessaria ministravit. Septimo autem anno à suo exilio, Papa Alexandro existente etiam adhuc in Francia, & procurante pacem inter dictum Pontificem, & Regem Angliæ, in suam rediit Sedem, receptus à Clero, & Populo cum gaudio magno; & in eodem anno mortem subiit, hoc est (*) anno Domini MCLXVIII ut sua gesta tradunt, & alii Historiæ Scriptores.

CAP. XXIX.

Qualiter Henricus Rex Angliæ Nuntios mittit ad Alexandrum ad purgandum se de morte Beati Thomæ, & de reædificatione Civitatis Mediolanensis, & qualiter Lombardi ædificaverunt Alexandriam.

POst cujus mortem, hoc est post reditum Alexandri in Italiam, Rex Angliæ Henricus Nuntios misit Romam ad præfatum Pontificem ad purgandum se de nece Beati Thomæ, quibus receptis in Tusculano, misit duos Cardinales in Galliam, qui de hoc inquirerent veritatem; coram quibus Rex in animam suam juravit, quòd nec auxilio, nec consilio talis sceleris perpetrator fuit. Sed quia aliquam occasionem dedit, ipse quidem statim Crucem assumit, infra tres annos transfretaturus: quod postea suus filius adimplevit Rex Richardus. Tunc tamen pro emenda ducentum milites misit in adjutorium Terræ Sanctæ. Eodem tempore reædificata est Civitas Mediolanensis, ut Historiæ referunt; utrum autem cum beneplacito Imperatoris, an non, mentionem non faciunt. Quicquid autem sit de hoc, istud tamen scribitur, & in gestis Lombardorum habetur, quòd omnes Civitates Lombardiæ planæ præter Papiam, ut sunt Mediolanum, Cremona, Placentia, & sic de singulis contra Imperatorem rebellant, & adhærent Alexandro contra Fredericum, & unam Civitatem ædificant in ipsius contemtum, quam voluerunt in honorem Summi Pontificis Alexandriam nominari, cui dictus Papa titulum Episcopatus tradidit, ut Martinus scribit; sed istum titulum postea perdiderunt, quia suum Episcopum occiderunt. Sed & de Papia scribit Martinus, quòd quia contra Ecclesiam adhæsit Frederico, Episcopus suus privatus est pallio, & Cruce, quod ante habebat.

CAP. XXX.

Qualiter Alexander Concilium celebrat apud Turonum, ubi & de concordia tractatur Ecclesiæ, & de reditu ad Urbem.

ANno Domini MCLXXV. Alexander Papa Concilium celebrat apud Turonum, ad quod Concilium Fredericus solennes Nuntios transmisit, fortè videns Italiam quasi totam sibi adversari, ac timens contra Imperatorem in dicto Concilio aliquam novitatem fieri, vel fortè ad cor suum rediens, & cum Italicis fatigatus. In dicto igitur Concilio tractatur de concordia inter Imperatorem, & Papam; & tunc Alexander, ut Historiæ referunt, sed præcipuè Martinus, Legatum mittit Venetias, & ibidem reconciliatur Fredericus Ecclesiæ, ac pro injuriæ satisfactione contra Saracenos Crucem assumit anno videlicet Domini MCLXXVII. Annò autem sequenti Alexander redit in Italiam exponens se navigio maris Tyrrheni. Cùmque vi ventorum appropinquaret in Siciliam, venit Messanam, in dicto autem loco occurrit ei Rex Guillielmus, & honorificè eum deducit, ut scribit Martinus, Regnum ab ipso recognoscens cum censu, & juramento fidelitatis renovato.

CAP. XXXI.

Qualiter Alexander veniens ad Urbem, Concilium congregat, omnibus schismaticis mala morte finientibus vitam; & qualiter facta pace, passagium petit, & tota quasi Terra Sancta recuperatur.

ANno Domini MCLXXIX. Alexander Romam pervenit, quatuor schismaticis jam supra memoratis jam mortuis, & mala morte finientibus vitam, ut Historiæ communiter narrant. Hoc eodem anno Alexander Romæ Concilium convocat in subsidium Terræ Sanctæ, & in LXXX. diebus celebratur. Tunc temporis tota quasi Italia ad maximam pacem revocatur per Fredericum, & Alexandrum. Facta est pax etiam inter Guillielmum, & Imperatorem Constantinopolitanum. Quis autem fuerit iste Guillielmus, dicetur, quum de Henrico agetur VI. filio Frederici, de quo agetur in præsentiarum, cujus gesta diffusa sunt, quia longo tempore regnavit, & imperavit. Postquam ad obedientiam & reverentiam ratione Ecclesiæ reversus est Fredericus, quievit Italia, & totum Imperium; passagium autem fit solenne tam Italicorum, quàm Gallicorum, & etiam Germanorum, & in tantum profecit, quòd quasi tota Terra Sancta recuperata est, Saracenis contritis, quod Historici Regi Francorum, qui Ludovico succedit, etiam Regi Angliæ Richardo filio Henrici attribuunt. Hic fuit Tertius in isto nomine, XLIII. à primo, XIX. à Pipino, VIII. ab Hugone. Ii ergo ambo Crucem assumunt contra Saracenos, & sequutus est effectus, qui scriptus est supra, cum adjutorio Italicorum, qui sub nomine Pisanensium includebantur, & ideo in Achon speciale habuerunt initium, obtinueruntque dominium, qui & Consulatus dicebatur, cujus provisio pertinebat ad Communitatem Pisanam. Hic Alexander multas scripsit Decretales sub diversis titulis contentas ad mores Clericorum & Laicorum dirigendos, & corrigendos, de quibus est longus sermo. Anno autem Domini MCLXXXII. Alexander Papa moritur, & in Ecclesia Beati Petri sepelitur, cui succedit Lucius, de quo nunc est dicendum.

(*) In Cod. Patav. Anno Domini MCLXXIV.

A

CAP. XXXII.

De Lucio III. & CLXXVIII. Pontifice, qualiter cum Frederico Primo semper pacem habuit, & quomodo Civitatem Lucanam in moneta multùm honoravit.

ANno autem Domini MCLXXXII. & ab Urbe condita MDCCCCXLVIII. Lucius III. natione Tuscus de Civitate Lucana trahens originem, & de nobili prosapia natus, in Summum Pontificem assumitur. Sedit annis IV.
B mensibus II. diebus XXVIII. & cessat diebus XII. ut Martinus scribit. Hic Pontifex toto tempore sui Pontificatus cum Frederico Primo, & Avo Frederici Secundi pacem habuit, & gratiosè se ad invicem habuerunt. Hic, ut Historiæ tradunt, Lucanam Civitatem suam multùm dignificavit, quia cum Frederico Imperatore ordinavit, Henrico filio ejus consentiente, qui erat jam Rex in Italia constitutus à patre, quòd moneta Lucana sola curreret in Tuscia, Campania, & Marchia, & partibus Romæ; unde & Romipetæ alia non utebantur moneta in Urbe, sicut ex ordinatione Frederici sola Papiensis currebat in Lombardia. Unde & de istis duabus monetis fit mentio in Decretali Innocen-
C tii III. Extra *de censib. & procu.* quia istæ solæ currebant quasi in Italia, quia in terris Ecclesiæ moneta Lucana usque ad Romam, & per totam Tusciam, sed in Lombardia Papiensis, ut Historiæ Lombardorum, & Tuscorum referunt.

CAP. XXXIII.

Qualiter Fredericus tempore istius Pontificis reconciliatus est integrè cum Lombardis quibusdam pactionibus ante suum passagium, & qualiter vadens in Terram Sanctam in flumen submergit.

D

ANno autem Domini MCLXXXII. Pontificatus verò Lucii anno II. quia dictus Imperator jam parabat se ad passagium faciendum, filium suum Henricum voluit cum Lombardis esse pacificum; & ideo pacta fecit cum eis multùm gratiosa, sicut patet in quadam lege, quam dictus Fredericus fecit, vel per modum legis tradidit, quæ Pax Constantiæ vocatur, quæ communiter habetur in Constitutionibus Bononiensibus, & ideo illuc recurrendum: quæ quidem pacta multum fuerunt solennizata ex utraque parte, Imperatore videlicet, & Henrico filio ejus, & ex parte Civitatum per Syndicos ipsarum; ac dicta pacta simpliciter in futuram
E perpetuitatem habere voluit prædictus Imperator. Anno verò MCLXXXVIII Fredericus vadit in Terram Sanctam cum Theutonicorum exercitu, transiens per Hungariam, & Græciam, & Turchiam, quæ antiquitus major Armenia vocabatur, & multa alia nomina est sortita. Sed cùm venisset in Armeniam minorem, quæ alio nomine Cilicia nuncupatur, in quodam parvo fluvio submersus est; cujus corpus filius ipsius secum tulit in Terram Sanctam, & in Tyro honorificè sepelivit, sicut Martinus scribit. Modum autem submersionis Vincentius refert, quia equo, super quem sedebat, impingente, & super ipsum cadente. Cusentinus autem scribit, quòd se in dicto fluvio ad refrigerandum balneabat.

CAP. XXXIV.

Quòd tempore hujus Pontificis Henricus V. in Imperatorem eligitur, qualiter hic Pontifex Concilium celebrat apud Veronam, ibique moritur; de Magistro Petro Manducatore, qualiter hoc tempore floruit.

MOrtuo igitur Frederico, succedit per electionem Henricus filius ejus, qui VI. est quantùm ad Reges, sed V. quantùm ad Imperatores in isto nomine, & hic fuit IX. Imperator per electionem. Hunc Lucius Papa familiarem & dilectum habebat, ejusque electionem gratificat, ut gesta Germanorum tradunt. Veniens verò dictus Lucius in Lombardiam cum Henrico, apud Veronam Concilium celebrat pro Cruce prædicanda contra Soldanum Babyloniæ. Anno verò quarto sui Pontificatus Lucius Veronæ infirmatur, & moritur, ac ibidem honorificè sepelitur. Tradunt autem Historiæ tale epitaphium insculptum sepulcro, in quo ortus suus describitur, processus suus, & exitus:

Luca dedit lucem tibi, Luci; Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.

Et inde ponuntur versus contrariæ sententiæ, quasi quoddam apologeticum primorum:

Immo Verona dedit verum tibi vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

Hujus etiam Pontificis tempore floruit Magister Petrus Manducator, qui & Comestor appellatur, qui utriusque Testamenti sacræ Scripturæ Historias, quæ Scholasticæ nominantur, luculento stilo composuit. Hic genere Lombardus sepultus est in Sancto Victore Parisiis, quia, ut fertur, ibi fuit Canonicus, super cujus sepulcrum tales feruntur versus descripti ad Mundi contemtum:

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor;
Nunc comedor, vivus docui, nec cesso docere
Mortuus, ut dicat, qui me videt incineratum:
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque quod hic est:
Petra Petri cinerem tenet, at animam Petra Christus:
Sic sibi divisit utraque Petra Petrum.

CAP. XXXV.

De Joachim Abbate Calabriæ, qualiter tempore istius Pontificis initium habuit; quis fuit, & qualia scripsit; & unde suus Ordo originem traxit.

HUjus etiam Pontificis tempore fuit Abbas Joachim in Calabria, ut scribit Cusentinus, cujus auctoritate Monasterium Floris instituitur; qui multa prophetare, sive propheticè aliquid dicere ausus est; unde & libros maximos prophetales exposuit; in quibus de futuris actionibus, seu eventibus hominum agitur. Sed quia quædam dixit dubitabilia, & se opposuit Magistro Petro Novariensi in libro Sententiarum, primò quidem per Innocentium III. ille libellus est reprobatus, ut continetur in corpore juris, videlicet in principio Decretalium. Secundò, quia omnes scripturæ sub quibusdam figuris propheticis nobis traduntur, quæ antiquorum Patrum fuit consuetudo, quæ exspiravit,

vit, adveniente Evangelica veritate, ideo in Ecclesia tamquam apocrypha, & phitonica sive fictitia judicantur, & præsumtione plena, quamvis famam & speciem habuerit sanctitatis, & inde sua religio nomen Floris accepit. Tradunt enim aliqui, quòd iste Ordo à Cisterciensi Ordine traxit originem; & sicut flos nobilior pars arboris esse dicitur, sic & ista deplantatio tantæ religionis, quasi melioris, altiorem assumsit statum.

CAP. XXXVI.

De Achon, per quos fuit recuperata; de Philippo Rege Francorum, & Rege Angliæ Richardo, qualia fecerunt in Terra Sancta tempore isto.

B Hujus etiam Pontificis tempore Achon, quæ Ptolomaida vocabatur, quæ perdita fuerat, obsessa est, ubi filius Frederici præ nimio calore, ut Martinus scribit, infirmatus est, & mortuus; ubi etiam de gente sui exercitus multi perierunt, & de exercitu Regis Richardi. Tamdem Philippo victoria attribuitur, ut refert Vincentius; unde capta per violentiam Civitate magnam occupavit prædam, quam Duci Burgundiæ reliquit, quando in Galliam rediit. Tradunt etiam Historiæ Gallicorum, quòd Rex Philippus, & Rex Richardus cum suis exercitibus, & navigio Italicorum usque in Damiatam recuperaverunt terras, sed maritimas præcipuè cum navigio Italico; sed ipsorum recessus, seu reditus ad propria postea fuit nocivus. De iis igitur in tantum sint dicta pro tempore istius Pontificis.

C

CAP. XXXVII.

De Urbano III. & LXXIX. Pontifice, qualiter tempore suo Rex Richardus rediens de ultra mare, arrestatus fuit, & quare, & postea dimissus.

D Anno Domini MCLXXXVI. & ab Urbe condita MDCCCCLIV. Urbanus III. in Papam assumitur, natione Lombardus, & ex patre Joanne. Sedit autem anno I. mensibus X. diebus XV. ut Martinus scribit. Hic, ut aliquæ Historiæ dicunt, coronavit Henricum VI. filium Frederici in Imperatorem. Hujus tempore rediens Rex Richardus de ultra mare, per Græciam, & Hungariam transiens, vênit in Austriam, ut gesta Germanorum tradunt, quæ magnus Ducatus est Theutoniæ, & confinibus Hungariæ, ibidemque cum simulato habitu sic transibat. Caussa autem suæ simulationis fuit, quia in Terra Sancta Dux Austriæ cum Rege Richardo magna habuerunt jurgia, & ad invicem se læserunt. Cùm ergo audivisset Dux, Anglicos advenisse in terram suam, suspicatus est cum eis esse Regem, & maximè quia in magna venerant multitudine & honorabili. Dux autem tunc erat Viennæ, in cujus planicie Anglici sua

E tentoria fixerant. Congregata igitur multitudine suæ gentis, Dux ad ipsos descendit. Rex autem Richardus habitum coci assumserat capucio in majori parte facie cooperta, ac actu assabat anseres, & gallinas. Dux verò observatores habebat, qui cognoverunt eum in gestibus corporis, & in actu oculorum, quos in varietate pupillæ singulares habebat. Ipso igitur cognito, accessit ad ipsum Dux, & salutavit Regem cum facie clara, captioneque curiali ipsum cum sua

A gente deducit Viennam principaliorem Villam sui Ducatus, licèt non sit Civitas, sed Castrum, sicut Monspessulanus: Ex quo facto vindicata est injuria Ducis; unde ad paucos dies ipsum cum sua gente curialiter tractans, remisit illæsum. Aliqui tamen dicunt, quòd redemerit se L. millibus Marcharum. Germanorum tamen gesta tradunt, quòd gratis fuerit remissus cum gratissima comitiva.

CAP. XXXVIII.

Qualiter Rex Philippus rediit post recessus Regis Richardi, & quomodo Saladinus hoc scito venit in Judæam, & aggressus Hierusalem, cepit eam; quòd eo tempore obscuratus est Sol; de magnis prodigiis, quæ apparuerunt in Gallia.

Hoc eodem tempore scribit Vincentius, quòd Rex Philippus rediit in Apuliam, dimisso Duce Burgundiæ, & aliqua parte sui exercitus, totamque partem prædæ eidem tradens cum apparatibus, & muneribus, quæ secum habebat. Hic Philippus fuit XLV. à primo, sed à Pipino XX., ab Hugone IX., & III. in isto nomine. Horum autem Principum recessus ad notitiam veniens Saladini, statim venit cum exercitu magno, & Sanctam Civitatem aggreditur, & ipsam capit, tempore videlicet istius Pontificis, ut Martinus scribit. Quod cùm Urbanus audisset, præ nimio dolore infirmatus, & mortuus est, sepultus in Ferraria, quia fortè inde originem traxerat. Hoc eodem tempore obscuratus est Sol, duravitque à tertia usque ad nonam. Eodem etiam tempore, vel circa, scribit Vincentius, magna prodigia apparuisse in Gallia in pago videlicet Belluacensi inter larum-montem, & Compendium. Tantæ autem pluviæ cum tonitruis, & fulminibus, ac tempestatibus fuerunt, quantas nulla antiquitas memorat. Lapides enim ad quantitatem ovorum quadranguli mixti cum pluvia de Cœlo cadentes arbores fructiferas, vineas, segetes penitus destruxerunt; villæ quoque in plerisque locis à fulminibus sunt combustæ. Corvi etiam visi sunt quamplures de loco ad locum in aëre volantes, & in rostro carbones ignitos portantes, ac domos, & villas incenderunt; multæque personæ utriusque sexus ictibus fulminis perierunt.

CAP. XXXIX.

Qualiter illa prodigia insinuativa fuerunt discordiæ inter duos prædictos Reges, & quomodo Richardus Rex de una sagitta occiditur, & multis aliis.

Multa etiam alia horrenda illa die monstrata sunt insinuativa malorum, quæ acciderunt ultra mare tempore istius Pontificis; quia instabat conflictus inter Regem Philippum, & Richardum, quod duravit usque ad tempora Innocentii III. infra quod tempus multa Castra in confinio Gallicorum fuerunt ædificata per ipsum in partibus Aquitaniæ ad dictæ gentis defensionem. Ultimò tamen dum esset in obsidione cujusdam Castri, quod ei rebellaverat, de una sagitta ab interioribus vulneratus moritur, cui succedit frater ejus Joannes, qui qualem exitum habuerit, infra dicetur. Hujus etiam tem-

tempore Henricus Imperium assumens, vadensque Romam, Romanos affligit, & Tuscos. Sed facta cum eis pace, Urbano medio, Tusculanum Romanis concedit, destructumque est ab eis, ut Martinus scribit. Eodem anno factum est passagium magnum ultra mare in subsidium Terræ Sanctæ. Sed parum profecit, quia potentia Saladini multum excrevit. Eo etiam tempore moritur Imperator Constantinopolitanus dictus Andronicus, cui succedit Isachius, ut scribit Cusentinus.

CAP. XL.

De Gregorio VIII. & CLXXX. Pontifice, quomodo zelans pro Terra Sancta, venit in Tusciam, & facta pace inter Januenses & Pisanos sic moritur.

ANno Domini MCLXXXVIII., & ab Urbe condita MDCCCCLV. Gregorius VIII. natione Beneventanus, Summus Pontifex efficitur. Sedit autem mense I. diebus XXVIII., & cessat diebus XIII. ut scribit Martinus. Hic quamvis parum sederit in Sede Petri, duas tamen Constitutiones fecit circa reconciliationem Ecclesiæ, quas habes Extra *de conf.* Cap. *vel Altaris* Cap. ultimo, & penult. De hoc autem Pontifice pauca scribuntur, quia modico tempore sedit; sed in eo tempore sollicitatur pro recuperatione Terræ Sanctæ. Unde descendens de Urbe in Tusciam zelando Terram Sanctam, ad diversas Provincias literas pro Cruce Christi prædicanda transmittit, & eodem zelo pacem tractat inter Januenses, & Pisanos; factaque pace inter alterutrum, Pisis moritur, & ibidem sepelitur. Et attende hic, quòd Terra Sancta sæpiùs capiebatur à Soldano, & postea recuperabatur à Christianis. Sed quia Christiani, qui illuc ibant, non contrahebant ibidem moram, inde Saraceni iteratò resumebant regiones prædictas. Quotiescumque autem ibidem remanserunt, semper prævaluerunt; nisi ultimò propter ipsorum divisionem. Item attende hic in isto Pontifice & aliorum præcedentium, quantus fuit zelus pro recuperatione Terræ Sanctæ.

CAP. XLI.

De Clemente III. & CLXXXI. Pontifice, & operibus ejus virtuosis; qualiter Henricus coronatus in Imperatorem vadit Neapolim, sed propter Epidemiam inde recedit, uxore mortua; & qualiter contrahit cum Domina Constantia.

ANno autem Domini eodem, & ab Urbe condita similiter ut supra, Clemens III. natione Romanus in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis III. diebus XV. ut Martinus scribit, & cessat diebus XIII. Hic ex patre Joanne Scolari claustrum apud Sanctum Laurentium extra muros Urbis fabricavit, & ordinavit. Itém in Laterano palatium altius quàm esset, & puteum ante circum fieri fecit, ibidemque fecit suam stationem, & ibidem moritur, & sepelitur. Hujus tempore creationis Clementis, ut gesta Tuscorum tradunt, Henricus jam coronatus vadit Neapolim, & ipsam obsidet cum suo exercitu. Sed tanta Epidimia invasit exercitum, ut coactus sit inde recedere; ibidemque mortua est uxor sua, quæ Theutonica erat. Subsequenti verò anno, mediantibus aliquibus Baronibus Regni, dictam Constantiam accepit in uxorem. Hic fuit IX. Imperator per electionem.

CAP. XLII.

Describitur hic origo hujus Dominæ Constantiæ, & referuntur diversæ opiniones, & quia Rex Guillielmus dicitur Secundus, ubi duplex ponitur intellectus.

HAnc Historici diversimodè describunt fuisse. Richardus enim Monachus Cluniacensis, licèt Pictaviensis origine, qui Historias Roberti Guiscardi, & Rogerii fratris sui copiosè describit, dicit, quòd Robertus duos filios habuit, Boamundum videlicet, & Rogerium. Boamundus autem vadens in Terram Sanctam, factus est ibidem Princeps Antiochenus, & de suo patrimonio non curavit. Rogerius autem genuit Guillielmum, qui mortuus est sinè herede de lumbis suis. Tunc Rogerius nepos Roberti Guiscardi, & filius Rogerii fratris ejus Ducatum occupavit Apuliæ; & factum est unum dominium, sicut dictum est supra. Iste ergo Rogerius, qui se Regem fecerat in Sicilia, & Ducem in Apulia, cui Ducatui per fratrem consobrinum successerat, filium habuit, qui vocatus est Rex Guillielmus, & dictus Secundus Rex respectu patris, qui fuerat primus, ut supra patet. Aliæ Historiæ dicunt, ipsum descendisse de stipite Roberti Guiscardi, cui nomen Rogerius, à quo descendit Guillielmus, qui factus est Rex, & mortuus sinè herede masculo de legitimo thoro nato. Remansit tamen soror ejus Domina Constantia filia istius Rogerii, cui de jure debebatur Regnum. Sed meliùs est primum, quia constat, istum Guillielmum nullum habuisse filium, nec filiam; & ideo teneamus nos cum opinione prima Richardi, quam & sequitur Cusentinus.

CAP. XLIII.

Ponitur hic alia adversitas opinionum circa prædictam Dominam, utrum fuerit soror, vel filia Regis Guillielmi II. & qualiter Henricus Imperator Regnum intrat, & pacificè possidet.

SEd est alia adversitas in dicta Domina Constantia, quia aliqui dicunt, ipsam fuisse filiam Regis Guillielmi, ut Martinus scribit, alii sororem, ut Cusentinus, cui plus credendum est, quia de Provincia, & Regno natus, & ibidem conversatus. Præferenda est autem, quæ dicit, quia mortuo Rege Guillielmo, qui Rex II. dicitur ex caussa jam dicta, Tancredus Consobrinus ejus, & naturalis, regnare cœpit. Tunc Magnates curiæ Regis Guillielmi Constantiam sororem prædicti Regis Imperatori Henrico in uxorem dederunt. Qui Henricus Regnum intrat, Neapolim obsidet; sed tam ipse, quàm exercitus ejus morbo conficitur: propter quam caussam inde recedens, in Theutoniam vadit, secumque Dominam Constantiam ducit. Et istud verius videtur, quàm quod dictum est supra de uxore Theutonica, quia tunc nullum titulum habebat invadendi Neapolim, & sic fecisset contra juramentum. Anno autem IV. sui Imperii rediens cum manu potenti, totum sibi Regnum subjugavit, ubi plures Nobiles sibi rebelles tru idavit, filium verò Tancredi cum matre, & Margarito Rege Epirotarum, quæ modò Re-

Regio Despontina vocatur, in Theutoniam misit captivos, & ibidem moriuntur in carcere; & sic Henricus Regnum Siciliæ, & Apuliæ pacificè possidet, & censum Regis Guillielmi solvit Ecclesiæ.

CAP. XLIV.

Solvitur hìc quæstio quædam de Margarito, quia captus fuit cum aliis, quo tempore natus est filius Dominæ Constantiæ de Henrico, qui dictus est Fredericus.

TRadunt autem aliquæ Historiæ modernorum caussam, quia Rex Margaritus Epirotarum pœnam luit cum aliis, quia dictam Dominam Constantiam jam Augustam furatus est apud Salernum. Dum enim ipsa mare intrasset in barcello quodam ad recreationem, subitò apparuerunt piratæ Margariti præfati, ipsamque deducunt Panormum ad ipsum. Henrico autem pactis initis cum Margarito circa aliquas libertates in Regno, is restituit dictam Augustam; quibus pactis non meritis ad observandum, Henricus ipsum arrestari facit, & cum aliis mittit in Germaniam, ibidemque moritur. Anno igitur Domini MCXCI. & tertio Clementis Papæ Fredericus II. nascitur de Henrico, & Domina Constantia. Alii dicunt, quòd MCXCII & sub Cœlestino, quo anno, nono Kal Julii Sol est obscuratus, multùmque duravit. Tradunt autem gesta Tuscorum, quòd in nativitate Frederici factum est magnum tripudium in toto Regno, & partibus Orientalibus, & Imperialibus extra Regnum, quia utramque gentem iste ortus tangebat. Etiam Henricus in Italia satis erat dilectus, & gratiosus, quia ipse pro pace Constantiæ multùm institit apud patrem.

CAP. XLV.

De Cœlestino III. & CLXXXII. Pontifice, quomodo dicitur coronasse Henricum; de operibus hujus Pontificis virtuosis, & de tempore, quo Henricus imperavit.

ANno Domini MCXCI., & ab Urbe condita MDCCCCLVIII. Cœlestinus III. natione Romanus, & ex patre Petro Bobonis assumitur in Summum Pontificem. Sedit autem annis VI. mensibus VIII. & diebus XI. & cessat diebus XII. Hic, ut scribit Martinus, secundo die sui Pontificatus coronavit Henricum. Aliæ autem Historiæ dicunt, quòd Urbanus III. ipsum coronavit, ut supra est dictum. Et quia contrarietas hìc est magna propter distantiam temporis, salvanda sunt, quæ dicuntur; quia esse potuit, quòd Urbanus eidem Coronam dederit, præcipuè solennitate servata. Sed per Cœlestinum fit coronatio per modum cujusdam ratificationis primæ coronationis, sicut supra de pluribus Imperatoribus est dictum, ut de Lothario, & Ludovico I. Hic autem Pontifex Cœlestinus apud Beatum Petrum palatium ædificavit ex devotione, & suam stationem fecit, ac ibidem finem vitæ complevit. Vixit autem in Imperio Henricus, ut gesta Germanorum tradunt, & etiam Tuscorum, Annis XI. unde concurrit cum quinque Pontificibus in Imperio, videlicet Urbano, Gregorio, Clemente, Cœlestino, & Innocentio III. quantùm ad aliquod tempus. In Regno autem vixit cum Lucio III. ut supra est manifestum.

CAP. XLVI.

Qualiter Cœlestinus in pace vixit cum Henrico per aliquod tempus; sed postea malè propter mala opera ejus; propter quod Ecclesia ipsum gravi excommunicatione innodavit, quamvis aliàs fuerit probus.

DE hoc autem Cœlestino pauca dicuntur, nisi quòd fuerit bonus homo, & cum Henrico transivit satis pacificè, nisi post quatuor annos sui Pontificatus, & anno VIII. Imperii Henrici, quia tunc incœpit tyrannizare (*) contra Prælatos, sicut jam apparebit. Propter quam caussam incœpit turbari Ecclesia contra ipsum. Quamvis enim Historiæ Tuscorum, Lombardorum, & Germanorum ipsum commendant de civilitate, omnes tamen Chronicæ communes Summorum Pontificum, ut Martinus, Vincentius, Jacobus de Varagine in Floribus Sanctorum, scribunt, ipsum fuisse magnum Ecclesiæ adversarium, & præcipuè circa finem vitæ, quia multos nobiles de Regno exstirpavit, de quibus suspicabatur, quòd possent ipsum impedire à dominio libero, qui erant fideles & Vassalli Ecclesiæ sub Rege, & Regno. Insuper quosdam Prælatos Ecclesiæ, hoc est Archiepiscopos, Episcopos trucidavit. Propter quod Ecclesia ipsum gravi exvommunicat anathemate, ut iidem dicunt Auctores, videlicet Vincentius, & Martinus. Et inde Innocentius fuit motus ad obviandum electioni Philippi fratris Henrici, sicut infra dicetur. Licèt autem dictus Henricus hostis fuerit Ecclesiæ, ut est dictum, magna tamen fecit in Regno, & in Imperio quædam. In Regno quidem, quia liberum habuit ibidem dominium. Insuper tradunt Tuscorum Historiæ, quòd transiverit in Africam, Regemque Tunisis fecerit tributarium ampliori tributo, quàm dederit Regi Guillielmo socero, sive cognato. Quid autem fecerit dictus Henricus in Imperio, catalogo relinquimus Imperatorum. Moritur autem in Sicilia apud Panormum Anno Dom. MCLXXXXVIII. Quo anno moritur Cœlestinus, sepultusque est honorificè in Ecclesia Sancti Petri, cui succedit Innocentius III. quem dictus Pontifex Cœlestinus multùm promoverat; & sua persuasione, cùm esset gratiosus, in conspectu sui Collegii, Innocentius factus est Papa, de quo nunc est dicendum.

(*) *In Cod. Patav.* contra prædictos.

Explicit Liber Vigesimus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER XXI.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Innocentio III. & CLXXXIII. Pontifice, quomodo gratiosè assumtus; qualiter in principio sui Pontificatus capta est Constantinopolis, & à quibus, & per quem modum.

A Nno igitur Domini MCXCVIII., & ab Urbe condita MDCCCCLXV. Innocentius III. in Cathedra Petri locatur. Sedit autem Annis XVII. mensibus X. diebus XXIII., & cessat diebus VI. Hic natione Campanus ex patre Trasmundo, juvenis existens acutus tam in Jure, quàm in Theologica facultate, per Cœlestinum promovetur, & fit Cardinalis, in quo statu gratiosissimus semper fuit tam in morum honestate, quàm in doctrinæ claritate. Unde mortuo Cœlestino, communi concordia Collegii statim in Summum assumitur Pontificem. Hujus tempore, Anno videlicet Domini MCC. Civitas Constantinopolis à Francis & Venetis capitur, cujus captio non credebatur à suis Civibus, ut scribit Martinus, tum propter dictæ Civitatis fortitudinem, tum etiam propter antiquam, quam habebant, prophetiam, quòd dicta Civitas non deberet capi, nisi per Angelum; sed hostibus per murum, ubi Angelus erat pictus, intrantibus Civitatem, se deceptos incolæ per æquivocationem cognoverunt. Qui autem fuerint isti Barones Franci, qui Constantinopolim ceperunt, scribit Vincentius, quòd fuerunt Comes Flandriæ Balduinus; & sub eodem nomine Comes Blesensis; item Stephanus Perticensis, & quamplures alii, qui Crucem assumserant pro recuperatione Terræ Sanctæ.

CAP. II.

Qualiter Balduinus Comes Flandriæ de communi consensu Sapientum factus est ibidem Imperator; De actibus virtuosis Innocentii quantùm ad vitam, & doctrinam; sed de doctrina præcipuè specificatur.

C Apta igitur Civitate, de communi concordia tam Francorum, quàm etiam Venetorum, Comes Flandriæ ibidem est factus Imperator, ut Martinus, & Vincentius dicunt: quod intelligo cum assensu dicti Pontificis. Dictum autem Imperium tenuerunt Latini usque ad tempora Alexandri IV., quod fuit spatium LVII. (*) Annorum, ut ibi dicitur. Tempore autem suæ captionis imperabat Ascarus, ut Cusentinus scribit, qui se statim transtulit versùs Ponticum mare Chersonam; & inde se postea contulit Galatiam, quæ hodie est pars Russiæ. Hic magna & mirabilia fecit, primò quantum ad doctrinam, quia inter Summos Pontifices plures Decretales composuit, inter quas tres ad Principes destinavit, in quibus quantùm ad statum magnæ continentur sententiæ. In una siquidem agitur de correctione, quia ubi Princeps delinquat contra Principem, ad Summum Pontificem pertinet istud judicare: quod habes Extra *de judiciis* cap. *novit*; & in hoc curialiter reprehendit Regem Franciæ, qui Regem Angliæ videbatur gravare; unde recurrit ad Papam, sicut ad supremum: qua de caussa & Legatum transmittit, ut in dicta Decretali patet. Secunda autem irreverentia Principis ad Ecclesiasticos viros, in qua reprehendit Imperatorem Constantinopolitanum, quia suum Patriarcham, & alios Prælatos sui Imperii nimis videbatur humiliare: quæ habetur Extra *de major. & obed.* cap. *Solitæ*.

(*) *In Cod. Patav.* LIII. *Ann.*

CAP. III.

Qualiter instruit Electores in eligendo Imperatorem, & quomodo ex Summo Pontifice dependet, & effectus probat, & de magnis malis exortis in dicta electione.

T Ertia autem dirigitur ad Electores Imperatoris, ubi ostendit, qualiter electio Imperatoris ex Summi Pontificis pendet judicio, quam habes Extra *de elec.* cap. *Venerabilem*. In qua Decretali Innocentius, cùm duo essent electi in discordia, videlicet Philippus frater Imperatoris Henrici defuncti, & Otto filius Ducis Saxoniæ, irritata electione primi, cùm plures voces haberet, electioni factæ de Ottone toto favet conatu, ipsumque apud Aquisgranum Anno Domini MCC. primò coronari mandavit in Regem, in Imperatorem postea promovendum: quod & abinde rei probavit eventus. Sed hoc non obstante Philippus, quem Henricus ante Ducem in Tuscia fecerat, ut Tuscorum Historiæ tradunt, & Dux erat in Suevia, ut gesta Germanorum scribunt, in Theutonia prævalebat de facto; unde Regnum Alamaniæ pro majori parte tenebat. In quo dissidio, ut aliquæ Historiæ tradunt, duo Principes utramque partem favebant, quia Rex Franciæ favebat Philippo, Rex Angliæ favebat Ottoni. Tamdem sub quadam pace simulata Philippus ab Altigrano Comite Palatino occiditur, qui partem tenebat Ottonis: propter quam caussam magna fit commotio in Germania, sed per Innocentium quietatur, factâ gratiâ Frederico II. Henrici filio in puerili ætate ob gratiam matris, & avi, hoc est Dominæ Constantiæ, & Regis Guillielmi defuncti, & ad persuasionem Regis Francorum, ut scribit Vincentius.

CAP.

CAP. IV.

Qualiter Innocentius dictam turbationem quietat; De origine Tartarorum, & unde venerunt; & qui sunt, & de quibusdam novitatibus, quæ isto tempore apparuerunt in Mundo.

QUod & Sueviæ domus hoc ipsum gratificat. Tradunt namque Historiæ Tuscorum, & Germanorum, quòd Innocentius mandavit Regnicolis, ut Frederico, quamvis puero, quia annorum X. Anno videlicet MCCII. fidelitatem jurarent, quem mater sollicitè in amore & devotione Romanæ Ecclesiæ nutriebat, & Ecclesia quantùm poterat favebat, annuatim recipiendo censum ab ipso. Quo anno, ut scribit Martinus, Tartarorum dominium initium habuit. Ii enim sub montibus Indiæ in regione dicta Tartaria constituti, suum relinquentes dominium sub Rege David nomine, filio Joannis Presbyteri Occidentis, ad depopulationem aliarum terrarum procedunt, & usque hodie perseverant. Alii dicunt, quòd de montibus Caspiis exierunt, qui Parthiam Provinciam confinem Indiæ ab Assyria dividunt, ubi Alexander Rex Macedo X. Tribus Israëlitici populi divina inclusit virtute. Isto tempore, ut scribit Vincentius, multæ novitates apparuerunt in Mundo, quia apud Roseum in Umbria in Sacrificio vinum visibiliter mutatur in Sanguinem, & panis in carnem. In Ermandesio quidam miles, qui mortuus fuerat, revixit, multaque futura multis prædixit, & sinè potu & cibo multo tempore vixit. In Gallia circa festum Beati Joannis Baptistæ ros de Cœlo cadens mellitas spicas segetum fecit, ita ut multi eas in ore ponentes, odorem mellis apertè sentirent. Mense autem Julii apud Attrebatum tempestas valida exorta est, tantæque magnitudinis lapides de Cœlo ceciderunt, quòd omnes segetes, omnesque vineas & nemora destruxerunt.

CAP. V.

Qualiter Innocentius misit Legatum in Franciam pro sedanda turbatione inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ; De Beato Dominico, quo tempore vênit Tholosam, & de decretalibus Innocentii.

CIrca hæc tempora Innocentius III. ut scribit Vincentius, Petrum Diaconum Cardinalem natione Campanum mittit in Franciam ad reformandam pacem inter duos Reges, videlicet Regem Franciæ Philippum, qui fuit XLV. à primo, XX. à Pipino, VIII. ab Hugone, & in nomine III. & Regem Angliæ Richardum, de quo fit mentio in dicta Decret. *Novit.* Sed inter hæc Rex Richardus dum obsideret quoddam Castrum sibi rebellans, de una sagitta occiditur in Episcopatu Lemovicensi, ut tactum est supra. Eodem anno, hoc est MCCIII. Beatus Dominicus primus pater Fratrum Prædicatorum vênit Tholosam cum Didaco Episcopo Oxoniensi missso illuc ex parte Regis Castellæ pro nuptiis contrahendis cum primogenito dicti Regis, ubi eadem die Beatus Dominicus hospitem suum hæreticum ad Catholicam fidem reduxit. Hic Pontifex quanta scripsit in Theologia, patet ex suis Decretalibus, quas composuit primò, de Fide Catholica cap. *Firmiter.* Item sicut verus Catholicus dicta Magistri Petri Novariensis in Libro sententiarum sanè intelligens, in sua Decretali falsum & perversum intellectum damnat Abbatis Joachim in memorato libro.

CAP. VI.

De falso, & insano dogmate cujusdam Magistri Parisiensis, qui vocatus est Almaricus, quem dictus Pontifex damnat in sua Decretali, per quam effectum habuit sua damnatio.

ITem damnat ibidem quoddam perversum dogma cujusdam Magistri, qui Parisiis magnæ famæ fuerat in doctrina, qui vocatus est Almaricus, cujus dicta jam detecta non solùm sicut hæretica, sed sicut insana judicavit haberi. Qui inter alias blasphemias, quas dixit, asseruit, omnes Creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum converti, ut sint unum individuum cum ipso; & quòd, si homo non peccasset, in duplicem sexum partitus non fuisset, nec generasset, sed sicut Angeli multiplicati fuissent; & quòd in resurrectione non erit duplex sexus; & etiam multa similia abominabilia. Unde post suæ scripturæ damnationem Rex Francorum Philippus ex mandato Innocentii, ut scribit Vincentius, omnes complices sui dogmatis falsi atque perversi, qui Parisiis sunt inventi, captos atque convictos extra portam Civitatis fecit comburi. Et quia dictus impius Almaricus jam mortuus erat, extumulatum est corpus ejus, & concrematum, atque cineres ejus in sterquilinio sunt dispersi.

CAP. VII.

Quomodo hic Pontifex multas Decretales fecit ad Doctrinam Sacramentorum; & de multis aliis; & qualiter promovit Ottonem ad Imperium.

HIc etiam Pontifex, sicut profundus Theologus, in iis Decretalibus nobis tradidit veram Doctrinam de Sacramento Eucharistiæ, aliorum elidens opiniones falsas, ut habes *de Celebratione Missarum* Cap. *Cum Marthæ.* Hic de Sacramento Baptismi subtilissimè disputans, suum dogma nobis clarum reliquit, sicut habes *de Baptismo, & ejus effectu* quasi per totum. Hoc documentum nobis tradidit in restitutionibus faciendis spoliatorum; nec ullus umquam Summus Pontifex meliùs, sicut habes *de Usuris* Cap. *Cùm tu.* Multas etiam Decretales fecit ad mores hominum corrigendos tam Clericorum, quàm Laicorum, quas habemus tamquam speculum in agendis. Scripsit etiam Librum de Miseria conditionis humanæ. Item Sermones fecit secundùm tempora distinctos, Sacra Scriptura fulcitos. Nunc autem ad gesta sui regiminis procedendum, quia multa sunt, eo quòd multo tempore vixit. Primò igitur agendum est de iis, quæ egit, circa Ottonem, quia in odium & detestationem domus Sueviæ propter mala Henrici, quæ commisit contra Romanam Ecclesiam, ut omnes quasi Historiæ tradunt, & jam est dictum, suum conatum adhibuit ad promotionem Ottonis, solennitates omnes adhibendo circa ipsum, quæ ad verum & legitimum requiruntur Imperatorem.

CAP. VIII.

Qualiter Otto IV. Coronam habuit in diversis partibus; quomodo juramentum fecit de conservando jura Ecclesiæ, quod non servavit: propter quod excommunicatur, & ab Imperio deponitur.

A ET ultimò Anno Domini MCCVIII. ipsum in Basilica coronavit Beati Petri in Imperatorem. Anno autem Domini MCCI. ut dictum est ipse coronatus fuerat Aquisgrani; Anno verò Domini MCCIV. Coronam ferream accepit in Lombardia in Modoëtia, ubi Reges Longobardorum sepulti feruntur. Hic acceptâ Coronâ tertiâ ab Innocentio III., fidelitatem juravit Romanæ Ecclesiæ, prout continetur in Pontificali. Aliam autem fidelitatem juraverat in prima Corona secundùm formam, quam fecit Otto II. per suum Procuratorem Joanni XIII. quam habes LXIII. dist. Cap. *Tibi Domino*. Qui statim post Coronam pugnam habuit cum Romanis; Romipetas suus exercitus spoliabat, ut scribit Vincentius, & Martinus; & contra voluntatem Domini Innocentii intravit ipso anno Regnum Apuliæ, & in magna parte abstulit Frederico II. Propter quam caussam Innocentius videns se deceptum ab Ottone, Anno Domini MCCXI. ipsum excommunicavit, & ab Imperio deposuit, & omnes Principes, & Barones à juramento fidelitatis absolvit mandavitque Principibus electoribus, ut ad electionem procederet. Hic autem Otto IV. dicitur, & fuit X. Imperator per electionem, & multùm discordans à primis tribus.

CAP. IX.

Qualiter Principes, Ottone deposito, ex mandato Papæ eligunt alium; de Almimolino, quomodo intravit Hispaniam, & quàm turpiter fugatus est.

ANno Domini MCCXII. hoc est sequenti anno, qui fuit quartus sui Imperii, Fredericus II. in Imperatorem eligitur. Hic ponatur modò terminus quantùm ad istam Historiam, & resumamus alia, quæ acciderunt tempore istius Pontificis. Anno igitur Domini MCCIV. Pontificatus Innocentii anno VI. in Hispania magna novitas accidit circa Saracenos, quia Almimolinus Imperator Saracenorum de Africa cum infinita multitudine Saracenorum intravit in Hispaniam, & vênit contra Toletum, indixitque bellum omnibus adorantibus Crucem: ex quo facta est magna commotio omnium Principum Occidentis. Sed quia Gallici modo quodam dominativo illuc venerunt, Hispani non volentes sustinere, rogaverunt, ut redirent ad propria; & in hoc affuit Papæ mandatum. Quibus redeuntibus, Innocentius beneficium Crucis confert omnibus Hispanis volentibus pugnare contra dictos canes. Tunc congregati sunt Reges Hispaniæ contra ipsos, & cùm essent Saraceni concatenati cum gropis equorum, fregerunt catenas; tantaque facta est strages de eis, ut rivi sanguinis fluerent per vias de occisis Saracenorum. Almimolinus verò fugit cum paucis super unam parvam equam propter majorem velocitatem currendi, & in cursu perseverandi, & sic in Africam confusus se transfert. Et ab eo tempore Saraceni in Hispania perdiderunt, & magnam paulatim amiserunt terram, ac continuè in Principatu deficiunt usque ad tempora ista.

CAP. X.

Quomodo per sollicitudinem istius Pontificis Livonia conversa est ad Fidem; qualiter Beatus Dominicus XIII. annis fuit circa partes Tholosanas ad prædicandum contra hæreticos ante sui Ordinis confirmationem; & de Comite Simone, qui illuc missus fuit, & qualia fecit.

B EOdem tempore & per sollicitudinem ejusdem Pontificis, ut Martinus scribit, Livonia, quæ est Provincia confinis Daciæ, & Poloniæ, pro majori parte conversa est ad Fidem; in qua dominantur Fratres, qui Alamanni dicuntur, eo quòd ipsi expugnaverunt terram. Eodem anno Didacus nuntius Regis Castellæ, de quo dictum est supra, de partibus Tholosanis recedens, vadit in Hispaniam, relicto Tholosæ Beato Dominico occasione Hæreticorum, qui in partibus illis multùm pullulaverant, pro quorum exstirpatione Beatus Dominicus totus ardebat. Unde adjunctis sibi aliquibus viris zelatoribus, per XI. annos fuit in partibus Tholosanis & Albigensibus ad hæreses exstirpandas illius regionis ante sui Ordinis confirmationem, C quod fuit ab anno Domini MCCV. usque ad MCCXVI., in quo tempore cum Comite Simone Montis Fortis familiaritatem contraxit magnam, qui missus fuerat illuc à Philippo Rege Francorum ex mandato Innocentii contra Comitem Tholosanum, qui notatus erat, quòd esset Hæreticorum fautor. Quam ob caussam, ut gesta Francorum tradunt, citatus est ab Innocentio Papa, sed eo non comparente, excommunicatur ab ipso. Post hæc Innocentius Legatum mittit in Franciam Gualonem nomine Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem, ut scribit Vincentius, ad prædicandam crucem contra Comitem Tholosanum, quod fuit anno D Domini MCCVIII. Et tunc fuit missus Comes Simon contra ipsum Comitem, bellumque habuit cum ipso, adjuvante Comiti Tholosano Rege Aragonum, qui ambo à Comite Simone devicti sunt, & Rex Aragonum mortuus est in bello.

CAP. XI.

Qualiter tempore istius Pontificis Legatus, & XII. Abbates Cistercienses, & cum eis Beatus Dominicus hæreticos insequuntur; de provisione, quam fecerunt Comes Simon, & Episcopus Tholosanus circa B. Dominicum, & Socios.

E EOdem anno Legatus XII. Abbates assumit Cistercienses, & Beatum Dominicum, qui tunc incipiebat esse magnæ opinionis in partibus illis, vaduntque per totam regionem Tholosanam, & Albigensem, & Carcassonensem, exstirpando hæreses, quæ nimis in dictis Provinciis pullulabant. Tradunt autem dictæ Historiæ, quòd ut magis suum haberet intentum, Legatus in hæresibus exstirpandis amovit à se omnem paratum equorum, & omnem pompam, & simpliciter ambulabat pedes cum Abbatibus supradictis, adjuncto etiam sibi Beato Domini-co

eo cum sociis suis, cum quibus morabatur Tholosæ. Unde tradunt Historiæ, quòd Comes Simon Beato Dominico tradidit unde posset cum suis vitam competentem deducere; & similiter Fulco Episcopus Tholosanus cum consensu Capituli assignavit eidem decimam decimæ. Quibus omnibus post confirmationem sui Ordinis in primo capitulo generali renuntiavit, hoc est anno Domini MCCXVII.

CAP. XII.

Qualiter Ottone deposito, & electo Frederico, tempore hujus Pontificis, idem Fredericus vadit in Theutoniam contra Ottonem; de conjuratione Ottonis cum Rege Angliæ, & Comite Flandriæ contra Regem Franciæ.

ANno Domini MCCXII. Pontificatus Innocentii anno XIV. Ottone deposito, & Frederico II. electo, dictus Fredericus in Alamanniam se transfert contra Ottonem, tunc ipso existente annorum XX. magnamque pugnam habuit cum Ottone, & diutinam, eo quòd Otto multos habebat amicos, & plures habuisset, nisi severa sententia lata fuisset contra faventes eidem. Unde & Fredericus prævaluit contra eum. Et quamvis Innocentio non placuisset electio Frederici, dissimulavit tamen propter odium Ottonis, quia durum erat tot Principes perturbare. Noluit tamen ipsum coronare, simulata juventute Frederici. Unde toto tempore sui Pontificatus, quod duravit plusquam VII. annis à tempore suæ electionis sua coronatio fuit dilata. Eodem anno, ut scribit Vincentius, facta est conjuratio contra Regem Philippum per Comitem Boloniensem, & Comitem Flandriæ cum Joanne Rege Angliæ, ad quos se transfert, relictâ Theutoniâ Otto depositus, & eisdem fit complex. In quo facto Innocentius favet Philippo Regi Francorum, cùm in alia quæstione magis videretur favere Regi Anglorum, propter duas caussas. Una fuit ex parte Regis Angliæ, quia Prælatos expulerat de Regno suo, confiscatis eorum bonis: propter quod sententia excommunicationis contra ipsum promulgata est, & terra supposita est Ecclesiastico interdicto. Secunda caussa fuit Otto depositus.

CAP. XIII.

De pugna, quam habuit Philippus Rex Francorum contra prædictos, divisa sua gente in duos exercitus, victores utriusque.

REx igitur Philippus suos requirit Vassallos, duosque facit exercitus anno videlicet MCCXII. & Pontificatus Innocentii XIII. in uno exercitu ipse duriter assumit contra Fernandum Comitem Flandriæ, & Comitem Boloniensem, & Ottonem IV. depositum; alium committit filio suo Ludovico contra Joannem Regem Angliæ circa partes Pictaviæ. Quid plura? ambo prævalent contra hostes, quia Rex Philippus contra Comitem Flandriæ nomine Fernandum, & Comitem Boloniensem nomine Reginaldum, & Ottonem. Prostrato enim ipsorum exercitu cum non modica eorum cæde, captus est Comes Flandriæ, ac Parisios deductus, & in carcere moritur; sed & Comes Boloniensis in dicto capitur prœlio, Peronam adductus compeditus, & in carcerem ponitur, ut scribit Vincentius. Otto verò cum sua confusione in Saxoniam revertitur, ibique secundùm merita suæ actionis miserabiliter diem clausit extremum.

CAP. XIV.

De ordine victoriæ Regis Francorum, qualiter regiones Aquitaniæ occupat; de concordia facta inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ per Innocentium tractata; & qualiter Rex Angliæ factus est Vassallus Romanæ Ecclesiæ.

HAnc autem victoriam Vincentius postponit victoriæ Ludovici filii Philippi, quam sic refert; quòd apud Clinonem dum Rex Angliæ obsideret unum Castrum, quod dicitur Rupes Monachi, supervenit exercitus Ludovici, & fugavit inde Regem Joannem, ac insequutus ipsum Ludovicum usque Andegavis, inde etiam eum abjiciens, tota terra Ludovico subditur. Habitâ igitur victoriâ utriusque Principis, omnes regiones, & terras citra mare occupat Rex Philippus. Sed cùm attentaret transire in Angliam, Rex Joannes videns se in arcto positum, redit ad mandata Ecclesiæ, restitutis bonis Prælatorum; & per Innocentium absolvitur, obligans se Ecclesiæ ad certum censum, (*) qui est mille marcharum, seque Vassallum Romanæ Ecclesiæ facit, & fidelitatem Innocentio jurat: & hoc propter dominium Beati Petri. Tunc per Innocentium tractata est concordia inter Regem Franciæ, & Regem Joannem; certa pars est Regi Angliæ restituta de Ducatu Aquitaniæ; sed major pars eidem remansit, ut gesta Francorum tradunt. Hæc in tantum dicta sint de Regibus Franciæ, & Angliæ.

CAP. XV.

De morte Regis Castellæ, & filiabus ipsius, & de casuali morte filii, quem heredem dereliquerat.

SEd eodem tempore, hoc est adhuc Innocentio vivente, Rex Castellæ moritur. Hic, ut tradunt Historiæ Francorum, & Hispanorum, tres filias habuit, quas tribus Regibus maritavit. Unam tradidit Ludovico filio Regis Philippi Regis Francorum jam memorato, quæ vocata est Domina Blanca. Hanc autem, ut Historiæ referunt, pactis tradidisse fertur, quòd si moreretur sinè herede masculo Domina Blanca in Regno succederet. Aliam filiam tradidit Regi Legionensi, quæ vocata est Domina Berengaria. Tertiam verò tradidit Regi Aragonum, quæ vocata est Domina Helionora. Hic autem Rex unum filium reliquit nomine Henricum, qui qualem exitum habuerit, est dicendum. Anno autem Domini MCCXIV. Rex Castellæ Henricus adhuc juvenculus de uno lapillo de fenestra suæ domus casualiter projecto, moritur, in musculo percussus, capitis scilicet. Quod audiens Domina Berengaria Regina Legionensis, soror dicti Henrici, assumto filio suo Fernando, cum bona militia sua Regnum Castellæ intrat, & partem occupat. Sed renitentibus Comitibus Terræ, ipsos devincit, & hu-

(*) *In Cod. Patav.* IV. Mille.

humiliat. Mortuo verò Rege Legionensi, Domina Berengaria virtute magna, Comitibusque prostratis, filium suum Fernandum coronari facit in Regno Castellæ; & sic Regnum Legionense, & Castellæ efficitur unum Regnum.

CAP. XVI.

Qualiter post mortem Henrici Domina Berengaria cum filio suo regnavit, occupato Regno cum Regno Legionensi; de virtuosis actibus Innocentii, & qualia fecit in Urbe.

QUamvis igitur Dominæ Blanchæ Uxori Ludovici deberetur Regnum prædictum, B tum quia pactum fuerat inter eos, tum quia ipsa primogenita erat: tamen Domina Berengaria majore populi favore prævaluit. Et quia Fernandus filius ejus vir fuit magnæ strenuitatis contra Saracenos, unde & totam Wandaliam per vim gladii eisdem abstulit, sicut jam dicetur: inde magis firmatum est Regnum ipsius, dissimulante Innocentio Papa, cujus tempore erat propter majus Christianitatis bonum. Nunc ad Innocentium redeundum de his, quæ fecit in Urbe, quæ magna fuerunt. Primò quidem fertur fecisse Hospitale Sancti Spiritus pro alendis & hospitandis pauperibus, & peregrinis recipiendis, quod quidem magnis dotavit divitiis, & ampliavit possessionibus: quod & adhuc C hodie in bona perseverat hospitalitate. Fecit & aliam eleemosynam, quia universis Ecclesiis Urbis unam libram argenti tradidit pro calicibus faciendis, quod ascendit ultra quadringentas libras, mandans omnibus Sacerdotibus dictarum Ecclesiarum, ut in dictis calicibus celebrarent, nec possent aliquo modo à dictis Ecclesiis alienari. Hic etiam renovavit Ecclesiam Sancti Sixti: quæ omnia dicitur fecisse, quia reprehensus fuerat de quodam ædificio, quod in Urbe fecerat ad sui tuitionem, quæ Turris Comitum vocatur, cujus altitudo, & latitudo omnem Turrim transcendit.

CAP. XVII.

D *Qualiter Innocentius Concilium celebrat Romæ, ad quod venit Sanctus Dominicus pro sui Ordinis confirmatione; & qualiter Innocentius ex visione, quam habuit, concessit petitionem dicti Sancti.*

ANno autem Domini MCCXV. mense Novembris sui autem Pontificatus XVII. Concilium celebrat apud Lateranum pro subsidio Terræ Sanctæ, & pro bono statu universalis Ecclesiæ; in quo Concilio, ut Martinus scribit, interfuerunt inter Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, & Abbates, & E alios Prælatos MCCCXV. Ad hoc Concilium vênit Beatus Dominicus cum Fulcone Episcopo Tholosano, cui erat speciali amore & devotione conjunctus. Ad hoc igitur vênit Romam pro sui Ordinis confirmatione. Jam enim multi ipsum sequebantur in partibus Tholosanis. Cùm ergo petitionem porrexisset Domino Innocentio, mediante Fulcone Episcopo memorato, & de statu præfato hæsitaret, sequenti nocte Summus Pontifex talem visionem habuit. Siquidem videbatur sibi, quòd Ecclesia Lateranensis corruerat, quam ex adverso Beatus Dominicus suis A brachiis sustentabat; cujus mysterium visionis Innocentius non ignorans, sequenti mane Beatus Dominicus ad Summum Pontificem adiit, quo viso, suæ annuit petitioni, mandans eidem, ut Tholosam rediret ad Fratres suos, & de Regula erigenda, & de aliquibus Constitutionibus deliberaret cum eisdem. Instante autem Concilio in hoc, ut scribit Martinus, Ecclesiam Sanctæ Mariæ trans Tiberim consecravit.

CAP. XVIII.

Qualiter Innocentius vadens in Tusciam, apud Perusium moritur, & statim factus est Honorius III. De Doctoribus, qui isto tempore fuisse dicuntur.

POst Concilium verò recedens de Urbe, descendit in Tusciam ad pacificandos Pisanos, & Januenses in subsidium Terræ Sanctæ. Sed cùm pervenisset Perusium, ibidem infirmatur, & moritur, & in Ecclesia Sancti Laurentii honorificè sepelitur, & cessat dies VI. Procurantibus autem Perusinis includi Collegium Cardinalium, factus est Honorius III. de quo in sequenti Capitulo est agendum. Sed videndum est nunc de aliquibus Doctoribus, & perfectis viris, qui isto tempore floruerunt. Vincentius enim refert de quodam Episcopo Meldensi, cui nomen Gaufredus, qui Episcopatui cessit, & Monasterium intravit S. Victoris Parisiensis, factusque est Monachus perfectissimus, quamvis fuerit Canonicus Regularis. Isto eodem tempore scribit Martinus, quòd fuit Gratianus Monachus de Tuscia Civitate Clusina natus, qui composuit Decretum apud Bononiam in Monasterio sui Ordinis, ut Hugucio Pisanus de ipso scribit in suo apparatu super dictum Decretum. Qualis autem ille Liber sit, notum est omnibus Doctoribus Juris Canonici; nec oportet ipsum ampliùs declarare, quia per se patet bonitas, & excellentia ejus. Et attende hîc, quia Martinus in isto loco ponit, hoc est tempore Innocentii. Glossa autem Joannis II. quæst. VI. cap. *Forma*, dicit, ipsum fuisse tempore Alexandri III. secundùm relationem Hugonis; dicit enim, quòd Gratianus tempore, quo Jacobus Bononiensis docebat in Legibus, & Alexander in Theologia, fuit Decretum compositum. Unde verius videtur, quòd Gratianus fuit tempore Alexandri, & Hugucio tempore Innocentii, qui copiosè glossavit dictum Decretum, & in Grammatica regulas tradidit Derivationum. Eodem etiam tempore Historiæ tradunt, quòd floruit Papias natione Lombardus, qui expositionem vocabulorum nobis clarissimè tradidit.

CAP. XIX.

De Honorio III. & CLXXXIV. Pontifice; qualiter coronavit duos Imperatores, videlicet Constantinopoli Comitem Altisiodorensem, & Romæ videlicet Fredericum II.

ANno Domini MCCXVI. & ab Urbe condita MDCCCCLXXXIII. Honorius III. in Cathedra Petri locatur, natione Romanus ex patre Almarico. Sedit autem (*) annis XI. mensibus II. diebus XIV. Hujus tempore moritur Balduinus Imperator Constantinopolitanus, &

(*) *In Cod. Patav.* Annis XII.

& Honorius de Comite Altisiodorensi providit Imperio, quem apud Sanctum Laurentium extra muros Urbis coronavit, ut Martinus scribit, cum assensu Principum regionis. Et attende, quia hic Pontifex magna fecit, & magna acta sunt in tempore suo. Primò quidem fecit magnum de provisione istius Imperatoris, quam referunt Martinus, & Cusentinus, & gesta Tuscorum, in quo apparet auctoritas Summi Pontificis, quia sine electione providit. Verum est, quod jura definiunt, quòd in translatione facta per alios Summos Pontifices in personam Magnifici Principis Caroli, Imperium Constantinopolitanum dicitur defecisse; & sic Glossa super Cap. *Per Venerabilem* dicunt. Secundum, quod fecit, fuit de coronatione in Imperium Frederici II. considerato ipsius genere, quod fuit odiosum Ecclesiæ, ut ex supradictis apparet. Sed hoc accidit ex gratiositate matris, & avi, videlicet Regis Guillelmi, & quia in devotione nutritus Ecclesiæ per Matrem. Qua mortua, habuit ad contrarium sufflatores. Fuit etiam alia caussa motiva suæ coronationis, quia in concordia fuit electus; & amicitia Regis Francorum cum ipso multùm profuit.

CAP. XX.

Qualiter Ordinem Fratrum Prædicatorum confirmavit in principio creationis suæ, & multos alios Ordines; quomodo suo tempore Rex Hungariæ, & Dux Austriæ venerunt in Terram Sanctam, & multa fecerunt contra Saracenos.

SEd assumamus per ordinem quæ fecit dictus Pontifex. Anno enim primo sui Pontificatus, hoc est MCCXVI. Ordinem Fratrum Prædicatorum confirmavit Beato Dominico, qui jam redierat de Tholosa Romam, habita deliberatione cum suis Fratribus; & hoc fuit in festo Beati Thomæ Apostoli. Ordinem quoque Fratrum Vallis Scholarium, qui adhuc in Francia florent, & habent Scholas in Theologia Parisiis, & Magistrum in dicta facultate regentem confirmavit; & Ordinem Eremitarum Montis Carmeli, ubi & Helias habitaculum habuit, ut Vincentius scribit. Anno autem Domini MCCXVII. Comitem Altisiodorensem in Constantinopolitanum Imperatorem constituit. Anno autem III. Pontificatus sui, hoc est MCCXVIII. Rex Hungariæ, & Dux Austriæ cum aliis diversarum nationum Cruce-signatis transeuntes per Hungariam & Græciam, vadunt in Terram Sanctam, ut gesta Germanorum tradunt, fortiterque cum Saracenis pugnant, Damiatam capiunt, & totam terram Christianorum recuperant, ut Vincentius scribit. Sed in sequenti anno Saraceni Damiatam rehabuerunt. Eo etiam tempore, & anno Comes Simon Montisfortis, ut scribit Vincentius, apud Urbem Tholosanam lapide machinæ percussus interiit.

CAP. XXI.

De morte Regis Philippi, qui moritur tempore istius Pontificis, & de actibus virtuosis ipsius, præter hoc, quòd adulteram traduxit, sed se correxit.

HOc eodem anno Chronicæ aliquæ dicunt, mortuum fuisse Philippum Regem Francorum, qui fuit VII. ab Hugone, & III. hujus nominis. Mortuus autem fuit apud Meduntam, sed sepultus in Ecclesia Beati Dionysii, qui multo tempore regnavit, videlicet XLIII. annis, & magna fecit inter Reges istius nationis, à tempore Hugonis, de cujus genere iste fuit. In hoc tamen deficit, ut scribit Vincentius, quia quamdam Dominam habuit in Uxorem nomine Indeburgem sororem Regis Daciæ, quam quibusdam maleficis modis repudiavit, sed postea in gratiam recepit ad persuasionem Legati Octaviani Episcopi Ostiensis, repulsâ aliâ superinductâ, de qua filium dictum Philippum, & filiam unam habuit. Sed Ludovicus fuit filius Indeburgis, qui patri suo succedit in Regno, qui fuit pater Ludovici, & habuit in Uxorem Dominam Blancam, ut supra est dictum, quæ fuit filia Regis Castellæ, qui fuit XLVI. à primo Rege Francorum, XXI. à Pipino, IX. ab Hugone, VII. in isto nomine. Huic jam coronato Remis, ut aliquæ Historiæ tradunt, anno Domini MCCXIX. scripsit Honorius anno IV. sui Pontificatus tamquam pugili fidei, ut ipsius caussam assumat contra Comitem Tholosanum, & contra Albiensem, quem & pater suus assumserat, & Comitem Simonem transmiserat illuc cum militia Gallicana. Prædicata igitur Cruce in Francia, Rex Ludovicus exercitum congregat. Sed hìc attende, quia Vincentius videtur dicere, quòd Philippus mortuus fuerat anno MCCXXIII. & sic sequeretur, quòd decimo quarto scripsit Ludovico; sed primùm habet rationem, quia immediatè post mortem Comitis Simonis hoc est factum. Vincentio tamen magìs videtur credendum, quia de illa patria natus est, & circa ista multùm instructus.

CAP. XXII.

De actibus virtuosis Regis Ludovici, qualiter ex mandato Ecclesiæ congregavit exercitum, & vadit contra Albienses Tholosanos, & alias nationes Linguæ Ogh versùs Rhodanum, & magna facit.

HIc autem Ludovicus, ut gesta Francorum tradunt solùm tribus regnavit annis, in quibus magna fecit. Venit enim contra Albigenses, & contra Comitem Tholosanum, & auctoritate Ecclesiæ fit processus ibidem contra hæreticos, quia omnes inventi circa illas partes, vel hæretici, vel fautores hæreticorum, sive Nobiles, sive Burgenses, sive Castrenses aut comburuntur, aut proscribuntur, aut privantur bonis, & per istum modum tota regio devolvitur ad dominium Regis. Comes autem Tholosanus videns se in arcto positum, componit cum Rege quod fuit pœnalitatis propter patrem, qui notatus fuerat de hæresi. Unde filiam suam, quæ unica sibi erat, auctoritate Honorii, qui illuc Legatum transmiserat, tradidit filio Regis, qui Comes erat Pictaviensis & vocabatur Alphonsus. Talibus autem pactis ipsam accepit uxorem, quòd filii descendentes in Comitatu succederent. Si autem sine herede decederet, Comitatus devolveretur ad Regnum Franciæ: quod factum fuit Anno Domini MCCLXXI. Sicut infra ibidem videbitur. Et attende hìc, quia tunc Ludovicus occupavit Carcassonam, Bitierim, Alesium, & quasi omnes terras usque ad Rhodanum, terram Albigensium, cujus majorem partem contulit filiis Comitis Simonis, vel nepotibus, & usque ad tempora hæc possederunt.

Oc-

Occupavit etiam & terram (*) Auriensem quæ pertinebat ad nobiles, quibus imponebatur titulus hæresis.

CAP. XXIII.

Qualiter Comitatus de Venessino devolutus est ad Ecclesiam; & de Civitate Avinione; de morte Regis Ludovici, & de filiis ejus, quos reliquit, ac de aliquibus aliis partibus ad gesta Francorum.

TUnc etiam Comitatum Venessinum, qui pertinebat ad Comitem Tholosanum, occupavit Ecclesia; sed & Avinionem obsedit, & cepit, & dum rediret de dicta Civitate jam sibi subjugata, apud Monpelier in Advernia moritur, grandem luctum Francis relinquens, sicut de viro magnæ strenuitatis in bellando, & multa morum honestate composito. Reliquit autem filios quatuor de Domina Blanca in puerili ætate. Primogenitus fuit S. Ludovicus IX. Rex ab Hugone, aliàs X. ab Hugone, ut supra patet, qui tunc XIII. annorum erat, & sub tutela matris. Secundus fuit Alphonsus, qui fuit Comes Tholosanus, & Pictavensis; tertius fuit Carolus, qui Comes fuit Andegavensis, & in Comitatu Provinciæ fratri successit ratione Uxoris, & postea factus est Rex Siciliæ; quartus fuit Robertus, qui Comes fuit Attrebatensis & occisus fuit apud Damiatam. Anno igitur Domini MCCXXVI. Ludovicus moritur, ut Vincentius scribit, sed secundùm alios MCCXXIII. vel oportet sibi dare plures annos in regimine Regni ad salvandum Chronicam Vincentii, cui in hac parte magìs est credendum, quia plus de talibus temporibus inquisivit, ut jam est dictum. Hæc de Gallicis gestis ad præsens sufficiant pro tempore istius Pontificis. Unum tamen attendendum, quòd gesta Comitum Tholosanorum aliter tradunt, quia dicunt ista accidisse tempore Sancti Ludovici quarto sive quinto Regni sui anno de matrimonio contracto cum Comite Alphonso, quibus magìs credendum est, quia in partibus illis sunt gesta. Tamen aliæ Historiæ referunt, ut supra dictum est.

CAP. XXIV.

De Frederico, qualiter coronatus est ab Honorio, quomodo se bene habuit in principio, sed post mortem matris incœpit ab Ecclesia alienari; unde monitus ab Honorio, & non se corrigens, contra ipsum fit processus.

SEd iis peractis, accedamus ad gesta Imperatoris Friderici II. Postquam enim fortificatus est in Theutonia, Ottone mortuo, vênit Romam pro Corona Imperii cum honorifica comitiva, & Anno Domini MCCXX. secundùm Historias Tuscorum, & Germanorum. Ac anno V. Pontificatus Honorii dictus Pontifex ipsum in Basilica Beati Petri in Imperatorem coronavit, qui fuit XI. Imperator per electionem ab Ecclesia ordinatam. Erat autem tunc ann. XXVIII. ut supra scribitur, quia in LXXXXII. est natus. Hic in principio sui Imperii se bene habuit, sicut filius ab Ecclesia educatus; sed in processu post mortem matris ab iniquis subvertitur, unde in Regno cœpit Ecclesias gravare, & in servitutem redigere. Quamobrem Honorius ipsum monet, ut à talibus desistat. Sed non obtemperante, contra ipsum procedit per sententiam excommunicationis. Ipso autem adhuc in malitia perseverante, manum suam aggravavit, & contra ipsum graviori procedit sententia, quia Barones omnes Apuliæ, & Imperii à juramento fidelitatis de facto absolvit, ut scribit Vincentius, & Martinus: quod fuit secundo anno sui Imperii, ut Historiæ tradunt. Et sic jam incœpit tyrannizare, & Ecclesiam persequi anno MCCXXII. usque in finem vitæ.

CAP. XXV.

De obitu Beati Dominici apud Bononiam; quomodo Tartari transierunt in Europam; de confirmatione Ordinis Fratrum Minorum; de novitatibus, quas fecit Rex Castellæ contra Saracenos.

ISto anno Beatus Dominicus Bononiæ, Dux & caput Ordinis Fratrum Prædicatorum, migravit ad Dominum Nonis Augusti cum multa Cleri & populi devotione, gratiâ cujus sepulturæ propter famam suæ Sanctitatis interfuerunt Dominus Ugolinus Cardinalis Ostiensis, tunc verò Apostolicæ Sedis Legatus in Lombardia, postea fuit Gregorius IX. cui ex speciali devotione & dilectione ad ipsum multa erat familiaritate conjunctus. Interfuerunt etiam multi alii Episcopi, & Prælati prædictum sequebantur Legatum: quod fuit Pontificatus Honorii anno VI. Anno autem septimo MCCXXII. Tartari transeuntes Montes Riphæos, qui dividunt Asiam majorem ab Europa, ut habes in nostra Tripartita Lib. II. Marchias Hungarorum, quas ipsi Sylvas vocant, totam Hungariam quasi vastant, nemini parcentes sive sexui, sive ætati, ut Historiæ Germanorum tradunt. Anno Domini MCCXXIII. & Pontificatus Honorii anno VIII. ut gesta Francorum tradunt, Ordo Fratrum Minorum confirmatur; & Rex Francorum Philippus moritur, secundùm dictas Historias, quamvis aliæ Historiæ dicant aliud, ut supra patet. Anno Domini MCCXXIV. & Pontificatus Honorii IX. ut gesta Tuscorum, & Hispanorum tradunt, Rex Castellæ Fernandus, & Legionensis. transit Toletum, ubi terminus erat Christianorum, terram Saracenorum aggreditur, capit & Cordubam, quæ sunt de Provincia Wandaliæ, quam Provinciam require in dicto Libro Tripartitæ. Anno Domini MCCXXV. dictus Rex capit Sibiliam, inde fugatis Saracenis, & captivatis, Honorio juxta posse favorem præbente in omnibus.

CAP. XXVI.

Quo tempore Fredericus contrahit matrimonium; de actibus virtuosis Honorii, & de obitu ipsius; quo tempore moritur Rex Franciæ Ludovicus; & de quibusdam Doctoribus, qui isto tempore floruerunt.

EOdem anno Fredericus, ut gesta Tuscorum tradunt, non obstante excommunicatione, cum filia Regis Joannis, qui Rex erat in Hierusalem matrimonium contraxit. Hoc eodem tem-

(*) *In Cod. Patav.* Aunonensem.

tempore Honorius Ecclesiam Sancti Laurentii extra muros Urbis renovavit, & Sancta Sanctorum. Hic Honorius multas Decretales perutiles ad morum compositionem Clericis & Religiosis composuit, & sub titulis diversis. Moritur autem anno Domini MCCXXVI. & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris honorificè sepelitur. Quo tempore moritur Rex Franciæ Ludovicus secundum gesta Francorum, licèt alii aliter dicant. Hujus Pontificis tempore floruit Jordanus Theutonicus, & secundus Magister Ordinis Prædicatorum, qui sanctitate vitæ, & doctrinæ resplenduit, & multis miraculis coruscavit. Hoc etiam tempore multi fuerunt in diversis locis terræmotus, sed præcipuè Burgundia in montibus Salinarum. Ex virtute enim terræmotus mons quidam se divisit ab aliis montibus, & transivit ad montes oppositos, totamque vallem mediam cooperuit. Sicque ibidem (*) V. millia hominum perierunt. Hujus Pontificis tempore floruit Guilliełmus Altisiodorensis, qui & Summam in Theologia composuit; & ejusdem etiam floruerunt tempore duo Doctores Juris Canonici, videlicet Laurentius, & Vincentius, quos tradunt Hispanos fuisse, & pro magna auctoritate allegantur in Jure.

CAP. XXVII.

De Gregorio IX. & CLXXXV. Pontifice, quomodo assumtus, & de partialitatibus Italiæ, unde habuerunt originem. De Beato Francisco; qui videlicet tempore hujus Pontificis migravit ad Dominum.

ANno Domini MCCXXVI. & ab Urbe condita MDCCCCXCV. Gregorius IX. natione Campanus mense Martii, ut scribit Martinus die XIV. post festum Beati Gregorii apud Septizonium electus est. Sedit autem annis XIV. Hic vocatus fuit primò Hugolinus, & fuit Episcopus Ostiensis, & occasione Frederici, qui cum suo thesauro totam subvertebat Provinciam Lombardiæ missus fuit illuc ad subveniendum & defendendum amicos Ecclesiæ. Ubi attende, quia ab illo tempore Lombardia in duas partes dividitur, quia in partem Ecclesiæ, & in partem Imperialem. Postmodum autem commutatum est nomen, & dicti sunt Gibellini, & Guelfi: quæ fuerunt nomina duorum fratrum, qui in has duas partes se diviserunt, quia Gibellinus sequebatur partem Imperialem, Guelfus partem Ecclesiæ; & ex his duobus fratribus, qui valde nobiles erant, partes hæ sortitæ sunt nomen. Et ii fuerunt Tusci; & ideo ista nomina in Tuscia magis sunt usitata, sicut Albi, & Nigri ab uno genere in Pistoja, quod vocabatur Cancellariorum. Alii dicunt, quòd fuerunt Theutonici, quia nomina hæc Theutonica sunt. Unde Imperator ista nomina transtulit in prædictas partes. Anno autem II. sui Pontificatus, hoc est anno Domini MCCXXVII. Beatus Franciscus dux & Pater Fratrum Minorum, & vir eximiæ sanctitatis, & perfectæ humilitatis, migravit ad Dominum.

CAP. XXVIII.

Quomodo dictus Pontifex cum Frederico longum habuit certamen, præhabita caritativa priùs monitione; & non cessante ab offensa, renovat pœnam sui antecessoris; de transitu Frederici in Terram Sanctam infructuoso.

HIc Pontifex multa bona fecit, & magna: Magnum quidem sustinuit cum Frederico certamen; quem primò caritativè commonuit, ut desisteret ab incœptis malignitatibus. Sed non proficiens, sententiam Honorii renovat sui prædecessoris contra Fredericum anno II. sui Pontificatus. Anno autem Domini MCCXXVIII. in tantum exarsit Pontifex in ipsum, quod apertè factæ sunt inimicitiæ inter utrumque. Interim autem Fredericus ultra mare transfretat, ibique coronam Regni Hierosolymitani ratione uxoris suscepit. Tunc, ut tradunt Historiæ, adhuc Regnum præfatum sub quadam pace simulata cum Soldano transibat. Sed ad XL. annum paulatim est consumtum ab ipso. Vadens igitur, & inde rediens, non magnum fructum attulit Regno ipsius adventus, quin potiùs præstitit nocumentum, dum nullum pro suo Regno vigorem ostendit.

CAP. XXIX.

Qualiter dictus Pontifex canonizavit Sanctam Elisabeth; quomodo per Fratrem Raymundum compilavit Decretales, & quis fuit iste Frater Raymundus, & qualia fecit.

ANno Domini MCCXXIX. Pontificatus sui anno III. Gregorius Sanctam Elisabeth filiam Regis Hungariæ, & relictam Lantgravii Ducis Thuringiæ Catalogo Sanctorum annumerat propter sua merita sanctitatis. Hic Pontifex per Fratrem Raymundum Ordinis Fratrum Prædicatorum Pœnitentiarium, & Capellanum suum, ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit volumen unum, mandans ubique Doctoribus illo uti, sicut patet in principio Decretalium. Quis autem fuerit iste Frater Raymundus, ex aliis historiis habetur, quia vir maximæ sanctitatis, & in utroque jure peritissimus, per quem Deus multa miracula ostendit, natione Cathalanus Diœcesis Barchinonensis. Hic scripsit Summam ad petitionem suorum Fratrum, quæ de Casibus appellatur, quia in ea Confessores instruuntur in his, quæ pertinent ad animarum salutem. Unde ad hoc solùm ipsius titulos ordinavit. Hic Frater Raymundus ad notitiam Summi Pontificis vênit per Dominum Joannem de Villa Abbatis Cardinalem, qui tunc erat Legatus in Hispania pro prædicanda Cruce contra Saracenos. Qui Fratrem Raymundum in suam assumens societatem, ac probitatem considerans, secum ad Curiam adduxerat, & de ipso Summo Pontifici in suo reditu multa virtuosa retulerat.

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* multa corpora hominum.

CAP. XXX.

Qualiter dictus Pontifex Beatum Franciscum, & Beatum Dominicum canonizavit; & quomodo dictos Ordines pia caritate promovit. Qualiter post reditum Frederici de ultra mare inter ipsos inimicitiæ sunt apertæ.

HIc Pontifex Beatum Franciscum, & Beatum Dominicum sub Catalogo Sanctorum annumeravit, signis, & portentis contestantibus ipsorum Sanctitatem, quorum vitam ipse Pontifex ex multa ad ipsos familiaritate probavit. Hic Pontifex duos istorum Ordines multùm dilexit, & privilegiis roboravit. Decretales etiam aliquas scripsit in ipsorum favorem contra Prælatos, qui nimis eos gravabant, quæ habentur *de Excessibus Prælator.* Cap. *Nimis prava*, & Cap. *Unus iniqua*. Hic Pontifex Decretales multas scripsit, quas voluit sui compilatione sub diversis titulis adnotari huic Pontifici. Post reditum Frederici de ultra mare inveniens ille aliquas novitates factas in Regno Apuliæ, quod ad ipsum pertinebat ex successione matris, & hoc ex mandato Domini Gregorii Papæ, jam adhibet conatum ad ipsum persequendum. Et primò quidem omnes amicos Ecclesiæ exstirpavit de Regno sive per mortem, sive per proscriptionem. Filium suum nomine Henricum primogenitum, & legitimum, quia invênit Ecclesiæ fautorem in Theutonia, qui Rex in Italia erat antea constitutus, mittit in Apuliam in carcere includendum squallido, ibique moritur.

CAP. XXXI.

Quo tempore prædictus Imperator primogenitum filium suum ex ea caussa cruciavit; de exercitu, quem paravit ad veniendum Romam contra dictum Pontificem, & qualiter Gregorius Papa evasit.

ET attende hìc, quia gesta Tuscorum & Germanorum dicunt, istud accidisse per Concilium Lugdunense, & per Conradum fratrem suum fuisse venenatum in carcere. Cusentinus autem dicit, quòd non veneno, sed per satellites Conradi suffocatus est. Deinde exercitum parat ad veniendum Romam contra Gregorium. Et cùm appropinquaret ad Urbem, Fredericus, Summus Pontifex consilio, ut tradunt, Domini Neapolionis de Ursinis, & Domini Anibaldi de Anibaldis ad concitandum populum, qui videbatur Friderico favere, hac usus est arte, quia fecit processionem cum Clero & Populo à Sancto Joanne de Laterano ad usque Sanctum Petrum. Cùmque pervenisset illuc, ascendit in Ambonem, verbumque Dei proponit de persecutione in Ecclesiam, & de injuriis illatis eidem. In fine verò sermonis habens parata capita Apostolorum, tenens in brachiis, dicit non posse ipsa defendere sinè virtute Romani populi, in cujus se ponebat protectione. Quod ut Populus audivit, acclamat contra Fredericum, ac patrocinium Summo Pontifici offerunt: quod ut pervênit ad Fredericum, statim cum exercitu recedit, ut Chronica Martini refert. Hoc autem factum esse dicunt anno Domini MCCXXXI.

CAP. XXXII.

Qualiter Gregorius volens congregare Concilium contra Fredericum, duos Cardinales misit ultra montes, qui in reditu fuerunt capti; qualiter Ludovicus coronatur Remis, & qualiter post coronam militiam mittit in Terram Tholosanam.

HIc Gregorius Concilium celebrare volens Romæ contra Fredericum per suos complices vias clausit Fredericus maris & terræ, ut Martinus scribit. Unde venientes duo Cardinales Jacobus Prænestinus Episcopus, & Oddo pro subsidio missi, cùm redirent ad Curiam de ultramontanis partibus, quia unus de Francia, videlicet Jacobus; alter de Anglia, videlicet Oddo, cum pluribus Prælatis per naves Pisanas capiuntur, & in Apuliam mittuntur apud Melphim, ubi & inclusi, licèt curialiter, detinentur. Specificat autem aliquos Prælatos, videlicet Dominum Petrum de Colle-medio Archiepiscopum Rothomagensem, & multos Abbates Cistercienses, & Cluniacenses. Attendendum & hìc, quòd Ludovicus hujus nominis IX. & X. secundùm alios ab Hugone, eodem tempore Pontificatus Gregorii in Regno patris succedit; & anno Domini MCCXXVII. adhuc sub tutela matris suæ Dominæ Blanchæ, quæ mulier fuit virtutis, curam Regni suscepit, & XIV. suæ ætatis coronatus est Remis, ut gesta Francorum tradunt. Et tunc Episcopos, & milites in terram Albigensem, & Tholosanam misit, & ipsum Comitatum in deditionem accepit, ut Vincentius scribit.

CAP. XXXIII.

Qualiter tempore hujus Pontificis Henricus Rex Angliæ transfretat pro recuperatione terrarum suorum Antecessorum; sed deceptus est; de victoriis Regis Castellæ, & Aragonum super Saracenos.

ANno autem Domini MCCXXX. & Pontificatus Gregorii anno IV. Rex Angliæ Henricus instinctu Petri Comitis de Britannia transfretavit pro recuperatione terrarum, quas habuerant sui Antecessores, & Rex Francorum tenebat. Sed non profecit, & sic vacuus rediit, & dictus Petrus quibusdam gratiis est privatus per Regem Franciæ concessis eidem. Hoc eodem anno in Hispania magna sunt facta, quia, ut Historiæ tradunt, Rex Aragonum Jacobus cum magna sui, suorumque strenuitate bellando contra Saracenos cepit Insulas Baleares, quæ Majorica & Minorica appellantur. Hoc etiam tempore Fernandus Rex Castellæ exercitum congregat contra Regem Granatæ, ipsumque sibi tributarium facit; datque Regi Castellæ singulis diebus mille Marabotinos auri, quod per multa tempora duravit usque ad tempora filii Regis Alphonsi.

CAP.

CAP. XXXIV.

De adventu Tartarorum in Poloniam, & Hungariam; de gravi inimicitia inter Gregorium, & Fredericum; de quodam miraculo, sive re mirabili, quæ accidit in Hispania in vinea cujusdam Judæi.

ANno Domini MCCXXXI. Pontificatus Gregorii anno V. Tartari subjugatis Orientalibus partibus, ad Boreales, & Occidentales se conferunt, ut gesta Germanorum tradunt. Unde in duo se agmina dividentes, unum in Hungariam, & Poloniam intrat ex parte Russiæ circa ripam maris Pontici, transeuntesque Montes Riphæos, quos Hungari Sylvas vocant, Hungariam, & Poloniam vastant: propter quam caussam ex mandato Gregorii prædicata est Crux in confinibus Theutoniæ contra ipsos. Sed Deo disponente, orta est discordia inter eos, & sic retrocedunt. Post quorum recessum gentes populique Pannoniæ, qui prope dictas inhabitabant Sylvas, adhibuerunt curam, passus ita claudentes, ut ulteriùs transire non possent. Gregorius autem isto tempore contra Fredericum se munit, & Civitates Italiæ ad suam amicitiam provocat contra ipsum. Unde Fredericus descendens in Tusciam & Lombardiam, obicem invênit contra se; sed cum auro Apuliæ multos corrupit. Anno Domini MCCXXXII. Pontificatus Gregorii anno VI. quoddam mirabile in Hispania dicitur accidisse de quodam Judæo, ut Martinus scribit. Apud Toletum fuit quidam Judæus, qui comminuendo unam rupem pro vinea sua amplianda, in medio lapidis invênit concavitatem, in qua Librum reperit quasi folia lignea habentem, qui liber tribus linguis scriptus erat, videlicet Hæbraicis, Græcis, & Latinis. (*) De litera verò tantum erat, quantum est unum Psalterium. Hic autem loquebatur de triplici Mundo ab Adam usque ad Antichristum: principium autem tertii incipiebat à Christo, sicque narrabat: *In tertio*, inquit, *Mundo filius Dei nascetur in Mundum de Virgine Maria, patieturque pro salute hominum*. Quod videns Judæus, statim cum tota sua familia baptizatus est. Subjungebatur etiam ibidem, quòd tempore Regis Fernandi inveniri debebat.

CAP. XXXV.

De pugna, quam habuit Fredericus cum Romanis ratione Gregorii; de matrimonio Regis Ludovici, & quo tempore, & cum qua, ac de filiis, & filiabus, quos dictus Rex habuit.

ANno Domini MCCXXXII., ut scribunt gesta Tuscorum, & Pontificatus Gregorii anno VII. Fredericus pugnat cum militia Romanorum, & multis aliis militibus Tusciæ, qui venerant in adjutorio Gregorii, & adjuvantibus Viterbiensibus Frederico, Romani succumbunt. Sed tunc venerunt de diversis partibus in succursum Papæ, & prævaluerunt contra Fredericum. Hoc eodem anno corpus Beati Dominici de loco humili ad honorabiliorem translatum est, in qua translatione apparuerunt magna miracula; sed inter alia fuit odor sui corporis, & ipsius terræ, ubi jacuerat; propter quæ miracula Gregorius motus est ipsum catalogo Sanctorum adnotare. Eodem tempore, & anno, ut scribit Vincentius, Ludovicus Rex Francorum XX. annorum in ætate existens accepit uxorem filiam Comitis Provinciæ, cui nomen Raymundus; dicta autem filia vocabatur Margareta, quæ primogenita erat. Habuit enim tres filias dictus Comes, quarum quælibet erat Regina. Una fuit Regina Franciæ; alia fuit Regina Angliæ, de qua natus est Odoardus; tertia fuit Regina Siciliæ. Prima autem ex Ludovico quinque filios masculos habuit, & tres fœminas. Primus vocatus est Ludovicus, qui juvenis mortuus est; secundus Philippus, qui eidem successit in Regno; tertius vocatus est Petrus, qui fuit Comes Alanzonæ; quartus est vocatus Joannes Tristanus, qui natus fuit ultra mare, quando pater suus fuit captus apud Damiatam; & hic fuit Comes Nivernensis. Isti ergo duo ambo sunt mortui cum ipso apud Tunicium. Quintus vocatus est Robertus, & fuit Comes Claromontensis, qui omnibus supervixit. Tres autem filiæ nobiliter sunt traditæ nuptui. Una vocata est Isabella, quæ uxor fuit Regis Navarræ, & vocatus est Theobaldus, qui ambo mortui sunt in via Tunicii, & sinè liberis. Alia vocata est Blancha, quæ tradita fuit nuptui Ferrando filio Regis Castellæ isto pacto, quòd si præmoreretur patri, filius suus primogenitus, sicut ipse in Regno succederet: quod servatum non fuit, quamvis illud pactum fuerit factum in recompensatione fraudis factæ de Regno Castellæ per Dominam Berengariam, ut supra patet. Tertiam habuit Dux Burgundiæ.

CAP. XXXVI.

De Conrado Frederici filio, qualiter tempore istius Pontificis factus est Rex Alamanniæ; qualiter Crux prædicatur in Francia pro Terra Sancta, & quomodo anno istius Pont. 13. Corona Spinea Domini translata est Parisios.

ANno Domini MCCXXXIV. ut gesta Germanorum & Tuscorum tradunt, Fredericus non obstante depositione, vel excommunicatione, Conradum filium suum natum de Uxore ultramarina, Regem constituit Alamanniæ de facto, & non de jure. Tantæ enim erat potentiæ in Theutonia, quòd Gregorius impedire non potuit, & auro Apuliæ & Siciliæ ille se juvit. Et attende hìc, quòd Historiæ aliquæ dicunt, istud factum fuisse (**) in Anno MCCXXXIII., quod fortè meliùs dicitur. Anno autem Domini MCCXXXV. Pontificatus Gregorii Anno IX. dictus Pontifex ordinavit, in Francia per Prædicatores, & Minores Crucem prædicari in subsidium Terræ Sanctæ, quia jam incipiebat terra perdi. Anno autem Domini M CXXXIX. Pontificatus verò Gregorii XIII. anno Corona Domini Spinea per industriam piissimi Regis Francorum Ludovici tunc XXIX. annorum existentis Parisios est translata, cui quidem multùm favebat Balduinus Constantinopolitanus tunc Imperator.

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* non tamen tantùm erat.

(**) *In Cod. Patav.* Anno MCCXXXVII.

CAP. XXXVII.

Qualiter tunc Gallici, & Veneti habebant Constantinopolim; quòd penultimo anno sui Pontificatus maxima fuit eclipsis III. die Junii, & de effectibus istius eclipsis, qui fuerunt mors istius Papæ, & Victoria Regis Aragonum super Valentiam.

ET attende hic, quia Gallici & Veneti tunc dominabantur in Constantinopoli, & ab Anno MCCII. usque modò, ut supra patet. Insuper & in tota Achaja dominabantur Latini, sicut etiam hodie faciunt. Verum est quia in LVI. seu LVII. perdiderunt Constantinopolim, ut infra patebit. Hoc etiam Anno die III. Junii fuit eclipsis Solis magis generalis, quàm fuerat alicujus memoria, quia tantam oppositio Lunæ obscuritatem fecit, quòd Stellæ videbantur in Cœlo, sicut in crepusculis diei & noctis, cùm ista eclipsis fuerit in meridie. Excluditur tamen eclipsis Solis in Passione Domini, quia fuit miraculosa. Nunc igitur concludendum de Gregorio, quòd multa alia de ipso dici possent laudabilia, quia homo fuit virtuosus, unde Historiæ de ipso sic referunt, quòd per Fredericum multis tribulationibus pro zelo Ecclesiæ concussus, tamdem bono fine ad Dominum transiit Anno Domini MCCXL. mense Augusti. Istius autem Pontificis tempore, quamvis in Constantinopoli dominarentur Latini, super mare tamen Ponticum Græci habebant dominium; unde Cusentinus dicit, quòd tunc Lascarus dominabatur ibidem. Et attende hic, quia duo notabilia concurrerunt circa dictam eclipsim. Unum fuit de istius Pontificis morte. Secundum fuit de Rege Aragonum Jacobo quia isto tempore, ut tradunt Historiæ Hispanorum, cepit Regnum Valentiæ, Saracenis prostratis. Iis habitis, quæ magna fuerunt tempore hujus Pontificis, ad alia attendamus. Circa tempora istius Pontificis floruit in jure Canonico Magister Joannes Theutonicus, qui discipulus fertur fuisse Hugonis, & apparatum fecit super Decretum post ipsum. Isto eodem tempore in Theologia floruit Præpositus, cujus opiniones pro auctoritate ab aliis Doctoribus afferuntur.

CAP. XXXVIII.

De Cœlestino IV. & CLXXXVI. Pontifice, in cujus tempore magna fuit vacatio, ut aliqui dicunt. Aliqui autem dicunt, quòd post mortem ejus; item diversificantur in quantitate temporis.

ANno igitur Domini MCCXL. eodem mense Augusti, & ab Urbe condita MMIX. Cœlestinus IV. in Cathedra Petri locatur. Quod intelligas, si non fuit vacatio inter Gregorium, & Cœlestinum. Sed si fuit, ut ita dicetur, tunc dicemus ipsum assumtum Anno

A MCCXLII. Sedit autem XVII. diebus. Hic aliquæ Historiæ tradunt, quòd post mortem Gregorii longo tractu, procurante Frederico, electio est retardata, quia, ut Vincentius dicit, duobus annis; & tunc Collegium concordavit in quemdam Cardinalem, qui erat Episcopus Sabinensis, cui nomen Gaufridus, natione Mediolanensis, vita & scientia multùm laudabilis, sed provectæ ætatis, & quasi semper languens; & inde propter laborem officii statim infirmatus est, & mortuus. Et quia fuit magnæ opinionis ex præterita vita, in Ecclesia Beati Petri honorificè sepelitur. Sed attende circa istum Pontificem, quia diversificantur Martinus, & Vincentius, quantùm ad tempus, & quantùm
B ad quantitatem temporis. Quantùm ad tempus, quia videtur Martinus dicere, quòd tanta vacatio fuerit post mortem Cœlestini. Vincentius tamen dicit, quòd ante suam creationem. Item differentia est inter eos in quantitate temporis, quia Vincentius dicit duos annos, Martinus dicit XX. menses, & XIII. dies. Sed ad hoc posset dici, quòd XX. menses fuerunt ante, sed postea IV. menses minùs XIV. dies, in quo facto multùm studuit Fredericus semen zizaniæ seminare.

CAP. XXXIX.

C *Qualiter Fredericus isto tempore congregat exercitum contra amicos Ecclesiæ, & præcipuè Lombardos, & ipsos deprimit, quantùm potest; quomodo Hugo Comes Marchiæ punitur à Rege Francorum, & quare.*

CIrca ista tempora Fredericus exercitum congregat contra Mediolanenses, qui partem Ecclesiæ tenebant; & in primo insultu Mediolanenses sunt devicti, & Carrocium perdiderunt; multique sunt ex eis capti, multique occisi. Ibique etiam captus fuit filius Ducis Venetorum, qui erat ipsorum Potestas. Indeque recedens Fredericus cum suo exercitu vadit versùs Placentiam, quæ similiter tenebat partem
D Ecclesiæ. Sed inundatione aquarum impeditus, Papiam rediit, quæ semper fuit Imperialis. Circa idem tempus vacationis Ecclesiæ Bononienses, qui favebant parti Ecclesiæ, similiter devicti sunt ab exercitu Imperatoris. Et eodem tempore obsedit Imperator Faventiam simili intuitu cum primis, quia non obediebant in favorem Ecclesiæ; obsedit autem mensibus VII. & ultimò reddiderunt se sibi, personis & rebus salvis. His consideratis, Cardinales tamdem concordaverunt in Dominum Sinibaldum de Flisco, qui de genere erat Comitum de Lavania, quæ in Riparia est Januensi, de quo nunc est agendum. Quo etiam tempore, ut scribit Vincentius, Hugo Marchiæ Comes à Rege Fran-
E ciæ deficiens, Regem Angliæ in terram suam adduxit; contra quem Rex Ludovicus exercitum suum in Pictaviam deducens, regiones illas occupat, repulsoque Rege Angliæ, Comitem ipsum cum uxore, & liberis in deditionem accepit.

Explicit Liber Vigesimusprimus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER XXII.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Innocentio IV. & CLXXXVII. Pontifice; qualiter post sui creationem transfert se Lugdunum, ibique gratiosè recipitur à Rege Ludovico, & Concilium convocat contra Fredericum.

Anno igitur Domini MCCXLII. & ab Urbe condita MMXI. Dominus Sinibaldus jam dictus, & vocatus Innocentius IV. in Cathedra Petri sedet: quod fuit in crastinum Beati Joannis Baptistæ, ut gesta Francorum tradunt, & apud Ananiam est consecratus. De cujus creatione in Curia Frederici magna est facta lætitia, quia amicus videbatur esse ejusdem, sed Fredericus ipsos à præfata exultatione restringit, asserens, ulteriùs ipsum non amicum, sed inimicum habere: quod & sic factum est. In principio tamen sui Pontificatus ipsum requiri facit de concordia cum Ecclesia. Sed cùm ipsum videret in sua contumacia permanere, primò renovat solùm excommunicationis sententiam, ut communiter Historiæ tradunt, & clam auxilio Januensium per mare in Galliam se transfert Anno Domini MCCXLIII. Pontificatus sui anno II. Veniens autem Lugdunum, ibi Concilium convocat, & sub protectione Regis Franciæ se submittit, cui Beatus Princeps Vir Deicola occurrit, eidemque, ut decet, honorem exhibuit, & reverentiam fecit. Ibidemque dum Concilium congregatur, Imperator, & Summus Pontifex sibi invicem scribunt per suos scribas, & Logothetas, factusque est tunc Apologeticus in quæstionibus motis per Fredericum, quibus per Innocentium est responsum.

CAP. II.

Qualiter Pisani in favorem Frederici ceperunt Prælatos Ecclesiæ, & Cardinales euntes ad Concilium; quomodo Fredericus devastat regiones Romanas; de Tartaris; & de creatione Cardinalium.

Interim autem XVIII. Galêæ Januensium, ubi multi erant Prælati, Episcopi videlicet, & Abbates, & unus Cardinalis, videlicet Ostiensis, transeuntes per mare Pisanum, & ad Concilium euntes, quod fuit Anno Domini MCCXLIV. Pontificatus sui anno III. à Galêis Pisanis capiuntur prope Portum Pisanum in loco, qui dicitur la Melora, in quibus fuerunt centum de bonis civibus Januensis Civitatis, & quamplures de aliis. Eodem tempore Federicus in contemtum & despectum Ecclesiæ vadit Romam cum exercitu magno, & ipsam devastat, moratusque est circum circa duobus mensibus, & totam devastavit regionem. Eodem tempore Tartari aliquam partem Turchiæ invadunt, & ipsam devastant. Eodem anno Innocentius multos fecit Cardinales

A Lugduni. Tradunt enim Historiæ, tunc multùm Collegium esse evacuatum. Unde, ut Vincentius scribit, multos fecit Cardinales, inter quos fuit Dominus Oddo Gallicus de Castro Rodulphi Cancellarius Parisiensis, & Frater Hugo de (*) Sancto Theuderico Prior Provincialis Franciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum Magister in Theologia, in vita & doctrina præclarus.

CAP. III.

De Domino Hugone Cardinali qualia scripsit, & qualia fecit; qualiter in Concilio Fredericus deponitur ab Imperio, & privatur Regno Siciliæ, & ponuntur caussæ quare.

B Hic totam Bibliam postillavit, & primas concordantias super Bibliam cum suis Fratribus adinvênit. Advocatis igitur Prælatis Lugdunum Anno Domini MCCXLV. in festo Sancti Joannis Baptistæ Concilium est inchoatum, ubi multa jura sunt condita, duravitque Concilium usque ad Octavas Nativitatis Beatæ Mariæ, quæ Octavæ in eodem Concilio institutæ fuerunt, ut gesta Francorum tradunt. In processu autem Concilii, hoc est XVI. Kal. Augusti Innocentius Imperatorem Romanum deposuit, & velut hostem Ecclesiæ condemnavit, ipsumque tam ab
C Imperio, quàm à Regno Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ deposuit & privavit, & omnes Vassallos à juramento fidelitatis absolvit, sicut apparet in VI. Extra *de sent., & re judic.* cap. *Sacræ præd.*, & infra cap. *ad Apostolicæ*, ubi quatuor caussæ assignantur suæ depositionis. Una fuit perjurii, quia non servavit juramentum, quod Ecclesiæ fecerat tam de Imperio, quàm de Regno Siciliæ ratione feudi. Secunda caussa fuit sacrilegii, quia fecit capi Cardinales, & alios Prælatos venientes ad Concilium tempore Innocentii, & tempore Gregorii, ut supra est dictum. Tertia caussa fuit, quia notatus fuit de hæresi. Quarta, quia per II. annos censum non solvit de Regno Siciliæ, quod ab Ecclesia
D tenebat in feudum: quod ipse Innocentius dicit ibidem esse speciale patrimonium Beati Petri.

CAP. IV.

Qualiter Innocentius privat administratione Regem Portugalliæ; quomodo canonizavit Sanctum Edmundum; De Canonizatione Sancti Stanislai; de morte Regis Castellæ, & filiis, quos reliquit; de Canonizatione Beati Petri.

Hic Innocentius Regem Portugalliæ ad petitionem Baronum ab administratione depo-
E suit, quia negligens erat in justitia facienda; unde Regno privat, & substitutus est loco ejus frater suus Alphonsus, qui erat Comes Belomiensis, sicut patet in VI. Extra *de Supp. negle.*

(*) *In Cod. Patav.* de Sancto Theodoro.

gle. Cap. Grandi. Hic etiam apud Lugdunum canonizavit Sanctum Edmundum Archiepiscopum Cantuariensem anno Domini MCCXLVI. Hic etiam canonizavit apud Parisium Beatum Petrum Martyrem natione Lombardum de Ordine Fratrum Prædicatorum anno Domini MCCLIII., ut patet ex Bulla suæ Canonizationis. Canonizavit etiam Assisii Sanctum Stanislaum Episcopum Cracoviensem Martyrem. Circa ista tempora moritur Rex Castellæ Fernandus, & reliquit quatuor filios, videlicet Alphonsum primogenitum, qui ei successit in Regno; Henricum, qui longo tempore exulavit à Regno, quia suum fratrem Alphonsum non honorabat in Regem; tertius fuit Fredericus, qui fuit malus homo, & inde nepos suus fecit ipsum mala morte interire; quartus fuit Emanuel, qui fuit honorabilis Princeps, & pacificus.

CAP. V.

Qualiter Crux prædicatur in Francia ad petitionem Regis; quòd vivente Frederico, electus est alius in Imperatorem; quomodo per dictum Pontificem mittuntur Prædicatores, & Minores ad conversionem Tartarorum ad Fidem.

ANno Domini MCCXLV. (*) Crux prædicatur in Francia ad petitionem Regis Ludovici, qui ex quadam visione, quam habuerat in sua infirmitate in eodem anno Crucem assumserat, ut Vincentius scribit; & Dominus Oddo missus est Legatus in Franciam de Lugduno ad dictam Crucem prædicandam. Anno autem Domini MCCXLVI. scribitur Principibus Alamanniæ, ad quos pertinet electio Imperatoris, quibus mandatur per Innocentium, ut ad electionem Imperatoris procederent. Tunc elegerunt Lantgravium Ducem Thuringiæ, cui electioni obviat Conradus filius Frederici, quem pater ante Regem in Germania fecerat; contra quem auctoritate Innocentii in partibus Alamanniæ, & Picardiæ Crux prædicatur. His temporibus Summus Pontifex Innocentius Fratres Prædicatores & Minores mittit ad Tartaros pro ipsorum conversione ad Fidem, inter quos Fratres Prædicatores, & Minores duo erant principales; de Prædicatoribus Frater (**) Azelinus Lombardus; de Minoribus autem Frater Joannes de Plano. Isti autem jam totam occupaverant Persiam, & Assyriam, item totam Turchiam, quæ ante dicta est Armenia major, ubi & Asia minor.

CAP. VI.

Quo tempore Imperator proprium filium primogenitum occidit; de victoria, quam habuit Legatus contra Fredericum apud Parmam, & quæ mala est passus Fredericus.

ANno autem Domini MCCXLVII. ut tradunt Historiæ Tuscorum & Germanorum, Pontificatus Innocentii anno V. Imperator proprium filium primogenitum occidit eo modo & caussa, quæ dictæ sunt supra, qui Henricus dictus est. Eo etiam tempore Innocentius Legatum miserat in Lombardiam contra Fredericum, & suos, quem insequutus Fredericus cum suo exercitu, qui magnus erat, ipsum obsedit in Parma, & ipsos Parmenses, ut gesta Tuscorum, & Lombardorum tradunt. Fecerat autem Imperator unam Civitatem prope Parmam, quam Victoriam nominabant in despectum Parmensium, & omnium in Lombardia, qui partem Ecclesiæ tenebant. Eodem anno in festo Beatæ Luciæ Sol passus est eclipsim. Luna verò eclipsata est in nocte Nativitatis Domini. Et eodem anno pars Ecclesiæ Guelfæ de Florentia per violentiam Imperialis Gentis expulsa est, & sequuta sunt mala, quæ passus est Imperator, quæ infra immediatè dicuntur. Anno igitur Domini MCCXLVIII. dum esset Imperator in dicta Civitate cum magna multitudine gentium, & cum tripudio non modico, & festivis solatiis, subitò Parmenses cum parte Ecclesiæ Imperatorem invadunt, & ipse præventus quasi divina ultione, in fugam cum suis vertitur, magnaque strages fit de suis, multique capti, & multi occisi, & ipse vix evasit. Tota Camera sua perditur, & suis thesauris privatur.

CAP. VII.

Quo tempore Rex Franciæ Ludovicus fecit passagium ultra mare tunc contra Saracenos, cui in principio bene cessit, sed malum exitum habuit.

ISto eodem anno Rex Francorum Ludovicus in sexta Feria post Pentecostem de Parisiis transiens, iter transmarinum arripuit, ut scribit Vincentius, & in ejus comitatu Robertus, & Carolus fratres ipsius cum multis Regni Baronibus, & Episcopis fuerunt. In festo verò Beati Bartholomæi navem cum suis conscendens, Cyprum applicuit. Eodem etiam anno Alphonsus tertius frater post Regem navigans, ad ipsum pervênit, relicta matre ad custodiam Regni, videlicet Domina Blanca. Anno autem Domini MCCXLIX. in die Ascensionis Domini navem conscendens, naviganśque Damiatæ portum capit, & ipsam Civitatem. Ultra verò procedens ad expugnandum Saracenos obicem habuit multitudinem Saracenorum in passibus strictis, ubi multi de suis occiduntur, inter quos fuit frater suus Robertus, cujus nimia voluntate hoc malum sequutum est. Ipse verò Rex capitur, & cum reverentia detinetur. Sed post paulùlum, Deo disponente, sub certis pactis dimissus fuit. Mansit autem in Syria per annos V., hoc est à XLIX. usque ad LIV. cum aliqua gente pro redemtione captivorum; sed remisit duos fratres suos Alphonsum, & Carolum pro consolatione matris. Tradunt etiam aliquæ Historiæ, quòd pro se, & captivis redemtis donavit tunc ducenta millia sterlingorum. Et sic anno Domini MCCLIV. rediit in Franciam cum redemtis, & aliis non captis.

CAP.

(*) In Cod. Patav. MCCXLVI.

(**) In Cod. Patav. Anselmus.

CAP. VIII.

De Beato Petro Martyre, & Doctore, qualiter isto tempore floruit; de Rege Entio, qualiter fuit captus à Bononiensibus; qualiter Fredericus veniens Florentiam, partem Guelfam persequitur, & modus ponitur.

A
ANno etiam MCCXLIX. claruit in Lombardia in vita & doctrina ac miraculis Beatus Petrus de Ordine Fratrum Prædicatorum, origine Veronensis, sed occisus in territorio Mediolanensi ab Hæreticis, contra quos ardentissimè prædicabat, quem postea canonizavit Innocentius, ut supra patet. Hoc eodem anno filius Imperatoris, Rex Entius dictus, à Bononiensibus capitur, fuitque in carcere Bononiensium toto tempore vitæ suæ. Hoc eodem anno Fredericus veniens Florentiam furiosus ex iis, quæ acciderunt sibi præcedentibus annis, partem Guelfam de Florentia expulsam insequitur, ut gesta Tuscorum referunt. Et audiens Fredericus ipsos in quodam Castro habitare, quod Capraria dicitur, in dominio Florentino, illuc vadit cum suis Theutonicis, & parte Gibellina Tusciæ, ipsumque Castrum per violentiam capit; & nobiles omnes partis Guelfæ vituperosè tractavit, quia quosdam in aqua submersit, & Comitem Rodulphum dominum dicti Castri; quosdam autem excœcavit, & misit in Apuliam, inter quos fuit Dominus Raynerius Zingheriæ de domo Bondelmontis, qui quasi Barones erant in terra, & iste inter omnes major. Iis igitur temporibus, hoc est à MCCXLVIII. usque ad MCCL. Fredericus non cessat à persecutione Ecclesiæ, suorumque amicorum, sive sequacium.

B

CAP. IX.

Qualiter dictus Pontifex mortuo Lantgravio, mandat Electoribus, ut ad electionem alterius procedant, etiam vivente Frederico, & modo mortis.

EOdem anno Lantgravius Dux Thuringiæ moritur, & ex mandato Summi Pontificis Innocentii Electores, ut communiter Historiæ ponunt, ad electionem procedunt, & Guillielmum Comitem Hollandiæ in Rege Alamanniæ eligunt Imperatorem futurum, qui post modicum tempus à Saxonibus occiditur: & sic uterque benedictione caret Imperiali, adhuc Frederico vivente. Post hæc Fredericus vadit in Apuliam Anno Domini MCCL ibique gravi ægritudine pressus moritur apud Florensulam. Modum autem Martinus tradit. Primò quidem sine sacramentis, & pœnitentia in vinculo anathematis, quem infirmantem Manfredus filius ipsius naturalis, ambiens Regni Siciliæ dominium, & thesauros, uno Secretario Imperatoris conscio timens ne convalesceret, cussino super faciem ejus posito, suffocavit. Sicque assumsit dominium sub quibusdam simulatis caussis, & rationibus, sed non in toto, propter Regem Conradum, de quo infra dicetur.

CAP. X.

De mora, quam contraxit dictus Pontifex in Lugduno, & Libro, quem ibidem composuit; & de aliis Libris suis; qualiter Conradus venit cum exercitu in Regnum, & Neapolim capit.

INnocentius autem ab Anno MCCXLIV. usque ad MCCLIII. Lugduni contraxit moram: quod fuit spatium IX. annorum, ubi Librum composuit per modum apparatus Decretalium, quem totum, Canonistæ magis imitantur, tum quia quæstiones in pluribus continet, quæ disputabantur coram ipso à majoribus Curiæ, ut dicitur, & ipse magnus erat Doctor; & sic bene libratæ redigebantur in scriptis, tum etiam quia auctoritas Summi Pontificis multùm Librum authenticat. Fecit etiam alium Librum Summarum Decretalium, & quæ in Concilio tradita sunt, quas Novellas vocavit; Dominus autem Ostiensis in sua Summa Authenticas vocat. Quas enim Decretales Bonifacius fecit, in suo Sexto Libro conclusit. Fecit & alium Librum de Jurisdictione Imperii & auctoritate, ubi respondit præsumtuosis & fastuosis definitionibus Logothetæ Frederici, hoc est Petri de Vineis, qui postea habuit exitum juxta suam mercedem, quem libellum voluit Apologeticum appellari. Anno autem Domini MCCLI. Rex Conradus intrat Regnum Apuliæ, & Neapolim capit. Hic enim filius fuit legitimus Frederici, natus de filia Regis Joannis Hierosolymitani, quem Regnicolæ libenter videbant, & in Neapoli castrum ædificavit.

C

CAP. XI.

De morte Regis Conradi, & modo mortis, ac de filio, quem reliquit, & sub cujus cura; & qualiter Manfredus dictam curam assumsit; & de reditu Innocentii in Italiam.

D
ANno autem Domini MCCLII. Rex Conradus moritur. Reliquit autem unum filium parvulum, qui Conradus vocatus est, quem mater secum in Theutoniam transportari fecit, ibidemque nutriri. Cusentinus tamen dicit, quòd erat in Theutonia cum matre, & erat duorum annorum. Ipsa verò nupsit Comiti de Tiralla. Quid autem sit factum de isto Conrado, infra dicetur; sed hæc sufficiant ad præsens de Conrado dicta. Tradunt autem aliquæ Historiæ, ipsum Conradum à Manfredo fratre suo primò per flasconem vini in quadam venatione fuisse venenatum; secundò in clisteri, quod oportuit facere propter torsiones aggravantes ex primo veneno, ut gesta Tuscorum tradunt; & ex hoc moritur. Reliquit autem Baylum pueri, ut scribit Cusentinus, Bertoldum Marchionem de Ovemburg, qui postea in Baylatu cessit Manfredo. Hic ergo curam gerens pro pupillo, sub isto prætextu assumsit dominium. Quod audiens Innocentius, eodem anno in Italiam rediens de Lugduno, primò venit Perusium, anno videlicet Domini MCCLII., ibique magnum parat exercitum ad intrandum Regnum Apuliæ contra Manfredum.

E

CAP.

CAP. XII.

Qualiter Innocentius cum magno exercitu vadit Neapolim contra Manfredum, ibidemque infirmatus, moritur; quomodo in sequenti anno, simulata morte Conradi, Manfredus se coronavit in Regem; de quibusdam Doctoribus, qui isto tempore floruerunt, & de Palæologo.

ANno autem Domini MCCLIII. recedens de Perusio, vadit Neapolim cum exercitu magno. Cùmque illuc pervenisset, statim quasi infirmatus est, & moritur; sepultusque est cum honore in majori Ecclesia Sancti Laurentii. De exercitu autem quilibet rediit ad sua; & sic Manfredus majorem assumit audaciam. Unde Anno MCCLIV. simulata morte Conradini, consumma oque planctu, ac assumtis quibusdam Baronibus, Coronam accepit Regni, & tamquam Regem se gerit, & se Regem nominari mandavit; quod duravit ab Anno MCCLIV. usque ad MCCLXV. ut Historiæ tradunt. Anno igitur Domini MCCLIII. Innocentius IV. moritur, qui sedit in Cathedra Petri annis XI. & mensibus VI Moritur autem secundùm gesta Francorum VI. Id. Augusti; & tunc non erant, nisi XI. anni & duo menses. Vacavit autem mensibus III. diebus IV. Hujus Pontificis tempore floret Frater Alexander Ordinis Fratrum Minorum, qui grandævus dictum intravit Ordinem, & Summam in Theologia scripsit valde copiosam. Floret etiam Bernardus Parmensis, qui Apparatum fecit super Decretales, qui hodie extant. Scripsit etiam casus super easdem; unde Innocentius IV. fuit contemporaneus ejus, & sub ipso Apparatum fecit. Floruit etiam eo tempore Compostellanus, qui Apparatum fecit, sed non complevit. Hujus etiam Pontificis tempore Lascarus, ut Cusentinus scribit, Imperator Græcus moritur, qui parvulos reliquit filios, & sub cura Michaëlis dicti Palæologi, qui de ipsius linea consanguinitatis erat, qui ex ambitione dominandi, procuravit, dictos pueros excæcari; & ipse assumens dominium dictos pueros nobili inclusit Monasterio. Dictus autem Michaël vocatus Palæologus imperat super mare Ponticum. Balduinus autem III. Imperator Latinus in Constantinopoli cum aliqua militia Gallicana, ac Venetorum virtute. Nunc autem de Innocentio, & de iis, quæ suis sunt acta temporibus, in tantum sint dicta.

CAP. XIII.

De Alexandro IV. & CLXXXVIII. Pontifice, & operibus ejus virtuosis; qualiter damnavit quemdam Libellum conflatum contra pauperes Religiosos, & auctorem ipsius damnavit, & quemdam alium, qui æternum, vel quintum Evangelium dicebatur.

ANno autem eodem, hoc est MCCLIII., & ab Urbe condita MMXXIII. Alexander IV. natione Campanus de Anagnia in Summum Pontificem assumitur. Sedit annis VII. ut communiter Historiæ tradunt. Hic fuit multùm in beneficiis gratiosus, & pius; pauperibus Prædicatoribus, & Minoribus benignè favit, & ipsos privilegiis munivit. Unde quemdam Libellum conflatum, quo pauperes Religiosi vivendo de Ecclesiis, etiam prædicando verbum Dei, non sunt in statu salutis, in publico Concistorio comburi fecit tamquam dogma pestiferum; & Auctor ipsius cum suis sequacibus damnatus extitit, qui dictus est Guillielmus de sancto Amore. Hic etiam alium pestiferum Libellum comburi fecit, in quo asserebatur, quòd Lex Evangelii neminem ad perfectum ducebat, sed Lex Spiritus; unde sic se habebat Lex Evangelii ad Legem Spiritus, sicut lex vetus ad legem gratiæ; & quòd Lex Evangelica Christi in MCCLX. evacuari debebat, & Lex Spiritus subintrare. Quæ quidem secta pessima originem traxit ex verbis Joachim, & libris ejus, & multos habuit tunc temporis sectatores sub quadam specie sanctitatis. Sed dictus Alexander exstirpavit de terra. Unde primò fecit in publico Concistorio comburi, Librum, qui Liber vocabatur à sectatoribus suis Evangelium æternum. Contra imitatores autem hujus sectæ dictus Pontifex durum fecit processum.

CAP. XIV.

Qualiter militiam mittit contra Manfredum, & processus duos facit, sed non proficit; de quodam Cardinali suspecto in isto facto; & de Legato, quem misit in Lombardiam.

HIc etiam Pontifex processit contra Manfredum, qui se Regem fecerat in Regno, & in præjudicium Ecclesiæ sibi coronam imposuit. Ipsum primò excommunicavit; mandans omnibus Fidelibus, quòd nullus vocaret eum Regem. Insuper & exercitum congregavit contra ipsum, sed non prævaluit, immo succubuit; quod fuit (*) anno II. sui Pontificatus. Summus autem Pontifex adhuc graviorem sententiam renovat super Manfredum. Sed ipse cum sua industria, & liberalitate quotidie in amicis crescit, & proficit. Eo enim tempore Gibellina pars per eum expellitur de Florentia, & Guelfa prævalet. Unde Manfredus partem accipit patris in Tuscia, & partem in Lombardia, ipsamque fovet cum suo thesauro. Tunc erat in Curia unus Cardinalis de Florentia, qui istam partem favebat, cui nomen Dominus Octavianus, cui fuit impositum, quod fraudem commiserat in exercitu Alexandri contra Manfredum. Unde in facto dicti Principis in Curia multùm fuit suspectus. In Lombardia verò duo erant Tyranni faventes eidem, unus vocabatur Pelavisinus, alter verò vocabatur Ezelinus. contra quos fuit missus Legatus per Alexandrum in favorem amicorum Ecclesiæ in dicta Provincia, & fuit Archiepiscopus Ravennas homo magnæ strenuitatis. Hic congregat exercitum contra eos, & captus fuit in bello ab Ezelino. Sicque Manfredus fortificatur in tota Italia.

CAP.

(*) *In Cod. Patav.* Anno III.

CAP. XV.

Qualiter Manfredus expellit omnes Nobiles de Regno, quos habebat suspectos, & novos creat; de duobus Tyrannis Lombardiæ, qui ultimò malum exitum habuerunt; qualiter Principes Alamanniæ duos eligunt in discordia.

AD majorem autem securitatem sui dominii omnes nobiles, quos habebat suspectos, quòd essent Ecclesiæ favorabiles, expellit de Regno, & loco ipsorum novos creat. Sicque potestas Ecclesiæ quotidie diminuitur, & potentia Manfredi crescit. Sed quamvis aliquo tempore isti duo Tyranni multa gravamina intulerint parti Ecclesiæ; ultimò tamen defecerunt, quia unus mala morte interiit, videlicet Ezelinus, toto genere suo exstirpato; alius autem per Cremonenses, Placentinos, Parmenses ad nihilum est redactus. Et sic pars Ecclesiæ prævaluit in Lombardia. Hic non oportet auctoritates introducere, quia hoc vidimus, & audivimus, & manus nostræ contractaverunt. Anno autem Domini MCCLVI. Pontificatus Anno III. Alexandri, Principes Alemanniæ Electores Imperatoris ad electionem conveniunt. Diviseruntque se in duas partes, quia una pars elegit Regem Castellæ Alphonsum; alia verò Dominum Richardum Comitem Cornubiæ, fratrem Regis Angliæ: quæ quæstio duravit multis annis, nec terminata fuit, nisi per mortem utriusque. Pro qua quidem quæstione infinita pecunia est expensa, sed præcipuè ex parte Regis Alphonsi, qui fuit vir gloriosus, & amator honoris: propter quam caussam multùm spoliavit Regnum suum.

CAP. XVI.

Quomodo Alexander canonizavit Sanctam Claram; qualiter Palæologus cepit Constantinopolim; qualiter Gibellini conjunxerunt se cum Manfredo, & duæ Civitates de Tuscia; & de morte Alexandri.

ANno Domini MCCLVII. Pontificatus verò Alexandri (*) Anno III. dictus Pontifex canonizavit Sanctam Claram de Ordine Sancti Damiani, quæ postea factæ sunt Minorissæ. Anno Domini MCCLIX. Pontificatus verò Alexandri anno VI. Michaël Græcus dictus Palæologus jam fortificatus in Græcorum dominio loco filiorum Lascari, de quo dictum supra in præcedenti Capitulo, per incuriam Imperatoris Balduini, & Venetorum, Constantinopolim capit, & Latinis aufert quod tenuerant, ut supra patet, à MCCII. usque modò. Sicque Palæologus in Constantinopoli coronatur, & terras circumstantes suæ subjicit ditioni. Eodem Anno Gibellini de Tuscia expulsi, ut gesta Tuscorum tradunt, conjungunt se cum Manfredo, mediante Domino Octaviano Cardinali, in qua collegatione fuerunt Senenses propter gravamina, quæ inferebantur eis propter Florentinos, & Lucanos. Unde istæ Civitates in Tuscia se tenebant cum Manfredo, Pisanis, & Senensibus Gibellinis expulsis de diversis Civitatibus, & Castris. Anno igitur MCCLX. Alexander moritur in festo Sancti Urbani VIII. Kal. Junii, ut communiter Historiæ tradunt; & apud Viterbium in Ecclesia Sancti Laurentii honorificè sepelitur.

(*) *In Cod. Patav.* Anno IV.

CAP. XVII.

De actibus virtuosis Alexandri, quomodo multas Decretales fecit; & suo tempore duo floruerunt in ordine Prædicatorum summi Theologi, & Philosophi, & cum multis Pontificibus concurrerunt usque ad Gregorium X.

EOdem Anno in Septembri Manfredus mittit magnam militiam Theutonicorum in Tusciam apud Senas, contra quos iverunt Florentini, & Lucani, qui fuerunt devicti; & ex tunc Manfredus prævaluit in Tuscia, & mittebat Vicarium. Hic etiam Pontifex hanc famam habuit, quòd fuerit vir magnæ humilitatis, & pietatis; unde tradunt aliquæ Historiæ, quòd fuerit Episcopus Ostiensis, & interdum ibat Ostiam, & Veletrum, ibique prædicabat verbum Dei, vel coram se prædicari faciebat, ibidemque suis Clericis Ordines conferebat, & in caussis suorum subditorum assistebat secundùm decentiam sui status. Decretales multas fecit, quæ in VI. Libro diversis titulis continentur; pauperes Religiosos multa fovit pietate, & injuriis sublevavit, & præcipuè in gravaminibus eisdem illatis per suum Antecessorem. Suo autem tempore floruerunt duo magni Doctores in Ordine Prædicatorum, licèt alii multi clari fuerint in eodem tempore, tam in vita, quàm in doctrina. Sed isti transcendunt, & ideo meritò sunt omnibus præponendi.

CAP. XVIII.

Agitur primò de Alberto, & de actibus virtuosis ejus, & de libris, quos composuit & in Philosophia, & in Theologia, & de aliis, qui fuerunt multi.

UNnus fuit Frater Albertus Theutonicus vir præclarissimæ vitæ, qui cum multa innocentia in eodem Ordine Deo servivit, qui etiam quantùm ad generalitatem scientiarum, & modum docendi inter Doctores maximam excellentiam habuit. Hic commentatus est totam Logicam Aristotelis, Philosophiam naturalem, & quantùm ad naturalem experientiam naturarum clarissima & excellentissima tradidit. Hic Theologiam declaravit. Fecit enim scripta super quatuor Libros Sententiarum. Hic fecit Librum, ubi disputantur materiæ naturales, & ponuntur sub Philosophicis quæstionibus, quantùm dici potest in Philosophiæ terminis, & ipsam ad Theologiam adaptando. Hic exposuit magnam partem Bibliæ, quia postillavit Evangelia, Epistolas Pauli, Prophetas majores, minores, Librum Salomonis, & Job. Hic Summam Theologiæ inchoavit, sed non complevit. Fecit tamen duo volumina, quæ ad divinam naturam pertinent, & emanationem creaturarum.

CAP.

CAP. XIX.

Qualiter factus est Episcopus Ratisbonensis, & quomodo cum multa sua instantia suam procuravit renuntiationem; qualiter apud Coloniam lectiones resumsit, & multo tempore legit, ibidemque in pace quievit.

HIc factus est Episcopus Ratisbonensis in Ducatu Bavariæ, qui multùm honorabilis est. Cœpit onera Episcopatus subire, quæ in Theutonia nimis sunt militaria, (quia consecrari non possunt, nisi cum ense) quæ sibi incubuerunt pro tempore. Considerans igitur statum tranquillum, quem dimiserat, & baratrum, in quod incidit, non quievit, quousque acceptata fuit sua renuntiatio per Summum Pontificem: quod faciliter impetravit ex sua gratiositate sermonis, & ex magna fama suæ doctrinæ, quæ totaliter peribat cum ense, & lancea. Cessione ergo facta, elegit scholam Coloniensem, ibidemque lectionem usque ad tempora mortis suæ resumsit: quod fuit spatium XVIII. annorum, vel circa, ubi multos bonos Scholares fecit, & de prædictis operibus aliqua. Tamdem anno MCCLXXX. & ipse plus quàm octogenarius beato fine quievit. Et quamvis in scientificis, pro exemplo aliorum, multum desipuerit circa tres annos à sua morte quantùm ad memorativam, cùm ante alios transcenderet gratia singulari: vigor tamen devotionis ad Deum non defuit ad faciendum, quæ requirebat status suæ Religionis.

CAP. XX.

De Fratre Thoma de Aquino, quis fuit, & quomodo intravit Ordinem, & qualiter per violentiam fuit Ordini subtractus per familiam Imperatoris Frederici.

SEcundus Doctor fuit Frater Thomas de Aquino, qui auditor fuit Fratris Alberti, origine nobilis, & de magnis Comitibus Regni Apuliæ natus, & infra ipsos dilatatus, cujus progeniem in parte Fredericus destruxit, quia fideles Ecclesiæ; sed prævaluit tempore Caroli. Hic nutritus in sua pueritia in Abbatia Montis Casini, qui sunt Monachi nigri, & secundùm morem nobilium illius Patriæ (ut patet de Beato Mauro, & Placido) ibidem in sua pueritia in Logicalibus, & naturalibus optimè profecit, habens secum semper Magistrum specialem more Nobilium regionis. Cùm autem jam esset XVI. annorum, habitum Fratrum Prædicatorum assumsit, & in eo in pura innocentia vixit XXXII. annis, vel circa. In suo autem introitu multa passus est à consanguineis. Cùm enim Frater Joannes Theutonicus Magister Generalis Ordinis præfati, vir maximæ famæ pro tempore illo in Urbem de Neapoli Fratrem Thomam educeret, ubi Ordinem intraverat, versùs Perusium veniens, in Tuscia ad quoddam Imperatoris Castrum, quod Aquapendente vocatur, ibidem Fredericum invenit. Et unus germanus Fratris Thomæ cum ipso, dictus Dominus Reginaldus, vir probitatis non modicæ & inter majores in Curia Frederici, quamvis postea ab ipso fuerit interfectus, statim ut sensit, fratrem suum advenisse, Frederico dissimulante, ipse Dominus Reginaldus cum Petro de Vineis, & suis famulis, germanum suum subtraxit prædicto Magistro, impositoque in equo, violenta manu cum bona comitiva ipsum in Campaniam misit ad quoddam Castrum ipsorum vocatum Sancti Joannis.

CAP. XXI.

Qualiter ductus est in Castro Sancti Joannis, multo tempore ibidem vexatus est ad Ordinem relinquendum, & non potuit averti; quomodo ad Ordinem rediens, vadit in Coloniam ad Fratrem Albertum; qualiter ibidem renuntiavit Abbatiæ Montis Casini, & de Libris, quos fecit ante magisterium.

UBi longo tempore vexatus est ad habitum Ordinis relinquendum, nec à sancto proposito averti potuit, sive minis, sive blanditiis, seu quibuscumque modis, prohibentes accessum cujuscumque Fratris; sed per privatas personas ordinavit, quòd Fratres sui Ordinis de nocte venirent ad murum Castri, quia cum fune se dimitteret. Sicque factum est; & statim animalia sunt parata ad ipsum deducendum Romam. Inde vadit Coloniam ad Fratrem Albertum, ubi multo tempore fuit; & ibidem existens, oblata fuit eidem Abbatia Montis Casini per Alexandrum gratiâ parentum, quia erant expulsi de Regno; & recusavit. Ac ibidem multa hausit, quamvis ex suo ingenio multa invenerit, quia in inventiva, & judicativa omnem hominem transcendit. Post hoc vadit Parisios, annorum XXV. erat, cùm primùm venit Parisios, ubi infra trigesimum annum Sententias legit, & conventum in Theologia, sive licentiam recepit. Infra autem Magisterium quatuor Libros fecit super Sententias, videlicet primum, secundum, tertium, & quartum. Quosdam etiam Libellos composuit. Unus fuit contra Guilliemum de Sancto Amore: qui incipit: *Domine, ecce inimici tui sonuerunt*. Secundus fuit de quidditate, & esse. Tertius fuit de principiis naturæ.

CAP. XXII.

De his, quæ scripsit in principio Magisterii; de actibus virtuosis ejus, & quantitate innocentiæ, & elevatione mentis ejus; de duobus Doctoribus Juris Canonici, qui isto tempore floruerunt.

POst hoc, ipso Magistrato, fecit Quæstiones de Veritate. Post tres annos sui Magisterii redit in Italiam, tempore videlicet Urbani IV. de quo nunc est agendum, cujus tempore etiam multa fructuosa scripsit. Eo verò tempore sic habuit mentem elevatam in activa, & contemplativa, ut tradunt qui cum ipso tunc erant Parisiis, ut quasi insensibilis videretur. Sicque suos actus in Divino mancipabat obsequio, ut nihil jam in hoc Mundo haberet de Mundo. Hæc de ipso pro tempore Innocentii, quo Ordinem intravit, & Alexandri, quo multùm claruit, nunc sint dicta. Cætera verò ad tres sequentes Pontifices reservemus, quæ magna fuerunt, & digna memoria. Hoc etiam tempore floret in Jure Canonico Bartholomæus Brixiensis, qui ad Glossam Joannis super Decretum multa addidit, & declaravit, quæ hodie per Scholas currunt. Fecit casus super Capitula Decretorum, & determinavit quæstiones Domini-

nicales. Hoc eodem tempore floret Dominus Henricus Cardinalis Ostiensis, qui priùs fuerat Archiepiscopus Ebredunensis. Hic magnus in utroque Jure, & sicut bonus Theologus, egregius Prædicator, ac vir laudabilis vitæ fuit in suo statu. Qualia scripsit, manifesta sunt; quia scripsit Summam, quam Copiosam vocavit. Fecit & Apparatum super Decretales omni Jure plenum.

CAP. XXIII.

De Urbano IV. & CLXXXIX. Pontifice, qualiter assumptus est de Patriarchatu Hierosolymitano; hic duos Cardinales fecit, unum videlicet Nepotem suum, & Fratrem Anibaldum.

ANno Domini MCCLXI. & ab Urbe condita MMXXXI. Urbanus IV. in Cathedra Petri sedet, assumtus in Decollatione Sancti Joannis Baptistæ. Sedit autem tribus annis, mense I. & vacat mensibus V. Hic natione Gallicus de Civitate Trecensi Patriarcha Hierosolymitanus erat, quando assumtus est: unde & de ultra mare venit, quando creatus est. Hic fecit duas Ordinationes, in quibus fuerunt creati duo Cardinales, quorum unus fuit Nepos suus vocatus Dominus Anicherius; alter fuit Nepos Domini Richardi de Anibaldis, qui vocatus est Frater Anibaldus de Ordine Fratrum Prædicatorum, qui fuit Magister in Theologia, & fuit vir magnæ humilitatis, & veritatis, & sanctus homo, quem Frater Thomas multùm dilexit; fecitque scripta super Sententias, quæ intitulantur Domino Anibaldo, quæ nihil aliud sunt, quàm abbreviatio dictorum Fratris Thomæ.

CAP. XXIV.

De reditu Fratris Thomæ in Italiam tempore hujus Pontificis, & qualia fecit suo mandato, & scripsit; quomodo Studium generale fecit Romæ, ubi multa utilia scripsit, quæ hìc patent.

TUnc Frater Thomas redit de Parisiis ex certis caussis, & ad petitionem Urbani multa fecit, & scripsit; sed præcipuè duo. Unum fuit, quod exposuit Evangelia sub (*) initio textu diversorum Doctorum, ita ut unus auctor videatur: quod non fuit sine magna tradentis subtilitate, & omnino Sancti Spiritus inspiratione, cujus organum mirum fuit. Tunc florebat in Ordine Fratrum Minorum Frater Bonaventura patria Tuscus, & Magister in Theologia, de quo infra dicetur. Huic Urbanus duo Evangelia glossanda commiserat; sed excusans se propter officium, quod habebat, quia Magister Generalis erat, idem Doctor Sanctus Frater Thomas supplevit. Isto autem tempore Thomas tenens Studium Romæ, quasi totam Philosophiam sive Moralem, sive Naturalem exposuit, & in scriptum, seu commentum redegit; sed præcipuè Ethicam & Mathematicam, quodam singulari & novo modo tradendi. Scripsit etiam tempore ejusdem Pontificis Librum contra Gentiles, & quæstiones de Anima; exposuit Job; & quædam alia Opuscula fecit. Officium etiam de Corpore Christi fecit ex mandato Urbani: quod est secundum, quod fecit ad petitionem Urbani. Hoc autem fecit completum & quantùm ad Lectiones, & quantùm ad totum Officium, tam diurnum, quàm nocturnum, quàm etiam ad Missam, & quicquid illa die cantatur. In qua Historia, si attendimus ad verba scribentis, quasi omnes figuræ veteris Testamenti in hoc Officio videntur contineri, luculento & proprio stilo adaptatæ ad Eucharistiæ Sacramentum.

CAP. XXV.

De Indulgentia, quam dedit Pontifex in die festo, quam voluit esse perpetuam, in Concilio Viennensi; de aliis magnis & arduis, quæ fecit dictus Pontifex, quæ hìc patent contra Manfredum.

IN quo Officio Summus Pontifex magnam Fidelibus tribuit Indulgentiam, qui dicto interessent Officio, perpetuò duraturam. Quod quidem Officium fuit postea sub Clemente V. roboratum Anno Domini MCCCX. in Concilio Viennensi super Rhodanum celebrato. Nunc ad alia procedendum, quæ Urbanus fecit, quia & magna sunt. Primò quidem contra Manfredum exercitum congregat, & Crucesignatos facit contra exercitum Saracenorum, quem Manfredus in patrimonium Ecclesiæ miserat ad invadendum; sed per Crucesignatos confusibiliter sunt fugati. In Tusciam etiam misit Legatum contra Jordanum, & Comitem Franciscum, qui Vicarii erant ibi pro Manfredo, & successivè cum parte Gibellina; ubi & Crux prædicata est contra prædictos Vicarios, & partem Manfredi in subventionem partis Ecclesiæ. Sed cùm dictus Urbanus videret partem Ecclesiæ omnino deficere, & Manfredum proficere, ac in suis actibus prosperari, consilio habito suorum Fratrum, Comitem Provinciæ advocat in suum auxilium, fratrem Regis Ludovici Regis Francorum, cui nomen Carolus, & cui dictus Pontifex, ut ad juvandum Ecclesiæ esset ferventior, Regnum Siciliæ contulit cum suis annexis: quod quidem accidit Anno Domini MCCLXIII. Pontificatus sui anno II. sive in principio tertii.

CAP. XXVI.

Qualiter ista facta sunt cum favore Regis Ludovici, & assignantur caussæ; de morte Urbani, & qualiter eo tempore cometa magnus apparuit, & effectus magni sequuti sunt.

IN quo quidem facto adfuit favor Regis Francorum Ludovici triplici de caussa, ut dictus Rex aliquando retulit. Una fuit reverentia dicti Principis ad Romanam Ecclesiam. Secunda fuit amor sui generis circa honoris augmentum, cujus appetitus etiam suæ conjugi inerat, videlicet Caroli, ut cum suis sororibus nomen sortiretur Reginæ. Tertia caussa fuit quies sui Regni, quod perturbabat Carolus in torneamentis, & aliis. Assensit igitur Carolus collationi sibi factæ, & ad prosequendum jura sibi concessa de Regno, toto posse se parat. Anno igitur Domini MCCLXIV. Urbanus moritur apud Perusium, & in majori Ecclesia sepelitur. Scribit au-

(*) *Fortè* subjuncto.

autem Cusentinus, quòd tunc Urbanus parabat se ad eundum in Franciam, sed infirmitate præpeditus moritur. Referunt autem Historiæ communiter, sed præcipuè Vincentius scribit, quòd ante mortem ipsius apparuit Cometa tam admirabilis, qualem tunc nullus vivens ante vidit, ab Oriente cum fulgore surgens, usque ad medium Cœlum versùs Occidentem comam perlucidam protrahebat. Et licèt in diversis partibus fortè multa significaverit, pro certo unum compertum est, quia cùm plusquam per tres menses duraverit, ipso primò apparente, cœpit Urbanus infirmari, & eadem die, qua moritur, Cometa disparuit. Potuit etiam & adventum Caroli insinuare in Italiam ad novum dominium acquirendum, occiso Manfredo: quod & in sequenti anno dicitur accidisse. De hoc autem Pontifice scribitur, quòd apud Trecis, in loco, ubi natus est & nutritus, fabricavit Ecclesiam, quam Beato Urbano intitulavit, ipsamque dotavit. Obiit autem in Festo Beati Joannis, hoc est ultima die Septembris.

CAP. XXVII.

Quòd tempore istius Pontificis ortum est dissidium in Anglia inter Regem, & Comitem Simonem Montis-fortis, & quæ secundo anno sui Pontificatus Comes fecit; & de malis, quæ ex hoc dissidio sunt orta, quæ etiam multa fuerunt.

TEmpore autem Urbani fuit dissidium in Anglia inter Comitem Simonem Montis-fortis, & Regem, quod fuit in MCCLXIII. & secundo sui Pontificatus anno. Quia Comes fecit arrestari Regem Henricum nomine, patrem Odoardi, opponens eidem, quòd Regnum dilapidaretur per ipsum. Propter quam caussam commotus populus, Odoardo adhuc puero se conjungit, unde Comitem aggrediuntur, & suam gentem, & succumbit Comes in bello, & capitur cum filio suo Henrico, juvene magnæ strenuitatis, honestatis, & sapientiæ. Ambo autem impetu populi trucidantur, & ignominiosa pertractantur morte. Sicque inimicitia inter eos firmatur perpetuò, hoc est inter genus Regis, & genus Comitis, cùm tamen essent Cognati, ut infra in effectu probatur. Propter quam caussam missus fuit per Urbanum Legatus Dominus Guido Sabinensis Episcopus; venitque in Franciam usque ad transitum maris in Angliam; sed transire non potuit, quia non fuit permissus.

CAP. XXVIII.

Qualiter Urbano mortuo, eligitur in Papam Dominus Sabinensis; de Rege Alphonso Rege Castellæ, qualia fecit, & de magnificentia, & potentia ejus, & qualia fecit contra Regem Granatæ, & contra Stelettum, & Murciam.

URbano igitur mortuo, iste Dominus Guido Sabinensis Episcopus in Papam eligitur. Sed quis fuerit iste Sabinensis, in sequenti Capitulo est agendum. Multa etiam alia acciderunt tempore dicti Pontificis, ut de Rege Alphonso Rege Castellæ, qui multùm conatus est

(*) In Cod. Patav. Sedestrum.

A se ipsum in fama profundere: propter quod multa effudit in personis diversis diversarum nationum concurrentium ad ipsum; sed præcipuè in facto Imperii fuit profusus: propter quod regnum suum multùm exhausit, sed in ipso parum profuit, ut jam apparebit. Fuit tamen potentissimus inter Reges Hispaniæ, unde contra omnes prævaluit, cùm essent colligati cum quodam suo germano, qui vocatus est Henricus, quem dictus Rex de Regno suo expulit, longoque tempore exulavit, quia non potuit induci ad osculum manus Regis, ut alii faciebant fratres juxta consuetudinem Regni Castellæ. Hic etiam Regem Granatæ multùm humiliavit, & in ipso augumentavit tributum; quia tempore

B patris solvebat omni die mille Marabotinos Regi, sed per istum augmentatum est, ita ut in die Veneris pro reverentia Crucis duo millia daret. Hic etiam expugnavit in Wandalia Sceletum (*), quod erat Regnum Saracenorum. Suo etiam tempore conquisitum est Regnum Murciæ cum adjutorio Regis Aragonum Jacobi, qui erat eidem Socer. Qualem autem postea habuit exitum, infra videbitur, quum de Gregorio agetur X. quia est memoria dignum. Hoc ad præsens de isto Pontifice, & de gestis temporibus suis sufficiat, & ad alium Pontificem accedendum est.

C

CAP. XXIX.

De Clemente IV. & CXC. Pontifice; quomodo est assumtus, & quis fuit; & de probitatibus, & operibus ipsius virtuosis; & qualiter diversos status habuit in Ecclesia.

ANno igitur Domini MCCLXV. & ab Urbe condita MMXXXV. Clemens IV. in Cathedra Petri locatur. Vacavit autem tunc Ecclesia post mortem Urbani mensibus V., & in Festo Agathæ fuit electus, ut gesta Gallicorum tradunt. Hic natione Provincialis, & de Villa Sancti Ægidii vocatus Guido Fulcodii, sedit annis III. mensibus IX. diebus XXIV. & vaca-

D vit Ecclesia annis II., & mensibus IX. Vincentius dicit annis tribus: quod fortè dicit, quia eo tempore, quo Gregorius X. fuit ultra mare, se habuit Ecclesia, ut vacans. Hunc autem communiter Historiæ sic describunt, quòd fuerit vir magnæ probitatis, & exempli, quia omnem statum Mundi expertus est, & in quolibet virtuosè se habuit. Primò quidem uxoratus, filios, quos habuit, in cultu enutrivit divino. Advocatus in utroque Jure, in Curia Regis Ludovici sancti gratiam habuit in conspectu ejus; unde & ipsum de suo secreto fecit concilio.

E Mortua verò conjuge, vitam Clericalem assumsit, & in brevi tempore factus est propter sua merita Auxiensis Episcopus; inde assumitur in Archiepiscopum Narbonensem propter exempla virtutum, quas videbant de ipso.

CAP.

CAP. XXX.

Qualiter per Urbanum factus est Cardinalis Sabinensis, & quomodo est factus Legatus in Anglia; sed non transiit propter turbationem; qualiter electus in Papam, occultè venit Perusiam; de processu, quem tenuit circa promotionem Caroli.

PRopter quæ omnia Urbanus prædecessor ejus Cardinalem Sabinensem facit. Ac tamdem ab eodem Papa Urbano in Angliam Legatus mittitur propter turbationem inter Regem Henricum, & Comitem Simonem Montisfortis, de quo actum est supra. Existens igitur in Francia, quia in Angliam transire non poterat, in Papam eligitur. Sed scrutinio retento, mittitur pro ipso à Collegio. Ipse verò occultè propter potentiam Manfredi in Italiam, & regiones guerrosas ibidem sub habitu Monachali, festinanter vênit Perusiam, & post multam precum instantiam sibi porrectarum cum lacrymis, acceptato Papatu, vênit Viterbium, ibidemque residentiam fecit. Et Carolum Comitem Provinciæ, & Regis fratrem, secundùm ordinationem Urbani eodem anno in Sancto Joanne Laterano per quosdam Cardinales coronari mandavit, quem etiam tunc Senatorem constituit Urbis, & eidem leges tradidit circa regionem Regni, videlicet secundùm statuta Regis Guillielmi, de quo dictum est supra: ad quæ observanda ipsum sub juramento fidelitatis adstrinxit. Sub eodem etiam juramento ipsum arctat circa factum Imperii: quæ quidem pacta adhuc existunt, quòd non deberet se de ipso ingerere, nec electioni de se factæ consentire, vel ipsam prosequi: aliter à jure Regni ipso facto cadit.

CAP. XXXI.

De pactis initis per Clementem inter Carolum pro se, & suis heredibus in Ecclesia Romana; qualiter suam militiam expectat in Urbe jam factus Senator, & coronatus in Regem; & qualiter eodem anno Regnum invadit.

ET attende, quia circa istam materiam est unus magnus sexternus, qui in Archivis Romanæ Ecclesiæ teneri deberet: quod facit præfatus Pontifex pro pace conservanda inter Imperatorem, & Papam; & inde voluit utriusque dominia, sive quæcumque ipsorum jura omnino esse distincta ad materiam tollendam litigii in alterutrum, sicut primus Ludovicus fecit, ut supra est manifestum. Anno igitur Domini eodem, ut supra, veniens Dominus Carolus Romam, susceptis dignitatibus per Clementem sibi collatis, & per Urbanum sibi promissis, ibidem suam expectat militiam, quæ per Lombardiam veniebat. Ipse autem cum XX. Galêis de Marsilia ad Urbem applicuit. Suâ igitur militiâ collectâ, eodem anno recedit de Urbe, vadit in Campaniam versùs Pontem Ceperani, ubi est principium Regni, quem Manfredus optimè munierat gente, & propugnaculis; sed non potuerunt resistere ad impetum gentis Caroli. Sicque

(*) In Cod. Patav. Sancto Ellero.

A per violentiam belli pontem capiunt, & aquam fluvii transeunt, & gentem Manfredi aut captivant, aut occidunt, aut fugant. Inde procedunt ad Sanctum Germanum, & Montem Casinum, Castra munitissima; nec potuerunt resistere. Occupatis igitur locis prædictis, Carolus cum sua militia & populo Manfredum insequitur, qui se recollegerat in Beneventum.

CAP. XXXII.

Qualiter Carolus cum Manfredo pugnat in campo, ipsumque devincit in bello, & occidit; & eodem anno quasi totum Regnum occupat; de Vicariatu Tusciæ concesso eidem, & qualiter illuc militiam mittit, & prævalet.

B

VEniens ergo Carolus cum suis ad dictam regionem, Manfredo bellum offert; sicque spontaneè utraque acies pugnat in Beneventana planitie, diuque & acriter bellant; sed prævalet militia Gallicana belligerantes Romano more. Sicque acies Manfredi quasi cæsa est tota, sed præcipuè Theutonicorum, & ipse etiam Manfredus occisus in bello. Tunc intrat Beneventum, ibidemque residentiam facit, & in eodem anno & sequenti totum Regnum recuperatur, sive sponta eè subjiciendo se Carolo, sive per
C violentiam belli. Exstirpatis omnibus Manfredi, sequacibus, & nobilibus expulsis de Regno per Manfredum, ex mandato Summi Pontificis Clementis in suis juribus restitutis, anno sequenti, hoc est MCCLXVI. misit Rex Carolus quingentos milites Gallicos in Tusciam, & cum Comite Guidone Guerra, & cum alia militia partis Guelfæ; ubi primò vadunt Florentiam, inde Gibellinos expellunt; & omnes quasi Civitates de Tuscia ad partem Guelfam se convertunt, præter Pisas, & Aretium. Interim autem ultra Senatum Urbis fit Vicarius in Tuscia Rex Carolus auctoritate Papæ Clementis, Imperio vacante, licèt duo fuissent electi, quorum nullus habuit bene-
D dictionem Imperialem, de quibus dictum est supra, videlicet Alphonsus Rex Castellæ, & Richardus Comes Cornubiæ; & circa ista tempora Comes Richardus moritur.

CAP. XXXIII.

Quo tempore capta est Antiochia; de Marescallo Regis Caroli, quomodo venit in Tusciam, inde postea Rex Carolus; & qualia fecit Marescallus; & qualiter Rex obsedit Poggibonizum, & capit.

ANno autem Domini MCCLXVII., & ab Urbe condita MMXXXVII. Pontificatus verò Clementis anno II. Antiochia capitur à
E Soldano, ante per aliquot annos capta Hierusalem: & sic paulatim consumitur Terra sancta in Civitatibus & Castris à Saracenis, quæ multa erant. De populo autem dictæ Civitatis Antiochiæ magnum factum est exterminium, ac ludibrium inauditum. Eodem anno Marescallus Regis Caroli vênit in Tusciam gerens ibidem vices Regis. Hic ergo cum sua militia Gallicana, & Provincialium, & Tuscorum insequitur Gibellinos ubicumque invenit; unde in uno Castro dicto (*) Sancto Elbro, ubi erant inclusi magnam facit stragem, Castro per violentiam capto.

capto. Eodem anno Gibellini expulsi cum Theutonicis vadunt ad Castrum de Poggibonizo, quod est Castrum Imperiale, ibidemque se firmant. Quo audito, Marescallus exercitum congregat, & illuc vadit ad expellendum ipsos, vel expugnandum. Inter hæc Rex Carolus vênit in Tusciam, & cum majori gente dictum Castrum cingit, & obsidet; sed ipsum vincere non potuit, quia locus nimis erat munitus & gente, & fortilitiis; sed elapsis IV. mensibus, redierunt ad mandata, salvis personis & rebus, quibus fides servata est.

CAP. XXXIV.

Qualiter Rex venit in Comitatum Pisanum, & devastat ipsum; qualiter cepit Mutronem, & donavit Lucanensibus; qualiter Clemens graviter reprehendit Regem de malo regimine; de adventu Conradi in Italiam.

Post hoc vênit Rex Carolus versùs Pisas, & Comitatum ipsum devastat, ac vadit in Comitatum Lucanum in Maritimam dictam Versiliam, & inde Castrum de Mutrone expugnat, & ipsum capit, & Lucanis tradit, quod ante ipsi possederant, sed per violentiam Vicarii Manfredi eidem in dicto Castro cesserunt. Nunc igitur ad majora gesta Regis Caroli procedendum, in quibus sollicitabatur Clemens circa regimen ipsius in Regno suo, in quo facto apparent epistolæ, qualiter ipsum sæpiùs de malo regimine reprehendit, quia jam casus ad ipsum pervenerant, in quibus pati deberet. Ad dicti enim vênit Pontificis notitiam, quòd Conradinus filius Regis Conradi, qui fuit filius legitimus Frederici II. parabat se ad intrandum Italiam de Theutonia, ubi cum matre nutritus fuerat, instigatus à Pisanis, & parte Gibellina Tusciæ. Anno igitur eodem, hoc est MCCLXVII. recedit de Tuscia, & vadit in Regnum ista de caussa, relicto Marescallo in Tuscia cum certa militia ad obviandum Conradino, si contingeret ipsum venire. Anno autem Domini MCCLXVIII. Conradinus cum militia Theutonicorum, & Lombardorum, & Tuscorum subitò Lombardiam intrat, & venit Veronam. Quo audito, Clemens mandat eidem, ut caveat ab offensa Ecclesiæ.

CAP. XXXV.

Qualiter Conradus non obediens Ecclesiæ venit Pisas, & multa mala Lucanis intulit; inde vadit Senas, & sic Romam, ibique suam gentem expectat, Clemente ibidem existente; de novitatibus, quas fecit Papa sua occasione.

Quod ille contemnens, de Verona transit festinanter cum modica gente ad Ripariam Januensem, ad locum, qui dicitur Finale, ubi sunt Domini de Carrecto, qui ipsum tamquam eisdem affinem, in suis & amicorum navigiis ipsum deduxerunt usque Pisas, sua militia veniente per Lombardiam, & Tusciam; tantaque fuit, quòd per Marescallum combinari non potuit. Immo tanta fuit numerositas gentis, quæ tunc ad ipsum confluxit, quòd intravit territorium Lucanum, & totam quasi regionem, quæ est inter Lucam & Pisas à parte meridiei, devastaverunt. Tunc Senenses expulerunt Guelfos de terra sua; & sic fortificatur pars Conradini. Quod videns Summus Pontifex Clemens, fecit processum contra Conradinum, & suam comitivam. Aliqui dicunt, quòd ante fecerat, quando videlicet venit Veronam. Sive igitur tunc, sive post per inobedientiam, seu contumaciam jam inciderat in sententiam excommunicationis cum sua comitiva. Propter quam caussam Clemens mandavit Capitulum generale Fratrum Prædicatorum, quod eodem anno Pisis celebrandum fuerat institutum, transferri Viterbium, ubi dictus Papa residentiam faciebat. Recedens igitur Conradinus de Pisis, vadit Senas cum innumerabili multitudine personarum, & inde festinanter Romam transiens per Tuscanellam, & Vetrallam; quia Viterbienses ob reverentiam Summi Pontificis, qui tunc erat ibi, noluerunt ipsum recipere.

CAP. XXXVI.

Qualiter Clemens prophetavit de morte Conradini; de Henrico, qualiter Senatum usurpat; qualiter exercitum congregant isti duo, & vadunt contra exercitum Regis Caroli, & ipsum vincunt.

Tradunt autem, quòd cùm Clemens Papa de suo palatio videret per planitiem dictarum terrarum gentem Conradini transire, sic ipsum dixisse, quòd dolendum erat de tali puero, qui sic seductus, ducebatur ad victimam. Unde fertur tunc prophetasse de morte ejus, & suæ gentis exterminatione. Tunc temporis erat Romæ dictus Henricus frater Regis Castellæ, qui nepos erat Regis Caroli in secundo gradu. Hic Senatum sibi usurpaverat, faventibus aliquibus nobilibus Romanis, & aliqua populi parte, qui multa mala intulit Romanis Ecclesiis, ipsarum thesaurum distrahens, & deposita frangens. Hic Henricus conjunxit se cum Conradino, & statim exercitum magnum parant. Egredientes igitur de Urbe XVIII. die Augusti anni ejusdem, vadunt versùs Regnum contra Regem Carolum. Tunc aliquæ Provinciæ, Civitates, & Castra jam incipiebant rebellare. Sed hoc non obstante Rex Carolus cum sua militia venit obviam Conradino, nec expectat quòd Regnum intraret, atque certas partes Romæ, in loco, quem gesta Tuscorum *Talliagozzo* vocant; aliæ autem Historiæ Campum Valentinum appellant. Et acies primùm Regis Caroli, quæ erat Provincialium & Italicorum, aciem Conradini acriter invadit, diuque certatur; sed ultimò prævalet acies Conradini, totaque acies Caroli quasi deletur; & quia arma Caroli fuerunt inventa ibidem, crediderunt ipsum occisum, & ex hac confidentia se dispergunt in campo, & ad spolia se convertunt.

CAP.

CAP. XXXVII.

Qualiter dum adversarii essent in spoliis diripiendis, subitò Rex Carolus comparet cum magna acie, invaditque adversarios, quos invenit, & omnes aut capit, aut occidit, aut fugat, captosque decapitari mandat.

TUnc subitò apparuit Rex Carolus cum sua acie, quæ occulta erat, clausis viis, ubi latebat, & in die eadem, videlicet Beati Bartholomæi invadit exercitum dispersum Conradini, totumque improvisum confundit; sicque partim cæde, partim fuga totus annihilatur. Omnes enim, qui in campo remanserunt ad pugnandum, ibidem occubuerunt occisi, & præcipuè Hispani, qui in comitiva erant Henrici, & aliqui Theutonici cum aliquibus Romanis. Ceteri verò fugam ineunt. Omnes autem Nobiles, qui capti fuerant de comitiva Conradini, mandavit Rex Carolus decapitari, præter Henricum, qui nepos ejus erat. Voluit tamen, quòd maneret in Apulia in quodam Castro inclusus, sed & Conradinum & quemdam, qui vocabatur Dux Austriæ, & Comitem Gerardum de Pisis, qui capti fuerunt, apud Austuram Castrum in plagis Romanis, transmitti jussit Neapolim, ibidemque de consilio Sapientum, quamvis alii contrarium dicerent, ipsos in plagis Neapolitanis fecit decapitari.

CAP. XXXVIII.

Quomodo post istam stragem ad recuperationem terrarum intendit, sed cum difficultate. De actibus virtuosis istius Pontificis; qualiter canonizavit quamdam Ducissam Poloniæ, & de obitu istius Pontificis, qui gloriosus fuit.

ABinde ad recuperationem terrarum, quæ rebellaverant, intendit; sed non eas recuperavit sinè hominum magna strage, & mutilatione membrorum, & præcipuè in Sicilia, & Aprutio: quod Papæ Clementi non placuit. Vir enim erat virtuosus, ac omni benignitate plenus, quem quædam Historiæ sic describunt, & Martinus cum eis, quòd generalis Clericus fuit, videlicet Jurista summus, Prædicator egregius, cantor pulcherrimus, concionator sinè pari; carnes diu non comedit; asperrimo lecto est usus, nec vestibus lineis ad carnem utebatur; & sic sanctissimam vitam duxit. Nec invenitur exaltasse parentes, totus Deo dicatus. Hic canonizavit in Ecclesia Fratrum Minorum Viterbii Sanctam Heduvigem Ducissam Poloniæ miræ devotionis Viduam, quæ multis, & magnis miraculis coruscavit. Hic Fratres Prædicatores multùm dilexit, & secundùm ipsorum Ordinem in cibis & aliis observantiis eorum se gessit. Anno autem eodem MCCLXVIII. in festo Beati Andreæ migravit ad Dominum, sepultus honorificè in Ecclesia dictorum Fratrum Prædicatorum Viterbii.

CAP. XXXIX.

De operibus quantum ad doctrinam præclari Doctoris Fratris Thomæ, quæ fecit, & scripsit tempore istius Pontificis; ubi distinguuntur secundùm materias partes Summæ, quæ scripsit.

HUjus autem præcipuè tempore clarebat Frater sanctus Thomas de Aquino, de quo supra facta est mentio; cui dictus Papa voluit conferre Archiepiscopatum Neapolitanum, & addebat eidem Abbatiam Sancti Petri ad Aram dicti loci, in reditibus quasi tantumdem valentem; sed recusavit recipere. Hujus tempore dictus Doctor scripsit Summam, quam in tres partes divisit, videlicet Naturalem, quia ibi definit de naturis rerum, & primò de divina essentia, & secundò de rebus creatis. Secundam partem vocavit Moralem, quam divisit in duo volumina. Unum volumen accepit in universalibus materiis, quæ Prima Secundæ vocatur respectu Philosophiæ Moralis; alia verò pars principales materias continet Virtutum omnium & Vitiorum, tota fundata & ornata Philosophorum dictis, & rationibus, ac Doctorum sacrorum auctoritatibus, quam Secundam Secundæ respectu ejusdem materiæ appellamus. Tertia autem pars Summæ, quæ est Quartum volumen, Sacramentalis vocatur, quia in ea de Sacramentis agitur, & Incarnatione Verbi: & ultima pars dicitur, quia ultimò facta, sive quia finis est aliarum. Istius ergo Summæ tres partes quasi scripsit tempore istius Pontificis, & vacationis sequentis: quod fuit spatium duorum annorum, & IX. mensium. Vincentius tamen dicit III. annorum, quia computat in vacatione tres menses, quando jam pervenit Viterbium à tempore suæ creationis. Fecit enim tunc temporis quæstiones de spiritualibus creaturis, de malo, & de virtutibus.

CAP. XL.

De Rege Carolo, qualiter post mortem Clementis ad Imperium Constantinopolitanum aspirat, magnamque militiam & pecuniam consumit; de Domino Joanne Bertaldi Vicario in Tuscia pro Rege, qualiter apud Collem partem Gibellinam prosternit.

ANno autem Domini MCCLXIX. Ecclesia Romana vacante, & Imperio similiter, Rex Carolus videns se in dominio prævalere, jam incipit versùs Orientem suam potentiam dilatare; unde matrimonium pro filio suo Philippo contrahit cum filia Principis Achajæ, ex quo matrimonio Principatum acquirit. Tunc constituto in Tuscia suo Vicario Domino Joanne Bertoldi, & parte sua in dicta Provincia prævalente, militiam mittit de Apulia contra Palæologum, quia Imperium Constantinopolitanum non justo titulo occupaverat, ut supra est dictum; cui aliquando bene cessit cum ipso, aliquando malè. Eodem verò anno dictus Joannes, de quo supra facta est mentio, cum sua militia, quam habebat, vadit apud Collem Vallis Elsæ contra Gibellinos, & Senenses, inter quos fuit Comes Guido Novellus cum militia Theutonica, & cum eisdem pugnat; & cùm jamdiu atrociter certassent, succubuit pars Gibel-

bellina, omnibus quasi Theutonicis in bello cæsis, & aliis multis; & ex tunc in Tuscia pars defecit Gibellina, & pars Guelfa regnat, Rege Carolo eidem assistente.

CAP. XLI.

De passagio Regis Ludovici versùs Tunicium contra Saracenos cum magna comitiva, & qualiter Rex Carolus ad ipsum vadit; quomodo eis non prosperè cessit, quia epidemia invadit exercitum.

ANno Domini MCCLXX. mense Julii, & Ecclesia Romana vacante, & Imperio similiter, Rex Franciæ Ludovicus passagium facit versùs Tunicium cum exercitu magno, habuitque secum in sua comitiva Regem Navarræ nomine Theobaldum, & Uxorem suam filiam Regis Franciæ, fratrem suum Comitem Tholosanum, & Pictavensem, filios suos, Philippum videlicet, qui in Regno debebat succedere, & Joannem Tristanum alium filium, & multos alios Barones de Francia cum infinita militum, & populi multitudine. Sequebatur etiam eum Odoardus filius Regis Angliæ; sed iste ivit in Terram sanctam, existimans fortè Regem Franciæ illuc ivisse: quod aliter fuit. Veniens igitur in Carbum posuerunt castra sua in loco, qui dicitur Certacarus. Eodem tempore Rex Carolus de Apulia illuc transfretat pro subsidio fratris sui Regis Ludovici, qui statim ut intravit regiones Carthaginis, jam epidemia invadit exercitum, & ipse Rex infirmatur, de qua ægritudine moritur, & ipse filius ejus Joannes Tristanus; omnesque quasi sibi conjuncti, qui venerant cum ipso, præter Philippum, qui eidem successit in Regno, mortui sunt vel ibi, vel in redeundo, videlicet dictus filius Joannes, Alphonsus Comes Tholosanus frater ipsius, Regina Navarræ filia ejus, & ipse Rex Navarræ.

CAP. XLII.

Qualiter coacti sunt propter tantam epidemiam de loco recedere; unde facta compositione cum Rege Tunicii, sic faciunt; quomodo isto tempore fuerunt magni terræmotus in Italia; qualiter Philippus, & Rex Carolus Viterbii rogaverunt Cardinales pro Papa creando.

PRopter tantam igitur epidemiam coacti sunt de loco recedere; unde facta compositione cum Rege Tunicii, & acceptâ ab eo magnâ summâ pecuniæ, Rex Carolus totum exercitum Christianorum in Siciliam deducit. Et cùm venisset ad portum Neapolitanum, ipsorum navigia naufragium passa sunt. Unde ipsis relictis, per terram se exponunt ad redeundum. Mortuus autem est prædictus Rex Ludovicus Anno Domini MCCLXX. Kal. Septembris LVII. anno vitæ suæ XLIV. Regni ejus, cui succedit Philippus filius ejus secundogenitus IV. in nomine XLIX. à primo Rege Francorum secundùm Vincentium, sed secundùm Ammonium XLVII. XXIII. à Primo, sed XI. ab Hugone. Eodem anno magni fuerunt terræmotus per diversa loca Italiæ, & ita magni fuerunt, quòd in Burgo Sancti Sepulcri in Tuscia corruerunt domus; unde coacti sunt omnes de Villa exire. Anno eodem circa finem, adhuc vacatione existente Romanæ Ecclesiæ, & Cardinales erant existentes in palatio Viterbiensi, venerunt illuc isti duo Reges, videlicet Rex Francorum Philippus, & Rex Siciliæ Carolus cum nobili comitiva Baronum, & militum, porrexeruntque preces Collegio Cardinalium pro creatione expedienda Summi Pontificis.

CAP. XLIII.

De casu detestabili, qui accidit circa mortem Henrici filii Pegis Richardi: propter quod scelus Deus punivit occisione; quomodo Cardinales post multam vacationem venerunt in Archidiaconum Leodiensem.

TUnc accidit iste detestabilis casus in dicta Civitate. Contigit enim, quòd illuc pervenerat filius Regis Richardi, & Comes Cornubiæ nomine Henricus. Tunc similiter vênit Comes Guido Montisfortis, qui pro Rege Carolo in Tuscia Vicarius erat. Audiens igitur de dicto Henrico, vênit armata manu contra ipsum, & in vindictam patris, videlicet Comitis Simonis occisi in Anglia, ut supra patet, dictum Henricum occidit in quadam Ecclesia in manu Sacerdotis Missam celebrantis; nec ulla vindicta fuit excitata per dictos Reges, cùm eis præsentibus, fuerit factum. Sed Deus ipsam postea fecit, quia captus fuit in mari cum gente Regis Caroli à Rudgero de Loria, & in Siciliam deductus, & fertur mala interemtus morte. Sua etiam Uxor adulteravit; & ipsius Comitatus, quem habebat ratione conjugis præfatæ, totus est laceratus. Anno Domini MCCLXXI. in festo Sancti Ægidii Cardinales ad electionem conveniunt in Archidiaconum Leodiensem, qui vocatus est Gregorius, de quo nunc est dicendum.

Explicit Liber Vigesimussecundus Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

INCIPIT LIBER XXIII.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Gregorio X. & CXCI. Pontifice, qualiter creatus, quomodo rediens de Terra Sancta, occurrit ei Carolus, & quomodo veniens Viterbium, ubi erat Collegium, vadit Romam, ibidemque consecratur.

A Nno igitur Domini MCCLXXI. Gregorius X. in Cathedra Petri locatur. Sedit autem annis IV. & diebus X. accipiendo tempus, quo Pontificio usus est, non quo fuit creatus: quod fuit spatium IV. mensium, & cessat diebus X. Hic natione Lombardus de Civitate Placentiæ de Domo Vicecomitum, existens Archidiaconus Leodiensis, ex devotione transfretavit in Terram Sanctam. Cardinales igitur in ipsum dirigunt vota existentes in palatio Viterbiensi. Hic rediens de ultra mare, transivit per Regnum Apuliæ, cui occurrit Rex Carolus, & addextravit eum circa partes Capuanas. Hic veniens Viterbium, ubi erat Collegium Cardinalium, acceptato Papatu, vadit Romam, ibique coronatur & consacratur.

CAP. II.

De creatione Cardinalium, inter quos duos fecit Magistros in Theologia, & unus fuit de Ordine Fratrum Prædicatorum, & alius fuit de Ordine Fratrum Minorum, qui fuerunt, & qualia scripserunt.

H Ic fecit ordinationem Cardinalium proborum virorum, inter quos duo fuerunt Magistri in Theologia, quorum unus fuit de Ordine Fratrum Prædicatorum, quem ipse fecerat Archiepiscopum Lugdunensem, & factus est Ostiensis, vocatusque est Frater Petrus de Tarantasia, vir magnæ religionis & doctrinæ, qui multo tempore Parisiis rexit Scholas in Theologica facultate. Scripta fecit super Sententias, & multos libros Bibliæ postillavit, specialiter autem Epistolas Pauli. Secundus fuit Frater Bonaventura de Ordine Fratrum Minorum, qui similiter fuit Magister in Theologia, & Minister Generalis dictorum Fratrum, natione Tuscus, vita & doctrina admodum gratiosus, sed præcipuè in sermone. Fecit scripta super Sententias, & postillavit aliquos libros Bibliæ, sicut libros Salomonis, & Job, & Epistolas Pauli, quem Gregorius assumsit in Episcopum Albanensem.

CAP. III.

Qualiter congregavit Concilium apud Lugdunum pro subsidio Terræ Sanctæ, ubi interfuerunt Græci, & Tartari, cum Latinis ad unam Fidei confessionem; de Constitutionibus quas fecit; de electione Rodulphi in Regem.

H Ic tertio anno sui Pontificatus pro utilitate Terræ Sanctæ, quam personaliter visitare intendebat, Lugduni solenne celebravit Concilium, in quo & Græcorum, & Tartarorum celebres Nuntii etiam interfuerunt, hoc procurante Palæologo, qui tunc imperabat in Constantinopoli, Græcis ad unitatem Fidei redire promittentibus, in cujus signum Symbolum alta voce, & cum solennitate decantaverunt, videlicet Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere. Nuntii verò Tartarorum intra Concilium baptizati, ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum, qui interfuerunt in Concilio, fuit CCCCC. Episcoporum, Abbatum LXX., aliorum Prælatorum mille. Hic in Concilio bona multa constituit, videlicet pro subsidio Terræ Sanctæ, pro electione Summi Pontificis, & pro statu Ecclesiæ. Circa idem tempus Rodulphus Comes de Hasburg Diœcesis Constantiensis, (*) (& ipse Rodulphus pater fuit Regis Alberti, & Avus Ludovici de Bavaria, contra quem Papa Joannes XXII. plures fecit processus ex caussis, quæ in ipsis processibus reperiuntur) circa partes Basileæ, anno Domini MCCLXXIII. in Regem eligitur Alamanniæ: quam electionem Papa confirmavit in favorem Terræ Sanctæ, & ipse statim cruce-signatus est, & similiter Rex Francorum, & alii Barones multi.

CAP. IV.

De actibus virtuosis istius; qualiter post Concilium vadit Bellicadorum ad Alphonsum Regem Castellæ; & quia iteratò rediit Viennam; inde vadens Lausanam, occurrit ei Rodulphus, & quid fecit.

H Ic Papa fuit miræ experientiæ in secularibus, quamvis modicæ literaturæ, nec intendebat pecuniarum lucris, sed pauperum eleemosynis. Religiosos viros multùm dilexit, & fovit. Hic post Concilium veniens de Vienna (**) Bellicadorum, ut jam patebit, multos consecravit Prælatos. Inde vadens Lausanam, occurrit eidem Rodulphus cum Regina uxore sua, filiis, ac filiabus, quibus bene erat ornatus, & quibus optimè disposuit, ut infra apparebit. Tunc tradunt Historiæ, quòd juramentum præstitit Summo Pontifici fidelitatis Romanæ Ecclesiæ de conservando ipsam, quod habetur

(*) Totum hoc deest in Cod. Patav.

(**) In Cod. Patav. Bellicadium, & Bellicastrum infra.

tur dist. LXIII. Cap. *Tibi Domino*. Tunc etiam restituit Ecclesiæ Comitatum Romandiolæ cum Exarchatu Ravennæ. Huic etiam Pontifici Alphonsus Rex Castellæ ad petitionem dicti Gregorii Imperio cessit, & in manus ejus renuntiavit, si quod jus haberet in dicto Imperio, quod priùs contendebat cum Richardo Comite Cornubiæ. Venit enim vocatus à Gregorio de Hispania, & occurrit Papæ apud Bellicadorum, quod distat à Regno Castellæ plusquam XV. dietas.

CAP. V.

Resumitur Historia de Rege Castellæ, & de Rege Rodulpho ad majorem declarationem facti; & de suo reditu versùs Romam, ac de suo obitu Aretii gratioso, & de quibusdam, quæ egit in vita.

SEd hìc attendendum, quia una Chronica, quam ego legi, sic per ordinem narrat, quòd Gregorius in MCCLXXIV. Concilio celebrato, de Lugduno venit Bellicadorum, & occurrit ei ibidem dictus Rex Castellæ; & de Summo Pontifice querelam proponit circa electionem Imperii, quòd permisisset aliquem eligi, suâ caussâ circa hoc nondum declaratâ. Cui Summus Pontifex per sapientes satisfaciens, ad instantiam Papæ cedit electioni. Inde rediens Gregorius Viennam, ut jam est dictum, præfatam consummavit consecrationem. Inde vadens Losanam, illam recepit reverentiam à dicto Rodulpho, de qua dictum est supra. De Losana autem transivit in Lombardiam, & vênit in Tusciam, & applicuit apud Aretium, ubi infirmatus est, & mortuus: per quem Deus suas virtutes ostendit, quod fuit, ut Historiæ tradunt IV. Idus Januarii, Anno videlicet Domini MCCLXXV. & vacavit Papatus diebus XI. Imperio etiam vacante. Hic etiam, ut Historiæ tradunt, abstulit audientiam Notariis.

CAP. VI.

De aliis, quæ acciderunt tempore suo in Mundo, quæ magna fuerunt; & primò de casu, qui accidit Domino Odoardo nondum Regi existenti ultra mare, cum quo transfretaverat.

NUnc igitur agendum est de iis, quæ suo tempore acciderunt, quæ & magna fuerunt, & memoria digna. Primò quidem de Odoardo filio Regis Angliæ, qui cum Gregorio, tunc existente Archidiacono Leodiensi in Terram Sanctam transfretaverat. Hic tempore creationis Gregorii, dum se pararet ad recessum de Achon, audita morte Regis Franciæ, & morte Patris, accidit eidem mirabile infortunium. Quidam enim Saracenus de genere Assassinorum factus eidem multùm familiaris, ignorante tamen ipso talis eum esse conditionis. Tantùm enim erat eidem gratiosus & in conversando, & in ministrando, quòd ad ipsum ex mandato Principis Odoardi facilis erat introitus, & egressus propter suam placibilitatem. Quodam igitur die dum Odoardus surrexit à somno, vênit iste Saracenus, & accessit ad eum, vidensque ipsum sinè arbitris, extraxit gladium Assassinorum venenatum, eumque multis ictibus percussit. Dominus autem Odoardus sicut ex somno stupidus non habens opportunitatem suorum armorum, dictum tamen Assassinum amplexatus, cum suo gladio occidit ipsum. Hic autem Princeps advocans Medicos, & Chirurgos meliores, quos habere potuit, & in talibus vulneribus magis expertos, cum multa sua utilitate curatus est. Sed quia venenum nimis fuit acutum, in loco vulnerum, quamvis integratus quasi, inquietabatur tamen interdum doloribus; unde consilio Medicorum adhuc apertæ sunt plagæ, & fomentis unguentorum pretiosorum, quibus illa superabundabat Provincia, plenè curatus est. Tradunt autem, quòd tunc uxor sua Hispana, & soror Regis Castellæ ostendit in viro suo magnam fidelitatem, quia plagas ipsius apertas omni die lingua lingebat, ac sugebat humorem, cujus virtute sic attraxit omnem materiam veneni, quod, integratis cicatricibus vulnerum, sensit ulteriùs se plenissimè curatum.

CAP. VII.

De actibus virtuosis istius Principis; quòd tempore hujus Pontificis Rex Entius moritur, & quis fuit; de numero filiorum Frederici; de guerra hujus Pontificis tempore inchoata inter Regem Carolum, & Januenses.

REdiens igitur in Angliam temporibus istius Pontificis, regimenque Regni regaliter & potenter gubernans, non modicùm suum dominium ampliavit. Hujus etiam Pontificis tempore moritur Rex Entius filius Frederici Imperatoris; & in domo Fratrum Prædicatorum Bononiæ honorificè sepelitur, quem Bononienses anno MCCXLVIII. usque ad præsens tempus tenuerunt captivum, & ipsi eum in bello ceperant. Hic quamvis non legitimus filius Frederici, ipsum tamen in Sardinia fecerat Regem, vocatus proprio nomine Henricus, sed Entius fuit cognomen. Habuit enim Fredericus tres filios legitimos, & tres illegitimos. Legitimi fuerunt Henricus primogenitus ejus, quem ipse fecerat in carcere mori, Rex Conradus, & Carolus. Illegitimi fuerunt Fredericus claudus, de quo natus est Conradus de Antiochia, Manfredus, & iste Rex Entius, qui ultimò mortuus est. Hujus etiam Pontificis tempore, videlicet MCCLXXII. guerra permaxima inchoata est inter Regem Carolum, & Januenses, in qua guerra multa damna ad invicem sunt illata, & mala commissa.

CAP. VIII.

De præclaro Doctore Fratre Thoma de Aquino, qualiter vocatus per dictum Pontificem, & Concilium, in via migravit ad Dominum, & in morte miraculis claruit, qua de caussa sui consanguinei occultaverunt corpus, quia Fratres sui repetebant; ipse verò sepultus erat in Monasterio, unde erant patroni.

HUjus etiam tempore præclarus Doctor Frater Thomas de Aquino migravit ad Dominum. Vocatus enim ad Concilium per Dominum Gregorium, ac recedens de Neapoli, ubi regebat, & veniens in Campaniam, ibidem graviter infirmatur. Et quia prope locum illum nullus Conventus Ordinis Prædicatorum habebatur, declinavit ad unam solennem Abbatiam, quæ dicitur Fossa-nova, & quæ

quæ Ordinis erat Cisterciensis, in qua sui consanguinei Domini de Ceccano erant patroni; ibique sua aggravata est ægritudo. Unde cum multa devotione, & mentis puritate, & corporis, qua semper floruit, & in Ordine viguit, quemque ego probavi inter homines, quos umquam novi, qui suam sæpe confessionem audivi, & cum ipso multo tempore conversatus sum familiari ministerio, ac ipsius auditor fui; ex hac luce transiit ad Christum. Tradunt autem Historiæ, quòd ibidem multis miraculis claruit, & multis indiciis Deus suam sanctitatem ostendit: propter quam caussam sui consanguinei cùm sint potentiores de Campania, non permiserunt corpus inde transferri; immo cùm audissent, quòd Fratres sui Ordinis hoc attentabant, corpus ipsius occultaverunt, cùm tamen priùs sepultum fuisset valde honorificè in Presbyterio Altaris majoris Monasterii supradicti.

CAP. IX.

De modo, quem tenuit, devoto circa instantiam suæ mortis, quantùm ad statum suæ salutis, & quantùm ad suam doctrinam, & ipsam exposuit in manu Romanæ Ecclesiæ, & de visione, quam habuit tunc temporis quidam Frater de ipso.

TRadunt etiam Monachi dicti loci, & Fratres, qui cum ipso erant, quòd cùm morti appropinquaret, primò Symbolum Fidei confitetur cum multa devotione, deinde suam doctrinam assumit per ipsum traditam, & conscriptam ad Fidei robur, & instructionem Fidelium, in quo modernos Doctores transcendit in Philosophia, sive Theologia, sive in quacumque materia secundùm communem hominum intelligentiam & opinionem, & inde in schola hodie Parisiensi communis Doctor appellatur propter suam claritatem doctrinæ. Ad majorem tamen sui securitatem, Ecclesiæ Romanæ reverentiam, & honorem, quia erat homo, qui etiam errare potuit, sicut Beatus Augustinus asserit de se ipso, suos Libros in manu exposuit Romanæ Ecclesiæ sæpe dictæ, prout Fides Catholica & Apostolica hoc exposcit; & post hæc verba in Domino obdormivit. Eo autem tempore dum hæc agerentur quidam sanctus Frater de Aprutio Neapoli hanc claram habuit visionem de ipso, quia videbatur sibi, quòd venerabilis Doctor esset in sua sede scholastica Neapoli ad docendum; & dum epistolas Pauli legeret in multitudine scholarium honorabili, inter quos Archiepiscopus Capuanus dictus Dominus Martinus, quondam Vicecancellarius Romanæ Ecclesiæ, & Doctor utriusque juris sed & bonus Philosophus; alius fuit Archiepiscopus Salernitanus dictus Matthæus, qui utroque florebat sapientiæ fulgore; præter hos autem multi erant Clerici, & Religiosi. His igitur sic existentibus, ut sibi videbatur, subitò intrabat præfatas scholas Beatus Paulus cum honestissima comitiva, salutavitque scholares. Quem intuens venerabilis Doctor eidem exhibet debitam reverentiam, & habita collocutione mutua, quæsivit à Beato Paulo dictus Doctor, si epistolas suas legebat secundùm suum intellectum. Tunc respondit ei Apostolus, quòd quantum in hac vita capi poterat in suis epistolis, tantum ipse docebat; sed tempus erat ulteriùs, ut ipsas intelligeret magìs plena veritate. Tunc accipiebat initium capæ ejus, & ipsum secum ducebat. Et dum hoc videret dictus Frater, incœpit clamare in dicta visione somni: *Succurrite*, inquit, *carissimi, succurrite*. Et sic à somno excitatus, retulit clarè visionem. Post tres autem dies nuntius vênit Neapolim de Campania, nuntians nobis transitum dicti Patris & Doctoris.

CAP. X.

De miraculo, quod in via accidit veniendo de Roma Neapolim circa socium suum infirmum apud Molariam; & qua ætate vitæ suæ transit ad Deum.

CEterùm quod vidi de ipso ad judicium sanctitatis ejus tacere non debeo. Cùm enim ego cum ipso venirem de Roma, declinavit Molariam ad Castrum Domini Richardi Cardinalis, ibique præfatus Doctor infirmatus est de tertiana; Socius verò suus Frater Raymundus de continua gravi. Et cùm non apparerent in eo signa critica, Medici Domini Richardi malè judicabant de ipso. Tunc venerabilis Doctor recepit reliquias Beatæ Agnetis, quas ex devotione secum ferebat de Urbe, & misit dicto Fratri, quòd super se poneret, & haberet fidem plenam in eis. Quod & fecit, & curatus est ultra spem omnium Medicorum: propter quam caussam dispsoſuerat singulis annis facere festum solenne de ipsa cum bona refectione Fratrum: quod & illo anno fecit Neapoli. Sequenti verò transiit ad Deum. Obiit autem quinquagesimo vitæ suæ anno, alii dicunt XLIV. habens in Magisterio annos XX.

CAP. XI.

Qualiter istius Pontificis tempore scripsit ultimam partem Summæ, quæstiones de potentia Dei, & aliqua in Philosophia, quæ incompleta reliquit, sed consummata sunt per unum suum discipulum. Scripsit enim quædam Opuscula, quæ per ordinem hìc traduntur.

HIc Doctor tempore hujus Pontificis scripsit ultimam partem Summæ, quæ Sacramentalis vocatur, quia de Sacramentis ibidem agitur, & de Incarnatione Verbi, in qua articuli Fidei continentur secundùm ipsius humanitatem: sed non complevit, morte præventus. Hoc etiam tempore disputavit quæstiones de potentia Dei, & Creaturis. Scripsit etiam super Philosophiam, videlicet de Cœlo, & de Generatione, sed non complevit; & similiter Politicam. Sed hos Libros complevit Magister Petrus de Alvernia fidelissimus discipulus ejus, Magister in Theologia, & magnus Philosophus, & demum Episcopus Claromontensis. Et quamvis multa sint, quæ scripsit, quæ opera sunt diffusa, ut materia requirit: scripsit tamen quædam Opuscula secundùm consultationes sibi factas à diversis Principibus, & personis, quæ in uno volumine reponuntur, sicut epistolæ Augustini, & eo ordine, quo traduntur, hìc scribuntur.

CAP. XII.

Diversi hìc tractatus traduntur, quos dictus Doctor scripsit, diversarum personarum consultationibus respondendo, quos Auctor sub certis capitulis comprehendit unicuique tertiam partem dictorum tractatuum assignando.

VIdelicet tractatus quidam de Actionibus, & operationibus occultis naturæ, quem scripsit ad quemdam militem Ultramontanum, qui sic incipit: *Quoniam in quibusdam naturalibus corporibus*. Tractatus, *utrum liceat uti judicio astrorum* ad Fratrem Raynaldum, qui sic incipit: *quia petiisti, ut tibi*. Tractatus *de substantiis separatis* ad eumdem, qui sic incipit: *Quia sacris Angelorum solenniis*. Tractatus *de principiis naturæ* ad Fratrem Silvestrum, qui sic incipit: *Nota*, quòd *quoddam potest esse, licèt non sit*. Tractatus *de Sortibus*, utrum liceat eis uti, ad Dominum Jacobum de Burgo, qui sic incipit: *Postulavit à me vestra dilectio*. Tractatus *de ente, & essentia*, quem scripsit ad Fratres, & socios, nondum existens Magister, qui sic incipit: *Quia parvus error in principio*. Tractatus *de rationibus Fidei ad Cantorem Antiochenum*, qui sic incipit: *Beatus Petrus Apostolus*. Tractatus *contra errorem Averrois circa intellectum humanum*, qui incipit: *sicut omnes homines*. Tractatus *de æternitate Mundi*, utrum esse potuerit, qui sic incipit: *Supposito secundùm Fidem nostram*. Item tractatus *de expositione primæ Decretalis*, qui sic incipit: *Salvator noster*: ad Archidiaconum Tridentinum. Item Tractatus *de articulis Fidei, & Ecclesiæ Sacramentis* ad Archiepiscopum Panormitanum, qui sic incipit: *Postulavit à me vestra dilectio*. Item tractatus *contra errores Græcorum* ad petitionem Urbani Papæ, qui sic incipit: *Libellum ab Excellentia vestra*. Item *Responsiva super XXVI. articulis* ad Lectorem Venetum, quæ sic incipit: *Lectis vestris literis, inveni*.

CAP. XIII.

Pars Secunda ponitur hìc diversorum tractatuum dicti Doctoris, quos sub alio capitulo Auctor comprehendit, & sunt totidem, sicut primi.

ITem *determinatio quorundam casuum* ad Comitissam Flandriæ, quæ sic incipit: *Excellentiæ vestræ literas recepi*. Item *responsiva quarumdam quæstionum* ad Fratrem Joannem de Vercellis Magistrum Ordinis, quæ sic incipit: *Reverendo in Christo Patri*. Item *responsiva* quarumdem quæstionum ad Fratrem Gerardum Bisuntinum, quæ sic incipit: *Carissimi Filii in Christo*. Item tractatus *de Fide, & Spe*, qui sic incipit: *Æterni Patris Filius*. Item tractatus *contra impugnantes Religionem*, qui sic incipit: *Ecce inimici tui sonuerunt*; Item tractatus *de regimine Principum*, qui sic incipit: *Cogitanti mihi, quid offerrem*, quem librum scripsit ad Regem Cypri. Item tractatus *de motu cordis*, qui sic incipit: *Quia omne, quod movetur*. Item tractatus *de Fato*, an sit, qui sic incipit: *Quæritur de fato, an sit*. Item tra-

A ctatus *contra retrahentes à Religione*, qui sic incipit: *Christianæ Religionis*. Item tractatus *de elementis in mixto*, quomodo fuerunt, qui sic incipit: *Dubium apud multos esse videtur*. Item tractatus *de absolutione, & modo absolvendi* ad Magistrum Ordinis præfatum, qui sic incipit: *Perlecto libello*. Item tractatus *de perfectione vitæ spiritualis*, qui sic incipit: *Quoniam quidam perfectionis ignari*. Item tractatus, *quòd lex amoris fuerit necessaria homini*. Incipit: *Tria sunt homini necessaria ad salutem*. Et attende, quia iste Libellus ab aliquibus vocatur *Liber de præceptis*.

B CAP. XIV.

Ponitur hìc tertia pars tractatuum, quos fecit dictus Doctor respondendo diversis personis, & sunt plures, quàm in prima parte, vel secunda.

ITem tractatus, *quòd Beata Virgo excedit Angelos in plenitudine gloriæ, & gratiæ*, qui sic incipit: *Ave gratia plena*. Item tractatus *de expositione Symboli*, qui sic incipit: *Credo in unum Deum*. Item tractatus *de Infantibus*, qui sic incipit: *Quomodo circa naturam Verbi*. Item tractatus *de principio individuali*, qui sic incipit: *Quoniam duæ sunt potentiæ cognoscitivæ in homine*. Item tractatus *de genere*, C qui sic incipit: *Quomodo omnis creatura*. (*) Item tractatus *de natura materiæ accusantis*, qui sic incipit: *Quomodo omnis cognitio humana*. Item tractatus *de natura materiæ*, qui sic incipit: *Postquam de principiis secundus habitus est*. Item dicitur fecisse *de Concordantia dictorum suorum*. Item scripsit super Librum de Divinis nominibus. Item scripsit super Librum de Felicitate Boëtii. Item Librum de Caussis.

CAP. XV.

De quibusdam Loycalibus, quæ ad instantiam quorumdam nobilium scripsit; de quæstionibus de quolibet; & de postillis, quas D *super Bibliam notavit; & de quodam scripto super primum Sententiarum.*

ITem tradidit quibusdam nobilibus Aristotelis Loycalia, quia scripsit modales, & fallacias, & introductoria ad Loycam multùm clara. Fecit commentum super Librum Posteriorum, & super Librum Periermenias. Quid plura? archa fuit Philosophiæ, & Theologiæ; & admirandum, quòd tantum scribere potuit, quia parum vixit respectu aliorum Doctorum. Hic etiam notavit suas quæstiones de Quolibet, in quibus multa dubia declarantur, magnaque in eisdem scientia continetur. Alia E etiam multa scripta sunt ab eo utilia, quæ magis habentur per modum reportationis; quas ipse videns postea, correxit, & inde ulterius approbavit. Unde sunt postillæ super omnes Epistolas Pauli, præter Epistolam ad Romanos, quam ipse notavit, quas ego vidi, & legi. Item postilla super Joannem, de qua ipse super V. Capitulo proprio stilo notavit. Totum aliud reportatio fuit, sed correctum per ipsum. Scripsit etiam super Esaïam, sed raro invenitur. Et hæc de Venerabili Doctore dicta sufficiant. Scripsit etiam eo tempore, quo fuit Romæ, de quo

(*) non recensetur in Cod. Patav.

quo supra dictum, jam Magister existens, primum super Sententias, quem ego vidi Lucæ; sed inde subtractum nusquam ulterius vidi.

CAP. XVI.

Quòd tempore hujus Pontificis fuit dissidium Bononiæ inter Lambertatios, & Hieremias, & quo anno, videlicet hujus Pontificis. Quo tempore etiam floruit, & obiit Frater Romanus Ordinis Prædicatorum Magister in Theologia, & frater Domini Matthæi Rubei, de quo multa pulchra dicuntur.

HUjus etiam Pontificis tempore fuit magnum dissidium Bononiæ inter Lambertatios, & Hieremias, quia expulsi sunt Lambertatii de Civitate Bononiæ cum suis sequacibus, qui erant Gibellini, & ad nihilum quasi sunt redacti anno Domini MCCLXXIII. Hæc de Summo Pontifice Gregorio X. dicta sufficiant, & de eis, quæ dicta, & gesta sunt tempore ejus. Mortuus est autem, ut gesta Gallicanorum dicunt IV. Idus Januarii, ut dictum est supra. Hujus etiam Pontificis tempore floruit Frater Romanus Ordinis Prædicatorum germanus Domini Matthæi Rubei, ac nepos Nicolai III. Hic vir magnæ fuit excellentiæ in vita, & doctrina, Magister in Theologia, cui Frater Thomas, Parisiis in Cathedra cessit; & sequenti anno Frater Romanus migravit ad Dominum, de quo dictus Doctor Thomas talem habuit visionem. Apparuit enim ei Frater Romanus in somno, & tunc quærebat ab eo, qualiter esset eidem. Ille verò respondit, quòd bene. Et tunc Frater Thomas quærebat ab eo de visione Dei per essentiam, si sic se habebat, ut scribitur. Ille verò quasi subridendo respondit, quòd nobiliori modo, & quòd ipse in brevi sciturus erat hoc idem; & sic disparuit: quod & rei postea probavit eventus, quia in sequenti anno gloriosus Doctor migravit ad Dominum. Hanc autem visionem ego audivi Neapoli ab ipso referri, & cum quadam lætitia.

CAP. XVII.

De Innocentio V. & CXCII. Pontifice, qualiter in uno anno tres habuit dignitates, & in eisdem eodem anno moritur; qualiter Romam vadit, & Romæ consecratur.

ANno autem Domini MCCLXXVI. Innocentius V. in Summum assumitur Pontificem in Festo Sanctæ Agnetis. Quis autem iste fuit, & unde originem traxit, dictum est supra. Sed quid egerit, nunc est dicendum. Hic enim subitò fuit promotus, & subitò defunctus, quia in eodem anno. Per Gregorium præfatum factus fuit Archiepiscopus Lugdunensis, & nondum consecratus in dicta dignitate factus est per eundem Episcopus Ostiensis, & infra annum defuncto Gregorio apud Aretium, ibidem à Cardinalibus eligitur in Papam. Sedit autem mensibus V. diebus II., & vacavit diebus XVII. Recedens igitur cum Curia de Aretio, vadit Romam, & in Sancto Petro coronatur & consecratur. Inde se transfert ad Ecclesiam Lateranensem, & ibidem infirmatur, ac in vicesima secunda die Junii moritur, & in magna gratia Collegii, ac præsente Rege Carolo, in eadem Ecclesia honorificè sepelitur.

CAP. XVIII.

Quòd propter brevitatem temporis pauca fecit; duo tamen magna fecit, unum fuit de Legatis, quos misit in Tusciam ad pacificandum Regionem. Secundum autem de Jure restituto Prædicatoribus super sepultura Clementis. De filio Rodulphi, qualiter submersus est in Rheno.

HIc propter brevitatem temporis in Pontificatu pauca fecit. Duo tamen referuntur de ipso; unum, quòd misit duos Legatos in Tusciam cum Ambasciatoribus Regis Caroli, & facta est pax inter Lucanos, & Pisanos per prædictos Legatos, & Ambasciatores Regis. Tunc enim quasi tota Tuscia conjuraverat contra Pisanos; sed per adventum dictorum Legatorum, & Ambasciatorum omnia sunt pacificata in Tuscia. Secundùm, quod fecit Innocentius prædictus, fuit, quia præcidit quæstionem, quam habebat Ecclesia Major Viterbiensis cum Fratribus Prædicatoribus super corpore Clementis IV. quia mandavit prædictum corpus dictis Fratribus restitui, cùm invenerit apud ipsos elegisse legitimè sepulturam. Dicti autem Canonici memoratum corpus arrestatum tenuerunt usque ad tempora Pontificis supradicti. Hujus Pontificis tempore, hoc est anno Domini MCCLXXVI. (*) Hartinanus tertiogenitus filius Rodulphi, Regis Alamanniæ Rhenum fluvium transiens, casuali submergitur infortunio. Rediens enim de bello victorioso contra Comitem Sabaudiæ, cum suis militibus quodam incedebat tripudio. Cùmque sic solatiaretur in barca, mersa est hæc in fluvio contra quamdam voraginem alvei. Tradunt autem, quòd ipse evadebat natando; sed quidam nimis eidem adhæsit; volens verò ipsum adjuvare, ambo in dicta voragine sunt submersi. (**) „ (Habuit & alium filium primogenitum nomine Rodulphum, qui filium „ reliquit nomine Joannem, qui postea Albertum secundogenitum filium Rodulphi Regis „ prædicti, dum ipse Albertus factus esset Rex „ Alamanniæ, & X. annis regnasset, proditoriè occidit juxta oppidum, quod dicitur Brugga juxta Rusam, & Acharim fluvios in Diœcesi Constantiensi in campo, ubi nunc constructum est solenne Monasterium XL. Monialium Ordinis Sanctæ Claræ; & sunt insuper ibi XII. Minores, qui semel in anno ab Abbatissa recipiunt præbendam sibi sufficientem per totum annum; & sunt quasi Canonici, quia non mendicant, sed semel in anno quilibet Fratrum recipit in frumento reditus VIII. marcarum. Sed ut subtilitas illa etiam ab aliis Religiosis mendicantibus habebatur, modum exprimam receptionis eleemosynæ. Vadit enim unus Frater ad portam, & vocat Abbatissam, cùm jam omnia collecta sunt, & dicit: *Sunt hìc Fratres Minores, & petunt eleemosynam*. Et ipsa tunc mandat dari unicuique eleemosynam, non dico præbendam, valentem L. Florenos, & ultra. Prædictum Monasterium dicitur Campus Regis, & fundatum ab Uxore ipsius Regis Alberti, sed perfectum à filia ejus Domina Agnete quondam Regina Hungariæ, quæ nunc ibi „ mo-

(*) *In Cod. Patav.* Primogenitus Regis Alamanniæ *nullo nomine expresso.*

(**) *Hæc non leguntur in Cod. Patav. heic, sed quidem Lib. 24. Cap. 37. ubi pleraque repetuntur.*

„ moratur, & sanctam vitam ducit MCCC- A
„ XXXIII. anno, & qui vidit, testatur præ-
„ missa. *Et inde infra ista Lib. XXIV. Cap.*
„ *XXXVII., & ibi ista additio debet poni.*)

CAP. XIX.

Qualiter Rex Carolus tunc florebat in dominio, utpote in Regno liber Dominus, Senator Urbis, Vicarius in Tuscia, Dominus in Achaja, & in toto quasi Pedemonte.

EOdem tempore florebat Rex Carolus in partibus Italiæ in dominio, quia Regnum Apuliæ in pace tunc possidebat, nemine contradicente; Senator Urbis erat; & in Tuscia liber
B Dominus, sive Vicarius, Imperio adhuc vacante; dominabatur in Principatu Achajæ, & quasi in tota terra Pedemontana. Sollicitabatur tamen nondum contentus de dominio suo; sed aspirabat ad Imperium Constantinopolitanum. Unde cum sua militia expugnabat Palæologum, & interdum prævalebat; interdum verò succumbebat. Et attende hìc de dicto Rege, quantùm facit ad gubernationem Regni bona Uxor, & quantùm nocet mala, sicut apparet in Jezabel Uxore Achab. Quanto enim tempore vixit prima Uxor, quæ filia fuit Comitis Raymundi; Unde & Comitatum habuit Provinciæ, Regnum
C bene gubernabatur. Sed ipsâ mortuâ, accepit Rex unam juvenculam, quæ de regimine non curabat, licèt aliàs non esset mala; & tunc Regnum propter malos Officiales fuit in justitia dissipatum, ut jam videbitur.

CAP. XX.

De Hadriano V. & CLXXXXIII. Pontifice, quis fuit, & qualia fecit, quomodo suspendit Decretalem Gregorii super inclusione; de Rodulpho Rege, qualiter genus suum dilatavit.

ANno Domini eodem, hoc est MCCLXXVI. IX. die Julii Dominus Octavianus Diaco-
D nus Cardinalis in Palatio Lateranensi in Papam assumitur, & Hadrianus V. vocatur. Hic de genere fuit Domini Innocentii IV. Parum sedit in Cathedra Petri, quia solùm per mensem, & (*) XX. dies, & cessat diebus XXVIII. Sacerdos non fuit, & ad tempora ordinationis moritur. Moritur autem Viterbii in domo Fratrum Minorum, & sepelitur ibidem, & sinè munere coronationis, & consacrationis obiit. Hic missus fuit Legatus in Angliam propter discordiam, quæ ibidem exorta erat inter Barones, & Regem, & ad bonum punctum res deduxit. Hic statim post suam creationem constitutionem Gregorii de reformatione Cardinalium in electione
E Summi Pontificis suspendit, ut nullum haberet vigorem, quousque aliud provideretur de ipsa, quia intendebat de ipsa aliter ordinare, sed non in toto cassare. Hujus tempore Rodulphus Rex Alamanniæ ad dilatandam suam consanguinitatem conatur. Primo enim suo filio Alberto, qui postea fuit Rex Alamanniæ tradit filiam Comitis de Tirola, cum quo postea expugnavit Regem Boëmiæ, ut jam videbitur, nomine Elisabeth, quæ sibi filium nomine Rodulphum, qui fuit Rex Boëmiæ, genuit. Item Fredericum, qui fuit electus in Regem cum Ludovico, de quibus multa dicenda restant. Item Lupuldum Ducem Austriæ, qui fuit amicus Papæ Joannis XXI. Item Albertum, Henricum, & Ottonem Duces. Item plures filias, quarum unam dedit Regi Hungariæ nomine Agnetis; aliam Duci Lotharingiæ, aliam Duci Calabriæ, aliam Comiti de Oetingen. Quinque etiam filias habuit Rex Rodulphus, quas nobilissimè locavit, quia unam tradidit Comiti Palatino, qui est Bavariæ Dux, qui Dux ex ea genuit Ludovicum, quem Papa Joannes XXII. crebrò excommunicat; genuit & Rodulphum primogenitum, qui Fredericum Ducem Austriæ elegit in Regem contra fratrem suum Ludovicum Bavariæ Ducem. Et aliam tradit Duci Saxoniæ; aliam autem germano Marchionis Brandeburgensis; quartam verò Carolo Martello Caroli Regis filio primogenito, qui postea fuit Rex Hungariæ.

CAP. XXI.

De Joanne XXI. & CLXXXXIV. Pontifice; quis fuit, & qualis conditionis; qualiter constitutionem Gregorii de reclusione Cardinalium simpliciter revocavit.

ANno Domini eodem, hoc est MCCLXXVII. circa finem Septembris Dominus Petrus Hispanus, dictus Petrus Juliani Cardinalis Tusculanus natione Portugallensis, de Cardinalatu assumitur in Papatum, & Joannes XXI. est vocatus. Hic generalis Clericus fuit, & præcipuè in Medicinis; unde & quædam experimenta scripsit ad curas hominum; & Librum composuit, qui Thesaurus pauperum vocatur. Fecit & Librum de problematibus juxta modum & formam libri Aristotelis. Et quamvis magnus fuerit in scientia, modicus tamen fuit in distinctione; præceps enim fuit in verbo, & mitis tantùm in moribus, & plus apparebat, quia facilis ad eum fuit ingressus, & inde patebat omnibus suus defectus: quod est contra documentum Philosophicum, quia facta Principum personalia non debent patere conspectibus hominum, sed solùm publica, in quibus Princeps habet populo respondere, sicut Maximus describit Valerius. Religiosos parum dilexit, & inde eidem, ut creditur, malè cessit; unde tradunt Historiæ, quòd eo tempore, quo camera cecidit super caput ejus, quædam fulminaverat contra Religiosos. Hic statim constitutionem per Gregorium X. de reclusione Cardinalium, suspensam per Hadrianum, revocavit, consilio, ut fertur, Domini Joannis Gaitani, cujus nutu multa faciebat, eo quòd principalis auctor fuerat suæ promotionis.

CAP. XXII.

Qualiter misit Legatos in Constantinopolim ad Palæologum pro concordia facienda inter Græcos, & Latinos; quomodo etiam misit alios Legatos in Franciam, & Hispaniam super quæstiones, quas habebant Reges dictarum regionum.

HIc Joannes Legatos mittit ad Palæologum ad ipsum requirendum, si paratus erat obedire Romanæ Ecclesiæ cum sua gente, & fue-

(*) *In Cod. Patav.* IX. *dies.*

fuerunt duo Episcopi, & alii solennes viri Religiosi Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui omnes fuerunt ab ipso multùm gratiosè recepti, offerens se ad omnia observanda, quæ nuntii sui in Concilio Lugdunensi observanda judicaverunt. Hic etiam Joannes Legatos misit ad Regem Franciæ, & Regem Castellæ, Fratrem Joannem de Vercellis Magistrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Fratrem Hieronymum Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum pro concordia inter dictos Reges Philippum, & Alphonsum super quæstione, quam habebant de Regno Castellæ. Et quia Historia est mirabilis, congruum videtur radicabiliter ipsam tradere. Referunt enim, ut supra est tactum, Historiæ tam Gallicorum quàm Hispanorum, quòd Domina Blanca mater Sancti Ludovici Regis Francorum, primogenita fuit Regis Castellæ, quam Rex Franciæ Ludovicus pater Sancti Ludovici accepit in uxorem, & isto pacto, ut tradunt Gallici, quòd si Rex Castellæ moreretur sinè legitimo filio masculo, Domina Blanca tamquam primogenita in Regno succederet. Mortuo igitur Rege Castellæ, Rex reliquit unum filium, qui Henricus dictus est, & qui fortuito casu de uno lapillo percussus in musculo moritur. Quo audito soror junior Dominæ Blanchæ, quæ erat uxor Regis Legionensis, dicta Domina Berengaria, Regnum patris cum filio suo per violentiam occupat.

CAP. XXIII.

Qualiter Sanctus Ludovicus cum Rege Castellæ concordat in quæstione præmissa per matrimonium contractum ex certis pactis inter eos, quæ observata non fuerunt; unde Deus Regem Alphonsum punivit.

TUnc Sanctus Ludovicus filius Dominæ Blanchæ, & Rex Francorum, querelam movet Regi Alphonso pro jure matris, quæ quidem quæstio sic sedatur; quia Sanctus Ludovicus dat filiam suam dictam Dominam Blancam in uxorem primogenito Regis Castellæ Alphonsi, dicto Domino Fernando, hac conditione, quòd si dicta Domina Blanca filium haberet de dicto Fernando, & ipse Fernandus præmoreretur patri, filius ejus in Regno ejus succederet. Mortuus est igitur dictus Fernandus ante Regem Alphonsum patrem ejus, & duos filios reliquit, quos habuit de Domina Blanca. Rex igitur Alphonsus dicta pacta non servavit ad instantiam suorum Baronum, duobus exceptis, allegantes, quòd de jure Regni erat, ut secundogeniti succedant, & non filii primogeniti, si is præmoriatur patri; unde dictam obligationem facere non potuit sinè consensu Baronum, nec consuetudinem Regni mutare Quamobrem cùm esset senex, provectæque ætatis, ad petitionem dictorum Baronum de toto Regno se exspolians, investivit secundogenitum filium suum, dictum Dominum Sancium. Filiis autem Dominæ Blanchæ certas terras assignavit in confinio Saracenorum, sive frontaria. Propter quam caussam illi duo Barones, qui favebant filiis Dominæ Blanchæ, dicti Dominus Joannes Numoms, & Dominus Manoellus de Regno exeunt, & rebellant Regi, ac guerram movent, & ipsi singulis annis à Rege Franciæ XXII. millia librarum Turonensium percipiebant pro dicta guerra, XV. millia Dominus Joannes, & VII. millia Dominus Manoellus. Hæc igitur fuit caussa dictæ legationis; sed parum profuit, quia adhuc dictum genus regnat. Punivit tamen Deus Regem Alphonsum in filio, quia ingratus patri & matri; & inter ipsos magna turbatio exorta est; unde sic arctatur à filio, quòd magna in paupertate & tristitia moritur, cùm sua juventute floruerit inter omnes Occidentales.

CAP. XXIV.

De qualitate istius Pontificis quantùm ad actus virtuosos, & vitiosos; quia, ut tradunt, habuit parum de discretione; sed totus vanus, & in vanitate moritur. Habuit tamen istud, quòd beneficus fuit, & gratiosus omnibus Literatis cujuscumque status.

NUnc igitur ad Historiam Papæ Joannis est redeundum, quia digna est exemplo pro incautè gloriantibus de suo statu, & dignitate. Tradunt enim omnes Historiæ, quòd dum esset in camera solus, quam ipse ædificaverat juxta palatium Pontificale Viterbii, cùm semel intraret dictam cameram quod tamen sæpius contingebat eidem, respiciebat se ipsum, ac totus solvebatur risu, quasi glorians in se ipso; & tunc subitò camera cecidit super eum, & inter ligna, & lapides collisus, sexta die post casum exspirat, sua intentione frustratus, quia credebat, & in sua sapientia confidebat, sicut ipse interdum dicebat, longo tempore ista posse dignitate gaudere. Et quamvis in prudentia deficeret, hoc tamen habuit laudabile, quia cùm esset Summus Pontifex, & sua dignitas esset suprema, cum inferioribus tamen non dedignabatur conversari, qualiscumque esset status, dummodo esset Literatus, sive pauper, sive dives esset; & talibus fuit largus in beneficiis, & pio amplectabatur affectu pariter, & effectu; & hoc solum fuit virtutis in ipso.

CAP. XXV.

Qualiter deturpat statum Pontificalem cum turpibus verbis, & inde fortè meruit mortem; de Rege Rodulpho, qualiter pugnavit cum Rege Boëmiæ, & occidit eum in bello; & de multis novitatibus, quæ acciderunt tempore illo.

IN aliis autem pastoralis status multùm deformabatur, in eo præcipuè in turpibus verbis, & moribus incompositis. Moritur autem Viterbii, & in Ecclesia Sancti Laurentii sepelitur. Et tunc vacat Ecclesia per VI. menses, videlicet ab hebdomada Pentecostes usque ad Festum Sanctæ Catharinæ, anno videlicet Domini MCCLXXVII. Circa autem ista tempora Rex Rodulphus jam radicatus est in Regno Alamanniæ ab omni parte, sed præcipuè versùs Regem Boëmiæ; unde exercitum congregat contra ipsum pro jure Imperii, quia occupaverat Austriam, Stiriam, & Carinthiam, quæ de jure debebantur eidem sive ratione Regni Alamanniæ, sive ratione Imperii. Pugnat igitur cum ipso, & occidit eum in bello, facta magna strage de suis. Tunc subjugatâ Austriâ, ipsam tradidit filio suo Alberto, quia Ducatus erat sinè vassallagio, & ideo ad Regem Alamanniæ pertinebat providere, Partem Carinthiæ tradidit

Co-

A Comiti de Tirolla. Tunc procedit contra filium Regis Boëmiæ, comminans eidem de Regno, quasi veniffet contra Dominum fuum; fed mediantibus amicis, reftitutus eft in gratiam, acceptâ filiâ Rodulphi in uxorem, & ipsâ dotatâ de bonis Regni, fi Rex ex ea finè filiis moreretur: qui cafus non accidit, quia duæ filiæ natæ funt ex eis, & unus filius, de quibus infra dicetur.

CAP. XXVI.

De Nicolao III. & CXCV. Pontifice, quis fuit, & de actibus virtuofis ipfius, qualiter Religiofos dilexit, & ad Cardinalatum promovit, & quis fuerit, & qualis.

B ANno Domini MCCLXXVII. in Fefto Beatæ Catharinæ Nicolaus III. in Cathedra Petri fedet. Hic de genere Urfinorum Urbis Romæ dictus eft primò Dominus Joannes Gaytani, & fuit Diaconus Cardinalis tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano. Hic ftatim vadens Romam, ibique Sacerdos factus in Bafilica Beati Petri in Fefto Beati Stephani in die Dominica eodem anno coronatus eft. Sedit autem annis duobus, menfibus IX. diebus III. & vacavit Sedes menfibus VI., vacante etiam Imperio in Italia, excepto quòd Rex Carolus adhuc gaudebat
C Senatu, & Vicariatu in Tufcia, & in Pedemonte dominabatur aliquibus Civitatibus, quas vi gladii acquifiverat, five belli. Hic fuit multùm compofitus homo in moribus: unde & apud multos *el compofto* appellabatur, & erat de pulchrioribus Clericis Mundi. Commendabatur etiam de magna prudentia, & matura refponfione. Religiofos multùm dilexit, & fovit, & fpecialiter Fratres Minores; fed in promotione ad Cardinalatum æqualiter fe habuit ad Minores, & Prædicatores, quia duos Cardinales fecit de Ordine Prædicatorum, videlicet Fratrem Latinum nepotem fuum, filium fororis, qui fuit vir excellentis vitæ, & egregius Prædicator, & factus eft Epifcopus Oftienfis. Alius fuit Frater Robertus de Biliberi Magifter in
D Philofophia, & Magifter in Theologia, & fuper utramque doctrinam fecit optima fcripta, fed præcipuè fuper totam Logicam novam. Hic Prior Provincialis in ordine fuo, deinde factus eft Archiepifcopus Cantuarienfis, & poftea factus eft Epifcopus Portuenfis. Fecit & duos Fratres Minores. Unus fuit Frater Bentivegna de Tuderto, quem habebat familiarem in domo fua, & Confefforem, & inde factus eft Pœnitentiarius major, & Epifcopus Albanenfis. Alius fuit Frater Hieronymus, qui poftea fuit Nicolaus IV. Cum iftis fuerunt alii quinque, inter quos unus fuit Dominus Jordanus germanus fuus, vir magnæ excellentiæ & innocentiæ, & Domi-
E nus Jacobus de Columna vir magnæ maturitatis & innocentiæ, & Religionem amplectens. Hanc autem ordinationem celebravit primo anno fui Pontificatus.

CAP. XXVII.

Qualiter fecit Patriarcham Hierofolymitanum Fratrem Joannem de Vercellis Magiftrum Ordinis Fratrum Prædicatorum virum magnæ opinionis & famæ in toto Orbe terrarum, fed renuntiavit; de quo magnæ funt hiftoriæ.

EOdem etiam anno fecit Patriarcham Hierofolymitanum Fratrem Joannem de Vercellis Magiftrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, virum famofum in toto Orbe terrarum magnæ fanctitatis, doctrinæ, & magnæ fcientiæ, & experientiæ in regimine, qui Ordinem præfatum in Magifterio XX. (*) annis ferè, quia tantum in ipfo vixit, gratiofiffimè rexit. Factus igitur Patriarcha fufpenditur à Magifterii officio, ut in dicta dignitate confentiret. Modus autem fuæ fufpenfionis fingularis fuit, quia in refcripto provifionis Patriarchatus vocat eum olim Magiftrum Ordinis Prædicatorum, propter quam caufam ipfe ceffavit ulteriùs ab officio; fed numquam potuit adduci, ut dicto Patriarchatui confentiret. Quod videns Summus Pontifex, declaravit, quòd per illud *olim* non intendebat ipfum abfolvere ab officio Magifterii. Quatuor fupervixit annis, & fui Ordinis ufque ad extremum vitæ fuit Magifter, de quo magnæ funt Hiftoriæ, quare Summus Pontifex ifta fecit. Sed hoc ad præfens fufficiat, ipfum ab officio Magifterii fufpendiffe.

CAP. XXVIII.

Qualiter ædificavit palatium multùm folenne prope Sanctum Petrum, virgulatum florentiffimum, & fimiliter domum pro Pœnitentiariis; Ecclefiam S. Petri quafi totam renovavit, & Divinum cultum augmentat, & multos Religiofos Epifcopos facit, fed præcipuè circa Minores multa facit.

HIc Nicolaus III. multas novitates fecit, quia apud Sanctum Petrum ædificavit palatium multùm folenne Pontificale, ubi mandavit fieri domum pro omnibus Officialibus fuis, fed præcipuè pro omnibus Pœnitentiariis, qui claudebantur fub uno cancello, ubi fecit fieri viridarium de diverfis confitum arboribus, & magnæ amplitudinis, quòd & muro cinxit fortiffimo & alto, ac turribus munito, quafi Civitas effet. Hic Ecclefiam Beati Petri quafi totam renovavit, & numerum Summorum Pontificum facit defcribi fecundùm imagines in Ecclefia Beati Petri in loco eminenti, & Beati Pauli, ac Sancti Joannis de Laterano. Auget cultum Divinum in Ecclefia Beati Petri quantùm ad numerum Canonicorum, & augmentat præbendas. Hic multos Epifcopos Religiofos fecit, fed præcipuè de Ordine Fratrum Minorum, quia ipfos fpecialiter dilexit, & ipforum protector femper fuit ufque ad Papatum; propter quam cauffam ipforum Regulam declaravit per quamdam Decretalem, quam fecit, quæ habetur in VI. Lib. *de verb. fignif.* cap. *Exiit, qui feminat*, quod non fuit incongruum, cùm etiam

(*) *In Cod. Patav.* XXX. annis.

etiam declarari possint per ipsum & Regula Evangelica, & Apostolica dicta secundùm sacrorum Doctorum sententias. Unde quia dubia quædam in dicta Regula videbantur, hoc certiorari voluit in Decretali præfata.

CAP. XXIX.

Quomodo dictus Pontifex novitatem fecit in Urbe circa Senatorem; & constitutionem facit, quam transgrediens sententiam excommunicationis incurrit; & de constitutione, quam fecit circa electos.

HIc etiam Summus Pontifex novitatem facit in Urbe circa Senatum, quia constitutionem facit de electione Senatoris, seu Senatorum, sive quocumque nomine censeatur, videlicet Dominus, vel Capitaneus, Potestas, sive Patritius, quòd nullus possit eligi ad majus tempus, quàm unius anni, cujuscumque excellentiæ sit persona, absque auctoritate Apostolicæ Sedis, cùm sit Civitas Romanæ Ecclesiæ, ut patet per cap. *Constantinus* 96. dist. 63. cap. *Ego Ludovicus*. Quòd si contrarium factum fuerit, & electus, si in dicta electione consentiat, & electores, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à qua absolvi non possint sinè mandato Apostolicæ Sedis, & dicta electio sit ipso facto irrita & inanis; quæ constitutio habetur in VI. Lib. *de electione* cap. *fundamenta*. Hic etiam quamdam formam circa electos tradidit, sive in concordia, sive in discordia sint electi quantùm ad tempus suæ præsentationis, quam habes ibidem cap. *Cupientes*. Multas etiam constitutiones fecit fructuosas pro bono statu Clericorum, prout in suis titulis continetur. Hic etiam Summus Pontifex in Ecclesia Sancti Petri Capellam fecit fieri in honorem Beati Nicolai, ut Scriptores Historiæ tradunt, ubi & sepeliri voluit; ipsam decenter dotavit, ut scribunt, & pridie Idus Junii pontificaliter consecravit.

CAP. XXX.

De Palatio Lateranensi, quomodo renovavit, sive complevit; sed circa Sancta Sanctorum magna fecit, & cum magna solennitate; & de actibus virtuosis ipsius, quæ multa dicuntur.

HIc etiam Palatium Lateranense, quod de novo Hadrianus V. incœperat, fecit perfici, nec non & Sacram Basilicam ad Sancta Sanctorum evidentiùs ruinosam à solo terræ opere perpetuo intus ipsam per latera vestita marmore, ac in superiori parte testudinis picturis pulcherrimis ornata fundari jussit, capitibus Apostolorum cum carne Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi, capillis quoque B. Mariæ Virginis, & capite Beatæ Agnetis seorsum positis, quarum Reliquiarum pars quælibet in propria capsa erat, & exinde de manu ejus propria in Palatium ipsum novum de nocte translatis, & custoditis ibidem per Religiosas personas, & fide etiam dignas, donec Basilica fuit completa, commisit. Demum autem Romano Populo utriusque sexus generaliter cum multis Prælatis, & aliis innumeris gentibus concurrentibus, personaliter argenteas capsas ipsas reduxit in altare ejusdem Basilicæ, quam pridie Nonas (*) Junii consecravit. Multa virtuosa eidem attribuunt Historiæ, quòd magnus eleemosynarius, quòd devotissimè celebrabat, & semper in Missa flebat. De magna prudentia commendabatur, ac in omnibus actibus suis multùm maturus. Vacantes Ecclesias supra omnes Prædecessores suos velociùs expedivit. Notarios etiam, ut Gregorius X. & Joannes XXI. à se repulit, nullam eis dando audientiam.

CAP. XXXI.

Reprehenditur dictus Pontifex, quòd quamvis fuerit virtuosus in multis, nimis tamen suos dilexit, & injuriosè pro suis quibusdam Castra subripuit, ex quo malum exitum sibi attribuunt.

HIc etiam quamvis multùm intenderet ad cultum Dei ampliandum in Urbe, nimis tamen fuit amator suorum: propter quod & aliqua fecit digna reprehensione, quia Castra quædam quibusdam nobilibus circa partes Romanas abstulit sub prætextu pravitatis hæreticæ; & donavit suis, & præcipuè Surianum: de quo magni fuerunt clamores. Unde in eodem Castro, quamvis non multùm populoso, licèt munito nobilium super Viterbio, quod ab ipso distabat per leucam, suam fecerat residentiam. In Viterbio tamen suam fecit audientiam. Bullatores tamen erant cum ipso, & in suis literis *Datum Suriani* fecit apponi. Et in facto isto erravit, quia notabiliter Deus ipsum punivit, quia ibi singulari & nova moritur morte, privatus subitò omni sensu & motu. Et attendendum de ipso dignum memoria, quia cùm esset satis juvenilis ætatis, & optimè in complexione dispositus, in cibo & potu admodum temperatus, sic tamen moritur, ut est dictum; nec vixit in Papatu, nisi duobus annis, mensibus IX. diebus III. ut supra est dictum.

CAP. XXXII.

Qualiter dictus Pontifex Comitatum Romandiolæ, & Exarchatum requisivit à Rodulpho tamquam de jure ad Ecclesiam pertinentem: quod & obtinuit per literas patentes, & in possessione fuit.

NUnc autem secundo sui Pontificatus anno Nicolaus III. Rodulphum Regem Alamanniæ requirit super resignatione Romagnolæ, & Exarchatus Ravennæ, qui erat Principatus super VI. Civitates Romandiolæ, quæ à Comitatu distinguebatur, & antiquitus in Ravenna erat Senator, sicut in Urbe, dictasque Civitates gubernabat, inter quas continebatur Bononia, ut patet supra, per Ludovicum I. Imperatorem scribentem Paschali Papæ I. Distinguebatur autem Comitatus ab Exarchatu. Unde Bononia non erat de Comitatu, sed de Exarchatu. Hanc autem regionem Carolus Magnus, subactis Longobardis, donavit Ecclesiæ, ut scribit Aimonius in gestis Francorum, ut supra est scriptum. Hanc igitur Provinciam Comitatus Romandiolæ, & Exarchatus Ravennæ priùs obtentam, sive recuperatam Ecclesiæ per Gregorium X. ut supra

(*) *In Cod. Patav.* Julii.

pra est manifestum, nunc Nicolaus III. per patentes literas à dicto Rege Alamanniæ acquirit, mandans dictus Rex omnibus Nobilibus Terræ, ac Populis dictæ regionis, ut Ecclesiæ Romanæ obediant, quia dictum dominium ad Ecclesiam Romanam asserit pertinere. Et sic dictus Papa possessionem obtinet.

CAP. XXXIII.

Qualiter dictus Pontifex post Constitutionem editam de Senatu eligitur in Senatorem à Populo; & sic privatur Rex Carolus, item Vicaria Tusciæ; qualiter Dominus Latinus factus est Legatus in Italia, & Dominus Bertoldus Comes in Romandiola.

HIc Pontifex post Constitutionem editam de Senatu à Populo Romano in Senatorem eligitur ad vitam; & sic privatur Rex Carolus officio Senatoris anno Domini MCCLXXIX. & eodem anno prædictus Rex Carolus per eumdem Vicaria Tusciæ privatur. Anno eodem Dominus Latinus Episcopus Ostiensis, ac Papæ nepos, mittitur Legatus in Italiam in totam terram Imperii; & Dominus Bertoldus fit Comes in Romandiola, qui similiter fuit nepos suus ex fratre. In hac autem legatione dictus Dominus Latinus fecit pacem in Florentia inter Gibellinos, & Guelfos; sed parum duravit. In Tuscia etiam in aliquibus Civitatibus jura Imperii repetivit, sed redemerunt se: & hoc fecit ex mandato Papæ.

CAP. XXXIV.

Qualiter eodem anno, secundo videlicet sui Pontificatus, Rodulphus filiam suam tradidit Carolo Martello, & quomodo novitatem tractat cum dicto Rodulpho super divisione Imperii.

EOdem anno Rodulphus suam filiam in uxorem Carolo Martello tradidit. Quo etiam tempore, ut tradunt Historiæ, Nicolaus III. cum Rodulpho jam dicto tractat super novitatibus faciendis in Imperio, ut totum Imperium in quatuor dividatur partes, videlicet in Regnum Alamanniæ, quod debebat posteris Rodulphi perpetuari; in Regnum Viennense, quod dabatur in dotem uxori Caroli Martelli filiæ dicti Rodulphi. De Italia verò præter Regnum Siciliæ duo Regna fiebant; unum in Lombardia, aliud verò in Tuscia; sed quibus darentur, nondum erat expressum: sed suspicandi satis erat materia. Dum autem hæc attentantur, & attentatio, & cogitatio evanescit, & collatio per mortem Papæ, qui moritur in anno sequenti.

CAP. XXXV.

Qualiter dictus Pontifex quamdam constitutionem revocavit Gregorii IX. de creatione Cardinalium; qualiter ipso mortuo, corpus ipsius transportatur Romam; de translatione Beatæ Mariæ Magdalenæ facta per Regem Carolum.

HIc autem Pontifex quamdam constitutionem revocavit Gregorii IX. in qua ordinavit, nullum de genere quodam Urbis promoveri deberi ad statum Cardinalatus; unde & de eadem domo Cardinales fecit: quod suæ domui etiam multùm nocuit, & adhuc apparent vestigia. Moritur autem, ut jam est dictum, apud Surianum juxta Viterbium; & tunc corpus ejus transfertur Romam, & in Basilica Beati Petri in capella Beati Nicolai, quam ipse ædificaverat, honorificè sepelitur anno Domini MCCLXXX. in octava Assumtionis. Quo anno Carolus adhuc Princeps Salernitanus, & postea Rex Siciliæ relevavit, ac transtulit corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ repertum in tumulo marmoreo in illo Sancto Oratorio, in quo Sanctus Maximinus eam tradidit sepulturæ in Villa sui nominis; ac ipsum memoratus collocavit Princeps in pretiosa capsa; Caput verò seorsum in quadam pulcherrima theca ex argento & auro, & lapidibus pretiosis contexta.

CAP. XXXVI.

Qui Prælati interfuerunt dictæ translationi; qualiter ibidem Conventum Fratrum Prædicatorum Rex fabricat. Hoc tempore Turriani expelluntur de Mediolano; & eodem tempore Rex Franciæ occupat Regnum Navarræ.

INterfuerunt autem huic translationi Archiepiscopi Narbonensis, Arelatensis, & Aquensis, & multi Episcopi sui Comitatus, Abbates plurimi, & Religiosi; nec non Milites & multi Barones, & alii Nobiles. In quo loco Conventum Fratrum Prædicatorum fabricavit, & eis pretiosas Reliquias commendavit. Hoc eodem anno Turriani de Mediolano expelluntur, & Archiepiscopus dicti loci, & Vicecomites assumunt dominium, duravitque usque ad MCCC. Eodem anno, hoc est MCCLXXX. Rex Franciæ exercitum parat ad intrandum Navarram pro filio suo Philippo, qui filiam Regis Navarræ accepit in Uxorem, cui ex successione debebatur Regnum præfatum, & Comitatus Campaniæ. Vadens igitur in Navarram, exercitus ejus Pamplonam expugnant, & tertiam partem destruunt propter rebellionem. Insuper & quidam Nobiles rebellantes dominium Franciæ, fugiunt in Arragoniam, & Castellam; & sic Rex Franciæ usque in hanc horam Dominus est Navarræ. Hoc etiam anno Dominus Albertus superiùs nominatus Ordinis Fratrum Prædicatorum, de quo actum est supra sub Alexandro IV. octogenarius & ampliùs migravit ad Dominum.

Explicit Liber XXIII. Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

IN-

INCIPIT LIBER XXIV.

Ecclesiasticæ Historiæ novæ.

CAPITULUM PRIMUM.

De Martino IV., & CXCVI. Pontifice quis fuit, & qualia fecit, & de actibus ejus virtuosis, qualiter in sua electione exorta est turbatio occasione Domini Matthæi Cardinalis dicti Rubei de Ursinis.

ANno Domini MCCLXXXI. in festo Cathedræ Dominus Simon tituli Sanctæ Cœciliæ Presbyter Cardinalis in palatio Viterbiensi in Papam assumitur. Tunc enim vacavit Ecclesia VI. mensibus, & tantum est à morte Nicolai usque ad creationem Martini. Hic vocatus est Dominus Simon Turonensis, quia inde, ut tradunt Historiæ, originem traxit, vel quia ibi præbendatus. Hic longo tempore fuit Legatus in Francia, & multas bonas leges ibidem dimisit firmatas in Provincialibus Conciliis per eum congregatis. Hic in sumtibus multùm fuit Magnificus, & Cardinalis, & Papa Religiosorum amator, sed præcipuè Prædicatorum, & Minorum, & ad pietatem multùm intentus. In electione autem sua fuit aggravata gravis turbatio, quia Dominus Matthæus dictus Rubeus de genere Ursinorum fuit singulariter reclusus in quadam Camera per officiales Viterbienses, consentiente in facto Domino Ricardo nobili viro Romano de Anibaldensibus dicto *de la Rota*, qui tunc erat Dominus in Viterbio. Cardinales autem tunc non includebantur ex forma Constitutionis, quia revocata fuerat per Joannem Papam, ut supra est dictum. Reclusio tamen erat spontanea, ut de electione aliorum Prælatorum contingit.

CAP. II.

Qualiter ex violentia illata dicto Cardinali omnes Auctores sententiam excommunicationis incurrunt, & Civitas Viterbiensis Ecclesiastico supponitur interdicto; qualiter absolvitur qui tunc erat Dominus; quomodo Summus Pontifex inde recedit.

EX hac ergo violentia omnes Auctores sententiam excommunicationis incurrunt, & Civitas Viterbiensis Ecclesiastico supponitur interdicto; & ab illo tempore Curia ibi usque modo residentiam non fecit. Duravitque istud interdictum non modicum. Dominus autem Ricardus prædictus cum multa humilitate sui absolutionem impetravit, Domino Matthæo petente. Venit enim de domo propria Romæ usque ad domum Domini Matthæi nudis pedibus, & cum corrigia ad collum, ac genuflectens coram prædicto Cardinale, petit ab ipso veniam, suum recognoscens delictum: quod & impetra-

A vit, procurante Domino Matthæo, à Summo Pontifice, qui tunc erat. Hic Papa vocatus est Martinus IV. Sedit autem annis III. ut communiter Historiæ tradunt. Una tamen Chronica nova dicit IV., & XXIV. diebus, quia tantum fuit à Cathedra Petri usque ad quartam feriam Dominicæ Resurrectionis, quæ fuit V. Kal. Aprilis. Hic Pontifex statim recedit de Viterbio, & vadit Urbevetum, ibidemque coronatur, & consecratur propter injuriam illatam Domino Matthæo, ut supra est dictum.

CAP. III.

B *De Cardinalibus, quos creavit eodem anno Primo sui Pontificatus; qualiter dictus Pontifex ad petitionem Regis Caroli fecit denuntiari excommunicatum Palæologum, & suos, quod fuit dicto Regi caussa scandali.*

HIc autem Papa eodem anno Primo sui Pontificatus post suam coronationem sex Cardinales instituit circa festum Pentecostes, hoc est Anno Domini MCCLXXXI. Videlicet Dominum Hugonem Anglicum tituli Sancti Laurentii in Lucina; Dominum Gervasium tituli Sancti Martini in Montibus; Dominum Gaufri- C dum Burgundum tituli Sanctæ Susannæ, & Dominum Joannem Coletta tituli S. Cœciliæ, & Dominum Comitem Mediolanensem tituli SS. Marcellini, & Petri in Presbyteros Cardinales; Dominum Benedictum Gajetani tituli S. Nicolai in carcere Tulliano in Diaconum Cardinalem. Hic Pontifex in primo anno sui Pontificatus ad instantiam Regis Caroli Palæologum Principem Constantinopolitanum, qui ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ cum suis fidelibus redire promiserat in Concilio Lugdunensi per nuntios suos solennes, ut supra patet, denuntiari fecit excommunicatum, allegans, quòd non servavit promissum. Quod quidem factum fuit dicto Regi Carolo caussa scandali, & ruinæ, ut jam D patebit, nec non & ipsi Ecclesiæ plurimùm fuit damnosum, ut in sequentibus apparebit. Primò namque assumuntur mediatores inter Palæologum, & Regem Aragonum, qui vocabatur Petrus, qui uxorem habebat filiam Manfredi, quæ vocabatur Domina Constantia.

CAP. IV.

De his, qui fuerunt mediatores inter Palæologum, & Regem Aragonum, qualiter Rex Aragonum Regnum Siciliæ prehenderet; unde Papa Martinus scripsit Regi Aragonum, quare armatam fecit, nec ab ipso certificari E *potuit.*

HI autem fuerunt mediatores; unus fuit Dominus Benedictus Zacharias de Janua cum quibusdam aliis Januensibus, qui Domini erant in terra Palæologi. Alius autem fuit Do-

minus Joannes de Procida. Et hi, præcipuè autem Dominus Joannes, mediatores fuerunt inter unum de majoribus Principibus Mundi, & Regem Aragonum supradictum, de auferendo Regnum Regi Carolo: quem tractatum ego vidi. Sed illi Regi succurrit Palæologus propter novitates eidem factas; & cum suo adjutorio facit armatam in mari; unde & suspicio jam incipit ebullire de novitate aliqua fienda in Regno. Propter quam caussam tradunt Historiæ, Papam Martinum scripsisse eidem Regi Aragonum ad suggestionem Regis Caroli, quòd volebat scire, ad quid faceret istum apparatum. Cui prædictus Rex sic dicitur respondisse, quòd illud, quod faciebat, sic erat privatum apud ipsum, quòd si lingua sua hoc manifestaret, amputaret ipsam: & sic delusa est sollicitudo quærentis.

CAP. V.

Qualiter Perusini fecerunt exercitum contra Folignum, Papa Martino inhibente: propter quam caussam in gravem sententiam incidunt, sed redeunt ad mandata; qualiter Sicilia rebellat, & quo anno tempore hujus Papæ; & quid fecit tunc Rex Aragonum.

EOdem anno Perusini fecerunt exercitum contra Folignum, Papa Martino eisdem prohibente, quòd non facerent; propter quam caussam gravi excommunicatione eos punivit; sed non destiterunt à proposito, quousque fuerunt ipsius Civitatis muri destructi. Inde redierunt postea ad mandata Martini Papæ, & se pro delicto redemerunt magnâ summâ pecuniarum. Reconciliatis igitur sibi Perusinis, vadit illuc, & cum magno honore ab illis suscipitur anno Domini MCCLXXXII. Isto eodem anno Siculi rebellaverunt contra Regem Carolum, occisis multis Gallicis, qui erant in Insula, quia primò fuit inchoatum in Palermo propter multas injurias, quas patiebantur ab eis, favente Domino Petro Aragoniæ ad instantiam suæ Uxoris, quæ filia erat Manfredi, ut supra est dictum. Eodem tempore Rex Aragonum cum suo navigio vadit in Africam versùs Hipponam, quæ vulgariter Bona hodie nominatur, & applicuit apud (*) Anichollem Villam nobilem in Provincia Numidiæ constitutam, ibique aliquas regiones devastat. Inde redit in Sardiniam, & prope Castrum Castri applicat, ibique sua navigia restaurat in pane, vino, & aqua, & aliis necessariis.

CAP. VI.

Qualiter Rex Carolus exercitum congregat permaximum contra Siciliam, & illuc transiens, Messanam obsidet; qualiter Rex Aragonum Siciliam intrat cum sua gente, & Rex Carolus eidem cedit ex certa caussa.

TUnc Rex Carolus exercitum magnum parat Apulorum, Gallicorum, & Provincialium, ac Italicorum, & cum ipso in Siciliam transiit; Messanam obsidet, quam capere potuisset, si voluisset; sed timuit Terræ destructionem, si vi belli fuisset capta. Sed ista pietas sibi nocuit, quia in isto medio alius, hoc est Petrus Aragonensis, de Sardinia transit in Siciliam, applicuitque Panormum; & inde cum sua militia vadit versùs Messanam. Quod audiens Rex Carolus, ab obsidione Messanæ recedit. Insuper & de Insula cum toto suo exercitu in Calabriam transiit, timens, ne sua victualia perderentur, & ne aliæ rebellarent regiones Regni.

CAP. VII.

Qualiter Rex Carolus Regem Aragonum requirit de singulari certamine ratione dictæ offensæ; nec ille recusat; & inde vadit in Vasconiam; & eodem anno Comes Guido de Montefeltro occupat Comitatum Romandiolæ.

TUnc tradunt, Regem Carolum Regi Aragonum scripsisse in hunc modum, quia mirabatur, quomodo Regnum suum invaserat. Cui Petrus respondit, ad ipsum magìs pertinere ratione uxoris suæ prædictæ. Ad cujus litigii solutionem singulare certamen invicem requirunt Principes supradicti in loco communi; elegeruntque Guasconiam prope regionem Burdegalensem. Eodem anno Comes Guido de Montefeltro Comitatum occupat Romandiolæ contra voluntatem Ecclesiæ, adversùs quem Martinus Papa magnam mittit militiam, multamque expendit pecuniam, nihilque profuit; ubi de sanguine Gallicorum multum effunditur, & etiam aliorum. Unde considerandum est hìc quantùm videtur Deus reprobasse sententiam contra Palæologum prolatam, per quem Latinorum, & Græcorum facta erat reintegratio. Anno Domini MCCLXXXIII. Rex Carolus vadit in Guasconiam cum bona comitiva, quem Joannes de Grilli curialiter recepit, quia erat ibidem Senescallus pro Rege Angliæ. Tradunt autem, quòd adveniente Rege Carolo Burdegalas, subsequutus est Rex Franciæ cum comitiva decenti. Cùm autem esset Burdegalis, venit, ut tradunt aliqui, Rex Aragonum ad statutum locum determinato tempore, & hoc in specie mercatoris; alii dicunt sub specie simplicis militis. Præcedebant autem eum scutiferi cum suis destreriis.

CAP. VIII.

Qualiter Rex Aragonum ad locum veniens, Senescallum Vasconiæ requirit, utrum ibidem per suam protectionem esset securus; quo respondente, quòd non, inde recedit; de opinione alia, quòd non comparuit; qualiter Papa Martinus Legatum mittit in Regnum.

CUmque pervenisset ad locum, misit pro Senescallo sub prætextu cujusdam Baronis, qui illuc vênit; & cùm cognovisset eum, consuluit ipsum, utrum ipse posset eum ibidem securare. Cui respondit, quòd non, nec ipse etiam Rex Angliæ, qui est principalis Dominus terræ. Quod ille audiens, fecit suam protestationem per manum publicam, & statim recessit. Tradunt autem, quòd elegerat centum melio-

(*) In Cod. Patav. Anicolem.

liores milites de tota Hispania ad pugnandum cum ipso contra Regem Carolum, & centum milites Gallicos secundùm ordinationem per eos dispositam ex pactis ad invicem. Quicquid autem fit de hoc, alii tamen dicunt, quòd numquam comparuit ad præfixum terminum, timens adventum Regis Franciæ circa regiones prædictas. Eodem tempore Papa Martinus post recessum Regis Caroli Legatum mittit in Regnum ad custodiam terræ, videlicet Dominum Gerardum de Parma; & eo existente Neapoli, supervenit Rogerius de Loria Admirallus Regis Aragonum, & quasi in portu Neapolis existens, bellum navale petit.

CAP. IX.

Qualiter Princeps tunc, qui erat Salernitanus, galéas facit armari contra Rogerium, & ipsas ascendit, contra inhibitionem Legati; pugnat contra Rogerium, & succumbit, & capitur; qualiter Castrum Sancti Salvatoris capitur, & captivi liberantur.

B AD quæ verba filius Regis Caroli, qui & Carolus vocabatur, & Princeps erat Salernitanus, & postea Rex, provocatus Galêas armari fecit, & ipsas ascendit ad pugnandum. Quod Cardinalis eidem, qui erat ibi Legatus, prohibuit. Illo autem non acquiescente, Dominus Legatus protestationem facit per manum publicam, quòd contra suum consilium facit & C voluntatem. Pugnans igitur cum Rogerio, in bello succumbit, & in portu Neapolitano capitur cum multis galêis juxta Castrum Sancti Salvatoris. Tunc galeoti superiùs ad Castrum ascendunt, & ibidem intrant, & captivos, quos ibidem invenerunt inde educunt, & specialiter filiam Manfredi cognatam Regis Aragonum. Alii dicunt, quòd tunc non fuit Castrum captum Sancti Salvatoris, sed post captionem Principis coacti sunt dare filiam Manfredi cum aliis captivis, quia intentabat mortem eidem. Ubi considera Divinum judicium, quòd ab eo tempore, D quo Rex Carolus cœpit cadere, nullum prosperum actum habuit, sicut infra magìs patebit. Captus igitur Princeps cum suis, captivus in Siciliam ducitur.

CAP. X.

Qualiter Martinus processus facit contra Regem Aragonum, privans eum Regno suo, & tradit Regi Franciæ; quomodo eodem anno inchoata est guerra inter Januenses, & Pisanos, in qua mala multa sunt peracta; & de adventu Regis Caroli Parisios.

E EOdem anno Martinus Papa processum facit contra Regem Aragonum, ipsumque de Regno deponit, & ab omni dignitate, eaque tradidit Regi Franciæ pro Carolo II. filio dicti Regis, totumque Regnum Aragonum supposuit gravissimo interdicto; ac Regnum Aragonum alteri confert, sicut ipse Rex Aragonum Regnum usurpaverat alienum. Eodem etiam tempore inchoata est guerra inter Januenses, & Pisanos, occasione Insulæ Corsicæ, ex qua multa, & magna sunt mala sequuta. Eodem anno Rex

A Carolus vadit Parisios ad Regem Franciæ ad conferendum cum ipso de casu suo, sicut cum nepote filio fratris; deinde vadit in Provinciam ad apparatum faciendum.

CAP. XI.

Qualiter facto apparatu, dum venisset versùs mare Pisanum, audivit filium suum captum, & contemsit; qualiter veniens in Apuliam, & volens transire in Siciliam, infirmatur, & moritur.

B QUo facto, tam militum, quàm navigii apparatu, vadit versùs Apuliam. Veniens verò versùs mare Pisanum, per transeuntes Naucleros audivit, Principem filium suum esse captum. Ille verò imperterritus, statim advocat nobiles, quos secum habebat, & sic ipsos alloquitur: *Congratulamini*, inquit, *mihi, & congaudete mecum, quia hodie perdidimus unum Sacerdotem, qui nostrum impediebat regimen, ac vigorem bellandi.* Unde nullo lamento facto, nec ullo luctu ostenso, sic pertransit, tamquam si nihil esset. Cùm igitur in Apuliam pervenisset, & jam pararet se ad transeundum in Siciliam, subitò gravi febre continua infirmatur, & moritur. Unde attende, C quanta potuit in ipso fuisse doloris materia, considerando statum prosperum, in quo fuit, quia omnia succedebant sibi ad votum, sive in rebus bellicis, sive in quibusdam aliis, & arridebat sibi fortuna. Sed post illam sententiam contra Palæologum promulgatam nec sibi, nec Ecclesiæ bene cessit. Nullum enim præfatus Rex ulteriùs assumsit negotium, quod non infeliciter consummaverit usque ad mortem.

CAP. XII.

Qualiter mortuo Rege Carolo, per Legatum gubernatur, & per Comitem Atrebatensem, quem Rex Franciæ illuc misit cum militia D Gallicana; quomodo Rex Rodulphus misit Vicarium in Tusciam; qualiter etiam Papa Martinus misit Legatum in Franciam, & quare.

MOrtuo igitur Rege Carolo, omnia navigia sunt dispersa. Legatus autem se ibidem firmat ad firmamentum Regni; insuper & Rex Franciæ cum militia Comitem Atrebatensem illuc transmittit ad defensionem Patriæ. Interim verò Princeps Salernitanus, hoc est filius Regis Caroli, qui & postea Rex Carolus dictus est, in Cataloniam vinctus deducitur, & in quodam E detinetur Castro. Isto tempore Rex Rodulphus misit in Tusciam Vicarium Cancellarium suum, & multi ex Tuscis redemerunt se ab eo. Eodem anno Frater Joannes de Vercellis migravit ad Dominum Magister Ordinis, de quo dictum est supra in Capitulo de Nicolao III., qui fuit vir magnæ honestatis, & sapientiæ. Anno autem Domini MCCLXXXIV. Dominus Joannes Ciolecta Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis mittitur Legatus in Franciam per Martinum in favorem Regis, & ad prædicandum Crucem contra Regem Aragonum. Hoc anno MCCLXXXV. Papa Martinus moritur apud Perusium quartâ feriâ infra octavas Dominicæ Resurrectionis, & in Ecclesia majori sepelitur; &

& vacavit tunc Ecclesia solùm IV. diebus, & creatur Honorius IV. de quo in sequenti Capitulo est dicendum.

CAP. XIII.

De Honorio IV. & CLXXXXVII. Pontifice, quis fuit, & qualis conditionis & ipse, & frater suus, quamvis ambo corpore destituti, in virtutibus animæ perfecti fuerunt, qualiter ad Urbem se transfert, & quid ibi agit.

ANno Domini MCCLXXXV. Honorius IV. in octavis Paschæ, alii dicunt die Lunæ post octavam in Cathedra Petri locatur, natione Romanus de domo Sabellorum, quæ antiquum genus erat in Urbe, Dominus Jacobus de Sabello dictus. Hic sapiens homo fuit, nulli læsivus, sed suis bene profectivus. Hic habuit unum fratrem multùm prudentem, & virum humanitatis non modicæ; ambo autem multùm podagrici; Honorius ita impeditus in manibus, & pedibus, quod celebrare non poterat, nisi cum quibusdam instrumentis. Sed frater suus dictus Dominus Pandulphus (*) sic fuit impeditus in dicta passione, quòd ab aliis ferebatur de loco ad locum; & tamen quando fiebat Senator, potentissimus erat in tantùm, quòd latrones & malefactores fugiebant à facie ejus; & si inveniebantur, sine misericordia suspendebantur. Unusquisque in domo sua erat securus. Stratæ Romanæ erant sicut antiquitus. Hic Honorius, statim creatus, ad Urbem se transfert, & in monte Aventino juxta Sanctam Sabinam magna fabricat palatia, & ibidem sedem Pontificalem constituit, totusque ille mons renovatur in ædificiis.

CAP. XIV.

Quomodo cavit à novitatibus, excepto quod aliquos Ordines, qui fuerunt in Concilio suspensi, solidavit; unum solum Cardinalem fecit, videlicet Dominum Joannem Boccamatium, & Episcopum Tusculanum; de Rege Franciæ, qualiter exercitum congregat, & de prædicatione Crucis contra Aragonenses.

HIc nullas novitates quasi fecit, exceptis dictis palatiis; Ordinem Carmelitarum solidavit, qui priùs in Concilio remanserat in suspenso. Tunc mantellos sbarratos mutaverunt in cappas albas. Hujus etiam tempore promotus est Ordo Augustinensis quantum ad Magistros Parisiis, qui ex certa causa ante fuerant impediti; & hodie in probis viris viget, inter quos Fratres Frater Ægidius Magister natione Romanus, & Archiepiscopus Bituricensis. Hic unam solam ordinationem fecit, in qua unum solum Cardinalem fecit, videlicet Dominum Joannem Boccamatium, quem Episcopum Tusculanum instituit. Isto eodem anno Rex Franciæ Philippus filius Sancti Ludovici exercitum maximum fecit, & vadit ad occupandum Regnum Aragonum. Legatus autem, qui tunc erat in Francia, Crucem prædicavit contra Aragonenses, & Cathalanos. Venit primò Perpinianum, & inde, favente Rege Majoricarum, sive ex timore damni sui, sive ex amicitia, quia Cognatus erat ejus, transiit montes Pirenæos, qui Hispaniam cingunt, Castra capit, & unam Civitatem, quæ est circa montes dictos à parte Cataloniæ, & quæ Gerunda vocatur.

CAP. XV.

De Epidemia, quæ exercitum invasit, propter quam caussam Rex Franciæ ulterius non procedit; fuit tamen in Valle Cataloniæ, & pugnat, in qua Rex Aragonum lethaliter dicitur percussus; & de morte Regis Franciæ.

VOlebat autem ulteriùs procedere; sed tanta Epidemia invadit exercitum, quòd Regi consulitur ultra non procedere propter damnum suæ gentis. Si enim suus exercitus transiisset incolumis, tanta erat multitudo populi, & militiæ, quòd, nullam resistentiam invenisset. Quædam tamen pars militiæ descendit in Vallem Cataloniæ, quæ obviam habuit Regem Aragonum cum sua militia, ut gesta Francorum tradunt; pugnantque ad invicem, & multi cæde cadunt ex utraque parte, in quo bello tradunt Gallici, Regem Aragonum Petrum lethaliter fuisse percussum, de quo vulnere sive ex mala custodia, sive ex febre supervenìente, moritur. Rex verò Franciæ tunc bello non interfuit, quia infirmus erat; de quo redeundo in suum Regnum moritur, ejusque corpus Parisios defertur, & in Ecclesia Sancti Dionysii sepelitur. Corpus tamen suum in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Parisiis voluit sepeliri in sinceritate dilectionis ad ipsos. Cui succedit Philippus filius ejus. Quintus in hoc nomine, XLIX. à primo Rege Francorum secundùm Vincentium, sed secundùm Ammonium XLVII., XXIV. à Pipino, & XII. ab Hugone.

CAP. XVI.

Qualiter refert ab aliis, qui fuerunt præsentes, quia Aragonum invadit fodrum Regis cum tot militibus; sed tres Barones Franciæ impedierunt Regi prædicto lethaliter percusso.

SEd quicquid sit de ista Historia sic relata, ego tamen aliter quantum ad pugnam Gallicorum cum Rege Aragonum audivi referri. Audivi enim ab iis, qui tunc fuerunt præsentes, & viri erant digni fide, quòd caussa pugnæ fuit pro defensione fodri, ad quod capiendum Rex Aragonum ibat cum sua militia. Casu autem tres Barones Franciæ spatiatum ibant circa partes illas cum D. militibus benemunitis, inter quos tres fuerunt Dominus Joannes Claricove, & Dominus de Vigella, qui audientes Regem Aragonum cum sua militia advenisse, qui circa CCC. existebant, judicaverunt rem difficilem assumere, cùm essent pauciores. Sed considerato damno, & verecundia Regis, & Regni, fortiores efficiuntur ad pugnandum, & in pugnando prævalent, Rege Aragonum vulnerato, & mul-

(*) *In Cod. Patav.* Radulphus.

multis de suis cæsis militibus. Dum hæc autem aguntur, fodrum transit illæsum, ubi erat thesaurus Regis, qui erat immensurabilis; & ego vidi in doliis transportari de Francia. Item in dicto fodro erant victualia pro exercitu, quæ nimis erant necessaria.

CAP. XVII.

Ponitur fructus pugnæ sed contra documentum militare, quia præferenda bonitas militis; qualiter Deus aspersit ipsorum gloriam in victoria navali, quam habuit Rugerius contra ipsos. Qualiter Cometa illo tempore apparuit.

SI ergo dicti Barones non pugnassent, Regnum Franciæ erat confusum; & tamen per unum ex illis tribus Baronibus judicatum fuit non esse pugnandum, quia vita militarium virorum præferenda est omni commodo temporali. Nihilominus tamen dictus Baro cum protestatione pugnavit, & maxima quoque fecit. Et quamvis in dicto facto Gallici fuerunt gloriosi, statim tamen Deus ipsos aspersit in gloria, quia Rugerius de Loria cum suis galêis navalem exercitum Regis Franciæ prope Narbonam fortiter invadit, & omnes quasi galêas dicti Regis combussit, quia ipsas Magistri Curiæ propter avaritiam dereliquerunt immunitas. Unde Rex Francorum in infirmitate constitutus, magnum dolorem concepit, ex quo mors ipsius citiùs fuit accelerata; & si vixisset, ultionem sumsisset de iis, qui curam habebant dicti navigii. Eodem anno Cometa apparuit magnus, qui comam dirigebat versùs Occidentem, & Septentrionem; & illo anno Tartari Imperium invadunt Constantinopolitanum, venientes de Septentrione, & Oriente, multasque terras Imperii occupant, & magnam stragem de hominibus faciunt.

CAP. XVIII.

De bello generali inter Januenses, & Pisanos, & conflictu Pisanorum circa portum Pisanum, in quo bello facta est magna hominum strages, & navigii perditio; de adventu Regis Odoardi in Vasconiam pro Rege Carolo ad concordiam.

EOdem anno Pisani, & Januenses pugnaverunt ad invicem in mari generali exercitu, & post magnam concertationem Pisani succumbunt: quod fuit prope Portum Pisanum in loco, qui dicuntur la Melora, ubi ceperunt Prælatos, sicut supra est dictum in Cap. *de Innocentio IV*. Fuit autem in hoc bello magna hominum strages, & inter captos & mortuos plusquam XII. milia hominum fuerunt. Perdideruntque præter alia navigia XLIX. galêas, præter aliquas submersas in mari. Anno sequenti, hoc est anno MCCLXXXVI. Odoardus Rex Angliæ vênit in Vasconiam visitaturus Regem Carolum, qui vinctus tenebatur in Cathalonia. Illucque vadit pro liberatione dicti Regis, qui consobrinus ejus erat, de duabus sororibus nati, & cum

(a) *In Cod. Patav.* Ancherius.
(b) *In Cod. Patav.* Hieronymus.

A Alphonso tunc Rege Aragonum primogenito Petri de concordia tractat.

CAP. XIX.

De morte Honorii, & vacatione Ecclesiæ, & unde ista vacatio processit; & qualiter multi Cardinales sunt mortui; & de terræmotibus, qui fuerunt tempore istius Pontificis.

ANno autem Domini MCCLXXXVII. Honorius moritur apud Sanctam Sabinam, & in Ecclesia Sancti Petri juxta sepulcrum Nicolai III. honorificè sepelitur; qui dum viveret, apud S. Sabinam continuam residentiam faciebat, nisi in æstate, quia tunc Tibur Curiam transferebat. Sedit autem annis II. & diebus aliquibus, & vacavit tunc Ecclesia à Cœna Domini, quia tunc mortuus est Honorius, usque ad Cathedram Sancti Petri, in qua electus est Nicolaus, quod contigit, quia tunc recluserunt se Cardinales in S. Sabina; & quia in æstate locus infirmus erat, multi Cardinales infirmati sunt ibidem, & mortui circa VI. vel VII. inter quos fuit Dominus Jordanus de Ursinis, Dominus Comes de Mediolano, Dominus Hugo Anglicus, Dominus Gervasius Andegavensis, & Decanus Pisanus, & Dominus (a) Anteis. Inde omnes redierunt ad propria. Postquam verò recreati sunt, & resumserunt vires, de communi concordia Collegii redeunt ad electionem in eodem loco, & factus est in festo Cathedræ Nicolaus IV. de quo nunc est dicendum. Isto tempore fuerunt terræmotus magni in Tuscia, post quos multa mala in eadem Provincia sunt sequuta.

CAP. XX.

De Nicolao IV. & CXCVIII. Pontifice, quis fuit; de ordinatione Cardinalium, quam fecit anno primo sui Pontificatus, & de actibus suis virtuosis, & de quodam singulari actu ipsius.

ANno Domini MCCLXXXVIII. Nicolaus IV. de Marchia Anconitana de Civitate Asculo in Summum assumitur Pontificem. Hic vocatus est (b) Frater Joannes de Ordine Fratrum Minorum, quorum primò erat Minister Generalis, deinde Presbyter Cardinalis, inde Nicolaus IV. Hic Nicolaus in Cathedram Petri ascendit in die Cathedræ S. Petri. Sedit autem annis IV. & tanto plus, quantum est à Cathedra Petri usque ad hebdomadam Sanctam in Parasceve, quæ circa principium Aprilis fuit. Hic eodem anno in Pentecoste fecit unam ordinationem, in qua facti sunt Cardinales multi, inter quos fuit Dominus Neapolio (c) (qui adhuc superest anno Domini MCCCXXXVIII. in Epiphania Domini) Dominus Petrus de Columna, Dominus Hugo de Bellionio, & Dominus Matthæus de Aquasparta. Hic fuit homo religiosus, & circa suos in nullo carnalis, amator suæ Religionis, & aliarum. Hic existens Presbyter Cardinalis, dum essent Cardinales inclusi in S. Sabina ad electionem faciendam post mortem Honorii, dum alii Cardinales fugissent locum propter infirmitatem, ipse solus ibidem remansit in loco infirmiori, &

(c) *Hæc parenthesis non est in Cod. Patav.*

& tamen evasit; & caussa fuit, quia in profunda æstate semper habuit prunas copiosas in aula sua, & in camera, & in aliis officinis.

CAP. XXI.

Qualiter se transtulit, ipso creato, Reatem de Roma, & sequenti anno rediit; de malis, quæ contigerunt tempore suo, quamvis ipse fuerit bonus homo; & de Vicario, quem Rodulphus misit in Tusciam.

HIc factus Papa statim de Urbe transtulit se Reatem, & ibidem suam residentiam facit usque ad alium annum; inde rediit Romam, & in S. Maria Majori suam Curiam tenet, ibidemque moritur, & in eadem Ecclesia sepelitur. Et quamvis homo bonus fuerit, multa tamen infelicia in Ecclesia suo tempore acciderunt. Primò quidem in Urbe multa bella exorta sunt, & multa etiam mala commissa; & ipse in hoc etiam multùm erravit, quia nimis uni generi adhærebat in Urbe præfata: propter quam caussam exorta sunt in Urbe præfata multa mala. Anno autem primo sui Pontificatus capta est Tripolis; alii dicunt, quòd secundo anno, occisis ibidem & captis Christianis, qui erant ibidem, & aliqua ludibria in eis facta sunt indicibilia. In dicta autem Civitate Principatus erat, sicut in Antiochia. Eodem tempore Rex Alamanniæ Rodulphus Vicarium mittit in Italiam Dominum Principallem de Flisco Lavaniæ Comitem, qui ditior Clericus erat de simplicibus (*) Præbendis, quæ essent in Mundo, & omnibus cessit propter dictum Principatum; & hac de caussa factus est pauper in tantum, quod coactus est vendere jurisdictionem Imperii Civitatibus Tusciæ. Unde Lucani dederunt de dominio Imperiali, quod habebant in suo territorio, XII. millia florenorum.

CAP. XXII.

Qualiter hujus Pontificis tempore capta est armata Regis Caroli à Rogerio de Loria, qui transibat in Siciliam, in qua multi Barones erant, quæ capta dicitur quodam ingenio.

HUjus Pontificis tempore in principio sui Papatus, alii dicunt, quòd tempore vocationis, hoc est MCCLXXXVII. fuerunt captæ multæ galêæ in mari Regis Caroli junioris. Fecerant enim armatam Regnicolæ contra Siculos, & Jacobum, qui modò Rex est Aragonum, in quibus galêis erant multi Barones; inter quos Guido de Monteforte, & Comes Theatinus dictus Philippus filius Comitis Flandriæ. Isti ergo Comites euntes in Siciliam, obviam habuerunt Rogerium de Loria cum galêis Siciliæ, qui invadens galêas Regis, quodam ingenio ipsas ducit. Primò quidem consideravit, quo mare flueret, & ibidem se fixit, unde fluebat, quia locus altior est in mari; & in eodem loco Solem cum suis habebat à tergo; galêæ autem Regis habebant in facie: propter quam caussam in pugnando succumbunt; & sic in Siciliam deducuntur memorati Comites cum sua comitiva. Ibidem moritur Comes Guido, & ut dicitur, non bona morte, quia ab eo tempore, quo occidit Henricum in manibus Sacerdotis, ut supra patet in MCCLXX., numquam eidem bene cessit.

(*) *In Cod. Patav.* Prælatis, qui.

CAP. XXIII.

Quo tempore hujus Pontificis liberatur Rex Carolus de carcere; & quomodo capta est Achon, & quæ fuerunt caussæ suæ captionis, quæ fuerunt duæ præter Divinam voluntatem.

HUjus etiam Pontificis tempore anno secundo, hoc est MCCLXXXIX. ut traditur, liberatur Rex Carolus de carcere, mediante Rege Angliæ Odoardo, datis tamen obsidibus pro servandis pactis. Anno autem Domini MCCXC. Pontificatus autem Nicolai anno III. Achon capitur à Soldano, & similiter Tyrus, & hoc in prœlio occisis, & captis ibidem de Christianis plusquam XXX. millibus personarum. Caussa autem istius captionis duplex fertur. Una fuit diversitas voluntatum in Dominis, quia non simul concordabant in regimine, sive defensione terræ. Erant autem ibidem VI. vel VII. Domini, videlicet Templarii, Hospitalarii, Theutonici, Consul Pisanus, Rex Cypri, Rex Carolus, item Patriarcha. Propter hanc igitur diversitatem Soldanus invalescit ad expugnandum Civitatem, cùm tamen inexpugnabilis diceretur. Secunda fuit stultitia Crucesignatorum. Nicolaus enim Papa post perditionem Tripolitanam fecit prædicari Crucem per regiones; & subitò transeunt sinè capite in Achon. Cùmque in dicta Civitate viderent Saracenos portantes merces, injuriabantur eisdem, & aliquos spoliabant, interdum verò occidebant. Propter quam caussam provocatus est Soldanus, & congregavit exercitum permaximum, & non quievit, donec ipsam cepit, & delet; & Achon deleta, delentur omnes in circuitu regiones. Et sic de Regno Hierosolymitano, nec de Terra Promissionis remansit aliquid, quod non sit à Saracenis occupatum.

CAP. XXIV.

Describuntur hìc Civitates, quæ in Terra Sancta sunt perditæ anno MCCXC. usque in MCCC., ut exploratores Terræ referunt.

ET attende hìc, quia, ut tradunt ii, qui dictas exploraverunt regiones, ab eo tempore, quo fuit capta Achon, quod fuit anno Domini MCCXC. usque ad MCCC., omnes istæ Civitates, & Castra, quæ erant Christianorum, à Saracenis sunt occupata. Prima est Hierusalem Civitas Summi Dei; secunda Ascalona; tertia est Caffa versùs Achon; quarta est Nazareth; quinta est Gaza; sexta est Cæsarea; septima (**) Lalectio nobilissima Civitas; octava est Antiochia quasi altera Roma; nona est Libelletum, quod antiquitus Biblium vocabatur; decima est Tripolis Civitas amœnissima, & delectabilis, quæ prope Libanum juxta mare sita est; undecima Achon, quæ antiquitus Protolomaida vocabatur; quæ portum maris nobilissimum habebat, & propter suam nobilitatem tot habebat dominia, ut supra est dictum; duodecima Surti, quæ alio nomine Tyrus vocatur; Ci-

(**) *In Cod. Patav.* Laleria.

Civitas famosissima fuit tempore Ezechielis Prophetæ, & fuit Insula tempore ejus, sed postea per Alexandrum Macedonem continuata est terræ; decimatertia fuit Sidonia, quæ modò Jacha (a) vocatur, quam cum Tyro Dominus in Evangelio multùm commendat; decimaquarta est Baructi, quæ habebat suum Principatum per se, & vocabatur Dominus Baructi, qui occisus fuit in Cypro MCCCX., & erat frater Regis Cypri; decimaquinta est Tortosa, ubi est regio Ancoradus.

CAP. XXV.

De Castris fortissimis Terræ sanctæ, quæ à L. annis ibidem sunt occupata à Saracenis, & ponuntur hic solùm famosa, cùm multa sint alia.

SEd & Castra nobilissima multa sunt perdita. Multis verò omissis, solùm famosa. Primum quidem Monforte à Comitibus sic nominatis ædificatum, Castrum nobilissimè munitum; II. autem Castrum de Monreale fortissimum Castrum; III. Castelblanco Castrum fortissimum; IV. Archirocca fortissimum; V. Zaffettum Castrum munitissimum; VI. (b) Arseinferum Castrum nobilissimum; VII. Malacrea fortissimum Castrum; VIII. Locrosale Castrum potentissimum; IX. (c) Boceronel; X. Nemphinum; XI. (d) Nagatum; XII. Castrum Peregrinum, quod erat Templariorum, & alia plura Castra in Principatu Antiochiæ, & aliis pluribus locis, sed in confinibus præcipuè Armeniæ minoris, quæ fuerunt Templi & Hospitalis. Sola autem Insula Cypri nobis remansit, Armenia verò minor, quæ antiquitus Cilicia vocabatur, & Georgia, Christianorum est, sed ritu Græcorum vivunt. Hæc omnia à MCCL. usque ad MCCLXXXX. sunt capta. Sed tempore istius Papæ quinque Civitates sunt captæ, videlicet Tripolis, Achon, Tyrus, Sidonia, Baructi cum aliquibus Castris.

CAP. XXVI.

Quòd hujus Pontificis tempore exorta est turbatio Angliæ inter Regem Franciæ, & Dominum Odoardum Regem, quæ fuit guerra pessima, & multum duravit, ratione cujus missi sunt duo Cardinales; & Rex Rodulphus moritur.

HUjus etiam Pontificis tempore Anno secundo hoc est MCCLXXXIX. oritur discordia inter Regem Franciæ Philippum hujus nominis quintum, & Regem Angliæ Odoardum, quæ magna fuit, & multùm duravit, & longam continet Historiam. Sed ad præsens dimittatur. Mittuntur autem illuc duo Cardinales per Papam Nicolaum, videlicet Dominus Benedictus Gajetani, & Dominus Gerardus de Parma pro tractanda concordia. Sed parum ibidem profecerunt. Omnia igitur hæc acciderunt tempore istius Pontificis. Anno autem MCCLXXXXII. quarto Pontificatus ejus Rodulphus Rex Alamanniæ moritur sine benedictione Imperiali, & apud Spiram sepelitur Civitatem Alsatiæ in sepulcro Imperatorum propter suam strenuitatem; unde habebat versus super suo epitaphio:

A *Mortuus est anno mille centum triplicato*
Sex minus, atq; tribus Julii Rex mense Rodulphus.

Et quamvis fuerit parvus Comes dictus de Abspurgh Diœcesis Constantiensis circa partes Basileæ, & confinis Comitis Sabaudiæ; ex sua tamen probitate Regnum Alamanniæ in magna pace possedit XVIII. annis.

CAP. XXVII.

De electione Imperatoris Adolphi facta tempore istius Pontificis, qui dictus est Comes de Nassau; & post hæc Nicolaus Papa etiam moritur; qualiter de communi concordia Cardinales se transtulerunt Perusium, & multùm vacavit.

B

ANno Domini MCCLXXXXII. adhuc Nicolao IV. Papa vivente, convenerunt Electores Alamanniæ tam Laici, quàm Clerici, & in Imperatorem eligunt Comitem Adolphum de Nassau virum strenuum in armis, sed in potentia deficientem; tum quia paucos habebat introitus, tum quia non multùm radicatus in parentela; sed in corde totus fuit magnificus, & virtute plenus, sicut patet ex iis, quæ fecit, quæ infra dicentur, quia in modico tempore multa fecit. Hic Adolphus Rex congregavit
C exercitum contra Albertum Ducem Austriæ filium quondam memorati Rodulphi Regis Alamanniæ, pugnaveruntque simul in monte, qui dicitur Hasembuel, in qua pugna Adolphus occiditur, & sui in fugam convertuntur Anno Domini MCCLXXXXVIII. Regnavit autem annis VI. apud Theutonicos; benedictionem Imperialem non habuit, nec coronam. Anno autem Domini eodem MCCLXXXXII. Nicolaus IV. in passione Romæ moritur, & in Sancta Maria Majori sepelitur, ut dictum est supra. Tunc Cardinales de communi concordia Perusium se transferunt propter mala, quæ consequuta sunt in Urbe in præcedenti electione de mortibus Cardinalium, quia septem Cardinales, vel
D sex, ut supra est dictum ibidem sunt mortui; & ideo voluerunt communi concordia isti casui providere. Et attende, quia tunc constitutio Gregorii non erat in suo vigore; & ideo usi sunt antiquo more. Vacavit autem Ecclesia post mortem Nicolai annis II. & mensibus III.

CAP. XXVIII.

De magnis novitatibus, quæ apparuerunt tempore istius vacationis, videlicet terræmotus. De morte Palæologi; De Rege Carolo, quomodo honoratus est Lucam veniens de Provincia cum sua prole tota.

E

IN ista autem vacatione multæ novitates apparuerunt in Mundo. Primò quia in Italia multi fuerunt terræmotus, sed maximè versùs Neapolim, in Valle videlicet de (e) Bivano, quia ruerunt Castra, & villæ, & multæ personæ perierunt ibidem. Sardinia tota immutata est in dominio. Palæologus moritur, cui succedit filius suus Andronicus. Tunc factus est tumultus magnus in Civitate Regia, quæ Constantinopolis dicitur, per Calojeros acclamantes, Palæologum non

(a) *In Cod. Patav.* Sareta.
(b) *In Cod. Patav.* Archinsum.
(c) *In Cod. Patav.* Troctone.
(d) *In Cod. Patav.* Margotum.
(e) *In Cod. Patav.* de Biavo.

non debere sepeliri in cœmeterio, quia adhæsit Latinis, & sic insepultus remansit usque ad tempora ista. Tempore etiam vacationis veniens Carolus de Provincia, transiit per Lucam, ubi gloriosissimè fuit receptus cum uxore, & filiis. Inde vadit Perusium ad rogandum Collegium pro creatione Summi Pontificis, ubi & dura verba habuit cum Domino Benedicto Gaytani. Non proficiens autem, venit in Regnum.

CAP. XXIX.

De Cœlestino V. & CLXXXXIX. Pontifice, qualiter assumtus est, & quis fuit; qualiter ad instantiam Regis, & suorum recepit; qualiter venit Aquilam, ibique coronatus est; de creatione Cardinalium.

ANno igitur Domini MCCXCIV. post festum Beati Joannis Baptistæ, hoc est VII. Kal. Julii ad persuasionem Domini Latini Ostiensis Episcopi, & post recessum Regis vota sua dirigunt Cardinales in quemdam Eremitam de Abrutio, cujus nomen Frater Petrus de Murone, ipsumque in Summum Pontificem eligunt, qui vocatus est Cœlestinus V. Hic Regi Carolo multùm devotus, in quodam saxo suum habuit habitaculum, vir maximæ abstinentiæ, & orationis, totus Deo consecratus. Recepto igitur decreto, ad instantiam Regis, & suorum, ac totius regionis Papatum recepit, vênitque Aquilam, ubi tunc fixit sedem, ibidemque consecratur, & coronatur; fueruntque in sua coronatione plusquam CC. millia hominum, & ego interfui. Fecit autem statim post hoc ad petitionem Regis unam magnam ordinationem Cardinalium, inter quos tres fuerunt de Regno, videlicet Dominus (*) Pandulphus de Neapoli; unus de Ordine suo, qui vocatus est Thomas; tertius autem fuit Archiepiscopus Beneventanus, qui ante fuerat Abbas Montis Casini. Fecit & Cancellarium Regis Dominum Guiliellmum de Pergamo; fecit & Dominum Joannem Monachi, & Archiepiscopum Lugdunensem, ac Archiepiscopum Bituricensem. Primus vocatus Dominus Beraldus de (**) Brocho, & factus est Albanensis; & secundus factus est Penestrinus.

CAP. XXX.

Qualiter Cardinales mittendo decretum scripserunt suæ Sanctitati, quòd placeret venire Perusium, sed ille recusat. De ægritudine, & obitu Domini Latini Cardinalis Ostiensis Episcopi; de actibus virtuosis ejus.

SEd attendendum, quòd ipso creato simul cum decreto Cardinales eidem literas transmittunt, & suæ Sanctitati significant, ut ad locum communem, ubi sua facta erat electio, dignaretur venire. Ille verò ad instantiam Regis venire recusat, quin immo eisdem mandavit, ut ad ipsam veniant. His igitur peractis, Dominus Latinus graviter infirmatur, in quo totum pondus incumbebat super electione Cœlestini. Hic enim Dominus Latinus vir fuit magnæ religionis & sanctitatis, & ex devotione specialiter conjunctus fuerat Fratri Petro de Murone, eidemque singulis annis à tempore suæ notitiæ specialem eleemosynam transmittebat, suosque Confratres specialiter fovebat, qui morabantur Romæ, ubi claustrum habebant prope Sanctum Petrum. Ex hac ergo familiari devotione, & confidentia bonitatis fuit motus ad suadendum de ipso, ut in summum assumeretur Pontificem. Aggravatus igitur ægritudine, moritur Perusii, de quo magna & virtuosa dicuntur, ac exemplo digna.

CAP. XXXI.

De cursu populi versùs Aquilam pro petenda benedictione ipsius, de Curia, Castris, Villis; qualiter ad ipsum veniunt Cardinales Perusini; quomodo in operibus Cœlestini inveniebantur errores in multiplicatione gratiarum.

SEd redeundum est ad Cœlestinum, quia sibi persuaderi non potuit, ut veniret Perusium; sed in Aquila aliquo tempore pedem fixit. Tantus autem ibidem fuit concursus ad ipsum de Villis, & Castris, quòd stupor erat videre, quia ipsi magìs veniebant ad suam obtinendam benedictionem, quàm pro præbendæ acquisitione. Unde oportebat eum sæpiùs ad fenestram accedere ad benedicendum populum, victus ipsorum clamoribus: quod & ego vidi, & præsens fui, quando ista fiebant. Interim autem Cardinales aliqui procedunt ad Papam, aliqui subsequuntur versùs Aquilam. Ultimus tamen ad veniendum fuit Dominus Benedictus Gaytani, & dubitabatur, quòd non veniret, quia Regem verbis offenderat in Perusio. Vênit igitur ultimò, & sic scivit deducere sua negotia, quòd factus est quasi Dominus Curiæ. His igitur sic deductis, quamvis Cœlestinus faceret opera sancti viri, quia propter statum Pontificalem non recesserat ab innocentia primi status; sed eadem humilitas, eadem puritas perseveravit in ipso, licèt modus vivendi esset immutatus propter dignitatem. Decipiebatur tamen à suis Officialibus quantùm ad gratias, quæ fiebant, quarum ipse notitiam habere non poterat tum propter impotentiam senectutis, quia ætatis decrepitæ, tum propter inexperientiam reginimis circa fraudes, & hominum versutias, in quibus Curiales multùm vigent. Unde inveniebantur gratiæ aliquæ factæ tribus, vel quatuor, vel pluribus personis, membranâ etiam vacuâ, sed bullatâ.

CAP. XXXII.

Qualiter his perceptis, incipiunt informare eum de renuntiatione, interim autem Rex Carolus ordinat, ut cum Curia vadat Neapolim, ubi multùm stimulatus de prædictis, quamvis promisisset, quòd non faceret, fecit.

HOc igitur percipientes quidam de Collegio, jam incipiunt querelari, & Ecclesiæ fluctuationem attendere, ac etiam eidem Pontifici insinuare sub prætextu suæ sanctitatis, quantum sibi periculum imminebat. Interim autem Rex Carolus, ut tradunt, ordinavit cum Cœlestino (quod sinè beneplacito Collegii factum est) quòd Curia transferretur Neapolim. Vadens

(*) *In Cod. Patav.* Landulphus.

(**) *Ibidem* de Gotho.

dens igitur illuc, multùm stimulatur ab aliquibus Cardinalibus, quòd Papatui cedat, quia Ecclesia Romana sub ipso periclitabatur, & sub eo confundebatur: quibus stimulis concitatur Sanctus Pater. Quod cùm perpendisset Rex, & Clerus, mandat fieri processionem à majori Ecclesia usque ad Regis Castrum, cui processioni ego interfui, ubi convenerunt multi Episcopi regionis, omnes Religiosi, & totus Clerus. Cùmque pervenisset processio ad dictum Castrum, ubi Summus Pontifex morabatur, acclamavimus more solito pro benedictione. Ipse verò pro reverentia processionis ad fenestram accessit cum tribus Episcopis. Data igitur benedictione, unus Episcopus processionis prædictæ à Sancto Pontifice audientiam petit, loquens in persona Regis, & totius Regni quantùm ad Clerum, & populum, & me præsente, supplicans humiliter eidem vice & nomine prædictorum omnium, voce altissima & tubali, quam processio tota audivit inferiùs in platea, Papa autem superiùs in fenestra: quatenus cùm ipse esset gloria dicti Regni, nulla persuasione ad resignandum consentiret. Ad quæ verba ex mandato Papæ unus de Episcopis, qui cum ipso erant, respondit, quòd non intendebat, nisi aliud appareret, unde conscientia urgeretur. Tunc dictus Episcopus prolocutor pro Rege, & Regno altè incipit *Te Deum laudamus*; & tota processio ipsum prosequitur usque ad finem. Et sic inde ad propria redeunt: quod fuit quidem, ut mihi constat, circa festum Beati Nicolai.

CAP. XXXIII.

Qualiter nimis mordaciter eidem suggeritur de renuntiatione, quibus stimulis devictus, consentit, sed ante facit Constitutionem de renuntiatione Papæ.

Hoc autem non obstante, adhuc aliqui Cardinales mordaciter infestant, quòd in periculum animæ suæ Papatum detinebat propter inconvenientia, & mala, quæ sequebantur ex suo regimine. Ad quæ verba movetur Sanctus; & sic jam incipit amicos consulere, qualiter hoc fieri posset. Inde postea ad paucos dies, hoc est prope Natale Domini Papatui cedit in manibus Collegii, quam & ipsum Collegium dicitur acceptasse. Ante istam autem cessionem de consilio & assensu Fratrum Constitutionem facit, quòd Papa potest in certis casibus resignare; quam Constitutionem Bonifacius VIII. successor ejusdem recitat, & confirmat in VI. Lib. *de renuntiatione* Cap. I., & ipsum factum Clementis I., de quo actum est supra de IV. Pontifice etiam fidem facit.

CAP. XXXIV.

Qualiter post cessionem Cœlestini Cardinales in vigilia Natalis Domini in Dominum Benedictum Gaytani dirigunt vota sua; qualiter Cœlestinus post cessionem suam Eremum petit; sed non fuit permissus, & de obitu ejus.

Post cessionem autem ad modicum tempus juxta formam decreti ad electionem alterius procedunt, præsente Rege Carolo Neapoli, & in vigilia Nativitatis Domini in Dominum Benedictum Gaytani vota sua dirigunt, & in Summum Pontificem assumunt, & Bonifacius VIII. vocatus est, anno videlicet Domini (*) MCCXCIV. Sedit autem Cœlestinus à VI. Kal. Julii usque ad XIX. diem vel circa Decembris. Volens autem de Curia recedere, & ad eremum redire, fugam iniit. Sed Bonifacius post ipsum Nuntios, seu Veredarios transmittit ad ipsum detinendum; & inventum ipsum reducunt, ac in custodia ponitur, & tenetur, pro cavendo scandalo Romanæ Ecclesiæ, quia apud aliquos dubitabatur, an cedere potuisset, & sic poterat schisma in Ecclesia generari. Tentus igitur in custodia non quidem libera, honesta tamen, in Castro, ut dicunt, Fumonis, XIV. Kal. Junii moritur, & in quodam Monasterio sui Ordinis, quod dicitur Sancti Antonii retro Altare sepelitur anno Domini MCCCII., sive CCCIII. ut tradunt.

CAP. XXXV.

De virtuosis operibus ipsius, propter quæ merita ad petitionem magnorum & devotionem ad ipsum, examinatá vitá ejus ordine debito, Catalogo adscribitur Sanctorum. De guerra inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ, & Comitem Flandriæ.

Hic vir Sanctus longo tempore eremiticam vitam duxit, multosque discipulos bonos fecit, de cujus Canonizatione facienda postmodum apud magnos viros in Curia Romana sollicitudo incubuit, ac longo tempore duravit. Demum datis Examinatoribus in Curia per Clementem V. ad instantiam Regis Franciæ, & aliorum Principum super vita & miraculis ejus; ac investigatis, & inventis, & per Collegium approbatis, dictus Clemens ipsum Sanctorum Catalogo adnotavit sub nomine Sancti Petri Cœlestini Confessoris, per quod nomen etiam sua cessio approbatur. Actum est hoc apud Avinionem anno Domini MCCCXIII. à transitu ejus anno X. vel XI. fuitque instituta ipsius festivitas celebranda XIV. Kal. Junii, qua die ipse migravit ad Dominum. Suo autem tempore guerra inter Regem Angliæ, & Regem Franciæ multùm fervet, & multa mala sunt commissa in mari, & in terra; sed in terra prævalet Rex Franciæ, & circa partes Guasconiæ; in mari autem Rex Angliæ cum adjutorio Bajonensium. Hujus autem guerræ occasione inchoata est discordia inter Regem Franciæ, & Comitem Flandriæ, eo quòd Comes contraxerat parentelam cum Rege Angliæ, dans filiam filio Regis Angliæ, Rege Franciæ irrequisito. Qua de caussa pater, & filia longo tempore fuerunt detenti Parisiis. Hujus etiam Pontificis tempore Frater Stephanus de Bisuntio Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Magister in Theologia solennis migravit ad Dominum, vir vitæ venerabilis, & magnæ religionis, qui propter nimios labores in officio Magisterii præventus est morte.

CAP.

(*) In Cod. Patav. MCCXCIII. Sedit autem Cœlestinus à VII. Kal.

CAP. XXXVI.

De Bonifacio VIII. & CC. Pontifice, & qualiter assumtus, & quomodo fastuosus, licèt expeditus in negotiis; qualiter revocat gratias; & quomodo de Neapoli Romam se transfert; quomodo Gibellini ceperunt Eugubium, & qualiter duos Legatos misit in Franciam.

ANno Domini MCCXCV. Bonifacius VIII. in Cathedra Petri locatur. Hic natione Campanus, & de Anania oriundus, hic ante dictus Dominus Benedictus Gaytani Diaconus Cardinalis. Hic longo tempore experientiam habuit Curiæ, quia primò Advocatus ibidem, inde factus postea Notarius Papæ, postea Cardinalis, & inde in Cardinalatu expeditor ad casus Collegii declarandos, seu ad exteros respondendum. Nec in hoc habuit parem, sed propter hanc caussam factus est fastuosus, & arrogans, ac omnium contemtivus. Inde ascendens ad Pontificalem dignitatem in Vigilia Nativitatis Domini anno jam dicto, primum, quod fecit, fuit, quòd revocavit omnes gratias factas per Nicolaum IV. & Cœlestinum V. Eodem anno, hoc est MCCXCV. dictus Bonifacius de Neapoli Curiam transfert Romam, & dictum Cœlestinum recludit ex caussis jam dictis, ac superiùs allegatis. Eodem anno Civitas Eugubina Tusciæ per Gibellinos capitur; sed ad modicum tempus recuperatur, misso illuc Legato per eumdem Papam, videlicet Domino Neapuleone Diacono Cardinali. Sedit autem annis VIII. mensibus X. Hic duos Legatos misit in Angliam, & in Franciam, videlicet Penestrinum, & Albanensem, quia guerra dicta superiùs inter dictos Principes inchoata nimis crescebat, in qua se habuerunt ut excedentes, & excessi, quia Rex Franciæ prævalet bello campali in Vasconia; sed Rex Angliæ in mari victoriosus efficitur. Anno MCCXCVII. statuit dictus Pontifex Festa Apostolorum, Evangelistarum, & quatuor Doctorum Ecclesiæ esse duplicia. Sequenti autem anno deposuit duos Cardinales de Columna, & Sanctum Ludovicum Regem Franciæ adscripsit Catalogo Sanctorum. Hic fecit alios Cardinales Fratrem Nicolaum Generalem Fratrum Prædicatorum, qui post eum Papa fuit, & Fratrem Gentilem Magistrum in Theologia, & Fratrem Jacobum nepotem suum Ordinis Minorum, & Fratrem Joannem de Mo..... Generalem ejusdem Ordinis, & Petrum Hispanum. Anno MCCC. dedit plenam Indulgentiam omnium peccatorum visitantibus ipso anno limina Apostolorum Petri, & Pauli, & futuris temporibus omni centesimo concessit. Anno MCCCIII. post ortam simultatem cum Rege Franciæ Ananiæ, ubi putabat esse securus, à familiaribus proditus, capitur in Vigilia Nativitatis Beatæ Virginis. Sentiens autem adversariorum ingressum, quorum vexillum fuerit Guillielmus de Nugareto, Hungareco, Pontificalibus indui voluit, tenens in manibus Crucifixum. Die autem III. à populo vi armorum redemtus est, & post paucos dies Romam ivit ad Sanctum Petrum, & XXXV. die à sua captione decessit extra mentem cordis positus, & ab omni superveniente putabat capi, & ideo in eorum oculos & facies videre cupiebat.

(*) *Hæc supra repetita habes Cap. 18. Lib. 23.*

CAP. XXXVII.

De electione Alberti Ducis Austriæ in Regem Romanorum, & ejus occisione.

ALbertus prædictus Dux Austriæ, filius quondam præfati Rodulphi Regis, fuit electus in Regem Alamanniæ ab Electoribus congregatis Aquisgrani Anno Domini MCCXCVIII. misitque solennes nuntios ad Bonifacium Papam VIII. pro confirmatione electionis suæ; quam idem Bonifacius Papa primò multis juris & facti rationibus allegatis, repulit prima vice, & asseruit nullam esse. Postmodum verò suborta gravi dissensione inter Regem Franciæ Philippum, & Papam Bonifacium, idem Bonifacius Albertum prædictum Ducem Austriæ in Regem Alamanniæ electum, & in Imperatorem promovendum, ejus electionem confirmat, eidem subjiciens verbo, non opere, Regnum Franciæ, sicut & alia Regna. Albertus itaque prædictus regnavit apud Theutonicos annis X. benedictionem Imperialem non habuit, nec Coronam. Hic (*) Albertus fuit occisus à Duce Joanne filio fratris sui Rodulphi apud Oppidum, quod dicitur Brugga, in Diœcesi Constantiensi, ubi nunc solenne Monasterium constructum est Ordinis Sanctæ Claræ, ubi etiam XII. Minores præbendas recipiunt tamquam Canonici Regulares ab Abbatissa Monasterii, quod dicitur Kengefuelt prædictæ Constantiensis Diœcesis. Prædictum autem Monasterium primò fundatum est per Reginam Elisabeth uxorem Regis prædicti, perfectum autem per Dominam Agnetem Reginam quondam Hungariæ, quæ idem Monasterium pluribus possessionibus, & ornamentis dotavit, quæ filia fuit Regis Alberti prædicti, & in eodem Monasterio habitationem suam elegit, & sanctam conversationem duxit ibidem. Habuit autem Rex prædictus sex filios Rodulphum Regem Bohemiæ, Fredericum electum in Regem Alamanniæ, Lupoldum, Albertum, & Ottonem, ac Henricum Duces Austriæ, & Stiriæ, & quatuor filias, de quibus multa dici possent, quæ caussâ brevitatis hìc omittuntur dicenda. Occiditur autem prædictus Rex proditoriè, ut dictum est, in proprio Patrimonio suo juxta Castrum dictum Habersburg, unde originem sui progenitores duxerunt, juxta oppidum supradictum Anno Domini MCCCVIII. in die Philippi & Jacobi Apostolorum, sepultusque est apud Spiram, ubi mos est Reges Alamanniæ sepelire; unde versus:

Albertum lacrymosa dies Veneris tumulavit,
Adolphumque Regem sibi terna dies sociavit.

CAP. XXXVIII.

De Benedicto XI. & CCI. Pontifice, & de operibus ejus.

ANno autem Domini MCCCIII. Benedictus XI. CCI. Pontifex à Christo, natione Tarvisinus in Papam eligitur. Sedit autem mensibus IX. diebus XVII. & cessat diebus XXIX. mensibus X. Hic fecit Fratrem Nicolaum de Pruto Episcopum Ostiensem. Hic etiam denuntiavit excommunicatos auctores captionis Bonifacii VIII., & nominatim Guillielmum de Nogare-

gareto, & Sarram de Columna cum sex aliis. Hic etiam reconciliavit, non tamen ad Cardinalatum restituit illos de Columna, & privilegia, ac libertates restituit, quæ Bonifacius abstulerat.

CAP. XXXIX.

De Clemente V. & CII. Pontifice, & de operibus ejus.

ANno Domini MCCCV. Clemens V. natione Vasco in Papam eligitur. Sedit autem annis VIII. mensibus X. diebus XV. Cessat Episcopatus annis II. mensibus II. Hic fuit Episcopus Convenarum annis V. inde per Bonifacium Burdegalem translatus est. Hic recepto decreto, Lugdunum profectus, evocatis ad se Cardinalibus, primò coronatus est, & inde X. Cardinalium ordinationem fecit XII. Kal. Januarii, & duos Cardinales de Columna restituit. Anno MCCCIX. electionem Henrici confirmavit de mense Junii. Eodem anno misit nuntios ad Regem Rasiæ, qui ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ promiserat se venturum, quia Veneti cum Carolo Sine-Terra concordaverunt accipere Imperium Constantinopolitanum. Videns autem tractatus non procedere, Papales nuntios vacuos remisit. Anno MCCCX. fecit aliam ordinationem V. Cardinalium XIV. Kal. Januarii. Anno MCCCXI. congregavit Concilium apud Viennam, & in prima sessione XVII. Kal. Novembris proposuit de agendis, videlicet de Ordine Templariorum, qui graviter culpabantur; de passagio transmarino; & generaliter de reformatione totius status Ecclesiæ; & conservatione Ecclesiasticæ libertatis. In sequenti Martio XI Kal. Aprilis, multis vocatis Prælatis cum Cardinalibus in privato Consistorio, ordinem Templariorum cassavit. Tertia autem die Aprilis MCCCXII. fuit secunda sessio Concilii, & prædicta cassatio coram omnibus publicata est. Tertia sessio fuit pridie Nonas Maji, fuitque Concilium protractum quasi mensibus VII. Eodem anno X. Kal. Januarii fecit tertiam ordinationem IX. Cardinalium. Anno MCCCXIII. ad Consistorium produxit constitutiones primò editas, & intendebat septimum Decretalium ponere, sed morte præventus non potuit.

CAP. XL.

De Henrico VI. hujus nominis Imperatore, licèt sit VII. quantùm ad Reges hujus nominis, quia plures fuerunt; quando eligitur, & quæ suo tempore peragit; de morte ejus dolenda.

ANno Domini MCCCVIII. Henricus ex Comitibus de Lutcemburg, operibus factisque memorabilibus laudabilis, in festo Sanctæ Catharinæ ab Electoribus in Regem Alamanniæ eligitur, & in sequenti Epiphania Aquisgrani coronatur. Sequenti anno, idest MCCCIX. ad Papam Clementem misit nuntios tres Comites, & duos Episcopos, petens coronationem Imperii; qui mense Julii confirmavit electum, tempora coronationis assignans post biennium festum Purificationis Beatæ Virginis Mariæ. Hic strenuus in agendis, & acer in hostes, pacatis usque ad Oceanum Alamanniæ regionibus; filio primogenito suo nomine Joanne in Regno Boemiæ coronato, quod in Romano tunc vacabat

A Imperio; Carinthiæ Duce Henrico submoto: ad partes Italiæ divisione concussas venire disposuit, pollicentibus subsidia non paucis, qui à concivibus in Lombardia ac Tuscia pulsi erant. Igitur præmissis Episcopis, & Legatis, ut populorum sibi favorem concilier, denuntians in pace degentibus, se eorum laudabiles approbare mores, seque velle restituere universis pacem; Alpes transgressus Italiam adiit. Occurrerunt autem Taurinenses in ingressu in Lombardiam. Inde Astem properat, & cunctos pacificans, Vicarium instituit, & materiam tradidit regiminis. Pietatem cœperunt oppressi sperare; & qui concives expulerant, his novitatibus terreri. Quorum Philippus Papiæ Comes, Simon de
B Colubiano Vercellarum, & Antonius de Fissiraga Laudi Rectores, paribus votis statum Urbium salubrem Civibus suadere conati, in reliquas obtinendas partes auxilia Cæsari promisere. Qui Rex eorum populis pacem pollicetur, & jubet æquo animo esse, & bene sperare. Alboini, & Canis de Scala nuntii, deinde Pisani grandia obtulerunt. Interea Gallicis, inter quos fuit Dux Austriæ nomine Lupoldus, Germanis, Italicisque ad cessionem confluentibus, Guido de Turre Mediolani Præpositus milites intra districtus sui fines continuit, & munitionem, ac Urbis vigilem curam egit, veritus, ne pro Matthæo de Vice-Comitibus sibi contraria molirentur: quod tamdem accidit ei, quia expellitur
C post unum mensem. Hic dum Urbis commotionem expectat, inde instabilem fieri negat exercitum, & Lombardiæ ac Tusciæ præstolatur auxilia: Rex Guidoni appropiat, ut illi fiat formidini sub specie auda iæ; & Guidonem interpellans, ut Regalibus jussibus obtemperet, Vercellas intravit. Annuit Guido. Auxit verò tam validè Mediolani deditio Regis famam, ut omnis Lombardia, Alexandriâ demtâ, fidelitatis juramenta præstiterit. Bononia verò ad rebellionem se præparat. Padua in proposito mente vacillat. Tunc Cæsar Henricus Anno MCCCXI. Mediolani in festo Epiphaniæ ab Archiepiscopo unam suscepit de Coronis Imperii: quod Mo-
D doëtia ægrè tulit, ubi id fieri consuevit. Parvo post tempore dum cuncta perpetrata videntur, gravis emersit turbatio. Cùm enim in adulationem Regis, hinc Guido, inde Matthæus majorem suadet Regi fisco retributionem fieri, informis summa tax a est. Quo audito, cœpit populus palàm Regi detrahere, servitutem, asserens se commutasse, non evasisse, & Theutonicorum impossibilem esse favorem. Et dum acriùs instatur tollendæ pecuniæ, intra Prætorii forum ad arma clamantis vox audita universam commovit Urbem. Tunc Cæsar prosilire suos jubet, inter quos Dominus Lupoldus Dux Austriæ & Stiriæ, filius Regis Alberti, cum suis magnam stragem fecit. Horum nonnulli ad Turrianorum loca, quæ magis suspecta erant,
E currentes XXX. astantes repererunt, qui concursum Regiorum equitum, licèt priùs victores, cùm ferre non possent, in fugam conversi sunt. Jungitur exinde Theutonicis Galeatius Matthæi filius, & sævit in hostes. Iis cognitis, prima ubique revixere diffidia. Crema, & Cremona, pulsis Vicariis, excutientes jugum Regium, expulere fautores Imperii. Mazii Brixiæ paulò ante dominatores in Theobaldum de Brusatis & suos, paulò ante Imperatorio jussu receptos, insurgunt, atque succumbunt. In Parma Rubei per Cæsarem introducti, cum Ghiberto de Corrigia initam pacem frangentes, victi Urbe diffugiunt. Talibus eventibus stupefactus Cæsar, post deliberationem

liberata convenientia, ut Regii corripiantur domestici, Mediolanensibus reconciliatis, commotionum hujusmodi caussæ dulciter perquirantur, pecuniarum moderentur exactiones, vocatis familiaribus suis, ait: *Deum obtestor, commilitones, necessarii, atque propinqui, quòd nulla mearum, ac temporalium rerum affectio ad has turbinum commotiones adducit. Deum sursum, tum Clementem Papam deorsum intueor. His ducibus vehor; horum de proximi cura & dilectione mandatis adstringor. Quis, oro, proximus meus est? Germanus, vel Gallicus? Lombardus, vel Tuscus? Circa hos singularem impendam affectum? Proh nefas! Ad quid veni? Num Schismatum incensor antiquorum? Si quos vestrum delectant talia, retrorsum abite, aut vobis sævite auctoribus, non me Principe, vel Duce. Nonne Italia diu lacerata talibus vulneribus, justa indignatione nos refugit, cùm viventia quæque, monente natura, perniciosa devitent?* Post hæc misit ad reconciliandam Cremonam, audiunt populum afflictum impotentiâ ad gravem contributionem; Theutonicos, datâ licentiâ, in Latinos sævire; Vicarios institui Gibellinos, & Guelfum non admitti. Proinde amicorum convocato volunt respondere concilio. Interea Legati Januenses subjectionem professi ad coronationis conductum propriis sumtibus navigia spondent. Ameus Sabaudiæ Comes Cremonensium placationem curavit; at Cæsar eos ut Imperii rebelles damnavit. Laudi autem Civitate Cæsari tradita, omnis Cremonensium virtus periit, & Cæsari data est Civitas. Brixienses propter præteritos casus abjecta reconciliationis spe, segetes & quæque viridia colligunt, rebelles abjiciunt, pro defensione cuncta exponunt. Interea Cæsar coronationis suæ dilationem accepit, & Paduæ nuntii Civitatem Cæsari subjiciunt. Legati Cæsaris Venetiis nihil, quàm fidelitatem solam petunt, & navigiorum copiam, si necesse fuerit, ad coronationis progressum. Eisdem Legatis subjiciuntur postea Tarvisini. Et Brixia Cæsari post varia bellorum & cladium hinc inde tormenta, mediatore Cardinale Domino Luca de Flisco, tradita est. Placentia Vicarium ejus suscipit, Alberto Scoto repulso. Audiens verò Imperator factiones & rebelliones multiplices Lombardorum, Wernerum Comitem de Homburg Diœcesis Basiliensis fecit Præsidem Lombardiæ, ut emergentia hujusmodi coërceret. Sed vix itinere cœpto intra Placentiam est receptus, cùm audit Guelfos per Vicarios ubique gravari; & hoc impatientiæ caussam esse. Tunc Illustrissima Regina Margarita ejus conjux & mater Joannis Boemiæ Regis defuncta est, ac sepulta in loco Minorum Januæ anno MCCCXI. in Festo Sanctæ Luciæ. Venerunt deinde Pisanorum Legati ad Augusti solatium, plurima pollicentes; vênit & Richardus Gammatesa Secretarius Regis Roberti, & magno Principum ambitu introductus est. Paucis tractatus innotuit; & infecto negotio redit Nuntius. Cæsar verò Ludovicum de Sabaudia ad Urbem mittit, qui per Columnenses introductus, Lateranum conscendit. Tunc Urbs in varia vota divisa ubique patet discrimini. Admiratus etiam Frederici Regis aliqua tractare, advenit, post paucos dies reversus in Siciliam. Florentia cum suis complicibus, simulque Bononia Degocionem Marescallum Regis Roberti cum militum præsidio venientem suscipiunt. Et jam minuuntur Cæsaris opes, jam gravati Januenses contributione aureorum publicè exclamant. Proinde mittit fidelibus suis Pisanis, ut in tantis necessitatibus mittant præsidia. Paduani, his auditis, à muris pictas destituunt Aquilas. Post hæc egressus Janua Cæsar in portu Veneris quasi dies XL. restitit, tempestate suborta. Inde Pisas profectus, nullo strepitu, Romanorum tunc factionibus confisus, per Plumbinum, ac maritimam Viterbium petit. Exinde à Clero, & Romanorum parte Romæ susceptus, in Lateranense palatium introductus est, & post convivium quasi familiare, evocatis illuc nobilibus, ait: *Quid me, ò Quirites, huc attraxit? Amor certè Romani extollendi Imperii, cùm plena defensione, Romanus Mundo quasi Barbarus sit ignotus. Quid frequentes literæ, quid Nuntii celeres toties petiere, nisi ut meum carumque visitem Senatum, Populumque Romanum? Venione violentus invasor? A Clemente Papa tres Cardinales testes adduco. Frustra nego missus sum, qui advocatus adveni? Sciam proinde in hac caritate convivii, quæ vos vota alliciunt, quo fulcientibus vobis adveni, id edat optio singulorum.* Tunc Stephanus de Columna se, suos, & sua despondit. Nicolaus de Comite militiæ decus à Carolo se suscepisse ait, protestatus sui esse propositi ejus posteris nullatenus adversari. Anibaldus de Anibaldis, Joannes de Sabello, & Theobaldus de Campoflore se obtulerunt contra omnes Cæsari se pariturος, suæ cognationis viris dumtaxat exceptis; erant enim Ursinorum affines. Quam conditionem Cæsar admisit, & in scriptis redigi imperavit. Et Stephanum quidem, datis obsidibus, liberum abire permisit; ceteros retineri jussit & fortilitia. Hinc insultus oriuntur, vulnerationes, & cædes; privata quæque odia publicè deteguntur. Vincunt primò Cæsaris partes, & postea dilabuntur; & crescente Ursinæ fama victoriæ, fautores Cæsaris pœnitudine subtrahuntur. Admiratus quoque Regis Roberti vocatos à Cæsare Pisanos balistarios invasit, fuditque incautos. Iis Cæsar agitatus angustiis, soli expediendæ coronationi intentus, in Laterano, cùm in Ecclesia Apostolorum Petri & Pauli non posset, aureum diadema suscipere arctatus est. Deinde victualium inopiâ, & pecuniarum, & Romano ob quæsitam contributionem turbato populo, Tiburum Cæsar adiit, relicto cum Columnensibus in Urbe CCC. militum manipulo. Ad Joannem autem Regis Roberti germanum undique milites confluunt, donec Papalibus rescriptis tam Cæsaris, quàm Regis Roberti copiæ pelluntur ab Urbe. Post hoc Cæsar in mari fortunam experiri conatur. Jussit per nuntios tractari varia & plurima; & profectus usque Orgiam fluvium, peractâ cœnâ, in fluvii ripa considens, tinctis ob refrigerationem in aqua cruribus, subeuntem sensit languorem, & compertâ sub dextero cruris genu pustulâ, quæ anthrax vocatur, noctem duxit insomnem. (Additio. *Intossicatus fuit per quemdam Fratrem de Ordine Prædicatorum in speciebus Corporis Christi, ut à suis audivi, qui secum fuerunt. Et fortè istud legerat de Victore III. supra; & hic dedit Imperatori sub speciebus panis, quod Victor in vini speciebus percepit. Prædicatores enim ex hoc multas tribulationes sustinuerunt in Alamannia, ex prædicto facto.*) Et mane dato signo tollendorum castrorum, Bonconventum properat parum XII. milliaribus à Senis distantem, ibique viam universæ carnis ingressus est Regni sui anno V. Imperii autem anno I. mense I. & die XXIV. in Festo Sancti Bartholomæi, qua die Conradinus à Carolo Neapoli securi percussus est. De mor-

morte Cæsaris Henrici nota versus:

Cæsaris Henrici mortem plangamus, amici.
Qualiter hic vitam finivit per Jacobitam.
Per Corpus Christi venenum traditur isti.
Hic in laude Dei moritur in die Bartholomæi.
Est Pisam latus, & cum fletu tumulatus,
Anno milleno tricenteno terdeno.

CAP. XLI.

De electione Frederici Ducis Austriæ, & Ludovici Ducis Bavariæ in Regnum Romanorum, & de eorum diutina concertatione ad invicem, & de Antipapa, qui creatur.

POst mortem verò Henrici Imperatoris Electores Alamanniæ; convenientes in unum pro electione Imperatoris Aquisgrani Anno Domini MCCCXIII. in die Beati Lucæ Evangelistæ, divisi fuerunt in duas partes. Alii Ludovicum Ducem Bavariæ; alii Fredericum Ducem Austriæ in Regem Alamanniæ nominantes, natos de fratre, & sorore; & sic tantùm fuerunt in secundo gradu consanguinitatis. Factaque est inter eos propter hoc gravis & longa concertatio usque ad strages hominum; & Dux prædictus Austriæ captus fuit per Ducem Bavariæ, & detentus; & sic ipse Ludovicus Dux Bavariæ jus Imperii sui vendicans usurpavit. Tamdem Dominus Joannes Papa multis magnis processibus contra prædictum Ludovicum factis ratione Gibellinorum, & maximè Mediolanensium, contra illos processit in tantum, ut eos hæreticos cum suis fautoribus decrevisset, tantùm ex eo, quod se nolebant submittere suo Legato, quem Papa miserat in Lombardiam. Ludovicus autem Imperium suscepit, non curans processus contra Mediolanenses factos. Unde juris ordine observato rite, & legitimè secundùm aliquos, & præmissis citationibus, etiam terminis peremptoriis, & publicis edictis, cùm ipse Ludovicus non duceret comparendum per se, licèt nuntios aliquando misisset, privavit eum in publico Consistorio V. Idus Julii Anno Domini MCCCXXIII. omni jure, si quod sibi competebat, aut competierat in Imperio ratione electionis factæ de ipso in discordia; & quia adhæsit, & favit rebellibus & adversariis Romanæ Ecclesiæ, Mediolanensibus, & Ferrariensibus, & quia ante confirmationem electionis suæ, & antequam persona sua esset per Sedem Apostolicam approbata, usurpavit sibi titulum Regii nominis, & Augusti, & etiam quibusdam adhæsit pro crimine hæresis condemnatis. Tamdem prædictus Ludovicus, spretis omnibus excommunicationibus, & processibus contra eum factis, & promulgatis publicè in Concistorio per eumdem Dominum Joannem Papam, in Italiam est ingressus cum favore partis Gibellinæ contra voluntatem Sedis Apostolicæ, non approbatus, sed reprobatus potiùs ad Imperium obtinendum; pervenitque ad Civitatem Pisanam, & fuit receptus à Pisanis civibus cum honore Dominicæ Incarnationis Anno MCCCXXVII. in mense Novembris, & hyemavit ibidem. Deinde veris tempore pervenit Romam, & fuit receptus à Romani cum favore, ubi fecit se ipsum coronari in Imperatorem; & sic coronatum se ostentavit in Urbe, legibus etiam latis ordine perversis, ubi etiam in scandalum Fidei Catholicæ fieri & erigi fecit in Antipapam quemdam Pseudo-Religiosum de Ordine Fratrum Minorum circa Festum Ascensionis Domini nostri Anno ejusdem Domini MCCCXXVIII., eumdemque Antipapam fecit non sacris, sed execratis orationibus execrari potiùs quàm sacrari. Cui etiam Antipapæ ipse Ludovicus reverentiam indebitam tamquam Summo Pontifici exhibuit, & cervicem & genua inclinavit, ipsumque manutenuit, & deduxit tamquam Idolum pro Pastore, & nefarium hominem pro Vicario Domini Nostri Jesu Christi. Præfatus Pseudo-Antipapa vocabatur Frater Petrus Raymallurii de Corbario Reatinensis Diœcesis, qui Uxorem habebat, habuerat, & adhuc habet, Joannis Matthæi filiam de Corbario ejusdem Diœcesis, cum qua cohabitabat publicè conjugaliter, ut maritus cum legitima, annis V. antequam habitum Fratrum Minorum assumeret, quem assumsit, ipsa renuente, & invita. Præfato quoque Ludovico, qui gessit se pro Imperatore in ostentatione suæ coronationis, suggerentibus nefariis hominibus, mente & fide corruptis, contra Sanctissimum Papam Dominum Joannem XXII. universalis ac Catholicæ Ecclesiæ Præsidem, & Vicarium Domini Nostri Jesu Christi, prorupit ausu nefario, sanctum polluens sacerdotium, & Pontificium Sancti Petri, dicens eumdem Sanctissimum Papam, esse hæreticum, & non esse etiam Papam Romanum, nec esse sibi à Catholicis obediendum, sed suo Idolo execrato. Et alia nefaria nonnulla invexit, quæ pudor est dicere, & audita essent horrori. O insana, o barbarica stultitia, & o furor furiens ad scindendum tunicam inconsutilem Domini Nostri Jesu Christi, qui dicit bonum malum, & malum bonum! Post hoc autem præfatus Ludovicus in mense Augusti de Urbe Romana discedit, non volens, sed nolens; & rediit ad Urbem Pisanam, ubi cum suo Antipapa de malo in pejus continuò debacchatur adhuc hodie, quo hoc scripsimus, inchoante jam Anno Incarnationis Dominicæ MCCCXXIX. Nondum venit finis malorum ipsorum. Recedente autem Ludovico prædicto de Pisis in Germaniam, Comes Pisarum Antipapam cepit, & eum præsentari fecit Domino Papæ Joanni, qui eum ad gratiam recepit, sed includi mandavit apud Avinionem in palatio suo, quod & ipse inhabitavit; de quo etiam Antipapa prædictus non exivit, postquam illud intravit. Moritur autem Antipapa in dicto palatio, & sepelitur apud Fratres Minores sui Ordinis apud Avinionem Anno Domini MCCCXXXIII in festo Beati Galli. Et eo mortuo, ponitur in loco in quo fuit reclusus Frater Thomas Ordinis Fratrum Prædicatorum pro quæstione visionis, quæ tunc tractabatur.

CAP. XLII.

De Joanne XXII. & CCII. Pontifice à Christo.

JOannes XXII. hujus nominis natione Caturcensis sedit annis XVIII. mensibus IV., & vacabat Sedes diebus XVI. Hic in Lugduno est electus Anno Domini MCCCXVI. VII. Idus Augusti, ubi etiam XXIII. Cardinales, postquam à Carpentorate recesserant ob gravem turbationem subortam, & in diversis locis dispersi fuerant annis plusquam duobus. Tandem diligentiâ Domini Philippi tunc Comitis Pictavensis, postea Regis Franciæ inclusi sunt in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli, quam inclusionem minimè suspicabantur, & XLI. die ab inclusione

ne in hunc Pontificem consenserunt; virum ardentis ingenii, & in jure Ecclesiastico ac Divino valde peritum, qui primò fuit Forojuliensis Episcopus in Aquensi Provincia. Inde per Clementem V. in Avinionensem translatus MCCCX. & MCCCXII. ad Cardinalatum promotus in IV. Temporibus Adventus in Avinione, ubi Curia residebat. Factus Summus Pontifex, plura concessit, & Statum Alamanniæ perturbavit cum suis processibus factis contra Ludovicum, qui tamen malè servabantur, & grandia multa emendare visus. Primo anno fecit unam ordinationem VIII. Cardinalium apud Avinionem XVI. Kalendas Januarii. A Pontificali Dignitate, & Sacerdotali ordine deposuit Caturcensem Episcopum, qui postea degradatus, & sæculari brachio traditus in parte excoriatus, & combustus est. MCCCXVII. ad titulum Sancti Eustachii promovit Dominum Arnaldum de Via suum ex sorore nepotem. Eodem anno Tholosanam sedem fecit Archiepiscopalem, Diœcesem autem Tholosanam, quæ miris affluebat redditibus, in VI. Episcopatus divisit. Item in Archiepiscopatu Narbonensi duos Episcopatus in VI. Abbatiis de novo constituit. Item Episcopatum Albiensem in duos divisit. Item fecit in Episcopatibus Egennensi, Lemovicensi, Petragoricensi, Claremontensi, Rithænensi, Pictaviensi. Eodem anno cononizavit Ludovicum Fratrem Ordinis Minorum Episcopum Tholosanum, qui (*) ejus fuit Magister ex continua conversatione cum eo de ipsius sanctitate certior puta, qui ejus gesta, & acta vir subtilis indaginis & oculis vidit, & experientiæ manibus contrectavit. Eodem anno, hoc est MCCCXVIII. Septimum librum decretalium fecit publicari, & ad studia generalia sub bulla, ut moris est, destinavit. Archiepiscopatum Taraconensem unicum in Regno Arragoniæ divisit in duos, secundam sedem Archiepiscopalem in Cæsaraugusta ponens. Anno MCCCXIX. Ordinem militantem instituit, qui vocatur de militia Jesu Christi, in Regnis Portugaliæ, & Algarbii ad resistendum in illis partibus Saracenis, & domum principalem esse constituit in Castro Marino Silvensis Diœcesis, illisque Templariorum bona concessit in Regnis prædictis. Eodem anno veterem Abbatiam Montis Casini Ordinis Sancti Benedicti ad Episcopalem dignitatem erexit. Anno Domini MCCCXX. canonizavit Sanctum Thomam Episcopum Herfordiensem à transitu ejus anno XXXVIII. cum gloria, secundùm quemdam Prophetam ab utero & à ventre, sed majorem à moribus, & scientiæ ac vitæ splendoribus. Doctor namque fuit in sacra pagina, & decretis; pluribusque miraculis claruit, itaut etiam mortuos suscitaverit. Anno MCCCXXIII. Fratrem Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum Doctorem egregium & præclarum catalogo Sanctorum adscripsit.

Anno autem Domini MCCCXXXIII. VII. Kal. Augusti in publico Consistorio, quod habuit Joannes Papa apud Avinionem in palatio suo, ad petitionem Regis Philippi Francorum passagium generale prædicavit, constituendo eum Ducem illius exercitus, & decimas Regni sui sibi per sex annos concessit in subsidium Terræ Sanctæ, & passagii prædicti; Ecclesiæ autem Romanæ per sex annos decimas universalis Ecclesiæ reservavit similiter pro passagio, quod incipiendum disposuit à Kal. Augusti per tres annos proximos subsequentes. In prædicto etiam Consistorio Petrus

(*) *In Edit. Baluz.* Cujus fuit Magister.

A Archiepiscopus Rothomagensis, & Joannes Episcopus Morinensis, & Decanus Parisiensis, & Henricus Miles dictus de Algoria, habentes procuratorium sufficiens, in animam prædicti Regis, juraverunt, quòd iret in propria persona, ultra mare, vel filius suus Johannes, si caussa legitima patrem impediret quòd passagium perficere non posset; & quòd decimas prædictas sibi per sex annos concessas in alios usus non converteret, quàm in subsidium Terræ Sanctæ, quam personaliter visitare juravit per Procuratores prædictos, ut supra est prælibatum.

Anno autem Domini MCCCXXXIII. cœpit movere quæstionem circa visionem beatificam, in qua sibi Rex Francorum, & studium Parisiense restiterunt unà cum Magistris Theologiæ.
B Unde Papa tunc motus in Consistorio fuit coram Cardinalibus, Prælatis, & Capellanis, quòd in prædicta quæstione nihil definiendo, sed recitando dixerat; & quòd paratus esset revocare, si qua erronea dixisset; & plures Auctores pro, & contra allegantur, quos fecit tunc legi in Consistorio quinque diebus Anno Domini MCCCXXXIV. à festo Innocentum usque ad Epiphaniam Domini, & conclusit ut supra.

Eodem Anno circa Quadragesimam incœpit tractare cum VII. Cardinalibus ex procuratione Regis Boëmiæ, quòd Ludovicus, qui se Imperatorem intitulabat, deberet cedere, & quidam Henricus Dux Bavariæ consanguineus prædicti
C Ludovici deberet eligi in Regem, & promoveri ad Imperium: quod tamen fuit contra Regem Robertum, qui ex hoc cœpit Papæ indignari, cui Rex Hungariæ favit cum Gibellinis Tyrannis, qui jura Imperii usurparant, & cum Guelfis maximè Florentinis, qui super hoc impediendo, suos Ambasiatores unà cum Ambasiatoribus Regis Roberti, & Regis Hungariæ ad Papam Joannem direxerunt, ne ipse creationi novi Imperatoris consentiret. Rex autem Francorum unà cum Joanne Rege Boëmiæ laborabant, ut eligeretur Henricus Dux Bavariæ in Imperatorem promovendus.

Item eodem Anno Domini MCCCXXXIV. in vigilia Paschæ dum Papa Joannes officium celebrasset, & communione facta, vellet unum Dia-
D conum Cardinalem, qui sibi ministraverat, communicare, scilicet Dominum Jacobum Gaytani, cùm porrigeret sibi partem hostiæ, & crederet se ori ejus imposuisse, ille respondit se nihil percepisse; & ideo per horam quæsita fuit pars illa hinc inde in Sede Papæ, ubi steterat; & tamdem fuit inventa in plica casulæ Papalis, & data præfato Cardinali. Officio autem finito, Papa dixit se visibiliter vidisse, quòd Corpus Domini de manibus suis descendendo disparuit, & casulam videre non poterat, ubi se reservavit, nisi post inquisitionem factam diligenter inventa est pars hostiæ in plica casulæ, ut supra; & Papa hoc pro miraculo factum reputavit, &
E factum est hoc XVIII. anno Pontificatus sui. Illo etiam anno, & in septimana Sancta, expulsus fuit Dominus Ostiensis Episcopus Cardinalis de Bononia, qui fuit Legatus per totam Lombardiam bene XVI. annis, & amissis quasi omnibus, reversus fuit in festo Pentecostes. Reversus etiam fuit Dominus Joannes Gaytani Diaconus Cardinalis post mortem Joannis Papæ, & ante electionem Papæ Benedicti XII. qui fuit Legatus in Tusciam, & similiter ibi nihil profecit, sed ambo infinitum thesaurum expenderunt, & vacui recesserunt.

Item

A Item prædictus Pontifex Dominus Joannes instituit, quòd Festum Trinitatis solenniter celebrari deberet singulis diebus Dominicis post Festum Pentecostes, licèt Romana Ecclesia hoc Festum antea singulari officio non consueverit celebrare, ut Extra *de Feriis*. Instituit etiam, ut post Orationem Dominicam in Canone Missæ in sua Capella flexis genibus Sacerdos dicat Psalmum *Lætatus sum &c.* cum aliquibus certis Collectis contra hostes Ecclesiæ; & hoc etiam non fuit de antiqua constitutione, quæ prohibet Dominicis diebus fieri publicè genuflexiones, ut in Decretis patet.

Anno autem prædicto MCCCXXXIV. cùm Papa Joannes duabus arduis causis valde diligenter intenderet, B scilicet creationi Imperatoris novi, in quo facto Rex Philippus Francorum, & Joannes Rex Boëmiæ filius Henrici Imperatoris sibi multùm favebant; & determinationi quæstionis visionis, an scilicet Sancti in Patria ante resurrectionem haberent visionem essentiæ Divinæ. Et dum prædictis, & aliis causis sollicitus intenderet, & IV. Nonas Decembris Consistorium mandasset, ut aliquas provisiones quibusdam faceret, in nocte præcedenti Nonas prædictas post cœnam, & primum galli cantum invasit eum morbus. Et omisso sic Consistorio illa die IV. Nonas Decembris nihil fecit; sed III. Nonas die sequenti post Vesperas fecit vocari omnes Cardinales, qui erant in Avinione. C Hoc dico propter Joannem Gaytani, qui non erat præsens tunc in Civitate, & propter Dominum Napulionem Romanum Diaconum Cardinalem, qui erat in Cardinalatu antiquior omnibus Cardinalibus, qui licèt in Civitate esset, & vocatus per Papam, ipse tamen noluit venire, nec interesse obsequiis, nec testamento Papæ; & præsumitur, quòd ex eo fecerit, quia Papa in sua electione, quæ apud Lugdunum celebrata fuit, juravit se numquam ascensurum equum vel mulum, nisi iret Romam: quod & servavit, quia navigio ivit usque ad Avinionem, & pedes ascendit palatium, de quo postea nisi intrando Ecclesiam majorem, quæ contigua palatio est, non exivit. Et sic suum sacramentum D servavit, quia post sacramentum præstitum sicut fecit, numquam equitavit: unde prædictus Cardinalis sibi non favit. Sed Papa nihilominus coram aliis Cardinalibus disposuit rite & legitimè testamentum suum, recommendans Sanctam Ecclesiam, & Nepotes suos Cardinalibus. Et sic II. Nonas Decembris post auditam Missam in aurora diei, & communione percepta, orando migravit de hoc seculo horâ tertiâ, & Dominica die, quæ erat tunc II. Nonas Decembris. Sepultus est autem Avinione in Ecclesia Cathedrali Nonis Decembris. Sedit autem annis XVIII. & mensibus IV. minus duobus diebus; & vacavit Sedes XVI. diebus. Sed XII. Kal. Januarii elegerunt Cardinales, ut infra dicetur.

E Anno Domini MCCCXXXVIII. Joannes Rex Anglorum transfretavit de mense Augusti, & vênit in Confluentiam, quod dicitur Conflans Diœcesis Treverensis, ubi erant Electores omnes, excepto Rege Boëmiæ, & ibi firmaverunt se ituros contra Ludovicum Regem Franciæ, & aggressionem facturos, & ibi se futuros in proximo Festo Sancti Georgii; sed minimè compleverunt.

CAP. XLIII.

De Benedicto XII., & CCIV. Pontifice, & operibus ejus.

Anno Domini MCCCXXXIV. III. Idus Decembris Cardinales omnes includuntur numero XXIV. per Comitem Novalum in palatio Avenionensi, in quo Papa Joannes decessit. In vigilia autem Thomæ Apostoli, scilicet XIII. Kal. Januarii anno Domini MCCCXXXIV. Cardinales prædicti numero XXIV. elegerunt in Papam unum ex se, videlicet Dominum Jacobum Presbyterum Cardinalem Tituli S. Priscæ natum de Provincia Tholosana Monachum Ordinis Cisterciensis, Magistrum Theologiæ, & vocatus est Benedictus XII. Qui in primo suo Consistorio, quod habuit, scilicet XII. Kal. Januarii mandavit, Ecclesias reparari Romanas, scilicet Sancti Petri, item Ecclesiam Lateranensem, & alias Ecclesias, & Palatia ibidem desolata; & ad fabricam dotavit L. millia florenorum. Item ad subveniendum necessitatibus suorum Fratrum Collegio Cardinalium donavit C. millia florenorum. Dixit etiam, quòd vellet pacem reformare in tota Ecclesia. In die autem Nativitatis Domini nostri Jesu Christi in publica Missa, quam celebravit Dominus Episcopus Penestrinus, fecit gratiam omnibus, qui interfuerunt, VII. annos, & VII. quadragenas de injunctis pœnitentiis. Diebus autem Sanctorum Stephani & Joannis tres annos & tres quadragenas. Anno autem Domini MCCCXXXV. Benedictus XII. descendit de palatio, in quo electus fuerat, & ivit associatus cum Cardinalibus, ut moris est, ad locum Fratrum Prædicatorum VII. Idus Januarii in crastinum, & ibidem coronatus est per Dominum Napulionem Cardinalem Diaconum, & V. Idus Januarii reascendit suum palatium, & petitiones sibi oblatas primo die post coronationem recipere recusavit. Voluit enim scire conditionem personæ supplicantis, & summam redituum; & si impetrans ante fuerit beneficiatus. Item IV. Idus Januarii in Consistorio suo, quod habuit, licentiavit omnes Prælatos, & Curatos, ut post festum Purificationis irent ad sua beneficia: alioquin juris remediis uteretur erga eos, nisi caussam legitimam standi haberent in Curia, quam insuper scire volebat ab eis. Item ab XI. Kal. Februarii usque ad III. Kal. ejusdem mensis vacavit circa petitiones Cardinalium expediendas. In Purificatione Beatæ Virginis primo anno Pontificatus sui celebrans, fecit sermonem, & erat suum thema: *Ecce Sponsus venit*, Matth. XXI., in quo publicè dixit, quòd Sancti viderent clarè essentiam Dei contra opinionem Prædecessoris sui, qui de hoc dubium fecerat, ut supra dictum est de eo. Item pridie Nonas Februarii fecit vocari omnes illos ad suum Consistorium, qui prædicaverunt opinionem sui Prædecessoris, quòd visio non esset essentialis Dei, volens scire ipsorum motivum. Item Rex Franciæ ad Papam misit suos Ambasiatores, & petiit thesaurum Ecclesiæ pro passagio faciendo. Sed Papa dare recusavit, nisi intraret mare, & passagium initiaret, promissionem impleret, quam fecerat sub Joanne Papa XXII. Anno Domini MCCCXXXV. Kal. Maji vênit Comes Ludovicus de Oetingen ad Papam Benedictum cum tribus Clericis, & militibus, & ambasiata Domini Ludovici, qui se pro Imperatore gerebat, licèt per Dominum Joannem Papam depositus, & excommunicatus fuisset.

Ipsis autem in Curia existentibus, Ambasiatores Mediolanenses, & aliarum Civitatum eis confœderatarum, Papæ obedientiam faciunt, & absolutionem obtinent à sententiis, quibus per Joannem fuerant irretiti, promittentes se numquam aliquem pro Imperatore recepturos, nisi priùs per Papam esset appellatus. Item pridie Kal. Junii Benedictus Papa revocavit in Consistorio omnes commendas per suos Prædecessores factas, exceptis Cardinalibus, quorum commendas nondum revocavit. Insuper Legati Romanorum petebant instanter, ut iret ad Urbem, quibus respondit se iturum, sed diem certum eis super hoc non assignavit. Item III. Nonas Julii recesserunt Ambasiatores prædicti Domini Ludovici de Avinione portantes quæ Papa petebat pro emenda suorum excessuum, quibus adimpletis, sperabatur ipsorum concordia. Item pridie Nonas ejusdem mensis, scilicet sequenti die proxima Papa Benedictus ivit ad Pontem Sorgæ, volendo ibi vacationes deducere & habuit secum plures Magistros in Theologia; & coram illis, & Dominis Cardinalibus, quibus placuit interesse, fecit legi Librum, quem ipse Benedictus Papa composuit de Visione, & auctoritates ibi positas fecit per dictos Magistros examinari, an essent pertinentes, & ibi quæstiones visionis examinavit. Mortuus est autem Dominus Joannes Gaitani in vigilia Sancti Augustini Diaconus Cardinalis, & Legatus, & sepultus est apud Fratres Minores in die Beati Augustini. Eodem anno in mense Septembri II. die ejusdem iterum misit Dominus Ludovicus, qui se pro Imperatore gessit, prædictum Comitem de Oetingen, & Magistrum Eberhardum de Thumenovven, Magistrum Marquardum de Ramdege Canonicum Augustensis Ecclesiæ, & Magistrum Ulricum de Augusta Notarium suum, & Fratrem Henricum de Cyphingen ad Papam Benedictum pro concordia cum pleno mandato omnia faciendi, quæ Papa petiit pro emenda; & intraverunt ad Papam die prædicta similiter Avinione. Et dum expectarent reversionem Papæ à Villa Avinienſi, Papa intellexit, quòd quidam de suis familiaribus tam Clericis, quàm Laicis petitiones signabant, ut Papa; & eas sic signatas cum aliis per Papam signatis miscuerunt; & sic in Cancellariam transibant cum veris petitionibus, quas Papa mandavit . . . . . . mense prædicto circa festum Crucis Sanctæ Exaltationis. Item IV. Kal. Octobris reversus est Papa Benedictus associatus Cardinalibus, & Ambasiatoribus prædictis. Item VII. Idus Octobris in publico Consistorio, quod Benedictus super hoc habuit, propositum fuit per Dominum Marquardum de Ramdege Canonicum Augustensis Ecclesiæ, qui unus fuit de Ambasiatoribus prædictis Domini Ludovici. Et legatio talis fuit: qualiter petiit absolvi à processibus factis contra eum per Joannem Papam, offerens se satisfacturum Ecclesiæ, & Papæ. Super hoc respondit se deliberaturum cum Fratribus suis, qualiter hoc perduceret ad bonum finem, licèt grande esset, quod petebatur ab eo, quia in multis excessit prædictus Ludovicus. Sed per Benedictum Papam de absolutione prædicti Ludovici nihil penitus fuit determinatum; & fuit thema proponentis: *eripies me à contradictionibus populi, & constitues me in caput gentium*. Item Dominus Eberhardus filius Comitis de Oetingen decessit VI. Idus Octobris anno I. Domini Papæ Benedicti. Item XV. Kal. Januarii Papa Benedictus revocavit omnes gratias factas à suis Prædecessoribus illis, qui nondum jus in re habebant. Item XIV. Kal. Januarii in publico Consistorio investivit Procuratorem Regis Aragonum de Regno Sardiniæ, & Corsicæ, recepto ab eo homagio consueto.

Anno Domini MCCCXXXVI. Pontificatus sui anno II. Benedictus Papa in publico Consistorio, quod habuit in Palatio Avenionensi IV. Kal. Februarii, determinavit opinionem Visionis essentialis, videlicet, quòd Sancti in Patria tunc clarè vident, & gaudent illa visione faciali, & eodem numero, de quo loquitur Paulus in epistola sua: *tunc autem facie ad faciem*; & contrarium sentientes puniri decrevit, ut hæreticos. Revocavit etiam Papa Benedictus Decimas decimarum quibuscumque concessas, ex quo passagium vidit neglectum esse per Philippum Regem Francorum, qui hoc juraverat, ut superiùs est dictum. Decrevit insuper, ut percepta de Decimis prædictis restituerentur Ecclesiis, excepto Rege Francorum; & facta est prædicta revocatio Anno Domini MCCCXXXVI. XVII. Kal. Januarii. Item Anno Domini MCCCXXXVI. V. Nonas Martii Rex Philippus Francorum venit ad Papam Benedictum; & ibi, exclusis omnibus, solus cum Papa habuit colloquium super passagio, quod debebat incœpisse Kal. Augusti proximè præteriti; & sic remansit inexpletum: ex quo multa mala inferebantur Christianis per Saracenos, & maximè Armenis populis, qui eodem anno fuerunt superati, & planiciem amittentes, petebant montana, sperantes subsidium Ecclesiæ, & Regis Philippi. Anno Domini MCCCXXXVII. Henricus Dux Bavariæ per Procuratores suos, quos ad hoc misit, petiit absolvi à sententiis, quas incurrit communicando cum prædicto Ludovico; & Papa Benedictus anno Pontificatus sui III. ipsum absolvit. Item anno prædicto XXXVII. ultima die Januarii iteratò misit Dominus Ludovicus Dominum Robertum filium Domini Rodulphi fratris sui Ducis Bavariæ, & Comitis Palatini, unà cum Comite Corrado Juliacensi Vangulich ad Dominum Benedictum Papam, qui eos bene recepit die prædicta, qua ingressi fuerunt Avinionem, licèt ante fuerunt cum Philippo Rege Francorum, & de illo venerunt die supradicta ad Papam Benedictum, qui Duci Bavariæ prædicto III. Kal. Aprilis Dominicâ, qua cantabatur *Lætare*, dedit Rosam post Missam, in qua quatuor consecravit Episcopos, & duos benedixit Abbates in sua Capella Avinionensi. Prima autem die Aprilis venerunt Ambasiatores Domini Regis Franciæ ad eum super caussa prædicta. Item III. Idus Aprilis respondit prædictis nuntiis, quòd Dominus eorum non esset pœnitens, & idcirco ad præsens ipsum non posset absolvere. Et sic numquam absolvit eum Benedictus Papa XII., quia moriebatur sub Anno Domini MCCCXLII. A tempore autem suæ creationis, videlicet Benedicti Papæ XII. usque ad ann. MCCCXXXVI. completum præter præmissa nihil dignum relatione fecit, nisi quòd capellam sui palatii ampliavit, & Turrim magnam conjunctam suo palatio construxit, & quasi perfecit, quæ etiam ad sui similitudinem magna & quadrata existit.

ET SIC EST FINIS.

LUDOVICI ANTONII MURATORII
ADNOTATIO.

Atque hactenus Codex Ambrosianus. Aliter Patavinus. Nam concors cum altero usque ad abdicatum a Coelestino V. Romanum Pontificatum, deinde narratione plane diversa nobis exhibet Vitas Bonifacii VIII. Benedicti XI. & Clementis V. Sane tantum discriminis inter hosce Codices suspicioni locum aperit, a Ptolomaeo perductam primo fuisse Historiam usque ad initia Bonifacii VIII. ac tum editam. Quare exemplaria inde expressa nihil ultra habent a Ptolomaeo additum, atque alteri proinde Scriptori tribuenda sunt Ambrosiani Codicis additamenta, qui etiam post Albertinum Mussatum scripserit, nam ex ejus scriptis profecisse videtur. Verum Operi suo, ut saepe accidit, trium subsequentium Pontificum Vitas tempore procedente Ptolomaeus ipse adjecit, quas nempe complectitur Patavinus Codex. Certe Clementis Vita, quae illic legitur, Auctorem prodit Synchronum, immo & Lucensem. Praeterea videas eamdem a Baluzio antea evulgatam sub nomine ipsius Ptolomaei: quod auctoritate alicujus antiqui Codicis ab eo factum unusquisque intelligit. Ad haec adnotatum est in eodem Patavino, deductam fuisse ab ipso Scriptore Historiam usque ad postremum diem Clementis V. In uno tamen deceptum puto adnotationis hujus auctorem, dum videlicet Fratrem Thomam Tholomaeum *appellat, ac si ille e nobili Ptolomaeorum sive Tolomeorum familia prodierit.* Ptolomaeus *nomen ei proprium fuit. Alterum nomen nemo antiquorum in eo agnovit. Haec interim, quae diligentiae Pivati mei amantissimi debeo, Lector, ut spero, benevolenti animo accipiat.*

Hæc ergo post Cœlestini V. Vitam in Codice Patavino sequuntur:

Liber Vigesimustertius Ecclesiasticæ Historiæ novæ explicit.

EJUSDEM LIBER XXIV. INCIPIT.

CAP. I.

BONIFACIUS VIII.

Anno Domini MCCXCV. Bonifacius VIII. in Cathedra Petri sedet. Hic natione Campanus de Anania oriundus. Hic antea dictus Dominus Benedictus Gaitani Diaconus Cardinalis. Hic longo tempore experientiam habuit Curiæ, quia primò Advocatus ibidem, inde postea factus est Notarius Papæ, postea Cardinalis, & inde in Cardinalatu expeditor ad casus Collegii declarandos, seu ad exteris respondendum; nec in hoc habuit parem. Sed propter hanc causam factus est fumosus, & arrogans, ac omnium contemtivus. Inde ascendens ad Pontificalem dignitatem in vigilia Natalis Domini anno jam dicto; primum, quod fecit, fuit, quòd revocavit omnes gratias factas per Nicolaum IV. & Cœlestinum V.

Eodem anno, hoc est MCCXCV. dictus Bonifacius de Neapoli Curiam transfert Romam, & dictum Cœlestinum recludit ex causis jam dictis, & superiùs allegatis. Eodem anno Civitas Eugubina Thusciæ per Gibellinos capitur; sed ad modicum tempus; recuperatur enim, misso illuc Legato per eumdem Papam, videlicet Domino Neapoleone Diacono Cardinali. Sedit autem annis VIII. ac mens. X. Hic duos Legatos misit in Franciam, & in Angliam; videlicet Penestrinum, & Albanensem, quia guerra superiùs dicta inter dictos Principes inchoata nimis crescebat, in qua se habuerunt ut excedentes, & excessi, quia Rex Franciæ prævalet bello campali in Vasconia prope Bomet. Sed

A Rex Angliæ in mari victoriosior efficitur. Tunc autem incœpit dictus Bonifacius suam potestatem dilatare, quadam politica via à suis prædecessoribus non usitata, & sic specialem magnificentiam ampliare (*quod & postea nonnulli secuti sunt.*)

Decretum fit ut Festa duplicia de IV. Doctoribus Ecclesiæ celebrentur.

Anno Dom. MCCXCVII. statuit dictus Pontifex, ut IV. Doctores Ecclesiæ, scilicet Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & Gregorius, ampliori in Ecclesia prærogativa clarescerent, in festis ipsis; ut fierent eorum festa B duplicia. Eodem verò anno Adulfus Rex Alamanniæ, qui fuit electus anno MCCXCII. Vicarium suum constituit in Thuscia Dominum Johannem d'Agabito, quem Papa Bonifacius consentaneè accepit, & familiariter tractat. Eodem tempore dictus Bonifacius Thuscos requirit de Vicaria prædicta, ut eidem Vicario consentirent, & ipsum reciperent; qui volentes excutere jugum de manu Imperii, eidem Bonifacio obtulerunt LXXX. millia Florenorum, & dederunt; & ipse Bonifacius ordinavit cum Domino Johanne, qui cessit Vicariæ, & rediit ad propria; providendo fratri suo de Episcopatu Leodiensi, qui postea fuit factus per eumdem Bonifacium Archiepiscopus Bisuntinus. Eodem C autem anno factus fuit Magister Ordinis Prædicatorum Frater Nicolaus de Tervisio, qui postea fuit Cardinalis Ostiensis, & postea Benedictus Papa XI.

Anno Dom. MCCXCVII. Bonifacius Papa contra Columnenses processum facit, occasione sum-

sumta à Stephano de Columna, quia thesaurum Papæ deprædatur, licèt etiam multæ sint causæ, quas longum esset enumerare. Dominus autem Jacobus de Columna, & Dominus Petrus ejus nepos Cardinales, videntes ejus animositatem, contra ipsum Dominum Bonifacium libellum famosum conficiunt, quem direxerunt per omnes partes Mundi Principibus, & universitatibus Civitatum, Scholarum, & Castrorum, asserentes ipsum non esse Papam, sed solum Cœlestinum; Unde citati quòd comparerent, facti sunt contumaces: propter quam causam in Consistorio publico fuerunt tamquam excommunicati, & schismatici nuntiati, & Cappellis rubeis privati, uti & præbendis, & beneficiis omnibus, quæ habebant. Insuper bona ipsorum, & filiorum, Domini Johannis de Columna videlicet, & Agapiti, qui cum Bonifacio contraxerat parentelam, & Stephani de Sciarra, confiscata fuerunt, & ablata Feuda.

Eodem anno fuerunt terræmotus magni in Thuscia, ut viderentur ruere domus. Eo tempore mittitur in Thusciam pro Legato Dominus Matthæus de Aqua-Sparta, ad prædicandum crucem contra Columnenses, & exercitum congregandum contra ipsorum munitiones, & Castra. Primò obsidetur Civitas Nepesina, quia non modicam resistentiam fecit. Sed ipsa capta Ursinis traditur; & deinde Pellestrina capitur, quæ similiter destruitur, & in Valle reædificatur, vocaturque Civitas Papalis; unde ibi Cardinalis Dominus Theodoricus denominatur, & eidem in vita traditur. Ulterius capitur Castrum de Columna, & multa alia Castra in partibus Romanis, Reatinis, & Anagninis. Nulla tamen de principalibus eorum munitionibus habetur sinè magno labore, & hominum morte. Quid plura? Eorum omnibus Castris, & villis occupatis, ea traduntur nobilibus Romanis; quædam tamen sibi, & Ecclesiæ reservavit. Demum post longam guerram & pugnam mediatores se interponunt. Columnenses ad mandatum veniunt; sed postea videntes quòd non restituebantur ad statum priorem, iteratò rebellant, & à Bonifacio se absentant, & abscondunt. Tunc reiteratur sententia contra ipsos, & ampliùs durior, quàm ante; & non solùm in personas, & bona ipsorum, sed contra faventes, & recipientes aliquem de prædictis. Eodem anno Veneti fuerunt devicti à Januensibus in partibus Sclavoniæ mense Septembris, & ceperunt Januenses septuaginta corpora Galêarum, multo sanguine fuso. Et eodem anno fecerunt pacem, restitutis eorum omnibus captivis.

Anno Domini MCCXCVIII. Adulfus Rex Alamanniæ, & Romanorum, exercitum congregat contra Albertum Ducem Austriæ, & ejus sequaces, qui filius fuit quondam Rodulfi; pugnaveruntque simul, & in pugna Adulfus strenuissimus, propter audaciam cordis ejus primus ad bellandum, demum est interfectus potentia & violentia partis adversæ. Eodem anno Bonifacius præfatus in ordinatione, quam fecit, Fratrem Matthæum de Tervisio, Magistrum Ordinis Prædicatorum supradictum in Episcopum Ostiensem assumit apud Reatem. Et eodem tempore fuerunt ibidem terræmotus permaximi, ubi tunc Curia erat, commovitque palatium prope, & multas ibidem turres ruere fecit: unde Papa recessit de loco, & extra Civitatem se transtulit in locum Fratrum Prædicatorum, & ibi in campo fecit ordinationem prædictam, & multa bona contulit prædictis Fratribus.

Eodem anno Albertus Dux Austriæ post mortem Adulfi, congregavit Electores per interpositam personam, & præcipuè per Episcopum Moguntinum, tam videlicet Principes, quàm Prælatos, hoc est Regem Boemiæ, Ducem Bavariæ, qui & Comes Palatinus, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandeburgensem, qui sunt quatuor principales Electores; item Clericos, qui sunt Archiepiscopus Coloniensis, Treverensis, Moguntinus, quorum Cancellarius primus in Italia, secundus in Gallia, tertius in Germania. Hii omnes congregati Aquisgrani, in majori parte prædictum Albertum Ducem Austriæ in Imperatorem futurum, & Regem Alamanniæ eligunt.

Eodem anno Bonifacius considerans in Regno Siciliæ se non posse proficere, incipit cum Rege Arragonum de concordia tractare; & ipsum sibi reconciliat, ac Regnum Arragonum ab interdicto relaxat, & sibi restituit, ac vexilliferum Ecclesiæ statuit propter antiquam fidelitatem, quam dictum genus Arragoniæ ad Ecclesiam habuit, & sub hoc titulo Regnum Sardiniæ sibi concedit. Hoc eodem tempore Fredericus frater Regis Arragonum pugnat cum militia Gallica, & prævalent Gallici; sed veniens multitudo populi cum lanceis, & balistis, omnes trucidarunt.

Anno Domini MCCXCIX. prædictus Rex Romanorum Albertus solemnes nuntios mittit ad Curiam pro confirmatione suæ electionis, quam Bonifacius repellit, & ipsam dicit esse nullam, ex multis rationibus, & causis, & casibus. Hoc eodem anno Sextum Decretalium publicat, in quo plures decretales ponuntur secundùm Rubricas antiquæ compilationis, de diversis materiis per multos Summos Pontifices editas, à tempore compilationis factæ per Gregorium IX. per manum Fratris Raymundi Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Pœnitentiarii ejusdem Gregorii IX. Videlicet II. Nonas Martii Pontificatus sui Anno IV. suosque ponit in fine titulorum, quæ sunt declaratoriæ, & decisivæ multarum dubitationum. Eodem anno Siculi ceperunt XV. Galêas Regis Caroli, ubi captus fuit nepos Rogerii de Loria, ex eo quòd dictus Rogerius Siculos dimiserat, & favebat Ecclesiæ cum Rege Arragonum Jacobo. Eoque tempore facta est pax inter Pisanos, & Januenses. Eodem anno Siculi fuerunt devicti in mari per Jacobum Regem Arragonum, Ecclesiæ Romanæ Vexilliferum, ac generum Regis Caroli factum. In qua quidem victoria licèt fuisset Fredericus, qui tenebat Siciliam, frater Regis præfati, sed pepercit carni & sanguini: quod negari non potest. In hoc verò conflictu captæ fuerunt XXVIII. Galêæ, ubi erant plusquam VI. millia hominum.

Anno Domini MCCC. Tartari exeuntes de Perside à sedibus suis invaserunt Saracenos in Cappadocia Syriæ, & deinde in Armenia, ab inde in tota Terra promissionis, & in Damasco, & in Gaza usque ad confinia Ægypti; in quibus omnibus regionibus plusquam CCC. millia Saracenorum sunt occisa; quam stragem Deus permisit in eos fieri per Tartaros, quia ipsi fecerunt stragem in Christianos in captione Tripolis, & Achon. Eodem anno instituta fuit Indulgentia plenissima omnium peccatorum per Papam Bonifacium prædictum accedentibus ad Apostolorum limina XV. diebus alternatim, quantum ad externos; quantum verò ad Romanos XXX. diebus. Unde factus est concursus populi tantus ex omni gente, quòd singulis diebus ascendebat oblatio ad mille libras Perusinorum. Eodem anno navale bellum fuit inter Roge-

gerium de Loria, & Armirallum Regis Caroli, & Corradum de Oria civem Januensem Armirallum Siculorum, ubi dictus Corradus succubuit, & XXVIII. Galêas perdidit, ipso capto cum filio, & fratre, & duobus aliis de domo sua cum multis aliis nobilibus de Sicilia. Eodem anno bellum campale fuit in Sicilia inter Philippum filium Regis Caroli, & Fridericum filium Regis Arragonum, qui Siciliam usurpativè & contra voluntatem Ecclesiæ detinebat; in quo bello succubuit Philippus, quia spreto consilio patris & Seniorum pugnavit; unde captus est cum sua gente, & multi ex suis occisi sunt.

Anno Domini MCCCI. Unus Dominus Tartarorum invadit alium, qui dicebatur Theta, vir longus, & qui multum erat favorabilis Christianis. Hic Theta alium devicit, qui dicebatur Acha, qui erat pessimus Nigromantius, & inimicus omnium bonorum. Ipsum ergo Theta destruxit in totum, & factus est Dominus in toto Oriente, & quasi Aquilone. Eodem anno in Septembri apparuit Cometa in Occidente in signo Scorpionis, quod est domus Martis; quæ aliquando emittebat comam ad Orientem, aliquando ad Meridiem. Et tunc vênit in Thusciam frater Regis Franciæ dictus Carolus ex mandato Summi Pontificis Bonifacii Papæ VIII. qui in primo adventu suo factus est Comes in Romandiola, Capitaneus in Patrimonio, & Dominus in Marchia Anconitana. Item factus est Comes partiatarius in Thuscia, & multa facta sunt per ipsum, & multæ novitates apparuerunt. Eodem anno controversia exorta est in Hungaria de Regno inter Regem Boëmiæ, qui filium suum favore aliquorum Principum ordinavit coronari in Buda, & inter Regem Carolum, qui filium Carolum Martellum natum de Hungara muliere in Hungariam miserat pro corona, habens similiter in suum auxilium, & favorem aliquos Principes regionis, & Communitates, & multitudinem Tartarorum. Eodem anno Rex Alamanniæ Albertus filius Rodulphi discordiam habens in Regno suo contra Ducem Bavariæ nepotem suum, contra Archiepiscopum Moguntinum, Coloniensem, & Treverensem bellum movet, & totam provinciam concitat, ac prævalet; faventibus omnibus Civitatibus, quæ sunt super Rhenum propter injusta pedagia, quæ vigebant.

Anno Domini MCCCII. adhuc vivente Bonifacio Papa istud mirabile apparuit in Februario apud Insulam Ysquiæ, quia ignis virtute sulphuris, & ventorum evaporavit de dicta Insula, qui ascendit super aërem cum materia terrestri, effuditque se super Villam, & combussit eam. Factaque est magna nebulositas per omnem regionem, & mare repletum est lapidibus combustis, ac consumta terrestri substantia, quos pumices vocant, natantes super aquam ratione suorum foraminum, quæ aërem continent; & propter consumtionem terrestris materiæ in ipsis facti sunt cineres in tanta multitudine & quantitate, ut eorum acervi quasi montes videbantur, diffuderuntque se super mare ad CC. milliaria. Eodem anno exorta est discordia inter ipsum Bonifacium, & Regem Franciæ ratione cujusdam Abbatis Apamiensis, quæ Ecclesia erat erecta prius per eumdem Bonifacium in Ecclesiam Cathedralem. Qua occasione Papa Bonifacius literas transmittit Regi Franciæ nimis fastuosas cum Bolla ad perpetuam rei memoriam: in quo facto utraque pars multum erravit. Et hæc per malos consiliarios turbatio est exorta: primò

A quidem ex parte Bonifacii, quia quod asseruit, non continebat simpliciter veritatem. Scripsit enim sic eidem: quòd cùm ipse esset dominus Mundi tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, volebat quòd recognosceret Regnum ab ipso, & contrarium tenentes judicabat hæreticos. Quas literas Rex recipiens, de consilio magnorum Curiæ, & præcipuè Domini Petri de Flota militis, statim in præsentia totius populi, fecit comburi; & tunc vetavit omnes aditus & passus tam in aquis, quàm per terram in suo Regno, ut nullus equus, nullaque pecunia inde transportari posset. Tunc Dominus Papa concitatus excommunicat in generali omnes impedientes, quòd Clerici & Laici ad Curiam cum
B equis vel pecunia, vel literis venire non possint. Eodem anno dictus Dominus Carolus frater Regis Franciæ, in favorem Regis Apuliæ, in Siciliam transfretat contra Fredericum; cui accidit istud infortunium, quòd omnes equi sui mortui sunt. Tunc arctatus fecit pacem ex multis occurrentibus causis inter Fredericum, & Regem Carolum, & Ecclesiam, cùm esset Frederici consobrinus, & Regis Caroli, quia nati de sorore, & fratre. In qua pace fuerunt ista pacta, quia Fredericus accepit in uxorem filiam Regis Caroli, & aliam habuit Rex Arragonum frater suus, quia ipse Fredericus habuit Regnum Siciliæ in vita sui, quousque Ecclesia provide-
C ret sibi, sive de Sardinia, sive de Regno Thessalonicensi, sive de alio æquivalenti. Post mortem verò suam, si haberet filios, haberet centum millia unciarum, & dimitteret Regnum; si verò non haberet liberos, debebat habere XX. millia unciarum ad dispensandum pro anima sua ubi placeret. Ista pacta audivi ab illo, qui fuit mediator; sed nihil eorum est observatum; quia ipse Fredericus tenet adhuc ipsum Regnum Siciliæ, dissimulante Ecclesia, fortè pro majori malo vitando.

Eodem anno in mense Julii, adhuc Papa Bonifacio vivente, rebellaverunt Flandrenses Regi Franciæ, & occiderunt in Insulis duo millia quingentos Gallicorum. Qua de causa fuerunt
D Gallici contra Flandrenses, ubi fuit multitudo Gallicorum nobilium. Sed Flandrenses fecerunt quasdam foveas cœcas secundùm conditionem regionis, in quibus ceciderunt. Unde equi Gallicorum sic involvuntur, præcipitanturque quòd nec ipsi, nec equi eorum exire poterant. Sed ibi fuerunt quasi omnes occisi à Flandrensibus cum lanceis, & sagittis; & quasi omnes insepulti ibidem usque ad longa tempora remanserunt; inter quos fuerunt multi nobiles, Comes videlicet Atrabatensis, Dominus Manfredus de Brabantia, & multi alii Principes.

Anno Domini MCCCIII. fuit conjunctio Martis & Saturni. Ter fuerunt conjuncti, bis motu directo, & semel retrogrado; & hoc in signo Virginis. Juppiter etiam existens in Leone re-
E trogradus fuit. Propter quod isto anno multi effectus sunt secuti, tam in personis, quàm in rebus. Nam decapitati fuerunt Florentiæ de Gerardinis, & de Cavalcantibus VII. item postea XI. de melioribus inter Guelfos Albos, & Gibellinos, qui fuerunt capti apud Pulicianum. Item Papa Bonifacius litem movit Regi Franciæ eodem tempore, quod fuit causa suæ ruinæ; & licèt indirectè, sicut dictum est supra, ipsum excommunicat. Propter quam causam Dominus Bonifacius Albertum filium Rodulphi Ducem Austriæ, & Regem Alamanniæ in Imperatorem confirmat, eidem subjiciens Regnum Franciæ. Eodem anno idem Bonifacius instituens Fredericum

ricum Regem Siciliæ, voluit ipsum nominari Regem Trinacriæ, quod fuit primum nomen Insulæ. Eodem anno Tartari iteratò intraverunt Syriam & Palæstinam cum Trojanis, & Aputonis, & celebraverunt Sanctum Pascha in Hierusalem. Eodem anno fertur, Bonifacium misisse unum Leonem Florentiam; quem quidam asinus, qui portabat olera ad domum, cum dentibus arripuit, & lætaliter momordit; ipsumque conculcans occidit: significativum humiliationis Bonifacii. Eodem tempore Rex Franciæ longum habuit certamen cum Flammingis, & ex utraque parte magna strages secuta est, & damnum non modicum. Eodem anno idem Dominus Rex Franciæ stimulatus à Papa Bonifacio, ex delatione facta eidem per Clerum sui Regni, atque Prælatos Franciæ, titulum eidem Bonifacio opposuit, & quædam scelera indicibilia, in quo tanta deberet esse honestas, quamvis vera non essent: unde tantorum vitiorum horrore permotus, ut ipse dicebat, ipsum citat cum concordia totius sui Cleri ad Concilium Lugduni celebrandum de dictis vitiis enormibus sibi oppositis se purgaturum coram Concilio generali. Eodem anno Schiarra filius Domini Johannis de Columna vênit de Francia Romam; & requisitis consanguineis & amicis tam in Urbe, quàm in Campania tota, colligatio Baronum ejusdem regionis fit. Inter quos fuerunt Domini de Cechano, de Alatrio, & de Supino; item filii Domini Matthiæ de Anania cum certa militia, & peditibus; & intravit Ananiam occultè, & cum favore Regis Franciæ, & quorumdam Cardinalium, & populi Anagnini. Insuper cum quodam milite Regis Franciæ, cui nomen Dominus Guillielmus de Nogareto, invasit & intravit palatium Papæ, & Marchionis nepotis ejus, ac thesaurum exhausit; exspoliavitque thesaurum quorumdam mercatorum, ac Cardinalium Papæ. Fuitque in manibus Guillielmi prædicti, & suorum sequacium, Papa Bonifacius, & nepotes sui prope per duos dies. Sed post hæc ex importabilibus injuriis, quas faciebant armati, qui erant cum prædicto milite, & cum Schiarra, populus Anagninus conversus est ad ipsum cum aliquibus Cardinalibus; & sic liberatus est Bonifacius de manibus eorum, & deductus Romam sub protectione quorumdam Cardinalium, & præcipuè Domini Matthæi Rubei de Ursinis, & in palatio Sancti Petri locatur, licèt primò venerit ad Sanctum Johannem de Laterano. Ibidemque ad paucos dies moritur, minorique reverentia sepelitur, quàm Pontificalis status requireret. Quod quidem accidit propter nimiam aëris tempestatem, quæ tunc non modica fuit, ut quasi quoddam indicium fuit suæ Pontificalis conditionis, & status, quem transcendit, & fortè cum displicentia Dei in suo fastu; qui in dicta tempestate fuit fortè purgatus. Sed quamvis Deus ad inopinatum casum permiserit eum pervenire, ut in manibus illorum traderetur, videlicet Columnensium, quos de terra exstirpaverat, datâ sententiâ hæresis contra ipsos, ac duobus Cardinalibus depositis, & aliis bonis privatis: in hoc tamen divina virtus apparuit super ipsum, ut propter statum sacratissimum, quem gerebat sui Pontificatus, tamquam in hoc Christus, Romanæ Ecclesiæ reverentia, à tantis & talibus inimicis ultra spem à Domino conservaretur illæsus, & à tam diris hostibus liberaretur. Eodem anno quasi toto maxima fuit siccitas quasi in toto Occidente, sed & in Italia, & præcipuè in Thuscia fames & caristia rerum venalium inaudita. Alleviata tamen fuit in parte propter frumentum transportatum Mucrone, de provincia Provinciæ, & Sardiniæ, & Siciliæ, per quod toti Imperiali Thusciæ est subventum. Eodem anno fuit terræmotus magnus per diversa loca, sed præcipuè in duabus Insulis Orientis videlicet Cypri, & Cretæ, ubi quædam Civitas, quæ vocatur Candia, quasi tota ruit. Simile etiam tradunt in Insula Rhodi & Græcia. Eodem tempore hoc est in die mortis Papæ Bonifacii, vênit Rex Carolus Romam cum M. quingentis militibus, & VIII. millibus peditum ad favendum Ecclesiæ: unde Cardinales ad suam petitionem convenerunt ad electionem Summi Pontificis.

BENEDICTUS XI.

ANno Domini MCCCIII. XI. Kal. Novembris: Dominum Nicolaum de Tervisio Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac Cardinalem Ostiensem in Summum Pontificem eligunt. Hic factus Papa in Sancto Petro, modicâ morâ ibidem contractâ, transtulit se ad Sanctum Joannem de Laterano. Post modicum tempus duo fecit post translationem suam: unum, quod creavit duos Cardinales de Ordine suo; aliud, reconciliavit Ecclesiæ Columnenses, & possessiones universales, quas detinebat Ecclesia, eisdem restituit. Anno Domini MCCCIV. factus est Legatus Dominus Frater Nicolaus de Prato Cardinalis Ostiensis in Thuscia, quem Dominus Benedictus fecerat. Sua autem legatio fuit in Thuscia, in Lombardia, & tota Italia. Eodem anno in Septimana Sancta Dominus Benedictus Papa subitò de Sancto Johanne de Laterano recedit, & vadit ad Sanctum Petrum, propter proterviam Romanorum & superbiæ fastum. Hoc eodem anno Tartari invaserunt Syriam, & Palæstinam, & nullam habuerunt quasi resistentiam ex parte Saracenorum; unde si Christiani Latini præstitissent auxilium, secundùm quod Tartari petiverunt, destinantes nuntios solemnes ad Curiam Romanam (Anno MCCCII) jam tota Terra Promissionis esset in manibus Christianorum: propter quam causam Tartari concordaverunt cum Soldano, & factus est ipsorum tributarius pro dicta Terra. Isto eodem anno fuit diffidium magnum in Scotia; duo enim Comites erant, qui contendebant de eodem Regno, mortuo Rege sinè herede; & unus, qui plus juris videbatur habere, alium prævenit, qui dicebatur Comes de Con . . . . . ., ac cum tota quasi sua progenie interfecit, & dominium assumsit, & Rex Robertus hodie nominatur. Circa idem tempus Papa Benedictus reconciliavit sibi Regem Franciæ cum toto Clero, & revocavit omnem processum, quem Papa Bonifacius fecerat contra ipsum. Circa idem tempus Papa Benedictus denuntiavit excommunicatos omnes, qui ipsum Bonifacium ceperant, citando eos sub certa pœna, qui coram ipso certo tempore comparerent. Hoc eodem anno, videlicet VII. die Julii, Benedictus Papa migravit ad Dominum Perusii. Eodem tempore Curia existente Perusii, volentes ejusdem loci cives observare Constitutionem Gregorii X. super reclusione Cardinalium, paraverunt eis hospitium, ibidemque inclusis Cardinalibus, cœperunt uti Constitutione. Ad paucos dies, attendentes ipsorum discordiam, ipsos aliqualiter relaxarunt. Eodem anno Rex Franciæ congregavit infinitam multitudinem contra Flandrenses tam equitum, quàm peditum; cùmque appropinquaret exercitus cum qua-

quadam spe tractatus pacis, Dux Flammingorum, videlicet Dominus Johannes de Tudeo, requiri fecit de pace Dominum Carolum fratrem Domini Regis, interim ad aggregandum volens tempus. Sed ex parte Flammingorum accedunt, cùmque negotia sic suspenderentur, vel in suspenso manerent, ecce Flammingi ad insultum faciendum approximant, ac Gallicos imparatos invenerunt, & eos invadunt Flammingi, & multos occidunt de gente Gallicana, ac de circumstantibus tentorio Regis. Sed Rex fultus militibus, licèt cum damno suorum, cum potentia suæ aciei infringit hostes, ac Regi cedunt; sicque Flammingi in fugam vertuntur, multique in bello cadunt. Inde Rex Flammingos insequitur, & versùs Insulam vadit, & ipsam capit. Dum hæc aguntur, mediatores interponunt preces, quibus Rex acquiescit; & ejus expeditio quatuor Principibus committitur, videlicet Comiti Sabaudiæ, ut tradunt, Duci Burgundiæ, Duci Brabantiæ, & Comiti Britanniæ. Hæc autem omnia vacante Ecclesia facta sunt. Tradunt autem, Flammingos fuisse usos quadrigis falcatis, antiquo more in quas aggressus fieri non poterat sinè periculo mortis; sed impetu Gallicorum sunt fractæ, cum non modica cæde utriusque partis. Eodem tempore Raynerius de Grimaldis cum Januensibus magnum fertur fecisse conflictum in mari contra Flammingos. Dum enim Dominus Guillielmus filius Comitis Hannoniæ ivisset Hollandiam, Flammingi venerunt in multitudine contra ipsum; quibus obviat dictus Dominus Raynerius de Grimaldis Amiraldus Regis Franciæ cum sua gente Gallica in mari, & Flammingos existentes in cochis potenter expugnat. Tamdem Flammingi succumbunt, & magna multitudo hominum capitur, & occiditur; eorumque Cochæ comburuntur. Sicque prædictus Guillielmus in Hollandia prævalet. Isto eodem anno fuit conjunctio Planetarum cum Sole in festo Beati Michaëlis in Septembri, Sole existente in XV. gradu Libræ. Planetæ verò, qui conjuncti erant cum Sole, fuerunt Luna, Saturnus, Juppiter, & Mercurius. Mars fuit etiam ejus socius, quasi in medio Virginis, & Venus in fine. Ex quo multi effectus sunt secuti mali. Primò quia in Thuscia, & aliis locis tanta aggregata est aquarum inundatio, & quasi quædam particularis alluvio videretur esse ex interioribus aquis terræ; unde omnes fontes in partibus Thusciæ superexcreverunt ultra solitum cursum naturæ, ita ut populus absorberetur terrore; propter quam causam populi ex timore ad Ecclesiam recurrebant, pro Dei misericordia impetranda & exoranda. Eodem tempore fuerunt Lucæ duo magni terræmotus, ut viderentur ruere domus.

Rex Carolus Perusium venit ad supplicandum pro electione facienda.

ANno Domini MCCCVI. Cardinales, Ecclesia vacante, in Februario recluserunt se Perusii, secundùm formam Concilii; & Perusini administrabant. Eodem tempore vênit Perusium Rex Carolus ad supplicandum pro electione facienda, contraxitque moram usque ad Pascha; verùm quasi desperatus recessit. Eodem tempore tradidit filiam suam in uxorem Marchioni Estensi Domino Ferrariæ, quam de Monasterio extraxit & malum exitum habuit. Eodem anno, videlicet in principio Februarii, præter conjunctionem supradictam fuit conjunctio in principio Libræ, & secutæ sunt nives ultra mo-

A dum regionis, & factæ sunt altæ supra modum, quales numquam fuerunt in montibus illis visæ, præcipuè in tempore illo. Post nives verò, & tempora inordinata in toto Februario, & quasi in tota lunatione Martii ventorum & aquarum, Jove existente retrogrado in fine Virginis: propter quæ omnia poma aromatica, sicut citra, & arantia, & stopreæ, item oliveta & fructeta quasi defecerunt. Multæ etiam aliæ novitates acciderunt in partibus Romanis, & Italiæ. Eodem anno fatigati Cardinales ex clausura Perusii, quæ multum stricta erat, convenerunt de Summo Pontifice faciendo.

CLEMENS V.

B ANno igitur Domini MCCCVI. quinta die Julii Dominus Bertrandus de Goto Archiepiscopus Burdegalensis apud Perusium in Summum Pontificem eligitur; & de Perusio mittuntur nuntii ad ipsum, qui distabat à Perusio per XXX. dietas; miseruntque sibi decretum per tres probos viros, officiales videlicet Curiæ, quod sibi Burdegalæ præsentatur. Eodem anno fuerunt alluviones permaximæ, prædicta conjunctione existente. Eodem tempore, & anno prædictus Papa post decretum receptum Clemens V. vocatus est. Deliberat autem in Comitatu Venusino residentiam facere, nec umquam montes transire, sicut nec fecit, quatenus promiserat. Eodem anno dictus Papa apud

C Lugdunum coronatur, in cujus festo & coronatione Rex Franciæ interfuit; & hæc coronatio fuit infra Octavam Sancti Martini die Dominica; & hoc in Ecclesia Sancti Justi de Lugduno. In qua coronatione istud apparuit signum notabile, quod cùm Papa de Sancto Justo descenderet ad Civitatem Lugdunensem, & deduceretur per Principes unus murus, qui erat supra viam, cecidit supra multitudinem, & multos oppressit de iis, qui Papam dextrabant, nobiles; sed præcipuè Ducem Britanniæ, qui mortuus est ibidem. Dominum Carolum fratrem Regis, qui erat ab alio latere Papam dextrans, multùm læsit; & multi milites ibidem mortui sunt.

D Papa etiam fuit in periculo, & cecidit corona de capite ejus; equusque ejus lapidibus coopertus, & ut tradunt mortuus; Rubinus etiam, qui erat in capite Coronæ, tunc fuit perditus pretii VI. millium Florenorum; sed postea reinventus fuit. Eodem anno Papa circa festum Beatæ Luciæ fecit XII. Cardinales, quatuor de genere suo, duos Fratrum Prædicatorum, videlicet confessorem Regis Franciæ, Confessorem Regis Angliæ, Episcopum Tholosanum, Bituricensem, duos Columnenses superiùs nominatos, & duos alios, videlicet Archidiaconum Burgensem Cancellarium Regis Franciæ, & Abbatem Sanctæ Crucis, qui fuit Vicecancellarius. Anno Domi-

E ni MCCCVI. circa principium Februarii rebellarunt Marchioni Estensi Mutina, & Regium, expulsis inde omnibus stipendiariis ejus, & spoliatis; redieruntque omnes exules ad propria, & Civitates reintegratæ sunt. Causa autem ponitur hujus rebellionis, quia videbatur Marchio velle dictas Civitates uxori suæ, filiæ Regis Caroli, assignare in dotem. Unde Civitates circumstantes ut Bononia & Parma eisdem in dicta rebellione non modicum auxilium præstiterunt. Eodem anno Papa Clemens Legatum statuit in Italia Dominum Neapolionem de Ursinis, pro reformanda pace, idemque vênit Bononiam, existentibus ibidem Ambasiatoribus Florentinis & Lucanis.

Eodem

Eodem anno III. Kal. Februarii Papa revocat duas Constitutiones Papæ Bonifacii; una fuit, quam direxit Regi Franciæ, in qua scribebat eidem, ipsum Romanæ Ecclesiæ subjectum in temporalibus, de qua dictum est supra; alia, quæ continetur in VI. Libro, quæ incipit *Clerici Laicos*. Revocat etiam omnia, quæ ex ipsis consecuta sunt. Eodem anno accidit miraculum in Valle Nebulæ in Episcopatu Lucano de quibusdam villicis, qui secaverunt frumentum in Festo Beati Johannis Baptistæ, & posuerunt in manipulis ad siccandum; & sequenti die fulmen ibidem percussit, & combussit spicas, relictis paleis. Eodem anno in fine Julii fuit Lucæ terræmotus permaximus, in crepusculo diei. Hic autem terræmotus fuit quasi generalis, in longum ferè per XL. milliaria. Eodem anno facta est concordia inter Bononienses, & Marchionem Estensem, propter gravamina, quæ Legatus supradictus eisdem inferebat. Eodem anno mortuo Rege Bohemiæ, filius suus, qui coronatus erat in Hungaria, rediit Bohemiam, & regnavit ibidem. Orta autem turbatione cum quodam Principe, quidam miles Vassallus dicti Principis sub prætextu cujusdam secreti colloquii occidit eum. Eodem anno Imperator Constantinopolitanus misit filium suum Januam, natum de sorore Marchionis Montisferrati, & ibi accepit in uxorem filiam Domini Obicini de Spinolis, qui eo tempore Capitaneus erat Januæ. Quo facto paravit eidem gentem militarem. Et pedestrem ad intrandum terras Marchionis Montisferrati, quæ de jure sibi debebantur ratione matris, deficiente prole masculina in eodem dominio. Eodem anno Philippus Princeps Tarentinus, & filius Regis Caroli, navigavit in Græciam, & occupavit Principatum Achajæ, qui Moræa dicitur, & antiquo jure suo patri debebatur, ratione sui fratris Philippi, qui filiam Principis Achajæ in uxorem habuerat, his pactis, quòd in omnem eventum jus dominii, pertineret ad Regem. Tunc voluit intrare Principatum Despoti, sed epidemia impedivit eum, & ipsa Despota socrus ejus . . . .

Anno Domini MCCCVII. in Januario facta est conjunctio Martis cum Saturno in Scorpione, & secuta est postea magna aquarum inundatio. Sed in medio Februarii Sole intrante signum Piscium, & Luna signum Cancri, Jove verò, & Saturno, & Marte in medio signo Scorpionis, Majo facta est alluvio cum magna etiam intemperie aëris, & ventorum, grandinum, & aquarum. Eodem anno Rex Franciæ fecit suspendi Parisiis quosdam Parisienses usque ad XXX. de Burgensibus, ex eo, quòd concitabant populum contra ipsum ratione monetæ. Eodem anno Curia vadit Pictavum pro tractanda concordia. Et consummanda inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ; quæ quidem Curia, ratione infirmitatis Papæ per unum annum quasi sopita stetit. Eodem anno in Quadragesima Episcopus Vercellensis cum Inquisitoribus Lombardiæ hæreticæ pravitatis congregavit exercitum contra quemdam hæreticum, qui vocabatur Dulcinus, qui morabatur in montibus Novariæ, & multos habebat fautores, multosque sequaces. Accidit autem, quòd propter intensa frigora, multi qui erant in dictis montibus, pro frigore & fame sunt mortui: unde ascendentes fideles dictos montes, ceperunt cum Dulcino CL. personas. Mortui verò sunt ex fame & frigore propter abundantiam nivium circa CCC. cum interfectis gladio. Cum Dulcino verò fuit capta quædam mulier malefica, & nigromantica, quæ vocabatur Margarita. Hic Dulcinus multa de ipso Papa, & contra Romanam Ecclesiam dixit; unde Papa Clemens mandavit prædicari Crucem contra ipsum; & longo tempore Inquisitores hæreticos insecuti sunt. Ipse autem captus fuit die Cœnæ Domini: quod non sinè mysterio fuit; quia in sacramentum peccabat, quod ea die fuerat institutum. Eodem anno, hoc est CCCVIII. quia petitiones transcendebant modum, quæ per Regem Franciæ Summo Pontifici fuerunt porrectæ apud Pictavium, Cardinales judicaverunt non exaudiendas; de quibus in Curia exorta est non modica discordia, quia petitiones transcendebant Regalem statum; unde facta est commissio VI. Cardinalibus, & nihil usque modò est obtentum. Eodem anno Dulcinus superiùs nominatus mandatur per Papam tamquam hæreticus puniri: propter quam causam Vercellenses ipsum ad furorem populi occiderunt, & membra sua minutatim conciderunt.

Eodem anno in Augusto Luna existente in Scorpione fulmen percussit in multis partibus Lucæ; nam apud Luciatum occidit unum peditem, & unum in equo. Quidam hoc videns descendit de asino, & projecit se in foveam; tamen subitò percussit caput asini, & mortuus est. Percussit etiam in una domo Lucæ, sed quia erat in domo illa Agnus Dei, nullam læsionem fecit, quantum ad personas; percussit tamen in ostiis domus, & ipsa confregit non sinè magna multorum admiratione. Eodem anno in Octobri capti fuerunt omnes Templarii una die in toto Regno Franciæ, accusati de hæresi pessima; unde confiscata sunt omnia bona eorum, quæ nunc tenet Ordo Hospitaliorum, & ipsi duro carcere detinentur. Eodem anno Rex Aragonum occupari mandavit bona Templariorum in Regno suo circa Kalendas Decembris, & ipsi sunt capti; & aliqui volentes fugere exposuerunt se in mari; sed ventus repulit eos ad plagam, & ad manus venerunt Regis cum thesauro multo. Eodem anno adhuc vivente Clemente Rex Carolus vadens ad Curiam Pictavum impetravit gratiam de eo, quod debebat Ecclesiæ, propter censum, cujus summa ascendebat ultra mille millia & sexcenta millia. Eodem anno per Legatum, videlicet per Dominum Napolionem, suspensum fuit interdictum in Thuscia ad divina celebranda, ut sic traheretur populus ad obediendum.

Anno Domini MCCCVIII. filia Regis Franciæ contraxit cum Rege Angliæ; transitoque mari, per Regem Angliæ ad suam uxorem traducendam Rex Franciæ occurrit ei Bolloniæ, videruntque se mutuò, & pacem firmaverunt ad invicem; & tunc Rex Angliæ fidelitatem juravit eidem super terris, quas citra mare habebat. Eodem anno moritur Marchio Estensis sinè herede legitimo, nec de filia Regis filium habuit. Tunc Bononienses in Padua cum Ferrariensibus convenerunt, ordinaveruntque, quòd filius illegitimus Marchionis dictus Dominus Friscus succederet in dominio, certis gabellis, & passagiis, & exactionibus diremtis. Eodem anno post Pascha Rex congregat Prælatos sui Regni apud Turonum, habens ibidem concilium super quæstione Templariorum; & adhuc existente Curia Romana Pictavii, & vivente Clemente V. Eodem anno occisus fuit Rex Alamanniæ Albertus à nepote suo filio sui fratris: cujus causa fuit, ut fertur, quia omnia dabat filiis, & de ipso non curabat, cùm tamen

men ipse esset filius primogeniti.

Eodem anno orta est discordia inter Regem Angliæ filium Odoardi generum Regis Franciæ, & Barones suos, ex eo quòd quemdam Vasconem scutiferum, qui cum ipso nutritus fuerat tempore patris, militem fecit, in tantum fascinatus ab ipso, quòd neptem suam filiam sororis Regis, & Comitis Vinconensis ei eodem anno uxorem dedit. Item Comitatum Cornubiæ dederat ei, & multa sicut fascinatus ab ipso in depressionem Regiæ dignitatis. Ex quibus Barones Regni opponebant Regi perjurium, quia suam vilificabat coronam. Dictus autem scutifer vocabatur Petrus de Guasconia. Eodem anno circa Festum Pentecostes Rex Franciæ vênit ad Curiam, ipsa adhuc existente Pictavii, & cum suo consilio, primò occurrentibus omnibus Cardinalibus osculum pacis dedit. Cùm autem ad Papam vênit, videlicet Clementem, eidem se prostravit, & pedes osculatus est; sed Papa ipsum levavit ad osculum oris. Sequenti autem die petitiones suas per militem de Plasiano porrexit, super facto Templariorum; exponens, ipsos inventos fuisse hæreticos, petens dictus miles in persona Regis, ut dicti Templarii sicut hæretici puniantur. In qua petitione septem fuerunt arrengantes ex parte Regis & Regni, hoc idem repetentes, quod primus, & ampliùs aggravantes. In quo facto Papa Clemens dicitur respondisse, quòd super hoc satis audierat querelam gravem; sed mirabatur, quòd tale negotium sinè ejus consultatione sic fuerat inchoatum, ac ibi ventilatum; haberet tamen consilium cum suis fratribus, & super prædictis provideret, prout melius posset. Et quamvis dictus miles Regem excusaret, quòd per Inquisitores hæreticæ pravitatis id fecisset; non tamen hoc acceptavit Summus Pontifex, quòd sinè consultatione dictæ Sedis tantum negotium assumsisset. Post hæc autem ad paucos dies volens Papa super petitione præfata delibarare, primò petit, se in possessionem personarum Templariorum poni, ac rerum, antequam aliquod det responsum. Quod cùm factum fuisset, tunc Papa commisit uni Cardinali, videlicet Prænestino, Templarios, & eorum bona custodienda. Eodem tempore, dum hæc aguntur, porriguntur Papæ per militem præfatum in persona Regis & Regni tres petitiones; quarum prima fuit de Cœlestino Papa, quòd canonizaretur. Secunda fuit, quòd fieret justitia de Domino Bonifacio ab ipso petita. Tertia fuit, quòd Guillielmus de Nogareto absolveretur cum suis de injuria Ecclesiæ illata. Ad quod respondit Clemens Papa jam dictus: in primo articulo Regem exaudiendum, sed factum indigere ex sui natura majori inquisitione. Ad secundum respondit, quòd licèt non crederet Dominum Bonifacium errasse, quia facta ejus in Ecclesia solenne perhibent testimonium in contrarium, tamen justitiam negare non poterat. Ad tertium verò cum detestatione loquens ipsum dixit non esse exaudiendum. Eodem anno præsentantur Papæ Templarii circa septuaginta, examinati per officiales Regis, qui confessi fuerant suam iniquitatem per abnegationem Christi; qui ex mandato Papæ Clementis transmittuntur ad Cardinales, quibus examinatio commissa fuerat; in tantum quòd hoc idem confitentur, qualiter post professionem regularem in loco privato coram suis majoribus præsentabatur eis imago Crucifixi, quem cogebantur abnegare, & in faciem ejus spuere; & quædam alia turpia confitebantur; sed non omnia, quia

A turpe esset dicere, nedum scribere. Post hoc autem innuebantur circa Regales Examinatores torsiones indebitæ. Inde Summus Pontifex Clemens prædictus cum Collegio sic statuit, circa Kal. Augusti ejusdem Anni octavi; videlicet quòd iteratò per Diœcesanos cum Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, & cum aliquo eis adjuncto per ipsos fiat examinatio de Templariis in toto Regno Franciæ; & completa examinatione, Metropolitani cum Suffraganeis suis Concilium celebrent, & ipsorum judicio condemnentur personæ. Judicium autem circa statum Ordinis, & circa dubia Fidei, quæ Templarios tangunt reservaretur Concilio generali.

Eodem tempore & anno, hoc est anno VIII.
B Curia adhuc existente Pictavii, judicatum fuit per Papam cum Collegio, quòd transferretur Curia Avenionem; & hoc pronuntiatum fuit ex ore Summi Pontificis; in qua translatione sic fuit diffinitum; quòd circa Octavas Epiphaniæ omnes essent ibidem. Interim autem unicuique liceret ire quò vellet: propter quam causam Cardinales dispergüntur per diversa loca. Eodem etiam die, & anno, & contextu verborum pronuntiatum fuit, Concilium generale tunc celebrandum Viennæ super Rhodanum, à Kalendis Octobris tunc sequentis, usque ad duos annos, ratione Templariorum, & ratione multorum aliorum negotiorum, quæ tunc indigebant deliberatione. Eodem anno in principio
C mensis Maji, hoc est in festo Sancti Johannis ante Portam Latinam combusta est Ecclesia Sancti Johannis de Laterano Romæ: qua de causa exorta est magna lamentatio in Urbe, quasi divinam sententiam indicaret super ipsos; & inde processiones in Urbe, & multæ factæ paces, & multæ sedatæ discordiæ diu ortæ. Et viri timorati assumunt casum, & sollicitantur ad reparationem Ecclesiæ memoratæ, & in tantum dictæ Ecclesiæ deferunt, quòd ipsas quadrigas oneratas lapidibus mulieres vehebant in Ecclesiam, non permittentes quòd animalia eam violarent. Anno Domini MCCCIX. major pars Cardinalium, videlicet decem, perveniunt Avinionem de diversis partibus; alia pars se-
D quebatur Papam de Pictavis in Vasconiam, sed maximè de Toleto usque Avinionem. Eodem anno in principio Henricus Comes de Lucimburg eligitur in Regem Alamanniæ, & in Epiphania coronatur. Eodem etiam tempore facta est conjunctio Martis cum Saturno; post quam secuta sunt frigora, cùm tamen prius esset tempus multum temperatum; & apud Avinionem fuit ventus Aquilonari proximus, post quem secutæ sunt nives. Eodem anno in crastino Beati Matthiæ Luna passa est Eclipsim in crepusculo diei; & forma primò fuit sanguinea, postea nigra, post quam secutæ sunt nives, & profundæ ultra cursum naturæ. Eodem anno Flammingi
E venerunt ad Regem Alamanniæ, & se sub sui protectione posuerunt, & ipse eos recepit contra omnem personam. Hoc eodem anno in die Cœnæ Domini factus est processus per Papam multum durus contra Venetos ratione Ferrariæ, ubi Ecclesia Romana dominium dicitur habere. Comparuerunt Veneti, sed non sunt auditi, quia non habuerunt plenum mandatum, factique sunt contumaces, & Ecclesiæ guerram movent. Tunc verò mittitur Legatus Dominus Arnaldus de Pelagrua Cardinalis, consanguineus germanus Clementis Papæ, in favorem Ferrariensium, ac contra Venetos, qui tenebant per vim Castrum Thedaldi, Burgum, & campum ultra Padum, palis ac vallis munitum, & inde

Ferrarienſibus plurima damna dabant. Eodem anno Ambaſſiatores Regis Caſtellæ, & Regis Arragonum venerunt ad Curiam, petentes decimas de Regnis ſuis, quia intendebant ire contra Regem Granatæ, & obtinuerunt. Eodem anno Ambaſſiatores Januenſium venerunt ad Curiam cum magna ſolemnitate, adhuc vivente Clemente petunt Epiſcopatum Lucanum; erat enim ibi Electus, & quia dictus eſt de provincia Thuſciæ. Eodem anno Veneti expelluntur de Ferraria cum verecundia & damnò. Nam primò datis duobus bellis contra Venetos per dierum intervalla, demum die feſto Sancti Auguſtini devicti fuerunt; nam primum campum amiſerunt potentem, poſtmodum Caſtrum Thedaldi, & conſequenter Burgum. Fueruntque ibidem per exercitum Legati de Venetis, & de eorum parte tam in terra, quàm in aqua plurimi interfecti (& qui vidit, teſtimonium perhibet de iis) faventibus Lombardis prædicto Legato Domini Papæ, ſed ſpecialiter Bononienſibus: propter quam cauſam abſolvuntur ab excommunicatione, qua innodati erant per Dominum Neapoleonem Legatum Domini Papæ, & magna privilegia conſecuti; & hoc per Dominum Clementem V. prædictum, qui ipſos diligebat. Eodem anno, ſcilicet IX. expulſi de Janua Grimaldi guerram movent interioribus, captis aliquibus Caſtris in Riparia. Eodem anno circa feſtum Reſurrectionis, Rex Carolus moritur, & in domo Fratrum Prædicatorum Neapoli ſepelitur. Tunc Robertus filius ejus Dux Apuliæ in Regem aſſumitur, ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, quamvis ſecundo genitus, ſubſtituto filio primogeniti jam defuncti, videlicet Caroli Martelli, in Regno Hungariæ, cui debebatur ratione matris; & ipſe ibidem nunc eſt Rex, quamvis cum multo conatu, eo quòd Rex Bohemiæ jam occupaverat; ſed dimiſit ex multis infortuniis, quæ acciderunt, de quibus infra dicetur. Eodem anno pars expulſa de Janua, Januam aggreditur, Dominus videlicet Conradus de Auria cum Grimaldis. Dominus autem Opicinus vadit eis obviam, & dum aggreditur in Civitate pugnant. Quod cùm audiviſſent, qui erant cum Capitaneo Spinola, paulatim ab ipſo ſe ſubtrahunt. Quod videns dictus Dominus, ad Caſtrum ſuum ſe confert; ſicque Dominus de Auria, & Grimaldi, & quidem de Spinulis redierunt ad propria, & fecerunt commune dominium. Eodem anno venerunt Ambaſſiatores Regis Henrici Alamanniæ ſolemnes ad Curiam, videlicet Lucemburgenſis. Dicti autem Ambaſſiatores fuerunt tres Comites, & duo Epiſcopi, petentes confirmationem Electi prædicti; quibus reſponſum fuit per ipſum Clementem, quòd aliqualiter admittebat ipſum, & eum volebat ulterius nominari Regem Alamanniæ, & Romanorum; & quòd interim poſſet etiam agere quæ Regis erant omnia, & adminiſtrare à Purificatione uſque ad duos annos, recepturus Coronam Romæ, niſi aliud obſtaret impedimentum: quod & accidit, ut infra patebit. Eodem anno Rex Robertus in prima Dominica Auguſti coronatur à Papa Clemente apud Avinionem. Et circa iſta tempora Piſtorienſes excuſſerunt jugum à Lucanis, & Florentinis, eiſdem expulſis, & inter noctem & diem fecerunt ſteccatum, & vacuaverunt foſſata, & ædificaverunt murum ad ſiccum in gyro in altitudine unius cannæ. Eodem anno circa idem tempus venerunt ad Curiam circa XXX. millia inter Anglos, & Theutonicos; & cùm de Theutonicis plures poſſent transfretare cum Hoſpitalariis, ſed Hoſpitalarii nollent eos recipere, dicentes, ſe habere gentem ſufficientem, qui ibant ad capiendam terram Rhodi, & inſulam, ſicut & ceperunt; & quia Papa non providit eis: receſſerunt ad propria cum ſcandalo multo. Eodem anno in die Beati Bernardi in crepuſculo noctis Luna paſſa eſt Eclipſim, & fuit maxima, & diu duravit. Eodem anno in Septembri Papa Clemens propter inſtantiam Regis Franciæ & ſuorum, in publico Conciſtorio, denuntiavit, ut liceat volenti proſequi contra bonæ memoriæ Dominum Bonifacium, vel etiam defendere, & excuſare; quem primò dictus Papa excellentiſſimè commendavit. Poſt hæc autem ad menſem, hanc denuntiationem in ſcriptis redegit, & portis Eccleſiarum mandavit affigi, aſſignans omnibus terminum peremtorium ad comparendum, videlicet Dominica Quadrageſimæ. In hoc etiam reſcripto Papa multum commendavit prædictum Dominum Bonifacium. Eodem anno Veneti fuerunt devicti apud Ferrariam ab exercitu Legati Domini Papæ, & caſtra perdiderunt, ubi de Venetis fuerunt occiſi ultra tria millia hominum, & magnam partem navigii perdiderunt. Tunc etiam fuit captum Caſtrum, quod dicebatur Marcabò, & deſtructum fuit. In hoc autem exercitu fuerunt Bononienſes, Florentini, & Lucani, inter quos in pugna Lucani ſunt magis commendati: propter quam cauſam omnes fuerunt abſoluti à ſententiis Legati. Eodem anno orta eſt turbatio in domo Regis Caroli, ex adulterio impoſito uxori Domini Philippi Principis Tarentini, quæ fuit filia Deſpoti: propter quam cauſam Comes Camerarius, qui tempore Regis fuerat Dominus in Regno, eſt proſcriptus, & multi cum ipſo. Unde & Neapolitani in magna fuerunt commotione. In quo facto non fuit actum, ut debuit; quia talia naturam habent ſtercoris, quod quanto plus volvitur, tanto plus fœtet. Eodem tempore navigium Hoſpitaliorum, quod ibat ultra mare, naufragium paſſum eſt, perdita una navi, multiſque Galèis, quæ ad diverſas partes ſunt diſperſæ: quod malum dicitur accidiſſe propter fraudem commiſſam in Cruce-ſignatis, de quibus dictum eſt ſupra. Eodem anno exercitus Regis Arragonum obſidet Almariam, & multa prœlia committit cum Saracenis, in quibus prævalet dictus Rex; & ſimiliter prævalet Rex Caſtellæ cum ſuo exercitu, & multa Caſtra de ſuis occupat, & regionem devaſtat.

Anno Domini MCCCX. ultima die Januarii in Octava hora diei apud Avinionem fuit Eclipſis Solis, & eclipſatus eſt ultra medietatem, ſitque notabiliter ſcintillatio, ſicut apparet de nocte in caſu unius ſtellæ, ſecundùm vulgi opinionem. Notabilis tunc verò hemiſperio viſa fuiſſet, duravitque ultra horam nonam. Eodem anno XIV. die Februarii circa occaſum Solis fuit eclipſis Lunæ: poſt quæ hæc duo mala exorta ſunt. Primò quia Reges Hiſpaniæ, qui venerunt contra Regem Granatæ, decepti ſunt ab eo in promiſſionibus; & ab infeſtationibus receſſerunt cum multa epidemia, & infirmitatibus hominum, ac morte ipſorum. Et in Italia magnæ crudelitates excitatæ. Placentini habent duriſſimam pugnam contra Mediolanenſes, & ſuos exititios. Lucani mutant ſtatum quantum ad populum, quia multi excluduntur à ſocietate populi, & magnæ novitates ibidem apparent inſolitæ. Eodem anno Feria II. poſt III. Dominicam Quadrageſimæ vênit Guillielmus de Nogareto, & Guillielmus de Pleſiano Avinionem contra Dominum Bonifacium; multaque mala dicunt de ipſo; ſed reſponſum eſt eis

eis juxta merita; duravitque quæstio per magnam partem anni; in qua quæstione dantur exceptiones pro defensione Domini Bonifacii, quod non sit danda audientia talibus; item quòd ista quæstio non pertinet ad ipsum Papam, cùm par in parem non habeat imperium, sed ad solum Concilium pertinere videtur. Item quòd dicti Guillielmi non erant personæ ad accusandum talem Dominum habiles. Eodem anno Templarii omnes, qui erant in Regno Franciæ, mittuntur Parisios; multi eorum revocant quod dixerant; movetur quæstio contra eos, utrum talis revocatio posset dici relapsus, & judicatur contra eos; & sic inde Parisiis comburuntur quinquaginta quatuor, stantibus eis in proposito, quòd veri Catholici essent. Eodem tempore, hoc est Anno MCCCX recedit Rex Robertus versùs Lombardiam, & inde Thusciam, postea in Regnum. Eodem anno Ambassiatores ad Curiam veniunt ex parte Regis Alamanniæ, insinuantes Curiæ, quòd se parabat ad veniendum ad terras Imperii: propter quam causam petebant Legatos, unum in Italia, & alium in Theutonia. Ad quod fuit responsum per Clementem Papam, & hoc apud partes Avinionis, quòd suum acceptabat adventum tamquam de filio Ecclesiæ. Eodem anno quasi per totum annum acciderunt in Italia verberationes hominum, ex quo infinitæ paces sunt factæ ultra opinionem hominum; & mirabilia dicuntur apparuisse in Imaginibus, licèt multa falsa inventa sunt. Sed quidquid hoc fuit, verè mirabile, quia quod Principes, vel Optimates facere non potuerunt, hoc fecit in eis, qui ad invicem inimicabantur, virtus divina; quia patres requirebant hostes, quorum filios occiderant, ad faciendum pacem. Eodem anno in Augusto Luna passa est Eclipsim in XII. hora noctis usque ad medietatem; & facta est nigra, sive terrea, & duravit plusquam duabus horis usque ad crepusculum diei. Eodem anno, videlicet MCCCX. vênit Rex Robertus Lucam, ibidemque fuit gratiosè receptus; nam eidem exierunt obviam omnes societates armorum. Eodem anno circa finem Augusti maxima fuit tempestas in aëre in conjunctione Martis cum Sole & Luna. Eodem anno Rex Robertus veniens Lucam aliquam moram ibidem contrahit; quibus rationibus octo Milites fecit, & illa die convivium magnum fecit, invitatis dictis Militibus; ac ducentæ Dominæ comederunt cum Regina; & ambo cum corona in capite. Eodem anno circa festum Magdalenæ filius Regis Alamanniæ filiam Regis Bohemiæ accepit in uxorem, quia dicta puella erat heres Regni; unde dictus filius Regis, videlicet Johannes, factus est Rex Bohemiæ, quamvis Bohemi ipsum concorditer non receperunt. Eodem tempore, & anno MCCCX. frater Regis Cypri occisus est, eo quòd fratrem suum Regem Cypri exulare fecerat in Armenia, assumto dominio pro ipso; & inde rediens dictus Rex resumsit dominium. Eodem anno Henricus VII. Rex scilicet, VI. Imperator jam coronatus Aquisgrani, vadit in Italiam circa festum omnium Sanctorum. Et primò vênit Taurinum, deinde in Civitatem Astensem, ibique novitates fecit, sed pacem reformavit. Eodem tempore vênit Vercellas, & idem facit: postea Mediolanum, ubi etiam pacem reformavit cum Turrianis, & Vicecomitibus. Eodem anno, videlicet MCCCX. in quatuor Temporibus circa Natale Domini Clemens V. creavit quinque Cardinales. Fuerunt autem omnes Guascones; Vicecancellarium, qui erat Ordinis Cisterciensis; Camerarium suum, qui fuit Episcopus Albanensis; Archiepiscopum Atrebatensem; & duos suos nepotes, videlicet Dominum Raymundum de Fragiis, & Dominum Bernardum de Samo. Eodem anno Luna fuit conjuncta cum Saturno, & hoc in Scorpione, & aggregavit passiones capitis in cerebro, ita ut homines caderent subitò, aut cespitarent in eodem continenti. Anno MCCCXI. Rex Alamanniæ Henricus VII. Rex, sed VI. Imperator, apud Mediolanum in Epiphania Domini, quod festum Regum appellant, Coronam ferream accepit, quam Archiepiscopus ejusdem loci contulit, licèt ipsam deberet recipere in Modoëtia; sed ex causa fecit. Et eodem tempore Rex prædictus inquiri fecit Civitates Lombardiæ, & Thusciæ de navigio faciendo, per quos diversa dantur responsa. Eodem tempore, hoc est in die Epiphaniæ, quando coronam recepit, ob reverentiam dictæ Coronæ, fecit de diversis nationibus Milites ducentos, cuilibet faciendo donum cum uno equo. Eodem anno, hoc est in Januario facta est conjunctio Martis, & Saturni circa finem Sagittarii, & principio Capricorni: post quam conjunctionem secuta sunt frigora, & nives maximæ, quæ diu duraverunt, cùm primò esset tempus satis temperatum. Eodem anno, hoc est MCCCXI. orta est turbatio in Mediolano, ex quibusdam exactionibus, ut eis videbatur, indebitis; propter quam causam illi de terra pro majori parte exiverunt, & ad sua prædia se colligunt. Eodem tempore Cremonenses propter eamdem causam licentiaverunt officiales Domini Regis. Tunc turbatus Imperator contra ipsos vadit, sed tamdem ad reverentiam redierunt; & ipse ignominiosè ipsos pertractavit. Interim autem pars Thusciæ Guelfa mittit solennes nuntios ad Curiam. Per octo menses ibidem fuerunt volentes se regere Concilio Ecclesiæ contra obedientiam Imperatoris. Eodem anno & tempore Veneti reconciliantur Ecclesiæ, dando Cameræ Domini Papæ centum millia florenorum; sed retardatum fuit usque ad XIII. annos. Eodem anno circa mensem Aprilis Ambassiatores Regis Franciæ concordiam tractant cum Bonifacianis; unde & illi cedunt accusationi, & isti defensioni. Exercitus Regis insuper, & Rex excusatur à captione Domini Bonifacii prædicti multis rationibus, & causis. Sed & Guillielmus de Nogareto absolvitur cum pœnitentia dura; quia adjudicatur passagio ultra mare, & omnibus peregrinationibus, quas consueverunt facere Christiani. Tunc Ambassiatores Regis attulerunt Cameræ Domini Papæ centum millia florenorum quasi pro quadam recompensatione laborum circa dictam causam. Eodem anno & tempore pars Thusciæ Guelfa magnum apparatum facit, videlicet Florentini, Lucani, & Senenses cum ipsarum comitiva; & cum eis etiam Perusini ad obviandum Regi Romanorum pro corona Imperii; ne videlicet per terras eorum transeat, aggregata eis suspicione propter favorem, quem videbatur dare Gibellinis & aliis, dans eis dominia Civitatum, & non Guelfis; faciens eos magis familiares sibi, & consiliarios. Eodem anno scilicet XI. Kal. Maji Brixienses Imperatori rebellant, pars videlicet Domini Theobaldi de Brusatis, & cum quadam desperatione, ita quòd in circuitu Civitatis ad quatuor milliaria, omnia devastarent; ita quòd exercitus Regis nullum haberet refugium ad sui promotionem. Eodem tempore Rex vadit cum exercitu suo contra eos. Tunc exeunt sæpius contra exercitum Regis, & læ-

lædunt. Tunc tamen habebant bonam militiam circa octingentos. Sed accidit, quòd Dominus Theobaldus semel exivit cum certa militia, & insidiis circumventus captus est, & traditus in manibus Regis. Eodem anno, & tempore iteratò Brixienses exeunt de Civitate, & multùm exercitum Regis invadunt, qui fecerunt magnam stragem de gente Regis. Unde illi, qui erant cum Rege, turmatim venerunt ad Regem, & petierunt sibi dari Dominum Theobaldum, ipsumque assumtum interficiunt frustatim, & ignominiosè pertractant. Quod audientes interiores, omnes captivos, quos habebant, suspenderunt ad muros; idem denique fecit gens Regis de suis. Eodem anno venerunt Tartari cum Armenis, & Jorgianis in Syriam, & Palæstinam contra Soldanum; & devictus est Soldanus, occisis de suis ultra decem millibus equitum, Soldano fugato. Eodem anno & tempore post festum Resurrectionis in Romania, hoc est in Achaja, Comes de Brenna, qui factus erat Dux Atheniensium, pugnavit cum Cathelanis, & tenuit secum milites octingentos, & mille inter Archarios, & Balistrarios, & alios pedites; & devictus est ab eis, & multi ex eis occisi, & ipse Comes decapitatus; quod creditur quia Comes injuriosè se habuit quo ad eos, & injusto titulo Ducatum tenebat. Eodem anno Cathelani præfati venerunt usque Thebas, & Athenas, & occupaverunt regionem; terrigenæ verò fugiunt in Nigroponte, qui custoditur à Galêis Venetorum. Eodem anno Ambassiatores Regis Romanorum venerunt ad Curiam videlicet VI. anno Clementis, & petiverunt coronam pro Imperatore. Unde Dominus Papa concessit eam, & pro dicta petitione quatuor Cardinales, unum pro Legato Italiæ, qui semper esset cum eo ad exequendum, misit, qui erant de familiaribus Papæ; tres verò deputavit pro Corona, videlicet Dominum Albanensem, cui nomen Leonardus de Guarcino; secundus fuit Ostiensis; tertius verò Dominus Lucas de Flisco. Erat etiam commissum eis de concordia tractanda cum Brixiensibus, & Rege; sed quantum ad Thuscos reducendos ad Regem, solùm Domino Albanensi, & Domino Lucæ. Eodem anno scilicet MCCCXI. circa principium Augusti frater Regis Romanorum moritur, cujus mors à diversis diversimodè narratur. Quidam alii dicunt, quòd de una sagitta à Brixiensibus, eo appropinquante ad muros, existente adhuc Rege in obsidione circa dictam Civitatem. Alii quòd post illud vulnus morte propria. Post hæc eodem anno Cardinales ad Imperatorem perveniunt, & circa finem Augusti de concordia tractant inter Imperatorem, & Brixienses; sed adhuc non est finis. Primò enim, ut scribitur, posuerunt se in manu Imperatoris, sed postea pœnituerunt. Unde Rex provocatus, statim mandat expugnari Civitatem. Sed malè eidem cessit combustis gattis Regis; & in illa pugna multi ceciderunt de exercitu Regis, sed de Januensibus præcipuè cum ipsorum muschettis. Adhuc autem manentibus Brixiensibus in sua pertinacia iteratò tractant de concordia, & per se, & per suos Capellanos, petuntque Brixienses salvari in persona, & in rebus, & sic se reddiderunt Imperatori; non tamen eis servavit pacta de injuriis. Eodem anno hoc est XI. circa medium Septembris Papa cum Cardinalibus vadit Viennam ad Concilium ibidem celebrandum infra statutum tempus. Post hæc circa medium Octobris constituitur prima Sessio in Concilio; in qua agitur de tribus, videlicet de Templariis; de passagio Terræ Sanctæ; & reformatione Ecclesiæ. Interim autem vocantur Prælati cum Cardinalibus ad conferendum de Templariis; leguntur acta ipsorum ante Prælatos, & in hoc conveniunt requisiti à Summo Pontifice singillatim, ut de Templariis audientiam sinè defensione præstitam habeant. In hac sententia concordant omnes Prælati Italiæ (præter unum) Hispaniæ, Theutoniæ, Daciæ, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ: item Galliæ (præter tres) Metropolitani, videlicet Remensis, Senonensis, & Rotomagensis. Hoc autem actum est sive actitatum in principio Decembris. Eodem anno dum venisset Rex Romanorum Januam, gratiosè est ab eo populo receptus. Tota tamen pars Guelfa Thusciæ apparatum facit contra ipsum apud Sarzanam; militiam mittunt; passus claudunt, ut per terram transire non possit. Eodem tempore Rex Franciæ novitatem facit super Lombardis, qui erant in Regno, & præcipuè contra usurarios. Eodem tempore & anno Rex Angliæ concordat cum Principibus suis, & Petrus de Guasconia, quem ipse fecerat Comitem Cornubiæ, à Regno excluditur, & omnes sui complices pro meliori statu Regni. Eodem anno epidemia magna invadit gentem Regis Romanorum Januæ existentem; extendit se tam ad homines, quàm ad equos, unde Regina ibi mortua est, multique Barones, & alii nobiles. Ex tali etiam epidemia infecti sunt Januenses, & multi mortui sunt. Eodem anno in Decembri Rex Robertus fratrem suum Johannem misit Romam, ad petitionem Ursinorum cum quingentis militibus contra Regem Romanorum. Totam autem militiam misit Calabriam, & Abrutium, ex suspicione Frederici, qui Regi Romanorum videbatur conjunctus. Eodem tempore & anno Parmenses, & Regini contra dictum Regem Romanorum rebellant, favente Domino Giberto. Eodem anno in Decembri Dominus Albanensis Lucæ moritur die VI. Decembris, & in domo Prædicatorum sepelitur.

Anno Domini MCCCXII. Cremonenses exititii cum Marchione de Cavalcabò, & Domino Giberto de Parma rebellant Imperatori; & cum exercitu magno vadunt contra civitatem Cremonensem, adjunctis sibi Reginis; & diu pugnant cum Vicario dicti Regis, & cum Domino Galeatio Mediolanensi, quos postea, favente populo Cremonensi, cum confusione expellunt & damno. Eodem tempore Rex Romanorum Dominum Cavalcabovem cum Domino Giberto & eorum comitiva diffidavit, & bannivit; & hoc idem fecit de Thuscis. Eodem tempore, & mense Februarii, Imperator recedit de Janua, vadit per mare Lerice, & inde Pisas. Militia Thuscorum, quæ Sarzanæ erat, ad obviandum fertur. Is ante suum recessum privilegiavit Januam. Eodem tempore Placentini, Papienses rebellant Imperatori. In mense autem Aprilis cùm dictus Guillielmus Cavalcabò ivisset ad expugnandum quoddam Castrum de Episcopatu Cremonensi, occubuit ibi. Eodem anno, hoc est MCCCXII. in principio Aprilis Ordo Templariorum in Concilio damnatur in personis, & rebus, quorum bona Papa sibi reservavit ex virtute ipsius Concilii, & Collegii Cardinalium. Eodem tempore pars Guelfa de Aste expellit Gibellinam cum adjutorio Senescalli Regis Roberti. Eodem tempore Paduani rebellant Regi Alamanniæ & Romanorum, occasione Vincentiæ, quam Paduanis abstulerat: propter quam causam pugnaverunt cum Veronensibus, & devicti sunt ab eis. Eodem tempore, hoc est anno MCCC-

MCCCXII Robertus multiplicat militiam in Urbe, ad obviandum Imperatori, ne ibidem Coronam recipiat; unde ibidem pugnavit militia Regis Roberti contra Columnenses, & prævalet militia ejus. Tunc Rex Alamanniæ fortificat se Pisis, & Marchiones in favorem Regis Alamanniæ movent guerram Lucanis, quia videbantur impedire adventum Imperatoris. Et eodem tempore Lucanis rebellant aliqua oppida in Lunigiana, sicut Verucula, Tuosi, Sanctus Stephanus. Sed Lucani mittunt exercitum contra eos. Eodem tempore in Concilio filii Regis Franciæ opponunt se Regi Alamanniæ, & impediverunt Bullas Papæ legi, quæ dirigebantur contra rebelles prædicto Regi. Eodem tempore & anno in tota Lombardia maxima exorta est fames propter caristiam victualium, quæ tanta facta est, quòd non est memoria hominum, quòd priùs fuerit. Eodem anno die VI. Maji inter Pascha & Pentecostem Rex Alamanniæ Henricus recedit de Pisis, & vadit versùs Romam per maritimam, ubi priùs damnificaverat aliquos Lucanos in gregibus, quos ibidem in hyeme consueverant nutrire. Toto autem tempore, quo Rex fuit Pisis, quod fuit quatuor menses, nulla novitas est facta inter ipsum, & Thuscos. Veniens autem Rex Henricus Romam, suam gentem locat in Sancto Johanne de Laterano. Eodem anno Rex Scotiæ fortificat se in militia & peditibus; & in magna parte suum Regnum recuperat, occupatum ab Anglicis: quod accidit propter divisionem, quæ orta est inter Barones Angliæ, & Regem, occasione Petri de Guasconia. Eodem anno in Ascensione Domini terminatur Concilium, & Curia statim recedit, & vadit Avinionem. Hoc eodem tempore Barones Angliæ obsident Petrum de Guasconia in Castro novo, quod ad ipsum pertinebat ratione sui Comitatus. Rex verò occultavit se ita, quòd non inveniebatur, & tamdem dictus Comes captus est. Eodem tempore in Lombardia illi de Lombardia cum Dominis de Scala devicti sunt à Cremonensibus, duce Domino Gilberto de Corrigia, & ceperunt tunc trecentos currus oneratos victualibus, quæ portabantur pro exercitu Veronensi. Eodem tempore per Dominum Philippum de Sabaudia talis fraus dicitur esse facta; quòd sub simulatione matrimonii contrahendi, requisivit Comitem Philipponem de Papia, quòd mitteret aliquos ad dictum festum honorandum; qui misit eidem filium suum, & octo de melioribus Civitatis, quos omnes detinuit in carcere. Simile de aliquibus aliarum Civitatum fertur fecisse. Eodem anno occisus est Ricciardus de Camino ab assassino; & nihil potuit sciri quis fuit auctor suæ mortis, quia statim is assassinus fuit frustatim neci datus; succeditque in dominio frater ejus, quia filium non habebat ex filia Ducis de Galura uxore sua, quæ vocata est Domina Johanna filia filiæ Marchionis de Este. Eodem anno citatur Comes Flandriæ ad Parlamentum Franciæ, cui opponebatur, quòd non observasset pacta, quæ in pace Flammingorum intervenerunt. Eodem anno XV. die Maji Rex Romanorum occupat Capitolium, & inde sua gens assumit audaciam ad veniendum ad Sanctum Petrum; descendentesque de Capitolio veniunt versùs domum Domini Gentilis prope Minervam; aperientesque per violentiam vias clausas vallis & fossatis, magnoque impetu, invadunt partem adversam, multosque vulnerant, & occidunt. Cùmque pervenisset ad majores alterius partis, Cathelani cum Thuscis, qui venerunt contra partem Regis prædicti, magnum bellum & atrox inchoant prope domum Domini Gentilis, quæ dicitur Alperia; duravitque certamen ab hora tertia usque ad nonam. Tamdem succumbit pars Imperatoris, magnaque strages facta est, multique Principes ejus sunt occisi, & alii nobiles, inter quos fertur de Episcopo Leodiensi. Inter hæc utraque pars se vallat, & in tantum se fortificant, quòd una pars ad aliam ire non poterat sine periculo; & Imperatore impellente nihilominus exercitant se continuè ad singulare certamen. Eodem tempore capto Petro de Guasconia, post octo dies captionis veniens ad manus Baronum, detentus est ab eis, quia imponebatur sibi, quòd dementasset Regem; insuper quòd totam Cameram Regis spoliasset; & quòd retraxisset eum ab amore Reginæ, quæ filia erat Regis Franciæ, & de pulchrioribus mulieribus Mundi. De quo fertur mirabilem exitum habuisse; cùm enim videret sibi mortem imminere, petivit Fratres ad suam confessionem, & post confessionem advocavit Barones, & sic ipsos alloquitur: *Ex quo* (inquit) *mori me oportet, peto ut mihi liceat disponere de me ipso. Primò ego indulgeo omnibus, qui me læserunt infamia de infami peccato.* Deinde petivit à Baronibus Capellanos, qui celebrarent in perpetuum pro anima sua, & à diversis fuerunt oblati quinque. Abinde posuit se in feretro, & tamquam mortuus esset, fecit eo vivente celebrari Missas de mortuis. Missis autem dictis, rogavit Barones, quòd antequam decapitaretur, perforaretur gladio in pectore & renibus, & circa cor, & sic mortuus decapitationem non sentiret: quod & factum fuit. Eodem tempore & anno Imperator attentat cum gente sua ire ad Sanctum Petrum, & invadit aliam partem in quinque locis; sed malè cessit eidem, quia altera pars, scilicet Regni Roberti, multum bene erat munita, & incastellata; unde cum balistis perforabant eos, & vitantes bellum campale pro majori ipsorum securitate, credentes Imperatorem, sive gentem ejus, ex defectu victualium & expensarum vincere. Interim tamen Rex, sive Imperator munivit se gente & vallis; & alia pars magis; & ambo stant in fortilitiis suis. Eodem anno in Italia facta est epidemia quasi per totam. Eodem anno in festo Sanctorum Petri & Pauli, quia in Sancto Petro Henricus Imperator coronari non potuit propter adversarios, fuit coronatus à tribus Cardinalibus videlicet Legato, Domino Ostiensi, & Domino Luca, de mandato Papæ in Sancto Johanne de Laterano. Eodem tempore modicâ morâ ibi contractâ recedens vadit versùs Tudertum, ubi cum ipsis intravit territorium Perusinorum, & damna multa eis infert. Perusini verò ex suspicione civium suorum non fuerunt ausi exire contra Imperatorem. Inde vênit Aretium, & ibidem quasi nullâ morâ contractâ, intravit territorium Florentinorum. Eodem anno videlicet MCCCXII. Rex Castellæ moritur in exercitu contra Saracenos, acquisitis aliquibu Castris Regni Granatæ. Eodem anno Principes Angliæ convenerunt contra Regem apud Londonias post mortem Petri de Guasconia, requirentes eum super ordinationibus factis in Parlamento de beneplacito Regis pro bono statu Regni. Et quia Rex videbatur turbatus de morte Petri, Legatus Domini nostri Papæ missus est, & Ludovicus frater Regis Franciæ existens cum dicto Rege, tamdem se interponunt ad concordiam faciendam. Eodem tempore Imperator veniens de Roma, ipso jam coronato in Imperio,

A rio, intravit territorium Florentinorum, & vênit ad montem Grachi, qui modica expugnatione reddiderunt se sibi. Quibus omnibus donavit immunitatem ad certum tempus. Et deinde recedens vênit Ancisam, ubi resistentiam per Florentinos, & bellum habuit, & aliqui mortui; ultimò tradiderunt se sibi. Ab inde usque ad Sanctum Salvium descendit sub spe habendi Florentiam, ut creditur. Ibi se fixit cum duobus millibus militum, & quindecim millibus peditum, & castrametatus est, contrahens ibidem moram per mensem cum dimidio, nec aliquam habuit resistentiam, licèt multoties fuerit dictum, quòd interiores exirent ad pugnandum cum ipso, quia erant in duplo quàm ipse; ubi B convenerant Lucani, Bononienses, & Romagnioli, & Senenses cum aliis. Tamdem Imperator recedit de Sancto Salvio, & vadit ad Sanctum Cassianum, ubi per mensem Novembris & Decembris moram fecit; & in Octobri recessit de Urbe. Eodem anno Luna passa est eclipsim XV. die Decembris, circa principium noctis. Fuit quasi tota eclipsata. Anno sequenti Papa vocavit quosdam Religiosos, inter quos erat schisma. & dedit sententiam contra eos; & quosdam illius Ordinis absolvit ab officio; quosdam autem pœnitentiavit, quia non fuerant obedientes eidem, immo appellaverunt contra ipsum. Ab inde fecit legi Constitutionem super capita eorum, in qua multum arctabantur. C Eodem anno idest MCCCXII. mense Decembris in IV. Temporibus fecit Papa Clemens IX. Cardinales, inter quos quatuor fuerunt Doctores Juris, videlicet Archiepiscopus Aquensis, qui modò vocatur Penestrinus, Episcopus Avinionensis, Biterrensis, & Abbas Sancti Severi. Duo verò alii fuerunt Magistri in Theologia, unus de Ordine Prædicatorum, qui legebat in acro Palatio Curiæ, dictus Frater Guillielmus Petri de Bajona, alius Frater Minor de Justo dictus Frater Vitalis; alii duo fuerunt familiares Papæ, sed unus fuit Baccalarius in Theologia, & secularis.

Anno Domini MCCCXIII. in Januario nuntii Imperatoris veniunt ad Curiam pro ratificatione coronationis, quam Imperator in Urbe ac- D ceperat. Eodem anno & mense Ecclesia concedit dominium Ferrariæ Regi Roberto, annuo censu ad ipsius beneplacitum. Eodem anno Veneti reconciliantur Ecclesiæ, solvendo eidem C. millia florenorum; obligant se per juramentum, & sub certa pœna, de non reædificando Castrum dictum Mercabò. Eodem anno in fine Januarii Imperator transfert suum exercitum ad Podium Bonizi, sive Pogibonzi contra Collem, & Sanctum Geminianum; dictumque Castrum de Podio Bonizi reædificatur. Fertur autem quòd Imperator ascendit dictum Castrum, & in omnibus angulis primum jecit lapidem; sed in porta Orientali unum annulum E meliorem, quem habebat in digito, ibidem perfundavit. Eodem anno & mense Imperator recedit de Castro Bonizi propter defectum victualium, & epidemiam, & vênit Pisas, ubi quæstionem movet Pisanis super quadam summa pecuniæ, quam eidem promiserant. Eodem anno Princeps Tarentinus, filius Regis Caroli, accepit duas filias Domini Caroli fratris Regis Franciæ, & unam copulavit sibi, alteramque suo filio. Accepit in dotem Regnum Thessalonicense; mater enim earum filia fuit Imperatoris Balduini, cui Imperium abstulit Palæologus; & quia una de dictis filiabus desponsata erat secundogenito Ducis Burgundiæ, dispensatum fuit; ab inde accepit in uxorem filiam Comitis Hannoniæ, & Princeps eidem concessit Principatum Achajæ, quem in dotem assignavit dictæ filiæ Comitis. Eodem anno & mense post octavas Paschæ Clemens V. Cœlestinum V. qui Papatui cessit Anno Domini MCCXCV. (cui successit Bonifacius VIII.) per longum tempus de vita & miraculis inquisitione præhabita, sub Catalogo Sanctorum annumerat, mandatque ipsum vocari Sanctum Petrum Confessorem, quia sic vocabatur ante Papatum, videlicet Frater Petrus de Morone: per quod videtur dictus Dominus Clemens ratificasse renuntiationem, quia noluit ipsum vocari Cœlestinum. Eodem anno oritur tribulatio inter Barones Castellæ post mortem Regis, eo quòd reliquerat filios teneros; & facta est contentio super tutela primogeniti. Nihilominus tamen omnes juraverunt fidelitatem prædicto puero. Eodem anno Imperator bannivit Regem Robertum, & privavit terris Imperii, & omni honore; & quicumque vellet de bonis ejus posset occupare; & absolvit omnes milites, & Barones suos à fidelitatis juramento; & hoc fuit circa Pascha. Interim fiunt concertationes particulares, & modò uni parti malè cedit, & modò alteri. Eodem tempore Senescalchus Regis Roberti prævalet contra partem Imperii in Pedemonte, & contra Marchionem Montisferrati; magnamque gentem capit & occidit. Eodem anno, hoc est MCCCXIII. in Pentecoste, Parisiis fit festum solennissimum, quia Rex fecit Milites filios suos. Cum eis facti fuerunt Milites multi, & ut fertur, inter Barones, & Principes circa mille. Ad istud festum vênit Rex Angliæ, & Regina, quæ erat filia Regis Franciæ. In hoc festo fiunt multa singularia. Primò quia propter multitudinem non permittitur aliquem equitare. Fit molendinum, quod molit Sterlingos. Fit aquæductus de Vino, & de Varnasio. Burgenses Parisienses fecerunt nemus de omni genere animalium. Rex autem post festum accepit Crucem de manu Legati, & ipse, & filii, & Rex Angliæ, & quasi tota Baronia. Tanta autem est ostensa amoris affectio inter istos duos Principes, quòd vix lingua explicare posset; & quòd sic se haberent sicut pater, & filius, & unus alteri faveret in suo regimine, sed præcipuè Rex Franciæ, quòd non nisi in (*) evidentissimis causis appellationi deferret. Eodem tempore gens Imperatoris intravit Vercellas, & Gibellini intraverunt Petram Sanctam, & ceperunt Sarzanam burgum & castrum. Circa paucos verò dies venerunt XII. Galeæ Regis Roberti, & ceperunt omnes barcas, quæ portaverant victualia genti Imperatoris. Eodem tempore jam coronatus, ut supra patet, recedit de Pisis, & vadit Romam cum militia magna, relinquens Civitatem Pisanam bene munitam; Et eodem tempore Imperator concessit Pontem Tremulum illis de Flisco. Eodem tempore circa mensem Augusti Imperator in Comitatu Senensi existens apud Bonconventum, & quasi languens, infirmatur, & moritur; & ut dicitur multum devotè; delatumque est corpus ejus Pisas. Moritur autem XXIV. Augusti morte naturali; quamquam aliqui malivoli dixerunt, quòd fuit datum sibi venenum in Eucharistia. Infirmitas autem ipsa incœpit ab apostemate in costa; inde vênit ad febrem, de qua decima die moritur,

(*) *In marg.* arduissimis.

tur, ſicut à fide dignis accepi, qui fuerunt præſentes. A Eodem anno circa principium Septembris Papa Clemens fecit conſtitutionem, in qua promulgat ſententiam excommunicationis contra omnem hominem, qui armata manu hoſtiliter intraret Regnum Apuliæ, ſive ratione terræ lædendæ, ſive capiendæ, ſive ratione Regis Roberti, ac ſuorum ſubditorum. Hæc autem ſententia ſic lata eſt; attamen aliqui opinati ſunt, & conſuluerunt Imperatori, quòd non incideret in ſententiam, ſi iret contra perſonam, & non contra Regnum. Eodem tempore poſt mortem Imperatoris Dominus Clemens Regem Robertum Senatorem conſtituit Urbis. Eodem tempore, hoc eſt III. die Decembris in XI. hora Luna paſſa eſt Eclipſim, & fuit particularis, & cinericia. B

Anno Domini MCCCXIII. poſt mortem Imperatoris convenerunt Electores ad locum deſtinatum; ſed non potuerunt convenire. Unde inde diſcordes receſſerunt. Eodem tempore in Januario, & uſque ad Februarium, fuerunt nives & frigora magna ſecuta poſt conjunctionem Planetarum, videlicet Jovis cum Marte, & oppoſitionem ipſorum cum Saturno, & Eclipſi Lunæ. Eodem anno in Kalendis Martii in Carpentorato, ubi Curia tunc erat, apparuerunt tres Soles in Oriente; unus in Oriente naturalis, duo in Meridie, unus naturalis, & alter contra curſum naturæ, & diu duraverunt; & quilibet duos radios emittebat. Eodem tempore C XIV. dicti menſis publicatæ ſunt quædam conſtitutiones factæ in Concilio Viennenſi, quæ jam dicentur. Quarum una fuit declarativa eorum, quæ ad Imperatorem pertinebant; circa Papam videlicet, quòd tenetur ad juramentum præſtandum Papæ de obſervando eum, & ipſius jura; & ſunt duo: Unum, quod debeat facere, antequam Romam veniat, & habetur in Decreto diſt. LXIII. Cap. *Tibi Domino*: Secundum eſt, quando vènit Romam pro aurea Corona; quod quidem juramentum continetur in Pontificali Domini Papæ. Secunda Conſtitutio fuit, quòd poſt mortem Papæ in Civitate, ubi eſt audientia, fiat electio, ſi Papa moriatur extra locum audientiæ. Tertia fuit de Sancta Trinitate, in qua fit confeſſio fidei. Quarta fuit de revocatione ſententiæ Imperatoris contra Regem Robertum; ſed iſta non fuit facta in Concilio, ſed tunc quando in ſcriptis revocavit omnem proceſſum factum per Imperatorem contra Regem Robertum. Inſuper conſtituit Dominum Robertum Vicarium in Italia in tota terra Imperii. Eodem tempore XII. die Aprilis Clemens V. occaſione ſuæ infirmitatis, de Caſtro novo, quod eſt Epiſcopatus Avinionenſis, accedere versùs Burdigalam ſe diſponit. Eodem anno in Cœna Domini factus eſt proceſſus contra Mutinenſes, & exititios Bononienſes, & alios de Romandiola, & Mantua, propter hoſtilem impugnationem Vicarii Marchionis, nepotis Papæ Clementis, qui Vicarius vocabatur Raymundus Achotus de Aſpello, & qui antea fuerat Comes in Romandiola. Hic veniebat cum theſauro Eccleſiæ, & Marchionis prædicti, & in magna ſumma; & dictus Vicarius erat cum XL. perſonis; & cùm aſſecuratus eſſet, nulla fide ſervata, occiderunt eum prope Mutinam, & omnia bona rapuerunt. Eodem anno die XII. Kal. Maji Clemens V. moritur in quodam Caſtro Regis Franciæ, quod dicitur Rochamaura. Fuerat autem multo tempore infirmus de torſionibus, ex quibus perdidit appetitum, immo interdum patiebatur fluxum; & per ipſum mitigabantur torſiones. Interdum verò patiebatur vomitum, & ſic de talibus paſſionibus moritur; nec umquam poſtea ſanus, poſtquam Conſtitutionem contra Religioſos mendicantes renovavit, ſicut audivi à ſuo Confeſſore digno fide.

Et huc uſque ſcripſit Hiſtoriam ſuam Dominus Frater Thomas Tholomæus de Luca Ordinis Prædicatorum, & non ulterius. Quæ autem ſequuntur, ex aliis fide dignis Hiſtoriæ Scriptoribus Summorum Pontificum, qui poſt eum ſcripſerunt in diverſis modis, & locis, fideliter & accuratiſſimè collecta ſunt.

PTOLOMÆI LUCENSIS EPISCOPI TORCELLENSIS

BREVES ANNALES

AB ANNO MLXI. AD ANNUM MCCCIII.

ANTEA EDITI,

Nunc verò diligentiùs recusi,

Suppletis ut plurimùm lacunis ex ejuſdem Hiſtoria Eccleſiaſtica nunc primùm vulgata.

IN BREVES ANNALES PTOLOMAEI LUCENSIS

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

EN alterum Ptolomaei Lucensis Episcopi Torcellani Opus, nempe breves Annales, quos ipse ab Anno 1061. quo Alexander II. Romanus Pontifex est renuntiatus, deduxit ad Annum usque 1303. tum sacras tum civiles res persequutus. Ii primum evulgati fuere Lugduni Anno 1619. typis Jacobi Roussain in 8. Rursus autem lucem videre Anno 1677. in maxima Bibliotheca Patrum apud Anissonios Lugduni pariter impressa Tom XXV. pag. 949. Usus autem est primus editor Codice, ut is ait, carie multis in locis corroso; ac proinde lacunae quaedam in Libri textu identidem occurrunt, quas lubentissime sustulissem, si conquisitum integrum Codicem alicubi fortuna mihi obtulisset. Quod unum praestare potui, hoc indico. Nempe ad aliquot ex hisce lacunis implendas, quum alia deessent exemplaria, usum me fuisse Historia Ecclesiastica ejusdem, quae nondum typis excusa fuerat, quamque in hoc tomo primus ego vulgavi. Ceterum si in Ecclesiastica Historia Ptolomaeus noster Anachronismis ad saturitatem, aliisque erroribus abundat, ne heic quidem immunis ab iis incedit. Sed nihil ejusmodi naevi obstant, quo minus illius Annales tamquam perutiles ad eorum temporum Historiam, & praecipue ad Lucensem, immo & ad totius Thusciae, sint grato animo adhuc excipiendi. Multa tamen heic nobis occurrunt, quae in supra edita Historia repetita quisque animadvertere potest. Unum postremo loco Lectorem monitum volo; scilicet ad Annum 1254. laudari in hisce Annalibus *Sozomenum Pistoriensem* Historicum, cujus auctoritate Florentinorum ac Lucensium proelium felix contra Pisanos narratur. Et quidem ex hoc etiam loco Vossius, Caveus, & alii intulere, Sozomenum Ptolomaeo aetate praecessisse; eumque propterea floruisse circiter Annum 1290. communis Literatorum opinio statuit. Eram & ego olim in eadem sententia, & praesertim quod in vetusto Ambrosiano Codice illius Historiam, ut ex indice Capitulorum constat, desinere intuebar in electionem & coronationem Bonifacii VIII. Papae. At demum deprehendi, atque inconcussis rationibus jam teneo & affirmo, Sozomenum Pistoriensem vixisse & scripsisse circiter Annum 1430. ac proinde male assutam fuisse Ptolomaei Annalibus laciniam illam. Aliquis, ut fieri solet, in margine Codicis adnotaverit, quae ad Annum 1254. Sozomenus tradiderat; atque haec adnotatio Librarii posterioris incuria in textum ipsum Ptolomaei irrepserit. Quare parenthesi circumscriptum locum illum volui in praesenti editione, uti a Ptolomaei Historia prorsus alienum. Cur vero Sozomeni aetatem longe serius quam hactenus existimatum est collocandam putem, tunc Lector accipiet, quum ex immani illius Historia MSta eam partem evulgabo, quae sola mihi visa est luce digna. Habeat interim Lector, quidquid ad Ptolomaeum spectat.

EX BIBLIOTHECA PATRUM LECTORI MONITUM.

NOn miraberis absque dubio rude scribendi genus, & librum hunc multis plenum erroribus, si primum temporum illorum conditioni ascripseris, quibus magis vigebant bella, quàm studia; alterum autem religioni nostræ, qua nefas duximus exemplar vetustissimum, ac venerandum, quamquam multis locis carie corrosum, & amanuensis pariter inscitia depravatum, novitate aliqua depravare magis, quàm corrigere; atque ideo lacunas, licèt commodè aliquando possemus, explere noluimus. Illud quidem nostri officii visum est, curare nonnulla ad latus reponenda, si quando antiqua & perversa scriptura nimis de perspicuitate, seu veritate detraheret. Tu nostris consiliis fave, & Auctorem per trecentos ferè annos expetitum solita benignitate complectere.

AUCTORIS ELOGIUM.

PTolemæi Lucensis non obscurum per se genus ac nomen, licèt aliqua ex parte cum Scriptorum incuria, tum temporum illorum tenebris involutum. Religio tamen & doctrina tantopere illustrarunt, ut plerique; in literis versati, lucem ab illo desumpserint, & complures non infimæ classis Auctores (*) fidem & auctoritatem, quamquam latentis agnoverint. Abdiderat ille se se junior adhuc in vitam solitariam sub Divi Dominici norma Deo inserviturus, cùm in prima statim adolescentia, quemadmodum sanctissimis moribus, divinaque Sapientia Thomæ Aquinatis disciplina imbutum decebat, usque adeò præstantis ingenii, & aciem mentis intendit, ut æmulatione doctrinæ Magistri sanctitatem in se ipso conaretur exprimere. Verùm Divina Providentia ingentium animorum, ut plerumque contingit, adjutrix, ad summum perfectæ sanctimoniæ culmen aspiranti, longè altiores quàm tunc percurreret, gradus religionis pietatisque despondens, eundem jam religiosæ gravitatis & Doctrinæ fama conspicuum, è privatis sociis, ad publicum Torcellensis Ecclesiæ regimen accivit. Hic tanquam in sereno Cœlo majori luce virtutis effulgens, Bibliotecæ Vaticanæ Præfectus, humanis disciplinis potuit mentem illustrare magis, & Christianæ prodesse Reipublicæ, quod deinde scriptis effecit Annalibus. Nullis igitur inter homines vanæ ostentationis, vel fucatæ probitatis nubibus obductus, jam virtutum omnium signa percurrerat, cùm terrena hac exutum mole, claris præcintum radiis Patriæque lucem immensam allaturum, supremus conditor meliore Cœlo reposuit.

(*) Blondus lib. 13. Platina in Lucii III. Volaterran. lib. 20. Baron. tom. 12. pag. 491.

ANNA-



ANNALES PTOLOMÆI LUCENSIS EPISCOPI TORCELLENSIS.

SAlomone attestante didicimus in Proverbiis, quia *lætatur homo sententia oris sui, & sermo opportunus optimus est*. Ex quibus verbis ostenditur fructus Scripturæ secũdùm duos fines, ad quos ordinatur; unus sumitur ex parte scribentis, quia hoc proprium hominis est, ut delectetur in opere suo, sicut idem Salomon dicit in Ecclesiaste; *Hoc*, inquit, *mihi visum est homini, ut fruatur habere lætitiam ex labore suo, quo laboravit sub sole*; & si hoc habet veritatem in opere humano affixo naturæ inferiori, multo magis in opere intellectuali, quanto altior est operatio; & hoc est opus scribentis, quod ab actione intellectuali procedit: etenim ex hoc verificatur sententia Sapientis præfati, quia *lætatur homo sententia oris sui*, sive quando scribit, aut profert, sive pronuntiat; secundus autem finis ordinatur ad audientem, vel legentem, quod plurimum delectat, sive legendo, sive audiendo, si intelligantur audita, vel lecta: assimilat enim Seneca in Epistola ad Lucillium, Scripturam cibo, à quo & auscultatio eloquii non discordat, dicente Domino: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*: in cibo autem adgeneratur delectatio, quando variatur; sic &

A de Scripturis contingit, quia plus delectant, quando per successum temporis, novi referuntur actus & gesta sive Principum, sive Civitatum, seu alicujus primariæ personæ, propter sui excellentiam operis. Et quidem demonstrant verba sequentia auctoritatis propositæ, cùm subdit; *& sermo opportunus optimus est*: tunc enim opportunus sermo optimus dicitur, quando delectabiliter legitur, vel auditur; quod constat vel ex sermonis materia, quæ sui natura suavitatem adgenerat, ut de cœlestibus, divinisque quando habetur notitia, ut Philosophus dicit in 9. de Animalibus, *desiderabilior, & de-* B *lectabilior, quàm imperfectissima cognita de minimis, & inferioribus rebus*: vel constat delectatio ex ipsius novitate rei, tanquam singularis, & insoliti cibi, qui à discumbentibus avidiùs sumitur; quia idem talis sermo sic opportunus, hoc est, proportionatus auditoribus debitè optimus efficitur . . . . gesta Principum, ac Summorum Pontificum, sive Civitatum, sive Castrorum, quia . . . . . . prædicta continent, vel ex parte scribentis, sive legentis: aut audientis, quia . . . . de ipsis aliquid tradere; sed quia sermonis diffusio sæpiùs fastidium generare solet, sicut testatur. Sanctus C Gregorius; *alimenta dum minùs porriguntur, sumuntur suaviùs*; à ducentis & quadraginta annis, vel circa, præfata gesta sumemus, incipientes ad Alexandro Papa Secundo, qui fuerat ante Lucensis Episcopus, & ab Henrico ejus contemporaneo Imperatore, quantum reperitur ex Chronicis Riccardi Cluniacensis, Gottifredi Viterbiensis, Fratris Martini (*) . . . . & ex gestis Florentinorum, & Lucensium, ac in

(*) *Intellige* Poloni.

in ipsorum registris, Deo auctore, quæ ut infra . . . . sermonis eloquentiæ, sive scripturæ.

Anno igitur Domini 1063. Episcopus Lucensis, cui nomen Anselmus, natione Mediolanensis, mortuo Nicolao Papa Secundo, qui fuerat Episcopus Florentinus, à Cardinalibus concorditer in Summum Pontificem assumitur, & Alexander Secundus est appellatus, qui ante per tres annos Ecclesiam Sancti Martini fecerat augmentari, & multùm meliorari.

Eodem anno exortum est schisma ex dicta electione: nam convenerunt omnes Episcopi Lombardiæ planæ, quæ olim Liguria, & Æmilia vocabatur, cum suis Metropolitanis, & elegerunt in Papam Episcopum Parmensem, cui nomen Cadulus; in principio sui Henricus Imperator videbatur eidem favere, & adversari Alexandro.

Eodem anno idem Alexander videns se in arcto positum, Lucenses quidem sibi primò conjunxit amore, & statuit in vita sua nullum Episcopum habere, sed ipsum sibi manualiter reservavit, & quasi peculiarem populum.

Anno 1064. Cadulus Antipapa exercitum congregat Lombardorum, & cum favore Henrici præfati (*) . . . . Alexandrum, ut sibi idem Sedem Papalem constituat; sed non proficit, immo cum multa confusione recedit, & personarum damno.

Eodem anno Alexander civitatem Lucensem multa dignitate nobilitat: nam primò tribuit ei bullam plumbeam pro sigillo Communitatis, ut habet Dux Venetorum. Ecclesiam S. Martini speciali decorat gratia, ut Canonicos dictæ Ecclesiæ mitratos habeat in Processione Regulari, & sicut Cardinales incedant, sicut Ravennæ, & in Ecclesia S. Jacobi de Galitia, quæ Compostellana vocatur.

Anno 1065. Comitissa Mattilda eidem scribit literas multùm familiares; eidem adjutorium promittens juxta posse contra omnem Principem, & quamcunque gentem: & ab ipso petit unum Clericum honestæ vitæ, & gratiosæ conversationis, ac consilii sani, qui ipsam posset dirigere in agendis.

Hæc autem Comitissa filia Domini Bonifacii Marchionis Thusciæ, & Lombardiæ, secundùm Ordinationem Imperatorum; sic enim tunc vocabatur Dominus dictarum terrarum, ut etiam hodie in Picena regione, & in Marchia Spoletana Duces. Hæc etiam Comitissa in tantum potentissima Domina, quòd pugnavit sæpiùs contra Imperatorem Henricum, & ipsum devicit; Domina multæ devotionis ad Romanam Ecclesiam.

Anno 1066. Alexander ad instantiam dictæ Comitissæ tradit eidem unum Clericum sibi familiarem, qui dictam Comitissam in devotione Ecclesiæ conservaret; quod factum fuit, cui nomen Anselmus, qui usque ad mortem domum ejus gubernavit, & ipsam in agendis direxit, qui postea fuit Lucensis Episcopus, ut infra patebit. Eo tempore imperabat Henricus Tertius in genealogia Imperatorum, filius Corradi primi. Hic veniens in Italiam, Pandulphum Principem Capuanum, ex quibusdam excessibus per eum commissis, in Alamanniam secum ducit, ipsumque ibidem captivat, substituens in eodem loco pro ipso Comitem Theatinum.

Eodem anno Henrico recedente in Theutonicam, Cadulus iteratò Romam invadit, &

A bellum durissimum cum Romanis habuit, & militia Comitissæ Mattildæ in Pratis Sancti Petri, faventibus Alexandro, tandem Cadulus in bello succumbit, & confusus recedit cum amissione multorum de suis, tam in morte, quàm in captivitate.

Anno 1067. Henricus Tertius moritur, reconciliatus Ecclesiæ, & suum delictum cognoscens circa favorem Caduli.

Et eodem anno Romæ cujusdam gigantis corpus repertum est integrum, nomine Pallantis, qui fuit filius Evandri, cujus vulnus hiatus, ubi vulneratus fuerat, tres pedes & semis habebat; corpusque ejus altitudinem turris vincebat, ut scribit Martinus. Lucerna verò ad caput ejus

B inventa est, quæ nec flatu extingui poterat, nec liquore, sed cum stilo foramine subtus flammam facto, extincta est aëre per illud foramen introducto. Hunc autem dicitur Rex Turnus, qui fuit Rex Thusciæ, occidisse, tempore adventus Æneæ ad fontes Tiberinos, post destructionem Trojæ, cujus notitia habita ex Epitaphio, quod in suo habebat sepulchro, quod tale fertur fuisse;

Quem lancea Turni militis occidit more suo, jacet hìc.

Eodem anno Henricus Quartus regnat in Theutonia, qui multo tempore regnavit, & aliquando favorabilis, aliquando hostis fuit Ecclesiæ, sicut processu temporis apparebit. Hic

C primùm vênit Romam, & obsedit civitatem Tyburtinam, ipsamque capit, multùmque damnificat.

Eodem anno fuit fames valida in universa Italiæ regione; multi autem præ inœdia mortui sunt. Hic Henricus cum Alexandro amicitiam contrahit, eundemque Imperatorem confirmat.

Anno Domini 1068. Henricus de Roma descendens in Thusciam, & Lombardiam, omnes fautores Caduli expugnat; quod videntes amici ejusdem, ad Mandatum veniunt, & ad gremium Ecclesiæ se recolligunt, quos dictus Henricus recipit, & Alexandro Papæ per solemnes nuncios scribit rem gestam, & ut ad prædictas regiones se transferat, Ecclesiam redintegraturus, & oves errantes ad caulas reducturus gregis.

D Acceptat Summus Pontifex præfati Principis sollicitudinem providam, & persuasionem clementem, & piam; sicque ad eundem in Lombardiam se parat.

Anno Domini 1069. dictus Alexander eum favore memorati Henrici ad dictas vadit partes, transiensque per Lucam, gloriosè ibidem susceptus est, totaque militia dictæ Civitatis, vel saltem honorabilior ipsum deducit, quæ insequuta est ipsum usque in partes Lombardiæ.

Eodem anno Alexander Concilium celebrat apud Mantuam, præsente dicto Imperatore, omnesque Episcopos schismaticos cum Cadulo ad gremium Ecclesiæ refert, ipsosque sibi re-

E conciliat, totumque populum sibi faventem, contraxitque moram in toto spatio illius anni in dicta regione, pro majori firmitate pacis & unitatis.

Eodem tempore in Africa, ut scribit Riccardus, Marrochus civitas nobilissima aggreditur à Mauris, qui Mauritaniam possident Provinciam.

Eodem etiam tempore Philippus filius Henrici Regis Francorum super eosdem regnat, qui quartus fuit ab Ugone dicto Caped, Duce Aurelianense, ut Riccardus refert, per quem cum consensu Principum susceptum est regnum Franciæ: de-

(*) *Supple ex Ecclesiastica Historia ejusdem Ptolemæi:* armata manu vadit Romam contra Alexandrum.

deficiente verò stipite Regni præfati, à quo omnes Reges præteriti descenderunt prædicti Regni.

Anno Domini 1070. Henricus Imperator transit in Germaniam, ibidemque multas committit pugnas cum Dacis, Boëmis, & Polonis.

Eodem anno Alexander recedit de Lombardia, & venit in Thusciam, & apud Lucam residentiam facit, tamquam in loco, scilicet, in quo suus versabatur effectus.

Eodem dictus Alexander, cum 23. Episcopis, & innumerabili multitudine Cleri, & Populi, tam Lucensis, quàm aliorum, qui Curiam sequebantur, & de Concilio venerant supradicto diversarum Provinciarum, consecravit Ecclesiam Sancti Martini, magnisque Indulgentiis ipsam decoravit & magnificavit.

Eodem anno dictus Summus Pontifex dignificavit Episcopatum Lucensem, Cruce coram Episcopo ferenda sicut coram Primate.

Anno 1071. Alexander prædictus Romam vadit cum tota curia, ibique moram facit usque ad mortem.

Circa idem tempus, Robertus Guiscardi, natione Normannus, cum sua gente invadit Apuliam, & Siciliam occupatam à Saracenis. Et quia dicta terra manualiter erat Ecclesiæ, tradita eidem per Constantinum, & Carolum Magnum, ideo volebat Ecclesia, ut dictam terram Robertus ab ipsa recognosceret, & de ea homagium faceret; in quo facto inter ipsum & Ecclesiam aliqualis discordia est exorta.

Anno 1072. Normanni, qui venerant cum Roberto, hoc audientes, sicut homines fastuosi, & quibus fastus superbiæ à Gallicis atribuitur, provocati ex prædictis, de Apulia recedentes, venerunt in Campaniam, & terras invadunt Ecclesiæ, contra quos vadunt in subsidium Ecclesiæ Gottifredus Dux Spoletanus, & Militia Comitissæ Matildæ, ipsosque fugant de confinibus Ecclesiæ, & ipsi cum confusione recedunt.

Eodem anno tradit quædam Chronica Summorum Pontificum Alexandrum mortuum, & sepultum in Ecclesia Lateranensi, & hoc idem dicit Gottifredus Viterbiensis, quamvis Martinus videatur plus dicere, quòd videlicet vixerit 11. annis, alii quòd 17. sed gesta sua cum istis magis concordant.

Anno 1073. in fine anni Ildebrandus natione Thuscus, patria Senensis, propter laudabilem vitam suam in Papam eligitur, qui est Gregorius VII. nuncupatus ex Cardinalibus.

Hic Imperatorem Henricum Quartum in principio contrarium habuit, propter quam causam dictum Imperatorem, cum Concilio 110. Episcoporum ipsum excommunicat, eo quòd Romanæ Ecclesiæ videbatur unitatem scindere, favens schismaticis, de quibus infra dicetur.

Eodem anno dictus Henricus ad misericordiam Ecclesiæ se convertit, & pacem petit, quam & consequutus est sicut mos est Ecclesiæ, ut piæ matris: tradunt tamen, videlicet Martinus, & alii, quòd in pœnitentia tali suppositus est, quòd inter nives stetit per aliquod spatium, nudis pedibus, & Papa Gregorius eidem post eam omnem pœnitentiam remisit.

Anno 1074. Imperator Henricus in Theutoniam vadit, ibique per aliquod tempus quiescit, sicut in re sibi peculiari.

Hoc tempore tale fertur accidisse monstrum in partibus Schityæ, de quodam Principe. qui cùm sederet in convivio, subitò à multitudine murium circumvallatur, & cùm venissent in

A tanto numero, de nullo curabant, nisi de isto, ille autem volens effugere murium infestationem, quamquam intravit naviculam, & in mari se ponens, à terra se elongabat, quod quidem facere non potuit, ut Martinus refert, cùm mures ipsum insequerentur, applicantesque navi, ipsam corredebant, quòd videntes nautæ, ad portum coguntur redire, & subitò murium multitudo ipsum circumstant, & cum illis qui mare intraverant, dictum Principem sic invadunt, quòd ipsum occîdunt, perforantes interiora ejus usque ad cor, & ipsum cor perforantes, & corrodentes, quo mortuo ipsum totum consumunt.

Quòd si causa quæritur, esse potuit, vel con-
B stellatio, vel Dei judicium. Fertur etiam, ut refert idem Martinus, quòd si leopardus vulneret hominem, mures, qui sunt in partibus illis, hominem invadunt, & in loco vulneris ipsum demingunt. De quodam etiam Principe legitur, quòd à pediculis sit consumptus.

Anno 1075. Schisma publicatur in Lombardia; nam apud Brixiam convenientes Episcopi, & alii Prælati, Archiepiscopum Ravennatem Papam faciunt, cui nomen Gilbertus, quem vocabant Clementem.

Isto anno dicunt aliqui Alexandrum mortuum; sed prima sententia melior, & verior est.

Anno 1076. Henricus Imperator recidivat in Gilbertum, veniuntque in Lombardiam, ipsum
C tanquam Papam adorat, & reverentiam facit, ac cum ipso Romam vadens, ab eodum coronam Imperialem assumit, ibique Papam Gregorium inveniens, ut scribit Martinus, & Gottifredus, ipsum in Castro Sancti Angeli includit cum omnibus Cardinalibus: conceperat enim odium contra ipsum propter duritiam, quam ostendit in prima sua reconciliatione.

Eodem tempore venerunt Romam cum dicto Antipapa, principales Episcopi de Lombardia, videlicet Bononiensis, Brixianus, Mutinensis, Cerviensis, & quidam alii, qui præfatum Antipapam Romæ consecraverunt, ibidemque se pro Papa gerebat Gregorio cum Cardinalibus
D in Castro Sancti Angeli interclusis, per potentiam Henrici existentis ibidem.

Tunc Gregorius convocat amicos Ecclesiæ, & requirit videlicet, Comitissam Mattildam, & Robertum Guiscardi, qui jam cum Ecclesia concordaverat, & Apuliam, & Siciliam, cum beneplacito Ecclesiæ, pacificè possidebat.

Anno 1077. Robertus Guiscardi, cum sua Militia, & exercitu magno vênit contra Henricum Imperatorem, & suum Antipapam: quod audiens Henricus, cognoscens Romanos sibi esse contrarios, cum sua gente, & suo Antipapa fùgit de Urbe, destructo Capitolio, & civitate Leonina, vênitque Senas.

Robertus autem veniens Romam, Gregorium liberat, & in suo loco restituit; militia autem
E Comitissæ parabat se ad veniendum; sed Robertus cum Rogero prævênit.

Anno 1078. Gregorius Concilium congregat Romæ contra Henricum, & tradunt aliqui, quòd istud fuit Concilium 110. Episcoporum, de quo dictum est supra: unde omnia, quæ hic referuntur, secundo dicunt contigisse in principio suæ electionis; sed ex his, quæ ulteriùs dicuntur, videntur facta priùs, quàm pœnitentia ductus ad gremium Ecclesiæ rediit; & huic sententiæ consonant quæ post a de ipso dicuntur; scribit enim Martinus, quòd post ista, quæ nunc sunt dicta, recessit in Theutoniam, & multa fecit contra dictum Gregorium. Nam in urbe

Vor-

Vormacia congregavit Concilium 14. Episcoporum, 100. Clericorum Baronum, ibique cassat de facto omnia decreta Gregorii contra ipsum.

Item ibidem depositus est Gregorius, & confirmatus Gilbertus, & hoc processum de Urbe, hoc est, anno Domini millesimo octuagesimo.

Anno 1080. Gregorius in Concilio dictum Henricum deposuit ab Imperio, omnesque Barones ab ejus absolvit fidelitate; postea verò invenitur reconciliatus Ecclesiæ, & pro pœnitentia Crucem assumit, & cum exercitu Gallicorum, qui per terram ibat in Terram Sanctam, assumptâ suâ militiâ Theutonica, illuc se transfert.

Hic enim Henricus multo tempore regnavit, & ideo potuit multa fecisse, scilicet 39. annis.

Anno 1081. ut habetur in Registro Lucensis Communitatis, Henricus Imperator concessit Lucensibus privilegium de muris veteribus non destruendis. Item de Regali, sive Imperiali Palatio non ædificando in Civitate, nec de castro construendo Imperiali intra 6. milliaria.

Eodem anno Robertus Guiscardi, occupatâ, cum sua gente Apuliâ, Calabriâ, atque Siciliâ item aliis Regionibus ad Regnum pertinentibus, usque ad Pontem Cypriani, vadit Duratium, & ipsum capit.

Anno 1082. idem Robertus in Dalmatiam se transfert, & pugnat cum Alexio Imperatore, ac devincit eum, ut scribit Riccardus; & quamvis fuerit simplex miles, strenuissimus fuit in armis, & in moribus nobilissimus, ac Ecclesiæ multùm fidelis, & devotus.

Anno 1082., Robertus iteratò Romam venit, ut tradit Martinus, cum exercitu magno, & omnem gentem extirpat, rebellans Gregorio, & Henrico favens, & specialiter Domum Cincii, cujus filius nocte Nativitatis Domini, dum Missa celebraretur, Papam ceperat, & in sua inclusit turri, licèt Romani etiam hoc delictum durè puniverint in eadem nocte, ut scribit Martinus.

Anno 1084. Robertus redit in Apuliam, suamque visitat regionem, cùmque jam per totum suum dominium circumisset, veniens Salernum ut tradit Martinus, ibidem infirmatur, & moritur; & quia multa bona Ecclesiæ contulit, & justè suam gubernavit Provinciam, ipsum Gregorius intendebat Imperatorem facere, vel filium suum Boamundum, ut idem Riccardus dicit; ipse verò ad partes Orientis transfretare contra Persarum Regem, & Ægypti; sed ambo præventi sunt morte: nam Gregorius moritur anno Domini 1085.

Eodem anno, id est, 1085. & tempore, idem Robertus, de quo scribit Martinus, quòd post mortem miraculis claruit, reliquit post se duos filios, videlicet Boamundum & Robertum: frater autem Roberti Guiscardi vocabatur Rogerius, qui & unicum filium habuit, quem suo nomine vocari voluit.

Robertus igitur Dux erat in Apulia, sed Rogerius Comes in Sicilia: Sic enim terram diviserant in concordia plena; sed quomodo factum est Regnum, infra dicetur.

Sedit autem dictus Gregorius annis 12. mense uno, diebus quinque, cui succedit Victor, qui dictus est Desiderius.

Anno Domini 1086. Victor in Cathedra Petri sedet, qui Abbas fuit Sancti Benedicti Montis-Cassini: sedit anno uno, & mensibus quatuor, diebus septem.

Hic fertur venenatus fuisse in calice, ut scribit Martinus, consecrando videlicet Sanguinem Christi.

Eodem tempore tradunt Historiæ, ut Martini, & Riccardi, Ordinem Carthusiensem in Burgundia habuisse exordium.

Anno Domini 1087. Victor moritur, cui succedit Urbanus, & in 1088. creatur, ac in Cathedra Petri locatur.

Eodem anno Toletum cum adjacente regione in Hispania recuperatur à Christianis, quam occupaverant Saraceni.

Eo autem tempore filius Regis Castellæ, cui nomen Alphonsus, qui à Rege Saracenorum Toletano detinebatur captivus, in bello victus, qui & postea liberatus abstulit sibi terram, hanc astutiam fertur commisisse: cùm enim ordinasset de sua fuga cum custodibus, omnes equos & mulos, ordine præpostero, seu transverso ferravit; ut si fortè insequerentur hostes, vestigia animalium non possent cognoscere.

Eodem anno, ut in gestis Lucensium scribitur, Castrum de Vaccole destructum fuit à Lucensi populo, quod erat nobilium.

Eodem anno transit Urbanus in Galliam pro majori sua securitate, ratione Henrici; qui adhuc in sua permanebat pertinacia, & Romanos ad suum conabatur amorem attrahere.

Anno Domini 1089. Philippus Rex Francorum, ut scribit Riccardus, de quo dictum est supra, qui regnavit super Francos annis 45. uxorem suam repudiavit, & conjugem Comitis Andegavensis sibi conjunxit, quam ob causam Urbanus in Concilio Claramontensi ipsum publicè excommunicavit, qui tandem ad mandata Ecclesiæ rediit, abjectâ adulterâ, & propria uxore resumpta.

Eodem (tempore) Henricus, Gilberto suo Antipapa mala morte mortuo, cum suis sequacibus ad gremium Ecclesiæ rediit, & ipse Crucem assumit, ut dictum est supra, pro terra ultramarina, & pro debita (*) satisfactione duræ pertinaciæ in qua fuit.

Anno Domini 1090. Urbanus Concilium celebrat apud Claramontem, ubi statutum fuit, ut Horæ Beatæ Virginis quotidie dicantur, & quòd in die Sabbati officium fiat solemne in honorem ejus. Hic etiam dicitur fecisse Præfationem Beatæ Virginis in Missa, sicut modò cantamus; hoc tempore floret Anselmus Abbas in Anglia, vita & scientia mirabili, qui postea factus est Cantuariensis Archiepiscopus, primum propositum non relinquens.

Per idem tempus floruit in Theutonia quidam Philosophus, cui nomen Menegaldus, cujus uxor & filiæ in Philosophia fuerunt permaximæ.

Anno Domini 1091. Ordo Cisterciensis incipit, ut tradit Riccardus, & Cistercium ædificatur.

Eodem anno corpus Beati Nicolai, de Myra Civitate Lyciæ Provinciæ, apud Barum transfertur. Jacobus (**) cùm scribit in 87. Causa autem translationis fuit, quia Civitas dissipata erat ab infidelibus, videlicet Turcis de novo advenientibus ad regionem prædictam.

Hoc etiam tempore, ut Martinus & Riccardus scribunt, fuit famosissimum bellum in Hispania, ubi tres Reges, videlicet Castellæ, Navarræ, & Aragonum pugnaverunt contra Almimolinum Marrocitanum, quem turpiter fugaverunt fu-

(*) *Alibi* danda.

(**) *Alibi* factum.

A fugientem in equa parva, sed currentem, quas Genetti equitant, qui Beduini vocantur.

Tantus autem fertur sanguis sparsus in dicto bello, quòd quasi vivi currere videbantur super terram, & ex utraque parte: tandem propter durissimum & cruentissimum bellum Saraceni succumbunt, & ex tota regione Toletana recedunt.

Anno Domini 1092. Sepulchrum Domini capitur, & quasi tota regio ultramarina occupatur à Saracenis, ut Riccardus scribit, fit lamentum apud regionem Gallicanam, & in tota quasi Europa . . . . . . convocatur Concilium per Urbanum iteratò apud Turones, ibique ordinatur de passagio faciendo; prædicatur Crux, & quasi omnes Principes Franciæ Cruce-signantur, ut
B Riccardus, & Martinus tradunt, & Gottifredus Viterbiensis.

Eodem anno tota quasi Chinsica fuit combusta de Civitate Pisarum, ut in gestis Lucensibus habetur.

Anno Domini 1093. Henricus Imperator parat se ad transfretandum, suique Crucem assumunt, audito apparatu, quem Gallici faciebant.

Anno Domini 1094. Principes Franciæ, videlicet Ugo frater Regis Philippi, Robertus Comes Normandiæ, & Frater Regis Angliæ, Comes Flandriæ, Comes Sancti Ægidii, ut refert Riccardus, Gottifredus Dux Lotharingiæ, cum infinita quasi multitudine iter arripiunt, & quidam per terram transeundo per Theutoniam,
C Hungariam, & Bulgariam, & Constantinopolim.

Quibus se jungit Henricus cum sua Militia, primumque quod in Græcia faciunt, Niceam capiunt, quæ rebellaverat Alexio Imperatori, eidemque tradunt; demum intrant Syriam, & pervenerunt Antiochiam; sed primò transeundo per majorem Armeniam; Turcas expugnant, qui dictam occupaverant regionem.

Exercitus autem qui venit per mare, transiens per Apuliam, Boamundum, ut scribit Riccardus, filium Roberti Guiscardi, secum ducunt, qui postea factus est Princeps Antiochiæ, ipsâ occupatâ, pervenientes autem Tunitium,
D in portu, qui Ajacti hodie nominatur, ibidem aliquo tempore requiescunt. Hæc autem regio nunc Armenia minor dicitur, ubi portus est multum bonus, & pelagosus.

Anno Domini 1095. Sepulchrum Domini cum Hierusalem recuperatur, & Antiochia capitur cum tota Armenia supradicta. Gesta Lucensium dicunt hoc factum in 1100. Multa bella strenuissimè geruntur, multaque castra occupantur, & civitates; quædam autem spontaneè; quorum quidem processiones diffusè scribit Riccardus. Tradunt autem Historiæ, quòd Pisani in hoc passagio magnum præbuerunt adiutorium cum suo navigio; unde in sequenti anno rehabita fuit Tripolis & Achon.

E Anno Domini 1096. Gottifredus cum suis vadit versùs Euphratem, totam quasi Mesopotamiam capit, ibidemque de regimine ordinat; Agarenis prostratis, nullumque obicem habet, sed omnes eidem subjiciuntur spontaneè ad tributa solvenda.

Anno Domini 1097. rediit ad exercitum stolis, versùs Palæstinam, ubi terra Promissionis includitur, expugnaturque Provincia *. Galliæ, & usque Damascum.

Anno Domini 1098. Robertus filius Roberti Guiscardi moritur sine filiis, ut scribit Riccardus: Boamundo verò secundo filio transeunte ad Terram Sanctam, Rogerius Comes Siciliæ, nepos Roberti Guiscardi Apuliam occupat, & de Ducatu Apuliæ, & Comitatu Siciliæ Regnum facit, extirpat omnem contradictorem sive nobilem, sive ignobilem in hoc facto. Boamundus verò, ut dictum est, captâ Antiochiâ, factus est ibidem Princeps, qui & filiam Regis Franciæ uxorem accepit.

Anno Domini 1099. Urbanus moritur, qui & sedit in Cathedra Petri annis 12.

Eodem anno Henricus rediit de ultra mare, volensque ulteriùs suæ quieti intendere, filium suum Henricum Quintum Regem substituit.

Eodem anno Paschalis Urbano succedit, & in Papam eligitur.

Eodem anno, ut scribit Riccardus, exercitus Christianorum totum montem Libani occupat, ubi gens est fortissima, & adhuc hodie perseverat; unde & Soldanus usque modò dictum montem capere non potuit, propter difficultatem aditus ad ipsum.

Anno Domini 1100. Henricus Quartus ab Henrico Quinto filio suo capitur, & incarceratur, fortè Deo permittente, ut pœnam ferat de molestia, quam Ecclesiæ intulit: & advertendum, quòd Henricus Quintus dicitur, ut Martinus refert, quoniam ad genealogiam Henricorum, qui fuerunt Reges Alamanniæ, unus tamen ex eis non habuit benedictionem Imperialem, videlicet primus.

Hoc eodem anno Henricus Papam Paschalem requirit de Corona Imperii, cui Paschalis respondet de resignatione investituræ Episcoporum, quam pater suus longo tempore usurpavit.

Eodem anno Lucensis populus, ut in gestis Lucensium scribitur, Castrum de Castagnore, quod erat Cathanorum, capit, & funditus destruit.

Anno Domini 1101. Henricus concessit Tuschanellam Romanis, & fecit pacem cum eis; & eodem anno Paschalis iteratò requirit Henricum super investituris Episcoporum resignandis, cui Henricus rescribit se facturum, cùm ad Urbem venerit. Anno eodem Gottifredus, ut scribit Riccardus, Dux Lotharingiæ, & Burgundiæ, ab omni populo, qui inventus est in Hierusalem, & ibidem, in Regem eligitur, ad quem fuit vox totius exercitus, tamquam ad magis strenuum militem, & tali excellentia dignum.

Anno Domini 1102. Canonici in Ecclesia Sancti Sepulchri, & in templo Hierosolymitano locantur, cunctaque Civitas iis, quæ ad cultum Christianorum pertinent, decoratur; sicque in Divino cultu tota regio reparatur per magnam providentiam Principum, qui exercitum gubernabant. Eodem anno inventa fuit lancea, qua vulneratus est Christus, in Antiochia, revelatione Divina, de qua Riccardus longum facit sermonem.

Anno Domini 1103. passagium factum est in Africam contra Saracenos, ut gesta Lucensium referunt, & creditur per Rogerium Regem Siciliæ, qui & Regem Tunisii tributarium facit, quod tributum Rex Guillielmus postea revocavit, & modernis temporibus Rex Carolus senior de jure petebat, quod & habuisset, si in dominio non fuisset passus jacturam. Eodem anno fuit Lucæ primus ignis in Burgo Sancti Fridiani.

Anno Domini 1104. Henricus adhuc de corona Imperii Paschalem sollicitat, & de suæ electionis confirmatione; sed Paschalis primum quidem non exaudit, nisi investituras resignat; sed secundum gratiosè suscipit, & acceptat. Eodem

dem anno, ut in gestis Lucensium scribitur, fuerunt Pisani devicti à Lucensibus apud Ripafractam, & ceperunt Castellanos de Ripafracta, & duxerunt Lucam captivos.

Anno Domini 1105. Gottifredus Rex Hierosolymitanus prædictus post multos & longos labores moritur, & in eodem loco Balduinus eligitur anno sequenti. Eodem annò, ut in registro continetur Communitatis Lucæ, concessum fuit eisdem Lucensibus per Imperatorem, posse liberè negotiari in tota terra Imperii, promisitque eisdem omnia ablata restituere. Eodem anno occasione destructionis dicti Castri de Ripafracta, inchoata est guerra inter Lucenses & Pisanos, & duravit per annos quinque.

Anno Domini 1106. Balduinus Princeps in Civitate Edessa (unde Dominus Abagarus Rex tempore Christi, & cui Christus literas * spandes * speciales direxit) in Regem Hierosolymitanum eligitur. Hic frater fuit dicti Gottifredi, ut scribit Ricardus, miles strenuissimus, & populo gratiosus. Hic eodem anno totam quidem Provinciam pertransiens, usque ad mortuum mare, multa bella cum Saracenis commisit, tandem vulneratus ad mortem, vix evasit. Eodem anno quædam pars Crucis Domini inventa est, quæ in modum Crucis formata, & auro, & argento fabricata est.

Anno Domini 1107. Rex Balduinus adhuc Regionem circumvens, Regem, ac gentem rebellem in Regione Palæstina inveniens, cultui incitabat divino. Eodem anno Henricus vênit in Italiam cum exercitu magno: cùmque venisset in Lombardiam, ut scribit Martinus, nuntios mittit ad Paschalem Papam; quòd paratus est omni investituræ renunciare ad beneplacitum suum. Hoc autem simulatione dixit, sicut rei postea probavit eventus. Eodem anno Florentini destruxerunt quoddam castrum, quod dicebatur Gualandi, ut Gesta Lucensium dicunt

Anno Domini 1108. Henricus vadit Romam pro Corona recipienda. Gesta tamen Florentinorum, & Lucensium, scribunt ista accidisse in 1110. sed aliæ Chronicæ dicunt, sicut modò refertur. Refert ergo Martinus, quòd Henricus juramento firmato de resignatione facienda, quæ qualis fuerit infra dicetur, quia sæpiùs in hoc opere frequentata; cùm venisset Romam, occurrit Clerus, & Populus usque ad Pontemmollem, de mandato Papæ ipsum ducunt usque ad summitatem graduum Sancti Petri, ibique Paschalis ipsum recipit cum multa solemnitate, & post pedum oscula, se invicem osculantur. Cùmque simul pergerent usque ad Portam Argentum, Paschalis, osculo dato, ipsum Imperatorem pronuntiat; sed cùm venissent ad Roccam Porphyricam, & Papa expetisset resignationem fieri de investituris jam dictis, quam facere juramento promiserat, Imperator nihil ad hoc respondit, sed seorsum cum suis Principibus consilium habens, statim mandavit Papam capi, totamque Curiam cum Cardinalibus à suo exercitu detineri.

Anno Domini 1109. Henricus monitus ab amicis utriusque partis ad cor rediens, Papæ reconciliatur, ipsumque (ut Martinus refert) relaxat. Papa verò Pascalis ad preces humiles totius Cleri, & Populi, Henrico remittit injuriam, & eundem in corona restaurat Imperii. Eodem anno & tempore, exeuntes muros Urbis ambo pariter cum sua comitiva, ibidem investituræ resignat omnium Prælatorum, restituens omnes præbendas Ecclesiis, unde acceperat; & sic ad invicem valefacientes, Henricus descendit in Thusciam, & Lombardiam, Papa verò in Urbem cum gaudio à Clero, & Populo receptus est.

A

Anno Domini 1110. ut scribit Riccardus, applicuit Joppe gens quædam Noriensis, sive Noërgensis cum 55. navibus, quam de mari Occiduo concitaverat Deus in favorem Terræ Sanctæ, quos Rex Balduinus gratanter suscepit, & cum eisdem obsedit Sidonem. Quod videntes Sidonii, Regi præfato se reddiderunt. Scribit autem idem Riccardus, eas venisse per arctitudinem Siviliæ, & de Oceano mari, inde intrasse mare Mediterraneum, & venisse Joppè, B sicut supra dictum est. Eodem tempore post Paschalis liberationem (ut Martinus refert) quidam ex Clericis Romanis fecerunt schisma, ita ut non obedirent Papæ, omnes tamen ultimò ab ipso prostrati, & demum mala interierunt morte.

Anno Domini 1111. vigente Bernardo in sua Religione ædificatur Claravalle, & dictus Bernardus sequenti anno ibidem præficitur in Abbatem.

Anno Domini 1112. Rex Hungariæ renuntiat investituris Episcoporum, & omnium aliorum Prælatorum, ad literas Domini Papæ Paschalis, quas usque ad tempora illa facere consueverant prædecessores ipsius Reges.

C Anno Domini 1113. post liberationem Paschalis insurrexerunt tres hæresiarchæ contra ipsum, Albertus videlicet, Arnulphus, & Theodericus, qui licèt in principio multas Paschali intulerint molestias, in fine tamen ab ipso prostrati sunt.

Anno Domini 1114. Henricus Imperator, investituris Episcoporum, Archiepiscoporum, Abbatum, & generaliter Prælatorum renuntiat, permittitque, ut quodlibet Collegium liberam habeat electionem, cessitque in possessionibus Clericorum, quas (*) ista intuitu, & propter regalia sui antecessores detinuerunt, & ipse cum eis.

Anno Domini 1115. Civitas Florentiæ quasi D tota fuit combusta, & multæ personæ ibidem fuerunt mortuæ: & eodem anno mortua est Comitissa Matilda Domina totius Thusciæ & Lombardiæ, & tradunt aliqui, quòd in illa combustione civitatis Florentiæ fuerit mortua. Hæc Comitissa familiarem habuit quendam Clericum honestissimæ vitæ, & (**) . . . . cui nomen Anselmus, vir magnæ probitatis, cujus consilio regebatur dicta Domina, quem ei miserat Alexander Papa. Hunc autem Gregorius jam dictus fecit ipsum Episcopum Lucensem, qui existens in obsequio Comitissæ, apud Mantuam, ibidem mortuus est, ubi multis miraculis coruscavit, & adhuc: hodie in magna reverentia est apud Populum, & Clerum, E sepultus in Episcopio dicti loci.

Anno Domini 1116. Henricus Imperator, superiùs nominatus, concessit Lucensibus privilegium de fluvio Cercli, quàm ad liberum introitum, & mari Motronis. Item de Ripatico non tollendo à Pisanis. Eodem anno Balduinus Rex Hierosolymitanus cum sua gente occupavit regiones versùs Arabiam, & versùs mare Rubrum; & attende, quia ut Riccardus dicit. in illo passagio ultramarino superiùs nominato, tanta fuit multitudo Populi, & Principum, quòd diversas Regiones occupantes,

(*) *Alibi* ita institutus.

(**) *Supple ex ejusdem Ecclesiast. Histor.* & venerabilis

tes, diversa constituerunt Regna, & Principatus.

Anno Domini 1117. Paschalis Papa moritur, ut scribit Riccardus, & in Ecclesia Sancti Salvatoris de Urbe cum multa reverentia Cleri, & Populi sepelitur. Eodem anno fuit ultra mare epidemia magna, de qua mortua est uxor Regis Balduini, Patriarcha Hierosolymitanus, Alexander Imperator Constantinopolitanus, & multi alii Principes.

Anno Domini 1118. Gelasius, qui & Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, sedet in Cathedra Petri per annum & menses. Hic timens Imperatorem Henricum recessit de Urbe versùs Cajetam, cum omnibus Curialibus, & inde per mare versùs Franciam se transfert, cùmque pervenisset Cluniacum, ibidem mortuus est, & sepultus. Eodem anno, ut scribit Riccardus, Balduinus Rex Hierusalem vadens Ægyptum, cùm occupasset aliquas villas, & Castra, existens super fluvium Damiatæ, qui & Nilus appellatur, cùm comedisset de piscibus illius aquæ, gravari cæpit quadam sua ægritudine solita; cùmque redire vellet in Hierusalem vênit ad quandam Villam de propinquo fluminis, ibique gravatus ampliùs dicta ægritudine mortuus est. Iste Princeps strenuissimus fuit in armis, augmentavitque dictum Regnum addens eidem Tripoli, AChori, Cæsariam, Barucum, & Sidonem; vixit autem in Regno 18. annis. Eodem anno Pisani iverunt in exercitum contra Majoricam, & Florentini custodiverunt civitatem.

Anno Domini 1119. Calistus Papa in Cathedra Petri ponitur, natione Burgundus, & Filius Comitis & Archiepiscopus Viennensis, qui veniens in Italiam, pervênit Romam, à Clero & Populo honorabiliter susceptus. Cùm autem veniret Burdinus, quem Henricus Imperator Papam fecerat, à facie Calisti fugiens, in Sutrio se reclusit; sed ibidem captus traditus est Calisto, quem positum super camelum versa facie ad tergum, habens caudam cameli in manibus pro freno, ipsum sic mandavit: postea verò in quadam arce fecit recipi, & ibidem ignobili morte vitam finivit. Eodem anno Ordo Præmonstratensis incœpit in Diocesi Laudunensi. Eodem anno mortuo Balduino Rege Hierosolymitano, cives & Clerici alium Regem creant, Comitem videlicet Edissenum nomine Balduinum, cognatum prædecessoris, qui transito Euphrate, casu venerat Hierosolymam, loquuturus cum prædicto suo cognato. Hic concorditer electus, & in die S. Paschæ consecratus.

Anno Domini 1120. concessum fuit privilegium Lucensibus per Dominum Corradum Marchionem super Ripaticum Pisanorum, dum esset in obsidione Ponturmi, & in anno sequenti promissum fuit restituere dictum Ripaticum Lucensibus per Pisanos.

Anno Domini 1121. Calistus Papa Ecclesiam Compostellanam pro reverentia Beati Jacobi, qui ibidem quiescit, multum decoravit, faciendo Episcopum Metropolitanum, & subjiciendo eidem totam Emeritanam Provinciam. Eodem anno idem Calistus Ecclesiæ Lucensi pallium concessit.

Anno Domini 1122. Henricus Imperator, cum Calisto Papa pacem facit iteratò, cum debita reverentia & subjectione: & sic omnes Schismatici ad gremium Ecclesiæ redeunt; quidam tamen mala morte perierunt ante pacem factam. Anno eodem Comes Edissenus, & Galeranus frater ejus capti sunt à Balach Rege quodam Saracenorum, insuper & Rex Balduinus, & inclusi fuerunt in quodam castro fortissimo, celsitudine nimis arduo, ac munitissimè collocato: tandem divina virtute evaserunt illæsi, & in quodam castro se collegerunt, ad quod veniens Balach, suffodit castrum, & ipso capto, omnes de Castro mala morte peremit, illis solis, videlicet Balduino, Gostellino, & Galerano prædictis, indultâ vitâ.

Anno Domini 1123. Henricus Quintus, Quarti Henrici filius regnat, qui patrem suum longævæ, defectæque ætatis captivat, qui positus in carcere moritur, pœnam sustinens de injuriis, quæ sæpiùs Ecclesiæ intulit; sed quamvis apud Deum ista mereretur, non tamen apud filium; unde justo Dei judicio punitur, ut sinè filiis moriatur: cui successit Lotharius, anno videlicet Domini 1129. ut infra patebit.

Anno Domini 1124. Christiani, qui erant in Syria, videntes mala, quæ Balach inferebat Christianis, congregaverunt se contra ipsum, Armeni videlicet, Antiocheni, & Edisseni, & de omnibus regionibus, cum principalibus Latinis, commissâque pugnâ Balach occubuit, cujus caput tulerunt in Hierusalem, & sic liberatus est Balduinus, & fratres.

Anno Domini 1125. Calistus Papa moritur, & in Ecclesia Lateranen. sepelitur. Hoc eodem anno Florentini destruxerunt Fesulas quantùm ad aliquas sui munitiones. Hoc eodem tempore floruit Ugo de Sancto Victore apud Parisios, quem Riccardus magnum Philosophum & pium Patrem describit.

Anno Domini 1126. Honorius creatur, natione Bononiensis. Hic vadens in Aquilam, & malitiam Baronum cognoscens, Rogerium Siculum, facto sibi homagio, juramento fidelitate firmato, ipsum de Ducatu Apuliæ, & Siciliæ investivit. Eodem anno concessio facta fuit Lucensibus Consulibus per Corradum Dei gratiâ Marchionem Thusciæ, de Podio, & tota Curte de Nossano, & de ejus astrictu, & plano, de lacu, & pascuis, paludibus, & pratis, & de omnibus ædificiis in dicta regione sitis, & de omnibus terris cultis & incultis.

Anno Domini 1127. Honorius duos Patriarchas, Aquilejensem videlicet, & Gradensem deposuit, quia fortè Schismaticis favorabiles fuisse invênit. Eodem tempore Ordo Templariorum incœpit, sic dictus, quia Milites dicti Ordinis in Hierusalem juxta porticum Templi suam habitationem fecerunt.

Anno Domini 1128. Balduinus supra nominatus Rex Hierosolimorum, cui ex merito Antiochenum dominium adjunctum est, moritur: sed ante mortem sic de se ipso disponit, quòd filiam suam filio antiquioris Balduini tradit uxorem, & quantum in ipso est relinquit hæredem. Hoc eodem anno Lucenses destruxerunt castrum de Buiano, & obsederunt castrum Aghinoso, eodem anno valuit starium frumenti den. 26.

Anno Domini 1129. Balduinus prædictus à Paganis occiditur, cujus filius Gulielmus Dux Aquitanorum, Principatum Antiochenum accepit, Regno Hierosolymitano Fulconi Comiti Andegavensi dimisso. Isti enim Principes transfretaverant, & secundùm ipsorum probitatem sibi acquisierant Principatum. Hoc eodem anno Lotharius Dux Saxonum post Henricum Quartum regnat. Hic primo Imperii sui anno contra Boëmos vadens, quorundam suorum Principum proditione, magnam stragem suorum militum passus est.

Anno Domini 1130. tanta siccitas fuit in Francia, ut flumina, lacus, fontes, & putei siccaren-

rentur; ignis quoque per rimas terræ sic intraverat, quòd nec imbribus, nec frigore, nec alia quacunque arte, biennio extingui potuit.

Anno Domini 1131. Honorius moritur, & in Ecclesia Lateranensi sepelitur: sedit autem annis quinque, mensibus duobus, & diebus tribus. Interim autem vacillat Ecclesia Romana super electione Summi Pontificis, pro qua Lotharius exercitum parat ad subveniendum contra Rogerium, qui minori parti Cardinalium videbatur favere, ex quo Schismatis in Ecclesia causam dedit, ut rei postea probavit eventus.

Anno Domini 1132. Innocentius Secundus in Sede Sancti Petri collocatur; hic natione Romanus è regione Transtiberina. Hic eodem anno sui Pontificatus exercitum congregat contra Rogerium Siciliæ Regem; sed malè cessit suæ genti.

Eodem anno Petrus Leonis se eidem opponit Innocentio, asserens se legitimum Pontificem, quia à saniori parte Collegii dicebat electum, quamvis minori; faciebatque se vocari Anacletum. Hic filius fuit unius Cardinalis.

Anno Domini 1133. dictus Innocentius videns fortiorem partem Petri Leonis in Urbe, se recollegit in domibus Frigepanensium, quæ erant tunc infra Colizeum, quia dicta munitio tota fuit ipsorum; sed Petrus Leonis dictas domos invasit, sed non prævaluit. Tunc videns Petrus Innocentium, & totam Curiam esse inclusam, & timidam, ad spolia intendit: unde accessit ad Sanctum Petrum, & totum thesaurum exhausit, & hoc idem fecit in Sancta Maria Majore: de quo thesauro sic corrupit Romanos, quòd omnes ab Innocentio quasi videbantur aversi. Tunc Innocentius cum Cardinalibus in duabus Galeis clandestinè transivit in Galliam, & à Rege Francorum honorificè est receptus. Eodem anno Lotharius Imperator confirmavit Lucensibus omnia privilegia, & immunitates, quæ concesserat eis Henricus Tertius, quæ habentur supra in 1081. Concedit etiam eis libertatem in fluvio Sercli, & in mari Motronis, ac in Ripatico Lunensi.

Anno Domini 1134. Innocentius in Claramonte Concilium congregat, tractans ibidem quæ ad bonum statum Regni pertinent, & totius partis Occidentis. Eodem tempore floruit Gilbertus Philosophus, dictus Porretanus, sive universalis, quia in qualibet scientia videbatur doctus, de Britannia natus, sed factus postea Episcopus Laudunensis, modico tempore supervixit.

Anno Domini 1135. Henricus Rex Anglorum famosissimus, cum omnium dolore vita defungitur, & Stephanus nepos ejus Regnum invadit contra filiam dicti Henrici, quæ in Regno jure hæreditario succedebat. Huic autem Stephano nepoti suo quosdam Consulatus dederat in Normandia, unde ex hoc audaciam assumens, factus est sibi ingratus.

Anno Domini 1136. Ludovicus Rex Francorum filio suo Ludovico uxorem dedit filiam Ducis Aquitaniæ, nomine Helionoram, celebratisque nuptiis filio suo Ludovico, dictus Ludovicus pater ad paucos dies mortuus est, sepultusque in Basilica Sancti Dionysii. Hic filium suum Philippum majorem natu, eo vivente, coronari fecerat in Regem; eo verò mortuo ad paucos dies dictus Philippus morte subita pariter moritur, præcipitatus equo.

Eodem anno Lucenses cum magna victoria destruxerunt castrum de Ficeclo.

Anno Domini 1137. Innocentius Papa ad pe-
A titionem Baronum Franciæ, Ludovicum fratrem Philippi defuncti minorem natu Rhemis in Regem coronat, & inungit. Hoc tempore floruit Albericus Porretani successor, de civitate Rhemensi, Magistro suo non dispar, qui postea factus est Archiepiscopus Bituricensis.

Anno Domini 1138. Innocentius Rhemis Concilium celebrat particulare pro bono statu Regni, ubi & requiritur à Lothario Rege Alamanniæ, & Imperatore electo, sed nondum habente benedictionem Imperialem quantùm ad Coronam, licèt confirmationem, & acceptationem super electione Imperii jam haberet.

Anno Domini 1139. Innocentius hortatu Lotharii de Gallia rediens, venit in Italiam, cui
B occurrit Lotharius cum exercitu magno, & cum Archiepiscopis, & ipsum Romam deducit; Petrum verò Leonis expugnans; totamque suam progeniem extirpans, ipsas ab Urbe relegat, & Innocentium in propria restituit Sede. Eodem anno Lotharius in Laterano ab Innocentio coronatur.

Anno Domini 1140. Innocentius attendens beneficia quæ contulerant Pisani & Januenses Ecclesiæ, & toti Christianitati, de ipsorum navigiis, circa ipsos sollicitatur, & piam curam gerit: unde primò inter ipsos pacem ponit: demùm ipsorum Diœcesanos in dignitate præponit: nam Episcopum Januensem Archiepiscopum facit, qui priùs Mediolanensis suffraganeus
C erat: Pisanum verò similiter Archiepiscopum facit in Thuscia, & Primatem in Sardinia. Eodem anno ignis accensus est Lucæ secundò in Burgo Sancti Fridiani.

Anno Domini 1141. Lotharius post suam coronationem zelo Dei accensus, & Ecclesiæ, sicut verus Catholicus, & Ecclesiæ advocatus, congregato exercitu contra Rogerium Regem Siciliæ vadit, & ipse Innocentius cum ipso, quia dictus Rogerius se erexerat contra Papam, & quia Ducatum Apuliæ occupaverat; insuper & Petro Leonis fuerat favorabilis in Apuliam: igitur potenter intrantes, Rogerium inde fugant, & ipso in Siciliam fugato, Ducatum Apuliæ Raynoni Comiti tradunt: huic autem Pisani
D navigio Summo Pontifici plurimùm astiterunt.

Eodem anno Luna passa est eclipsim colorem cinereum habens.

Anno Domini 1142. Vicecomites duo, videlicet Uguccio, & Velter investierunt Consules Lucensis Communis de medietate integra de tota Curte de Corvaria, & de ejus Podere, & pertinentiis; videlicet, à Malmo de Sala-vecchia deorsum, ubicumque est, & in monte, & in plano, & inde Lucense Commune faceret quicquid vellet ab inde in antea.

Anno Domini 1143. Lotharius cum Innocentio rediens Romam, cum gratia Papæ recedit, transiens per Thusciam, & Lombardiam, redit in Theutoniam, ibique ad modicum tempus,
E sicut verus Catholicus, gloriosè vitam finivit: cui succedit Corradus, qui etsi regnaverit in Alamannia per aliquos annos, benedictionem tamen Imperialem non habuit: unde in Catalogo Imperatorum non computatur. Eodem anno Cremonenses cum sua societate territorium Mediolani intrant, & ipsum devastant. Eodem anno in Francia floret Baalardus in Philosophia famosus, & Peripateticus, in Cluniacensi Ordine Abbas.

Anno Domini 1144. Corradus Rex Alamanniæ in Terram Sanctam cum sua gente, & multitudine Gallicorum se transfert; sed cùm transissent per Græciam, ad quam de Theutonia

per

per terram perambulari potest, dolo Græcorum multi ibidem perierunt, eo quòd calcem cum farina miscuerunt, & inde panem facientes dabant eis ad manducandum.

Eodem anno Pisani fuerunt devicti à Lucensibus in Monte Vurnensi, in loco dicto, *al Lago del Pinso*: & in eodem anno Pisani intraverunt Vallem Massæ.

Anno Domini 1145. Innocentius Romæ Concilium solemne celebrat in Laterano; celebratoque Concilio infirmatur, de qua ægritudine moritur, & in Lateranensi Ecclesia in Concha Porphyrica honorificè sepelitur, anno 13. sui Pontificatus. Hoc eodem tempore floret Parisiis Riccardus de Sancto Victore, vir magnæ religionis & scientiæ. Eodem anno Corradus redit de Terra Sancta, ubi cum aliis Christianis gloriosè contra Saracenos certavit. Hoc etiam tempore fuit Libertus Damascenus, qui vixerat à tempore Caroli Magni, cujus armiger fuerat, & isto tempore defunctus.

Anno Domini 1146. Cœlestinus natione Thuscus in Papam assumitur, seditque mensibus quinque; cui succedit Lucius natione Bononiensis mensibus 11. sepultusque est in Laterana Ecclesia. Hic autem fuit Presbyter Cardinalis, qui Ecclesiam Sanctæ Crucis à fundo renovavit.

Anno Domini 1147. Rex Alap de Turcarum sanguine, cepit Edessam Civitatem, quæ in Scriptura Arach appellatur, omnesque Francos, quos ibidem invênit, aut morte, aut servitute damnavit: Archiepiscopum verò Civitatis, cum toto Clero, quia Christum abnegare noluit, decollari mandavit; & sic Civitas, quæ ab Abagaro Rege ejusdem Orthodoxo, cui Christus ante suam passionem (sicut legitur in Ecclesiastica Historia) epistolam direxit, & per Apostolum prædicata, & Christo dedicata, tunc primùm à Gentibus profanatur.

Anno Domini 1148 per Sanctum Bernardum Crux prædicatur in Gallia, auditisque abominationibus, quas in dictis partibus Agareni, & Turcæ fecerant, non modica commotio ibidem est facta. Eodem anno Eugenius in Cathedra Petri collocatur, natione Pisanus. Hic cùm Abbas Sancti Anastasii, ex insperato apud Ecclesiam Sancti Cæsarei in Urbe à Cardinalibus est electus, & propter metum Senatorum, qui contra voluntatem sui prædecessoris fuerunt facti à Populo, ad Monasterium Farfense se cum Cardinalibus transtulit, ibique ministerium consecrationis accepit. Hic cùm existens Monachus magnæ videretur simplicitatis, tanta gratia perfudit eum Dominus, & eloquentia, quòd omnibus factus est in admirationem. Hic à Rege Ludovico vocatur in Franciam, pro subsidio Terræ Sanctæ.

Anno Domini 1149. Eugenius Papa transit in Galliam, Rhemis Concilium celebrat, ipsumque Regem ultramarina Cruce signat, multosque alios Principes & Barones, multùmque Clerum, & populum.

Isto eodem anno Corradus moritur post reditum suum de terra ultramarina, cui succedit Federicus primus. Hic nobilis, largus, facundus, & strenuus scribitur, qui multo tempore regnavit, qui aliquando favorabilis Ecclesiæ, aliquando malè reveren, sicut infra patebit.

Anno Domini 1150. Rex Ludovicus cum multitudine Principum & Baronum, Cleri & Populi iter arripit ultramarinæ peregrinationis, in cujus comitiva cum sua gente Theutonica Federicus se parat, & cum multo periculo re-

A rum & personarum pervenerunt Antiochiam.

Eodem anno Castrum de Vurno fuit à Lucensibus destructum.

Anno Domini 1151. Eugenius de Gallia Romam redit. Et eodem anno Comes Guido cum multa militia vênit contra Lucenses, trium videlicet millium militum, & in dicto Monte fuit maxima pugna, tandem tamen prævaluerunt Lucenses, & fuerunt de dictis militibus multi mortui, & multi capti. Eodem anno Federicus cum sua gente redit ad propria, relicto Rege Ludovico cum exercitu suo, cui minùs prosperè in eundo cessit; propter quam causam dictus Federicus retrocessit. Dictus verò Rex Francorum cum uxore sua Helionora pro sua peregri-
B natione perficienda, vênit in Hierusalem, ibique aliquibus quiescit diebus. Hoc tempore floret Gratianus Monachus, natione Clusinus, Provinciæ Thusciæ, qui Decretum composuit, sicut dixit Uguccio 2. q. 6. c. *forma*.

Anno Domini 1152. Rex Ludovicus exercitum parat ad eundum contra Damascum, congregatâque Francorum militiâ Templariorum, ac Hierosolymitarum Damascum obsidet: sed repulsus est à Damascenis cum adjutorio Babyloniorum; sicque Hierosolymam redit non cùm honore. Eodem anno Castrum dictum de Monte *di Croce Vurnese*, restitutum fuit Lucensibus per Comitem Guidonem. Eodem anno
C fuit magna fames & mortalitas in partibus Thusciæ.

Anno Domini 1153. Federicus Imperator vênit in Lombardiam nondum coronatus: volens autem terram sibi subjicere, resistentiam invênit, & præcipuè Mediolanensium; propter quam causam processu temporis, ipso in Imperio confirmato, ipsum devastavit. Eodem anno Ludovicus Rex Francorum præfatus, considerans in Terra sancta non multùm proficere, suamque peregrinationem non fuisse felicem, relicta ibidem cum Balduino Rege Hierosolymorum pro majori parte sua militia; cum paucis Parisios redit, non sinè magno Galliæ luctu. Hunc autem Ludovicum gesta Francorum multùm com-
D mendant, excepto quòd uxorem suam Dominam Helionoram repudiavit, acceptâ aliâ filiâ Ansus Regis Hispaniæ. Tradunt tamen Historiæ fecisse ex certa causa, consilio, & assensu Eugenii Papæ, Bernardi Claravallensis Abbatis, & Godefredi Lingoniensis Episcopi.

Anno Domini 1154. Balduinus Rex Hierosolymorum, frater Comitis Andegavensis, licèt juvenis, strenuissimus tamen in armis, & in regimine gratiosus, & providus, cum militia sibi dimissa Francorum, & sua, invadit Ascalonem præcipuam civitatem in terra Philistinorum: ipsam obsidet, & ultimò capit. Civitas autem erat munitissima super mare sita versùs Ægyptum. Eodem anno Princeps Antiochensis cum Rege
E Alap pugnat, & in bello succumbit, ac ab ipso capitur, & occiditur.

Anno Domini 1155. Eugenius Papa moritur, & in Basilica Beati Petri ante altare sepelitur, seditque in Cathedra Petri annis octo, & mensibus 4. Huic Eugenio Beatus Bernardus literas multùm mordaces, circa regimen Summorum Pontificum, scripsit, & de fastu, ac protervia Romani Populi.

Anno eodem Federicus Imperator concessit, sive confirmavit Lucensibus monetam eis concessam per suos antecessores Imperatores.

Anno Domini 1156. Anastasius in Summum eligitur Pontificem; sedit anno uno, & mensibus quatuor. Hic juxta Sanctam Mariam Rotun-

tundam fecit unum Palatium ibidemque habitabat ex ſpeciali devotione.

Eodem anno Federicus deſtruxit partem Urbis, & Porticum Sancti Petri, & portas amovit; deinde veniens in Lombardiam, multa mala Mediolanenſibus intulit. Eodem anno Stephanus Rex Anglorum moritur, qui filiam Henrici Angliæ dolo regno privaverat, ut ſupra eſt dictum. Hic ſinè filiis moriens, vero Dei judicio; jure hæreditario, ſeu propinquitatis, eidem ſuccedit Henricus filius Goddefredi Comitis Andegavenſis, & nepos Balduini Regis Hieroſolymorum, qui in brevi regno acquiſito pacificè Londoniis coronari ſe fecit, cum Helionora uxore ſua, quam Rex Francorum repudiaverat, & quam habuerat annis 15. Hæc Domina filia fuit Ducis Aquitaniæ, unde dictus Henricus ex ea maximum ſibi acquiſivit dominium. Et attendendum de iſto Rege, ut Riccardus tradit, quia iſte Rex ex triplici parte exaltatus, & augumentatus eſt in dominio, quia ex parte Andegaviam, Turoniam, & Cenomanniam poſſidebat; & uxore Aquitaniam, Pictaviam, & Terram Lemovicinenſem, ſed ex matre obtinuit Regnum, & Comitatum Normanniæ.

Anno Domini 1157. Adrianus creatur in Papam, natione Anglicus. Hic primùm Epiſcopus Albanenſis factus eſt Legatus in Noergiam ad illam gentem convertendam; quod fecit: poſt reditum verò mortuo Anaſtaſio, in Summum Pontificem eſt electus. Hic propter vulnerationem cujuſdam Cardinalis, civitatem Romæ Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, quouſque dignè ſatis fieret de tam enormi delicto. Hic Guillielmum Regem Siciliæ, tamquam ſibi rebellem, excommunicavit.

Eodem tempore Henricus Rex Anglorum exercitum congregat per Ducatum Aquitaniæ, civitatem Toloſanam invadit, dicens ipſam ad eum pertinere ratione uxoris ſuæ, cui de jure dicebat competere ex hæreditate: unde regionem dictæ Civitatis devaſtat, & ad obſidionem ſe parat: ſed Rex Francorum Civitati favet, & auxilium præbet; ſic Civitas evadit manus prædicti Regis Anglorum: cauſa autem favoris Ludovici ad civitatem Toloſanam aſſignatur à Riccardo, quia Comes Sancti Ægidii ſororem habebat dictæ uxoris Regis Henrici, ad quam magis pertinebat.

Anno Domini 1158. Federicus ab Adriano coronatur in Eccleſia Sancti Petri, qui cùm veniſſet Romam, & pacificè ac cum multo gaudio coronatus fuiſſet, peractis omnibus, quæ ad feſtum coronationis pertinebant, cùm ante ad ſtationem ſuam in prata Neronis exiviſſet, Romani armata manu familiam ſequentem crudeliter invaſerunt, uſque ad tentorium Imperatoris proſequendo; ſed invaleſcente clamore, Theutonici adunati potenter Romanos repellunt, & alios quidem occidunt, alios verò captivant; ſed ad preces Papæ Adriani, Imperator captivos reſtituit, & pax reformatur. Iſto eodem anno Rex Guillielmus Eccleſiæ facit homagium, & Adriano juramento fidelitatis ſe obligat, & tunc Eccleſiæ reconciliatur, & in regno firmatur. Hic Adrianus primò de Urbe Romæ ad Urbem-veterem ſe transfert.

Eodem anno Adrianus prohibet omnibus civitatibus Thuſciæ, ſub fortiſſimo anathemate, monetam Lucenſem cudere, & ipſa uſualiter uti jubet.

Anno Domini 1159. Federicus vadens Tybur, & inveniens diſſipatum, præcepit Romanis, ut reædificaretur.

A Eodem anno veniens Spoletum, Civitatem devaſtavit ex quadam rebellione, quam eidem fecerant. Hic Federicus veniens Lucam, & audiens Bertam Regalem ſic dotaſſe Lucenſem Eccleſiam, eidem Eccleſiæ multa conceſſit privilegia, & ex affectu Canonicos dictæ Eccleſiæ vocat ſuos fratres, recipiens ſub ſua protectione.

Eodem anno Papa Adrianus fecit Gironem in Radicofino, & turribus munivit.

Eodem anno idem Adrianus caſtra, & multas poſſeſſiones circa lacum Sanctæ Chriſtinæ à Comitibus comparavit.

Anno Domini 1160. Adrianus Papa moritur, & in Vaticano in Eccleſia Beati Petri ſepelitur, ſeditque annis quatuor. Federicus Imperator B in Lombardiam veniens, invadit Mediolanum, & ipſum devaſtat, & ſimiliter Placentiam; ultimò exercitum congregat ad obſidionem contra Mediolanum . . . . inde non recedere quouſque ipſam capiat, & ad nihilum redigat.

Anno Domini 1161. Alexander creatur in Papam, natione Senenſis, ex patre Ranuccio; ſedit annis 21. & menſibus undecim. Hic vicit quatuor Schiſmaticos, Octavianum, Guidonem Cremenſem, Joannem Firmenſem, & Landonem Antipapas. Primus faciebat ſe vocari Victorem, ſecundus Paſchalem; tertius autem Caliſtum, ſed quartus Innocentium. Hi omnes fuerunt tamquam ſchiſmatici excommunicati ab C Alexandro, quorum tres fuerunt Presbyteri Cardinales: hi omnes ad modicum tempus mala morte interierunt, quibus Federicus Imperator videbatur favere, propter quandam diſcordiam, ſuper quibuſdam Imperialibus exortam inter dictum Federicum, & Alexandrum.

Anno Domini 1162. civitas Mediolanenſis obſeſſa biennio & ultrà, capitur, & ab ipſo in toto deſtruitur, ipſam arari facit, & ſalem ſeminari. Eodem anno Piſani & Florentini devicti fuerunt à Piſtorienſibus apud Carmignanum. Eodem anno corpora Magorum, quæ erant Mediolani, per Sanctum Euſtorgium Archiepiſcopum Mediolani . . . . de Conſtantinopoli miraculosè translata, Rodulpho Archiepiſ-D copo Colonienſi per Federicum fuerunt conceſſa, quæ dictus Archiepiſcopus cum reverentia in Coloniam tranſportavit.

Anno Domini 1163. Videns furorem Populi Romani Alexander, & ſchiſma favoremque Federici ad dictos ſchiſmaticos contra ipſum, in Galliam ſe transfert tunc ratione dicti ſchiſmatis, Conventus Monaſterii Sancti Anaſtaſii cum ſuo ab . . . . dejectus eſt. Veniens autem Alexander in Galliam, à Rege Francorum honorificè ſuſceptus eſt, ibidemque contra Federicum proceſſum facit, ſed non proficit, ut in ſequentibus eſt manifeſtum, ſed ad deteriora proceſſit.

Anno Domini 1164. Federicus Imperator exE ercitum congregat Theutonicorum, & duos Reges habet in ſua comitiva, videlicet Boëmiæ, & Daciæ, cum utriuſque gente & populo; venienſque in Burgundiam contra Regem Francorum, conabatur ipſum offendere, ſive delere; ſed non prævaluit, adjuvante Rege Angliæ Regem Franciæ, immò cum confuſione recedens, in Alamanniam rediit: cauſa autem ſuæ indignationis contra Regem ſupra eſt poſita, quia . . . . Alexandri, qui in terra Regis proceſſum fecerat ſupra dictum.

Eodem anno fuit facta conceſſio Lucano communi de moneta cudenda per D. Raynaldum Solomonenſem Electum, & Henricum Leodienſem

sem Episcopum, tunc Legatos in Thuscia Domini Imperatoris.

Eodem anno Imperator Federicus concessit Communi Roccam Guidingam . . . . de Corvaria.

Anno Domini 1165. Imperator rediit in Italiam, & totam Lombardiam, præter Papiam, vexat, quæ eidem favebat: deinde vênit ad Urbem, & Romam invadit cum Raynaldo dicto Christiano, & Philippo Cancellario strenuis Principibus, & amicis præcipuis; & cum exercitu suo expugnat Romam, & devincit eos, & fuerunt in bello illo aliqui occisi, alii verò capti circa novem millia.

Isto eodem anno Lombardi colligationem faciunt contra Imperatorem, in favorem Papæ, videlicet Mediolanenses, quamvis fuerint devastati, Cremonenses, & Placentini, & multæ aliæ civitates, & castra dictæ Regionis.

Anno Domini 1166. incœperunt terræmotus magni per diversa loca; duraverunt per multos annos, in quibus terræmotibus quasi tota Syria est concussa, & in domibus, & ædificiis ruit, Antiochia videlicet, Tripolis, & Damascus, & sic de aliis civitatibus, & castris, quæ submersa dicuntur fuisse. Civitas etiam in Sicilia Cataniensis tota ruit, ubi & dicuntur periisse inter parvos & magnos 20. mill. personarum. Hoc eodem anno Dominus Guelfus Dux Spoletanus, Marchio Thusciæ, Princeps Sardiniæ, & Dominus domus Comitissæ Mattildæ concessit Lucensi Communi per privilegium omnem jurisdictionem ad jus Marchiæ pertinentem, & ad domum Comitissæ prædictæ intra sex milliaria Lucensis Communis pro M. flor. Lucensis monetæ solvendis usque ad 90. annos.

Anno Domini 1167. Federicus obsedit Anconam: qui se tradiderunt eidem pro mortuis & captis.

Eodem anno ignis accensus est in Caldoria, & combussit omnes domos filiorum Arnaldi, usque ad angulos filiorum Faginæ, & usque ad Sanctum Salvatorem in Mustorio. Eodem anno Mediolanum, & Cremona auxilio amicorum reædificantur.

Anno Domini 1168. Mediolanum, Cremonam, & Placentiam in despectum Federici, & contra Papienses, Civitatem ædificant, quam ob reverentiam Alexandriam vocant; & ut famosior esset Civitas, insuper Alexander prædictus constituit dicto loco Episcopum: Civitatem verò Papiensem, quia Federico favebat, privat Cruce, & pallii dignitate.

Eodem anno inchoata est guerra inter Lucenses, & Pisanos, & in eadem die Lucenses intraverunt villam de Chuosa, & combusserunt, & devastaverunt.

Eodem anno iverunt ad castrum de Astano, & ibi pugnaverunt contra Pisanos, & devicerunt eos, & ceperunt ibidem multos milites.

Anno Domini 1169. Velter de Corvaria, & filii, cum Gaiferro, & filio Uguccionis, & Raynerio filio . . . . intraverunt arcem Flamingam, & rebellaverunt à Civitate Lucensi, colligati, & jurati cum Chatanius de Versilia, & de Garfagnana, & cum Pisanis contra Lucenses; & tunc Lucenses congregaverunt gentem, & iverunt armata manu contra arcem, & 8. Kalen. Jan. obsederunt & expugnaverunt eam, & vi belli ceperunt, captis omnibus, qui erant in arce: combusserunt insuper burgum de Corvaria; sed arcem tenuerunt.

Eodem anno Tancredus Vicecomes de Pisis tradidit castrum de Agnano Lucensibus, & fuerunt Pisani devicti Milites, & pedites, & fugati usque ad Arnum & multi submersi sunt in palude, & hoc fuit in Calendis Martii. Et eodem anno 23. die Aprilis, profecti sunt Lucenses ad devastandam planitiem dictam de Fillungo in Versilia.

Anno Domini 1170. Lucenses destruxerunt burgum de Brancagliana, & erant 500. milites cum magna turba populi. Pisani autem obsidebant arcem Guidingam, ut audierunt adventum Lucensium statim cesserunt, & iverunt ad expugnandum castrum de Agnano. Quod audientes Lucenses, insecuti sunt eos: sed non expectantes Pisani, ad propria redierunt.

Eodem anno Lucenses devastaverunt planitiem suprà dictam de Fillungo in Versilia Cathanorum.

Eodem anno Florentini devicerunt Aretinos.

Eodem anno Lucensis populus . . . . forti portaverunt victualiam pro arce de Corvaria.

Eodem anno intraverunt Garfagnanam, & ibidem multa castra destruxerunt, multa ceperunt, & multa etiam combusserunt.

Eodem anno devastaverunt Pedonam. 7. die Maji.

Eodem anno devastaverunt regionem de Vallacchia 16. die Junii.

Eodem anno existentes in Versilia fuerunt devicti à Pisanis, eorum amicis propè Viaregium & perdiderunt tunc castrum de Viaregio. Tunc Lucenses iteratò congregati sunt contra Pisanos, & in eodem loco invaserunt eos, fuit pugna fortissima, & destruxerunt eis Barbacane, & violenter intraverunt eorum campum, & sic inchoaverunt hæc in aurora, & duravit bellum cum fuga usque ad Nonam. Dum autem Lucenses fugarent Pisanos, quidam Milites Lombardi cum Cathanis, & aliquibus Pisanis intraverunt campum Lucensem. Redeuntes autem Lucenses pugnaverunt cum eis, & devicerunt eos, licèt cum aliquorum fatuorum damno; duravit autem prælium usque ad noctem.

Anno Domini 1171. Lucenses ceperunt Ghivizanum, & combusserunt Calavornam.

Eodem anno Lucense Commune invenitur emisse à Truffa Mazolombardi boscum, & totam terram, super qua est ædificata turris, quæ est in faucibus Sercli, & faucibus maris usque milliarium, & à mari usque ad Montravantum.

Eodem anno inveniuntur pacta inter Lucenses & Pistorienses, qualiter Pistorienses juramentum fecerunt de salvando Lucense Commune, & custodiendo Lucenses Cives in havere, & personis. Item de dando adjutorium Lucensi Communi in guerra, quam habent, dando eis milites, & pedites propriis eorum expensis 20. diebus. Item de dando eis similiter in anno per unum mensem continuum 150. milites, & 500. pedites, & balistarios ad ipsorum requisitionem post 8. dies.

Anno Domini 1172. Lucenses destruxerunt S. Miniatem, & combusserunt ipsum. Item quoddam castrum, dictum Fuscanum. Item eodem anno in Calendis Januarii Lucenses destruxerunt Viaregium.

Eodem anno destruxerunt quoddam castrum dictum Montem Achanum, & multa alia castra. Item eodem anno filii Ubaldi tradiderunt castrum dictum Montravanto Pisanis, & castrum de Bozano, propter quam causam factum est prælium maximum inter Lucenses, & Pisanos, & hoc fuit in plaga marina. Ultimò Pisani versi sunt in fugam, & dicta castra fuerunt capta à Lu-

Lucensibus, & combusta.

Anno Domini 1173. intrante Januario Corradus Gaiferri, & filii recuperaverunt arcem Guidingam.

Eodem anno ignis accensus est in Chiasso.

Eodem anno Lucenses ceperunt Chiozano, & combusserunt, & etiam fuit Consul filius Rolandi: In quo anno illi de domo Soffredinga promissionem fecerunt de juvandis eorum expensis in exercitibus & cavalcatis, & ista promissio fuit firmata juramento & pœna vallata.

Anno Domini 1174. Florentini (*)........ devicerunt Senenses apud castrum de Asciano.

Eodem anno collatum fuit castrum de Montravanto Communi Lucensi per truffam Mazzalombardi.

B Eodem anno Alexander Concilium advocat contra Federicum, & pro bono statu universalis Ecclesiæ.

Eodem anno Federicus videns Lombardiam & Thusciam sibi passim rebellare, timens sibi de dicto Concilio, Nuncios mittit ad Alexandrum super concordia facienda, offerens se ad emendam super tanta, & tam diurna discordia.

Eodem anno moritur Sanctus Thomas Cantuariensis Episcopus.

Anno Domini 1175. Concilium celebratur Curibus.

Eodem anno quasi tota Italia ad concordiam revocatur; pax etiam fit inter Guillelmum Regem Siciliæ, & Emanuelem Imperatorem Constantinopolitanum. Federicus ad Concilium Nuncios mittit de concordia inter ipsum, & Papam tractaturos, de tanta Italicorum concordia contra ipsum in favorem Papæ expavescens.

Eodem anno invenitur facta remissio per Imperatorem Federicum Lucensibus, de omni injuria illata Nuntiis ejus per Lucenses cives.

Eodem anno invenitur sententia lata per Imperatorem Federicum contra Pisanos, de moneta non cudenda in ea forma, & cuneo, qua & quo Lucenses cudere possunt.

Anno Domini 1176. Federicus ad gremium Ecclesiæ redit, & Venetis absolvitur à Legato Papæ, & pro emenda Crucem assumit ultramarinam, cum multa militia Theutonica & infinita populi turba. Alii dicunt, ut Gesta Lucanorum, & Florentinorum, quòd 18. ann. fuit in discordia cum Alexandro.

Eodem anno invenitur datum bannum Pisanis per Imperatorem Federicum, quia contra pacta fecerunt inter Commune Lucense & Pisanum de moneta cudenda eo modo, & forma, qua Lucenses cudebant.

Anno Domini 1177. Alexander in Italiam rediit, & per mare transfretans applicuit in Siciliam apud Messanam, ubi eidem occurrit Rex Guillelmus, & ipsum honorificè recipit, Regnum, ab ipso recognoscit, juramento fidelitatis renovato.

Eodem anno Uberti de Florentia cum Consulibus guerram movent, & duravit duobus annis.

Anno Domini 1178. Alexander Romam veniens, Concilium advocat pro recuperatione Terræ Sanctæ.

Eodem anno ignis accensus est in Florentia, & combussit magnam partem Civitatis, videlicet de Sancto Martino usque ad Sanctam Mariam ad Arnum.

Eodem anno cecidit Pons vetus Civitatis Florentiæ.

(*) *Hoc loco nihil deesse videtur.*

A Eodem anno Henricus Rex Angliæ misit nuntios solemnes ad Papam Alexandrum ad purgandum se de neco Beati Thomæ, quibus receptis in Tusculana Civitate, misit duos Cardinales ad partes Galliæ, qui de hoc inquirerent veritatem; coram quibus Rex in animam suam juravit, quòd nec auxilio, vel consilio, tale scelus per ipsum non fuerat perpetratum; sed quia occasionem aliquam præbuit, ipse quidem statim Crucem assumit transiturus intra tres annos, & 200. milites misit bene munitos ultra mare.

Anno Domini 1179. Concilium celebratur Romæ, Crux prædicanda statuitur contra Saracenos. Federicus aufert Comitatum omnibus Civitatibus Thusciæ.

Eodem anno obsedit Senas, & ipsam devastat usque ad muros.

Eodem anno Sepulchrum Domini capitur à Soldano, quod priùs à Christianis tenebatur.

Anno Domini 1180. magna pars Italiæ Cruce-signatur ad recuperationem terræ ultramarinæ; sed præcipuè Florentini in Thuscia, & Lucenses.

Eodem anno Federicus Henricum filium suum Regem constituit in Italia.

Eodem anno magnus fuit conflictus Saracenorum, & Christianorum, & prævaluerunt Christiani.

Eodem anno invenitur facta promissio & juramentum per Bononienses Lucensi Communi, C de moneta Lucensi tenenda & expendenda per civitatem Bononiæ & totam suam.......... & nullam aliam monetam & si contra fieret, quòd posset tolli unicuique: & sic juraverunt mercatores, campsores Bononienses observare, & dictum fuit hoc in publico Parlamento.

Anno Domini 1181. Philippus Rex Francorum, & Riccardus Rex Angliæ cum sua gente ultra mare se transferunt, ubi per eos & Italicos, qui sub nomine Pisanorum agebant & denominabantur, multa gloriosè & victoriosè sunt acta. Tunc enim roboratum est dominium Christianorum in tota terra Promissionis.

Eodem anno Guido Comes denominatus Burgundione, qui Dominus erat Montis Sumani, D Verruculæ, & Serræ, juramentum facit Lucensibus, sive promissionem sub juramento firmatam, de dando prædicta Castra in adjutorium contra Pistorienses, quando contingeret Lucenses cum Pistoriensibus guerram habere.

Eodem anno invenitur juramentum factum fidelitatis Lucensi Communi, per illos de domo Suffredingorum.

Anno Domini 1181. Alexander Papa moritur, cui succedit Lucius natione Lucensis de nobili progenie natus, ut tradunt, Allucingorum. Hic concessit Lucensibus monetam cudendam, quam Civitatem summè commendans, omnibus Civitatibus Thusciæ, Marchiæ, Campaniæ, & Romagnolæ, & Apuliæ in moneta præponit, adhuc E imperante Federico, & regnante Henrico filio. Unde dicta moneta ab illo tempore in prædictis partibus magìs fuit usualis: immo mandavit omnibus terrigenis dictarum regionum, & Romipetis, ac singulis peregrinis cujuscumque Civitatis, vel Provinciæ, quòd illa uterentur moneta in ipsorum commerciis. Ubi advertendum, quòd duæ monetæ antiquis temporibus magìs cucurrerunt in Italia, quia in Lombardia Papiensis, favente Federico, quem dicta Civitas semper fuit sequuta; sed in prædictis partibus, ubi Ecclesia magìs dominabatur, moneta Lucen-

censis, eo quòd dicta Civitas Romanæ Ecclesiæ semper fuit subjecta. Unde de istis duabus monetis specialiter jura faciunt mentionem, ut Innocentius Tertius, qui fuit post Lucium, 20. annos, cùm de censibus agitur.

Eodem anno invenitur juramentum factum fidelitatis Communi Lucensi per Commune de Montecatino.

Eodem anno invenitur collatio facta Lucensi Communi de terris relictis à palude de Lavano, & de Guisciana, & terræ Colmatæ ab aqua Pisciæ, è Cerbaria, & palude Sexti: & quòd totum lucrum ad Lucense Commune pertinet.

Eodem anno facta fuit pax inter Lucenses & Pisanos, in qua fuerunt pacta infrascripta, quia Consules Pisani juraverunt Lucenses cives habere pro Pisanis: & quòd, si quod damnum inferretur per Pisanos Lucensibus, Pisanum Commune restitueret. Item si Lucenses facerent guerram alicui Civitati, Pisani non præberent suis inimicis auxilium. Item quòd possent Lucenses cives mercari Pisis, sicut Pisani. Simile juramentum fecerunt Lucenses Pisanis. Item juramentum fecerunt Pisani Consules, Lucensibus Consulibus de terris Episcopi Lucensis, quòd permitterent Episcopum ipsas liberè, & pacificè possidere.

Anno Domini 1183. Federicus Imperator in subsidium Terræ Sanctæ vadit per terram, transeundo per Theutoniam, Hungariam, Græciam, & Armeniam. Sed cùm venisset cum gente sua in Armeniam minorem, quæ quondam Cilicia vocabatur, in quodam parvo fluvio submersus est: Filius verò ejus, quem secum duxerat, corpus ejus transportavit in Tyrum, ibique honorificè sepelitur. Demum veniens Ptolemaida, obsedit eam; sed præ nimio calore infirmatus est, & mortuus, & multi nobiles cum ipso de gente Gallicana, & Anglicana.

Eodem anno invenitur juramentum factum super securitate facta per Lucenses Consules hominibus castri de Albiano, & Urcicciano, & qualiter dicta castra juraverunt fidelitatem Lucensi Communi, & ipsa promiserunt eos defendere, & salvare ad honorem Lucensis populi.

Eodem tempore floruit Petrus Manducator, qui luculento sermone claruit, in tradendo Historiam Bibliæ, juxta expositionem Sacrorum Doctorum.

Anno Domini 1184. Lucius Papa vênit in Thusciam & Lombardiam, accensurus corda hominum circa passagium Terræ Sanctæ, & pacificaturus partes Italiæ.

Eodem anno Lucenses ædificaverunt Burgum Sancti Genesii contra voluntatem Samminiatensium.

Eodem anno fuit Consul Alcherius Pagani, qui ædificavit Carbonarias.

Eodem anno & tempore floruit Magister Petrus Novariensis, qui fuit Parisiensis Episcopus, Scriptor sententiarum Theologiæ, in quibus continetur tota profonditas Scripturæ Sacræ.

Eodem tempore fuit Abbas Joachim in Calabria, in Monasterio Floris, qui multa propheticè videbatur dicere, & libros maximè prophetales exposuit, in quibus de futuris actionibus, & eventibus hominum agitur: sed quia quædam dixit dubitabilia, & se apposuit Magistro sententiarum, primò quidem per Innocentium Tertium ille libellus est reprobatus, & continetur etiam in Codice Juris, & aliæ scripturæ ejus tanquam apocrypha judicantur.

Anno Domini 1185. Riccardus Rex Angliæ rediens de ultra mare, reversus est per Hungariam, & vênit in Austriam Ducatum Alamanniæ. Dux autem dictæ regionis iverat cum Federico in Terram Sanctam, ibique inter ipsum & Regem dura fuit verborum contentio, usque ad injuriam personarum; cùmque audisset Dux Austriæ advenisse Anglicos in terram suam, explorari fecit, si Rex Angliæ esset ibi. Rex autem simulavit habitum, & in effigie coci se transtulit: sed cùm venisset Dux Austriæ cum sua comitiva, ut viderent qui essent, invênit Regem assantem anseres, & veru volventem clausum in caputio Gallico more; quem fixo vultu Dux aspiciens recognovit, captumque cum sua gente deduxit Viennam, ex quo facto vindicata judicatur injuria: unde ad paucos dies ipsum cum sua gente remisit illæsum.

Eodem anno Lucius Papa per Lucam transiens, multis ampliavit privilegiis Ecclesiam Sancti Martini, & quantùm ad dignitates, & quantùm ad temporalium fructum. In quorum uno privilegio Ecclesiam Sancti Fridiani multùm commendat.

Eodem anno Henricus Imperium assumit, licèt non coronatus; sed per Lucium confirmatus: coronatus verò per Cœlestinum Tertium, ut Martinus scribit.

Anno Domini 1186. Lucius Papa Veronæ moritur, ubi in suo sepulchro tale Epitaphium esse fertur:

Luca dedit lucem tibi Luci, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.

Dictum ponitur versus contrariæ sententiæ, quasi quoddam apologeticum primi:

Imò Verona dedit verum tibi vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

Eodem anno privilegium concessum fuit per Henricum filium Federici Lucano Communi de sex milliaribus, quod ante concessum fuerat per Othonem, & Henrium Secundum; multas etiam alias dignitates & privilegia eidem Communitati concessit.

Anno Domini 1187. Urbanus Tertius, natione Lombardus in Cathedra Petri ponitur, circa finem anni. Sedit anno uno, mensibus 10. & diebus 25. Hic audiens terram ultramarinam non bene prosperari, præ nimio dolore infirmatus est, de quo moritur, & sepultus est in Ferraria. Ab isto Papa coronatur Henricus in Imperatorem, licèt multis annis auctoritate..... (*) usus fuerit Regalis sedis, sicut Rex Italiæ constitutus per Patrem. Alii autem dicunt Henricum à Cœlestino coronatum.

Eodem anno & tempore factum est stuolum magnum in Terram Sanctam pro recuperatione ejusdem; sed parum Cruce-signati profecerunt.

Eodem anno castrum de Fornore fuit à Lucensibus destructum, & castrum de Montravanto reparatum, iteratò combustum est.

Anno Domini 1188. Gregorius Octavus, natione Beneventanus in sede collocatur Papali. Hoc eodem anno Henricus cum Theutonicis, & Romanis multa mala infert Thuscis.

Eodem anno Henricus regnum Thusculanum tradit Romanis, & destructum est ab eis.

Eodem anno fuit Potestas Lucensis Paganus Ronsini.

Eodem anno fuit discordia inter Portam Sancti Frediani, & illos de Burgo in Civitate Lucensi:

(*) *In Historia Ecclesiastica*. Hic, ut aliquæ Historiæ dicunt, coronavit Henricum VI. filium Friderici in Imperatorem.

censi: Porta autem Sancti Donati favebat uni parti: Porta verò Sancti Gervasii, & Porta Sancti Petri favebat alteri, & sturmum maximum factum est *alla frata*; postea verò per Florentinos sunt pacificati.

Dictus Gregorius zelando pro Terra Sancta, ad diversas Provincias literas mittit. Veniens in Thusciam pacem facit inter Januenses, & Pisanos; sed cùm esset Pisis, & de transfretatione ultramare tractaret, ibidem infirmatus est, & mortuus, ibidemque sepultus. Sedit autem solis duobus mensibus: cui succedit Clemens Tertius.

Eodem anno reperitur juramentum fidelitatis Lucensi Communi per homines Sancti Quirici de Venere factum, & firmatum.

Anno Domini 1189. Clemens Tertius sedit in Cathedra Petri, natione Romanus; seditque in ea annis tribus. Hic ex patre Joanne dicto Stolari, claustrum fecit apud Sanctum Laurentium foris muros, palatium Lateranense exaltavit, ibique stationem suam fecit, ibidemque mortuus est, & sepultus.

Anno eodem Henricus vadit Neapolim ipsamque cum suo exercitu obsidet; sed invasit tanta epidemia castra ejus, quòd coactus est inde recedere, quasi victus. Uxor etiam sua ibidem infirmata, & mortua est. Hic Henricus aliquando vocatur Quintus, aliquando Sextus, scilicet Quintus dicitur in geneologia Imperatorum, Sextus in catalogo Regum, ut scribit Viterbiensis.

Anno Domini 1190. Henricus Imperator capit Salernum, subjecitque sibi totam Apuliam, & Siciliam, omnesque rebelles diversis cruciavit pœnis.

Eodem anno in Calendis Julii Sol obscuratus est, & duravit à Tertiis usque ad Nonam.

Eodem anno invenitur in privilegiis Sancti Martini de Luca, quòd Imperator Henricus eadem privilegia dictæ Ecclesiæ confirmavit, quæ pater suus dederat, Canonicos fratres suos vocans.

Anno Domini 1191. Clemens moritur: cui succedit Cœlestinus Tertius, natione Romanus, ex patre Buondomo: sedit annis sex, mensibus octo.

Anno Domini 1192. nascitur Federicus Secundus cum magno plausu, ex Henrico Imperatore Sexto, Constantiæ viro.

Eodem anno invenitur in Registro Civitatis Lucensis juramentum Fidelitatis factum Lucano Communi per nobiles de Vallecchia, dando, & assignando eidem Communitati terras, castrum, podium, casas, & alia, quæ habebant in Montebello.

Anno Domini 1193. Henricus Imperator intravit Apuliam, ubi honorificè & pacificè susceptus est; transiens autem in Siciliam, quosdam reperit non sinceros ad suum dominium propter Tancredum, & Regem Epirotarum, sive Achajæ, qui de genere Regio Siculorum. Hos autem sibi suspectos, quosdam occidit, quosdam relegat, quosdam verò perpetuis vinclis deputat.

Anno Domini 1194. Henricus in Sicilia liberè imperat: cernensque ex omni parte Imperium suum esse integrum, ad tributum Regis Tunitii lollicitatur aliarumque partium Africæ, videlicet, Numidiæ, & Mauritaniæ, suumque habet in totum ultra quàm haberet Rex Rogerius prædecessor ejus in Regno.

Eodem anno occasione gravaminis quorundam Siculorum, perturbatur Ecclesia Romana.

Eodem anno invenitur facta emptio per Lucense Commune ad jus (*) filiorum Raymundi de Podio, de Sylva regia, de monte Filectori, quæ nobiles habuerant à Comitissa Mattilda. Quædam autem in dicta continentur emptione, quæ hîc non dicuntur; sed ad Registrum Civitatis Lucensis recurritur, quia eodem tempore ibidem in duobus continentur capitulis de hoc, & de castello Aghinolfi.

Anno Domini 1195. Henricus Panormi moritur in palatio Regis Rogerii soceri sui, sive cognati: & quamvis Ecclesia turbaretur cum Henrico Imperatore; gratiositas tamen Dominæ Constantiæ in populo Siculo, ex gratiosa memoria sui patris apud nobiles præfatæ Insulæ, & Ducatus Apuliæ suam prolem reddidit amabilem, licèt esset ibidem aliqua materia dissidii propter stirpem Regum suorum, & sequacium, quos exstirpaverat Henricus. Et nota hìc, quòd Gesta Florentina dicunt fuisse mortuum ann. 98. sed primùm magìs concordat cum tempore sui dominii.

Eodem anno, annuente Ecclesia Romana, Siculi, & Apuli, Dominæ Constantiæ pro filio suo Federico juraverunt fidelitatem, sicque regnum in pace quiescit.

Eodem anno, annuente Ecclesia Romana reperitur in Registro Communitatis Lucensis, illos de Balbano Lucensis Diœcesis, recepisse in locationem ad certum censum totum Podium de Balbano, & totam terram in monte, & in plano territorii de Balbona dotalis, à Lucensi Communi.

Anno Domini 1196. discordia oritur inter Principes de Imperatore eligendo vacavitque Imperium aliquibus annis. Tunc autem in Thuscia Dux erat Philippus, ut quidam volunt frater Henrici, & filius Federici primi; Ubi attende quòd aliquando Thuscia fuit Marchionatus, ut tempore Comitissæ Mattildæ, aliquando Ducatus, ut hîc, secundùm ordinem Imperatorum, qui pro tempore erant. Anno igitur eodem, quod in registro Communitatis prædictæ habetur, per *Dominum Philippum Dei gratiâ Imperialis Aulæ Ducem Thusciæ*; confirmata sunt Lucensi Communi omnia privilegia per antecessores suos, & Imperatores eidem concessa, de quibus est dictum supra.

Eodem anno ceciderunt duæ turres Lucæ, ut in Gestis eorum habetur, in diversis temporibus, videlicet filiorum Hespiafame, & filiorum Cari, quæ multos homines oppresserunt.

Anno Domini 1197. Cœlestinus moritur, cui succedit Innocentius Tertius, videlicet Anno Domini 1198., natione Campanus, ex parte Transmundi, consecratus in Cathedra Sancti Petri. Hic quàm fuit gloriosus, opera ipsius de ipso testimonium perhibent; nam composuit Doctrinales, in stylo dictaminis, & profunditate sententiæ meritò cæteris præponendus: fecit librum de miseria hominum: fecit sermones ad prædicandum copiosos. Hic ædificavit in Urbe duo miranda, unum fuit turris, quæ hodie turris appellatur Comitis, singularis quidem in Orbe terrarum: secundum fuit Hospitale Sancti Spiritus, juxta Sanctum Petrum, quod multis ampliavit divitiis; quod fecisse dicitur, quia reprehensus fuerat de tanto fastuoso ædificio turris: unde in hujus rei pensatum fecit Hospitale prædictum. Insuper dicitur fecisse & de-

(*) *Aliàs* ad onus.

dedisse universis Ecclesiis Urbis unam libram argenti pro calice fabricando.

Eodem anno, ut in Actis Lucensibus scribitur, dicuntur primæ factæ Societates in Civitate Lucensi, quarum auctores fuerunt Rodulfus Viviani, & Lotrus Chiatri.

Anno Domini 1198. Lucenses congregaverunt exercitum in Versilia, contra Cathanos, & Pisanos, & ibi ceperunt quoddam castrum, quod dicebatur Metri, & destruxerunt, & combusserunt ipsum, & ad nihilum redegerunt.

Eodem anno invenitur in Registro Lucensis Communis juramentum fidelitatis factum eidem Communitati per illos de Corvaria, & de Montemagno, & filios Ubaldi.

Eodem anno Principes Alamanniæ convenerunt ad electionem faciendam: elegerunt in discordia, quia una pars elegit Philippum, ut Martinus narrat fratrem Henrici Imperatoris: alia verò pars Othonem Ducem Saxoniæ: plures tamen voces habuit Philippus Othone.

Anno Domini 1199. Lucenses ædificaverunt Burgum Sancti Genesii, sive reparaverunt, ut Gesta Lucensium dicunt, & sequenti anno Saminiatum destruxerunt: sed Gesta Florentinorum dicunt destructionem Saminiati, quòd fortè fuit ad exteriores domus.

Eodem tempore tradunt fuisse pacem in tota Italia.

Eodem anno, ut Gesta Florentinorum dicunt, Philippo prævalente in Alamannia sub pace reformata; simulata tamen inter ipsum & Othonem, ab Integrano interficitur, sumptâ audaciâ ex favore, quem dictus Innocentius dabat Othoni.

Anno Domini 1200. Otho confirmatur per Innocentium, & ex hoc quietatio. Commotio facta in Theutonia de interfectione Philippi, quæ modica non erat, mansit in Suevia.

Eodem anno Constantinopolis capitur à Francis, & à Venetis, & Balduinum Comitem Flandriæ Imperatorem constituunt, ut Martinus scribit.

Eodem anno invenitur in Registro Lucensis Communitatis juramentum factum per Dominos de Monte-magno dicto Communi ad veniendum in exercitum Lucæ ad ipsorum requisitionem, expensis propriis; & quòd tempore guerræ stabunt Lucæ quatuor mensibus; tempore verò pacis, tribus.

Eodem anno invenitur pactio inter Saminiatenses, & Lucenses de Burgo Sancti Genesii.

Eodem anno Bucardus suspenditur.

Anno Domini 1201. Otho coronatur Aquisgrani in Regem Alamanniæ, ad majorem solemnitatem, & ad refrænandum impetum Theutonicorum, ex causa jam dicta.

Eodem anno Florentini destruxerunt quoddam nobile Castrum nominatum Summofonte.

Anno Domini 1202. Tartarorum dominium initium habuit. Beatus Dominicus vênit Tolosam.

Anno Domini 1203. Almolinus (*) Imperator Saracenorum transit de Marochis ad invadendum Christianos, veniensque Toletum comminatus est, quòd in despectum Crucis, & ipsam adorantium, Hispaniam occuparet. Tunc predicata fuit Crux in tota Hispania & Gallia.

Convenientes igitur Principes Occidentis, videlicet Alphonsus Castellæ, Sanctius Rex Navarræ, & Rex Aragonum magnam secum trahunt multitudinem. Populi verò appropinquan-

A tes Saracenis, durissimum fecerunt congressum, duravitque pugna de mane usque ad vesperas. Tantaque facta est strages Saracenorum, totque occisi sunt, quòd de ipsorum sanguine quasi factus est rivus; sicque Almolinus super unam equam in Marrochum se transfert; & confusus recessit. Ex tunc Saraceni in Hispania nunquam habuerunt virtutem.

Eodem anno Lucæ fuit discordia inter milites, & pedites; populus verò prævaluit, & expulit nobiles, & fuit magnum prœlium in planitie Montis Chiatri: exin facta est concordia inter eos per Capitaneos Thusciæ, & sic nobiles redierunt ad propria.

Anno 1204. Livonia in finibus Daciæ conver-
B sa est ad fidem.

Anno 1205. Invenitur juramentum factum Lucensi Communi per Potestatem de Pontremulo, de strata custodienda in tota eorum fortia, & de non solvendo ibidem pedagio, quantùm ad cives Lucenses. Simile juramentum fecit Dominus Gualterottus, Episcopus Lunensis in toto suo dominio, & districtu. Idem fecit Dominus Guillielmus Marchio Malaspina in toto suo Marchionatu, & dominio.

Anno 1206. Comes Simon pugnavit contra Comitem Tolosanum prospero Marte. Facta fuit pax inter Lucenses, & Samminiatenses.

Anno 1207. factum fuit juramentum Lucensi
C Communi ab Andrea Marchione Massæ Lunensis.

Anno 1208. Otho Quartus Moduetiæ ferream Coronam accepit; Romæ verò auream ab Innocentio Tertio.

Eodem anno datur bannum per Othonem Imperatorem omnibus Porcavensibus, qui occiderunt Dominum Guidum de Pruvano Potestatem Lucensem.

Eodem anno Domini de domo Suffredinga fecerunt juramentum fidelitatis absque aliquo tenore. Idem fecerunt & ipsorum fideles, videlicet Commune, & homines de Limano, de Fornore, & aliæ Communitates.

Anno Domini 1209. Otho Imperator Lucam veniens, Ecclesiam Cathedralem suis privilegiis
D ornavit, confirmans privilegia.

Idem in Platea Sancti Martini inhibuit omnibus de Versilia, & de Garfagnana, qui deberent vel deberentur nobilibus de Porcari, quòd responderent eis de aliquo jure, quod eis competeret, sub pœna M. marcarum argenti.

Etiam invenitur juramentum fidelitatis factum per illos de Domo Suffredinga, Lucensi Communi, & de veniendo eorum expensis in hostes & cavalcatas, seu exercitum ipsorum.

Simile invenitur de Domo filiorum Ubaldi. Et de Domo de Montemagno: & similiter illi de Barga, & amplius; quia obligaverunt se per juramentum datias, & collectas solvere, secundùm quod Lucense Commune imponeret.

Simile juramentum per omnia castra Garfa-
E gnanæ.

Anno 1210. Otho Imperator intrat Regnum Apuliæ, unde excommunicatur, & deponitur.

Anno 1211. Otho Imperator in Galliam vênit in adjutorium Ferdinandi Comitis Flandriæ, & Joannis Regis Angliæ, qui erant excommunicati, propter quod Philippus Rex Francorum, cum Ludovico filio, mandato Papæ, contra prædictos bella movit.

Anno 1212. fuit passagium (**) .... ultra mare

(*) *Aliis* Almimolinus, *& ita in Histor. Ecclesiast.*

(**) *In Historia Ecclesiastica*. Anno MCCXVIII. Rex Hungariæ, & Dux Austriæ cum aliis diversarum nationum Crucesignatis transeuntes per Hungariam, & Græciam vadunt in Terram Sanctam &c.

mare . . . . . . quòd per eos deberet recuperari Terra Sancta.

Rex Franciæ Philippus habuit victoriam contra Regem Angliæ, & justo titulo occupavit Normanniam, Pictaviam, Alverniam, Marchiam, ultra Pictaviam, & Aquitaniam, Papa annuente.

Anno 1213. Rex Castellæ moritur, relinquens unicum filium; maritatis autem duabus filiabus, videlicet Blanca filio Regis Francorum, & Berengaria Regi Legionensi. Federicus Rex Alamanniæ eligitur, natus annos 21.

Facta fuit promissio per Lucenses Consules, Dominis Guillielmo, & Opezino Malaspinæ de salvandis eorum territoriis.

Anno 1214. Domina Berengaria uxor Regis Legionensis, cum Ferdinando filio, Regnum Castellæ invasit & cepit. Concessit tamen illis in singulis Villis dicti Regni, ut unum prandium in anno præciperent; licèt Regnum hoc Dominæ Blancæ tanquam primogenitæ deberetur, tanquam uxori Ludovici Regis, ut supra.

Anno 1215. in die Resurrectionis, occisus fuit Dominus Bondalmonte Uguccionis, ab Ubertis, & ex tunc pullulavit divisio Guelfa, & Ghibellina.

Illi de Controne juramentum fidelitatis fecerunt, & similiter alia Castra de Garfagnana.

Anno 1216. Ordo Sancti Dominici, & Sancti Francisci ab Honorio confirmatur.

Anno 1217. Cecidit pars turris Pagani Bonsini, & multos oppressit. Pisani, & Lucenses convenerunt de cudenda moneta Bonalberghi, quondam Tancredi.

Anno 1218. Ludovicus Rex Francorum vênit in terram Albigensem, cum exercitu magno, & contra Hæreticos, & contra Comitem Tolosanum.

Eodem anno invenitur compera facta per Lucenses de Monte Summano, cum curia & pertinentiis, casis, & casalino, pascuis, nemoribus, piscariis, & aliis à Domino Ugone Dei gratiâ Abbate Sancti Antonii.

Item reperitur facta obligatio Lucensi Communi per Castellanum arcis Massæ Marchionis, & Castaldionem Damicellæ filiæ quondam Domini Guillielmi Marchionis Massæ, pro quadam summa pecuniæ, pro qua dicta arx remansit Lucensi Communi obligata.

Anno 1219. Duæ domus ceciderunt Lucæ, opprimentes mulieres 50.

Anno 1220. Capellus turris filiorum Sismundi corruit Lucæ, & interfecit ultra homines 200.

Anno Domini 1221. Abbas de Sexto, Dominus Manfredus, & ejus Conventus ex beneficio eisdem collato per dictum Commune, dederunt & concesserunt eidem Communitati custodiam castrorum Cerreti, & montis Calvori, & sub protectione posuerunt Lucensis Communis, & defensione. Promittentes quòd non locabunt nec vendent, nec alienabunt sinè consensu, & beneplacito Lucensis Communis; & guerram & pacem simul faciunt; salvis semper redditibus, & proventibus, quos Abbas præfatus, & Capitulum habent in dictis Castris.

Item collatum fuit castrum de Viaregio Pagano Baldoini de Luca, ac Civi Messanensi, per dictum Federicum Imperatorem: cujus privilegii originale dicitur esse in Monasterio de Guamo, cum bulla aurea.

Anno 1222. Pisani fuerunt devicti à Lucensibus & Florentinis, apud castrum Montemoreci, quod Lucenses destruxerunt, & posuerunt homines juxta Bientinam, in burgo quodam.

Anno 1223. die 11. Novembris castrum de Rotaja fuit ædificatum à Lucensibus. Ædificatum fuit castrum de Castilione in Sylva regia superiùs nominata.

Anno 1224. Federicus Imperator cepit uxorem Mariam filiam Joannis Regis Hierosolymæ.

Anno 1225. prodita fuit arx Montisbelli, fugeruntque omnes Lucenses, qui in arce erant. Lucenses ceperunt pactione castrum de Anchiano cum arce; & destruxerunt castrum de Lombrici, vi prœlii.

Guido Tegrimus, & Malcoaldus, & Aghinolfus Lucenses vendiderunt Lercianum, & villam Cecinæ Pistoriensibus, sex millibus libris denariorum bonorum Pisanorum: & villam de Casci, & de Collecchio Gufo Pistoriensibus.

Marcoaldus fuit de Malpisis, & est ad eum bulla Alexandri Quarti pro Monasterio Frixionariæ. Aghinolfus fuit Dominus Montignosi.

Anno 1226 Lucenses spoliaverunt & destruxerunt Castilionem de Versilia, excepta turri, quæ remansit; Ingherame Bernardini de Montemagno Prætore Lucensi, Lucenses ceperunt Ascianum cum plebe.

Anno 1227. Castilionum de Garfagnana à Lucensibus destruitur in Februario, ubi fuerunt devicti Pisani, & Garfagnani, & villæ combustæ. In Martio capta fuit arx de Mozano, cum multis hominibus, qui juvabant Cathanos.

Anno 1228. Gregorius canonizat S. Helizabeth filiam Regis Hungariæ, viduam relictam Lanteravii Ducis Turingiæ.

Anno 1229. Federicus in Hierusalem coronatur ut verus Dominus, ratione uxoris; de qua nascitur Corradus pater Corradini, qui à Rege Carolo obtruncatur.

Anno 1230. Florentini & Lucenses cum Carrocio scopaverunt Comitatum Senensem, usque ad portas Civitatis, destruentes balnea, & 20. castra, cum captivis 1270.

1231. Lucenses congregaverunt exercitum contra Bargam, ejusque regionem devastarunt.

1232. Existente Potestate Lucense Domino Aldebrandino Aldimari de Florentia, Lucenses obsederunt Bargam, & dimiserunt ibi plumbum, quia fuerunt graviter læsi simul cum Florentinis à Pisanis, Barghigianis, & Cattanis.

1233. Dominus Bernardus de Romagna fuit Potestas Lucensis.

1234. Romani fuerunt devicti à Viterbiensibus, ubi mortuus est Lambertus Millieri, caput Militiæ Lucensis, in auxilium Papæ. Federicus Corradum filium Regem Alamanniæ facit.

1235. Duo Cardinales redeuntes de Gallia, à Pisanis capiuntur.

1236. Frater Jordanus Magister Ordinis Prædicatorum obiit 1237.

1238. Fuit Consul Lucensis Dominus Aldebrandinus Bullione. Item fuit ductus Lucam Elephas per familiam Imperatoris.

1239. Federicus superavit Mediolanenses; deinde vênit Lucam, ubi gratiosè fuit exceptus.

1240. Lucenses cum Marchione Palavicino totam Garfagnanam occuparunt.

1241. Papa Innocentius Quartus ostendit Federico Imperatori Pontificiam dignitatem Imperiali esse majorem.

1242. Cùm multi Prælati navigarent ad Concilium in navigiis Genuensium, apud Meloram à Pisanis capiuntur, cum 1600. Genuensibus, & Federico Imperatori traduntur. Nota quòd in eodem loco à Genuensibus postea superantur. Hoc anno, ut in Lucensibus Chronicis habetur, Petrasancta ædificatur à Lucensibus.

1243.

1243. Imperator Federicus duobus mensibus stetit prope muros Romæ cum exercitu infesto.

1244. Tres magni terræmotus fuerunt Lucæ, qui turres & domos concutiebant.

1244. Principes Alamanniæ ex mandato Papæ elegerunt Imperatorem Ducem Lateraviæ, & Turingiæ; quo citò mortuo, elegerunt iteratò, Comitem Millardiæ, nomine Guillielmum, qui citò à Frisonibus occiditur.

1245. Tradunt aliqui Federicum Imperatorem filium occidisse, accusatum sibi de rebellione, quem captum in Apuliam deducens, carceris squalore maceravit, ac suffocavit.

1246. Lucenses in septimana sancta iverunt in Garfagnanam armata manu contra Cattanos, qui amputaverant manum cuidam Notario, Lucensi civi, de dicta regione, cui Scuchinus nomen erat. Hoc autem fecerunt, quia portaverat candelam ad luminaria Sanctæ Crucis: propter quam causam provocatus Lucensis populus combussit, & destruxit multas villas, castra, vineas, sylvas, & nemora.

1247. Guelfi fuerunt Florentia expulsi, operâ Imperatoris, in nocte S. Mariæ Candelarum.

1248. Destructus fuit Burgus Sancti Genesii, in plano Sancti Miniati.

1249. Federicus Imperator vênit Florentiam, unde cum Florentinis & Pisanis vadit Caprariam versùs, eamque obsidet, ubi erant multi Florentini Guelfi expulsi de Florentia, ut etiam Comes Rodulphus, Dominus castri.

Inter expulsos autem Dominus Raynerius Ginghenæ de Bondalmontibus, & multi alii. Quoscumque cœpit Imperator in dicto castro, misit in Apuliam, ac oculorum lumine orbavit. Quorum multi, assumpto Religionis habitu, Deo oculis mentis servierunt. Imperator videns Lucenses favere Innocentio, iteratò mittit dictum in Garfagnanam, videlicet Dominum Bonaccursium de Padule. Tunc Lucenses procuraverunt ipsum occidi per Marchionem, & Cattaneos præfatos, qui tunc erant amici Lucensium, & Papæ.

Eodem anno Palavicinus Marchio de Garfagnana expellitur per Lucenses, & Marchionem Bernabovem, cum auxilio Cattanorum.

Cui dominio dictus Rex reversus cessit, ad instantiam Federici patris sui, & concessit Lucensibus, ut in Registro Lucensi scribitur.

Tertius autem Henricus fuit pater Corradi de Antiochia, qui claudus fuisse dicitur. Hi autem duo ultimi non fuerunt filii legitimi Imperatoris, & de tertio tradunt aliqui, quòd fuit Dominus Garfagnanæ; sed meliùs est dictum de secundo.

1250. Existente Potestate Domino Thomaso Malanocte, Lucenses iverunt in Versiliam contra Pisanos, qui erant in Lunizana, & Trebbianum ceperunt, & propter Castra vicina multi fuerunt oppressi. Lucenses ceperunt Salam, & Castilionem in Versilia; Federicus Imperator à filio suffocatur. Existente Potestate Florentiæ Domino Uberto de Luca, per populum, ipso procurante, reducti sunt Guelfi Florentiam, qui in Capraria capti non fuerant. Dominus Bonaccursius occiditur in Garfagnana per Marchionem Bernabovem, & Cattaneos consentientibus Lucensibus.

1251. Rex Corradus filius legitimus Federici intrat Apuliam, & Neapolim expugnat.

1252. Rex Corradus moritur. Manfredus Princeps Tarentinus curam Regni assumit Corradini nepotis filii Corradi, qui postea à Carolo Rege fuit oppressus. Innocentius etiam paravit exercitum contra Manfredum.

1253. Rex Manfredus creatur; sed ab Alexandro Quarto excommunicatur.

1254. Existente Potestate Lucæ, Domino Conte Prendiparte, Lucenses cum suis amicis fecerunt exercitum contra Cattanos de Corvaria, & Valleechia, propter pacta non servata; quia proditoriè commiserunt se Pisanis Corvariam: & Vallecchiam expugnatas in Januario nivali combusserunt, ac destruxerunt. Sententia fuit lata per Commune Florentiæ contra Commune Pisanum, pro Lucensibus, de Castro Motroni, & de terris Episcopatus restituendis.

Eodem anno, existente Potestate Florentino Domino Guiscardo de Petrasancta, Florentini fecerunt exercitum contra Senenses, ceperunt Volterram, & Poggibonzi, ac etiam fecerunt pacem cum Pisanis, cum obsidibus, quæ parum duravit.

Sozomenus Pistoriensis ait, hoc anno Florentinos cum Lucensibus profligasse Pisanos, & eisdem duras pacis conditiones dedisse; & cum in pacis conclusione Pisani obtulissent Plumbinum, aut Petramsanctam, quam occupaverant, Florentinos elegisse Petramsanctam, eamque restituisse Lucensibus, quæ ædificatur ante (*) *hunc annum.*

In Chronicis Pisanorum habetur, quòd Guiscardus fuit arbiter inter Lucenses, & Pisanos.

1255. Principes Alamanniæ in eligendo Imperatore in duas partes se diviserunt; altera Dominum Alphonsum Regem Castellæ; altera verò Dominum Ricciardum Comitem Cornubiæ, Regis Angliæ fratrem, elegit: sed hoc schisma morte utriusque sublatum est. Dominus Guiscardus de Petrasancta fuit hic Potestas, qui de Versilia duos burgos, unum ex suo nomine nominavit; alterum verò Campum-majorem, replens rusticis, seu hominibus Cattaneorum; alium verò de Petrasancta replevit hominibus de Corvaria, & de Vallecchia, eximens eos ab omni onere, & fidelitate nobilium: & destructa sunt omnia ferè castra nobilium de Versilia, nisi quantùm pertinerent ad Lucenses, assumptâ causâ à Cattaneis de Corvaria, & Vallecchia; quia in facto nostræ Communitatis non sunt inventi fideles, & quia in omnibus castris partem habebant.

1256. Fuit illata magna clades Pisanis in valle Sercli à Florentinis, & Lucensibus: postea facta pax, sub certa Pisanorum lege, & servitute à qua fuerunt exclusi proditores de Versilia Lucensis Communis, ita quòd ad bona ipsorum non deberent admitti. Fuit autem ad hoc Sindicus Dominus Bartholomæus de Pallia.

Florentini restituunt Lucensibus Motronum, & Massa del Marchese, Sindico Bonifacio Bontori.

1257. Lucæ fuit prœlium inter populum Macrum, & Grassum, postea venerunt ad concordiam.

1258. Fuit Potestas Lucensis Dominus Nicolaus de Vacchelleriis.

1259. Ghibellini de Thuscia curiam Manfredi replent, qui ad instantiam illorum, & Octaviani Cardinalis de Mustello, in Thusciam militiam misit apud Senas, & cum Ghibellinis & Senensibus amicitiam contrahit, cui occultè favent Pisani.

1260. Florentini, & Lucenses fecerunt exercitum contra Senenses, qui junxerant se Ghibel-

(*) *Alibi* intra.

bellinis, & Manfredo in mense Maji, & ceperunt multa castra, videlicet Mezano, Casole, &c. In mense Augusti Florentini & Lucenses fecerunt majorem exercitum contra Senenses, ad minuendum castrum de monte Alcino. Manfredus majorem Theutonicorum militiam Senas mittit, qui cum Ghibellinis Thusciæ nostros invadunt, primamque aciem in fugam vertunt, dolo, & proditione: (*) tradunt enim quòd . . . . vexilli eundem invaserunt, sicque prostrato principalis aciei vexillo, per amputationem manus tenentes, discooperiuntur à proditoribus, quæ erant signa partis adversæ: convertuntque gladium cum hostibus contra propinquos in acie, sicque prævalens pars adversa, nostros vertit in fugam, Deo permittente, quia nimis fastuosè suis finitimis Florentini erant infesti: hoc fuit in Valle Arbiæ. In Thuscia citra tempora Salvatoris non fuit major clades, nec erat locus refugii, quia undique erant hostibus vallati. Unde Episcopus Aretinus profugis multùm nocuit, capiendo, & occidendo.

Lucenses autem cùm vellent exercitum instaurare, recipiunt se ad montem Apertum, sperantes posse resistere, propter bonam quam habebant militiam, præsentibus Marchionibus Malaspina, videlicet Domino Federico Morovello, & Manfredo: sed deficientibus victualibus, & urgente hostium multitudine, majorem passi sunt jacturam. Unde nequeuntes resistere, deditionem fecerunt 4. die Septembris. Guelfi Florentini, qui evaserunt, Lucam se recepere, existente Potestate Lucense Domino Guidone de . . . .

1261. Status Thusciæ totus est mutatus, quia tota Thuscia Imperialis, præter Lucam, & exules Florentinos, ad partem Ghibellinam convertitur. Tunc Pisani fregerunt pacem Lucensibus. Comes Guido factus Dominus Florentiæ, omnesque Civitates societatem jurant cum Comite Jordano Vicario Manfredi contra Lucenses, & Guelfos, qui eò refugerant de civitatibus Thusciæ, & Castris. Pisani cum dicta parte intrant territorium Lucense, capiuntque Sanctam Mariam de monte Calvori, Sanctam Crucem, Castrum Franchum, Capianum, & Galluram devastant, & Castrum Sancti Miniati; Castrum de Ficeclo restitit virtute Lotti de Chiatri, & Belhomi Viviani de Lammari, & aliorum.

1262. Urbanus mittit Guillelmum Legatum pro Cruce danda contra Jordanum, & partem Ghibellinam, existente Lucæ Potestate Domino Bartoldo de Ursinis, viro strenuo, & nobis favorabili. Lucenses fecerunt pacem cum Ghibellinis, & remiserunt exules.

Guelfi qui erant Lucæ, & Lucenses miserunt Legatum ad Corradinum filium Corradi, ut veniret in Italiam ad accipiendum Regnum Apuliæ, qui cùm esset puer, noluit venire, sed pollicitus est se venturum, quum per ætatem liceret. . . . .

Eodem anno, Guelfi Florentini fuerunt coacti abire Luca, propter conditiones pacis cum Ghibellinis; unde Bononiam sunt profecti.

1263. Domino Philippo de Asinellis existente Potestate Lucense, Castellione amittitur; sed statim recuperatur: sed exequendi lætitia dispersit Lucenses; unde stipendiarii Pisani transeuntes flumen, & videntes Lucenses dispersos, invaserunt, eosque cum magna strage in fugam verterunt. Forsan accidit, quia Castellano exuli non fuit servata fides, sed fuit interemtus; unde malè cessit Lucensibus, quum priùs viderentur victores universæ Thusciæ. Pisani obsiderunt Castellione, quod obtinere non poterant; postea fecerunt foveas subterraneas circa arcem: quam volentes comburere, interiores de dicto Castro fecerunt & ipsi foveas correspondentes prædictis; ibique cum pice projecerunt ignem; sed quia non fuerunt providi obturare fovearum aperturas, quòd ignis (*per eas exivit*) tantaque fuit violentia ejus & impetus, quòd resistere non potuerunt, sicque arcem combussit, propter quod coacti se reddiderunt personis: refugerant enim ad aliam partem Castri, ubi inquilini morantur; unde Castrum ad manus Pisanorum devênit. Ceperunt etiam Cotone, &c. Eodem anno obsederunt Nossanum tota regione vastata, versùs Lucam; sed circa Nossanum non prævaluerunt, immo ibidem multi sunt mortui de Pisanis.

Eodem anno, Cometa apparuit miræ magnitudinis in Italia, qui primò visus est in Cancro, paulatim procedens versùs Meridiem, donec propinquaret constellationi Orionis, & nunc ad unam partem suam comam dirigebat, nunc ad aliam; duravitque per plures menses. Coma autem ejus aliquando visa est extendi in longitudinem per quartam partem nostri Hemisphærii, vel circiter.

Eodem anno Urbanus Papa moritur Perusii, & in Ecclesia Sancti Laurentii sepelitur.

Anno Domini 1265. Clemens creatur, natione Provincialis, de Castro S. Ægidii. Hic primùm advocatus in Curiam Regis Franciæ; demum Consiliarius ejus, uxorem & liberos habuit, qua mortua Ordinem Clericatus assumpsit, & ad modicum tempus factus est Episcopus Aniciensis: demum Archiepiscopus Narbonensis; postmodò Cardinalis Sabinensis; præterea Legatus in Anglia, & post quinque menses à morte Urbani in Papam eligitur. Hic quantò plus crevit in dignitate, tantò plus floruit in sanctitate.

Eodem anno, videntes Lucenses, quòd non poterant ulteriùs resistere potentiæ Manfredi, & partis Ghibellinæ, devastatis ab omni parte suis territoriis, subjecerunt se mandatis Comitis Guidonis Novelli, qui Vicarium gerebat in Thuscia pro Manfredo. Huic tradiderunt Castrum de Motrone, in manu videlicet populi Florentini, & dicti Comitis.

Eodem etiam tempore tradiderunt eidem vallem Nebulæ, & vallem Arni, & tunc fuit factus Potestas Lucensis Dominus Grosellus.

Postea eodem anno vênit Dominus Carolus Comes Provinciæ per mare Romam: sua verò militia vênit Lombardiam, & fuit factus Romanus Senator.

Eodem anno, vênit Manfredus cum exercitu magno ad Pontem Ceperani. Tunc exivit ei obviam Carolus cum sua militia, & abstulit ei Pontem prædictum, & Castrum Sancti Germani. Manfredus verò recollegit se cum sua gente expedita versùs Beneventum, quem Carolus ibidem insequitur, pugnaturus cum eo: quod videns Manfredus, licèt renitentibus suis privatis Principibus, Carolum cum sua gente, & Militia aggreditur; sed non potuit resistere potentiæ Gallicanæ, qui antiquorum Romanorum more percutientes, omnes equos perforabant, nullaque arma contra hoc protegere poterant: militiâ Caroli ex modo pugnandi conservatâ illæsâ, & Electorum Italiæ gentis; sicque Manfredus

(*) *In Historia Ecclesiastica*, & ex tunc Manfredus prævaluit in Tuscia, & mittebat Vicarium.

dus cum sua gente occubuit, & in bello moritur; factaque est de sua militia, & populo magna strages. Et eodem anno Rex Carolus totam habuit Apuliam, & Terram laboris.

Anno Domini 1266 Venerunt Florentiam de Bononia Dominus Cathalanus, & Lotharingus Fratres Gaudentes quasi curam gesturi Civitatis prædictæ; ubi invenerunt 37. bonos viros ad reparationem Civitatis; & facta sunt matrimonia inter Guelfos, & Ghibellinos. In die autem Sancti Martini surrexerunt quidam in Florentiæ Civitate, & cum strepitu, & clamoribus fecerunt populum. Comes verò Guidus Novellus cum 600 militibus Theutonicis obviam ire voluit; sed non potuit: quare timens, cum sua militia recessit Pratum: tuncque redierunt Guelfi confinati in propria. Militia verò Urbevetensis vênit Florentiam ad custodiam Civitatis: & factus fuit illo anno Potestas Civitatis Florentiæ Dominus Normannus de Monaldeschis: Capitaneus verò unus miles Urbevetensis; & vivebant Florentini in pace sub prædictis Dominis.

Eodem anno, fuit Potestas Lucensis Dominus Lanfrancus Maluzellis de Janua, & Comes Guido. Lucenses verò cum multa patientia sustinebant istud dominium, semper expectantes aquæ motum, quomodo possent resistere.

Anno Domini 1267. in die Resurrectionis Domini, Comes Guido Guerra vênit cum militia Gallicana Florentiam, & expulit inde omnes Ghibellinos: & tunc fuit factus Dominus Rex Carolus Potestas, sive Dominus ad sex annos. Et eodem anno fuit factus Vicarius in Thuscia.

Eodem anno, Comes Guido prædictus fuit Potestas Lucensis, & tunc Lucenses resumpserunt vires, & recesserunt à dominio Guidonis Novelli, auferentes eidem dominium vallis Nebulæ, vallis Arni.

Eodem anno, Soldanus cepit Antiochiam, & destruxit eam, & cepit omnes Christianos, qui erant ibi, & quosdam quidem captivavit, quosdam verò occîdit.

Isto eodem anno Rex Carolus liberè totum Regnum habuit, & in Sicilia, & in Aprutio, in quibus duobus locis major fuit resistentia, quantùm ad Principes.

Eodem anno, in Junio, duo Sexti de Florentinis, cum multa militia Gallicana, equitaverunt ad Santellonum contra Dominum Philippum de Ancona, cum multis nobilibus Ghibellinis, & in isto exercitu fuit Dux Marischallus Regis Caroli, & vi belli vicerunt Castrum, & omnes qui erant in Castro fuerunt captivi, vel occisi.

Eodem anno, Ghibellini cum Theutonicis intraverunt castrum de Poggibonzi, dum Marischallus ivisset in exercitum contra Senenses; sed hoc audiens, rediit, & posuit castra sua in circuitu de Poggibonzi, convocata insuper multitudine Thuscorum. Tunc vênit Rex Carolus & stetit in obsidione dicti castri mensibus quatuor cum dimidio, hoc est, à medio Julio usque ad Calendas Decembris. Tandem qui erant in castro reddiderunt se in manibus Regis, salvis personis, & rebus, & juraverunt nunquam venire contra Regem, Rex autem intravit dictum castrum, & munivit sua gente, & amicorum.

Eodem anno, Rex ivit contra Pisanos cum gente sua, & societate Thuscorum, & abstulit eis multa castra, & destruxit castrum Portus.

Eodem anno vênit in Versiliam, & obsedit Motrone, & obtinuit violenter, & tradidit Lucensibus; post hoc verò, eodem anno, Rex Carolus rediit in regionem suam, dimisso Marischallo in Thuscia cum certa militia ad obviandum Corradino, & genti suæ.

Anno Domini 1268. Corradinus filius Regis Corradi & nepos Federici Secundi cedens de Verona vênit Papiam, cum intentione occupandi Regnum Siciliæ: vênitque per terram usque ad locum, qui dicitur Tirana, in Ripa Januensi, ubi dominium habent Marchiones de Carretto. Hîc autem cum adjutorio Januensium intravit mare, & vênit Pisas; sua verò militia vênit per terram de Papia usque Pisas. Et adveniente dicta militia, ad petitionem Pisanorum intravit territorium Lucense, in locum, qui dicitur Massa, devastaverunt in circuitu Regionem. Lucenses verò tunc cum Marischallo exierunt de civitate, & venerunt ad Pontem tectum, locum munitum, ubi est Auxeris aqua profunda & lata, neque vadabilis: ibique fuerunt manuales aliquæ pugnæ; sed campales non, propter multitudinem gentis, quam Corradinus habebat. Stetit autem dictus Corradinus super territorium Lucense 10. diebus; non tamen multùm se diffudit propter locorum discrimina. Inde recedens, vadit Senas.

Eodem anno, Marischallus vadens ad Regem cum sua militia, devictus fuit à militia Corradini, & à Ghibellinis ad pontem, qui dicitur *alla Valle*, prope Laterinum: & ipse Marischallus captus fuit, & ductus Senas: sui verò milites Gallici & Provinciales pro majori parte mortui & capti fuerunt.

Eodem anno, mortuus est Clemens Papa ante pugnam Corradini, quam ipse prædixit in plena prædicatione, Carolum ipsum prostraturum. Processum etiam durum fecit contra Pisanos, qui Corradinum receperant, & eidem favebant in Ecclesiæ detrimentum. Post hunc autem longo tempore vacavit Ecclesia, usque ad Gregorium Decimum. Sepultus est autem Viterbii, in domo Fratrum Predicatorum, per sententiam (*) . . . .

Eodem anno, Corradinus recedens de Senis, vadit Romam cum militia sua, ubi invênit Dominum Henricum fratrem Regis Castellæ, Domini videlicet Alphonsi, qui erat Senator in Urbe, quievitque aliquibus diebus ibidem pro apparatu de gente facienda, ad pugnandum contra Carolum, & suam sequelam. Die autem 18. Augusti, eodem anno, exivit de Roma, versùs Apuliam, quia jam civitas, & castra suo Domino pro Corradino rebellabant. Rex autem Carolus ad pugnandum contra prædictum Principem toto proficiscebatur conatu. In partibus ergo Romæ sibi invicem obviarunt in loco, qui dicitur Tagliacosso. In prima autem pugna militia Regis occubuit, & magna strages facta est de ipsa, & hoc fuit in die Beati Bartholomæi. Sola verò acies Caroli occulta remansit, propter clausuram viarum ex industria factam: unde gens Corradi credens Carolum esse devictum; ad spolia se convertit. Tunc Rex Carolus cum sua acie subitò invasit Corradinum, suamque gentem dispersam, hisque sic improvisis in fugam versis, magna fuit strages de eis; quidam verò recolligentes se in castris unierunt se ad pugnandum cum Rege, ut Ypatii, qui erant in acie Corradini cum Henrico; quidam Romani, & aliqui Theutonici, qui omnes pugnando, quasi in Campo remanserunt occisi, ali-

(*) *In Historia Ecclesiastica hæc explicatur sententia, qua dixit*: quòd dolendum erat de tali puero (Corradino) qui sic seductus ducebatur ad victimam.

aliqui verò capti, quos captos, aut decapitari Rex, aut mutilari mandavit, sicut in crimine læsæ Majestatis peccantes.

Eodem anno, post modicum tempus captus fuit Corradinus, & Dux Austriæ, ac Comes Galvagnus cum ipso, apud Astariam castrum, quod est in plagiis Romæ.

Eodem etiam tempore captus fuit Henricus, & Comes Gerardus de Pisis, in diversis locis, qui omnes consilio Sapientum decapitati sunt in Campo, extra muros Neapolis, præter D. Henricum ex speciali causa; quem tamen in Apulia, in quodam castro fecit includi, & sub fida custodia (detineri). De quo attendendum, quòd ex quo Romanus existens Senator fecit frangi
B deposita bonorum virorum, quæ erant in Ecclesiis Urbis, semper malè cessit eidem. Isto eodem anno fuit Potestas Lucensis Dominus Ubertus Provincialis.

Anno Domini 1269. Senenses cum Comite Guidone Novello, & cum militia Theutonica, ac cum aliquibus Ghibellinis; & Pisani fecerunt exercitum contra collem Vallis Elsæ; contra quos vênit Dominus Joannes Bertaldi de Campania Franciæ, qui tunc fuit Vicarius in Thuscia pro Rege Carolo, cum militia Gallicana, & cum ipso Florentini Guelfi milites, & pedites, ac balistarii; sed pauci erant etiam multitudine, respectu Senensium: & pugnaverunt ad invicem fortissima pugna: sed Dominus
C Joannes devicit eos quadam militari arte, ut fertur. de quo longus est sermo, & ideo prætermittitur; sed devicti sunt Lucenses, & maxima strages de eis est facta, & multi sunt ibidem in bello mortui, multique capti, sed præcipuè Senenses, & Theutonici, qui sic sunt ex tunc in Thuscia extirpati, quòd usque ad tempora præsentia nulla de ipsis fit mentio, quantùm ad bella.

Eodem anno, Florentini ceperunt Cascinam, captis multis, & interfectis, qui erant in dicto castro.

Eodem anno, existente Potestate Lucensi Domino Nicolao de Bacchelleriis, Lucenses iverunt ad devastandum Massam del Marchese,
D quia receperat gentem Corradini, & destruxerunt arcem, & redegerunt castrum ad vallem. Dum autem hæc agerentur, venerunt Pisani ad Pontem Sancti Petri, & combusserunt ipsum, & duxerunt captivos quot homines invenerunt in Burgo.

Eodem etiam anno, Dominus Joannes Bertaldi, cum Lucensibus, & Florentinis exercitum congregant contra Pisanos, & à parte montis Pisani devastaverunt regionem usque ad muros Civitatis: & cuderunt ibi monetam, & ceperunt Ascianum.

Eodem anno, fuit maxima inundatio aquarum, & flumina multùm damnificaverunt regiones in partibus diversis. Et eodem anno fuit
E potestas Florentiæ Dominus Malatesta de Arimino.

Anno Domini 1270. Florentini obsederunt *Pian di mezzo*, & ceperunt ipsum, ac destruxerunt, quod erat castrum de Passi, vallis Arni.

Eodem anno destruxerunt Poggibonzi, allegantes quòd non servaverant pacta Regi Carolo.

Eodem anno, in mense Julii, ac sede Petri vacante, Rex Franciæ Dominus Ludovicus, cum filiis suis, ac etiam cum Rege Navarræ, & Domino Adoardo, fecit passagium versùs Tunitium, cum multitudine magna, & posuerunt castra in loco, qui dicitur *Cercacarne*, & post eum sequutus est Rex Carolus, ibique infirmitas invasit exercitum; ita quòd Rex Franciæ ibidem mortuus est, & filius ejus, qui vocabatur Joannes Tristani. Mortuus est etiam ibidem Rex Navarræ, & uxor ejus in via, & multi nobiles, & in exercitu, & in via redeundo; unde epidemia coëgit eos recedere. Facta igitur compositione cum Rege Tunitii, & accepta ab eo magna summa pecuniæ, recessit pacificè exercitus, & rediit in Siciliam ad portum Drepani, ubi tempestas Gallicos invasit; unde & multæ naves ibidem perierunt. Quod videntes alii, applicuerunt ubi potuerunt per terram; unde Rex Philippus filius Lodovici transiit per Florentiam. Existens autem Comes Guido Montisfortis Vicarius in Thuscia, & audiens Viterbii (ubi erat Curia Romana) esse Henricum filium Riccardi Regis Angliæ, pro vindicta patris, & fratris, armata manu vênit Viterbium, & præsentibus Viterbii Rege Philippo, & Rege Carolo, invasit dictum Henricum & juxta altare occîdit eum: ex qua causa ab inde semper fuit infelix, & mala morte, captus à Rogerio de Loria, in Sicilia moritur. Uxor sua facta est adultera, & filiæ suæ mortuæ sunt sinè prole, & Comitatus ejus, ipso vivente, totus est laceratus. Prædicti etiam Reges facti sunt infelices, quia uterque mortuus est cum desolatione; sed præcipuè Rex Carolus, ad quem pertinebat corrigere.

Eodem anno, Lucenses fecerunt pacem cum Pisanis, ante transitum Regis Caroli, versùs Tunitium, & ipso mandante: & tunc fuit Potestas Lucensis Comes Taddeus de Urbino, sive de Montefeltro.

Anno Domini 1271. existente Potestate Domino Arrighetto Confalonieris, Lucenses fecerunt exercitum contra Montecatinum, & devastaverunt regionem ejus: tandem postea ad concordiam devenerunt, & hoc fuit in mense Maji.

Isto anno Rex Emsius mortuus est in carceribus Bononiensibus, & sepultus est honorificè in domo Fratrum Prædicatorum. Tunc etiam vacabat sedes Romana, & non erat Rex in Hierusalem: nihilominus tamen Principes sua regimina gubernabant, & Rex Carolus suum dominium habebat pacificum, & in Thuscia, ubi Vicarius erat, & in toto etiam Regno Siciliæ, atque ad provisionem Summi Pontificis, quantùm poterat, intendebat.

Anno eodem, circa finem, Archidiaconus Leodiensis existens ultra mare, in Papam eligitur, natione Placentinus, de genere Vicecomitum.

Anno Domini 1272. Aduardus Rex Angliæ existens ultra mare, & strenuè bellans contra Soldanum, Soldano procurante, à quodam assassino, quem familiarem habebat, lethaliter percutitur, quia toxicatis vulneribus est percussus: sed dum esset quasi à plagis curatus, adhuc sentiebat interiùs dolores, propter quod oportuit iteratò aperire plagas, ad abstergendum si quid maculæ esset toxicati vulneris, sic postea plenariè curam recepit: ac demum rediens. multa in bellis strenuè operatus est, & adhuc senex operatur quotidie.

Eodem anno, Gregorius veniens per ultra mare, jam electus vênit Viterbium, ubi fecit ordinationem quinque Episcoporum Cardinalium, inter quos fuit Frater Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum, Magister Generalis eorum, & Magister in Theologia, ac egregius Præ-

Prædicator: Frater Petrus de Tarantasia, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Magister in Theologia, & tunc Archiepiscopus Lugdunensis. Deinde Innocentius V. est factus Aretii, post mortem Gregorii.

Eodem anno existente Potestate Lucense Domino Petro de Faventia, Lucenses fecerunt exercitum contra Bargam, quia nolebant obedire mandatis Communitatis; & tunc subjecerunt se mandatis Lucensium, & facta est pax inter Bargam & Corelliam, & Castillionem.

Eodem etiam anno, subtracta fuit Corona Sanctæ Crucis per unum Canonicum, & quosdam Capellanos: sed postea recuperata est, & illi mala morte perierunt.

Anno Domini 1273. Gregorius 10. Concilium advocat apud Lugdunum, ad quod Concilium Græcos vocat, & Palæologum requirit, qui Papam sollicitaverat ad Latinorum concordiam, & Græcorum, sicut eventus rei testimonium perhibet. Ad hoc etiam Concilium vocantur Barbaræ nationes, ut gens Tartarorum ad Christi Fidem adduceretur, procurantibus Religiosis personis, quæ fuerant ad nationes transmissæ.

Isto eodem anno, inchoata est guerra inter Regem Carolum, & Commune Januense: inter quos fuit longa concertatio belli navalis, & hinc inde se fortissimè infestant.

Eodem anno, existente Potestate Lucense Domino Joanne de Blava, per Regem Carolum Lucenses miserunt eum in Lunisianam, cum certa militia, & multitudine peditum contra Januenses, in favorem Regis.

Eodem anno Comes Rodulphus de Ahisburg in Imperatorem eligitur, qui quidem fuit parvi Dominii, & Comitatus, sed strenuissimus in rebus bellicis, sicut sequentia facta pro Lucensibus probaverunt.

Eodem anno, filius Rodulphi primogenitus intravit terras Comitis Sabaudiæ pro jure Imperiali, & devastavit, & dum rediret in terram suam, in Rheno fluvio occasione cujusdam . . . . quam in mare voluit ut submergeretur, barcâ submersâ, ipse submersus est cum ipso.

Anno Domini 1274. Concilium celebratur Lugduni, ubi multitudo Prælatorum fuit major quàm fuerat in aliquo Concilio; nam inter Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios Prælatos, fuerunt 1570 in quo Concilio mortuus fuit Frater Petrus Ordinis Fratrum Prædicatorum & Lucensis Episcopus. Ibi interfuerunt nuntii Tartarorum, & Sacrum susceperunt Baptisma. Ibi nuntii Palæologi, & omnium Græcorum Prælatorum, offerentes se ad unitatem Ecclesiæ, & recognoscentes Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum. Hi dicti nuntii, cum Latinis Prælatis, confessi sunt Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere; & alta voce acclamaverunt cum aliis. In isto autem Concilio multa facta instituta, tum pro utilitate universalis Ecclesiæ, tum pro subsidio Terræ Sanctæ, quam ipse cum aliis Principibus intendebat adire. Unde ab eodem Rex Franciæ, cum Rodulpho Rege Romanorum, Crucesignatus est. Ibi etiam facta fuit institutio de Cardinalibus recludendis, cùm instat electio summi Pontificis. Ad hoc autem Concilium vocatus fuerat Thomas de Aquino, tanquam Doctor Excellentissimus, propter ea quæ tractanda erant cum Doctoribus Græcis, super discordia inter ipsos, & Latinos, circa quosdam articulos Fidei. Hic recedens de Neapoli, & veniens in Campaniam in domo Dominorum de Cicano, apud Dominum Annibaldum, qui neptem suam habebat in uxorem, graviter infirmatur continuò. Unde coactus ægritudine, & ad instantiam dictæ suæ neptis declinavit ad Monasterium Fossæ-novæ, ibidemque mortuus est, & sepultus cum multa devotione. Ubi Deus multa miracula ostendit, vitæ, & doctrinæ ostensiva. Voluerunt autem Fratres ejus corpus transferre; sed Domina non permisit pro dilectione & devotione, quam ad ipsum gerebat; sicque fecit occultari per Monachos, quod usque ad ista tempora haberi non potuit.

Eodem anno, Gregorius rediens de Concilio, rediit Florentiam, ibidemque stetit per mensem ad tractandum pacem inter cives, & inde recedens vênit Aretium. Et eodem anno & loco infirmatus est, de qua infirmitate migravit ad Dominum, cujus meritis ibidem multa ostendit miracula. Fuit enim in vita miræ honestatis, nec intendebat pecuniarum lucris; sed pauperum eleemosynis. Unde primus fuit, qui solemnem ordinavit eleemosynam in Romana Curia, ad quam faciendam quendam fratrem Conversum instituit Ordinis Fratrum Prædicatorum, cui nomen Frater Joannes de Subgromineo, quem secum duxit de ultramare.

Hoc eodem anno, Guelfi Tusciæ, videlicet Florentini, Senenses, Pistorienses, Pratenses, Sanctiminiati, Sancti Guimignani, Vulterranenses, Collenses, cum Lucensibus fecerunt societatem contra Pisanos; & tunc iverunt cum Judice de Gallura, & ceperant montem Topolim, & moverunt guerram Pisanis, & duravit duobus annis.

Anno Domini 1275. Cardinalis Ostiensis Dominus Petrus de Tarantasia, Ordinis Fratrum Prædicatorum in Papam assumitur, & Innocentius Quintus vocatur. Sedit mensibus quinque, & diebus tribus, vir magnæ reverentiæ, & doctrinæ, & qui multa bona opera scripsit in Theologia; mortuus apud Lateranum, cum multa gratia Curiæ.

Eodem anno, existente Lucense Potestate Domino Raynaldo de Bostolis Aretino, Lucenses cum societate Thusciæ iverunt ad devastandum vicum Pisanum, & destruxerunt Montecchium, & hoc in mense Julii.

Eodem anno, iverunt contra Ascianum, in mense Septembris, & ceperunt ipsum, & vicerunt Pisanos; in quo bello fuerunt Lucenses, & aliqui Pistorienses, & Vicarius Regis Caroli, Dominus Raynaldus: & fuerunt multi interfecti in dicto bello de Pisanis, inter quos Dominus Andreas Passus, & Michelatius: multi etiam submersi sunt in paludibus, & multi capti, inter quos tres milites de Starea.

Anno Domini 1276. Concilium generale fuit celebratum Pisis Ordinis Fratrum Prædicatorum: & ipso instante, & adhuc vivente Innocentio, Lucenses, cum aliquibus Florentinis & Pistoriensibus, existente Lucense Potestate Domino Joanne de Blaida, iverunt super territorium Pisanum, in valle Arni, & steterunt ibi per aliquos dies devastantes regionem usque ad sanctum Savinum, & Nicosiam. Tunc Lucenses devicerunt Pisanos ad foveam dictam de Arnovico; ceperunt multos. Et in illo exercitu venerunt duo Legati Domini Papæ, & Ambasciatores Regis Caroli, & fecerunt pacem inter Lucenses, & Pisanos, & tunc exititii de Pisis redierunt Pisas, videlicet Comes Ugolinus, & Vicecomites, cum Opezinghis. Tunc etiam restitutum est Lucensibus, per dictum Legatum,

A Castilione, & Cotone. Florentinis verò, & Pistoriensibus data est libertas in Porta Pisana, hoc est, liberi facti sunt ab omni tributo, sive gabella.

Eodem anno, mortuo Domino Innocentio, circa finem Junii, Dominus Ottobonus Diaconus Cardinalis in Summum assumitur Pontificem, & vocatus est Adrianus, uti titulus erat sui Cardinalatus. Hic non vixit nisi per mensem, & novem dies; unde nec Sacerdos fuit; nec coronatus, propter temporis brevitatem. Hic constitutionem Gregorii de Cardinalibus includendis pro electione Papæ, per novam constitutionem suspendit.

Eodem anno, circa finem, factus fuit Papa alius Cardinalis, videlicet Magister Petrus Hispanus,
B qui est Joannes vocatus; & tunc Civitas Lucæ fuit in pace.

Anno Domini 1277. Joannes Papa multas attentavit novitates, & præceps multùm in agendis. Nam primò Constitutionem Gregorii de Cardinalibus includendis, quam Adrianus suspendit, ipse publicè revocavit: de facili erat ingressus ad eum, & largus in gratiis faciendis, sicut parum considerans: fuit tamen magnus in Philosophia; sed in actionibus spiritu Hispanico plenus, quia exosos habuit Religiosos, propter quam causam percussit eum Dominus, quia domus sua ruit super eum, ex quo quasi semivivus relictus, ad modicum tempus moritur
C Viterbii, ubi creatus fuerat. Vixit autem in Papatu mensibus octo.

Hoc eodem anno, illi de Turri fuerunt expulsi de Mediolano, & multi ex eis mala morte interierunt.

Eodem anno, fuit Potestas Lucensis Dominus Albericus de Lando, de Placentia. Et eodem anno Dominus Cajetani circa finem factus est Papa, vocatus Nicolaus Tertius, natione Romanus, & de genere Ursinorum.

Anno Domini 1278. dictus Dominus Nicolaus Tertius sedit in Cathedra; electus autem fuit in Palatio Viterbiensi. Hic unam fecit ordinationem 9. Cardinalium, inter quos multi fuerunt de genere, & unus Columniensis: inter suos
D autem Dominus Latinus, qui fuit Cardinalis Ostiensis, vir vitæ laudabilis, plenus compassione circa Christi pauperes, egregius Prædicator, & quantum requirit hominum (conversatio) admodum gratiosus; mortuus est Perusii in sua innocentia, & vitæ puritate, cui opponi non potuit, quòd suum genus ditaverat, quod satis facere potuisset, si voluisset.

Eodem anno, fuit bellum maximum inter Regem Boëmiæ & Regem Alamanniæ Rodulphum, occasione Ducatus Austriæ, quem Rex Boëmiæ possidebat sibi debitum, ex donatione sibi facta per quandam Dominam, quæ vocabatur Domina Margarita, ad quam dicebat dictum Ducatum pertinere: Rex autem Alamanniæ asserebat sibi
E deberi, tanquam feudum Imperii, cui nullus successit, & ideo ad verum Dominum redit: iis ergo concertationibus moti, conveniunt ad bellandum, ut ensis litigium solvat. Rex igitur Alamanniæ, cum sibi conjunctis fidelibus pugnat; Rex Boëmiæ cum exteris nationibus, & pauci Boëmis, ex qua causa Rex Boëmiæ succumbit, & in bello moritur. Et in eodem anno Ducatum Austriæ occupat, cum Provincia Styriæ, & filium suum secundo genitum, generum Comitis de Tiralla, Ducem ibi instituit, Carinthiâ dimissâ Comiti de Tiralla, quæ tamen ad Patriarcham pertinet Aquilejæ.

Eodem anno, fuit Potestas Lucensis Dominus Sturia de Porta de Parma; & eo tempore fuit submersus in aqua Ciapparone de Ciapparonis, propter maleficia sua.

Anno Domini 1279. Rex Alamanniæ contra hæredem Regis Boëmiæ processum facit, eo quòd Rex Boëmiæ pugnasset contra Dominum suum: unde à feudo cadebat, propter quam causam ad hoc (*) sedandum filiam Rodulphi filius Regis Boëmiæ in uxorem accepit. Allevatum etiam fuit delictum, quia Boëmi non fuerunt in pugna cum Rege, puta qui suæ genti exosus erat.

Isto eodem anno, Nicolaus Papa Tertius multas novitates facit in Mundo: Primò Rodulphum requirit de Comitatu Romagnolæ, & obtinuit ex jure Ecclesiæ concesso per Ludovicum Imperatorem. Legatum mittit in Thusciam, & Lombardiam, videlicet Dominum Latinum, qui ad pacem reformandam Florentiæ inter Guelfos & Ghibellinos multum laboravit. Hic enim Nicolaus eodem anno Regem Carolum Vicaria Thusciæ, & Senatu Urbis privavit. Lucensibus molestias intulit de Vicaria vallis Nebulæ, & vallis Arni; sed Lucenses curialitate vicerunt eum, eligentes in Potestatem Lucensem, & in Vicarium vallis Nebulæ Patrem & filium ejus, quod quidem fuit in sequenti anno. Isto verò anno fuit Potestas Lucensis Dominus Matthæus de Madiis, de Brixia.

Hoc eodem anno, Rodulphus Rex Romanorum filiam suam tradit Carolo Martello filio Regis Caroli, cui assignat in dotem Regnum Viennense: Unde quando Sicilia rebellavit, paratæ erant in Rhodano fluvio multæ naves in terra Regis, ad occupandum Viennam.

Anno Domini 1280. Palatium Papale ædificatur Romæ juxta Sanctum Petrum, & Pomerium multùm curiosum, quod muris lateritiis dictus Nicolaus cingi facit.

Eodem anno, Surianum quibusdam nobilibus, occasione inventa, quòd essent hæresi maculati, ac cuidam etiam Castra Viterbiens. abstulit. Unde postea dictum fuit Viterbiensibus plurimùm odiosum, nec adhuc cessant à malevolentia, quantùm possunt.

Eodem anno, facta est pax Florentiæ inter Guelfos, & Ghibellinos, per dictum Legatum; sed parum duravit, ut rei probavit eventus. Et eodem anno inchoata est guerra Lucæ inter Modecastellos, & Opizones.

Eodem anno, dictus Dominus Nicolaus in castro Soriano existens, subitò factus est apoplectus, & sic sinè lingua, idest loquela, moritur, qui putabatur debere vivere in Papatu plusquam 30. annis, habita consideratione ad suam delicatam complexionem, & ad temperatum modum vivendi. Hic fecit Patriarcham Hierosolymitanum Fratrem Joannem de Vercellis, Magistrum Ordinis Fratrum Prædicatorum; sed recipere noluit. Hic Magister Joannes fuit electus ad curam totius Ordinis supradicti in 1268. rexitque dictum Ordinem cum multa (**) . . . . . . Cleri & populi, ac suorum Fratrum, 19. annis, & in 20. post multos labores sui officii, in monte Pessulo migravit ad Dominum.

Anno Domini 1281. in die Cathedræ Beati Petri, postquam vacaverat Sedes sex mensibus, Dominus Simon, natione Gallicus, Sanctæ Cæciliæ

(*) *Alibi* servandum, *aut potius* sedandum.

(**) *Supple* laude; *in Ecclesiastica Historia* Ordinem præfatum gratiosissimè rexit.

ciliæ Presbyter Cardinalis, in Summum Pontificem eligitur apud Viterbium. Hic proper offensam, quam Viterbienses intulerant Domino Matthæo Rubeo de Ursinis, Sanctæ Mariæ Diacono Cardinali, in Viterbio coronari noluit; sed ad civitatem Urbevetanam se transtulit, nec unquam postea usque ad tempora ista, Curia ibidem residentiam facit. Offensa autem fuit, quia recluserunt eum in quadam camerula, vetantes eum, & cogentes ad faciendum Papam, imponentes eidem quòd impediret electionem; quod tamen verum non erat; quòd ipse solus faceret. In illo autem tempore erat Dominus in Viterbio, Dominus Riccardellus, (qui facto schismate cum Viterbiensibus in eodem consecratus fuit:) sed post recognoscens culpam suam, cum multa reverentia & humilitate veniam impetravit, Viterbiensibus renovantibus in offensa perpetua.

Isto anno Rex Aragonum apparatum facit, quem Martinus Papa suspectum habuit (hoc insinuante sibi Domino Carolo:) unde literas sibi direxit, quòd de dicto apparatu ratiocinari volebat. Cui Rex Aragonum, quòd negotium sic erat privatum, & occultum sibi, quòd si sciret manum, vel linguam hoc velle revelare, amputaret eam: nihilque ab ipso plus habuit responsionis.

Eodem anno, fuit Potestas Lucensis Dominus Guicciardus de Papia: & eo tempore Lucenses congregaverunt exercitum contra Piscíam, & ipsum expugnaverunt, ac vi prœlii intraverunt terram, ipsamque combusserunt ad impetum Lucensis populi, qui refrænari non poterat. Causam autem combustionis ferunt fuisse, quia se subjecerunt Cancellario Imperatoris Rodulphi, cui subjici non debebant, nisi appareret confirmatio ejusdem per Summum Pontificem.

Eodem anno, totonderunt Bugianum in muris, quia Pesciatinis videbantur favere in dicta rebellione.

Anno Domini 1282. Siculi rebellaverunt contra Regem Carolum, occisis multis Gallicis, propter injurias, & violentias, quas faciebant in terra, favente Domino Petro Rege Aragonum, qui in uxorem habebat filiam Manfredi, vocatam Dominam Constantiam, ab atavia sua, quam quidem codicillo allegabat Rex Aragonum ad ipsum pertinere. Hujus etiam rebellionis causa fuit Palæologus contra Regem Carolum, qui ad suum Imperium auferendum multùm aspirabat: quod quidem Palæologus fecit, quia audivit Regem Carolum, non obstante concordia Græcorum cum Domino Papa, procurasse cum Papa Martino, ut dictus Palæologus tanquam excommunicatus, & schismaticus Ecclesiæ pronuntiaretur in Consistorio: quod fuit causa dissidii omnis concordiæ priùs tractatæ inter Latinos, & Græcos, ex quo multa mala postea sequuta sunt.

Eodem anno, Petrus Aragonensis cum suo navigio vadit in Africam, versùs Compennam, quæ vulgariter Baona nominatur, ibique aliquas terras capit, & devastat, ac spolia secum defert. Reditque in Sardiniam, & juxta castellum castri: ibique sua restaurat navigia in pane, & vino, & aqua, & aliis necessariis. Tunc Rex Carolus cum magno exercitu Regnicolarum, Gallicorum, Provincialium, & Thuscorum, & præcipuè Lucensium in Siciliam vadit, & Messanam obsidet, ipsam in circuitu vastat; sed non capit, quam (ut tradunt) potuisset capere; sed pepercit, ne dicta Civitas destrueretur ex nimio furore suæ gentis contra Siculos.

Eodem anno & tempore, Petrus de Sardinia transit in Siciliam, applicuitque Palermum, vênitque cum sua militia versùs Messanam. Quod audiens Rex Carolus; ab obsidione recessit, & rediit in Calabriam, timens ne sua gens victualia perderet. Scripsit autem Regi Aragonum, quòd mirabatur, quomodo suam terram intrasset: cui Petrus respondit, quòd ad ipsum magìs pertinebat ratione uxoris suæ: ad cujus litigii solutionem, ad singulare certamen se invicem dicti Principes requirunt, & in loco Curiæ, elegeruntque Vasconiam prope Burdegalas.

Eodem anno, Comes Guido de Montefeltro Comitatum occupat Romagnolæ contra voluntatem Ecclesiæ; contra quem Papa Martinus magnam Militiam mittit, multamque pecuniam Decimarum ibidem consumit, nihilque proficit: ubi multùm de sanguine Gallicorum effunditur:

Eodem anno, fuit Potestas Lucensis pro sex mensibus D. Ugolinus de Bossis: pro aliis verò Dominus Azzo de Manfredis:

Anno Domini 1283. Rex Carolus vadit in Vasconiam cum honorabili comitiva; quem Dominus Joannes de Grigni, Senescallus in Vasconia pro Rege Angliæ, de mandato præfati Regis, honorificè recepit, & usque Burdegalas ipsum associat, ibique expectat Petrum Regem Aragonum ad congressum belli: sed dictus Rex ad horam determinatam non comparuit.

Sequenti anno, hoc est, 1284. iter arripit cum navali exercitu.

Eodem anno, Martinus Papa contra prædictum Regem processum facit, ipsumque Regno Aragonensi privat, & Comitatu Chataloniæ, & ab omni dignitate deponit, Regnumque Aragonum Regi Franciæ tradit.

Eodem anno, idem Rex Carolus rediens in Provinciam Comitatum suum, magnum apparatum facit in navigio contra Siculos: factaque expeditione non modica, scilicet plusquam galêarum centum, & aliorum Lignorum quamplurium, cùm venisset ad Portum Pisanum, audivit ibidem filium suum captum in portu Neapolitano, cum multis galêis, per Rogerium de Loria Admirallium Siculorum, & Regis Aragonum. In quo conflictu in nullo videtur perterritus Rex; sed sic ait ad suos, *Confortamini*, inquit, *quia hodie perdidimus unum Sacerdotem, qui nostrum impediebat regimen, & vigorem bellandi*. Post hæc autem transiens de dicto Portu, & in Apuliam transfretans ad apparatum faciendum pugnandi contra Siculos, ibidem infirmatus est ad mortem, de qua mortuus est: sicque frustratus sua intentione, in quadam moritur desolatione, non sinè magno Principibus exemplo, quòd res mundanæ tantam habent varietatem.

Eodem anno Carolus filius Regis Caroli transfertur in Chataloniam, ibique pro carcere in quodam castro recluditur.

Anno Domini 1284. Januenses contra Pisanos veniunt, cum galêarum multitudine armatarum, prope portum Pisanum; Pisanisque invenientes ibidem munitas ad pugnandum se invicem invadunt in loco qui dicitur, *alla Malora*. Tandem succumbunt Pisani, licèt ante inciperent prævalere: sed crudelitatem exercentes in hostes, permissione divina vincuntur, & prævalent Januenses, factusque est magnus conflictus Pisanorum in mari, & 46. galêæ capiuntur cum 10. millibus hominum, & ultra.

Eodem anno fuit Poteſtas Lucenſis Dominus Gherardus de Palazzo, de Brixia pro ſex menſibus : & Dominus Gherardus de Arcellis pro aliis ſex menſibus. A

Eodem anno, in prædicto conflictu; ſed ante, captus fuerat Comes Fatius in una Navi, quam Januenſes ceperunt, quæ maximis erat onerata bonis, cum militibus; ſed captis ſolis hominibus navem combuſſerunt, & ſubmerſerunt, cum multis equis, qui erant ibidem: & hoc fuit ante conflictum prædictum.

Anno eodem, Papa Martinus moritur apud Peruſium, poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ: & poſt quatuor dies à morte Martini, creatur Honorius Quartus, priùs vocatus Dominus Jacobus de Sabello, qui ſtatim Romam vadens coronatur ibidem. Hic nullam ordinationem fecit, excepto Domino Joanne Boccamaſſo, quem Tuſculanum fecit. Hic defectum patiebatur in manibus & pedibus propter guttas; ita quòd vix celebrabat. B

Eodem anno, fuit Lucenſis Poteſtas pro ſex menſibus Dominus Azzo de Cremona: pro aliis verò ſex menſibus, Dominus Carſindone de Carſindonis, de Mutina.

Eodem anno, Philippus Rex Franciæ, filius Ludovici, exercitum congregat permaximum, & vadit contra Regem Aragonum, tranſitque cum ſua gente montes Pyrenæos, qui Hiſpaniam cingunt, & unam Civitatem capit abſque aliis Caſtris, quæ vocatur Geronda. Volebat autem ulteriùs procedere ad capiendam Barcellonam : ſed infirmitas, & epidemia magna invaſit exercitum. Quædam autem pars exercitus deſcendens in planitiem Chataloniæ, obviam habuit Regem Aragonum, Petrum videlicet, qui ſtrenuè pugnavit cum militia Gallicana, ac in bello lethaliter percuſſus, ad paucos dies moritur. Rex autem Franciæ videns ſuam gentem ſic ægritudine laborare, retrocedit cum exercitu versùs terram ſuam, & ſic in propria redeunt; & in eodem anno dictus Rex Philippus de memorata epidemia moritur. C

Anno Domini 1285. Lucenſes acquiſiverunt Ripamfractam, & Viaregium, ac Bientinam, favente Comite Ugolino quadam pia intentione, ut ſic evaderet manus Thuſcorum. Florentini verò acquiſiverunt Pontem Heræ. Tunc etiam dictus Comes dominabatur Piſanis, poſt ſupra memoratum conflictum ſibi collatum. D

Eodem tempore, Lucenſes, cum Florentinis, confœderati cum Januenſibus contra Piſanos, in qua confœderatione requiſitus Comes Ugolinus, noluit conſentire : ſtuduit tamen parti Thuſciæ placere, ut ex effectu probatur, pro pactis ſervandis.

Inde per aliquod tempus Lucenſe Commune per ſe ſolum fecit exercitum contra Piſanos in Vallem Sercli, & ceperunt in prœlio Cuoſam, & pontem Sercli.

Eodem anno, fuit epidemia de . . . . (*) in qua multi ſunt de dicta ægritudine mortui, & præcipuè illi qui fuerunt in exercitu ſupradicto. E

Eodem anno, fuit Poteſtas Lucenſis Dominus Thomaſius de Lanciola, de Parma. Iſto etiam anno, mortuo Magiſtro Joanne Ordinis Fratrum Prædicatorum, factus fuit Bononiæ Magiſter Ordinis ſupradicti Frater Munio Hiſpanus, de Regione Legionenſi. Hunc Honorius voluit honorare de Archiepiſcopatu Compoſtellano; ſed noluit recipere pro reverentia ſui Ordinis & Officii.

Anno Domini 1286. Rex Angliæ venit in Vaſconiam, pro liberatione Regis Caroli: deinde tranſit in Chataloniam, dictum Regem viſitaturus, & cum Alphonſo Rege Aragonum de concordia tractaturus.

Iſto anno, Honorius moritur, & in Eccleſia Sancti Petri juxta Nicolaum Tertium honorificè ſepelitur.

Eodem anno, illi de Buiſi ſe poſuerunt in manibus Lucenſium.

Eodem anno, fuit Poteſtas Lucenſis Dominus Carſindonus de Lupicinis, de Rhegio.

Eodem anno, miſit Comes Ugolinus filium ſuum Comitem Guelſum in Sardiniam, rexitque Caſtrum Caſtri, totamque Regionem Callaritanam, occupans tam Caſtra ſui patrimonii, quàm etiam Communis Piſani, quia pater ſuus ſic eum miſerat. Tunc florebat Piſis dictus Comes, habens in ipſa plenum dominium. Eodemque tempore Commune Piſanum ſibi Elbam conceſſit.

Eodem anno, exorta eſt diſcordia inter Cancellarios Piſtorienſes, quia occaſione ritus (*) Dore filius Domini Guillielmi Amadoris percuſſit Dominum Vanni filium Domini Gualfredi in manu, & amputavit ſibi tres digitos. Ille poſtea amputavit Dori manum & ignominiosè, ſicque Domus dividitur in duabus partibus, & atrociſſima guerra exoritur, & tota Civitas per conſequens laceratur, & in duas partes ſimiliter dividitur, ut infra meliùs apparebit.

Anno Domini 1287. Sedes Eccleſiæ Romanæ vacat. Cardinales verò remanſerunt incluſi in Sancta Sabina, à tempore mortis Honorii, uſque ad creationem Nicolai Quarti : ubi multi ex Cardinalibus mortui ſunt, vel ad mortem infirmati, excepto Domino Matthæo, & Domino Joanne, qui poſtea fuit Nicolaus; qui cùm in Sancta Sabina locum habuit, magiſtrum infirmorum, ... (*) fertur habuiſſe circa ſe ipſum, quòd die nocteque in profundo ſtante, omnes cameræ & aulæ erant plenæ pluviis.

Eodem anno, fuit conflictus apud Buiſi Piſanum, ubi multi nobiles fuerunt capti Piſani, inter quos Dominus Bonaccurſus de Ripafracta, & Baldinus de Ubaldinis, nepos Archiepiſcopi Piſani dictus de Pila.

Sequenti anno, hoc eſt, 1288. dictus Joannes in Summum aſſumitur Pontificem; & infra octavam Pentecoſtes ejuſdem anni, ordinationem fecit, in qua Dominum Ugonem de Belliomo tunc legentem in Curia Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Dominum Matthæum de Aquaſparta Magiſtrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum Cardinales facit, qui ambo fuerunt Magiſtri in Theologia.

Eodem anno, Marchio Eſtenſis recepit in ſuo dominio Mutinam, ſicut Ferrariam : & in eodem anno poſt aliquos menſes Regium in eadem conditione ſibi remanſit, ideſt, ſubjecit.

Eodem anno, hoc eſt, 87. fuit Poteſtas Dominus Bernardinus de Parma, qui de nocte fugit de Luca timens officium ſyndicatus.

Eodem anno, fuit ſturmum in burgo Sancti Fridiani, inter Martinos, & Faitinellos.

Item eodem anno, inter Judicem Galluriæ & Comitem Ugolinum diſcordia oritur ſupra dominio Piſano, Dominus Ganus Stormiſianus occiditur, & publicatum fuit, quòd familia Comitis Ugolini Civitatem incipit lacerare in regimine, & pars Ghibellina aſſumit audaciam, ſicut

(*) *Alibi* rixæ.

(**) *Vide Hiſt. Eccleſiaſt. antea editam col.* 1194. C. & E.

sicut rei postea probavit eventus.

Anno Domini 1288. Comes Ugolinus capitur à Pisanis, favente & coadjuvante Archiepiscopo dicti loci, nepote Domini Octaviani Cardinalis, cum multis Clericis sibi adjunctis. Captus igitur dictus Comes, cum duobus filiis Gaddo, & Brigata, & uno nepote, videlicet Henrico, ponuntur in carcere; ibidemque post longam extorsionem pecuniarum, fame ibidem pereunt.

Eodem tempore, fuit Vicarius in Thuscia Regis Alamanniæ Dominus Princivalis, à quo Lucenses redemerunt dominium Imperiale 12. mille florenis.

Eodem anno, Tripolis Civitas in Terra Sancta obsidetur à Soldano, & capitur, facta strage de Christianis, ac occisis & captivatis.

Eodem anno, fuit Potestas Lucensis Dominus Petrus Confalonieri de Brixia pro sex mensibus, & in aliis sex mensibus Dominus Franciscus de Spoleto, quo tempore Lucenses ceperunt Ascianum, cum Pistoriensibus, & Pratensibus; occisis & captis ibidem multis nobilibus Pisanis, qui venerant in dicti Castri succursum.

Eodem etiam anno vênit Comes Guido de Montefeltro Pisas, ad subveniendum Civitati, & factus est dominus eorum plenarius ex spontanea subjectione.

Isto anno fuit celebratum Capitulum generale Fratrum Prædicatorum Lucæ, quod fuit honorabiliter receptum à Lucensibus; cum fama totius quasi Orbis. Tunc Lucense Commune donavit Capitulo 500. florenos; multi etiam cives fecerunt largas eleemosynas Capitulo.

Anno Domini 1289. Lucenses congregaverunt exercitum contra Pisanos, & in multitudine innumerabili devastaverunt vallem Sercli, & ex parte Balnei, usque ad muros Civitatis Pisarum. Item vicum Pisanum.

Eodem anno, fuit conflictus Aretinorum apud Bibienam, in quo mortuus est Episcopus Aretinus Dominus Guillielmus de Passis, & filius Comitis Guidonis de Montefeltro, & multi alii nobiles Ghibellini, tam de Urbe-veteri, quàm de aliis partibus Thusciæ, Marchiæ, & Romagnolæ. Ferunt autem quòd in dicto bello, Lucenses primò fregerunt aciem, quam percusserunt à latere, & cum balistis fregerunt hostes, & præcipuè Gialdonerios; quamvis Florentini strenuissimè se habuerunt.

In eodem etiam bello ex parte Florentinorum mortuus fuit unus miles Domini Armerici de Narbona, qui tunc pro Florentinis ducatum habebat. Ibidem etiam D. Bindus Baschiera lethaliter fuit percussus, de quo vulnere mortuus est. Tunc Florentini processerunt versùs Aretium, & ceperunt Laterinum.

Eodem anno, Saraceni ceperunt Achon, occisis, & captis ibidem plusquam 30. millibus personarum. Totam etiam aliam regionem, ut Tyrum & Sidonem devastaverunt.

Eodem etiam anno, Comes Guelfus reliquit castrum Castri: versùs villam Ecclesiæ se recollegit, munitis terris, & Castris sui pa rimonii.

Eodem anno, fuit Potestas Lucensis Dominus Ubertus de Grotta, de Pergamo.

Eodem anno, Rex Carolus liberatus est de carcere, dimissis ibidem obsidibus pro pactis servandis.

Isto eodem anno, Dominus Albertinus Vergelensis de Pistorio occiditur à parte Domini Simonis de Pantano, quæ Nigra vocabatur, alia verò Alba; unde facta est in Luca & Florentia . . . . & ex qua divisione facta est ibidem divisio sub prædictis nominibus, & om-

A nia mala sub illis nominibus sunt exorta. Priùs verò ad aliquod tempus occisus Dominus Dettus de parte Nigra, & de eadem domo. Postea Dominus Bertacca de parte Alba, & sic per eos tota Thuscia ponitur in scissura.

Circa ista tempora fuerunt Pistorii maximi terræmotus, & diu duraverunt, & multæ domus & turres fuerunt ibidem concussæ, ac scissæ.

Anno Domini 1290. existente Potestate Lucensi Domino Guelfo Visconte de Placentia, tota pars Thusciæ ad petitionem Januensium congregaverat exercitum contra Pisanos, versùs portam Pisanam, ad ipsam devastandam. Januenses verò venerunt per mare, & Thusci per terram, & devastaverunt villam de portu

B Pisano. Januenses verò fregerunt catenam portus, & ceperunt aliquas turres. Comes verò Guido de Montefeltro, qui erat Dominus Pisarum, cum sua militia, quæ magna erat saltem 800. equitum, intrans vallem Massæ, devastavit usque ad Burgum, & statim retrocessit versùs Pisas, propter periculosos passus, quos ibidem consideravit. Tunc autem Lucenses non remanserant nisi C. milites, & pauci pedites, qui usque ad Sanctum Ambrosium iverunt ad obviandum; sed dictus Comes statim inde recessit.

Anno Domini 1291. Rodulphus Rex Romæ & Alamanniæ moritur, & apud Spiram sepelitur civitatis Alsatiæ, absque Imperiali benedi-

C ctione: sepultus est in sepulchro Imperatorum. Hic quamvis fuerit parvus Comes circa regionem Basileæ, & confinis Comiti Sabaudiæ, strenuissimus tamen fuit in armis, & magnæ providentiæ Princeps, propter quam assumptus fuit ad regale Imperium. Domum suam multùm ampliavit: nam quinque filias suas tradidit nuptui maximis Principibus Orbis: quia unam tradidit Regi Boëmiæ; alteram Duci Saxoniæ; tertiam Duci Bavariæ, qui est Comes Palatinus, & hi sunt tres Principes Electores Imperatoris; quartam fratri Marchionis Brandeburgensis, qui est quartus de Electoribus supradictis; quintam verò tradidit Carolo Martello filio Regis Ca-

D roli; filium verò suum Ducem Austriæ constituit, quia Ducatus præfatus feudum erat Imperii, & Imperio cessit propter defectum hæredis, quem Rex Boëmiæ illegitimè possidebat. Huic filio suo uxorem dedit filiam Comitis de Tiralla, natam de matre Corradini filii Regis Corradi, superiùs memorati.

Eodem anno prima die Octobris, Lucenses congregaverunt exercitum contra castrum de Bosco, existente Potestate Domino Moberto de Grisis.

Et eo anno, exivit de carcere Baldinus de Pila de Ubaldinis, qui captus fuerat apud Buisi cum Domino Bonaccursio de Ripafracta; ex quo exorta est turbatio in civitate Lucensi,

E quia imponebatur aliquibus civibus, quòd fuissent consentanei in liberatione ipsorum.

Anno Domini 1292. post mortem Rodulphi, Comes Adulphus de Unxone in Regem eligitur Alamanniæ.

Eodem anno Lucenses cum parte Thusciæ congregaverunt exercitum contra Pisanos, & primò castrametati sunt juxta castrum de Bosco. Quinta die Junii postea processerunt versùs Rinonicum contra vicum. Deinde transierunt Rinonicum, & venerunt Cascinam, ubi inciderunt campanile, & ipsum ruere fecerunt, postea castrametati circa Caprariam, prope Sanctum Savinum, & devastaverunt ipsum. Deinde procedentes versùs Monasterium de Nicosia, &

& ipsum similiter devastaverunt.

Eodem anno, in Festo Pentecostes, apud Sanctam Sabinam, in Capitulo Generali, frater Stephanus de Bisuntio, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Magister in Theologia eligitur in Magistrum totius Ordinis prædicti, & ad duos annos Lucæ moritur, ibidemque, ac juxta altare cum decentia sepelitur.

Eodem anno, Papa Nicolaus Quartus Romæ moritur, & in Sancta Maria Majori sepelitur. Tunc Cardinales de communi concordia se Perusium transtulerunt, vacavitque Sedes Romana per aliquod tempus, quia plusquam per annum cum dimidio.

Anno Domini 1293. Comes Guido de Montefeltro, existens Dominus Pisis, Thuscos multùm infestat. Vadit Buisi, & ibi invadit, & invaditur: Calcinariam proditione cepit ex negligentia Opezingorum, & præcipuè Domini Citri, & eodem titulo Pontem Heræ, & multa similia facit. Sed versùs Lucam in nullo profecit; sed eodem anno fuerunt devicti, & capti Pisani, cum gente Comitis Guidonis de Montefeltro; inter quos quidam Apostata, cui nomen Alexander, magnus laqueus Diaboli. Et istam victoriam fecerunt Vurnenses, & Massenses, cum fœminis eorum, existente Potestate Domino Guilhelmo de Rubeis.

Eodem etiam anno fuerunt devicti apud Grossetum Gialdonerii de Romagna, qui veniebant in adjutorium Comitis Guidonis præfati.

Eodem etiam anno, Comes Loth, filius Comitis Ugolini, liberatus de carcere Januensium, accepit in uxorem filiam Domini Ubertaccii de Spinolis, & factus est Civis Januensis cum aliis fratribus, & nepotibus suis, cum certis etiam pactis & conventionibus, quantùm ad Januensem civilitatem.

Eodem anno, Rex Carolus transivit per Lucam veniens de Provincia cum Regina, & omnibus liberis suis. Exierunt ei obviam cives Lucenses, per se milites hastis ludendo, per se populus cum vexillis Societatum, cum vestibus splendidis, tantumque festum factum est, quale in Thuscia nunquam fuit auditum, tam in choreis dominarum, quàm virorum, quàm etiam in conviviis, & aliis tripudiis insegniativis solemnitatis, & festi.

Anno Domini 1294. Lucenses fatigati de expensis, & propter inæqualitatem circa onera Communitatis, & fortè propter infidelitatem aliquorum, tractata est pax inter Thuscos & Pisanos, quæ pax fuit destructio Comitum de Donnorice, hoc est, hæredum memorati Comitis Ugolini, totius partis Guelfæ de Pisis.

Eodem anno, Comes Loth cum certa militia, in Sardiniam transfretavit in adjutorium Comitis Guelfi fratris sui, qui priùs multùm damnificans & infestans Pisanos, post pacem factam è contra infestabatur ab eis. Item contra Judicem Arboreæ, qui conjunctus Pisanis, durissimam guerram Comitibus faciebat. Tandem succubuerunt Comites in bello, perditâ villâ di Ghiesa, & capto Comite Guelfo, qui redemptus fuit à Comite Loth, dando arcem, quam habebat, quæ Aquafrigida dicebatur; & ab inde ad paucos dies, Comes Guelfus infirmatus est & mortuus præ dolore, videns se ita depressum, qui priùs in Sardinia altus Rex videbatur.

Eodem anno, Judex Galluriæ transfretavit in Sardiniam similiter cum bona militia Lucensium, & Pisanorum, & Thuscorum; sed parum ibidem profecit, imò ad paucos dies infirmatus est, & mortuus. Mortui sunt etiam ibidem tres de melioribus civitatis Lucæ, videlicet Dominus Cione de'Archo, Nerius Dominus Ubaldi del Costore, & Coluccius Malusi de Opizonibus.

A

Eodem anno, incipit guerra inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ, in qua guerra infinita hominum multitudo periit, & præcipuè in Vasconia. Dicti autem Reges sic se habuerunt, quòd unus in mari prævaluit, videlicet Rex Angliæ, alter verò in terra, scilicet Rex Franciæ, propter multitudinem hominum subjectam eidem circa partes Vasconiæ. Istius guerræ occasione inchoata est guerra inter Comitem Flandriæ, & Regem Franciæ, eo quòd Comes parentelam contraxerat cum Rege Angliæ per matrimonium.

B

Eodem anno, Cardinales existentes Perusii, ad instinctum Domini Latini Cardinalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quadam devotione moti, sicut magnæ sanctitatis viri, quemdam Eremitam de Aprutio, cui nomen Frater Petrus de Morone, elegerunt in Papam, qui vocatus est Cœlestinus. Hic Regi Carolo multùm favorabilis fuit, faciens unam ordinationem Cardinalium, in qua quatuor Cardinales fecit ad suam petitionem: inter quos adhuc duo supersunt, videlicet Dominus Guillielmus de Pergamo, & Dominus Landulphus de Neapoli. Veniens igitur dictus Cœlestinus Aquilam, ibi suam stationem fecit, ibidemque coronatus est: in qua coronatione convenit multitudo hominum, tam Cleri, quàm populi, plusquam 200. millium, & ego interfui. Tunc Cardinales scripserunt de Perusio, quòd illuc dignaretur venire: ille ante rescripsit, quòd ipsi ad ipsum irent. Et in eodem tempore, Dominus Latinus, qui fuerat principalis in faciendo eum, Perusii migravit ad Dominum, cujus odor sanctitatis, & famæ ad omnes angulos Christianitatis diffunditur. Interim autem Dominus Jacobus de Columna, & Dominus Petrus, & Dominus Hugo de Beliomo Aquilam vadunt, factique sunt Domini Curiæ: quod alii Cardinales videntes Aquilam properant. Tunc vênit Aquilam Dominus Benedictus Caetani, qui postea Bonifacius sequens, de quo credebatur, quòd non gratiosè videretur ibidem, eo quòd Regem Carolum Perusii multùm exasperasset, qui statim suis ministeriis, & astutiis factus est Dominus Curiæ, & amicus Regis.

C

D

Eodem anno, obiit Lucæ Frater Stephanus de Bisuntio, Magister Ordinis Prædicatorum, & superiùs memoratus, sepultusque est in Presbyterio Altaris majoris dictorum Fratrum.

Eodem tempore Cœlestinus cum tota Curia vadit Neapolim, ibique Dominus Benedictus, cum aliquibus Cardinalibus, Cœlestino persuadent ut officio cedat, quia propter suam simplicitatem, licèt Sanctus vir, & vita magni foret exempli, deceptus sæpiùs adversis confundebatur Ecclesiæ, in gratiis faciendis, & circa regimen Orbis. Ad tantam igitur instantiam eorum Cardinalium, licèt Rex Carolus, & omnes Regnicolæ in contrarium conarentur; & ego processioni interfui totius Cleri, & Populi de Neapoli, qui ad Palatium Papæ ivimus ad supplicandum humiliter, quòd non renuntiaret, non (*) .... Dictus Cœlestinus Papatui cedit, & sua resignatio à Cardinalibus ac-

E

(*) *Hæc fusiùs narrantur in Historia Ecclesiastica col. 1201.*

acceptatur. Tunc ad electionem procedunt, & Dominum Benedictum eligunt, vocatúsque est Bonifacius Octavus, & hoc totum in Neapoli est factum, & præsente Rege.

Anno Domini 1295. Bonifacius Octavus in Chatedra Petri sedet, & eligitur, videlicet, in vigilia Natalis Domini præcedentis anni; primumque quod fecit, revocavit omnes gratias per Cœlestinum factas.

Item eodem anno, Cœlestinum in quodam castro reclusit, quia dubium videbatur esse apud multos, utrum Papatui cedere potuisset.

Eodem anno, Bonifacius se transfert apud Reatem cum tota Curia de Neapoli.

Eodem anno ignis accensus est in Sancto Cerbone de Luca, Monasterio Sororum Ascensionis, & combussit totum Monasterium, ita quòd coactæ sunt Lucam venire.

Item in gestis Lucensium inveni hîc incœpisse ferventem discordiam Cancellariorum de Pistorio, ut nominarentur Albi, & Nigri quod nomen fermentavit Florentiæ, & Lucæ, & ex quo nomine utrobique exorta sunt multa mala, & adhuc perseverant.

Anno Domini 1296. Bonifacius statuit, ut quatuor Doctores Ecclesiæ Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & Gregorius ampliori in Ecclesia deferrentur (*) honore in ipsorum festis.

Eodem anno, Adulphus Rex Alamanniæ & Romanorum, Dominum Joannem de Gabillione mittit Vicarium in Thusciam, quem Papa Bonifacius consentaneè recepit: unde dictus Bonifacius Thuscos requirit, & dicti Thusci volentes excutere jugum de manibus Imperii, eidem Bonifacio obtulerunt 80 mille florenos, vel circa, de quibus Lucenses solverunt 18. mille florenos, quamvis non esset necessarium; quia adhuc dictus Adulphus confirmatus non erat in Imperio, & ideo eidem administrationis non competebat officium, nisi quantum suæ genti placebat: propter quam causam dictum Dominum Joannem Papa remisit ad propria, dando fratri suo Episcopatum Leodiensem, & pecuniam sibi retinuit pro terris Imperii eidem collatam, in hoc volens ostendere dominium Papæ dominio Imperatoris præferri.

Eodem anno, Frater Nicolaus de Trivigio factus fuit Magister Ordinis Prædicatorum.

Eodem anno, Commune Lucense ordinavit transferri Hospitale Sancti Michaëlis in foro, cum consensu Episcopi, pro platea amplianda loci prædicti; & similiter Hospitale Sancti Donati ad expensas Communitatis, existente Potestate Domino Brodario de Saxoferrato, qui multam pecuniam accumulavit Cameræ de maleficiis hominum.

Anno Domini 1297. Bonifacius contra Columnenses processum facit, occasione Stephani de Columna, qui thesaurum Papæ fuerat deprædatus. Prædicti verò Cardinales, videlicet Dominus Jacobus, & Dominus Petrus de Columna contra dictum Bonifacium libellum scribunt famosum, quem direxerunt per omnes partes Mundi, Principibus & Universitatibus scholarum, asserentes ipsum non esse Papam, sed solum Cœlestinum, unde citati quòd comparerent facti sunt contumaces, propter quam causam fuerunt in Consistorio publico, tanquam schismatici & hæretici computati, cappellis rubeis Cardinalatus privati: bona etiam ipsorum & filiorum Domini Joannis, videlicet Agabiti, Stephani, & Sciarræ fuerunt confiscata.

Interim verò Legatus mittitur in Thusciam Dominus Matthæus de Aquasparta ad prædicandam Crucem contra Columnenses, & exercitum congregandum contra ipsorum munitiones, & castra: & primò obsidetur civitas Nepensis, & ipsa capta traditur Ursinis. Deinde Prænestina; & ipsa capta destruitur & in valle reædificatur, vocaturque Civitas Papalis. Unde Cardinalis Dominus Theodericus Urbevetanus denominatur, & eidem in vita traditur. Ulteriùs capitur castrum de Columna, nullum tamen istorum sine resistentia magna, & hominum morte, quid plura? omnia ipsorum castra & villæ ac poderia occupata fuerunt, traditaque nobilibus Romanis: quædam verò sibi Ecclesia reservavit. Demum post longam guerram, & pugnam, mediatores se interponunt ad mandata; sed postea videntes, quòd non restituebantur statui, iteratò rebellant, & à Bonifacio se absentant, & abscondunt. Tunc reiteratur sententia durior contra ipsos, non solùm in personis, & bonis, sed contra omnes faventes, vel etiam receptantes.

Eodem anno, Venetiani fuerunt devicti à Januensibus, in partibus Schiavoniæ, in Septembri, & ceperunt Januenses 70. corpora galêarum, multo sanguine hominum effuso. Et eodem anno fecerunt pacem, restitutis hominibus eorum captivis. Tunc fuit Potestas Lucensis Dominus Florius de Brixia.

Anno Domini 1298. Adulphus Rex Alamanniæ & Romæ exercitum congregat contra Albertum Ducem Austriæ, & ejus sequaces, filium quondam Rodulphi Regis. Pugnatur autem similiter, & in pugna Adulphus occiditur; fuit enim strenuissimus in bello, & audacia cordis primus ad bellandum: & interfectus violentia partis adversæ.

Eodem anno, Dominus Bonifacius in ordinatione, quam fecit, Fratrem Nicolaum Magistrum Ordinis Fratrum Prædicatorum Episcopum Ostiensem assumit.

In eodem tempore fuerunt terræmotus permaximi apud Reatem, ubi Curia erat, commovitque Palatium Papæ, & multas turres Civitatis ruere fecit. Unde tunc Papa recessit de loco, & ivit extra Civitatem ad domum Fratrum Prædicatorum, & ibidem etiam in Capitulo fecit ordinationem prædictam.

Anno eodem, abstulerunt Priores Civitatis Lucensis partem Horti Fratrum Prædicatorum, in quo fecerunt duos Burgos, & multas vias ac palatia pulchra nimis, satisfacientes integrè dictis Fratribus, & de pecunia, & de horto Templariorum: ita quòd dicti Fratres fuerunt multùm contenti.

Eodem anno, fuerunt destructi muri de Barga per Officiales præfatos ex certa causa, & pro statu Communitatis Garfagnanæ, & statu Civitatis Lucensis, & fuit Potestas Dominus Gonzolinus de Ozmo, de Marchia.

Eodem anno, Albertus Dux Austriæ, post mortem Adulphi, congregat Electores, tam Principes, quàm Prælatos, videlicet Regem Boëmiæ, Ducem Saxoniæ, Ducem Bavariæ, qui est Comes Palatinus, Marchionem Brandeburgensem, qui sunt quatuor Principes Electores. Item Archiepiscopum Moguntinum, qui est Cancellarius in Germania; Archiepiscopum Coloniensem, qui est Cancellarius in Italia; Archiepiscopum Trevirensem, qui est Cancellarius

(*) *Aliàs* ferientur.

larius in Gallia, & sunt alii tres Electores; hi ergo Albertum concorditer eligunt.

Anno Domini 1299. Albertus Rex Alamanniæ & Romæ Nuncios mittit solemnes ad Curiam pro sua electione præsentanda, & confirmatione obtinenda, quam Bonifacius repellit, & electionem dicit esse nullam multis rationibus & exemplis.

Hoc eodem anno, Sextum librum Decretalium publicat, in quo agitur secundùm Rubricas Decretalium, de diversis materiis, & institutionibus per multos Summos Pontifices conditis, à tempore compilationis factæ per Gregorium Nonum, V. videlicet Nonas Martii, Pontificatus sui anno 4. suasque ponit, quæ sunt declarativæ & decisivæ omnium quæstionum, quæ reperiuntur in ordinariis glossis.

Isto eodem anno, ignis accensus est in domo Gilii Fredicciopis, existente, & habitante ibidem Potestate Domino Guillielmo de Brixia. Et eodem anno, Siculi ceperunt 15. galêas Regis Caroli, ubi fuit captus & opprobriosè occisus nepos Rogerii de Loria.

Eodem anno, facta est pax inter Januenses & Pisanos, in qua pace Pisani multam monetam eisdem Januensibus obtulerunt, scilicet 300. m. Januens. (*)

Eodem anno, in Julio, devicti fuerunt Siculi in mari, per Regem Aragonum, quem Papa Bonifacius Vexilliferum Ecclesiæ fecerat, & Regem in Sardinia, indultis omnibus injuriis illatis Ecclesiæ: cum quo fuit etiam Rogerius de Loria, & captus fuisset tunc Federicus; sed Rex carni pepercit, & sanguini. In hoc autem conflictu captæ fuerunt 28. galêæ, ubi erant plusquam 7. millia hominum.

Eodem anno, fuit Potestas Dominus Guillielmus de Madiis, de civitate Lucensi.

Anno Domini 1300. Tartari exeuntes de Perside à sedibus suis, invaserunt Saracenos, primò in Capadocia Syriæ, deinde in Selucia, deinde in Armenia, abinde in tota terra Promissionis, & in Damasco, & Gaza, usque ad confinia Ægypti; in quibus omnibus Regionibus plusquam 200. millia Saracenorum sunt occisa; in qua strage, Deus permisit in eos fieri per Tartaros, quod ipsi fecerunt Christianis in captione Tripolis, & Achon.

Eodem anno, in Calendis Januarii, instituta fuit Indulgentia plenissima omnium peccatorum, per Papam Bonifacium, qui tunc Ecclesiam regebat, ad Sanctum Petrum, & Sanctum Paulum, accedentibus ad ipsorum limina 15. vicibus alternatim, quantùm ad extraneos; quantùm ad Romanos 30. diebus: unde factus est concursus populi tantus ex omni genere, & natione, quòd singulis diebus ascendebat oblatio ad mille libras Provinciales.

Eodem anno in Calendis Januarii, occasione mortis Domini Opizonis Judicis de Opizonibus de Luca, facta est concitatio & turbatio in civitate Lucensi, unde multa mala sunt exorta ibidem, & schisma non modicum, confinati sunt Anterminelli, cum eorum sequacibus.

Eodem anno, navale bellum fuit inter Rogerium de Loria Admiralium Regis Caroli, & Corradum de Auria Admiralium Siculorum, ubi dictus Corradus succubuit, & 28. Ligna perdidit, ipso capto cum filio & fratre, & duobus aliis de domo sua, & cum multis aliis nobilibus de Sicilia.

Eodem anno, Pistorienses, qui Albi dicebantur, expulerunt Nigros, & combusserunt eorum domos, qui venientes Lucam, cum favore aliquorum civium Lucensium, combusserunt domos Anterminellorum.

Eodem anno, bellum campale fuit in Sicilia inter Philippum filium Regis Caroli, & Federicum filium Regis Aragonum, qui Siciliam usurpaverat, & contra voluntatem Ecclesiæ detinebat; in quo bello Philippus succubuit, quia spreto consilio patris; pugnavit: unde captus est cum sua gente, & multi ex eis interempti sunt.

Anno Domini 1301. unus Dominus Tartarorum invasit alium, videlicet Imperator, qui dicebatur Theca, vir bonus, qui multùm favorabilis erat Christianis, Imperatorem Noca, qui pessimus Necromanticus, & persecutor omnis boni, & destruxit eum in toto, & factus est Dominus in toto Aquilone, Asia, & parte Orientis.

Eodem anno, in Septembri, apparuit Cometa in Occidente, in signo Scorpionis, quæ est domus Martis, qui aliquando emittebat comam ad Orientem, aliquando ad Meridiem. Et hoc fuit post adventum Domini Caroli Fratris Regis Franciæ in Thusciam, & duravit per mensem. Ferunt autem alium apparuisse in Oriente in eodem tempore, sed ego non vidi.

Eodem anno, veniens Dominus Carolus præfatus Romam ex mandato Summi Pontificis Bonifacii VIII. qui adeò in primo adventu suo factus fuit Comes de Romagnola, Capitaneus in patrimonio, & Dominus etiam in Marchia Anconitana; Item factus est Paciarius in Thuscia.

Eodem anno, dictus Dominus Carolus vênit Florentiam, & facta est ibidem magna commotio, & spoliorum direptio, & domorum combustio in Civitate, & in Comitatu, qualis non fuit à tempore, quo Guelfi & Gibellini Florentiæ fuerunt.

Eodem anno, controversia orta est in Hungaria de Regno inter Regem Boëmiæ, qui filium suum cum favore aliquorum Principum coronari ordinavit in Buda, & Regem Carolum filium Caroli Martelli nati de Hungaria, similiter coronari procuravit, habens in suum favorem aliquos Principes illius Regionis, & Cumanos, ac multitudinem Tartarorum.

Anno eodem, Rex Alamanniæ Albertus filius Rodulphi, habens discordiam in Regno suo, contra Ducem Bavariæ nepotem suum, contra Archiepiscopum Moguntinum, contra Colonienses, & Trevirenses, bellum movit, & totam Provinciam concitavit, & prævaluit, faventibus omnibus Civitatibus super Rhenum, propter injusta pedagia, quæ exigebant.

Anno Domini 1302. in Februario, ignis virtute sulphuris & ventorum evaporavit de Insula Ischiæ, qui ascendit super aërem cum materia terrestri, effuditque se super Villam, & combussit eam, factaque est magna nebulositas per totam Regionem, & mare repletum est lapidibus combustis, & consumptis terrestri substantia, quos pumices vocant super aquam natantes, ratione suorum foraminum, qui aërem continent, & propter consumptionem terrestris materiæ in ipsis: factique sunt cineres in tanta multitudine, & quantitate; quòd eorum acervi quasi montes videbantur: diffuderuntque se super mare ad ducenta milliaria.

Eodem anno, Dominus Bonifacius transmisit literas cum bulla ad perpetuam rei memoriam, Regi

(*) *Adduntur alibi Floreni.*

Regi Franciæ, in quibus mandabat eidem, quòd volebat, cùm ipse esset Dominus temporalium & spiritualium Mundi, quòd recognosceret Regnum ab ipso, & contrarium tenere judicabat hæreticum: quas literas Rex recipiens, de consilio suorum Magistrorum, coram multitudine populi fecit comburi: & tunc arctavit omnes vias Regni, ut nullus equus, nullaque pecunia, nullaque litera inde exire posset.

Eodem anno, in Ascensione Domini, idem Papa Bonifacius excommunicavit omnes impedientes de sua provincia, quòd Clerici, vel laici ad curiam cum equis, pecunia, vel literis venire non possent.

Eodem anno, Dominus Carolus, circa Majum, transfretavit in Siciliam cum multitudine magna contra Federicum prædictum, perdiditque majorem partem equorum suorum ex generali epidemia, quæ fuit in Orbe.

Isto eodem anno, Capitaneus de Mediolano, qui dominabatur parti Lombardiæ, perdidit dominium totum.

Eodem anno, Florentini & Lucenses fecerunt exercitum contra Pistorienses, & devastaverunt usque ad muros Civitatis. Deinde Florentinis recedentibus remanserunt Lucenses ad obsidendum Serravalle, quod Castrum multùm machinis conquassaverunt.

Eodem anno, idem Dominus Carolus ex certis causis fecit pacem inter Federicum, & Regem Carolum, & Ecclesiam, in qua pace ista pacta, quia Federicus accepit in uxorem filiam Regis Caroli, & habet Regnum Siciliæ in vita sua, quousque Ecclesia providet ei de Sardinia, sive de Regno Tolosano; post mortem verò suam, si habet filios, debet habere à Rege C. mill. unciarum, & dimittere Regnum: si autem non haberet, debet habere 20. mille uncias ad dispensandum ubi voluerit.

Eodem anno, Florentini iverunt in Vallem Arni, & obsiderunt Planum, castrum Passorum, ubi erant congregati multi Ghibellini de diversis partibus, quod ultimò in bello ceperunt, & occiderunt multos, quosdam autem ceperunt. Deinde Florentini audientes, quòd Ubaldini receperant eorum rebelles, & cum eisdem devastaverant Sanctum Petrum in Seve, & quædam alia loca, congregaverunt exercitum, & iverunt in Mugellum, & totam Regionem devastaverunt, usque ad montem Acanicum.

Eodem anno, in mense Septembris, castrum de Sarravalle captum fuit, scilicet sexta die dicti mensis, ubi Lucenses steterant in obsidionem 4. mensibus, minùs 8. diebus; in qua Lucenses sic cinxerant castrum, quòd nullus intrare nec exire poterat, & durabat circuitus castrorum Lucensium ferè per duo milliaria. In dicta autem obsidione Pistorienses invaserunt castra Lucana à duabus partibus; sed malè cessit eis, & ex tunc incœperunt deficere qui erant in castro prædicto de Serravalle, cùm tamen usque ad tempora illa viriliter se . . . . . . in quo erant ultra mille armati de melioribus civitatis Pistorii, & Diœcesis, cum 200. Romagnolis. Unde ad paucos dies reddiderunt se Lucensibus, sicut captos, exceptis Romagnolis, qui evaserunt, & terrigenis, quibus Lucenses indulserunt.

Et eodem anno, in Octobri, Lucenses ceperunt Lercianum. Quod audientes Pistorienses, veniebant ad obviandum, quibus occurrerunt Lucenses, & devicerunt eos; in quo bello fuerunt occisi plusquam 100. de Pistorio; capti verò ultra ducentos.

Eodem anno, in mense Julii, Flandrenses rebellaverunt Regi Franciæ, & occiderunt in Insula plusquam 1500. viros probos de Francia.

Isto eodem anno, & mense sequenti, venerunt Gallici contra Flandrenses, sed Flandrenses dicuntur fecisse foveas cœcas, secundùm conditionem regionis, in quas inciderunt ultra sex millia virorum nobilium in equis: & ibidem fuerunt occisi quidam cum balistis, quidam cum lanceis, & omnes insepulti remanserunt ad longa tempora. Inter quos fuerunt multi nobiles Principes & Barones, & inferiores milites, & scutiferi, quorum primi Comes Atrebatensis, Dominus Goffredus de Brabantia, & multi alii Principes.

Anno Domini 1303. congregati sunt Guelfi, qui Albi vocantur, cum Gibellinis Thusciæ, & Romagnolæ in Mugello, circa castrum Pulliciani, contra Florentinos: fueruntque in multitudine 800. (*) milites, & 6. millia peditum. Unde recesserunt cum adjutorio Lucensium devicti, & cum confusione.

Eodem anno, fuit conjunctio Martis cum Saturno, & etiam sunt conjuncti semel per retrogradationem utriusque, existentes ambo in Virgine. Jupiter etiam existens retrogradus bis directus factus est, propter quod in isto anno multi mali effectus sunt secuti, tam in enormitatibus rerum, quàm etiam personarum: nam decapitati fuerunt Florentini de Gherardinis, & Cavalcantiis. Item postea 509. de melioribus inter Albos & Guelfos & Ghibellinos, qui fuerunt capti apud Pulliccianum.

Papa Bonifacius Regi Franciæ litem movit, & licèt indirectè ipsum excommunicavit, ex eo quòd non permittebat aliquem exire de Regno suo, præterquam cum tribus equitaturis, nec pecuniam transportari, nisi quantum pro expensis eis sufficeret, propter quam causam dictus Bonifacius confirmavit Albertum filium Rodulphi, &c. *desiderantur*.

(*) *Alibi* Equites.

F I N I S.

VITA
CASTRUCCII
ANTELMINELLI
LUCENSIS DUCIS

Ab Anno MCCCI. usque ad MCCCXXVIII.

AUCTORE

NICOLAO TEGRIMO

JURISCONSULTO LUCENSE,

ANTEA EDITA,

Nunc verò in commune commodum accuratiori studio recusa.

IN VITAM CASTRUCCII

AUCTORE

NICOLAO TEGRIMO

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Si Lucensis Urbis vetustatem, nobilitatem, & reliquas multiplices praerogativas recensendas mihi susciperem, multa mihi occurrerent magnifica simul atque speciosa; neque paucis illustri huic argumento fieri posset satis. Illud tamen praeterire nolim, sub Regibus Langobardis atque Italicis, Lucae inter Urbes Etruriae sive Tusciae primum honoris locum contigisse, utpote quae Sedes Ducum fuerit, & Provinciae caput, & una ultra Apenninum honore Monetae insignita. Hac de re consulendus Cl. V. Franciscus Maria Florentinius in Monumentis Comitissae Mathildis. Ego quoque Cap. XVII. Antiquitatum Estensium certioribus tabulis eamdem veritatem illustravi atque munivi. Post Annum Christi Millesimum eadem Civitas (prout fert humanarum rerum vicissitudo) varia fortuna usa est, modo sui juris, modo aliorum imperio obnoxia, ita tamen, ut tam ex adversis, quam ex secundis rebus amplior ei nominis fama in Historia accesserit. Sed tamen recepta Reipublicae forma, quam in hanc usque diem felicissime servat, prudenti regimine, egregiis Civibus floret; ac nuper etiam titulo Archiepiscopatus a BENEDICTO XIII. Pont. Max. aucta est. Ego sane optassem, ut studio meo Lucensium gesta in hoc ipso Italicae Eruditionis theatro meliori in lumine collocarentur: preces etiam & hortamenta adhibui. Sed nescio quibus fatis pergit eadem Civitas dignitate ac luce suarum Historiarum carere, aut velle carere. Quam tamen gloriam ceterae lubenter, immo solicite, sibi procurant, & uberrime consequentur. Interim ego, quando majora non possum, *Vitam* profero *Castruccii de Antelminellis*, Ducis Lucensis, a *Nicolao Tegrimo* scriptam, sub quo Principe revera sublime honoris & potentiae culmen Civitas illa attigit. Eamdem quoque Vitam Italico sermone descripsit Aldus Manutius junior, ac typis aeneis consignavit Romae Anno 1590. omnium fusissime persequutus res gestas Castruccii. Alteram quoque Vitam ejusdem Principis Italicis literis ante Manutium mandavit Nicolaus Machiavellus, Reipublicae Florentinae a secretis, vir ubique ob suas lucubrationes famosus; & haec ipsa inter ejus Opera vulgata legitur. Ego postremis hisce duabus, quod post Annum 1500. scriptae, consilio Collectionis meae minime convenirent, unam elegi Latinam, cujus Auctor fuit *Nicolaus Tegrimus*. Haec primum lucem vidit *Mutinae impressa per Magistrum Dominicum Rocociolam, Anno Salutis MCCCCXCVI. die XX. Aprilis*, quo eodem Anno Auctor ipsam absolvit. Describens enim restitutam libertati Lucam per Carolum IV. Augustum (quae res contigit Anno 1369.) ac inde enumerans Annos CXXVII. jam lapsos, haec scripsisse dignoscitur Anno 1496. Rursus vero eadem Vita tradita Parisiensibus typis fuit per Jacobum Bogardium Anno 1546. Avidissime accipiebatur ab omnibus Eruditis Tegrimi Opusculum; quare ne ab ejusmodi oblectatione excluderetur minus doctorum populus, illud in Italicam Linguam a se conversum Justus Compagnius Volaterranus Anno 1556. Lucae edidit typis Busdragi.

Fuit autem *Nicolao Tegrimo*, Auctori hujus Vitae, patria Lucensis Civitas. Familia a vetustissimo quodam Tegrimo deducta, cujus nomen in posterorum cognomen transiit. Ista calamitates patriae, in quibus tot aliae succubuerunt, supergressa, nostris adhuc diebus inter illustriores & antiquiores Lucae splendet, ibique a compluribus Seculis cunctis honoribus atque muneribus, quae nobilibus tantum viris conferuntur, laudabili probitate perfuncta est. Natalium splendori conjunxit Nicolaus raram humaniorum Literarum peritiam, cujus ornamenti testem

hunc

hunc etiam habemus Castruccianae Vitae Libellum. Sed quod ei in primis curae fuit, Jurisprudentiae studio se se addixit, eo successu, ut cum primis aetatis suae Jurisconsultis certare potuerit. Neque in patria tantum ejus ingenii & doctrinae fama se se continuit, sed per universam quoque Italiam pervasit. Quare (uti me per literas monuit doctissimus Vir, Pater Johannes Dominicus Mansius Lucensis e Congregatione Matris Dei) quum is Legatus Reipublicae Lucensis ad Ludovicum Sfortiam Mediolani Ducem missus fuisset, eam de se existimationem peperit, ut ab eo Principe Eques & intimus Ducalis Consiliarius creatus fuerit, & amplissimo etiam diplomate donatus, ubi tantus honor ei habitus dicitur *ob singularem Legum scientiam, qua mirum in modum excellit, & inter celeberrimos Italiae Jurisconsultos honestissimum locum obtinet*. Scriptum fuit Diploma *IX. Kal. Novembr. Anno* 1494. Aliis quoque legationibus suae Reipublicae nomine functus est Nicolaus: nimirum ad Alexandrum VI. electum Romanum Pontificem Anno 1492. rursus vero ad Julium II. Pio III. Papae Anno 1503. suffectum, gratulationis caussa missus est. Jam pridem etiam, hoc est Anno 1478. ad Fridericum Gonzagam Mantuae Regulum Legatus fuerat, dolorem Reipublicae testaturus ob mortem Ludovici Marchionis ejus patris. Numerantur & aliae Legationes ad Maximilianum I. Caesarem, ad Ferdinandum Hispaniae Regem, ad Venetos, atque ad Calabriae Ducem. E quibus intelligas, quantum spei in hujus hominis dexteritate & eloquentia collocaret Respublica Lucensis. Praeterea extraordinario imperio praefectus fuit nobili Petrae Sanctae Castello, quod tunc in ditione ac potestate Lucensium erat. Virum enim gnavum ac prudentem loci custodia tunc exigebat. Tegrimum postremos quoque vitae annos dicasse Ecclesiasticae militiae, atque in Cathedrali Lucensi dignitate Archidiaconi donatum fuisse, ex ejus postremis tabulis discimus, scriptis Anno 1527. quo etiam e vita excessisse videtur. Ibi enim legitur: *Nicolaus quondam Raphaëlis de Tegrimio, Juris utriusque Doctor, Deauratus Eques, & Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis.*

Praeter Castruccii Vitam tres ejusdem Tegrimi Orationes typis editas habemus. Duas, quum Legatum ageret pro Lucensi Republica, recitavit coram Alexandro VI. & Julio II. Romanis Pontificibus; tertiam coram Friderico Mantuae Marchione. Supersunt adhuc & aliae duae manu exaratae, quarum alteram in ineunda Praefectura Petrae Sanctae habuit, alteram habiturus erat coram Pio III. Pont. Max., sed minime recitavit. Ceterum multum sibi existimationis & laudis Tegrimus e Castrucciana Vita comparavit. Neminem pigebit audire, quid ea occasione ad ipsum scripserit Felinus Sandeus, postea Lucensis Episcopus, celeberrimus videlicet ille Canonum Interpres, qui Ferrariae natus, Lucam tamen patriae loco semper habuit, quum ibi Sandeorum Familia per plura Secula illustris & summis aucta honoribus effloruerit.

Felinus Sandeus Nobili & Insigni Equiti Nicolao Tegrimo.

„ SAlve frater. Uno haustu legi totum cursum Castruccii, summe delectatus. „ Gustavi multa, quibus etiam ingenium tuum ostendisti, & in eruditione „ Henrici filii, & in verbis Castruccii morientis, & in descriptione triumphi, & „ in incidentibus quibusdam sententiis per parenthesim scite insertis, in praerogativis etiam & gratiis Ecclesiae Lucensi concessis, & in tota denique Historia. „ Superest, ut pleniorem Historiam rerum Lucensium aggrediaris. Per hanc enim „ gustum & appetitum moves, non satias. Vale & Johannae Sandeae consobrinae meae compatere.

„ Ex Palatio Apostolico XIV. Julii MCCCCXCVI.

Alteram juvat apponere, qua Tegrimo nostro congratulati sunt Hieronymus & Antonius Roncionii, Nobiles Pisani Cives. Eum ipsi appellant *Ducalem Secretarium*. Quae verba indicant, ipsum a secretis fuisse Ludovico Sfortiae Mediolanensium Duci. Fueritne honoris tantum caussa hic titulus ei collatus, an vero re ipsa Tegrimus ejusmodi munus obierit, incertum est mihi. Illud exploratum est, dicatam ipsi Ludovico fuisse Castruccii Vitam, ejusque Auctorem in Epistola testari, se a Principe illo *praeclarissimis ornamentis & virtutum insignibus honestatum*. Sed quum non ita multo post Ludovicus e summo honoris loco in postremam calamitatem prolapsus fuerit, in auras etiam abiit honorificus ille titulus Tegrimo additus. En alteram Epistolam.

Hie-

Hieronymus, Antoniusque Roncionii
Nicolao Tigrimo, Equiti Lucensi, ac Jurisconsulto praestantissimo, Ducali Secretario S. P.

„ CAstruccii Antelminelli Civis tui, ac summi exercitus Imperatoris, Vitam,
„ nuper a te editam, Mediolanensium Principis nomini dicatam, tam liben-
„ ter legimus universam, quam & misisti, & Opus tua eruditione, tantoque
„ Duce dignum esse judicavimus. Debet itaque tibi plurimum Castruccius, im-
„ mo Lucenses; Pisani, atque totius Italiae Nationes & Populi debent; qui ejus
„ Viri ac temporis res felicissime domi forisque gestas, hominibus nostris penitus
„ incognitas, non solum miseris in lucem, sed ornaveris plurimum tua oratione
„ atque illustraveris. Quare tua opera ac labore ceteri exemplum suae instituen-
„ dae vitae, nisi sibi ipsis deficiunt, sumere possunt. Quod nobis verius quam
„ statuae praeclarorum Virorum, Historia praestare solet. Nam si in Hispania
„ citeriori Quaestor Caesar, visa Magni Alexandri imagine, gemuit: quid putan-
„ dum est facturum eum fuisse, si Graecos primum perterritos, Lydiam deinde,
„ Joniam, Phrygiam subegisse, ad Indos usque penetrasse, Pontum, ac Scythas
„ in suam redegisse potestatem tum legisset? Nam profecto qui hoc tuum Opus
„ evolverit, & inter summos Duces Castruccium collocarit, sentietque se pluri-
„ mum ad gloriam, ad triumphos, ad rem militarem inflammari, & sola subla-
„ ta tyrannide, quam coactus iniit, ut Phalarim, Dionem, Dionysium, viros
„ praestantissimos fecisse legimus, nulli primas concedere partes in rei bellicae
„ virtute, ac gubernanda re publica judicabit. Dari autem illud sibi vitio, quod
„ & Caesar affectavit, ejusque rei caussa jus violandum esse, quod ne ille cogi-
„ tavit quidem, toties exclamavit. Quamobrem errant meo judicio, qui quum
„ summopere tyrannidem vituperant, virtutes reticent, quibus quum se Castruc-
„ cius ornatissimum splendidissimumque ab ineunte aetate reddidisset, cuivis ex
„ antiquorum Imperatoribus, Xenophontisque judicio, comparari potest. Cete-
„ rum tui laboris non mediocrem fructum consequeris. Nam dum Castruccium
„ tuis literarum monumentis immortalitati commendare studes, tibi quoque aeter-
„ nam laudem, nec morituram umquam gloriam vindicasti. Ac de eo benemeri-
„ tus es, quem Principem aetas sua habuit & coluit, quod apud summos viros
„ maximum semper habitum est ornamentum. Vivit itaque tuis vigiliis, qui
„ paene mortuus erat Castruccius. Laetandumque nobis est, quod nostra haec
„ aetas & illum & te virum praestantissimum ediderit, ut & Duce & Scriptore
„ cum omni antiquitate meritò contendere possimus. Ut igitur quam diutissime
„ sis in vivis oro Deum Opt. Max. Nam quo ad tibi vita praestabitur, tuis Lin-
„ guae Latinae monimentis clariores in dies erimus atque splendidiores. Vale de-
„ cus nostrum atque unicum Musarum refugium.
„ Pisis VI. Calend. Julias MCCCCXCVII.

Haec de Tegrimo dicenda habui, qui argumentum vere magnificum illustrandum sibi statuit. Nemo neget, quin multa Castruccio vitia fuerint; sed simul in eo plures emicuerunt Virtutes, ac praecipue militaris rei peritia, & solertia incredibilis, ita ut si hominem diuturnior vita comitata fuisset, veri videatur simile, vix ullam in Etruria Urbem ejus imperium evasuram fuisse. Paucis ejus encomia perstringam, si illud unum memorabo, quo illius Vitam Machiavellus conclusit: *E perchè vivendo ei non fu inferiore nè a Filippo di Macedonia padre di Alessandro, nè a Scipione di Roma; ei morì nell' età dell' uno e dell' altro: e senza dubbio avrebbe superato l'uno e l'altro, se in cambio di Lucca egli avesse avuto per sua patria Macedonia o Roma*. Egregio Viro, in cursu victoriarum e vivis sublato, hic positus est lapis Lucae in Aede Fratrum Minorum.

En vivo, vivamque fama rerum gestarum, Italicae militiae splendor, Lucensium decus, Etruriae ornamentum, CASTRUCCIUS, Gerii Antelminellorum (alii scribunt *Intermellinorum*) *stirpe. Vixi. Peccavi. Dolui. Cessi naturae. Indigenti animae pie benevoli succurrite, brevi memores vos morituros. Die III. Septembris MCCCXXVIII.*

Sarzanae itidem in Templo Sancti Francisci memini me vidisse tumulum & epigraphen Valerano infanti Castruccii filio positam, quam Tegrimus retulit. Pisis quoque apud Fratres Minores sepulcrum Johannis ex eodem Castruccio geniti adhuc visitur, hanc Inscriptionem praeferens.

Virtutis exemplum momentaneo juventutis flore clarescens, praematurae mortis ictu in cursu praeventus tegor in hac petra JOHANNES, natus olim illustris Domini CASTRUCCII, Lucani Ducis, altissimae mentis, indelendae memoriae, libertatis patriae defensoris, hostibus semper invicti. Anno MCCCXLIII. die XII. Maji.

Epi-

Epitaphium Guarnerii filii Castruccii.

Principis est natus Guarnerius immaculatus.
Ejus in hoc pulcro clauduntur membra sepulcro.
Castruccius genitor fuit, ac ad singula victor,
Qui Dux Lucanus vixitque Comes Lateranus,
Atque triumphalis Vexillifer Imperialis,
Et pater & natus quaeso sit uterque beatus.

Johannes, uti & Guarnerius, praecipue vero Henricus major natu, tres Castruccii filii, quamquam a Ludovico Bavaro, non sine ingenti ingrati animi nota, post patris mortem dejecti, perrexere tamen famam paternae, propriaeque virtutis tueri. *Duchini* appellabantur; eorumque mentio est in Historiis Pistoriensibus, Florentinis, aliisque Seculi XIV. monumentis in hac ipsa Collectione legendis. Verum conantibus pristinam recipere fortunam res male cessit, ipsorumque spem ac vitam mors praepropera intercepit. Post Vitam Castruccii ab Aldo Manutio Italica Lingua editam leguntur nonnulla diplomata Friderici II. & Lodovici Bavari ad eundem data, quae tamen hic recudere non placuit; Codicem siquidem Diplomaticum Italiae meditor edendum in hac ipsa Collectione, ubi opportunior locus erit eadem proferendi.

Ad

Ad Illustrissimum, ac Excellentissimum *DUCUM*

LUDOVICUM MARIAM SFORTIAM VICECOMITEM

MEDIOLANI DUCEM,

NICOLAI TEGRIMI

LUCENSIS EQUITIS, AC JURECONSULTI

IN CASTRUCCII DUCIS VITAM

PRÆFATIO.

MAximos Principes, & viros non solùm aliena benefacta & dicta audire & legere libenter solitos esse compertum est, sed apud eos summo in honore, qui ea literis mandarent, semper fuisse, & maximis affectos præmiis, multis exemplis in medium afferri posset. Major Scipio, qui Punica bella solus ex Italia in proprium caput vertit, Ennium in castris semper lateri hærentem habuit, & cùm gemina Carthagine victa triumpharet, Poëtam lauro Martio redimitum tempora, simul triumphare voluit. Amant enim Scriptores, quicumque scriptis digna gerunt. Exstat notissima illa Alexandri magni vox juxta Achillis tumulum edita, felicem illum, qui virtutum suarum Homerum præconem habuerit. Titi Livii nomen quanto in honore à barbaris etiam habitum fuerit, Divi Hieronymi testimonio comprobatur, qui quosdam ex ultimis Hispaniarum finibus, quos Urbis Romæ magnitudo non moverat, ad Patavinum visendum incitatos, Italiam penetrasse refert. Divorum Julii, Octaviani, Trajani, reliquorumque optimorum sequentium Principum plena sunt omnia. Apud Honorium, Arcadiumque Claudianus, qui eorum gesta tam disertè magnificèque conscripsit (ut uni Maroni cedat) tanto fuit in pretio, ut nihil sit ab iis, aut eorum Ducibus præclarè factum, in quo non sint virtuti testes adhibitæ Musæ. Tu Princeps, Orbis decus, qui cum ætate ea incrementa virtutum suscepisti, quæ te patri carissimum, matri obsequentissimum, fratri gratissimum, nepoti pientissimum, Galliæ Cisalpinæ optatissimum, universæ Italiæ utilissimum exhibuerint, & te gubernante Jani sit templum clausum; & post necessaria bella, & pro salute tutanda, & vi propulsanda, contra apertissimos hostes tuos suscepta, iterum Mundo sit pax reddita, cùm nec rebus in toga, armisque gestis cuivis superiorum Principum cedas, viros doctos, & qui ingenii acumine & dexteritate excellere videntur, ut in hoc quoque à Cæsaribus non vincaris, foves, amplecteris, & dignitatum titulis exornas. Accedit hoc non mediocre ornamentum ad amplitudinem gloriæ tuæ, quòd inter maximas curas, quæ te totius non solùm Italiæ, sed Galliarum, Hispaniæ, Germaniæque moderatorem detinent, literatorum hominum recrearis alloquio, & Historiâ humanarum rerum magistrâ delectaris. Pates omnibus ad venerationem, virtutibus, meritis, felicitate, & gratia, Prin-

ceps invictissime. Lucensibus & mihi familiariùs te colendi audaciam præstant constantissima Patriæ devotio, beneficiorum in universos collatus cumulus, & adumbrata in me quædam doctrinæ imago, à te non solùm ore proprio in gravissimorum virorum cœtu laudata, sed præclarissimis ornamentis, & virtutum insignibus honestata. Dicare nomini tuo Castruccii Ducis Vitam, non operis fiduciâ, sed ex debito volentem, pudor retrahebat, & majestatis tuæ reverentia, inconcinnusque & enervis scribendi stilus ad tam eruditissimum Principem venire formidabat. Subiit Divi Augusti recordatio, qui Græculi Epigrammata non solùm legit, sed responso dignatus est; & quòd Diis farre & lacte rustici litabant; soleatque quomodocumque scripta Historia delectare, quo effectum est, ut ad alterum gloriâ Cæsarem, & Deo conciliatum Principem, Historiarumque amantissimum, nullius ingenii ac doctrinæ homo, municipale donum, incomtam, sed veram rerum gestarum seriem continentem orationem destinare, verecundè tamen, decreverim. Lucensis igitur Viri, bello strenui, pace clari, ætatis firmæ, totius corporis venustate, gratiore animi virtute, Vicecomitibus grati mores, vitam, & mortalibus omnibus communem mortem, sed conscientiâ rerum bene aut malè gestarum disparem, quàm brevissimè videbis. Graviori stilo, & magìs ornato nostræ ætatis homines (quod raris datur) & posteri res gestas tuas legent, & vivens decus senties, quod æternitas magnitudine rerum, & sapientia tua partum conservatura est. Confidentiam meam, Princeps humanissime, non ab arrogantia profectam, sed culpa tua natam (si in maximo Principe maxima benignitas non potiùs virtus appellanda est) excusabis, & Lucensis Viri acta quum audies, ejus Civitatis antiquitatem, nobilitatem, latissimos ditionis fines olim, & gloriam considerabis, & præsentium comparatione quantum oppressa deciderit, agnosces, & misereberis. Lætaberis tamen de hostium, & tyranni manibus, patris tui Ducum omnium Principis ope ereptam, ac libertati restitutam, fovebisque Civitatem tuo numini dicatam, inque ejus peculiari tutela & cura, ut hactenus fecisti, perseverabis. Quando vel fide vel observantia in Excellentiam tuam, nulla sit in Orbe natio, aut Civitas, à qua Luca superetur.

VITA



VITA CASTRUCCII
ANTELMINELLI CASTRACANI
LUCENSIS DUCIS.

ANtelminellorum Familiam nobilem, multisque præclaram viris, & maximis functa honoribus Lucæ, satis constat. Ex hac Savarigii, Mugiæ, Gonnellæ, Castracanique fluxere. Transversales, & numerosæ propinquitates, & eadem repetita sæpiùs nomina in cognatione una, & ad discernendum difficultas, varietatem nominis ramorum in uno stipite effecere.

Ex Castracanis Franciscus, & Gerius fratres orti sunt, quorum alter major natu, equestri dignitate ornatus, & Castellorum dominio potitus est. Alter se se mercaturæ, quæ apud Lucenses in maximo pretio habetur, dedicavit. Summos ambo in Civitate adepti magistratus, universæ familiæ principes fuere, cùm eo tempore Vir etiam in omni virtutum genere clarus Alderigus, qui proprium Antelminellorum nomen retinebat, haberetur.

Natus est Castruccius Lucæ in ædibus paternis mense Martio IV. Kalendas Aprilis, anno à Christi humanitate MCCLXXXI. vico, qui Sancti Benedicti Gottellæ dicitur, Sede post mortem Nicolai III. Pontificis Maximi vacante, & Rodulfo Serenissimo imperante. Puccia ejus mater quum multos dies parturientium dolores maximos perpessa, ea nocte qua eum peperit, ex lassitudine parumper quievisset, visa est per somnium se flammam emittere, quæ circum circa omnia incenderet, se quoque ab ea com-

A buri; eoque somnio perterrefacta, quasi amens excitata, statim infantem inusitatæ magnitudinis in lucem edidit, adeò ut naturaliter tam grandem emitti non potuisse & matronæ & obstetrices affirmarent: ex quo effectum ajebant, ut numquam ampliùs mater ejus concipere potuerit.

Castruccii nomen ei pater imposuit, sive alludens Castracanorum familiæ, sive potiùs divinans ipsum Castris præfuturum, seu quòd Florentinos castraturus esset, sive quòd simile nomen apud Lucenses, veteresque Historiarum Scriptores, magnis viris sit imponi solitum.
B Nam teste Marco Tullio in Epistolarum suarum libro XIII. Lucius Castronius Petus longè princeps municipii Lucensis fuit, honestus, gravis, plenus officio, bonus planè vir, & tum virtutibus, tum etiam fortuna, si quid ad Rempublicam pertinet, ornatus, quem Bruto commendat viro commendatissimo. Et in Oratione pro Lucio Flacco de Castricio mentionem facit. Apud Svetonium Tranquillum quoque in vita Divi Augusti invenimus Castricium Murenæ conjurationem detexisse, & Octaviano gratissimum extitisse. Et Castricium virum bello strenuum ad Seleuciam tutandam missum à Gallo
C Imperatore, testis est Ammianus Marcellinus Libro XIII. Historiarum. Divus quoque Hieronymus Castruccium de cœcitate Epistola sua consolatur.

Salutis Anno MCCCI. cùm factiosa illa labes Alborum, Nigrorumque à Pistoriensibus profecta, universam Italiam & Etruriam maximè infecisset, Lucensem quoque populum jam suis aspersérat venenis, Obisis, Salamoncellis, Malapresis, Bernarduciis, & Porcarensibus, Nigram Antelminellis; Mordecastellis, Pogingis, Quartesanis, Fundisque Albam partem tuenti-

bus, effectum est, ut interfecto Obiso Jureconsulto à Bacciomeo Ciapparone Pisano, & Bonuccio Antelminello, civilis litis occasione, quæ inter Mordecastellos, & Obisos vertebatur (sed partium causa magis) sint Urbe ejecti Albæ factionis omnes ferè, Antelminellorum domus dirutæ, & igne absumtæ; Rainuccius Mordecastellus, ejus rei ignarus, & innocens, ad supplicium ductus.

Gerius Castruccii pater, coactus patria excedere, cum uxore & unico nato Anconam se contulit, ubi partim dolore, partim senio, & aëris intemperie, febri absumtus est. Septimo posteaquam Lucâ discesserat mense, secuta virum uxor, eodem ordine, paucos post dies obiit; sepulti ambo levi funeris pompa, re angusta domi obstante.

Post patris obitum Castruccius annos XX. natus ad Britannos, quos nunc Anglos dicimus, quò se Alderigus ejus consanguineus vir divitiis affluens, & suorum amantissimus, contulerat, proficiscitur, equo conductitio mutuò pecuniâ ab affinibus suis, qui circa eam regionem habitabant, accepta, à mercatoribus etiam, qui in Galliis erant, ad vestes, & iter perficiendum, emendicatâ pecuniâ. Varia usus fortuna per omne vitæ tempus, quanto magìs opprimebatur, tanto audacior in periculis erat, ut periculum non sine periculo vinci posse existimaret. Exemplum humanæ fortunæ fuit, adeò ut Blondo Foroliviensi teste, ad audacem Castruccium fortuna venerit.

In Britannia cùm & brevi linguam didicisset, & corporis dexteritate, & ingenii acumine, & formæ gratia, eloquentia etiam (qua plurimùm valuit) adeò sibi illius nationis Principes conciliaverat, ut ab omnibus non solùm amaretur, sed observaretur, Regi Adoardo gratus maximè ob pilæ ludum, quo cùm maximè delectaretur, tantum in eo excellebat, ut cunctos superaret. Quibus ex rebus aliquam sibi invidiam comparaverat (si quæ à virtutibus provenit invidia, non potiùs gratia est appellanda) & quum, ut fit, in contentione, ab illius gentis Regulo pugno impeteretur, pugione illum coram Rege interemit; & ab iis, qui aderant, quibus carus erat, ad navim, ut erat ferè nudus deductus, abire coactus est, relicto Alderigo in maximo discrimine, ni Regi causa nota fuisset, iniqua illius Regionis lege, qua cavetur, omnes habitantes in eadem domo cum eo, qui illius Insulæ hominem interfecerit, si ipsi sint alienigenæ, eadem pœna teneri, qua sicarius, qui & vitæ & bonorum amissione plectitur.

Ad eam Belgarum Regionem applicuit, quam Flandriam appellamus, quam quum bello ardentem invenisset, & animus jam ad arma & castra à mercatura eum impelleret, sibi timens ob inimicitias privatas, quum Anglorum maxima manus cum Flandrensibus militaret, Rege Adoardo Philippo Francorum Regi tunc infenso, ad Gallos sub mercatoris habitu advolavit.

Prima Castruccii militia sub Alberto Scoto Placentino fuit, apud quem ordines duxit, qui cum quatuorcentis equitibus, & mille quingentis peditibus Italis cum Mucciato Francesio Florentino Equite cum Francorum Rege merebat. Edidit in eo bello, quod asperrimum fuit, & adeò dubium, ut Regis Philippi res in maximo fuerint discrimine. Castruccius plurima egregia facinora, quum & manu promtus, & in consiliis capiendis prudentissimus haberetur. Legi ego librum Gallico sermone compositum, qui erat apud concivem meum virum optimum Martinum Cenamum, in quo ejus temporis bella omnia ordine conscripta erant, & quæ quisque vel Gallus vel Italus memoratu digna gessisset. Extollit in primis Castruccium Lombardum, quem magnum in Italia Tyrannum, tempore, quo Historiam conscribebat, esse refert. Post victoriam Philippi, cùm Regi carissimus esset apud Gallos, qui Italos naturaliter odio persequuntur, maximo in honore fuit & gratia, donec in Patriam reversus est.

Restitutis exulibus Lucensibus Uguccionis Fagiolani operâ, qui Pisanorum Dux Lucenses maximo bello afflixerat, & fœdere inito, firmatisque pactis, uti bona restituerentur, Lucio Obiso repugnante, Castruccius celeriter in Patriam, spe novarum rerum, revertitur. Et quum Henricus Bernarducius ejusdem factionis, sed propter Obisorum fastum eis infensus, Antelminellis adhæsisset, Castruccius clam cum Uguccione colloquutus, die data, occupatis locis opportunis, & Civitatis portâ, Uguccionem intromittit cum Pisanorum & Germanorum manu maxima. Commissum prœlium à Regis Roberti copiis, quæ Duce Gerardo de Sancto Lupidio Lucæ erant, & maxima strages edita. Abire Obisi omnes coacti cum suis, direpta Civitas universa; & Clementis V. Pontificis maximi thesaurus, quem Gentili Cardinali Avenionem deferendum mandaverat, quique in sacrario templi Divi Fridiani Lucæ repositus fuerat, præda militi concessus est. Castruccius Ducis, militis, inimici, vindicisque personam, eo die gessit.

In eo prœlio, quod apud Montecatinum commissum est, anno Redemtionis humanæ MCCCXV. pridie Kalendas Septembris Duce Uguccione, cùm & numero copiarum, & reliquis omnibus longè superiores essent Florentini, & totius Italiæ Welfi, tantus fuit Castruccii labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, consilium in providendo, celeritas in conficiendo, ut absente Duce exercitus, hostium inclinatio virtute ejus facta fuerit, & illius victoriæ laus omnis Castruccio debeatur, felicitate jam ei à Deo data, quam sibi nemo promittere potest, & quam in Imperatoribus & Principibus plurimùm valere usu compertum est Florentinorum, Bononiensium, Senensium, Perusinorum, Eugubinorum, Tifernatum, Pistoriensium, Volaterranorum, Pratensium, & militum, qui ex agro Flaminio (quem nunc Romandiolam appellamus) collecti erant adversùs Gibellinos, tantus equitum peditumque numerus interfectus, ut Cannensis cladis illius facies cerneretur, Regis Roberti copiæ, submerso in paludibus Petro Tempesta Regis fratre, & Carolo ejus Nepote inter cadavera reperto, Philippo etiam Tarenti Duce capto, omnes ad unum aut interemtæ, aut spoliatæ. Franciscus Uguccionis filius fortissimè dimicando primo congressu interfectus est. Castruccius graviter vulneratus in sinistro crure, numquam è prœlio discessit, nec priùs alligari vulnus passus est, quàm Castello (quod & situ, & probis militibus munitum erat) potitus est. Lucenses plures Civitate expulsi in eo capti, & Lucam ducti, deque eis supplicium sumtum.

Ea victoria elatus Uguccio Aretinus, vir bello strenuus, & qui post Henrici Imperatoris apud Bonconventum agri Senensis Castellum mortem à Pisanis è Genua evocatus, Dux belli factus erat, Lucæ, Pisarumque se Dominum apertè constituerat, milites præda Lucensi, exercitusque apud Montecatinum fusi spoliis ditave-

caverat, eosque sibi indulgentia & præmiis fidos benevolosque effecerat; ipse Pisis, Nerius alter filius superstes Lucæ, quos vel ingenio valere vel gratia, in his duabus Civitatibus videbant, ex quacumque levi causa ad supplicium trahebant. Banduccius Boncontes cum filio, Pisanis gratissimi ob nobilitatem familiæ, multasque præclaras virtutes, quia cum Rege Roberto sentire dicerentur, truncati capite.

Maxima Castruccii virtus Uguccioni formidolosa erat, quem cùm militibus carum, Civibusque conspiceret, jam præsaga mali mens exitio sibi futurum ominabatur. Ingrati animi est beneficiorum oblivisci, sed crudelis efferique, maximo maleficio maxima beneficia compensare. Invitatum ad cœnam Castruccium Nerius juvenis ætate, sed astu & paternis monitis canus, nihil tale suspicantem in carcerem trudit, eumque reum homicidii per ipsum commissi apud Campum-Majorem, quem nunc Camajorem appellamus (qui locus aliquando præsentia maximi Principis, & totius Orbis decoris honestatus est) ad mortem condemnat. Verebatur Nerius clientelas, & domesticorum Castruccii potentiam, si exsequeretur, quod pater præcipiebat. Impatiens moræ Uguccio cum quatuorcentis equitibus Lucam advolat, ut è medio Castruccium tolleret. Vix ad tertium lapidem egressus, tumultu facto Pisani, universos, qui ex Uguccionis familia domi remanserant, contrucidant, diripiunt bona, portas occludunt, conductitios milites expellunt, ad libertatem conclamant. Uguccio Lucam ingressus, re ut Pisis gesta erat accepta, suspensos quoque Lucenses, & ad arma clamantes compescere conatus, cùm Castruccium omnes liberum peterent, ipsum eis cum ferreis compedibus exhibuit, quæ hodie quoque in turris calce domus Castruccianæ cernuntur affixæ.

Quantum in rebus humanis possint fata (quibus regi Mundum haud dubium est) Castruccii ex vinculis ad Principatum subita mutatio, documento esse potest. Referre antiqua superfluum est; recentiora recensere molestum fortè iis esset, qui exilium, relegationem, fugas, ex paterno imperio, & ab infimæ conditionis hominibus insidias, persecutionesque passi sunt, quos primos in Orbe, si non potentia, sapientia, & bonis artibus, gratiaque videmus. Sed ubi virtus Dux fortunam comitem nanciscitur, omnia prosperè cedunt. Deligitur Castruccius unà cum Pagano Quartesano Equite à Lucensibus Dux belli adversùs Florentinos, qui post Uguccionis discessum, Vallis Nebulæ regionem invaserant. Ter soli Castruccio prorogatum Imperium, & demum Anno MCCCXX. Antianis Lucensibus (qui summus in Civitate magistratus est) Paganello Pertorio, Puccinello Lommoro, Landucio Honesto, Spalla Rapondo tabellione, Pessino Podio, Puccinello Porticu, Francisco Bochansocchio, Vannello Talgardo, Cecio Guinigio, Petro Magistri, Dominus Civitatis auctoritate tum Senatus, tum universi populi creatur. Nicolao Porcopodio Equite, Lando Schiatta, Vanne Martino, Mingo Spata, Ciuccho Rapondo, Jacobo Sbarra, Moncello Mordecastello, Puccino Galganetto, Joanne Guinisio, Datone Moricono faventibus, Henricum filium ejus adolescentem, tribus annis, ante ipsius Castruccii obitum, decreto publico vivens adhuc substituit, & sibi in imperio adæquavit. Rustichello Bocchansocchio, & Betto Quartesano Equitibus, & Gialdo Sismundo (quum ipse abesset) rem ipsam procurantibus.

Multarum Civitatum, & Castellorum, Gibellinarumque partium jura & ditionem adeptus est, nec uno cuncta tenore. Sarzanenses (quos Sergianos appellare magis libet) An. MCCCXXIV. sponte eum ad Castelli ejus curam vocarunt. Eodemque tempore Gerardinus Malaspina Episcopus Lunensis expulsus à suis apud Focensium Caput (quod nunc Ficechium nominamus) existens, eum Vicecomitem Episcopatus creavit, ob eamque causam Fossas Papirianas, quas hodie Fosdenovum dicimus, & reliqua Liguriæ citra Macram Castella, expulsis ejus regionis regulis Malaspinis, occupavit. Pontremulenses tam Gebellini, quàm Guelfi, quibusdam pactis firmatis, eidem se se ultro subjecere, Gebellinorum rem procurante, & exsequente Conradino Filippino Spagnoletti filio, & Velsorum Orabono Bernardo. Cerretum, Vallis nigra, Aquabona, Vallis, quæ Levagliæ dicitur, Villa-bona, loca Galliæ Cisalpinæ in ipso Apennino sita se se submisere Lucensibus. Gebellini Genua ejecti, Uberto Crivello duce exercitus magnifici Domini Stephani Vicecomitis, eam rem pro fidelibus imperii Genuensibus administrantibus, Georgio Spinula, Guidone Camillo, Pallavicino Pallavicino, Galeotto de Mari, Rizardo Piccanulio, & Oberto Vivaldo, Castruccium Vicarium & Ducem belli cum maximo stipendio & auctoritate elegerunt. Cornilia, Levantus, Corvaria, Mannarola, reliquaque ejus regionis Castella, & loco, & hominum astu inaccessibilia ad eum defecerunt. Idem secuti Florentini ejusdem factionis, apud Signam Castruccium sibi Dominum constituerunt. Matthæo Judo, & Nardo Scholari, & Lapo Uberto, & Cesso Lamberto principatum tenentibus, Pisas, Volaterras, & quidquid agri circumadjacet, Ludovico Bavariæ Duce Romanorum Rege concedente, possedit. Pistorium, Pratum, & quæ à Signa, & Carmignano Lucam usque interjacent, & quidquid ad Apenninum ad Galliæ Cisalpinæ terminos, & ad Bononiensium fines pertinet, & agri Senensis. Montem Massium bello & armis assecutus est. Privilegiis Friderici, & Ludovici, qui de Imperio inter se dissidentes bello certarunt, jure ei omnia postea concessa fuisse, publicis documentis apparet.

Primus dignitatis titulus à Federico ei concessus, *Regis Romanorum & Secretarius*, & *Comes*, postmodum & *Vicarius*. Ludovicus, qui ejus opera in Italia multùm ad res maximas gerendas usus est, Ducatus honore (qui Regio proximus est) eum decoravit. Adversùs Robertum Regem belli Dux maximus destinatus, *Vexillifer Imperialis* appellatus. *Laterani* etiam *Comitis* nomen assecutus, munus quoque implevit, cùm in Imperatore coronando cum Veneto Episcopo, & Gerardo Orlando Archiepiscopo Pisano, qui Pontificem referebant, interfuit. *Urbis Romæ Senatorem* Senatus Populusque Romanus eum creavit, maximoque cum honore & pompa in Capitolium deduxit.

Trecentas familias Civium cum suis clientelis primo illo congressu, quando cum Uguccione Obisos expulit, Luca ejectas legimus; maximum autem Artificum numerum partim metu, partim suspicione discessisse comperimus. Qui quum spe redeundi vicina incolerent loca, necessitate & rerum inopia premente cùm desiderium suum in longum protrahi viderent, alii Venetias, Florentiam, alii Mediolanum, Bononiam quidam, partim in Germaniam, & ad Gallos, Britannosque dilapsi sunt. Sericorum pannorum ars, qua soli Lucenses in Italia & divi-

divitiis affluebant, & gloria florebant, ubique exerceri cœpta.

Gravis injuriarum ultor, & in Cives severior, an crudelior nescio; nam in Principe sui doloris vindicta; & si justior fuerit, acrior semper videtur. Ex Quartesanis, qui ejus Principatus fautores primi fuerant, Bettum, Landum, Ugonemque ab ipso alienatos, & Roberti Regis Carolique ejus nati literis deprehensis, quibus Ugoni Episcopatum Lucensem, Lando Vicariatum perpetuum, Betto maxima præmia pollicebantur, proditionis reos & bonis & vita privavit, cadaveribus etiam in frusta divisis. Charemcionos nobiles, & qui ejus dominatum ægrè ferrent, & cum quibusdam aliis conjurassent, omnes ad unum interemit, quos in Urbe reperit, reliquos perduellionis reos fecit. Advocatos, vel meliori vocabulo Avogadros, ejusdem criminis conscios, quum se se recepissent in eorum arce, quæ supra Matrariam nunc diruta cernitur, cui Collis-Putei nomen erat, obsessos & vi expugnatos, ejus familiæ XXII. Lucam asinis insidentes, ad caudam facie versa. & manibus post terga revinctis, ignominiosè perduxit, quum inter eos quatuor essent equestri dignitate ornati, quos maximis cùm affecisset contumeliis, tamdem laqueo gulam fregere. Luparum Luparum inter ejus Consiliarios, primùmque pecuniam sibi mutuò creditam repetentem, fraude in literis obligatoriis inter N. & V., quòd erat in verbis *nolumus*, & *volumus*, inventâ, indignatum, & cum Armanno Tedicio Abbate Pacciani, & Pistoriensium Domino sentientem, quòd cum Menabio, Limano, Casole, Vico Pancelloro, quæ Luparis suberant, defecisset, admotis castris, & patria & patrimonio privavit; qui cum natis & familia Bononiam se contulit, ubi adhuc, & mercatura & bonis artibus multi viri clari Lupari, præcipuè Jacobus vir optimus, inhabitant.

Libet & Lupari carmen vulgare super creditis pecuniis inserere, & Castruccii responsum, quæ non insulsa (ut illa ætas ferebat) videbuntur.

Se la moneta mia fusse qua su,
La qual mandai, e non so che via tenne,
Io ti prometto che tral' V. e l' N.
Lite e questione non saria più.
E non ha tanti peli adosso un bu,
Quanti V. sarebben lettere di penne
E non sarè advenuto quel, che advenne,
Et ogni capoverso avrebbe un V.
E si vorrebbi di questo e di patto,
Volumus vogliamo ancor voglio io,
E ciò che vuol Massucio sarà fatto.
Ch' io letto dallo A. infino al Y.
Un V. un N. così contrafatto
Non viddi mai maledetto da Dio.

Castruccii responsum.

Per quello Dio, che Crocifisso fu,
Che morte e passion per noi sostenne,
Ch' io ti farò parer d'un S. un N.
Et un dì un V. farò parerti un Q.
Castruccio la moneta non tochu,
Anzi toccolla chi per quella venne,
La qual la spese, come si convenne,
E non la tenne stretta come tu.
Ma guarda ben, che non fossi sì matto,
Che contra al tuo Signor fossi restio,
Che pagherotti d'ogni tuo mal fatto.
Se punto ver di me ti veggio rio,
D'ogni tuo bene io ti harò disfatto,
E faraggio del tuo come del mio.

Stephanum Podium Tegrimi filium, quod Senensem quemdam ejus familiarem interfecisset, & Castruccium, qui apud Decimum erat, iratum timeret, conatum portarum ingressu prohibere, & populum adversùs eum incitare, captum capite truncavit, domosque Podiorum sibi semper fidissimorum solo æquavit. Andreottum, & Faitinellum Faitinellos Cives optimos rebelles effectos, bonis confiscatis, & maximo præmio eos interficienti decreto persecutus est, Guidonem Flammum, & Franciscum Becchum relegavit. Vegli Montecatinensis vineas, oliveta, & arbores omnes incidi, domos devastari fecit, quia maximus Welfæ partis fautor fuerat. Omnes, ut est apud tyrannos ex levi quacumque causa maxima suspicio, quos sibi inimicos vel conjecturis credebat, aut in carceres trusos fame & inedia macerabat, aut ipsi clam in aures ab ejus clientibus insusurrata domini voluntate abibant. Quibus ex rebus effectum est, ut in continuis bellorum motibus, quæ semper vivens exercuit, Civium fortunis occupatis, potuerit militibus pecuniam (quæ belli nervus est) sinè avaritia impendere.

Eloquentia militari plurimum valuit. Inerat verbis gratia, dignitati personæ conveniens. Milites tumultuantes sola filiorum, patrum, fratrumque appellatione, sæpe compescuit; seditionem militarem nullam umquam habuit. Primus hostes ferire, primus vallum ascendere, & scalas portare, fluvios primus innabat rapaces. Tanta inter milites facilitate fuit, ut qui dignitate Principes excellebat, infimis par videretur. Auctoritate, quæ in bellis administrandis, & in Imperio militari multum prodest, adeò potuit, ut sæpiùs sola præsentia & nomine pugnam instauraverit; fugientes suos represserit, hostes fugarit; Loca munita, audito solùm Castruccii adventu, fuerint derelicta, claves ultro datæ; Florentini clausis portis Urbis, ipsum obequitantem circa mœnia monetas cudentem, equorum cursus ac fœminarum exercentem, asinos, canesque intra muros vi lignorum jacientem, formidarint.

Usus est maximorum Principum familiaritate, Ludovici Bavari in primis, cui adeò carus erat, ut ei soli omnia sua consilia, & cogitationes crederet. Marci, Maffei, Azonisque Vicecomitum amicus præcipuus; Cani Grandi Veronensi, Vicentinoque Tyranno, benevolentia conjunctus; Guidoni Tarlato Aretinorum Episcopo, & Domino, & qui armis, & religioni aptus æquè erat, in primis acceptus. Petro Regi Aragonum & Ughetto Judici Arboreæ, cui Sardiniæ Insulæ administratio demandata erat, familiarissimus. A Raynaldo Bonacolso, Federicoque Comite de Monteferetro, mirum in modum diligebatur.

Nihil de suo arbitrio umquam egit; adhibebat enim principes viros semper in consilio, & doctos præcipuè disertosque, & eos maximè, qui historiam nossent; si de re militari, militares, & senes, & locorum peritos, & qui in plurimis bellis interfuissent. Et cùm ipse literarum ignarus penitus esset, semper recreabatur, & pascebatur, literatorum hominum colloquio. Tegrimo Tegrimo, & Ugolino Cellæ Jureconsultis, in dicendis causis usus est. Prencivallem Veglum, Vannem Mordecastellum, Luparum Luparum, Lippum Guarzonem Pisciensem, Bettum Bocchansocchium, Coluccium Parghiam, Civitatis curæ præposuerat. In rebus bellicis Joannem de Castillione, Loctucium Berectanum Bargetanum, Francischinum Ho-

Honestum, Balducium Mugiam, Loctum Bocchansocchium Florentinum, Equites apud se præcipuos semper habuit, & inter hos Beltramum Solvagnum Tholosanum, Federicum Comitem, Nicolaum de Clara-villa, & Bonaccium de Vulparia, viros bello strenuos: solitus dicere à bonis Principibus non patriam, aut genus, sed virtutem spectari oportere.

Castruccius magnitudine operum memoriam sui propagare cupiens, primus supra Sergianum Castellum arcem ædificavit (quam Sarzanellum appellamus) in formam Battifollis (illius ætatis vocabulo) cum aggere ex lignis terraque congesto, adversùs subitos incursus locum illum munivit; postmodum & calce lateribusque tutiorem reddidit. Quam postea Perinus Campofregosus, vendito Florentinis Liburni portu, turri altissima erecta marmore vario, laquearibus aureis, & pictura, ædificio pulcherrimo exstructo ornavit, adauxitque. Florentini, emtis à Ludovico Campofregoso ob Galeazi Insubrium Ducis metum iis locis, quum ætate nostra ad meliorem formam redigere tentarent, & arcem munitissimam Sarzanæ maximâ impensâ construxissent, Carolo Francorum Regi unà cum Liburni portu Pisas, Petrasanctamque, Petro Medico ministro, tradidere, quæ hodie quoque ab ipsius custodibus tenentur. Turrim, quæ Pontremulum dividit, ipsius operâ constructam literæ marmoreæ insculptæ, & in ea affixæ declarant, quas dimisso per funem homine Mediolano rediens, cùm oculus infirmus ad legendum propter altitudinem esset, transcribi feci, quas inserere haud ab re fuerit. *MCCCXXII. Hoc opus factum fuit tempore Magnifici Viri Castruccii de Antelminellis Lucani, & partis Imperialis Pontremuli Domini generalis, existente superstite dicti operis Vanne Tenti, de Sancto Miniate dicti Domini Siniscalco; fundatum fuit hoc XXVI. mensis Aprilis jussu Domini Cassaguerra vocatum. Amen.* Arcem Nossani ab Uguccione demolitam restituit. Ghivizani Castellum in Garfagnana situm, & palatio exstructo, & muris cinxit. Pedonæ turrim, procurante Jacobo Cimicella Mutinensi, erexit. Monteggiorum proprium ipsius prædium, ad omnem vim propulsandam munivit. Gebellinis Vallis Nebulæ hoc petentibus, ædificari Castellum permisit in collibus, ubi nunc Sancti Martini Templum exstat juxta montem Carolum, cui Castelli Gebellini nomen est impositum. Bargilium in eminentissimo loco, ut speculam totius Etruriæ, appositis custodibus, communivit. Quartam ferè partem Urbis Lucensis, occupatis privatis, & publicis ædificiis, plurimis maxima celeritate propugnaculis, & latissimo muro constructis inexpugnabilem reddidit, demolitis ad tecta usque CCC. turribus, ne cæmenta, & materies ad construendum deficeret, in qua se militesque continebat, Augustæ nomine imposito, ut cùm se Augustis imparem & natalium defectu, & tenuitate patriæ (quam gloriosam ad felicitatem perfectè victuro Simonides Lyricus docebat) agnosceret, animum tamen se Cæsaribus æqualem habere, si non alia re, saltem rerum à se conditarum appellatione ostenderet.

Maximam adhibuit diligentiam in itineribus sternendis, pontibusque, aut opportunis locis de novo construendis, aut vi aquarum, & temporis cursu (quod omnia consumit) demolitis reficiendis. Pisciæ pontem per ipsum restitutum, titulus marmoreus in eo declarat. Morianı pontem bis restauravit, latericium semel, ligneum iterum. Alium inter Bargetanos, & Perporenses super Sergium (quod alii Auserem, alii Esarem vocarunt, nunc Serchium communi vocabulo dicimus) construendum locavit. Castrum Novum Garfagnanæ caput, Castellionis olim Villulam, monti vicino ponte conjunxit. Conatus etiam pluribus locis in ipsius Garfagnanæ rupibus, & confragrosis vallibus, omnes non solùm fluvios, sed rivos, torrentesque superinductis arcubus, & testudine, siccis permeabiles pedibus efficere. Frustra multum operæ & impensæ fecit, cùm vel in ipsis principiis inundationibus, vel fuerit demolitum, quidquid incœptum erat, vel parvo durarint tempore, ut nunc bases superexstantes multis in locis ostendunt. Limam Trotis abundantem, quæ ex Apennino per Pistorienses montes in Serchium (juxta Corsenæ celeberrima balnea) illabitur, tribus pontibus ex silice perfectis ornavit. Chifenti quoque Pontem, quem virago illa & nobilissima mulier Matildis Lucensi Bonefacio, & Beatrice ex Imperatoria stirpe orta, structura & opere magnifico exstruxerat, vetustate & carie debilitatum, perpetuum sua impensa efficere curavit. Iter primus à Montravente (quod Montramitum nunc dicimus) per paludes, & stagna, palis & saxis ad mare usque stravit, & Viaregium; idemque ex Monte Gioro ad Mutronem perfecit, ut faciliùs quæ ex mari ad litora Lucensia devehebantur, vehiculis ac jumentis in Civitatem comportarentur. Vivo lapide etiam quidquid à Montramito ad Montem Sorrenæ interjacet aquis (quibus maximè ea regio abundat) submersam, permeabile effecit, pontibus plurimis, ac fossis latissimis effectis. Quæ omnia quum desidia hominum & bellorum vastitate ætate nostra partim aquis obruta, partim devastata cernerentur: Civis optimi, & in omni virtutum genere probatissimi Joannis Guidizoni solertiâ & prudentiâ, non solùm ad pristinam sunt restituta formam, sed æterna sunt effecta, ea æternitate, quæ mortalitati nostræ debetur. Magistratus, & per omnes regiones custodes adhibuit, ut provincialium commodis provideret, & quum omnia videretur ad publicam referre utilitatem, ad privatam nihil, adeò sibi animos omnium devinxerat, ut nihil non volentes, quod imponebatur, efficerent.

In prœliis, quæ gessit tam fortunatè, quàm prudenter, maximam adhibuit curam, ut castra locis opportunis collocaret, & ea deligeret, ex quibus in inferiores hostes, si pugnandum esset, decurrere posset, & pabuli aquarumque copia non deficeret, & ab inimicis frumenta, reliquique commeatus intercludi nequirent; primusque vel occupabat semper colles, ut adversariorum animos, & consilia divinare videretur. Diligentissimus erat in exploratoribus, & prudentibus, & fidelibus, in quibus etiam fœminarum opera utebatur, quos per totum ferè Orbem ubique habebat. Ex pace enim aut bello alterius; ex deliberatione affectu alieno; quid sibi agendum esset, & facilè judicabat, & in tempore exsequebatur. Dubios principes, & nutantes pertentabat, & ad sui societatem adjungebat. Amicorum fictorum insidias dolosque astu deprehendit.

In virtute militum, non in numero victoriam existimabat. Centuriones, Tribunos, Manipularios, Decuriones, & omnes qui in suo exercitu ducebant ordines, nobiles in primis, & quos generosi animi conspiceret, reliquis præficiebat. Dicebat enim iis solis credendam esse Principis, & aliorum salutem, quos pudor à fuga,

fuga, & proditione retraheret, & virtus ad vitam simul cum honore amittendam animaret.

Annonæ curam maximam adhibuit, & ut frumenti copia (quæ res multum populos Principibus commendat) in Civitate esset, operam dabat, quod cariori pretio emtum viliori vendendum exponebat; & ex Sicilia (horreum quondam populi Romani) Galliis, aliisque locis exteris, dato præmio comportantibus, conquirebat. Non enim ager Lucensis ad exercitus populumque pascendos (quum etiam multitudo agrestis bellis intenderet) sufficiebat. Vectigalia graviora remisit. Tributa publicè raro, nisi quum necessitas urgeret, exigebat. A privatis pecunias sub usuris mutuo accipiebat. Mutronum (vetustum olim sepulcrum) pluribus aquis in unum alveum derivatis, portum majoribus navibus efficere conatus est. Via-regii Arcem à Genuensibus Lucensibusque adversus Pisanos communi impensa quondam constructam, ut in vadoso litore breviores Scaphæ merces exponerent, diligenter custodivit. Et ut mercatoribus, quibus mediis Civitates pecuniosæ semper fiunt, etiam alienigenis Luca abundaret. Salaria novas artes inducentibus de publico dabat. Vectigalium vel in perpetuum, vel ad tempus onera remittebat. Sericorum pannorum si quis alibi telas texeret, aut ordiretur, maximis pœnis persecutus est: quod tamen efficere nequivit, quum Civium multitudo maxima ejecta, & in diversas partes dilapsa, quæ aliter vitam sustentare non poterat, vitam periculo vitæ præposuerit. Nec in tantis bellorum curis omisit decreta edere sanctissima pro Civitatis pace, & quiete, ut sub Principe, & libertatis forma appareret.

Et quum Civitas in quinque regiones per Portas quinque, Sancti Petri, Sancti Gervasii, Sancti Donati, Sancti Fridiani, Burgorum, nominibus appellatas, divisa esset, Senatores, & universam plebem, adjacentiumque Urbi Villarum homines, sub suis Ducibus, & signis quos per vicos quosque distribuerat, sic paratos promtosque in armis habuit, ut una hora (nec plus spatii dato) suis quisque ordinibus quæcumque imperabantur celeriter exsequerentur. Quibus ex rebus effectum est, ut sæpe improvisos hostes sit adortus, & plura loca inopinatò occuparit. Quum negligentiùs (dum alibi occupatum per exploratores Florentini intelligerent) rebus suis intenderent, præmisso tubicine ex Pontremulo cùm Lucenses instructi præcessissent, viginti horis, tribus aut quatuor comitantibus, ad Montem Summanum in munitissimo, & inexpugnabili colle positum, pervenit, eumque ex improviso occupavit. Tanta celeritate omnia peragebat, ut aquilæ (quam ob Imperatoriam reverentiam in signis vexillisque ante se ferebat) alas eum habere hostes etiam dicerent.

Quumque utiliùs judicaret suos armis erudire, quàm alienos mercede conducere, quum in Urbe erat, aut sagittantibus præmia proponebat, aut palo, palæstra, concursu armatorum in equis, imaginariis Castellorum expugnationibus, simulatave pugna juventutem exercebat, ipseque inter illos primus; & quum collocata signa aut manus consertas videbat, nunc hos jurgiis, nunc illos exhortationibus animabat, efficiebatque præsentia sua, ut quisque vel pudore Principis audacior esset. Victoribus, honoris gratiâ, semper aliquid dabat.

Uxorem duxit Pinam ex nobili familia Vallechiæ, Corvariæque Dominorum ortam, parva contentus dote, ex qua novem filios suscepit, fœminas quinque, masculos quatuor. Natu majores tres fœminæ in matrimonium vix nubiles collocatæ. Dialtam Philippo Tedicio Pistoriensi, cujus operâ ejus Civitatis dominio potitus est, tradidit. Catherinam Johanni Malaspinæ Marchioni, & Bettecham Comiti de Donoratico Pisano conjunxit, Jacobam in Monasterium Divæ Claræ ingressam Deo dicavit. Viridem patri superstitem, post ejus obitum citò vita functam constat. Henricus, Valeranus, Johannes, Guarnerius, masculis nomina fuere; quorum ultimus infans, adhuc ante annum patris mortem moriens præcessit, ejusque corpus marmoreo tumulo apud Sarzanam in Divi Francisci Templo, quod extra muros est, conditum, carminibus & pueri nomen, & patris dignitates attestantibus in eo exsculptis. Reliquorum post Castruccii è vita discessum varii casus. Octinum & Marchesanam ex damnato sumtos coitu reliquit, quorum alter Bononiæ interfectus est, altera Moruccio in Liguria diviti & Castelli Domino nupsit. Felix tot natorum prole, si fortunam & virtutem (plerumque inter se dissidentes) paternam assecuti fuissent. Res in maximis Principibus, & viris præstantissimis, corvo rarior albo; quum diuturnam vel in nobismetipsis, vel in nostris felicitatem nullam Deus omnipotens velit, ut quæ post hujus seculi vitam vita est, perpetuâ gloriâ sola ab hominibus credatur perfrui. Nam Moyses, Romulus, Numa Pompilius, Julius Cæsar, Homerus, Aristoteles, Socrates, Titus Livius, nullos filios reliquere. Divo Augusto, Ciceronique, ne fœminas quidem suscepisse honorificentius fuisset. Pleni exemplis libri; sed omnia *in pejus semper ruere, ac retro sublapsa referri*, Maronis sententia dignoscimus.

Miseros esse ajebat Principes, apud quos vera reticentur, qui quum ipsi publicè ambulare non possint, necesse est ut audiant, & à pluribus roborata confirment, qui etiam sæpiùs ab amicis venduntur. Nec in Regia veste veritatem umquam audiri posse: propter quod adulatores maximo odio persequebatur. Histriones, & ejusmodi genus hominum perniciosissimum, ne domus ostia aspicere sinebat, rogabatque domesticos, ut quid de se vulgus loqueretur, aut quæ apud graves opinio esset, ingenuè dicerent. Adhibebatque in secretis secum sæpiùs viros religiosos, quorum colloquio cùm per otium licebat, maximè delectabatur, Minorum præcipuè, à quibus (quum non solùm unius Civitatis, sed Orbis secreta, consiliaque teneant) diligentissimè omnia perscrutabatur, gaudebatque objecta crimina aliquo boni velamento diluere; & in sermonibus ostendebat se timere, quod in vita optimum est. Et quum interrogaretur ab amico, cur tot familias, quæ secum libenter in gratiam redirent, non restitueret, quum Civitates Civibus repleri, & utile & honorificum sit, respondit: *Quia non potest hæc Civitas me cum ipsis capere*. Quumque amicus in cœna post sumtum supplicium de Quartesanis diceret: *Malè Princeps argueris cum amicis veteribus agere*; statim addidit: *Non cum amicis veteribus, sed cum inimicis novis mihi res agitur*. Accusabatur à multis, quòd Luparum, qui vir optimus, & prudentissimus ab eo semper judicatus, & inter primos Consiliarius habitus, & in credito fraudasset, & bonis exilioque mulctasset, ridens ait: *Non Lupari prudentiam, sed avaritiam; non fidem, sed proditionem persecu-*

secutus sum. Nec enim potest avarus quisquam bonus esse. Dum latuit vitium, mihi carissimus; sed postquam pecuniam cariorem me habuit, necesse fuit, ut ejus bona, pecuniamque pluris fecerim, quàm Luparum. Guidoni Tarlato Episcopo Aretino apud Pisas coram Ludovico Imperatore de Castruccio conquerenti, quòd eum probris affecisset, & objicienti ei ingratitudinis vitium (quod maximum apud Deum, hominesque est) Germano sermone quum in hanc sententiam respondisset, *bestias calcaribus, & fustibus opus peragere, & de gratitudine non credendum ei, qui numquam gratus fuisset*, & id parum intellexisset, interroganti quid diceret, statim subjunxit: *Puerorum se non esse magistrum*. Quumque Imperator in cachinnum totum se effunderet, Tarlatus, ut erat natura ad iram pronus, insalutato Principe equum ascendit, & Aretium versùs profectus, ex bili in febrim pleuresimque devênit, ex qua brevi absumtus est. Multa ejus exstant tum graviter, tum severè dicta, scriptaque, & ad privatos & ad Principes, Resquepublicas, & ad Senenses maximæ literæ, quibus ingenii dexteritatem, & ad omnia promtitudinem in jocis, urbanitate, seriisque facilè dijudicare quilibet posset.

Florentinos adeò afflixit, ut desperatis rebus Carolo Roberti Regis filio juveni adhuc, missis Oratoribus Neapolim, Francisco Scala, Alexio Rinuccio, Donato Acciajolo, Philippo Bartolo, & Donato Peruzo, totius Civitatis summam potestatem demandarint. Muros Civitatis tamquam obsessi, jam jam se captos timentes, lignis fossisque muniverint, Giano Albizo, & Nerio Alberto eam rem curantibus. Diligentissimas custodias super Colle (ubi Divi Miniati templum cernitur) ne ab hostibus occuparetur, imposuerint. Arcem Fesulanam, quæ Urbi imminet, restauraverint, vectigalia triplicaverint, tributa graviora exegerint, & mille artes ad extorquendas pecunias invenerint; per totam Italiam supplices auxilia petierint. Tantus Castruccii timor accesserat, ut egredi portas nemo auderet. Omnis multitudo rustica cum armentis pecoribusque intra mœnia se contineret. Ex fame, fœtore, omniumque rerum necessitate, & vigiliis orta pestilentia, multos orco tradidit. Actumque de eis fuerat, si Guido Tarlatus (ut constituerat) cum exercitu descendisset ex Aretio, quod ab eo non factum aliqui invidiâ (quæ semper maximas potestates comitatur) ne tanta gloria Castruccius potiretur; alii corruptum pecunia (quæ omnia sancta profanat, & munita expugnat) affirmabant. Trepidatum iterum magis, & nulla spes aderat, cum recuperato Pistorio ipse victoria elatus; Ludovicus Bavarus, qui cum maximo exercitu ex Urbe in Florentinos animatus moverat; Ubaldini cum reliquis Gebellinæ factionis tyrannis ex Apennino descendentes, ut tripartito exercitu Florentiam obsiderent expugnarentque, nunc nunc adesse crederentur. Castella omnia Vallis Arni superioris munita, & multis locis præsidia opportuna imposita. Fossæ Civitatis maxima celeritate purgatæ, muri tormentis dispositis, vallo & aggere partim ad removendos, partim ad continendos hostes, firmiores sunt effecti. Solius Castruccii mors (quæ maximos sæpe mortalium cogitatus, conatusque irritos fecit) à tanto eos metu periculoque liberavit.

Vicecomites Mediolanensium Principes adeo dilexit, tantoque mutui amoris fervore ab eis observabatur, ut nihil umquam magnum non communicato consilio egerint. Ludovicum Romanorum Regem in Italiam evocarunt, & Tridentum usque cum Oratoribus Castruccianis profecti, Marcus & Azzo Vicecomites, Canis Veronensis cum octingentis equitibus, & Passerinus Mantuanus Tyranni, Marchio Estensis, Guido Tarlatus, Pisanorum, Genuensium Gebellinorum, & Philippi Siciliæ Regis Legati. In quo conventu compositis rebus inter Ducem Chiarentanæ, & Veronensem Dominum, centum quinquaginta millia aureorum Imperatori partim exsoluta, partim promissa fuere, ut Italiam à Welfis diu vexatam liberaret. Et cùm Johannes XXII. Pontifex maximus infensissimus Gebellinis, eos maximè missis Legatis & exercitu persequeretur, communi omnium, qui aderant, consensu, indignus Petri successor declaratur, Religiosis Divi Francisci, & Augustini Regulam profitentibus, Episcopisque quam pluribus consulentibus, quum inter alia ei objicerent, quòd paupertatem amplecti recusaret. In eo prœlio, & strage quæ apud Altopassum (olim Tepasium ab aquæ nomine dictum) edita est, Florentinorum copiis fusis fugatisque, cum Azzo, Vicecomes ex Gallia Cisalpina ad Castruccium auxilio supervenisset, communibus auspiciis, & signis pugnatum est: Et cùm injurias à Florentinis illatas, Azzo juvenis ante suum in Patriam reditum ulturus, ad mœnia Florentiæ usque pervagatus, in Arni Insula sub civium oculis cum suis consedisset, & præmio serico in equorum cursu proposito, præda onustus universam regionem vastasset, numquam ab ejus latere Castruccius cum fidissima militum manu discesserit. Nec grave erat ad Vicecomites juvandos omnia agere; Florentinorum insidias, Pontificis, Robertique Regis potentiam in solum Castruccium intentas, ut laborantibus amicis subveniret, nihili faciebat, dijudicans in amicis Regni & Imperii firma præsidia. Ex Luca enim in Galliam Cisalpinam cum expedito exercitu advolavit, compositis cum Pistoriensibus induciis; & quum Ramundus Cardona Welforum Dux, vir & ingenio, & viribus acer, Bassignanum obsideret, nec Marcus Vicecomes, qui terrestribus copiis præerat, nec Gerardinus Spinula, qui classem præpotentem per Padum ductabat, hostes aggredi auderent; Castruccius primo adventu (ut erat ad omnia expeditus) quum primas partes conferendi manus dari sibi postulasset, non cunctandum ratus, ut improvisos adoriretur adversarios, clamore sublato, & Castruccii nomine sæpiùs acclamato, Ramundum cum suis in fugam vertit, & impedimentis omnibus direptis, major spe, & famâ melior quum apparuisset, maxima cum laude & gloria Lucam reversus est.

Mediolanensi populo post Placentinam defectionem ad Legatum Pontificis à Vergio Lando Equite factam in libertatem se se vendicanti, ejecto Galeatio Vicecomite, & duodecim Civibus electis, qui Rempublicam gubernarent, inter quos Aloysius Vicecomes suis infensus, Simon Cribellus, Franciscus Magnanus, Jacobus Posterla, & alii Nobiles, quum Castruccium ex Etruria movisse ad Galeazium tutandum (qui apud Laudem Pompejanam consederat) nuntiatum esset, tantus injectus metus est, ut ante mensem de revocando Principe sit & consultum & deliberatum. Alexandriam à Tertio Alexandro Senensi Pontifice maximo appellatam, ab Ugone Balso Welforum Duce obsessam, Castrucciano milite adjuvante liberatam esse cum ipsius Ducis captivitate, & exercitus insigni clade, satis constat.

Nerium Gherardeschum Pisanorum primarium cum Vicecomitibus benevolentiâ, relictis Florentinis, Castruccius conjunxit; ipseque pro solo imperio violandum jus existimans, in reliquis pietatem servandam, juxta Euripidis sententiam à Julio Cæsare usurpatam, pacis conditionibus spretis, quas cum Florentinis paucos ante menses firmaverat, in eorum agrum hostiliter ingressus est, commotus Maffei Vicecomitis precibus, & communi periculo, quum expugnato Vicecomite, cunctorum Gebellinorum res in maximo discrimine videret; & per Vincium, Cerretumque Emporium (quod Empolim appellant) usque progressus, captis Montefalcone, Turrique supra Guscianam posita, & Sancta Maria ad montes, coëgit Florentinos mille equites, quos ad Vicecomites oppugnandos Regium usque præmiserant, ad sua tutanda revocare. Tantaque celeritate Castruccius in Liguria etiam aliquot Castellis expugnatis, & captivorum numero maximo, prædâque abactâ, omnia turbavit, ut Philippus Valois Regis Francorum nepos, quem Pontifex, & Robertus Apuliæ Rex Florentinorum astu, Vicarium Galliæ Cisalpinæ constitutum, in Italiam cum peditum equitumque Gallorum multitudine adversus Vicecomites descendere fecerant, redire ad suos rebus infectis, & maxima cum ignominia, fit coactus.

Noluit Castruccius quum spe veniæ, & maximis pollicitationibus conditionibusque invitaretur, partes suas umquam deserere, affirmans nullam posse perfectam esse amicitiam, à qua cogitatum sit aliquando posse discedi; improbata illa opinione histrionis Laberii apud Macrobium Libro Saturnalium: *ita amicum habeas, ut eum fieri posse inimicum quandoque putes*. Quum Johannes (Jacobus Caturcensis ante vocatus) qui post Clementis Quinti mortem inter maximas per biennium inter Cardinales dissensiones apud Avenionem (vel ut alii volunt) Lugduni in Pontificem assumtus est; Vicecomites, omnesque Tyrannos Gebellinos, & nominatim Castruccium à fidelium communione removisset, hæreticos, Schismaticosque pronuntians, Episcopum Aretinum Episcopali dignitate privasset, & demum Ludovicum Bavarum iterum spirituali mucrone persecutus, interdicto subjectum, & Imperiali dignitate, Regiaque privatum, hostem Ecclesiæ judicasset: quum non sufficere, quæ apud Tridentum contra eum gesta erant Castruccius existimaret, Petrum Corbariensem (quem Nicolaum Quintum appellarunt) Aprutinum, vel (ut Platinæ placuit) ex Reatino agro, Romæ per Ludovicum Imperatorem Pontificem declarat, Episcopo Veneto, Archiepiscopo Mediolanensi, cum aliis quinque Cardinalibus creatis.

Captivos Vicecomites Bavarus omnium ingratissimus (qui etiam post Castruccii mortem filios ejus paterno imperio privavit) Mediolani, & dominio & bonis spoliatos in carcere detinebat, & sub libertatis spe à populo maximam auri vim exigebat. Barbaro militi (antiquo sæviori Barbarossa) Civitas illa opulentissima jam in prædam concedebatur, ni Castruccius præsentia sua populum illum confirmasset, & reliquos Italos ad Principem per ipsos in Italiam evocatum deserendum animasset, itemque palam minitabundus, & irarum plenus Ludovico pronuntiasset. Liberati Vicecomites Castruccio postulante, & Bavarum Lucam usque secuti, apud Lucenses maximo semper in honore fuere. Tanta inter Galeatium, Castrucciumque familiaritas contracta, tantus amor, & amicitiæ vis

A suborta, ut alterius anima in alterius corpore semper viveret, unus fuerit utrique finis; & si pensare animas crudelia fata permisissent, & posset redemi morte aliena salus, libens quisque ex eis pro alio occubuisset: quod eventu comprobatum est. Nam quum pari labore & diligentia in Pistorio recuperando, vigiliarum, sudoris & algoris multum uterque ultra humanas vires perpessus esset, eadem & die & hora à febri maxima ambo correpti, Castruccius Lucæ, Galeatius Pistorii; & quum animam agere Castruccium Galeatius accepisset, desiderio visendi amicum, Lucam deferri se jussit. Quumque apud Písciam aggravante morbo supersedisset, eodem temporis momento (ut postea compertum est) quo Castruccius, exspiravit. Hinc

B inter Lucenses Vicecomitumque vetustissimam & illustrem Familiam prima benevolentiæ jacta fundamenta, quæ adeo solida exstitere, ut nec temporis cursu (quod omnia, & ipsos quoque Deos consumere dicitur) nec ulla alia vi umquam non solum fuerint divulsa aut labefactata, sed immensis beneficiis, quum potentissima fuerit, in Lucenses cumulatis, & sæpe ex hostium manibus Civitate erepta, in pulcra libertate, & nulli extero servientem, centum viginti septem annis Lucensem Populum quum conservaverit, adamante firmissimo, & indissolubili congerie structuraque, nunc super eis perpetuum perfectum sit ædificium.

C Filios si à teneris assuescerent, meliores futuros existimans, quum primum per ætatem licuit, præceptoribus honestis & eruditis instruendos tradidit. Henricum, cui sors Regnum cum luce dederat, in castris educatum, reptantem inter scuta & galeas, & exuviis telisque gaudentem, non inerti somno, nec otio aut luxu marcescere passus est; sed per duros labores nova instruebat membra, & teneras vires, dura indole exercebat. Frigora sæva pati, æstivum tolerare jubar, & nimbos graves contemnere assuetus, torrentum furias sonoras transnabat, & montes ascensu superabat, planities cursu, fossas saltu vincebat. Nunc cornu tendentem spicula, nunc totis laxantem frenis

D equum, nunc funda glandem spargentem; nunc palo, nunc palæstra se exercentem, lætus mirabatur pater, & tacitus laudabat. Cedebat animo ætas, & tam militibus Civibusque in rudibus annis pietate & gratia carus erat, ut omnes quererentur imperium ei nimis sero datum à patre, quum victorias Henrici fatis, & Castruccii virtute amplissimas se assecuturos sperarent. Et quo magis eum inflammaret pugnæ amore, quum avorum gesta numerare in bellis non posset, se ipsum ei exemplum exhibebat, ex quo virtutem disceret; & in cœna quum ante ipsum filius semper staret detecto capite, quæ in Gallia Transalpina, quæ apud Genuam, Bassignanum, Ponzinum, Veronam, Paduam,

E Alexandriam, quæque in Liguribus, Etruria, Romæque strenue gessisset, memorabat; ostendebat aliquando vulnera, & faciem cicatrice deturpatam. Lucenses natura rei bellicæ aptos, Strabonis auctoritate docebat. Ostendebat Turres ab equitibus Lucensibus constructas. Sempronii Consulis Romani, post cladem ab Annibale apud Ticinum acceptam, tutissimum in Urbe Luca refugium; Cæsaris, Pompeji, Crassique celeberrimum in Luca congressum, & trecentos lictores ante Cæsaris fores conspectos; Nobilitatem Urbis, virtutemque, & viros laudabat. Narsetis illam durissimam obsidionem, & Civium constantissimam fidem, Aghatonis

Gra-

Græci scriptoris testimonio in cœlum laudibus efferebat. Adalbertum Italiæ Ducem Lucâ ortum, qui Narniam expugnatam diripuit, diruto ponte supra Narem amnem, divorum Cassii & Faustæ corporibus inde ablatis, ante oculos ponebat. Bonefacii, Matildis bella, & innumerabiles victorias numerabat. Quæ cum Pisanis terra marique potentissimis trecentis fermè annis prœlia commissa, villas incensas, captivos abactos, Castellaque expugnata ordine enarrabat, non Alexandri Magni imagine, sed suorum veris testimoniis: quæ magìs movent. Adolescentem ad eam & militiæ, & civilis administrationis perfectissimam rationem adduxerat, ut quum totius populi non consensu, sed precibus, vivens eum sibi in imperio coæquasset, in ætate juvenili, & viribus virtutibusque virum, & prudentia senem omnes admirarentur, & observarent, & non patris potentia sed sola virtute, potestatem Henricum emisse affirmarent.

Incidit in maxima sæpius vitæ discrimina, dum nimis secundis Diis fidens, inconsultò pericula subibat. In prœlio Montecatinensi quum inter confertissimos hostes pugnaret, abjectâ galeâ, ut à suis agnosceretur, nudo capite inter enses strictos, & eum solum petentes, illæsus perstitit, quum tamen postea in sinistro crure sævum vulnus accepisset. Apud Ficechium, (quod erat sedes belli Florentini) quum noctu ruptâ murorum parte ab amicis ejus cum trecentis Castellum ingressus esset, factoque impetu Oppidani cum Florentinorum manu Castruccianos (qui jam munitiora loca occupaverant) terga vertere coëgissent (quum numquam fugere didicisset) fortissimè dum resistit, in facie vulneratur; & ingruentibus hostibus ipsis permixtus, nocte obscura usque ad locum, per quem intraverat, pervênit, & tamquam ex eis unus, ad radices Collis usque fugientes persecutus, quum suos in unum collectos, absentia Ducis mœstos, subsistentes audivit, ad eos advolavit, & se incolumem ostendens, Castruccii nomine acclamato, ad mœnia usque Florentinos milites retrocedere compulit. Iterum nocte intempesta datâ portâ in Pistorium intromissus, vix ad exercitum suum se se recipere potuit, amissis pluribus, qui secum fuerant. In ultima Pistorii obsidione, & expugnatione; quum se inter Florentinorum castra, & Civitatem collocasset, & ex altera parte in Serravallis Castelli via Galeatius Vicecomes consedisset, aggressurus Urbem, & tardiùs rem inchoari, nec in tempore fieri videret: timens victoriam (quæ levi sæpe momento amittitur) sibi de manibus eripi, equo celeri ascenso, dum juxta mœnia Civitatis ad Galeatium festinans iter ageret, pilâ plumbeâ tormento emissâ, equum, quem consederat, interemit. Parumque abfuit, quin Petrus natione Gallus, qui cum Florentinis maximo stipendio merebat, cum ejusdem gentis hominibus, qui cum Castruccio militabant, maximis prœmiis propositis (quibus avari Franci capiuntur) de eo interficiendo, & signa Castello recuperando convenisset, voti compos efficeretur, parvo momento ante horam destinatæ cædis conjuratione detectâ. Veneno bis in castris, semel & iterum Romæ periclitatus est. In expeditione, quam pro Bavaro suscepit, dum per Senensium oram maritimam iter cum exercitu Romam versùs faceret, & in ripa fluminis Umbronis (olim Osæ, quod nunc Grossetum præterlabitur) Senenses, qui tunc cum Florentinis sentiebant, transitu prohiberent, ipse per fluminis ostia, & mare, equo dum omnes anteit, in arenoso & molli litore pæne submersus est.

Pistorienses Albæ factionis Urbe ejectos apud se & in castris semper habuit (sunt enim magnanimi, & ad arma cædesque natura proni) quibus mediis agrum, montanaque loca semper infestabat. Armanno Tedicio Pacciani Abbate Pistoriensium principatum tenente, viro feroci, & ad seditiones bellaque magìs quam Sacerdotium apto, Gulione Ulixa exercitus duce, & Pino de Tosa pro Rege Roberto Civitatem illam tutante, Lucchium (olim Lucum Feroniæ oppidum à Ptolomæo celebratum inter Lucam Pistoriumque supra Limam amnem situm) à Luparis traditum Pistoriensibus, per vim recepit, Pistoriensiumque Castella, Villasque omnes in Apennino sitas, Cutiglanum, Lizanum, Crespolem, Sanctum Marcellum, Popilium à Cajo Popilio Divi Antonini legato conditum, reliquaque occupavit. Pontiti quoque arcem Lucensibus ereptam pari modo recuperavit. Qui locus licèt auctoris sui Titi Augusti nomine (à quo ibi pons constructus est) satis clarus, & fide accolarum in Lucensem Patriam inter vetusta illa exempla numerandus sit, quum inter igne domos absumi, vineas castaneasque incidi, bona diripi, natos à complexu parentum abstrahi, potiùs quàm Florentinis volentes parêrent, fortissimo animo pertulerint. Recentiori tamen facto, ætate ferè nostra, illustrior effectus est. Scipioni enim in rei militaris disciplina, animique magnitudine, & rebus gestis comparandus, novus Scipiades Franciscu Sfortia, ut sola hac virtute continentiæ omnes superaret, quum hunc locum Florentinorum adversus Lucens s Dux captum diripuisset, miræ pulcritudinis puellam ætate tenera, in cujus toto corpore me da non erat, juvenis ipse adhuc, non in conspectu venire vetitam, sed in thalamo solam cum solo, deprecantem ne sibi pudicitiam (qua amissâ nihil salvi esse potest mulieri) virginitatemque auferret, quam sponso apud suos captivo spopondisset, intactam, illæsamque marito liberato ex vinculis, donis etiam superadditis, restituit. Compulit Castruccius Armannum, qui bello ei se imparem agnosceret, contra nobilium voluntatem, plebe & agresti turba id postulante, secum inducias, pacemque & fœdus inire, r sistentibus sex Florentinorum Legatis, & Regio præsidio, quum ex composito, ut contradicentibus terror injiceretur, ipse cum manu validissima portis Urbis obequitaret. Suntque Pistorio tunc ejecti Ettolus Tavianus, & Bonifacius Rizardus, Rubeique omnes. Quumque Abbatis instabilitatem, avaritiamque timeret, & Roberti Regis dolos, Florentinorumque in rebus publicis diligentiam, prodigalitatemque notas haberet, medio Cremonâ Cremonensi equite, cujus consilio Philippus Tedicius Abbatis nepos regebatur, eum in generum (veneno prima uxore ab ipso interemta) quum ascivisset, Armannum dominio privat, captâ dolo custodum Sambucâ, & Carlino Philippi filio obside accepto, cum universo exercitu Pistorium ingressus, Mino ex clarissimo Jureconsulto Cino genito, & Bartholomæo Bocciardo Philippi partes foventibus, Urbe potitur. Quingentos aureos Mino, Bartholomæoque quinque millia Cremonæ dono dedit. Georgium ordinis Eremitani fratrem, quo interprete & nuntio clam omnia cum Tedicio tractaverat, Priorem Monasterii Divi Fridiani (quæ post Pontificalem in Civitate prima digni-

gnitas, & haud inferior proventu eſt) decernit. Florentinos, Regioſque milites, qui portam, quæ Florentiam ducit, occupaverant, quum omnes ultro relicta arce deditionem feciſſent, armis exutos incolumes abire permiſit, adhibitis etiam ex ſuis cuſtodibus, ne à ruſticis, & plebe dilaniarentur. Rebus Piſtorienſibus compoſitis, & conceſsa omnibus liberè redeundi poteſtate, & ſupra Lucenſem portam arce munitiſſimâ celeriter erectâ (cui *Belvedere* nomen inditum) diſpoſitiſque cuſtodibus, Philippum Tedicium Vicarium ad ejus Civitatis curam reliquit, quum priùs de publicis vectigalibus duo millia aureorum nummorum ſingulo anno conſignaret. Ex Piſtorio Florentinorum Pratenſiumque agrum, quotidie excurſionibus factis, depopulabantur. Bavarum illuc ſecum ex Luca deduxit, ut ſitum opportunitatemque loci ad Florentinos opprimendos (quibus infenſiſſimus erat) contemplaretur.

Defecit Piſtorium à Caſtruccio, dum ipſe Romæ cum Ludovico Imperatore contra Robertum Regem bella orditur, Philippo Sanguineto Regio Duce, & Florentinis ejus rei auctoribus, qui ejecto Lucenſi præſidio, & amicis omnibus, occupatiſque munitis locis, Urbe potiti ſunt, menſe Januario. Caſtruccius, re intellecta, non cunctandum ratus, cum expedita manu, Bavaro invito, nuntios de ſe præveniens, Piſas advolavit, & imperatis pecuniis, militibuſque Piſanis, & à Liguribus, amiciſque, & confœderatis Gallicis auxiliaribus copiis accerſitis, ipſe cum Lucenſibus, Galeatio Vicecomite maximarum rerum omnium ſocio, non ad oppugnandum, ſed expugnandum Piſtorium profectus eſt. Perfectis machinis, inſtrumentiſque bellicis quampluribus maxima celeritate, & comportatis, dum ipſe inter Florentinorum caſtra Urbemque conſediſſet, nunc muros dum diu noctuque tormentis vexat, dum hoſtium exercitum levibus prœliis urgere non ceſſat, tertio Nonas Septembris Anno ſalutis MCCCXXVIII. Urbe vi capta, & direpta, fuſo fugatoque inimico exercitu, Lucam triumphanti ſimilis iterum (quum omnis multitudo cum ramis olivarum obviam ei proceſſiſſet) ingreſſus eſt. Galeatius ad reliquias hoſtium perſequendas, Piſtoriumque reparandum remanſit.

Vini parciſſimum, & in menſa moderatiſſimum, nemo eſt qui neget. Maximo argumento valitudo ejus (qua ſemper uſus eſt proſpera) eſſe poteſt: quum numquam cum crapula ſanitas concordet. Municipalis militis vili & fortuito cibo contentus, raro phaſianum, aut perdicem ſumſit, nec umquam niſi ſtans cœnavit. Democriti recordabatur ſententiæ, qui ſolitus erat dicere: *ambitioſam menſæ fortunam, parcam virtutem facere*. Catoniſque Cenſoris verbum frequens in ore ejus erat: *magna victus cura, magna virtutis incuria*. Sitim ſæpiùs ſaliente rivo reſtrinxit, Cyri illius veteri exemplo, qui delatus ad hoſpitem, quum interrogaretur, quid ſibi apponi vellet, reſpondit panem ſolum; ſperare enim ſe ajebat cœnaturum prope rivum.

Continentiſſimum fuiſſe maxime poſt Principatum adeptum, conſtantiſſima fama eſt. Octinum in Ciſalpina Gallia natum, & Marcheſanam ex domeſtica ancilla ſuſceptam, tamquam ejus incontinentiæ teſtes, ad legitima jura deductos, æqua cum legitimis conditione tractabat, ut pauci eos degeneres noſſent. Monebat ſæpiùs filios & domeſticos, ut à ſubditorum abſtinerent injuriis, adulteriis, & ſtupris maximè. Nam graviſſimam ſupra filiorum mortem, hoc ſceleris genus vindictam exſpectare, Scevolæ Juriſconſulti auctoritate docebat. Utque maximum ad conciliandas firmandaſque amicitias matrimonii vinculum eſt, ita maximarum diſcordiarum principium, & malorum omnium initium, ab alieni thori violatione exortum eſſe dicebat. Maribus miniſtris ſaltem ſuſpicione tenus redargui non potuit: quod crimen (etiam ſi non ſit) malignitas fingit, in ſummarum licentia poteſtatum.

Vigiliarum patientiſſimus, ſomnique moderati ad vitæ conſervationem fuit, ut vix umquam noctes dimidiaret. Poſt cœnam muſicâ (qua plurimum delectabatur, quum mane in prandio viros doctos audiſſet) animum corpuſque reficiebat; & quum dediſſet membra quieti, ſurgebat non è plumis, vel ſtragulis ſericeis ambiguo fulgore nitentibus, ſed ex tapete, & ea, quam vulgus mataraſſâ appellat. Primumque Deo immortali adorato, Divo Franciſco (cujus mira devotione flagrabat) ſecreto ſupplicabat; reliquum tempus Reipublicæ dabat.

Inter tot tantaſque hujus Principis virtutes, invidia (quæ ſemper potentiæ comes eſt) & in magnos viros vitia invenire vel fingere ſolita malignitas, parva aut nulla miſcere potuerunt. Nam fama res magnas vel obumbrantibus plurimis ſilere neſcit, ipſi hoſtes virum inſigni laude ferebant. Johannes Villanus, qui Florentinorum res geſtas Florentinus ipſe materno ſermone conſcripſit, eum ingratum, & veterum amicorum deſpectorem, novorumque cupidum, redarguit. Leonardus Aretinus Mezentio, ut Divorum contemtorem æquiparare videtur, & non virtuti, ſed fortunæ, & diſſenſionibus Civium, Ducumque exercitus, victorias, & ejus præclara geſta aſcribit. Romanæ Catholicæ Eccleſiæ hoſtis, & extra fidelium communionem quòd ſit mortuus: hoc Chriſtiano homini, nihil potuit deterius accidere. Vituperata eſt in eo vindictæ nimia ſeveritas, & in bellis Caſtellorumque direptionibus crudelitas: quod ipſe non natura, ſed coactus novitate Regni, & temporum qualitate, moliri profitebatur. Quòd Florentinis fœdera ſemel, iterum Pacciano Abbati non ſervaverit, ei vitio datum eſt; quorum alterum ſe pro communi Gebellinorum ſalute, alterum pro ſua feciſſe excuſabat. Legatos Piſanos, qui ad Guidonem Tarlatum Epiſcopum Aretinum, pro componendis rebus inter ipſos, & Bavarum, miſſi erant, dum ex Ripafracta Piſas redirent, Caſtruccius ex Noſſano, Serchio flumine tranſnatato, in itinere intercepit, captivoſque Lucam miſit, Lemmum Buſaccarinum ex nobili Sermundorum Familia, Albagium Vicanum Jureconſultum, & Jacobum Cavalca tabellionem, violati juris gentium, & ſancti Legatorum nominis in terris, infamiam non effugit, licèt ipſe in Ludovicum omnem culpam rejiceret, cujus præceptis ſibi parendum fuiſſe dicebat.

Maronis, illud uſurpans: *Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat*, quum quavis via aut vivendum, aut moriendum exiſtimaret, quum adverſæ res etiam bonis detrahant, ſecundæ malos extollant, & ignavos: quantum ingenio valuit, diſſenſiones in Civitatibus ſemper nutrivit, quas vel opprimere, vel ab aliis alienare, & ad ſui amicitiam invitare cupiebat. Diſcordiâ enim debilitari vires, & fortiſſima quæque & maxima dilabi, facilè intelligebat. Fortunam enim nihil majus præſtare ſibi poſſe credebat, quàm hoſtium diſcordiam. Capita ſi opprimerentur, quum ſit magis vitale membrum,

reli-

reliquas corporis partes defecturas, haud dubitabat. Ministris ad hujusmodi res opportunis utebatur, non accitâ ab inferis discordiâ vadente scissâ pallâ, non Megera, Bellona, furiisque, sed omnibus furiis sævioribus hypocritis quibusdam viris, religionis habitum deferentibus, qui vel clam pertentando, persuadendoque, vel publicè populis, dum aliud simulant, partium affectus in cordibus insigendo, divitum avaritiam, & in pauperes plebejosque sævitiam simulando, optimatum tyrannidem, vel publici ærarii direptionem rapinasque fingendo, malorum omnium in orbe fere causas effecere.

His mediis Pistorienses inter plebem nobilesque dissensione orta, Castruccianas partes secutos ostendimus. Hi, inter patruum, nepotemque indignatione nata, Pistorium Castruccio submisere. Nec sine iis Pisani Cives, dum partium, non unius affectione moventur, sæpiùs inter se se bello certarunt. Multi interemti, nunc carnifici caput feriendum præbuere, nunc gladiis confossi sunt; & contra propriam patriam arma sumere, & illam obsidere, & demum jugo servitutis, dum propriis Civibus, dum Italis, dum Barbaris obediunt, oppressi, maximas calamitates perpeti coacti sunt. Christianus Monachus ex Gallia oriundus auctoritatem Stoicæ Sectæ præ se ferens, habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti, ceterum animo perfidiosus, avaritiam & libidinem occultans, virum Puglensem equitem Pratensem, ad Castruccium in eo Castello recipiendum à Welfis abalienatum compulerat. Hic idem Thomam Lupaccium, & Lambertuccium Frescobaldum, ad defectionem declinantibus Francis, impulit, ut patriæ caritatis obliti Florentiam Castruccio submittere cogitarent, qui mortis rei declarati, ad supplicium ducuntur.

Pecuniarum vim maximam (qua omnia profanantur) in corrumpendis Civibus, & iis, qui dum auctoritatem apud suos habent, eam vendunt, prodentes se primùm, & natale solum (quo nihil dulcius est) profudisse legimus Castruccium. Bavaro in Libro rationum ejus, qui ad manus meas devênit, relatum legi centum quinquaginta millia auri signati nummorum exsoluta; sericeorum pannorum, & eorum, qui auro interferuntur, argentique facti ad triginta millia. Jacobum Fontanam Forojulianorum Ducem, ad defectionem à Florentinis cum maxima militum manu, sex millibus aureis datis, induxit, à quo de Genuensium, Florentinorumque in ipsum animo, & iis quæ composuerant, ut uno tempore alter Liguriam, alter Vallis Nebulæ regionem invaderent, certior factus, dum rebus prævidet, eorum eventus irritos fecit.

Beneficiis & præmiis (quibus solent comparari amici) ita sibi multos devinxerat, ut vitam (dum ei rem gratam facerent) profundere, martyrio (quod apud Christianos gloriosissimum est) æquipararent. Non dubitavit Robertum Regem (quem solum Principem adversæ factionis ad Gebellinos opprimendos timebat) missis, qui eum interimerent, & cubiculi custodibus corruptis, apud Avenionem semel, per sicarios confodiendum curare. Iterum quum Siciliam invasurus, classe præparata cum filio vellet ventis dare vela, submissis à Castruccio, qui navem regiam incenderent, dum una veherentur contrario elemento, parum abfuit, quin in salo periret. Re detecta conscii capti dum acerbissimis suppliciis afficerentur, constantissimo animo, & læti, quòd pro fide Domini morerentur, sed tristes quòd non potuissent mandata exequi, expirarunt. Petrum Gallum, à quo per insidias apud Signiam Castruccium petitum supra retulimus, astu ad Carmignanum noctu capiendum invitatum, circumventum & cum trecentis captum, in conspectum suum venire jussit, & suspensis ad Castelli pinnas omnibus captivis, inter quos centum Itali, reliqui partim Franci partim Germani, ante ejus pedes caput ipsius abscissum volutare vidit.

Rainerium Comitem Pisanorum Ducem, & populi defensorem, quòd desiderio suo potiundæ Urbis obstare videbat, Betto Malepra Lanfranco operam suam pollicito, & Germanis omnibus præmiis contaminatis, interimendum procuraverat. Bonifacius Cerchius, & alter ex Guidorum familia, Florentini ambo exules, factum detexere, Missi facti quatuorcenti pedites Germani à Lucensibus recepti. Bettus cum Centurionibus quatuor barbaris, in carcere necatus; Lanfrancæ familiæ omnes Pisis ejecti, & bonis publicatis, ad Castruccium confugere, quos summo semper habuit apud se in honore, & eorum opera (quum clientelis, affinitatibusque plurimum valerent) in rebus magnis sæpiùs usus est. Vicum enim supra Arnum situm Benedicto Lanfranco præmisso, quum ipse cum exercitu ad Altopassium subsedisset, parum abfuit, quin ex improviso caperet. Et quum restitutis exulibus, & Bavaro tandem per Pisanos in Urbem intromisso, hæc conditio adjecta esset, ne Castruccius Pisas ingrederetur, Lanfranci postero die de eo in Civitate recipiendo, cum exercitu, renitentibus multis, obtinuere, fideles usque ad ejus mortem, & filiorum à Bavaro expulsionem, Castruccianarum partium amici.

Inter Pisanos Lucensesque de finibus propter vicinitatem diuturna fuerat controversia. Accedebat partium dissimilitudo, quum Lucenses Welfas, Pisani Gebellinas sequerentur. Vastaverat Uguccio Pisanorum Dux agrum, Civitatemque vexaverat, & tamdem facta pace, restitutisque exulibus Welfos Luca expulerat. Occupaverant tamen Pisani plura Lucensium Castella. Arbiter omnium erat Uguccio, qui Franciscum natu majorem Lucæ Prætorem constituerat, ipse Pisanis præerat, stipati ambo armis. Venerat Lucam compositurus inter utrasque Civitates, veterum irarum causas. In factione Gebellina concordes erant. Creatur Lucensium Procurator Johannes Charencionus, & Pisanorum Jacobus Facellus, Jureconsulti ambo, ad fœdus ineundum, pactaque firmanda. Primum Uguccionis causa tractatur, deinde duarum Civitatum concordia. Juratur Gebellinæ partis defensio, Imperatorum reverentia & honor; Welforum excidium, & perpetuum in eos odium. Deligitur Uguccio dux belli annos decem, sex millium aureorum stipendio ei declarato. Merum Imperium in Pisanos, Lucensesque Cives, in militares viros omnes ei attributum; ex suo arbitrio belli pacisque faciundæ potestas datur. Pisani Lucensesque communi impensa mille equites ex alia quàm Itali natione, quingentos Italos conducant, quibus Uguccio præsit; tertiam Lucenses, reliquas Pisani exsolvant. Restituuntur Lucensibus Rotarium, Petra sancta, Viaregium, & Mutronum. Mercari liceat Lucensibus, & navibus portuque civili Pisanorum jure uti. Fit inter utrosque populos fœdus, & fides datur, unam salutem ambobus futuram, & unum & commune periculum. Accipit Uguccio

cio septem ex Lucensibus, quos Consiliarios appellat, cum quibus de summa rerum consulere, & deliberare debeat. Datone Moriconus, Collucius Mingogius ex Antianorum numero; Nicolaus Porcus Podius, Bettus Quartesanus, equites; Antelminellus Antelminellus, Johannes Charencionus, Rustichellus Bocchansocchius Jureconsulti: hi fuere. Totidem ex Pisanis sibi adjungit, Nerium Compagnum, Nocchum Bertinum ex Antianis, Lippum Capronam equitem, Jacobum Facellum, Joannem Benignum Vicanum Jureconsultos, Bonaccursium de Colle, Pardum Frenetum, tabelliones. Acceptat Lucae Uguccio has conditiones, dum in Episcopali palatio regio apparatu excipitur. Majora jam agitans animo, Castruccium (cum quo primùm de maximis rebus tractaverat) numquam ab ejus latere dimittebat, cui omnia cordis arcana manifestabat, hunc belli pacisque comitem exoptabat. Hinc primum Gebellinarum partium victricium in Urbe Luca principium. Nam Pontificum partes semper natura Lucenses sunt secuti. Testis est strages illa memorabilis apud Montem Apertum in agro Senensi juxta A biam amnem, in qua pugnantes contra Manfredum Regem Ecclesiæ hostem, quinque millia Lucensium occubuere. Et quum post cladem illam omnes Italiæ Civitates, ejectis Welfis defecissent, sola Luca, receptis Florentinis ad quatuor millia, in fide permansit, obsidionem diuturnam perpessa, extrema omnia pati, quàm Alexandrum Quartum Pontificem deserere, maluit. Divi Petri Apostolorum Principis (super cujus solidissimam petram fundata est Ecclesia Christiana) imago Lucensibus deferenda, tum in popularibus signis, tum in moneta cudenda, ab Urbano Quarto attributa, tamquam iis, qui primi ad veræ Fidei cultum, primi ad ejus conservationem, primi ad defensionem sint constantissimi inventi. Ornata propter hoc & decorata Lucensis Ecclesia, & Clerus privilegiis amplissimis, & honorificentissimis. Crux ante se deferenda Archiepiscopali jure, & Pallium, & ornamenta ad majores Pontifices spectantia, Lucensi Episcopo speciali indulto quatuorcentis annis, & ultra, ab Alexandro Secundo concessa. Canonicos mithras ex albo serico Damasceno destinatis temporibus, ter in anno Antistitum more portandi concessus usus. Diœcesis maxima attributa, quæ agrum Pisanum penetrat, & Pistorium prope tria millia passuum attingit. Urbani Quinti quinquaginta millium Ducatorum ad libertatem recuperandam mutuum, & Sexti ejusdem nominis Pontificis; ensis pileusque (majoris Magistratus insignia) dono data, ut Lucium Tertium Lucensem, Nicolaum Quintum, multosque alios prætermittam, constantiæ fideique Lucensium, sempiternum testimonium sunt.

Discant, qui Reipublicæ præsunt, & qui libertatis veræ desiderio, & patriæ caritate tenentur, Lucensium exemplo, quantum in Civitatibus, quæ libero jure vivere cupiunt, discordia & partium execrabilis affectus, detrimenti periculorumque afferant. Sit ipsis Lucensibus præteritorum malorum recordatio, & præsentis vitæ comparatio, solatium. Nam quamquam Cicerone teste optatissimum sit perpetuò fortunam quam florentissimam permanere, illa tamen qualitas vitæ non tantum habet sensum, quantum quum ex afflictis & perditis rebus, ad meliorem statum fortuna revocatur. Nulla in terris regio est, nostri non plena laboris. Hæc rabies bis Obisos familiam clarissimam cum Welfis Urbe Luca expulit. Hæc eadem prius Antelminellos cum Gebellinis ejecerat. Hæc Uguccionem Aretinum ad opprimendam, diripiendamque Civitatem vocavit. Hæc Castruccium Castracanum belli terrorem Civitatis Tyrannum effecit. Hæc Henricum juvenem patri successorem admisit. Franciscum Antelminellum suis hæc inimicum reddidit. Hæc Marco Vicecomiti, Gerardino Spinulæ, Johanni Bohemo Regi, Carolo ejus filio, Petro Rubeo Parmensi, Mastino Veronensi, servire Lucenses compulit. Hæc Florentinos agri Lucensis maximam partem occupare, & ipsam tamdem Civitatem permisit. Hæc Pisanorum jugum, & Johannis Agnelli crudele imperium, longo tempore perpeti coëgit. Caroli Quarti Imperatoris, Guidonisque Portuensis Cardinalis Cæsarei Vicarii, durissimas exactiones, expilationesque induxit. Nec passa ambitio (quæ mortales multos malos fieri coëgit) diuturnis calamitatibus Lucenses afflictos pariter, & attritos, diutiùs quiescere. Civilia bella superaddidit. Hæc Lazarium Guinigium virum divitiis affluentem, ad nobiles opprimendos, & arma contra Rapondos sumenda adegit. Hæc Vexilliferum (qui summus in Urbe magistratus est) Forteguerram Forteguerram fenestris ejectum trucidavit. Hæc ejus fratrem Bartholomæum Jureconsultissimum Civitatis unicum ornamentum, & virtutum omnium exemplar ab Andrea Stornello, & Andrea Cantore abjectissimæ conditionis hominibus, spectante populo, in medio foro confossum, capite privavit. Hæc dominandi inexplebilis sitis viros doctos & Jureconsultos, Medicosque præcipuè à Reipublicæ gubernaculis removit, oblita illius Platonicæ sententiæ: *florere Civitates, si aut Philosophi imperarent, aut imperantes philosopharentur*. Hæc nobilitatem, suffectis vilissimis quibusque, Lando Moricone, Johanno Rapondo, Matthæo Nutino, Carolo Rongo, Nicolao & Johanne Maurinis, Gerardo Burlamaccho, Nicolao Genovardo, multisque Urbe ejectis, non solùm opprimere, sed delere conata est. Hæc viginti quatuor Civium potestatem, seu potiùs tyrannidem, ad vindictam, non ad Reipublicæ justam administrationem, creavit. Quo nihil in populari, civilique gubernatione periculosius, aut perniciosius fieri potest, quum legibus scriptis æquiori jure vivant Civitates liberæ, quæ nullius odio, gratia, precibus, muneribusque franguntur, cujusmodi Astream illam (quæ è terris in cœlum abiit) pictorum manus effingunt. Parumque abfuit ætate nostra, quum jam subreperet idem malum, creatis pari numero viris, sub exempli boni specie (à qua malorum omnium initium ortum est) pauci ad unius perniciem conspirarent, quin aliquod incendium excitaretur. Innocentia, quæ vires, dolosque superat, & optimorum Civium auctoritas, quibus cessit improborum malignitas, & patientia (mortalium rerum omnium optimum condimentum) cogitatus eorum irritos fecit. Hæc eadem Antonium Guinigium, & Nicolaum Sbarram, fraterno Lazarii sanguine commaculare manus docuit. Crudelis frater, sed nihil crudele novit sævus amor Regni. Hæc etiam Paulum Guinigium ultore gladio de fratre fratrem ulcisci, & fraternam cædem fraterno Antonii sanguine expiare compulit. Triginta annos hæc, ejusdem Pauli, Lanzelai, filiorumque dominatum, & varios bellorum eventus superaddidit. Florentinos bis ad Lucam obsidendam, universum agrum adimendum, villas incendendum,

dum, diripiendumque, mulieribus fœda, captivisque inferendum, civilis discordia adduxit. Hæc eadem quum bellum magis desiisset, quàm pax cœpisset, Thomam Lupardum ultimo supplicio affecit. Ceccharдum Massettanum Jureconsultum, Stephanum Podium, Christophorum Turrettinum, multosque Cives optimos in exilium egit. Bartholomæum Porticum, Jacobum Anorsinum, Tegrimum Tegrimum, apud Petram Sanctam (olim Fanum Feroniæ) veneno necavit. Petrum Cenamum in Palatio publico confossum, trucidatumque, Civitati eripuit. Thomam Mercatum, Henricum Mancinum, Nicolaum Redulfum, per speculatores interfecit. Postremo Johannem Ghivizanum ad summa evectum, Perusiæ relegatum prostravit. Hìc malorum finis, hìc quies fessis, & in rebus modicis æqualitas semper servata. Annis quinquaginta Lucenses nullo bello fatigati, post Deum optimum, omnium Principum, & Civitatum benignitate in societatem fœderaque asciti, in maximis totius Italiæ incendiis, illæsi permansere. Unum Reipublicæ corpus, una omnium Civium voluntas, unus animus, una mens, omnes Principes, nemo Dominus, omnes mancipia, nemo servus, vera libertate fruuntur, & vetera meminisse præsentium comparatione juvat.

Fuderat Castruccius IX. Kalendas Octobris XXVI. supra CCC. & mille annos humanæ salutis, in illa celebri pugna inter Altopassium, & Porcarium Florentinos, expugnatoque Altopassio, Raimundum Cardonam belli Ducem cum Florentinorum Præfectis, & castrensibus Magistratibus, & nobilium multitudine, captivos detinebat. Ad muros Florentiæ pervagatus, omnia ferro & igne Peretolâ incensâ vastaverat, & Arni superioris Vallem, consternatis omnibus metu, ingressus, populabundus captivorum pecorumque maximum numerum abegerat. Signiam, Carmignanum, omniaque à Florentia citra Pistorium versùs loca munierat, victor ubique exultabat. Hæc paucis omnia diebus confecerat. Constituit justum triumphum de tot victoriis agere, & antiquorum virtutem, & gloriæ exempla imitari, quum illis animo, virtute, & gloria par esset, solùm eis inferior, quòd non tempora, & patriam nactus sit Romam.

Distulit rem tam magnificam, dum componit pompam, utque etiam diem convenientem celebritati deligeret. Tertio Idus Novembris maxima totius Civitatis devotione (Divi Martini Turonensis Episcopi Pannonia oriundi, & apud Ticinum educati, in cujus honore primum Lucense Templum erectum est) solemnitas celebratur. Patrono Lucensium, cujus auspitio & votis cuncta gesserat, quidquid adversùs hostes prosperè pugnatum erat, quidquid agri ex victoria patriæ accesserat, quidquid laudis ex magnificè gestis adeptus erat, acceptum referre convenientissimum Christiano Principi videbatur. Is ergo dies triumpho per præconem declaratur.

Ornatur Civitas lauro, myrtho, fertis, & festa fronde; tapetis, stragulis peregrinis, pannis sericeis, & auro intertextis parietes occultantur. Certatur ad mimos, ad scœnas, ad musicos, ad hymnos, & carmina. Profusa obviam puerorum multitudo in vestimentis albis, redimiti tempora olivæ foliis, vexilla parva, Aquilam, Anguem, & Antelminellorum insignia, pictura exprimentia, manu gestantes. Juvenes, adolescentesque puris hastis pro cujusque facul-

A tatibus, & dignitate ornati, ordine suo prosequuntur. Post hos mercatores, & nobilitatis maximus numerus, Jureconsulti togati, mulabus Hispanis vecti, & Equestris ordines seniores phaleratis equis, & famulorum caterva deducti, obviam processere. Venerat ex universa Italia ingens hominum numerus ad spectaculum illis temporibus insolitum, & Castruccium visendi studio. Campi, strata viarum, arbores, aër ipse plenus hominibus videbatur. Datus erat enim hostibus quoque liberum veniendi, recedendique arbitrium. Ipse ex Altopassio, quum primum illuxit, movit. Præmissis igitur lixis, calonibus & vastatoribus, cum armentis, gregibusque animalium, & reliqua præda, quæ
B jumentis importari vel humeris deferri poterat, & ipsis pecudum custodibus, secundo loco collocatos agrestes, & infimæ plebis Florentinæ vulgus, nudis pedibus omnes, & capite detecto, fune simul alligatos, Castruccianus miles armatus comitabatur. Postque qui capti in prœlio stipendiarii, soluti, sed inermes, & cervicem nudati, à Lucensibus circumventi sequebantur. Erant secundùm pedites equites, qui ordines non ducebant armati, & ad pugnam instructi, sed hedera omnes galeas circumdati, inter quos ejusdem gradus captivi, suorum quisque Ducum in sagis & caligis insignia colorum varietate deferentes, demisso vultu, & captivorum spetie cernebantur. Centuriones, mani-
C pularii, & qui peditibus, equitibusque præerant, primipilares, Aquiliferi, legionarii, suos quisque captivos, qui etiam apud hostes honore aliquo dignati fuerant, in equis calcaribus ademtis præmiserunt. Pone equorum numerum haud contemnendum sessoribus vacuum, ordine duci & pulchrum, & magnificum erat. Ex Hispanis enim, Galliis, Germania, Frisia, Macedonia, Sicilia, Apulisque, ardens prœliis multis annis Italia, conquisierat, & ex variis Orbis partibus apud Latinos militantes, equos nobiles (secundùm in bellis post aurum præsidium) secum adduxerant, spumantia fræna ferocia mandentes, & stare loco nescientes, frementes hinnitusque effundentes, omnium in se oculos &
D ora converterant. Hæc erant Ducum spolia, Duci Castruccio dono data. Currum ducebant boves, bubalique, super quo (vetere illius ætatis instituto) ad quamdam fastus inanem ostentationem, campana magnæ amplitudinis ante Ducis tentorium ponenda deferebatur, qua exercitum convocarent, & ad iter faciendum vel sistendum monerentur agmina. Carrocium ei nomen erat; Vexillum magnitudinis inusitatæ, quòd in hastis ex abiete compactis erecta in castris eminentissima antemna extendere mos erat, in quo Welfæ partis insignia, Cruce rubea superextante, & confœderatorum signa auro argentoque ornata cernebantur, Leo fremens, & Lilium, & Draco Aquilæ rubenti suppositus,
E quadrigæ in contrarium eversum per terram trahebant. Reliqua legionum, aut turmarum, aut ordinum, partiumve signa, equis insidentes captivi, solùm verrentia deferebant. Nobilium Florentinorum numerus Bandinus Rubeus, Franciscus Brunellescus, Johannes Tosa, & vetustate & Scriptorum incuria nomina reliqua obliterata, vestibus suis, ut quisque in hostium manus devenerant, tristes reliquum pompæ præcedebant. Equitum Duces post hos, & qui minora in castris magistratuum nomina habebant, & Civitatum fœderatarum Legati (inter quos Virlimbaccha Germanorum equitum ductor, corporis proceritate, & truci oris aspectu, &

fama

fama Castruccii altero ante victoriam die pæne interemti medius cernebatur) ibant loco cuique pro personæ conditione attributo. Raimundi Ducis filius ætate tenera, prius in castris ad triumphum alterius, quàm ad patris victoriam habitus, argentea veste conspicuus, parvo vehebatur in equo. Raimundus ipse Cardonus Dux, vir belli pacisque artibus clarus, inter quatuor Florentinorum Commissarios, & Roberti Regis Vicarium (ut propriis utamur vocabulis) in veste pulla, equisque pullis, ante triumphantis currum constitutus, in maximo totius Civitatis gaudio, etiam multos ad misericordiam lacrymasque movebat. Squallens barba, capillus impexus, demissi oculi, & si attollerentur depressiores, taciturnitas & vultus animi mœrorem exprimentes, & in maximis viris miserabilior servitutis species, fortunæ instabilitatem, & humanarum rerum conditionem, bellorum eventus varios, & maximos exercitus levi momento confici posse, in hominum considerationem adducebant. Ante ipsum Ducem Aquilam primùm à Julio Cæsare datum, reliquisque sequentibus Romanorum Imperatoribus usurpatum Imperii signum, qui ætate & dignitate præcellerent, deferebant, pictusque Serpens per nubila vario tractu, ventis agitatus, sibila mentiebatur. Crux alba rubenti panno sculpta. Antelminellorum disterminans arma, Canis, & Mantuani Passerini vexilla, promiscuè admixtis varii generis Ducum variis animalibus, splendentia in hastis relucebant. Castruccius curru residens aperto, quatuor albis invectus equis, insignis auro & ostro, redimitus tempora lauro, in Majestate Cæsarea gravitatem Regiam sereno vultu præ se ferens statim aderat: Tribuni militum, & Legati in equis Henricum, & Valeranum filios armis splendentes deducebant. Simulacra oppidorum, Castellorumque, armorum, pilorum, telorumque strues, machinæ, tentoria, reliqua castrorum impedimenta, argentum, & pretiosior suppellex, comportabantur. Matronæ innuptæ, puellæ, & quæ per ætatem, aut honestatem longiùs progredi verebantur, sub ipsis mœnibus civili, modesto, & municipali ornatu, patrem Patriæ & decus appellantes excepere. Civitatis Antistes intra portas Pontificali in pallio, & mithra auro gemmisque distincta redimitus, post Crucis Sanctissimæ devotum osculum à triumphante acceptum, cum universo Clero præcedens, spectaculum & ornabat, & religione venerabilius efficiebat. In tam confertissima turba, cereis funalibusque (quos captivi ardentes in manibus deferebant) discernebantur victi ab victoribus. Pompæ finis Divi Martini Templum fuit (quum universam Urbem lustrasset) ubi quum descendisset, in sella eburnea humeris Ducum sublatus, clamore repetito ad Sanctissimi Vultus divinum simulacrum delatus, non exspectato nuntio Ducis interfecti (cùm gloriosius servasse homines pietatique convenientius crederet) pronus ad terram diu prostratus, partem prædæ ad argentea vasa conficienda, numinumque simulacra, Sacerdotaliumque vestium ornamenta, & templi structuram obtulit. Deo immortali, Divisque omnibus, sub quorum numine tuta Luca manet, quum egisset gratias, in sequentem diem supplicationes per sacella & majora templa, & per Urbem in triduum sunt decretæ; indictæ repentinæ feriæ; carceres effracti, & qui vincti tenebantur, liberati, & restituti, data exulibus venia, remissa publica debita, dies in quo prœlium confectum, inter fastos relatus, & solemnis cum equorum, hominum, fœminarumque cursu quotannis decreto publico institutus.

Mathematicos, & qui futura prænuntiant, genus hominum potentibus infidum, & sperantibus fallax sèmper sprevit, existimans, quæ fato manent, quamvis significata, non vitari, quum nulla vis humana, nec virtus meruisse umquam potuerit, ut quod præscripsit fatalis ordo, non fiat. Nam cœptorum eventus superæ sibi vindicant potestates. Prodigia nuntiata, monstruosos partus, & iis similia irridebat, superstitiones aniles appellans. Dierum observationes ad hostium infelicitatem, aut ad suam, quum sit incertum, an referantur, & alteri felicitatem evenire necesse sit, contemnebat. Felicitatem enim honestarum rerum prosperitatem, vel fortunam bonorum consiliorum adjutricem (quibus qui non utitur, felix ullo pacto esse non potest) diffiniebat, terminarios, malosque semper infelices esse. Staturâ fuit procerâ, oculis nigris, capillo crispo, naso extenso, mento sublongo, colore fusco, membris convenientibus ad totius corporis decorem, ut facilè veteris Comici de Priamo dictum ei conveniat: *Priami facies meretur imperium*. Cogitanti similis semper videbatur, venusta & amabili totius oris qualitate, cicatrice ad virtutis commendationem, non ad gratiæ detractionem, in maxilla sinistra supereminente.

Mortuus est Castruccius quadragesimo septimo ætatis anno, in medio cursu florentissimarum gloriarum, virtute, & fama senior, quàm annis. In firmissimo vitæ spatio ereptus, quantum ad rerum gestarum magnitudinem, longissimum ævum peregerat. Febri eum correptum acerbissima, ex nimiis laboribus in expugnatione Pistoriensi perpessis, paucorum dierum brevitas absumsit. Desinat quisquam elatis confidere rebus. Natum quum se à principio mortalem Castruccius nosceret, & extremum diem (sed incerto cuique determinatum tempore) hos in matris utero, hos vix in lucem editos, in adolescentia, juventuteque plurimos morte rapi, senesque, ac decrepitos tamdem urna citatos vocari, planè intelligeret, supremum diem nec metuerat, nec optaverat.

Instante sibi abeundi necessitate, persolutis devotè omnibus, quæ Christiana Religio præcipit, ac testamento condito, in quo saluti primum animæ consulens, de publicis, ac privatis rebus sapientissimè ac justissimè disposuit. Pinam uxorem, Nicolaum Castracanum, Prencevallem Veglium, Duccium Sandeum Os Vaccæ appellatum, Perottum Streghum, Lazarium Altopassii Magistrum, quos filiis testamento tutores reliquerat, coram se convocatos, vultu impavido paterna benedictione exhibita, & extremo osculo Henricum, Valeranum, Joannem, Viridemque, cunctis, qui aderant, conlacrymantibus, amplexus, sic est alloquutus.

Naturæ, quo debitum exsolvam, tempus advenit, quod ut bonæ fidei debitor libenter reddo, non afflictus, & mœrens, sed lætus, doctus vera Fidei Christianæ doctrina, quantum corpore sit beatior anima; & contemplans, quotiens conditio melior à deteriore secernitur, lætandum esse potius, quàm dolendum. Illud quoque advertens, quòd pientissimus Deus quibusdam viris bonis mortem tamquam summum præmium persolvit. Misericordiæ Christiana Religio, non justitiæ, est addicta. Nam inter maxima opera, quæ ab initio Mundi generi sunt impensa mortalium, summus ille rerum Opifex misericors, & miserator, corporeâ figu-

râ

rá vestitus, nomen supplicis, nexus, mortemque subiit, ut nos letho eriperet, & mortem nostram morte sua fugaret. Veniam spero eorum, quæ humanâ commisi fragilitate, Dei pietate immensa. Vos precibus, vos eleemosynis, vos restitutione, & quæ testamento caventur, exsequentes, patris manes (si quid expiandum erit) juvate, ut purgatus possit ad cœlum evolare, ubi beati perpetuo fruuntur gaudio. Deo optimo gratiæ sunt addendæ, quòd non clandestinis insidiis petitus, nec longa morborum asperitate amens, nec damnatorum fine decedo. Tibi, Henrice, amplum imperium relinquo; satis firmum, si bonus eris; debile & fluxum, si malus. Tu curis meis succede; indue patrem mente; tu pignora nostra fore, & geminos fratres protege. Uxorem, cum qua mira concordia per mutuam caritatem vixi, in cujus sinu educatus es, ex naturæ debito, Divinorum præceptorum, & paterni jussus memor cole, venerare, & observa. Nasci, & generari à Principibus fortuitum est, nec ultra æstimatur: propria virtute retinetur Imperium, cujus finis obedientium utilitas, & salus esse debet. Ad bonum moderatorem spectat restringere potestatem, resistere cupiditatibus, severitati benignitatis temperamentum admiscere. Nam miserum esse instrumentum senectutis, recordationem crudelitatis, dictatoris Cæsaris auctoritate. Proinde familiari re pauper decedo, gloria satis locuples, Fabritii exemplo, & Valerii Publicolæ, qui stipe collata humatur. Reguli Uxorem Martiam amicorum subsidio inopiam sustentasse, & Scipionis filiam ex ærario dotatam, nihil ad æternitatem rerum gestarum, & memoriam laudum detrimenti attulisse, sed addidisse existimatæ. Thesauros apud amicos reliqui, quorum curam & fidem si retinueris, nihil tibi de futurum existima; non enim legiones aut classes, imperii firma munimenta sunt; sed fratres primum, conjunctique, quos qui odit, communis omnium inimicus sit, necesse est; post hi, quos tibi meritis, & beneficiis devinctos pater relinquo, & quos eisdem artibus tibi conciliaveris. Apices maximi dignitatum sibi licere cuncta existimant; tu modestè tamquam è plebe unus omni licentia abstine. Tutoribus natos commendare volentem vox defecit, morbi vi ingravescente.

Inter loquendum lecto jacentis inter domesticos, notissima fuerat hæc ejus vox. *Moriar, & vario rerum turbine orbem confundi, mutarique omnia videbitis*: quod eventu (ut sunt morientium extrema verba sæpissimè futurorum prænuntia) comprobatum est.

Mors ejus suppressa est per aliquot dies; ita enim ipse vivens præceperat; utque fit, quum pauci admodum scirent, omnes tamen affirmabant. Verebantur multi Ducis prudentiâ & astu simulari hoc, ut rerum novarum cupidi emergerent, & animorum motus è latebris recessibusque cordis in lucem prodirent. Ea opinio ne quid erumperet, in causa fuit. Henricus cum Germanis Italisque militibus Pisas ingressus, quum Perottum Streghum ejus avunculum Pistorium præmisisset, ambasque Civitates firmissimo præsidio communisset, Lucam ad patris exsequias celebrandas reversus est.

Elatus est Castruccius publico funere Nobilium humeris, contrariâ triumpho pompâ, sed ad Principis maximi luctuosum spectaculum, & magnificum. Multorum veris (quod amarissimum est) deploratus lacrymis, & in Divi Francisci Templo (quod extra Urbis muros erat) marmoreo sepulcro conditus. Hic Castruccii finis, quem omnes eodem ordine citiùs, aut seriùs, sequemur.

D. G. Franciotti in effigiem marmoream Castruccii.

Squallebam, pariesque brevis picta ora tenebat,
Et nil, quod de me conspiceretur, erat.
Non tulit ista meus Civis Tigrimus: ut ipso
Hoc iterum vivam marmore, præstat opus.

Johannis Testæ Cillenii Piscienfis carmen ad Lucam.

Desine destructam Castrucci flere figuram,
Luca, levis quòd sit rasus ab arce color.
Ecce nitens magni renovatur imago Tyranni;
Carminibus verum surgit in astra decus
Virtutes sequitur livor, roditque potentes:
Sed sine vix umquam grande paratur opus.

Idem.

Juris & æquarum quondam domus inclyta legum,
Nunc sceleris contra Luca vocanda domus,
Nobile Castrucii delesti stegma Tyranni.
Proh scelus! hic magni Cæsaris instar erat.
Quòd nisi divinæ renovetur imaginis aula,
Quo Duce summa tenes sidera, Luca, rues.

FINIS.

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo XI.
RERUM ITALICARUM.

A

Al-

B

Ejus

C

Car-

Flo-

D

E

A

F

Le-

De

Captus

I

L

M

Fra-

Aro-

N

P

Pto-

Eo-

S

T

V

Fer-

Z

F I N I S.